10 — 42

MEDULLA S. EVANGELII

PER CHRISTUM DICTATA S. FRANCISCO

IN SUA SERAPHICA REGULA.
EXPOSITA MORALITER

Per R. A. P. F. BONAVENTURAM DERNOYE
Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, Provinciæ
S. Joseph Recollect. in Comitatu Flandriæ
Ministrum Provincialem.

OPUS POSTHUMUM,

Omnibus animarum Rectoribus, ac verbi Dei Prædicatoribus, maximè verò quorumcumque Ordinum Religiosis utilissimum.

Figuris divinæ Scripturæ illustratum, & tribus Indicibus, nempe: Concionum pro omnibus Dominicis & Festis, per annum occurrentibus; Scripturarum, & Rerum locupletatum, studio & labore,

V. A. P. F. HENRICI JONGHEN, Ejusdem Ordinis, Provinciæ Germaniæ inferioris, S. Theol. Lectoris Jubilati,



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus JOANNIS WILHELMI HUISCH, Bibliopolæ
Am Hoff. ANNO M. DCC. XXXIV.
Superiorum Permissu.

DEDICATIO.

Reverendissimo in Christo Patri

P. GODEFRIDO STÜVE

Ss. Theologiæ Lectori Jubilato, almæ Provinciæ
Saxoniæ S. Crucis, Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Ex-Ministro Provinciali ac Patri perpetuo, Totius Ordinis S. Francisci Definitori, necnon super Provincias Germaniæ superioris ac Belgii, Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, Daciæ & annexas cum plenitudine potestatis in utroque foro Commissario Generali Dignissimo ac Meritissimo

Patri ac Patrono mihi juji Observantia Colendissimo

Reverendissime ac Observandissime Pater

Ne miretur quæso Reverendissima ac dignissima tua Paternitas, frontem hujus Libri ex Authoritate tua, de novo à me, emendatis priùs, quibus abundabat, mendis, correctissimè impressi, Te vel invito, inscriptum tenere nomen tuum, tanquam Patroni Amantissimi, faventissimi Mœcenatis, ac Defensoris efficacissimi; Noluisti id quidem, & expressè prohibuisti; sed cursum Voluminis ultrò ad Te properantis tenere non potui, nec debui, sicuti enim exeuntes è Mari fluvii ad illud revertuntur, quasi fortis suæ recogniturì originem, indeque merentur (ut iterum iterumque fluant) iteratò in altum attrahi, in aëra exaltari, sublimati purificari, purificati fœcundari, fœcundati in rores pluviasque condensari, condensati defluere, ac mille hominum utilitatibus coaptari, quousque in rivos denuò contracti, ac per confluentes reuniti & in flumina dilatati communis in matris gremium se rursùs insinuent iterum remittendi, atque ita perpetuo suo motu, accessu recessúque, ascensu descensúque, vitam, quâ carent, exprimere videantur aut æmulari; sic pariter, Rev^me^ Pater, quod tuum est, meritò ad Te revertitur Volumen istud, novum hoc suum esse, imò suum melius esse, à Te, ab industria tua & constanti sollicitudine devotè recognoscit, hoc unicè rogans, ut quia tuum est, vindices Tibi, ac veluti tuum, ingenti, qua polles,

serves Nominis tui Authoritate, protegas Dignitatis tuæ officiíque latè potentis potentiâ, ac meritorum tuorum amplitudine defendas.

Tuus utique hic liber esse debet, quia est inter primarios ingeniorum Nationis Tibi concreditæ Germano-Belgicæ partus, imò primus facilè, ne dicam unicus, in quo & Seraphic Ræegulæ ad literam observandæ doctrinam copiosissimam, & religiosæ moralitatis Theologicos apices, & arcana sacræ ascescos profundissima, ipsam denique sacrosancti Evangelii scientiam medullarem, admirabili stylo, mirabiliorique ordine congesta ac in unum redacta uno eodemque intuitu lustrare simul liceat ac degustare. Tuus esse vel ex eo debet, quod nativa tua Provincia Saxoniæ S. Crucis præclarum ejus Authorem, dum viveret, longe tempore utilissimum ac integerrimum coluerit incolam, in pluribus Conventibus Exemplarem omninò Superiorem suspexerit, & Virum hunc sanctitati fovendæ datum, in Definitorem suum, ac subindè in Commissarium Provincialem elegerit, ut proindè meritò liceat dubitare: eademne alma Provincia tua tunc noviter restituta plus sanctitatis ab illo hauserit Seraphicæ sanctitatis Doctore, an verò ipse, ex diuturno, cum viris in eâ præclarissimis, contubernio, id avido corde copiosè biberit, quod omnium, nedum Seraphicæ Regulæ sectatorum, sed etiam cujusvis instituti Religiosorum, communi bono publicè eructaret Verbum bonum ac saluberrimum. Tuus denique debet esse hic liber, quia Tuum esse fecit singularis ille zelus, quo obstitisti, ne suâ jam raritate omninò deficeret, & indefessa sollicitudo, qua effecisti, ut reimpressus, manibus teri omninm, patere oculis, auribus excipi, cunctorúmque cordibus posset instillari: Unde fuit, ut mihi opus sic suaderes, ut persuaseris, & jam volenti animos adderes, sedulò dein operanti, pios ad perficiendum stimulos superaddere non cessares.

Ad Te igitur, quod tot titulis Tuum est, sponte sua pergit volumen istud, audetque quos opposuisti, prohibitionis tuæ margines aggerèsque devoto quodam ac pio temeritatis genere deturbare ac perrumpere, & quidni? quid enim sibi à Tua benignitate timeret? imò quid non speraret à Te Reverendissime Pater, Paterni, propitii & indulgentis? Cum enim nemo facilè sua prudens negligat aut non curet, nemo pius non sit in sua, etiam amplius quid à te exspectat hic liber, exspecto & ego, nam plus aliquid exspectare me jubent, tum inseparabili à Te comitati immixta Authoritas, tum Comitas tua amabilis Authoritati prorsùs involuta, quâ utrâque utens, utrâque salvâ, ita cunctorum attrahis animos, ut gratiâ & absque nisu id assequaris ab omnibus, quod alius non facilè cogat imperio. Novi modestiam tuam, & in hac quidem parte imperiosam, ne in laudes tuas spatiosiùs divager: Obedio; sed hanc ipsam, quia prohibendo Tu ipse manifestas, vel ideo tacere non licuit; Et cur spectatum omnibus Tuum cum indefesso Religionis zelo omnigenæ virtutis copiosissimum studium inutili silentio frustra involverem? non pando ille ego, pandêre mundo Tui, quà in sacro tuo Ordine Consodales, quà Superiores, dum hi plau-

dentibus

dentibus semper illis, Te scholasticas vix Disciplinas emensum, ut alios docendo Tibi faceres similes (id est, Cathedrarum ex discipulis tuis efficeres lumina, altissimarúmque scientiarum Professores efformares) Lectorem Philosophiæ primò, ac paulò post Theologiæ constituerunt, ejusque diuturno ex cursu lauream jubilationis pro merito adeptum, in antiquissimo ac numerosissimo primarii Novitiatûs Hammonensi Conventu, Authoris hujus nostri successorem, & vel hinc, optimi ominis Guardianum esse voluerunt: sed hæc quid? tantum Tui apud Tuos desiderium patuit, ut nulla se obtulerit major dignitas, ad quam Te statim non extulerint, quatenùs in alto constitutum, liberiùs ex imo, non tam Te possent conspicere, quam suspicere Tua merita, Tuisque talentis suo bono gaudere.

Necdum enim triennium Tui Guardianatûs compleveras, quando ad totius almæ Tuæ Provinciæ regimen qua Provincialis Minister fuisti electus; neque hoc regimen triennale ex toto absolveras, quando Totius Tuæ Seraphicæ Religionis, in nuperrimo ejusdem Generali Capitulo Mediolanensi, communi fuisti suffragio renuntiatus Definitor Generalis; sed & vix dignitatis hujus amplissimæ adeptus eras primitias, quando Reverendissimus universi Seraphici Ordinis Tui Generalis Minister, qui in eodem Generali Capitulo Te præsentem personaliter nosse tantùm cœperat, virtutes tuas & habilitatem abundè prænoscens, idoneum Te, imò dignissimum judicavit, cui totius Franciscanæ Nationis Germano-Belgicæ Hiberniam Angliamque complectentis, committeret Generale gubernium: quo in altissimo demùm, ast simul laboriosissimo Commissariatûs Generalis Munere, ita omnibus omnia factus, omnibus bonis placuisti, ut, finito necdum triennio solito, ad aliud novum confirmatus extiteris. Adeò verum est, quod honor sequentes fugiens, sequatur fugientem, nî malim dicere, & utrumque rectè, ideo Te ad omnes in Tuâ Provinciâ Doctrinæ honorúmque gradus, ad majora in universa per totum latè mundum patente Tua Religione, ad altissima verò in præfata hac Tua Natione munia, idque tam velociter ascendisse, quia, quos Tu non cupiebas, ipsi Te certatim ambiebant honores à te honorandi, dum Tu interim oneraris ab illis, gravaris, deprimeris, & non opprimeris tantùm: hoc enim comprobatæ virtutis est, & fortitudinis conquassari nesciæ laboribus incessanter teri, anxiis distineri curis, vigiliis macerari continuis ac periculis agitari, nec tamen succumbere, & tamen nunquam non agere quidquam proficuum. Hæc Tui dicunt, facta probant, nec opus est plura dicere; fama præloquitur: quæ etiam, uti castissimum sapientissimúmque Ægypti sub Pharaone moderatorem loquentem induxit Philo, Te nobis videtur, graviter pro more dicentem inducere: *Populi favorem captare non didici, nec unquam volui, sed Magistratum mihi commissum bona fide gerere, ut Patrem decet benevolum, absque dolo, & mihi semper invisa simulatione.* Philo Jud. lib. de Joseph. ante med.

Recipe

DEDICATIO.

Recipe igitur Rev^me^ Pater Medullam hanc Evangelicam meis nunc operis in lucem de novo prodeuntem, atque Tibi meritissimè dicantem sese dedicantemque, recipe inquam, iis, quibus assoles, oculis, vultu affectúque placidis ac faventibus: recognosce in illa vitam, conversationem, mores, virtutes ac perfectiones hominis verè Evangelici, quæ tuis inesse subditis, proprio magìs exemplo, quàm verbo Tuo tam sollicitè procuras, & zelantissimus Pastor jugiter allaborare non desinis, dumque novum hoc typi opus probaveris, memetipsum cum eo commendatum tibi habere non dedigneris, qui cum profundiori veneratione sum, eroque

Coloniæ ex Officina mea Libraria
6ta Aprilis 1734.

Reverendissime ac dignissime Pater

Rev^mæ^ tuæ Paternitatis

Obsequiosissimus Servus
Joannes Wilhelmus Huisch.

PRIVILE-

PRIVILEGIUM.

Cum Variis Privilegiis Sacræ Cæsareæ ac Regiæ Majestatis Catholicæ cautum sit, ne quis per universum S. Imperium Libros à Patribus Ordinis S. Francisci Fratrum Minorum Regularis Observantiæ sive Recollectorum nuncupatorum editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recusos, intra S. Romani Imperii Regnorumque ac Dominiorum Hæreditariorum Augustissimæ Domûs Austriacæ fines adducat, vendat vel distrahat absque consensu et facultate eorundem Patrum, sub pœna confiscationis librorum, & aliâ in ipso Diplomate Cæsareo expressâ gravi mulctâ contravenientibus infligenda: Hinc juxta eadem Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Catholicæ concessa nobis Privilegia; Harum Virtute facultatem facimus D. JOANNI WILHELMO HUISCH Bibliopolæ Coloniensi, imprimendi, sive imprimendum curandi Librum cui titulus est: *Medulla S. Evangelii per Christum dictata B. Francisco in sua Seraphica Regula, exposita moraliter per R. A. P. Fr. Bonaventuram Dernoye* &c. Idque pro secunda editione ejusdem Libri quondam Antwerpiæ Typis divulgati; Servatis tamen alias de jure servandis. Datum in Conventu nostro Coloniensi ad S. Agnetem sive ad Olivas nominato Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, sub nostro Chirographo ac consueto Officii nostri Sigillo, Die 19. Maji 1733.

Fr. GODEFRIDUS STÜVE
totius Ordinis Definitor, Nationis
Germano-Belgiæ Commissarius
Generalis m. pp.

APPROBATIO

THEOLOGORUM RELIGIONIS.

Nos infrascripti ex commissione Superiorum attentè & cum gustu perlegimus Opus insigne, cui titulus, *Medulla S. Evangelii per Christum dictata B. Francisco in sua Seraphica Regula, exposita moraliter per R. A. P. F. Bonaventuram Dernoye &c.* In quo nil fidei aut morum probitati contrarium, sed Evangelicæ perfectionis præclara documenta traduntur, quæ animos legentium non solùm instruunt, verùm etiam ad pietatem, ac perfectionem vitæ dulciter afficiunt ac mirabiliter promovent. Quare Opus uti Christianæ Reipublicæ, & præsertim Religiosis Spiritum Domini, & ejus sanctam operationem desiderantibus utilissimum, sic prælo dignissimum censuimus. Lovanii in Conventu nostro Fratrum Minorum regularis Observantiæ 19. Decembris. Anno 1656.

F. JOANNES BOSCO
S. Theologiæ Lector Iubilarius.

F. GUILIELMUS HERINCX
S. Theologiæ Lector.

CENSURA ORDINARII.

C*Æleſtis illa vitæ forma & Regula Chriſtiformi juxta ac Seraphico Beato* Francisco *divinitùs inſpirata, quam ipſe* Medullam S. Evangelii *appellare ſolebat, utpote Evangelicæ perfectionis apicem continentem, à multis hactenus litteraliter, noviſſimè à* R[do] Adm. P. F. Bonaventura Dernoye, *Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Sancti Joſeph in Flandria olim Miniſtro Provinciali moraliter expoſita, ac deinde nuper ſtudio & induſtria* V. P. Henrici Jonghen *ejuſdem Ordinis S. Theologiæ Lectoris Jubilati ſingulari methodo diſpoſita, merito in lucem prodit: opus enim eſt non ſolùm ab omni fidei & morum nævo defecatiſſimum, ſed etiam quod ſingularem ſpirat pietatem, ipſamque omnigenæ doctrinæ ſpiritualis cornucopiam continet. Ex qua quilibet Evangelicæ perfectionis cupidus, doctus & indoctus, magnus & puſillus, Superior & ſubditus, præcepta, monitaque ſalutaria exquiſitis auctoritatibus & Sanctorum, potiſſimùm ordinis ſui Seraphici egregiis exemplis illuſtrata affatim cum gaudio ſpirituali haurire poterit; virtutes enim omes cum ſuis vitiis oppoſitis, & ſignanter Paupertatem altiſſimam, Caſtitatem puriſſimam, Obedientiam univerſaliſſimam erga quoſcumque Superiores, ac in primis erga illum Superiorum Superiorem Romanum Pontificem tamquam præcipuum fidei noſtræ orthodoxæ ſtabilimentum graphicè depingit. Quiſquis igitur Virtutum Chriſtianarum ſectator es, & ſalutis tuæ verus amator,* Comede Volumen iſtud; *hoc enim cibatus, dices, ſpondeo,* Factum eſt in ore, meo ſicut mel dulce. *Datum Lovanii, à parta ſalute* M. DC. LVI. Decembris, die XVIII.

ANTONIUS DAVE
S. Theol. Doctor, Regiæ & primariæ Cathedræ Scholaſticæ Profeſſor, nec non Apoſtolicus Librorum Cenſor.

MANDA-

MANDATUM
OBEDIENTIÆ
De Operis elaboratione.

FRATER JACOBUS DE RIDDERE *Ordinis* S. FRANCISCI *Regularis ac strictioris Observantiæ super Provincias Germaniæ Superioris Belgii, Hiberniæ, Angliæ. Scotiæ, Daciæ, cum plenitudine potestatis in utroque foro Commissarius Generalis.* *Admodum Venerando Patri* F. Henrico Jonghen *ejusdem Ordinis, ac Provinciæ nostræ Germaniæ Inferioris*, S. *Theologiæ Lectori Jubilato, salutem & pacem in Domino sempiternam.*

Cum Reverendus Admodum Pater F. Bonaventura Dernoye, *Minister nostræ Provinciæ Sancti* Joseph *in Comitatu Flandriæ Fratrum Minorum Recollectorum, piè officiis & vita functus, plura post se scripta reliquerit, viri pietatem, doctrinam, prudentiam, zelumque Seraphicum spirantia. Et inter cætera Expositionem spiritualem* in Regulam Sanctissimi Patris nostri Francisci ac nostri Ordinis*: Opus sanè omnibus numeris absolutum, ac prælo dignissimum; in quo tamen mecum plures Patres Ordinis judicaverunt expedire stylum nonnihil immutari, atque legentium gustui accommodari. Hinc est quòd Venerandæ Admodum Paternitati vestræ, de cujus doctrina, pietate ac prudentia plurimùm in Domino confidimus. committendum duxerimus, prout committimus præsentibus, in meritum* Sanctæ Obedientiæ *eidem injungentes, ut præfatum opus diligenter perlegat, examinet, ejusdemque stylum immutet, additis, demptis, transpositis quæ pro majori elegantia, legentium gustu & ædificatione addenda, demenda, transponenda duxerit: ut sic ad majorem Dei, Ordinis nostri Seraphici, ac sui Auctoris gloriam, pluriumque utilitatem possit tam pium opus in publicum prodire. Datum in Conventu nostro Mechliniensi Fratrum Minorum sub nostro chyrographo, officiique sigillo majori die* 21. *Mensis Novembris Anno Domini.* 1654.

F. JACOBUS DE RIDDERE
Commissarius Generalis FF. Minorum Germano-Belgicus.

VITA 50

VITA
AUCTORIS.

ADMODUM R. P. F. BONAVENTURA DERNOYE, Leodii Eburonum, honestis parentibus natus, in litteris humanioribus eruditus, gustatis Coloniæ Agrippinæ Philosophiæ principiis, ad annum 1599. Ordinem S. FRANCISCI sub Reformatione Observantiæ strictioris Recollectorum Provinciæ Flandriæ in Conventu S. FRANCISCI ad Sambram ingressus, anno sequenti 1600. Mensis Novembris die 14 sacram ibidem professionem emisit. Felici quidem auspicio: cùm enim in præfato Conventu prima illa reformatæ vitæ fundamenta multo jacerentur fervore, vocationem illius Deus benedictionibus quàm plurimis prosperavit. Magnis siquidem donis in Oratione præventus, & in reformatione hominis interioris, cæteros Pietatis, Paupertatis, Disciplinæque rigidioris non modica specimina prætulit: & statim à Sacerdotio, zelo animarum incensus, cœpit per pagos & municipia discurrendo, Verbi Dei doctrinam (quam vitæ exemplaris circumferebat exemplo) cum fruge plurima disseminare. Cùmque Conventus in Flandriæ Comitatu, velut agri albicantes ad messem Observantiæ strictioris, messorum requirerent operam, *F. Bonaventura* cum aliis delectus est ad reformandum Conventum Iprensem. Quo in loco, sicut & postmodum in Gandensi Conventu, & alibi, utilissimam posuit operam in directione atque instructione Novitiorum: quibus ad pietatem exercitatis, reformatio felicia primordia cœpit & incrementa. Neque dumtaxat in magistri Tyronum officio, verùm & in Guardianatûs munere, diversis in locis Comitatûs Flandriæ, nimirum in Dixmudensi Conventu, Cassletensi &c. laudabiliter præfuit.

Cùm autem ad annum 1626. Germania, hæresibus bellisque concussa, operarios desideraret, ut illustres & antiquæ Ordinis Provinciæ, Saxoniæ Sanctæ Crucis, & S. Joannis Baptistæ, quæ Fratribus destitutæ perierant, restituerentur; inter primarios F. *Bonaventura*, è Gandensi Conventu à R. P. *Josepho Bergaigne* Nationis Germanico-Belgicæ Commissario Generali, sub finem Octobris, Coloniam evocatus, anno sequenti 7. Januarii ad Conventum mittitur Fuldensem, ubi dum strenuè pro Saxoniæ S. Crucis Provincia restauranda laborat, ad 13. Decembris Hammonensi Conventui Commissarius cum potestate Guardiani præficitur: & in primo Capitulo dictæ Provinciæ jam restitutæ, Fuldæ celebrato, Definitor eligitur, simulque Guardianus instituitur Hammonensis, & Novitiatûs in eodem loco director. Onera illa omnia, Dei & Religionis amore suscipiens, in oppido illo hæretico, magno Ordinis decore præluxit Fratribus, nova germina desertæ Provinciæ suscitavit, & in media hæreticorum colluvie vitæ exemplo haud mediocriter profuit. Cùm etiam supra Theologici Studii & Controversiarum Fidei notitiam, aliquam nactus esset peritiam Germanici idiomatis, etiam ab Acatholicis suspiciebatur: & tùm Hammonæ, tùm Osnabrugi (ubi postea Guardianus substitutus fuit) fructum non exiguum reportavit. Talis verò fuit æstimationis apud Provinciæ Patres, ut Ministro Provinciali ad Græciensem Congregationem (de mandato R^mi^ Patris Generalis indictam) proficiscente, ipse Patrum omnium calculo delectus fuerit Provinciæ Commissarius.

Verùm Deo suum populum affligente, dum Sueci occupant Osnabrugum, Guardianatu isto pulsus, ad suam Flandriæ Provinciam redire compellitur, & Comitatu Flandriæ in Provinciam Titulo S. Joseph noviter erecto, eidem pristino assistit fervore. Donec denuò Commissarius Visitator ad Provinciam Saxoniæ S. Crucis destinatus, dum in ea visitanda indefessè laborat; in Capitulo Provinciali (quod pro nova Provincia S. Joseph anno 1635. Cortraci celebrabatur) omnium votis in Ministrum Provincialem ejusdem Provinciæ, absens eligitur, & confirmatur. Quod munus toto triennio cum magnis vitæ religiosæ incrementis administravit; eoque bonæ famæ odore, ut absoluto triennio ad Visitationes Provinciarum S. Andreæ & Coloniensis, variis fuerit temporibus, pro merito Commissarius à Prælatis Generalibus deputatus. Anno Domini 1639. interfuit Capitulo Generali Romano. Denique secundò ad Ministeriatum supradictæ Provinciæ S. Joseph assumptus anno 1650. in Capitulo Cortracensi, dum in eo desudat officio circa triennii finem, senectute confectus, quippe septuagenario major, cœpit pluribus & vehementioribus calculi, podagræ, aliisque angustantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadrari, tamquam lapis in supernæ Jerusalem ædificio collocandus: & tamquam opus ductile sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adduci. Quas omnes molestias, ex pedum tibiarumque ulceribus, scissionibus & aperturis, quas per medicos fieri oportuit cum ingenti dolore, non modò summâ patientiâ; sed tanta quoque tolerabat hilaritate, ut ipse Confratres, qui vehementissimis illis afflictionibus compatiebantur, exhilararet.

Cùm

VITA AVCTORIS.

Cùm Corttaci decumberet, ex ea infirmitate, quæ ejus peregrinationi miseriisque finem imposuit, & Feriâ 2. Hebdomadæ Sanctæ Extrema illi Unctio ministraretur, ad Fratres circumstantes atque mœrentes, se tanti viri societate destitui piissimam, & pro more suo efficacem habuit orationem, quâ illos, affectu paterno, ad omnes partes Religiosæ vitæ, atque in primis ad divinum est hortatus amorem. Quod extremum pietatis officium paternæque sollicitudinis, non longè ante obitum iteravit. Tandem cunctis in eum completis divinis dispositionibus, Feriâ 6. Parasceve, quâ ipsa Vita indefectibilis pro nostro totiusque mundi salute moriebatur in cruce, hic quoque Vir Dei, judicio plenus, & pietatis affectibus, quasi sub ipsius Crucifixi complexibus, cum eo pariter expiravit. Quem cum ipso quoque in Paradiso regnare cœlesti, piè confidimus.

Enimvero si *S. Vincentius*, Ordinis Prædicatorii celeberrimum lumen, hoc de Regula Franciscana testimonium dedit; (a) quòd *qui illam servat, Sanctus est; & quando moritur, posset canonizari*. Itemque *Martinus Navarrus*, eximius Doctor sapienter simul pieque pronuntiavit, adeò se venerari FRANCISCI altissimam Regulam, *ut observantes eam ad unguem, & ad mentem Auctoris, incruentos quosdam martyres reputaret*. Si, inquam, hæc ita censentur à Viris hujusmodi, quidni liceat nobis sanctitatis opinionem concipere de hoc homine, quem constat per annos ampliùs quinquaginta fuisse illius Regulæ, non modò accuratissimum observatorem, verùm & ferventissimum zelatorem. Paupertatem certè, huic Ordini commendatissimam, austeritatem vitæ, solitudinem, studium pietatis, quæ ad omnia valet, cæterasque virtutes, indefesso coluit amore, ut nec in extrema senecta, Jubilarius existens in Ordine, quidquam de austeritatibus remiserit Religiosorum exercitiorum; nihil commoditatis (quæ tamen viri senio, laboribus & infirmitatibus debebatur) in habitu, cibo & potu, aliusve admiserit corpori necessariis. In cella, omnia arctissimam præ se ferebant Paupertatem, supellex vix necessaria, libri non videbantur, nisi unus aut alter ex Bibliotheca communi, quo brevi tempore, pro indigentia utebatur. Solitudinis amore, consortia hominum (quantum officii ratio & charitas permittebat) fugiebat omninò, exactissimam habens pretiosi temporis rationem, & quidquid posset publicis occupationibus suffurari, orationis exercitio, studioque sacræ lectionis & scriptionis impendens. Quod liquidò patet, ex pluribus ingenii sui monumentis, quæ, referentia fervidum Auctoris spiritum, pietatem, solidamque & prudentem in rebus gerendis experientiam, scripta reliquit; quorum hic Catalogus est:

(a) *Apud* Quaresm. *Tom. 2. de Terra. Sancta lib. 4. cap. 8.*

Praxis Justitiæ Christianæ, latinè impressa Coloniæ.

Recollectiones de B. Virgine gallicè impressæ Brugis.

Domus Dei. 4. partes.

Breviarium Recollectionum pro singulis diebus anni. 4. partes.

Praxis Reformationum.

Redde quod debes.

Cave, pro Superioribus.

Magistri Novitiorum informatio, cum exercitiis Candidatorum.

Concilium Malignantium, sive demonum, contra Reformationem.

Apotheca eorum, qui deputati sunt consolationi infirmorum.

Le petite Ordre de 3. Devotions de N. Dame avec ses exercices.

Corrector errantium & deceptorum in fide.

Memoria mirabilium Eucharisticorum.

Victoria divinæ Bonitatis.

Correctorium Capitulum regulare, summi Abbatis Dei.

Recessus solitarius cum exercitiis pro FF. Minoribus Recollectis.

Formulæ Reformationum.

Considerationes ad Horas Laicales super Pater Noster, Flandricè.

Medulla S. Evangelii; quæ denuò in lucem prodiit.

ELABORA-

ELABORATORIS
PROTESTATIO
ſuo & Auctoris nomine.

C*UM Sanctiſſ.* D. N. URBANUS Papa VIII. *die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu Martyrii famâ celebres è vitâ migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tamquam eorum intercesſionibus à Deo accepta continentes ſinè recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſinè ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctisſimus die 5. Julii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem. Huic Decreto, ejuſque confirmationi, & declarationi obſervantiâ, & reverentiâ, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor meo & Auctoris nomine, nos haud alio ſenſu, quidquid in hoc libro referimus, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate non autem divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.*

MEDULLA

•§§•:)(r°)(:•§§•

MEDULLA S. EVANGELII

PER CHRISTUM DICTATA B. FRANCISCO IN SUA SERAPHICA REGULA.

CAPUT PRIMUM.

De Tribus votis Religiosi statûs.

REgula & vita Fratrum Minorum hæc eſt: ſcilicet Domini noſtri JEſu-Chriſti ſanctum Evangelium obſervare, vivendo in Obedientia, Sine proprio, & in Caſtitate. F. Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus ejus canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alii fratres teneantur F. Franciſco, & ejus ſucceſſoribus obedire.

TEXTUS & §. PRIMUS.

Regula.

SUMMARIUM.

Regula Religioſis neceſſaria. Cur Franciſcus non antiquam aliquam aſſumpſerit, ſed novam conſcripſerit? Quæ per multas oppoſitiones examinata, diſputata, tandem ſolemniter ab ipſo Chriſto auctorizata & à magnis viris collaudata fuit.

QUemadmodum exercitus quantumcumque numeroſus, ſi abſque ordine progrediatur, ac certis legibus & regulis non adſtringatur, non ſolùm non terribilis hoſtibus, ſed ſui ipſius impeditivus, ac certo exitio expoſitus eſt: ita animæ Deo ſervire & in virtute proficere cupientes; præſertim Religioſæ Congregationes, abſque certis regulis & ordinationibus ſubſiſtere omnino non poſſunt. Quamobrem antiqui ſanctitatis magiſtri ac Religioſorum Fundatores Ordinum, SS. Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, &c. ſibi ſuiſque ſectatoribus, de ſcripturis ſacris certas vivendi normas ac regulas compilarunt; quibus vitam & mores accommodando, *inhabitare* poſſent *unius moris in domo*, Deumque in vero morum animorumque conſenſu quærerent ac invenirent. Pſal. 67.

Simili modo ac ratione Franciſcus, quem Deus immenſâ ſuâ miſericordiâ, â ſæculi vanitatibus abſtraxerat, tantâque charitate repleverat, ut non ſolùm ipſe totus accenderetur, verùm etiam alios ad Jeſu-Chriſti amorem, & perfectionem Evangelicam inflammaret; poſtquam ipſius exemplo, viri quidam animari cœperunt ad pœnitentiam, eique rejectis omnibus habitu & vitâ conjungi; facilè intellexit non poſſe ſinè *Regula* corpus Religionis aſſurgere, & ad Evangelicæ perfectionis culmen pervenire.

Hærebat tamen ambiguus, quam potissimùm Regulam assumeret, suisque præscriberet observandam. Licèt enim sub antiquis Regulis plurimæ illustres animæ profecerint plurimum, & ad sanctitatem magnam pervenerint; non sufficiebant tamen vehementibus, ac extraordinariis motibus, quibus Seraphicum virum Spiritus S. urgebat, ut ad summum paupertatis & humilitatis gradum ipse conscendere suosque ducere niteretur. Eadem nihilominus humilitas, ignorantiæ & ruditatis suæ conscia, novam per se condere Regulam refugiebat, timebatque vir humillimus non immeritò, ne in attentato hujusmodi novitatis præsumptionis argueretur.

Verùm is qui parvuli & imbecillis instrumenti ministerio in opere tam eximio uti decreverat, simplicem ac humilem Franciscum animavit, ut parvipensis hominum judiciis, divinis fisus auxiliis, simplici stylo illam Regulam conscriberet, quam Innocentius III. approbavit; (licèt verbotenus tantùm ac sinè bulla) unà cum Ordine Franciscano; qui illa vivendi normâ usus est usque ad annum Religionis decimum sextum: quo Franciscus cupidus efficiendi ut Regula per Innocentium approbata, per Honorium III. confirmaretur, à Deo monitus post arctissimum quadraginta dierum jejunium, eandem ferè in substantia, sed compendiosiorem multò, conscripsit Regulam, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat.

Hæc est illa Regula ad quam tot millium animarum per universum mundum regulari debebant conatus ac studia; quam disposuit Deus atque permisit gravissimas pati oppositiones, gravissimorum virorum ingeniis discuti atque examinari: ipsos summos Pontifices de illius possibilitate & sanctitate dubitare; ut eò certiùs constaret, non humanâ prudentiâ vel industriâ conditam, sed divinitùs inspiratam, ac Dei opus esse, contra quam humanæ rationes hominumque conatus, imò ipsæ inferi portæ tam parùm valuerint.

D. Bonav. in legenda S. Francisci cap. 3.

Prima sub Innocentio III. Pontifice mota est difficultas; eò quòd aliquibus de Cardinalibus Francisci institutum novum aliquid & supra humanas vires arduum videretur. Verùm cùm Illustrissimus Dominus Cardinalis Joannes à S. Paulo, Pontifici coram toto consessu diceret: Regulam ex Evangelio desumptam, non posse novitatis & impossibilitatis argui, nisi Christi Evangelium novum & impossibile diceretur; proponente etiam Francisco parabolam de prole regia à paupere licèt matre genitâ, Regi tamen simillimâ, quam proinde inverisimile foret deserendam ab eo qui etiam malis & brutis animalibus providet: accedentibus præcipuè revelationibus divinis, quibus Vicarii sui mentem Christus illustrabat; præfatus Pontifex Regulam & Ordinem absolutè approbavit.

Easdem circa secundæ Regulæ approbationem difficultates movit Honorius III. Francisco consulens, ut aliqua in Regula ista posita mitigaret, quædam omninò deleret: sed respondit ille: *Ego Beatissime Pater præcepta aut verba illa in Regula non posui, sed*

In opusc. S. Franc.

Christus, qui omnia utilia ac necessaria saluti animarum ac Fratrum, & bono statui ac conservationi Religionis meliùs omnibus novit; cuique omnia quæ ventura sunt in Ecclesia & Religione nostra præsentia sunt & patent. Non ego debeo, nec possum Christi verba mutare, aut omninò abolere. Quo audito discretus Pastor, habito desuper maturo Cardinalium consilio, Regulam illam solenniter approbavit & confirmavit per Bullam quæ incipit: *Solet annuere Sedes Apostolica.*

Tom. 1. Colloq. 9. Ex Pisano l. 1. Conform. 9. memb. 2.

Refert Pisanus Sanctum Dominicum aliquando B. Francisco proposuisse, ut quandoquidem ipsi inter se charitate conjunctissimi erant, filii etiam utriusque in eundem ordinem, sub eâdem vivendi formâ conjungerentur. Quod quia sinè aliquali Regulæ à Christo datæ temperamento & mitigatione fieri non posse videbatur: dixit Franciscus divinæ esse voluntatis, distinctos ab ipsis duobus Ordines derivari, ut si cui fortè unus austerior videretur, alium posset intrare, & sic Deus sub diversis institutis plures animas lucraretur.

Lib. 1. Conform. Fruc. 12.

Neque defuère circa ipsum Ordinis exordium Fratres, qui plusquam oportebat humano Spiritui & sapientiæ tribuentes, quod ipsi proponere videbantur, per Cardinalem Ostiensem persuadere conati sunt Patri suo Francisco, ut nimirum sapientium & prudentiorum patrum in Ordine consiliis plus tribuendo, per novam & nimis austeram Regulam non tantoperè ab antiquorum Ordinum Regulis recederet. Sed facilè per S. Spiritûs revelationem vir Deo plenus, humanæ prudentiæ dolos detexit, eorumque conatus repressit, ad stuporem Cardinalis, prout in sequentibus latiùs patebit. Resumpserunt nihilominus conatum anno 1223. dum Seraphicus vir Dei monitu in abrevianda Regula occuparetur. Fr. Elias siquidem Ordinis Vicarius (qui jam Regulam illam ad conservandum sibi traditam, viderat, eamque se perdidisse verè vel callidè dixerat) videns Franciscum ad eam revocandam montem conscendisse, cum quibusdam sibi adhærentibus Provincialibus, Fundatorem accessit, conquerendo efformari Regulam humanis viribus superiorem, cùm ipsi non vellent aut possent obligari ad alterius Regulæ observantiam ab illa quam professi fuerant. Ad quorum querelas cùm Franciscus & ipse conquerens, & turbatus velut impar ad resistendum talium conatibus, ad Deum se convertisset, statim in nube lucida apparuit super hominem Christus Dominus, qui cunctis audientibus dixit ei *Homuncio, quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? tune Legislator? tune hujus vitæ præceptor? nonne omnia Regulæ præcepta à me præscripta? nonne tabula à me formata? tu dumtaxat tenue hujus operis instrumentum & calamus scribentis. Novi ego quid dictaverim, novi quid velim præcipere, vires humanæ mihi comperta, scio quid possint, & quantum ego valeo & volo præstare subsidium: Volo proinde ut Regula hæc observetur* AD LITTERAM, AD LITTERAM, AD LITTERAM, SINE GLOSSA, SINE GLOSSA, SINE GLOSSA,

Wadd. ad an. 1219. num. 24.

Wadd. ad an. 1223. num. 12.

Wadd. Supra.

si

si ergo isti nolunt observare, deturbatis tamquam discolis & rebellibus, ex hac sodalitate, illorum loco alios substituam, & si opus fuerit, noviter nasci & oriri faciam, atque de lapidibus istis sinceros hujus instituti sectatores suscitabo. Itaquè oppositio ista humana occasio fuit ut Regula ab ipsomet Christo primò approbaretur, imò opus ipsius agnosceretur, quo non tantùm illi, qui præsentes aliquid contra eum machinari conabantur, territi confunderentur, & obmutescerent, sed omnibus imposterum occasio præscinderetur, quâ contra institutum ab ipso Deo conditum & stabilitum moliri quidpiam auderent.

Hæc est ergo Regula, quâ cælestis *Rex* in Francisco & aliis, quos cum ipso & post
Cant. 4. ipsum *introduxit in cellam vinariam, charitatem ordinavit*; singulari sanè beneficio, quo piissimus Deus etiam in Ordine S. Francisci, tamquam parvâ Ecclesiâ sive modella, adimplevit quod per Isaiam Christi Ecclesiæ pro-
Isaiæ cap. 54. vers. 11. miserat: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphyris, & ponam Jaspidem propugnacula tua, & portas tu lapides sculptos, & omnes terminos tu lapides desiderabiles universos Filios suos doctos à Domino, & multitudinem pacis Filiis tuis, & in Justitia fundaberis.* Per hanc siquidem Regulam *Lapides vivi* à Deo in Ordine humili Fratrum Minorum ordine sternuntur, quem *in Saphyris* id est viris, virtutibusque apostolicis, cœli colorem cœlesti conversatione referentibus fundavit. Viros doctrinâ ac sapientiâ illustres, tamquam *Jaspides in propugnacula* disposuit. *Lapides sculptos* eidem dedit Prælatos in vitiis mortificatos, & in virtutibus exercitatos, qui instar portarum ingressum ad Ordinem (aliis exclusis) illis præberent, qoos huic ædificio idoneos tamquam *Lapides desiderabiles* judicarent.

Porrò per eandem Regulam à Christo, ut diximus, specialiter dictatam, universi Francisci ac Religionis Fratrum Minorum Filii meritò dicuntur *Docti à Domino*: qui quo magis à mundi legibus, omni humanâ & mundanâ sapientiâ, *Meo*, & *Tuo* frigidis verbis, discordiis, injustitiis, aliisque mala multa causantibus; fastu denique ac honoribus, juxta ejusdem Regulæ præscripta elongantur; eò amplius in *multitudine pacis* vivere, & firmi- Apoc. 21. vers. 2.
ùs ac altiùs, possunt *in justitia fundari*, tamquam *civitas sancta Jerusalem nova*, quam Joannes vidit, *de cœlo à Deo descendentem, tamquam sponsam ornatam viro suo.* Quæ in Cant. *pulchra, suavis, & decora* dicitur *sicut* Cant. 6. vers. 3.
Jerusalem: amabilis utique omnibus Deum ac virtutem amantibus: terribilis nihilominus hostibus *ut castrorum acies ordinata*, dummodo in pura Regulæ observantia phalanges Fratrum Minorum, mutuò sibi coadunatæ, Deo & superioribus subordinatæ permanserint.

Habent itaque Fratres Minores S. Francisci Filii in Regula sua examinatam & approbatam sanctitatis normam, breviarium divinæ sapientiæ, summam Evangelicæ perfectionis; ut opus non sit ad alias aliorum Regulas respicere. Nam celeberrimus ille Ordinis Prædicatorii S. Vincentius apud Quaresmium, de Regula ista hoc dat judicium; *Quod* Tom. 2. de terra S. l. 4. c. 8.
qui illam servat sanctus est; & quando moritur posses canonizari. Navarrus autem plus ac eximius Doctor, *adeo se venerari Regulam hanc S. Francisci altissimam* dixit; *ut observantes eam ad unguem, & ad mentem auctoris, sucrutes quosdam martyres reputaret.*

Audiant proinde Filii Patrem suum monentem: *In nomine Dei omnipotentis rogo omnes Fratres; ut addiscant tenorem & sensum eorum, quæ in ista vita ad salutem animæ nostræ scripta sunt. Et deprecor omnes cum osculo pedum, ut multùm diligant, custodiant, & reponant. Et ex parte Dei omnipotentis, & Domini Papæ, ego Franciscus firmiter præcipio, & injungo; ut ex iis quæ scripta sunt nullus minuat, vel in ipsa scriptum aliquod superaddat, nec aliam Regulam Fratres habeant.* Ne autem glossis & interpretationibus minùs puris spiritus verborum sacrorum Regulæ enervaretur, ejusque rigor relaxaretur, in Testamento quo supremam suam & ultimam voluntatem Filiis expressit, *præcepit firmiter per obedientiam omnibus tam Clericis quàm Laicis, ut non mittant glossas in Regulam, dicendo, Ita voluit intelligi: Sed sicut* (inquit) *dedit mihi Dominus purè & simpliciter dicere & scribere, sine glossâ intelligatis, & cum sanctâ operatione observetis usque in finem.*

In opusc. S. Francisci in fine prima Reg.

TEXTUS & §. II.

Et vita.

SUMMARIUM.

Vita non concordans Regulæ inutilis est & monstrosa. Sancto fundatori Francisco displicet. Præcedentium vel præsentium Religiosorum sancta conversatio, est aliis vehemens calcar ad vitam rectè componendam. Qualis vita exemplar dereliquerint primi Observantini.

NOn frustrà Sanctissimus Pater verbo, *Regula*, subdidit: *Et vita.* Non enim prodest *Regula*, quam non comitatur *Vita.* Id optimè intellexit filius ejus B. Ægidius, qui

Dernoije Medulla S. Evangelii.

Chron. Minor. p.1.l.7.c.39.

qui insigni similitudine id declaravit his verbis : *Illi qui vocati sunt ad sublimem Religionem, nec adimplent quæ sunt istius vocationis, similes sunt inepto alicui agricolæ, qui se armis magni alicujus nobilis militis ornat : Sed cum ad pugnam ventum est, eis uti nescit. Parùm æstimo admitti in aulam Regis, ibi favores & officia obtinere; sed bene, si decenter juxta leges & decorem aulæ ibi converseris & perseveres. Religio nostra est aula summi Regis, quam ingredi & gratiam aliquam assequi, nihil est, nisi vitam in ea juxta promissionem tuam instituas.* Sic ille. Indignum sanè angelicæ perfectionis Regulam profiteri, vitam autem exhibere sæcularem : sanctitatis nomen admittere, amittere verò ipsam sanctitatem. *Omninò nihil prodest*, inquit Salvianus, *nomen sanctum habere sine moribus, quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Usque hoc ipso magis per nomen Sacratissimum rei sumus, quò à sancto nomine discrepamus. Nam & ideò plùs sub Religionis titulo Deum ludimus, quia positi in Religione peccamus*

Lib. 4. de Guber. Dei, cap. 7.

Ad Regulæ igitur & professionis observantiam ipsemet Deus hortabatur, quando in revelatione dixit Francisco *Ut unam de micis, quas de terra sustulerat, hostiam faceret, ac manducare volentibus distribueret. Quo id faciente, quicumque illud non devotè recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant.* Deo ipsomet explicante, quòd micæ essent verba Evangelii : hostia, Regulam, lepra, iniquitatem significaret. Cui consonat alia revelatio facta fratri Jacobo de Massa; qui vidit Ordinem in figurâ arboris pulcherrimæ, cujus radix aurea, rami multi & fructus juxta numerum Provinciarum. Ad quam descendit B. Franciscus duobus Angelis comitatus, Fratres, qui in ramis apparebant, de calice aureo spiritus vitæ, quem manu tenebat, potaturus : Ex quo cum F. Joannes Parmensis (qui tamquam Generalis tunc Minister in summitate arboris residebat) & plerique alii abundè bibissent, visi sunt instar radiorum solis splendere; qui verò recusabant bibere, denigrati sunt super carbones : quidam partim bibebant, partim effundebant, recipientes juxta mensuram hausti spiritus, claritatis intensionem. Cum autem videret è longinquo B. Joannes Parmensis turbinem irruiturum; ipse quidem humiliter descendens ex summitate in tutum se recepit; sed illi, qui spiritum vitæ haurire neglexerant, turbine arborem concutiente, ex eâ corruerunt, reliquis in regionem lucis æternæ translatis. Quo visu periculi sui monentur, quicumque in Regularis Observantiæ spiritu hauriendo remissius agunt, & in veræ devotionis exercitiis negligunt proficere. Prout exemplo Fratris Mauritii Siculi ampliùs adhuc docemur; qui licet exemplaris vitæ fuisset semper, imò in oratione quandoque raptus; in extremis tamen positus, cœpit altâ voce clamare, ejulare, ac Jesu nomen iterare. Cumque factus quietior ab assistentibus interrogaretur, quid sibi voluisset repentinus ille & tam horribilis clamor, respondit : videbar mihi Dei sisti Judicio, & licèt nullius transgressionis Regulæ, vel mandatorum Dei mihi essem conscius; videns tam exactè omnis discuti, ad extremas deductas angustias, non nisi æternaliter damnandum me apprehendebam. *Si ergo Justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?*

S. Bonav. cap. 4. Legen. num. 11.

Wadd. Tom. 2. Annal. ad an. 1256. num. 14.

Chronic. Minor. p. 4. lib. 10. cap. 16.

1. Pet. 4. vers. 8.

Porrò Patri Seraphico plurimùm displicere monstrosos Hypocentauros id est mediâ ex parte tantummodò Religiosos, qui Regulæ conformiter non vivunt, nisi fortè in externis aliquibus observantiis, deficiente vero fundo Religiositatis, visio quædam uni ex illorum grege ostensa testatur. Fuerat is ad Religionem non sinè miraculo vocatus; verùm nihil penè suæ vocationis solicitus, mollem ducebat vitam, Regulâ & monasticâ disciplinâ à dorso relictâ; calceamentis; lecto molliori, delicatioribus cibis, quasi ægrotus & corpore imbecillior utebatur. Apparuit itàque huic S. Pater in somnis postulans ejus portari humeris, sed molestum hoc obsequium delicatulus ille aliquoties recusavit. Victus nihilominus iteratæ postulationis numero ac pondere per pedes virum Dei arreptum humum verrens tam sacris scopis, capite ad saxa extantia crudeliter collisit. Miscebat querelas Pater; pergebat inhumanus filius modo quo cœperat ut labori in ferendo parceret. Evigilans tandem miser, apparitionis significatum intellexit, videlicet vitam suam laboris impatientem, similem S. Patri irrogare injuriam ac plurimùm displicere. Sit igitur non degeneri filio Francisci non modò ad manum *Regula*, sed & *Vita Fratrum Minorum.* Ex illâ siquidem Regulæ alicujus sanctitas & perfectio meliùs intelligitur, æstimatur & allicit, quàm ex ejusdem lectione aut multis encomiis : sicut personam multò distinctiùs cognoscimus ex imagine vivis coloribus ad vivum delineatâ, quam ex descriptione, quâ aliquis staturam, phisionomiam, colorem, cæteraque lineamenta enarraret.

Chronic. Minor. p. 2. lib. 4 cap. 33.

Undè plures suscitavit misericors Deus omnibus sæculis in hoc sacro Ordine viros gratiis cœlestibus præditos, & vivam spirantes charitatem, in quibus haberemus vivum exemplar & praxim præclarissimarum virtutum quæ succinctè in Regula designantur. Efficaciùs movent sanctorum exempla quàm verba. De Sancto Patre nostro scriptum reliquit D. Bonaventura : *Quod ex recordatione sanctorum omnium tamquam lapidum ignitorum in Deificum recalescebat incendium.* Maximè verò *fervens charitatis incendio gloriosum sanctorum Martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari.* Eandem omnibus bonis animabus optabat facilitatem ad concipiendos cælestes ignes generosæ æmulationis : Unde ut discipulos suos adhuc ignaros sensibiliùs erudiret, & perfecti Religiosi absolutissimum eis exemplar delinearet, colligebat præcipuorum suorum apparentiores dotes, quibus singulorum animas locupletari desiderabat, Fidem scilicet Fratris Bernardi Quinta-Vallensis, Simplicitatem Fratris Leonis, Bonos mores Fratris Angeli Restini, Affabilitatem devotam Fratris Massæi, Contemplationem Fratris Ægidii, assiduam Orationem Fratris Ruffini,

Legendæ c. 9. n. 2. & num. 4.

Chron. Minor. p. 1. l. 2. c. 51.

Patientiam

Patientiam Fratris Juniperi, Robur in austeritatibus Fratris Joannis, Charitatem Fratris Rogerii, Solicitudinem Fratris Lucidi: *Nulla res* (ait Seneca) *animos in pravum inclinabiles magis revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri.* Et si Quintilianus dicere potuit: *Ille se profecisse sciat, cui Cicero placuit*, quia scilicet ad lectitandum eum trahitur, & lectitando eandem imbibit elocutionem; idem æquali jure dicetur de eo qui intendit conversationi virorum illustrium, qui totas in hoc vires exseruerunt, ut ad amussim sanctæ Regulæ vitam omnem efformarent.

Epist. 95.

Hæc est ars comparandæ sanctitatis ab Apostolo tradita, *Ut consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum.* Cujus artis præcepta digerit in hunc modum noster Philippus Bosquier, ut 1. quis conjungat se Sanctis familiariter conversando cum illis, si non sint longè absentes. 2. audiendo & diligenter notando eorum dicta & sententias. 3. legendo eorum libros, si quos ipsi ediderunt, vel aliorum qui de ipsis scripserunt. 4. crebrò de ipsis cogitando, eorumque facta & dicta ruminando. 5. amando ex animo omnes eâ virtute præditos. Quæ observata tam potenter vitam immutant, & in Sanctorum vitam transformant, ut se ipsos mirentur, qui his studiis seriò & diu fuerint immorati.

Hebr. 10. vers. 24.

In supplem. Panegyrici S. Joannis serm. 5.

Mellifluus Bernardus tractans illud: *Lectulus noster floridus* sic commentatur: *Is lectus floridus demonstratur cum exemplis & institutis Patrum, tamquam quibusdam benè olentibus respersa floribus, conversatio Fratrum & vita refulget.* Heroica horum exempla posteritati ad similia animos addiderunt. Flores odorati & aromata non possunt ingredientibus officinam Pharmacopolarum non adspirare gratum odorem, & manus ea tractantes reddere bene olentes.

Cant. 1.

Quàm floridus fuerit Ordinis Franciscani lectulus B. Albertus Sartianensis demonstrat in Apologetico adversus Poggium istius Ordinis calumniatorem, dum primos regularis observantiæ restauratores in hunc modum describit: *Fratres isti sunt amicis grati, inimicis haud infensi, alienorum periculorum solliciti, sua verò jactura non negligentes; qui de terrenis facibus exuti damnant quod erant, de futura vita amant quod futuri sunt, de erratis suis se judices efficiunt, de inquietantis sæculi turbinibus & grandi tempestate se evasisse plurimùm gratulantur: & solo altior eorum animus, mundo major, omnique terrenâ potestate sublimior eatenus se excolendum virtuti ac justitiæ dedit, ut posteriora oblitus ad ea quæ ante sunt se extendentes, illis vita sit tædio & mors jucunditati, aurum luti loco existiment; laquearia distincta gemmis & crustis marmoreis domicilia vestitæ ejusmodi hominibus sordeant: quibus curæ est, ut vitiis neque cedant, neque subeis jaceant sed contra ea laudabiliter dimicent. Inde vitam perditorum deplorant, suam autem tenacissimis quibusdam continentiæ frenis adstringunt. Sensus verò sensus omnes, qui illecebris malè suavibus facilè capiuntur, ne ab importunissimis Dominis, voluptatibus superentur tam castigant, ut quæ prospectum oblectant & lenocinantes spectaculorum contagiones quo ab eis salubrius evitentur, deductis in terram luminibus, fugere annitantur. Suavitatem asperitate commutant. Ipsam vocum molliorem modulantiam jucundumque concentum, nisi graviter ferre non sustinent; senem contactum, succulentam, robustam ac virentem ætatem, in putorem, in sordes squaloremque verterunt. Qui contrariâ valetudine sæpius gaudentes suspirant ad patriam, & pias aures Domini Sabaoth validissimis atque importunissimis vocibus pulsant, illud quotidie clamantes: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Famis autem æquè atque infamiâ, algore & inopiâ, omnique genere molestiarum cum sapiunt, his libentiùs quam vulgi favoribus ac tardioris intelligentiæ, imperitorumque popularium inanibus rumoribus gloriantur. Et quod iis omnibus majus est, se totos subjectione humillimâ superantes & summo demissi, pavidi ac trementes ne fortè cujus eis obrepat, & corpore fragiles, imbecilli, invalidi, pallentes & exsangues tam se pro Christo negligunt, ut omnem intellectum in Christi obsequium captivantes, se despectos & stultos pro Christo æstimari non vereantur.* Hucusque Albertus.

Annal. Minor. to. 5. anno 1430. num. 36.

Psal. 119.

2. Cor. 10

Hæc est vita Fratrum Minorum illius temporis & omnium qui post vel ante nomen perfectorum Fratrum Minorum meruerunt. Ad has pietatis & mortificationis lineas vita nostra efformanda est. Subtiliter consideravit S. Ambrosius in mirabilibus istis rotis Ezechieli ostensis, quod *Videbat rotam in medio rotæ super terram, sinè offensione labentem*; illudque sic interpretatur: *Rota super terram vita est corporis ad animæ aptata virtutem & ad evangelicum cohærenti cursu formata præceptum: Rota autem in medio rotæ, veluti vita intra vitam, quod sanctorum vita sibi non dissonat, sed qualis fuit superioris ætatis, talis fit & sequentis.* Hoc nostri muneris est, vitam exhibere illorum vitis non dissonantem. Non misceamus disputationem cum fastuosis quibusdam rerum suarum præconibus, quæ Regula videatur esse major? Non à nudis verbis Regulæ, sed à *Regula* simul & *vita* sumamus & præbeamus argumentum. Inaniter contendimus de supereminentia perfectionis Regulæ, si vitæ difformitas nos ad infimam dejecerit vilitatem.

Lib. 3. de Virgin. Ezech. 1.

TEX-

TEXTVS & §. III.

Fratrum.

SVMMARIVM.

Fratrum vocabulum unionem denotat animorum. Propria est Fraternitas omnibus Religiosis. Veræ Fraternitatis officia. Seraphicus Ordo specialiter in charitate Fraternitatis fundatus. Dedecens multùm est in eo dissensio animorum propter diversitatem familiarum.

Actor. 1. versl. 15. LOrinus scribens in eum textum Actorum *Exurgens Petrus in medio Fratrum dixit: Viri Fratres, &c.* multis ostendit Fraternæ appellationis vocabulum exemplar esse eximiæ dilectionis, observatque primos Christianos, quibus in recenti memoria erat Christi mandatum de mutua dilectione, sese mutuò *Fratrum* nomine compellâsse. Hic modus appellationis quamvis in reliquis Christianis exuleverit, remansit tamen in Religiosis, tamquam sincerioribus mutuæ dilectionis depositariis & hæredibus. Estque ea charitas fraterna singulare præsidium & ornamentum statûs Religiosi; ut proinde huic non immeritò applaudere possimus iisdem verbis quibus sponsus dilectæ suæ in Canticis Canticorum:
Cant. 4. versl. 5. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro. Greges* isti sunt Religiosi qui ascenderunt de monte Ecclesiæ ad altiora cacumina Religionis. Eminent in corpore Ecclesiæ velut *Capilli* in humano capite. Singuli quidem ad instar capillorum in semetipsis exiles sunt; conjuncti tamen æqualiter excrescunt in venerabilem & decoram cæsariem. Sunt *greges tonsarum* rebus omnibus exuti. *Ascenderunt de lavacro* virtute professionis religiosæ tamquam alterius baptismi redditi innocentes & mundi. *Dentes* sponsæ sunt aperti ad ruminandum cælestia, si tamen maneant ordinati, firmiter conjuncti per charitatem, candidi per conscientiæ munditiam, & mutuò concinnè correspondentes, inferiores cum superioribus. Et sicut dens solitarius in ore existens inutilis est, multùm autem utilis junctus cum cæteris; ita
Eccles. 4. versl. 9. *Melius est duos esse simul quàm unum, habent enim emolumentum societatis suæ.* Quod emolumentum quàm multiplex sit, explicat luculenter
D. Basil. q. 7. Fusius explic. In Constit. exercit. cap. 18. D. Basilius: ubi vitam cœnobiticam præfert solitariæ à multis argumentis. Et alio in loco de illa sic sentit: *Societatem vitæ perfectissimam appello ego, in qua possessionis proprietas exterminata est, & mentis contrarietas fugata, omnis autem conturbatio & lites absunt: communia verò universa sunt, animæ, sententiæ, corpora communiter nutriuntur & curantur: communis Deus, communis pietatis negotiatio, communis salus, communia certamina, communes labores, communes coronæ: multi unus, & unus non solus, sed in pluribus. Quid huic vitæ comparandum? Quid beatius? Quid conjunctione & unitate sincerius? Quid morum & animorum conspiratione gratiosius? Homines ex diversis generibus & regionibus orti ad tantam identitatis sinceritatem coaptati sunt, ut una anima in multis corporibus conspiciatur, & multa corpora unius animæ ac sententiæ instrumenta ostendantur.* Hæc & plura in eam sententiam Basilius, ostendens quàm similis sit hæc vita angelicæ reipublicæ in cœlis.

His aliisque rationibus persuasus Franciscus, sibi suisque hanc vitam socialem potius elegit tamquam congruentiorem finibus suæ vocationis, quàm eremiticam & solitariam. Habet quidem etiam illa incommoda quædam & pericula; ea tamen magna ex parte eliminantur, aut penitùs ignorantur, si eæ leges Fraternitatis observentur à Fratribus, quas noster Sanctus annotavit Bernardinus. 1. Ut Fratri nec verbo nec signo noceant. 2. Offendenti misericorditer indulgeant. 3. De malo Fratris condoleant. 4. De bono suo congaudeant. 5. Fratris scandalum præcaveant. 6. Offenso Fratri sinè dilatione satisfaciant. 7. Ei in necessitate subveniant. 8. Causam Fratris non negligant. 9. Fratrem delinquentem charitativè corrigant. 10. Charitatem cum Fratre habeant. 11. In casu periculi pro Fratre animam exponant. Beatus ille Ordo, cujus membra compaginantur & reguntur tali Spiritu Fraternitatis. Tom. 5. in Apoc. cap. 6. vers. 12.

De Seraphico Ordine præclarum elogium dedit Eugenius Papa IV. in litteris datis ad Fratrem Albertum de Sartiano tunc Vicarium Generalem istius Ordinis: *Ordo tuus*, inquit, *in Seraphicæ charitatis ardore à principio fundatus, tamquam fecundus plantationum hortulus uberrimos hucusque protulit fructus. Dum enim plantati ex prima B. Francisci vitæ palmites, in Religione, honestate, sanctimoniâ; in primis ipsâ charitate exculti fuerunt; in tantum est ea plantatio propagata, ut per universum orbem diffusa, maximisque sacrarum litterarum veritatibus, humilitatis & patientiæ divitiis abundans, populos repleat, saginetque divini eloquii pabulo, & pulsis ignorantiæ tenebris, sanctæ conversationis amore desiderioque inebriet. Nec alicui dubium, dilecte fili, esse debet, quin si ea, quæ tam bona fundavit charitas, inter vos durabit, & Ordo* Annal. Minor. to. 5. anno 1442. n. 5.

ipse

ipſe mirabili quodam pullulet multiplicetque incremento; & orbis terrarum, in cujus ſingulas penè particulas penetraſtis, illâ ipsâ quam in vobis viderit, ſenſerit, odoraverit, ardeat charitate, faciatque exemplum à veſtra vita ſumptum, ut quod vobis maximum, & in intentione primarium eſſe debet, animas veſtras vel eâ ratione ſalvas faciatis, quia proximos inde curabitis lucriſacere. In qua Pontificia argumentatione, hoc notandum, & timendum venit, quòd ſicut ſperavit exemplum illius charitatis profuturum aliis ad ædificationem, & nobis ad ſalutem; ita exemplum averſionis mutuæ & diviſionis, futurum ſit mundo in ſcandalum, & nobis ipſis in damnationem. *Qui dicit ſe in luce*
1. Joan. 2. verſ. 9. *eſſe*, inquit dilectus Chriſti diſcipulus, *& Fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc. Qui diligit Fratrem ſuum in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. Qui autem odit Fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*: Et conſequenter ſcandalum in eo eſt, côque deteriùs, quò major dignoſcitur in eo charitatis obligatio.

Separatio Obſervantium à Conventualibus, Capucinorum ab Obſervantibus, nil miri ſi in principio aliquid amaritudinis genuerit; cùm, ſicut in naturali, ita & in politico corpore nulla membrorum diviſio ſinè dolore fieri ſoleat. At cùm modò conſtet eam non ſinè divino conſilio permiſſam, vel etiam ordinatam fuiſſe: ut quid ob quiſquilias & futiles quæſtiones fraternæ charitatis obſequia denegantur, & non ſinè puſillorum ſcandalo averſionis indicia adhuc aliquando oſtenduntur? Abraham ex Agar, Sara, Cetura diverſos generavit Filios, inter quos eorumque poſteros nil miri ſi potuerit eſſe diſſidium, agebatur enim de temporalium rerum diviſione, quæ quò fit inter plures, tantò ſingulis ampliùs decedit. Verùm cùm omnes Religioſi divitiis, honoribus, cæteriſque mundanis renuntiaſſe profiteantur; & ſpecialiter myſtici Abrahæ (qui, ut juſſus erat, de terra ſua & cognatione egreſſus eſt) id eſt, S. Franciſci filii, quid poſſumus invicem obeſſe? quæ poteſt eſſe inter nos cauſa diſſidii? dicamus potiùs & verè dicamus coram Domino, cum filiis alterius Patriarchæ: *Servi tui Fratres*
Gen. 42. verſ. 13. *ſumus, filii viri unius in terra Chanaan.* Sumus obligatione & profeſſione Servi Altiſſimi, erimuſque in effectu, ſi per animorum morumque concordiam ſimus *Fratres.* Verè *Filii unius viri*, cujus vitæ hiſtoriam S. Bonaventura à *Viri* nuncupatione incepit, *vir erat in civitate Aſſiſii.* Meritò tamen dicitur *in terra Chanaan*, id eſt negotiationis, qui pretioſiſſimam perfectionis Evangelicæ margaritam felix negotiator ſtuduit & docuit, relictis omnibus, comparare.

Ad hanc Fraternæ charitatis unionem ſummus Pontifex Joannes XXII. in Extravagante *Quorundam exigit*, occaſione quorumdam Fratrum, qui prætextu majoris paupertatis in vilitate, brevitate & ſtrictitudine veſtium &c. ſe ab Ordine ſeparaverant, omnes efficaciter hortatur: *Ad hanc Obedientiam & unionem redeant non inviti, ſed ſponte: hanc magnis deſideriis concupiſcant.* Aliosque monet, redeuntes cum omni charitate ſuſcipere, illud Canticorum eò applicans: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ* (Religionis & Profeſſionis ejuſdem) *ut inveniam te foris* (ab ejuſdem Obſervantiis quodammodo diſparem) *& deoſculer te* (blandè & inter charitatis ubera te amplexans) *& jam me, & te, nemo deſpiciat! Profectò quos foris poſitos quaſi diviſos & diſſentientes multi fortè deſpexerant, intus, puta, intrà dilectionis præcordia, & conformis obſervantiæ clauſtra repoſitos, jam nemo deſpiciet.* Ita docuit experientia Religioſos inter ſe diſſidentes, de ſe mutuo malè loquentes, præſertim ſi ejuſdem Religionis ſint, deſpici à ſæcularibus. Econtra verò æſtimari eos & honorari, qui de ſuis confratribus & aliis Religionibus honorificè loquuntur, & fraternam omnibus exhibent charitatem

Quid ni ergo omnes Franciſci filii, quibus in ſanctiſſimæ Regulæ à Chriſto dictatæ honorabilis *Fratrum* titulus adſcribitur in mutuos amplexus ruant? unitati & charitati ſtudeant? verbo & opere? Ad exemplum B. Nicolai factoris, qui cùm aliquando ab Chron. Obſervantibus ad Capucinos tranſiviſſet, & p. 1. l. 8. inde iterum ad Obſervantes reverſus cauſam c. 43. interrogaretur, nil niſi divinam voluntatem allegavit, addens: *Capucini ſunt ſancti, Obſervantes ſunt ſancti, ſancti ſunt etiam Conventuales.* Hæc verba ſancti *Fratris*, ſunt, & verè obſervantis ſuam Regulam; contra cujus principium peccant, qui ſolo nomine *Fratris* contenti à *Fraterna* dilectione deficiunt. Et fruſtrà in Paupertate, Caſtitate, aliiſque Regulæ punctis ac obſervantiis prætendent perfectionem, qui eam, quæ eſt *per-* Coloſſ. 3. *fectionis vinculum*, fraternam negligunt cha- verſ. 14. ritatem.

TEX-

TEXTUS & §. IV.

Minorum hæc est.

SUMMARIUM.

Appellatione Minoris, per Christum & Franciscum Humilitas docetur. Humilis est capax gratiarum Dei, & hominibus amabilis. Franciscani quantopere coluerint sanctam humilitatem in fugiendis dignitatibus. Quî excusentur eas acceptantes. Quî peccent eas procurando. Quàm fœda sit ambitio honorum & officiorum in Ordine.

SIcut in Apostatis Angelis initium & radix malorum omnium fuit superbia, quâ *Majores* fieri & videri volebant, ita pestem eandem in humanum genus in primo parente infectum derivarunt: ut etiam Spirituales viri in occasione latens hoc venenum in se inveniant & mirentur. Contra quod Christus Dominus humilitatis antidotum verbo & exemplo summopere inculcavit. Unde cum facta esset quodam tempore contentio inter ejus discipulos, quis eorum videretur esse *Major*, Magister humilitatis volens desiderium gloriæ humilitatis æmulatione sanare, dixit eis: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui* MAJOR *est in vobis fiat sicut* MINOR, *& qui præcessor est sicut ministrator.* (Luc. 22. vers. 24.) Franciscus hujus evangelicæ lectionis non surdus auditor advertens quòd non obstante humilis Christi doctrinâ mundus, & plerique, qui in eo vivunt, omni studio laborent esse vel haberi *Majores*, etiam quàm sint, talem instituit Ordinem, in quo omnes studerent esse *Minores*. Voluit proinde Fratres suos etiam vocari *Minores*, & Prælatos sui Ordinis dici *Ministros*; ut ex ipso nomine daretur intelligi, quòd ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Hanc ejus nominis vim probè intellexit, & definivit B. Ægidius ipsius Socius: *Frater Minor*, inquiebat, *tantundem sonat, ac vilis aliquis conculcatus pedibus omnium hominum: cujus descensus quo profundior erit, eo ascensus altior.* (Chron. Minor p. 1. l. 7. c. 41) Hujus descensus exempla discipulis suis præbuit Franciscus, dum in primis studiis & exercitiis suæ conversionis, contemptus fuit ab amicis, irritus à concivibus, luto saxisque impetitus, ad pauperum & mendicorum societatem redactus, servitio leprosorum mancipatus, & velut insanus vulgò habitus. Interim contemptu gaudens hominum, propter amorem Domini sui JESU Christi. Eandem ad abjectiones amplexandas propensionem immisit Deus in benedictos ipsius socios, qui ad ipsius exemplar judicantes stultum esse mundanis extolli favoribus, gaudebant de opprobriis & de laudibus tristabantur, & novis artibus humanos favores eludebant. Horum aliquos admirabiles fervores referemus infrà ad Cap. 2. §. 42.

Hoc modo disponebatur Spiritus Franciscanorum in ordine ad Deum, ut eminentiorum gratiarum Dei capaces fierent, & eas jam infusas tutiùs conservarent. Pollicetur quodam in loco mellifluus Barnardus: *Tu cùm te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis.* (Serm. 34. in Cant.) Addi verò potest: cùm te in humilitate continebis & Minor manebis, habeto id signum in bonum argumentum gratiæ perseverantis: libenter enim requiescit Spiritus Domini super humilem & trementem sermones suos. D. Bernardinus optimo cuidam Religioso Ordinis nostri, cupienti rectè implere viam religiosæ vitæ quam susceperat, roganrique quo id modo faciliùs posset efficere, annuens ipse inclinato in terram toto corpore nihil aliud respondit quàm, *deorsum, deorsum*. Talibus ei signis & verbis pariter significans humilitatem, quâ tamquam præcipuo spiritualis profectûs (quem cupiebat) fundamento niti, eàque ac medio necessario uti debebat. (Annal. Minor. an. 1418. num. 24.)

Humilitas insuper reddit amabiles hominibus. Ex naturali enim instinctu homines compatiuntur *Minoribus*, præsertim iis, qui sponte & in veritate in infimis consistunt. Contra eos autem qui *Majores* fieri volunt, eriguntur & nituntur ascendere ex adverso. De Fratre Joanne Pecchamo communiter referunt scriptores, quòd cùm sui sæculi eruditissimus esset, & Romæ in sacro Palatio publicè Theologiam doceret, tanta erat ejus doctrinæ opinio, ut ad eum audiendum, tum alii ex omnibus gradibus plurimi venitarent, tum verò Episcopi & Cardinales non pauci; qui etiam quoties per mediam scholam ad suggestum transiret, omnes honoris causâ assurgere, & detecto capite stare consueverant. (Annal. Minor. an. 1279. num. 27.) Verùm cùm ita accidisset, ut ad Cantuariensem Archi-Episcopatum proveheretur, ac nihilominus docere pergeret, nemo deinceps ex Cardinalibus se movit, quòd antea, ut ajebant, honorem illum virtuti tribuerent, cui se inferiores cognoscebant: nunc verò dignitati tribuere visi essent, quâ erant superiores.

Episcopalem dignitatem quò magis suspiciebat humilis Franciscus; eò magis volebat ab ea *Minores* suos elongari. Unde cùm requireret (Legenda c. 6. n. 6.)

tet aliquando à viro sancto Dominus Hostiensis Ordinis Minorum Protector (qui postea fuit Summus Pontifex Gregorius IX.) utrùm sibi placeret, ut Fratres sui promoverentur ad Ecclesiasticas dignitates? Respondit Franciscus: *Domine, Minores ideo vocati sunt Fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos & conservate in statu vocationis eorum, & ad prælationes Ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis.* Ut huic sententiæ se conformaret S. Bonaventura, planè restitit, ne fieret Episcopus Eboracensis; licèt postea Summo Pontifice cogente, sibi imponi pileum Cardinalitium debuerit sustinere. S. Bernardinus victoriosè subterfugit oblatas trium Episcopatuum dignitates. Frater Andreas Agnaninus Nepos Alexandri IV. Papæ, posthabitâ Cardinalatûs dignitate à Sede Apostolica sibi oblatâ, in maxima humilitate & paupertate totum vitæ suæ cursum transegit. Similiter F. Hieronymus Pastoriensis Cardinalitiam dignitatem sibi à Pio V. oblatam recusavit. F. Bernardinus de Arevalo oblatum sibi à Carolo V. Imperatore Archi-Episcopatum Toleranum mitâ constantiâ recusavit. Coacti tamen sunt aliqui tales honores acceptare; quos non ut honores, sed ut onera gravissima susceperunt, subdentes se reverentiæ & obedientiæ Apostolicæ Sedis, servatâ nihilominus semper interiùs Minoritiei cordis humilitate, inter humanas reverentias & applausus splendidiùs emicante; siquidem ut ait Bernardus: *In alto positum non alta sapere, difficile est, & omnino inusitatum; sed quantò inusitatiùs, tantò gloriosiùs.*

Vita ejus cap. 35.

Martyr. Francis. ad 3. Febr.

Idem ad 29 Novembris.

Idem ad 24. Aug.

Epist. 42.

Si quos non coëgit obedientia, sed satis voluntariè has dignitates acceptarunt, si etiam aliqui viis quibusdam indirectis quæsierunt, fortè ad hoc eos incitavit zelus juvandi Ecclesiam suâ doctrinâ & prudentiâ, vel rectiùs dirigendi clerum & populum, vel spes bonorum operum, quorum ibi est abundans materia; totum est bonum & sanctum, dummodo Christiana cordis humilitas servetur illibata. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, inquit Apostolus. Hoc saltem constat non tantum ex historiis Ordinis, sed etiam extraneis, plerosque ex Ordine Minorum ad hujusmodi dignitates assumptos laudabiliter & fructuosè sese in illis gessisse. Sed si concupiscentia honoris, commoditas annexarum divitiarum, exemptio ab oneribus Ordinis, dedignabundus contemptus Fratrum, societas Magnatum & impatientia humilitatis eos abduxit à statu Minori; non sunt à spiritu Dei delati supra pinnaculum templi, Et sicut in exitu ab Ordine tracti fuerunt & seducti per spiritum malum, sic & ab eo dirigi facilè permittuntur in istis periculosis administrationibus; estque timendum, ne facti sint sicut pulvis ante faciem venti, qui in vallibus status humilioris, irrigati aquis divinæ gratiæ poterant esse terra frugifera, & reddere fructum in tempore suo. In exemplum aliis fuit suo malo exemplo Frater Franciscus Cuttius Parmensis Provinciæ Bononiensis, qui disciplinam regularem contemnens, & ad dignitates extra Ordinem anhelans, ad Episcopatum evectus quidem fuit; sed cùm primò Pontificalia exercere vellet, gravi correptus febri die sequenti, derelictus à servis & custodibus solus, absque cruce & luce tectæ mortis præmissis indiciis, expiravit. Hæc quidem stultitia paucorum est, quia cùm non sit ita facilis aditus ad Episcopalem dignitatem, pauci sunt, qui ejus ambitione delirent.

1. ad Timot. 3. vers. 1.

Annal. Minor. Tom. 4. an. 1393. num. 2.

Spectatâ hominis fragilitate & naturæ nostræ corruptione frequentiùs notum est fieri, ut in ipsomet Ordine, qui sinè subordinatione subditorum ad Superiores, & aliquorum officiorum distinctione non potest consistere, aliqui magis desiderent regere quàm subesse; dum enim in alios oculati vident defectus naturales aliquos prudentiæ, ingenii &c. vel etiam morales, quos secum trahit humana infirmitas; à quibus etiam Superiores quantumcumque idonei se exemptos esse non præsumunt: facilè amore proprio excæcati existimant se æquè bene vel meliùs, si ad Officia promoverentur, bonum Religionis & confratrum consolationem procuraturos. Quæ Philautia & occulta propensio, nisi tempestivè retundatur, excrescit in desiderium; quod si expressè patefacere verecundentur, viis tamen indirectis amicos & fautores sollicitant, zelum disciplinæ religiosæ prætendunt, actus & capacitates aliorum extenuant, sicque paulatim eò stultitiæ & impudentiæ deveniunt, ut sæcularium adminiculo & aliis indignis mediis misera officia venentur. Quo non existimo posse dari efficaciùs argumentum inidoneitatis & indignitatis ipsorum; prout etiam Statuta Ordinis declarant.

Verùm (si qui hoc morbo laborare inceperint) quam *durum judicium his qui præsunt, fiet*: quantaque reddenda sit ratio pro tot animabus Christi sanguine redemptis, cùm quilibet satis magnam habeat de seipso reddere rationem. Cogitent nomen Fratris *Minoris*, quo ideo vocari voluit filios suos S. Franciscus, *ut Majores fieri non præsumant*, sive extra, sive intra Ordinem suum. Hæc est enim nominis nostri gloria, omnem gloriam & honorem abominari, ad infimum locum velut ad centrum quietis humilitatis pondere delabi, nec nisi violenter in superioribus detineri. Professione *Minores* sumus: *quod sumus, perfectione & actione potiùs, quàm nomine demonstremus, ut nomini congruat actio, & actio respondeat nomini, ne nomen portemus vacuum & inane*, inquit S. Bernardinus noster ex S. Gregorio. Misera res est & omni vilipensione dignissima, quòd, qui ut *Minores* fierent, humilis Francisci Regulam professi sunt in Ordine humili, ambiant esse *Majores*. Videant tales, ne de illis sint, quos S. Bernardus perstringit: *Quia ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non potuerunt; Saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur.*

Sap. 6. vers. 6.

In Apoc. c. 3. vers. 3.

Hom. 4. Super missus est.

* * *

TEXTVS & §. V.

Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare.

SVMMARIVM.

Evangelium aliqui Sancti admodum utiliter legerunt. Eſt liber præcipuus Fratrum Minorum. Tres cauſæ, cur ex eo aliqui nihil proficiant. Quinque præcipui fructus, qui ex ejus prudenti lectione excerpuntur.

VErbum illud *Evangelium obſervare* dupliciter accipi poteſt. 1. ut ſignificet opere exequi ea quæ docet Evangelium. De qua obſervatiooe agemus Cap. 12. in fine. 2. ut *Obſervare* idem ſit ac animadvertere, notate, ruminare, & colligere, qoid per ſcripturam iſtam Evangelicam ſignificetur. Obſervatio Evangelii in primo ſenſu eſt ipſiſſima vita Fratrum Minorum: Obſervatio in ſecuodo ſenſu, eſt manoductio & initiale opus ſubſerviens ad hanc Evangelicam vitam capeſcendam. Et de hac agemus hoc loco.

Multi tùm ſacri tùm profani Auctores multa ſcripſerunt de recta vitæ iоſtitutione, quorum labores contemnendi oon ſunt, quoniam ampliſſimos nobis aperuerunt divinæ ſapientiæ campos, in qoibus exſpatiari legendo & diſcendo, delectabiliſſimum eſt bene conſtitutæ mentis exercitium. Verùm nihil ſic elucet, ſicut *Sanctum Domini noſtri Jeſu Chriſti Evangelium.* Illud ita ſupra alios omnes eminet libros, ſicut Sol ſupra ſcintillas momentaneas è ſilice excuſſas; ſufficitque ad pleniſſimam cœleſtis ſapientiæ inventionem. (Sap. 7. verſ. 14.) *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati.* Agnovit illam Evangelii præ aliis diſcipliois præëmioentiam, & luculentur expreſſit D. Baſilius, inquiens, (Epiſt. 79. ad Euſtachium.) *poſtquam multùm temporis vanitati impendiſſem, & omnem propè juventutem inani ſtudio attriviſſem, quo tenebar, cùm apprehendendis infatuatæ a Deo ſapientiæ diſciplinis immorabar, tandem aliquando, ubi veluti ex gravi ſomno expergefactus ad Evangelicæ veritatis admirabile lumen reſpexi, agnovi inutilitatem ſapientiæ principum hujus ſæculi, qui abolentur.* Hinc (Surius ad 14. Maii. num. 21.) etiam S. Pachomius ad aſſiduam illius lectioоem diſcipulos ſuos hortabatur, eique ipſemet ſtodioſiùs incumbebat. Rogante quodam Religioſo à Seraphione Abbate, quos libros poſſet legere, ſanctus Senex ei reſpondit. (Guevarra Orat. Relig. c. 23.) *Dico tibi ex mea parte, fili mi, quod manè lego ſanctum Evangelium, quo mediante ſum Chriſtianus; & veſperi lego Regulam ſancti Baſilii, ſecundum quam ſum Religioſus. In his inveniunt ſufficienter oculi mei, quid legant, & vires meæ, quid operentur.*

Seraphicus Franciſcus primitùs ab Evangelio didicit voluntatem Dei circa ſuum inſtitutum, ſicut olim magnus didicerat Antonius. Dum enim die quodam, Miſſam de Apoſtolis devotus audiret: (Legendæ c. 3. nu. 2.) perlectum eſt Evangelium illud, io quo Chriſtus diſcipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Evangelicam in vivendo; *Ne* videlicet *poſſideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamentum deferant, neque virgam.* Quod aodiens, & intelligeos, ac memoriæ commeodans, cœpit illico vir Dei, Evangelicæ perfectionis æmulator exiſtere. Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, & pecuoiam execratur, unâque cootentus tunicula, rejectâ corrigiâ, pro cingulo fuoem ſumit, omnem ſollicitudioem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apoſtolicæ rectitudiois regulæ ſe per omnia coaptet. Cùm etiam primogenitus Beati Patris (Ibid. n. 2.) Bernardus Quinta-Vallenſis, ipſius exemplo ad pœnitentiam animatus, conſilium ab eo requiſiviſſet, qualiter propoſitum perfectè mundum contemnendi perficeret. Dei famulus ſanctum Jeſu Chriſti *Evangelium* judicavit *obſervandum.* Intravit enim Eccleſiam Sancti Nicolai, mane jam facto: & oratione præmiſsâ ter Evangeliorum librum aperuit, trino expoſcens à Deo teſtimonio ſanctum Bernardi propoſitum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* (Matth. 19. verſ. 2.) In ſecunda, *Nihil tuleritis in via.* (Marci 6. verſ. 8.) In tertia verò: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* (Matth. 16. verſ. 24.) *Hæc eſt* (ait vir Sanctus) *vita & Regula noſtra, omniumque qui noſtræ voluerint Societati conjungi; vade igitur, ſi vis perfectus eſſe, & perfice quæ audiſti.*

Idipſum practicavit poſt obitum ſuum, apparens Fratri Guntero de Barbaria. (Annal. Minor. an. 1248. num. 5.) Hic fuit primùm Ordinis Sancti Patris Benedicti profeſſus Monachus, qui optatâ quiete fruſtratus in ſuo monaſterio, miſſiooem ad aliud procuravit, nec ibi tamen deſiderii compos totum ſe dedit piis exercitiis & orationi, quâ deſideratam ſpiritûs pacem impetraret,

&

& voluntatem Domini nosse daretur. Post plures dies in somniis apparuit ei Beatus Pater Franciscus apertum tenens Evangelium, & superpositam sui instituti approbatam formulam. Admiratus Monachus, interrogavit: cur Evangelio superponeretur Regula Franciscana? Respondit sanctus, quia in eo fundata consurgit. Quod verissimum esse patebit perspicuè, attentiùs consideranti singulas ejus particulas, eás præsertim, quæ moribus formandis, & animæ ad imitationem Christi elevandæ sunt concinnatæ.

[Legend. c. 4. n. 11.] Cùm quodam tempore Franciscus doleret, se non percipere mysterium visionis, in qua jussus erat de micis panum subtilissimis, quas sibi collegisse videbatur, unam facere hostiam, hujusmodi vocem de cœlo delapsam audivit: *Francisce, micæ præteritæ noctis verba Evangelica sunt; hostia, ex iis facta, Regula.* Hæc igitur hostia, hæc Regula est medulla Evangelii ex ore Dei Francisco & Franciscanis communicata. Imo ipsum etiam totum Evangelium, quamvis omnibus Religiosis & Christianis traditum sit, potest tamen speciali quâdam ratione intelligi esse liber Franciscanorum, singulariùs directus in eorum instructionem. Dixit enim aliquando Christus
[Matth. 11. vers. 5.] Dominus: *Pauperes Evangelizantur.* Et aliàs:
Spiritus Domini super me, propter quod unxit
[Luc. 4. vers. 18.] *me: Evangelizare pauperibus misit me.* Meritò igitur Franciscus filiis suis, altissimæ paupertatis professoribus, mandavit *Sanctum Domini nostri Jesu Christi Evangelium*, tanquam speciale ipsorum directorium, *Observare*, scrutari & expendere. Inde sument ignes illos cælestes, quos Dominus venit mittere in terram, ut è frigidis & luto inspersis animabus incendium excirent seraphicæ charitatis. Inde acuentur ipsorum animi ad crucem Christi fortiùs ferendam. Unde enim potentiores ad perseverandum stimuli, quàm à dulcibus Christi cohortationibus & à generosis ejus exemplis? Unde suaviora solatia, quàm ab amplissimis præmiis, quæ tam multipliciter in Evangelio proponuntur.

Quærulantur nonnulli se legere frequenter sacrum hunc librum, sinè gustu tamen, aut profectu spirituali. Hi sunt de illis, quibus Deus nondum aperuit sensum, ut intelligerent scripturas, & verbum illud absconditum est ab eis, & consequenter remanent absque gustu verbi absconditi, & sapore. Orandus Deus, ut det gustum & intellectum, siqui-
[Job. 36. vers. 32.] dem ipse est, qui *in manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adveniat.* Quinam verò
[Matth. 11. vers. 25.] digni sunt ut eis reveletur; *Confiteor tibi Pater*, inquit Dei filius, *quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Minor* esto, & *parvulus*, ut tibi revelentur. Monet etiam Sapiens: *Fili concupiscens*
[Eccl. 1. vers. 33.] *sapientiam, conserva Justitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Adimple fideliter & justè, quæ Deo pollicitus es, & ipse præbebit tibi mysteriorum reconditorum sub velamine Evangelicæ litteræ intelligentiam. Altera causa tantæ sterilitatis in legendo hoc fecundissimo libro, esse potest intentio arida, quâ legitur, ut sciatur dumtaxat; non ut cognita mandentur executioni: enim verò cum tales lectores intueantur illas doctrinas, non tamquam sibi, sed aliis dictas, mirum non est, quòd non penetrent usque ad cor. *Oves meæ*, inquie- [Joan. 10. vers. 27.]
bat Christus, *vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Cur sequantur eum, ratio manifesta est, quia vocem ejus audiunt tamquam sibi dictam. Nec ideo à sequels resiliunt aut torpent, quòd oves aliquæ pastorem vocantem non sequantur, aut in avia excurrant; sufficit eis vocari ab eo, à quo sperant in loco pascuæ collocari. Gilbertus examinans illud Cantici: *Dentes tui sicut grex ton-* [Serm. 24. in Cant.]
sarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis, sic scribit: *Bonus planè Dens, intelligentia exercitata, intelligentia spiritualis quæ omnia dijudicat, omnia discutit, omnia ruminat & scrutatur, etiam profunda Dei, quæ etiam ipsam involuti libri medullam mandit, & intima sapientiæ comedit viscera.* Et sterilis non est in eis. *Sterilitas reputatur, si vel uno fueris fœtu contentus: si potuisti ad sacratum aliquem in scripturis intellectum pertingere, unum jam peperisti fœtum. Bonus profectus & ingens, sed insufficiens sacrato sensui, si affectus non respondeat. Sterilis est intelligentia, quam non coæva & germana comitatur devotio. Si per intelligentiam vides, sed gelido adhuc affectu riges, nonne sterilis & inefficax reputatur in te verbi Dei virtus ignea?* Tales sunt qui facta & dicta Christi obiter legunt, nec ea pro dignitate ponderant; similes porcis, qui inventas margaritas odorantur, & negligunt, vilesque glandes præeligunt. De talibus ait Gregorius:
Dum ad audienda vel legenda Dei verba perversâ [In cap. 8. Cantic. in fine.]
intentione accedunt, digno judicio veritatem non inveniunt, quam indigno appetitu requirunt. Seraphicus modus observandi & tractandi Evangelium est, quo non modò illuminatur intellectus, sed etiam inflammatur affectus; alioquin de subtili & erudito Commentatore Evangelii, qui solum textûs intelligentiam persequitur, dici potest illud Sapientis: *Est vir* [Eccl. 37. vers. 21.]
astutus, multorum eruditor, & animæ suæ inutilis est. Et talis licet alios erudire possit, sibi tamen non proficit. Instar aliquorum coquorum, qui cùm in arte sua sint peritissimi, & novetint optimos cibos comparare, coquere, condire & apponere, tamen ipsi non gustant, & præ defectu alimenti arescunt & consumuntur. Verumtamen tales coquos Deus non approbat.

Prudentiùs & ad mentem Francisci observant Evangelium. 1. qui perpendentes Christi Domini stupenda miracula, & divinitatis absconditæ evidentia opera, in admirationem & personæ istius reverentiam dignam abripiuntur, & totos se effundunt in laudes & adorationem istius summæ potentiæ, eo animo quo discipuli & vulgus hæc aspicientes glorificabant Deum. 2. qui attentâ mente contemplantur peccatores varios remissionem peccatorum ab eo reportantes, & quandoque simul sanitatem corporalem: atque inde suavem concipiunt spem similis misericordiæ consequendæ, & in confidentiam eriguntur eandem postulandi. 3. qui adinstar Deiparæ Virgi- [Lucæ 2. vers. 19.]
nis omnia verba hæc conservant in corde suo, & intuitu charitatis ac tot beneficiorum in-

in Evangelio enarratorum & promissorum, tantæ sanctitatis Christi & bonitatis divinæ, in amorem illius inardescunt. 4. qui sanctas morum institutiones tam verbis quàm exemplis Christi traditas, avidis animis amplectuntur, sibi possibiles credunt, & gratiam ad eas necessariam sibi ex Dei liberalitate pollicentur, & heroico spiritu se ad eas exequendas pro datis occasionibus accingunt, ut fideles tanti Magistri discipuli inveniantur. 5. qui ex indignatione concepta adversus Judæorum invidiam, crudelitatem, aliaque facinora, eorundem vitiorum jam admissorum pudore suffunduntur, vel occasiones similium committendorum detestantur, & comminationes, maledictiones, & reprehensiones Christi in hæc vibratas seriò apprehendunt, ne fortè in suum aliquando caput redundent, & in sortem veniant inimicorum Christi. Hæc est forma studii Fratrum Minorum, quo pura & sublimis acquiritur sapientia, eruditur simplicitas, confortatur pusillanimitas, & anima in Jesum Christum transformatur.

TEXTVS & §. VI.

Vivendo in Obedientia; sine proprio, & in Castitate.

SVMMARIVM.

Recensentur commoda Religiosæ Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis.

HÆc sunt tria principalia Evangelica Consilia, in quorum professione & observantiâ Ecclesiæ Doctores & ipsimet summi Pontifices Religiosi statûs essentiam constituunt, ad quæ reliqua omnia Consilia Evangelica facilè reducuntur. Porrò Christus Dominus Evangelicæ perfectionis magister & exemplar ea potissimùm in vita sua expressit:
Joannis 4. vers. 34. Obedientiam; dum *cibum suum esse* dixit *ut faceret voluntatem ejus qui se miserat*; & *factus*
Ad Phil. c.2. vers. 8. *est obediens usque ad mortem, mortem autem*
2. Cor. 8. vers. 9. *Crucis*. Paupertatem: *Propter nos egenus factus est*, pauper natus, in penuria vixit, nudus mortuus est *non habens ubi caput reclinaret*. Castitatem denique virginalem statu Patriarcharum & Prophetarum totiusque veteris testamenti sublimiorem Christus de virgine natus mundo commendavit, & tam purè in se ipso expressit, ut inimici in omnes ejus actus intentissimi ad habendum quod carperent, ne minimam de defectu castitatis suspicionem umquam excitasse legantur, quantum ex sacris litteris colligi potest.

Voluit itaque Deus & Dominus noster, sicut in cœlo Angelos sibi ministrantes habet ab omni terum terrenarum fæce alienissimos, & suæ voluntatis promptissimos executores; etiam in terris quosdam habere, qui in his Angelos imitarentur. Unde Seraphicus Doctor
Part. 3. Ecclesiæ in suo Opusculo de Ecclesiastica Hierarchia convenienter comparat Religiosos horum trium votorum Professores & observatores tribus Ordinibus Angelicorum spirituum ultimæ Hierarchiæ.

Ac primùm quidem quantùm ad Obedientiæ promptitudinem, argumentum sumi potest ex admirabili visione Ezechielis Prophetæ.
Ezech. 1. vers. 14. *Animalia*, inquit, sive cælestes spiritus, *ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*. Spiritus illi, quos Deus Angelos sive nuntios suos facit, veloces sunt in exequendis divinis mandatis in *similitudinem fulguris*, quod utique velocissimum est. Similem velocitatem præbet Obedientia Religiosa. Apparuerunt autem rotæ juxta animalia: *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea. Quocumque ibat Spiritus, illuc euntе Spiritu & rota pariter elevabantur sequentes eum*. Hinc colligimus flexibilitatem & motum Angelorum inferiorum, non modò ad motum divini imperii, sed etiam superiorum Angelorum. Et ideò mysterio non vacat quòd scribuntur inferiores illi Angeli in specie rotarum apparuisse, nulla enim figura ad motum expeditior est quàm rotunda. Quidam nostri temporis scriptor volens ingenioso emblemate exprimere promptitudinem Obedientiæ Religiosorum, depinxit globulos projectos & rotatos in plano cum hac subscriptione: *Wy Rollen als Bollen*. Innuens Religiosos æquè expeditè moveri per Obedientiam. Addit autem Ezechiel, quòd *Spiritus vitæ erat in rotis*; Ut detur intelligi, eas rotas fuisse, non solâ vi extrinsecâ, sicut moventur rotæ ligneæ, sed internâ & liberâ virtute per voluntariam rei à Superiori imperatæ adimpletionem. Simili modo Spiritus vitæ & obedientiæ existens in Religiosis facit eos libertimâ voluntate ad nutum Superioris stare & procedere, deprimi & elevari. Inferiores etiam Angeli semper parati sunt ad suscipiendas divinas influentias sine ulla liberi arbitrii resistentiâ juxta beneplacitum divinæ bonitatis infundentis, sive per se, sive mediantibus altioribus ordinibus. Simili modo sancta Obedientia disponit animas ad cælestium gratiarum susceptionem.

Christus Dominus missurus promissum Patris sui in dilectos discipulos: *Vos*, inquit, Luc. 24. vers. 49.
sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Suscepturi Paracletum jubentur sedere

dere in ono loco, more claustrali, & vacando orationibns exspectare, ut per obedientiæ exercitium animæ eorum cælestibus charismatibus recipiendis præparentur. Insuper Obedientia firmat animum in bono, tempore tentationis, qui enim sub usu nimis licentioso propriæ voluntatis in tentatione à bono facilè deviarent, Obedientiæ fræno cohibiti, ejusdemque calcaribus stimulati in via virtutis continentur & promoventur.

Denique cùm salutis humanæ momentum positum sit in divinorum mandatorum adimpletione, cui pertinaciter invidens dæmon undique adversatur, persuadetque mandata illa, vel esse impossibilia, vel inutilia ad præmii consecutionem, vel irrationabilia: contra hunc adversarium excitavit Deus Religiosos, qui aliis duces essent in divinæ voluntatis adimpletione, qui non solùm præceptis Dei, sed etiam hominum propter Deum obedirent; idque non solum in materiis necessariis & facilibus, sed etiam liberis & difficillimis: ut sic eorum exemplo inexcusabilis sit eorum contumacia, qui ipsi Deo præcipienti renuunt obtemperare. Hoc tamquam invincibili argu-

Jerem. 35. vers. 14. mento confudit Jeremias inobedientem populum, proposito exemplo Rechabitarum, qui in re liberâ & admodum difficili, quòd totaliter & semper à vino abstinerent, constanter obediverunt præcepto Jonadab Patris sui, & se nunquam ab eo declinaturos solemniter spoponderunt. Quod argumentum Dionysius Carthusianus contorquet etiam in Christianos

In eum locum. impios, & addit: *Potissime autem claustrales carnales, duri & rebelles, seu negligentes, hoc facto redarguuntur, qui amant vinum & pinguia, qui superiorum suorum verba & dogmata parvipendunt; qui ideo gravissimam passuri sunt disci-*

1. Mach. 2. *plinam.* Mathathias, quamvis ad transgressionem mandatorum Dei gravissimis comminationibus urgeretur, constanter respondit: *Ego & filii mei, & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum.... non Sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus alterâ viâ.* Hujus exemplo quàm plurimi sunt ad similem obedientiam animati.

Alterum in quo Religiosi cum Angelis conferri possunt, est, quòd affectum habeant à temporalium divitiarum laqueis expeditum. Angeli quidem naturâ suâ ab illis materialibus teneri aut fœdari non possunt; Religiosi verò gratiâ Dei per voluntariæ Paupertatis professionem ab illis expediuntur. Filius Dei Redemptor noster *in hoc apparuit*, inquit di-

1. Joan. 3. vers. 8. lectus ipsius Discipulus, *ut dissolvat opera diaboli.* Hinc primarium ipsius studium toto tempore vitæ passibilis fuit, Idololatriam tamquam inventum diaboli injuriosissimum divinæ Majestati exterminare, & hanc adorsus per suos Sanctos Martyres, multo ipsorum sanguine extinxit. Restabat verò multò difficilior superatu & universalior illa spiritualis

Colos. 3. vers. 5. idolorum servitus, quæ est *Avaritia*, juxta Apostoli interpretationem. Hæc non modò Ethnicorum animis insederat, sed eorum etiam, qui nomine censentur Christiano, & latissimè per omnes hominum status & conditiones grassabat. Hanc pestem eliminare voluit per institutionem status Religiosi, quem amplexantes, bona temporalia penitùs contemnerent, iis se expropriarent, ac in pauperes distribuerent, & solemni Paupertatis voto omnem sibi regressum ad illam Idololatriam intercluderent; quemadmodum sancto Regi Josiæ non suffecit aras & idola destruere, sed & combussit igne; & ne quid ex iis super- 4. Reg. 23. esset, *dispersit cinerem eorum in torrentem Ce-* vers. 12. *dron.*

Insuper eo consilio Deus inspiravit quibusdam opulentas divitias procul abjicere, & cum alacritate mentis, voluntariam amplecti paupertatem, ut ii, qui infaustâ fortunâ per egestatem necessitate trahuntur, societate illorum pauperum voluntariorum recrearentur, & contenti suâ tenuitate, per angustas semitas egestatis, tandem factæ voluntariæ exemplo Religiosorum, ad promissum regnum cœlorum feliciter pervenirent. Hac intentione juxta D. Bernardini contemplationem, ipse Dei Filius se pauperum socium exhibuit. *Paupertas* *Serm. 1.* (inquit) *non inveniebatur in cœlis; porrò in ter-* in Vigil. *ris abundabat, & superabundabat hac species, &* Nativ. *nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Filius Dei concupiscens, descendit ut eam eligeret sibi, & nobis quoque suâ æstimatione faceret pretiosam.* Hujus pii consilii adjutores elegit Religiosos.

Ad hæc Religiosæ paupertatis institutum est Christi promissorum confirmatio: dissuaserat enim Christus multis argumentis superfluâ sollicitudinem eorum, quæ ad victum & vestitum Math. 6. necessaria sunt, sub spe & promissione paternæ providentiæ circa filios in se confidentes. Manebat tamen anxietas multorum dicentium: quid manducabimus, aut quo operiemur? Ut igitur facta promissio Christi verificaretur per manifestam & palbabilem experientiam, addidit animum imperterritis quibusdam animabus, ut omnia temporalia à se excutientes nudos se committerent brachiis Crucifixi, *& quærentes primùm regnum Dei & Justitiam ejus*, cætera omnia eis adjicienda ex Christi promissione fiducialiter expectarent. Nec eos sua fiducia fefellit, Domino eis de necessariis abundè providente. Quod ut agnoscerent & testatum facerent Christi discipuli, ejusque postea tenaciùs meminissent, ante discessum suum ex hoc mundo ad Patrem, sic eos interrogavit: *Quando misi vos sinè sacculo, & pera,* Luc. 22. *& calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* vers. 35. At illi dixerunt: *Nihil.* Idem nunc responderent mille millia Religiosorum.

Præterea Paupertas evangelica & expropriatio, est dilectionis inter homines conservativa & reparativa. *Unde bella & lites in vobis?* Jacobi 4. *nonne ex concupiscentiis, quæ militant in mem-* vers. 1. *bris vestris?* Ex quibus verò concupiscentiis? Potissimùm *Mei & Tui.* Ista est radix omnium malorum cupiditas. Huic voluit infigere securim, Redemptor noster, reformator Charitatis. Quia verò cupiditas se armabat titulo necessitatis, medium adinvenit, quo & necessitati fieret satis, & cupiditati obviaretur. Docuit suos omnia in commune conferre, ut nemo aliquid suum esse diceret, & omnium necessitati commune ærarium prospiceret: & sub ea œconomia cœpit Ecclesia Christiana,

&

& usque nunc perseverat status Religiosus pro meliori fraternæ dilectionis conservatione.

Denique Religiosorum Paupertas medium est ad fructuosius Evangelizandum verbum Dei. Enimvero ab iis, in quibus cupiditas extincta existimatur, non timet volgus insidias, patiturque sibi recta ab eis suaderi; ab aliis, in quibus aliquid adhuc cupiditatis subodorantur velut timidæ aviculæ omnes diffugiunt, quia sibi ab eis velut à malignis aucupibus fraudem & periculum suspicantur. Qui verò facto & opere produnt se animum Divi Pauli gerere, qui apertâ fronte dicebat: *[2. Cor. 12. vers. 14.]* *Non ero gravis vobis, non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos*, illi miros fructus fidei, pœnitentiæ & pietatis referunt in populis, & inferunt in horreum Domini.

De Castitate non minùs verè quàm disertè scribit Cassianus: *[Lib. 6. cap. 6.]* *Nullâ virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quàm gratiâ & merito Castitatis.* Estque ipsiusmet Salvatoris sententia, *[Matth. 22. vers. 30.]* quoniam, *qui non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Et è converso, nihil æquè dejicit animum à dignitate rationalis creaturæ, quàm usus carnalium delectationum. Observatu dignum est quod narrat Augustinus, cùm adhuc Manichæus esset & ipsum & plures amicos pertæsos molestiarum hujus mundi, consilium injisse in quo quædam imago inerat religiosæ vitæ, ut remoti à turbis otiosè viverent, ita ut quidquid haberent, eo in medio ab omnibus collato, una res familiaris conflaretur, ut non esset aliud hujus, & aliud illius, sed quod ex cunctis fieret unum, & universum singulorum esset, & omnia omnium. Quod cùm omnibus magnopere probaretur, seque in eo vitæ genere beatos fore sperarent, repentè ait, totam illam rationem turbatam esse ex impedimento muliercularum, quas jam alii haberent, alii habere vellent: quare re totâ abjectâ, ipsi, ait Augustinus, ad suspiria & gemitus conversi sunt, eorumque gressus ad sequendas latas & tritas vias sæculi. Hoc igitur bono & aliis multis se privant, qui se matrimonio alligant. *[1. Cor. 7.]* *Qui cum uxore est*, inquit Apostolus, *solicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat uxori, & divisus est: quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi quomodo placeat viro.* Itaque hoc ampliùs habent Religiosi, continentiæ & castitatis beneficio, ut cor suum nullâ ejusmodi divisione imminutũ, sed totum atque integrum Domino offerant. Quam differentiam atque distantiam inter utrumque statum Gregorius etiam bene expressit his verbis: *[Hom. 16. in Ezech.]* *Conjugati quamvis & bene agant, & omnipotentem Deum videre desiderent, domesticis tamen curis occupantur, & necessitate cogente in utroque mentem dividunt. Continentes autem ab hujus mundi actione remoti sunt, & voluptatem carnis etiam à licito conjugio restringunt; nullâ conjugis, nullâ filiorum curâ, nullis noxiis, & difficilibus rei familiaris cogitationibus implicantur.* Atque ita solum solliciti sunt quomodo placeant Deo, & juxta officium Angelorum semper contendunt videre faciem Patris, ac cœlestes delitias prægustare.

Divus Joannes virgo à Christo electus & ob specialem castitatis prærogativam præ cæteris discipulis dilectus, acutiori donatus est visu ad penetrandum altitudinem cælestium mysteriorum. Eodem collyrio aptari cupit Deus oculos electorum suorum, quos decrevit in contemplationis altitudinem sublimare. Aptissimâ similitudine id expressit Nazianzenus: *[Orat. 10.]* *Ut aqua*, inquit, *quæ plumbeis canalibus inclusa defertur, quia multum comprimitur, & conglobatè volvitur, in altum erumpit supra naturæ suæ pondus; sic si anima per continentiam totum suum amorem strixerit, nec in creaturas diffluere patiatur, sed eum in Deum effundat, sursum tendet, nec unquam humi prolabetur.* Hoc est incorruptionis privilegium, ut ille ipsis in contemplationibus ostendatur, quem mundi corde videbunt, *Post cordis mundi candorem*, inquit Gilbertus, *[Serm. 5. in Cant.]* *ad contemplanda veritatis fulgorem ascendis. Munditia meretur notitiam, non hanc litteratoriam tantùm sed quandam dulcem & intimam, & ipsius animæ medullis infusam. Denique puritas veritatis socia & comes & prævia est.*

Denique sicut à S. Joanne visa est in cœlo turba magna sicut citharædorum & concinentium canticum novum, *[Apoc. 14. vers. 3.]* quod nemo poterat dicere nisi qui cum mulieribus non fuerant coinquinati, & sinè macula erant ante thronum Dei: sic eâdem munditiâ ornatos voluit eos laudatores sui nominis, quos in terris ad hoc officium segregavit. Hi sunt Religiosi *habentes nomen Agni & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*, per apertam confessionem suæ singularis servitutis & fidei, quam nunquam erubescunt. *Hi empti sunt de terra*, ut sint in peculiarem sortem filii Dei. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, nec carne, nec cogitatione, nec motibus muliebrium imperfectionum. *Hi sequuntur Agnum quocumque ierit*, etiam ad crucem usque, & crucifixionem. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno*, velut proceres principaliores sui regni & aulæ. Dummodo tamen in ore eorum non inveniatur mendacium, & observent opere quod ore voverunt. His dabitur illud canticum novum cantare, & in gaudio Domini sui æternaliter jubilare.

Latiùs videri potest de statu Religioso Candidus scriptor, Hieronymus Platus è Societate Jesu integro opere, quod de hac materia scripsit. Et ex nostris Marcellinus de Pisis in sua Encyclopedia tomo tertio ad Dominicam primam Quadragesimæ.

TEX-

TEXTUS & §. VII.

Frater Franciscus promittit Obedientiam.

SUMMARIUM.

Obedientia erga Sedem Apostolicam necessaria ad currendam viam salutis. Eam ideo amplexus est Franciscus. Ordinis Franciscani fidelitas erga Pontificem temporibus Friderici II. & Anti-Papæ Petri Corbariensis & Michaelis Cæsenatis. Minoritæ particulares pro sancta Sedis Obedientia Martyrium subeunt. Periculosum quærere subterfugia ad non obediendum.

Galat. 1. vers. 12. Galat. 2. vers. 2.

SAnctus Paulus Apostolus, licèt veritatem Evangelicam didicisset, non ab homine, neque per hominem, sed per revelationem JesuChristi; ita tamen Primatum Sedis Petri in docendi auctoritate agnovit, ut ex revelatione & mandato cœlesti ascenderit Jerosolymam ad Summum Pontificem Petrum, ut conferret cum eo de doctrina & operibus suis, à quo approbationem acciperet, & debitam subjectionem profiteretur. Cujus facti rationem reddens, ait: *Ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem.* (Ibidem.) Quam rationem D. Augustinus: (Contra faustum, lib. 20. c. 4.) *Apostolus Paulus post Ascensionem Domini de cœlo vocatus si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet. Sed cùm cognovissent eum hoc annuntiantem, quod illi annuntiabant, & in eorum communicatione atque unitate viventem, accedentibus etiam per eum talibus signis qualia & illi operabantur, ita Domino commendante, meruit auctoritatem, ut verba ejus hodie sic audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur.* Franciscus vir Catholicus & totus Apostolicus, sancti Evangelii observantiam in mondo renovaturus, simili modo providere voluit, ne in vacuum curreret aut cucurrisset. Quamvis enim Regulam vivendi, quam suis sequacibus traderet observandam, ipso Spiritu Sancto suggerente scripsisset, & probè sciret, nihil aliud quàm ipsam Evangelii medullam continere, tamen quò securiùs cursum dirigeret, per Successores Petri petiit approbari & confirmari. Supra communem etiam obligationem Obedientiæ erga Christi Vicarium, quâ sicut cæteri Christiani tenebatur, novam superaddidit solemni professione. *Frater Franciscus*, inquiens, *promittit Obedientiam Domino Papæ.* Eo tempore Fridericus I. Ænobarbus Alexandro III. Pontifici acerrimè adversabatur, ejusque Obedientiam detrectabat: inde magis accensus fuit vir Dei Franciscus, ut ante omnia Obedientiam profiteretur illius Sedis, quæ à Christo Domino stabilita est in directricem, dominam & mediatricem inter Ecclesiam & Spiritum Sanctum.

Illi fundamento per Christum jacto suum Ordinem superædificavit, sciens nullam Congregationem in corpus Religionis convenire posse, quæ fuerit à Capite universalis Ecclesiæ separata. Plurimi Monachi sunt inter Græcos, qui licèt longis & austeris jejuniis se conficiant, & plurimis arctis à S. Basilio traditis constitutionibus inhæreant, eo ipso inter veros Religiosos non censentur, quòd vulgari Græcorum errore implexi Romanam Obedientiam aversantur. (Annal. Minor. Tom 4 an. 1374 v. 81.) Impudentissimi hypocritæ, dicti Fratricelli quandoque in congressu disputationis objecerunt Minoritis laxiorem vitam, multiplicem Regulæ transgressionem, & alia, quæ adversari videbantur statui Franciscanorum; se verò in laboribus multis & ærumnis, undique à Prælatis agitatos, ab Inquisitoribus ad necem perquisitos, ad amussim S. Francisci observare præcepta. Ad hæc Frater Paulutius à Fulginco laicus idiota: *Nihil S. Franciscus strictiori, & pluries repetito præcepto imperavit suis Fratribus, quàm ut Pontifici obediread Romano: Vos præceptum hoc omnium potissimum flocci penditis, Papæ non obeditis, ab eo institutos Præsules contemnitis; Ut quid ergo de vana S. Francisci sequela gloriamini, & dum substantiam ipsam abjicitis, viridantium objicitis speciem foliorum?* Manifesto convicti argumento obmutuerunt: siquidem sola inobedientia ad Apostolicam Sedem sufficit ad discernendos falsos Franciscanos. Sicut quondam Donatistæ miram jactabant Religionem & pietatem, Sedem interim Apostolicam non agnoscentes, quos cum divus Augustinus debellare esset aggressus, nihil frequentiùs in eos retorquebat, quàm illud Apostoli: *Si habuero Prophetiam, & noverim Mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si tradidero* (1. Cor. 13. vers. 2.)

corpus

eo put mrum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Supponens ens non habere charitatem, qui se separabant à capite Corporis Christi, quod est Ecclesia.

Omnibus sæculis enituit præclara fidelitas & obedientia Seraphici Ordinis ergà Vicarium Christi Pontificem Romanum: nam cum Fridericus II. Imperator decreto Innocentii IV. esset exauctoratus, eam sui depositionem in Franciscanos severè ultus est, quòd eam ex Pontificis mandato promulgarent partesque Ecclesiæ non dissimulanter adstruerent. Præter alia gravamina, exacti omnes fuêre ex Regno Siciliæ & Neapolitano. Nec securior fuit eorum sors, qui in manus Tyranni Ensclini inciderunt: Sexaginta ille Franciscanos necavit. Universalis fuit persecutio, quaquaversum se diffudit imperium, etiam in Germania, de qua Chronicon M. S. Saxoniæ habet hoc modo: *Fridericus II. per Lugdunense Concilium Imperio privatus, furenter est Fratres in Germania persecutus: Unde asperrimè sanè miseris injecta sunt probra: multi ex locis suis in exilium ejecti, multi vinculis alligati, quidam etiam è medio sublati, quia Ecclesiæ auctoritati obedientes, tanquam filii justas pia matris partes contra rebellantium improbitatem viriliter defendendas susceperant: cùm præter Fratres Minores, alii Religiosi ne mussitare quidem contra auderent.*

Compilatio Chronol. inter historias Germania.

Tempore Joannis XXII. Papæ opprobrium Ordinis fuit pertinax ista & scandalosa altercatio Michaelis de Cæsena & suorum adhærentium contra Summum Pontificem, qui ausi sunt de potestate Papæ quærere, disputare & temerè resolvere, & ipso facto mandata ejus contemnere. Speciosa quidem videbatur occasio tantæ contradictionis, defensio scilicet Paupertatis Evangelicæ & Ordinis Franciscani. Verùm sicut aliquis pro recuperando pileo suo iniquè amputaret caput alterius, eò quòd videat pileum illi impositum; sic iniquissimè egerunt Fratres illi, qui pro defendenda sua opinione Caput Ecclesiæ & potestatem illius tentârunt rescindere. Auxit opprobrium, scismaticum attentatum Petri de Corbario Anti-Papæ ex ipso nostro Ordine, qui proinde videri poterat tunc Romano Pontifici minùs obediens. Sed opprobrii istius maculam apparentem circa nostrum Ordinem, luculenter abstersit ipsemet Summus Pontifex. Cùm enim Joanna Regina Franciæ per literas Eum placare conata fuisset, & Ordinem integrum commendasset, respondit ei, & animum suum explicuit, hoc præbens testimonium: *Ordo prædictus generaliter ubique paucis exceptis personis vilibus, qua ferè omnes propter eorum delicta dudum carcere adjudicati fuerant, vel erant præsentialiter judicandi; adeo promptè & plenè nostris & Vicarii Ordinis à me constitutis paruère mandatis, sicut unquam Summo Pontifici, vel suo vero Ministro paruit dictus Ordo. Interdicta quoque nostra servaverunt ubi potuerunt Fratres dicti Ordinis: ubi verò non potuerunt, fugientes de locis illis, se ad loca ubi servare potuerunt transtulerunt. Contra fautores quoque Petri & Michaelis tam Inquisitores hæreticæ pravitatis ejusdem Ordinis, quàm Ministri & alii ad quos poterat pertinere, diversos processus fecerunt, & sententias protulerunt.* Luculentum sanè & honorificum Pontificis pro Ordine testimonium.

Annal. to. 3. anno 1328. n. 19

Ann. 1329. num. 2

Particularium etiam Franciscanorum fidelitas & obedientia erga sacratam Sedem enituit in ipso Martyrio, quod pro illa subire non dubitârunt plurimi. Cum enim Henrico VIII. Regi Angliæ repudium uxoris suæ Catharinæ pernegaret Romanus Pontifex, ipse indignabundus & Papam & uxorem & fidem repudiavit, ac in omnes Papæ defensores indiscriminatim furere cœpit. Regebat conscientiam Reginæ tunc F. Joannes Forestus, qui librum *de Auctoritate Ecclesiæ & Pontificis Maximi* opposuit emergenti errori. Hinc in teterrimum carcerem conjectus, biennio ibi mortem expectavit. Latâ tandem iniquâ sententiâ ad locum ducitur, ubi erectum erat patibulum sub quo lignorum stramiumque cumulus erat copiosus. Hoc supplicii atrocissimum spectaculum ut is vidit, fidelìac strenuo animo, altâque voce ait: *Nec ignis, nec patibulum, nec tormenta quæque me separabunt à te Domine.* Deinde patibulo appensus per catenam ventri circumligatam, suppositoque lento igne ad ejus pedes, tamdiu crudelissimè torrebatur donec efflaret animam. Nihilque aliud sub tormentis ingeminabat, quàm *Sub umbrâ alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Eâdem de causâ & pari constantiâ Frater Hugo Richeos & Frater Richardus Risbeus diutinis carceribus fatigati, horrendo mortis genere occisi sunt: vitâ eis oblatâ, si modò agnoscerent Primatum Regis in Ecclesia Anglicana.

Arturus ad 25. May.

Psal. 56. vers. 2.

Arturus ad 3. iunii.

Dum Calvinianismus in Belgio erigeret caput, plurimi Franciscani mortem pro defensione Pontificiæ auctoritatis subierunt. In Provincia Germaniæ Inferioris habemus gloriosum Christi Martyrem Patrem Nicolaum Pieckium Guardianum Conventûs Gorcomiensis cum undecim sibi subditis Religiosis. Carnales Fratres Patris Nicolai miris modis conati sunt eum à fidei constantia dimovere, ut sic in fame (ut ipsi censebant) suspendii supplicium evaderet. Quibus ille invictâ animi fortitudine repondebat: *Itane fratres? Justum vobis videtur, ut vestri causâ recedam à Domino Deo meo & declinem ad partes diaboli? Certi estote, nullum esse in mundo, cujus causâ in animum meum veniat tale scelus committere. Sic me Deus adjuvet.* Illi responderunt; *Nequaquam frater, id minimè à te postulamus, ut Deo renuncies, sed Pontifici tantum, qui non est Deus, sed homo.* Et addebant: *Tune tam fatuus esses, ut illius causâ subires mortem, qui tui causâ nollet vel minimam pati digiti sui puncturam? Quid gratiarum ille tibi relaturus est, quando illius causâ oppetieris mortem?* Hæc & his similia insusurrabant beato Martyri caro & sanguis, non percipientes ea, quæ sunt spiritus Dei. Quin & eò usque devenit res, ut assecuraretur de vita sua & fratrum, modo Summo tantùm Pontifici renunciaret. Ipse verò immobilis fundatus supra firmam petram nullis potuit argumentorum flatibus à fidei veritate dimoveri. Agnoscebat

Esty Histo. Martyr. Gorcom. l. 0. c. 18.

in

in Summo Pontifice non humanæ tantum naturæ conditionem, sed Christi Vicariatûs sublimitatem. Sciebat eum separari ab Ecclesia Christi, qui renuntiat Ecclesiæ capiti. Atque ideo ipse unà cum suis dilectis subditis præëlegit gloriosam mortem renuntiationi Pontificiæ auctoritatis, quam nefarii hæretici & carnales amici postulabant. Similem fortitudinem exhibuerunt plurimi Franciscani in Germania Superiori & Galliis, cum primi impetus in Papam fierent à Luthero, & Calvino eorumque sequacibus.

Ex hoc passu Regulæ obligantur Fratres Minores specialiter promptè & integrè mandatis Pontificiis obedire: ut sint omnibus aliis Catholicis in exemplum. Meritòque cavere debent præ cæteris, ne sine magna & gravissima causa, etiam permissis à jure, vel consuetudine inductis alicubi subterfugiis & tergiversationibus in diplomatum Sanctæ Sedis executione utantur; cùm præ aliis tanquam peculiares filii *Obedientiam* Summo Pontifici profiteantur.

TEXTUS & §. VIII.

Promittit Reverentiam.

SUMMARIUM.

Potestas & Majestas Pontificis docetur ex comparatione cum Joseph Patriarcha & Angelo apparente S. Joanni. Quanto Honore & Reverentiâ dignus sit Pontifex. Quibus modis Irreverentia in ipsum committantur ab Hæreticis & ingratis Catholicis.

DUm Pharao jam exploratam haberet Josephi virtutem & sapientiam, & quòd spiritu Dei plenus esset, communicavit
Gen. 41. vers. 39. ei suam iu Regni administratione auctoritatem, his verbis: *Tu eris super domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet: Uno tantùm regni solio te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph. Ecce constitui te super universam terram Ægypti: tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit; fecitque eum ascendere currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent.* Quid minùs, imo quantò plus fecit Rex cœli & terræ Christus, dum probatâ jam fide & charitate S. Petri, di-
Joan. 21. vers. 17. xit: *Pasce oves meas!* Illo verbo non solùm ipsi & Successoribus ipsius auctoritatem plenissimam impertiit, sed etiam iis dotibus muniisse atque ornasse credendus est, quæ necessariæ erant ad tantæ dignitatis Majestatem & officii administrationem.

Hujus Majestatis splendorem contemplari possumus in ea figura, quâ Christus, vel ejus
Apoc. 1. vers. 13. loco Angelus apparuit S. Joanni Evangelistæ. *Similis erat filio hominis, vestitus podère*: divinæ protectionis. *Præcinctus ad mamillas zonâ aureâ* charitatis erga oves sibi commissas. *Caput autem ejus, & capilli candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*, designantes senilem gravitatem, maturitatem, temperantiam, & in lanea cæsarie, nivisque frigore clementiam, & iræ immoderatæ extinctionem. *Oculi ejus tanquam flamma ignis*, semper vigilantes, nunquam clausi & aspectu solo terrorem injicientes malefacientibus, dissipantesque omne malum. *Pedes ejus similes aurichalco*, firmi & solidi, quibus universum corpus fidei Christianæ innititur. Accensi *sicut in camino ardenti*; quia continuis persecutionibus ex omni parte circumcincti stant inconsumptibiles & immobiles in Religionis semel acceptæ constantiâ. *Vox illius tanquam vox aquarum multarum*, sese diffundens usque in fines orbis terrarum, & quæ æquivalet vocibus omnium Prælatorum in Ecclesia, sive divisim, sive conjunctim docentium. Imo quorum voces non audiuntur, nisi & hæc inter omnes & supra omnes audiatur. *Et habebat in dextera sua stellas septem*, septem Sacramenta, quibus illuminatur mundus, sive septem dona Spiritûs Sancti, quæ confert iis, quibus manum imponit; vel septem Ordines, quorum collatio ab ipso dependens est tanquam à primo Hierarcha. *De ore ejus exit gladius ex utraque parte acutus*; quo rescinduntur contumaces à corpore Ecclesiæ, & peccatorum vincula à pœnitentibus discretè discinduntur. *Facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua*, in Majestate suæ dignitatis, referens ipsius Solis justitiæ Christi splendorem, dum depulsis nubibus mortalitatis nunc in gloriæ suæ throno relucet.

Si visione istâ S. Joannes Apostolus ad tantam commotus est reverentiam, ut *ceciderit ad pedes ejus tanquam mortuus*; non minori erga hunc terrestrem Angelum moveremur *Reverentiâ*, si dignitatis istius eminentiam, prout est, valeremus æstimare. Ad jussum Pharaonis clamabat præco, ut omnes coram Josepho genu flecterent, tanquam viro, in quo erat Spiritus Dei. Hic præconem agit Divus Paulus: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore* 1. Tim. 5.
digni habeantur. Et per consequens, quanto vers. 17.
ampliori honore dignus sit is, qui ipsis præest

Presbyteris, & juxta beneplacitum suum eis potestatem & characterem impertitur, quo redduntur venerabiles.

Contra thronum illum præfulgidum Apostolicæ Majestatis imprimis conspirarunt hæretici, & blasphæma contra eum ora laxarunt, de quibus Beatus Petrus: *Dominationem*, in-
2. Petri 2. vers. 10. quir, *contemnunt, audaces, sibi placentes, qui sectas non metuunt introducere, blasphemantes.* Passim traducunt Papam ut Anti-Christum, Tyrannum, Idolum, & omnis impietatis Architectum. Si quid olim aliqui Pontifices ut homines in moribus peccarunt, longè latèque evulgant, antiquas invectivas æmulorum Sedis Apostolicæ recantant, & novis adaugent mendaciis. Facta & decreta eorum in pejus interpretantur. Justas correctiones tyrannidi adscribunt. Antiquarum hæresum censuras blasphæmiarum nomine indigitant. Cultum Dei & cæremonias ab eis in Ecclesia institutas pro superstitione, idololatriâ, vel Judaicis reliquiis habent. Depingunt ut teterrimum dæmonem, persequuntur unanimiter ut Turcâ deteriorem, & quibuscunque possunt modis infamem faciunt, odiosum & abominabilem. Verùm frustrà nituntur noctuæ illæ & bubones faciem illam, quæ *sicut sol lu-*
Apoc. 1. 16. *cet in virtute sua*, alis suis contegere & obscurare, quamvis etiam cum eis totus infernus fumos suos contra eam exhalet. *Portæ inferi*
Math. 16. vers. 18. *non prævalebunt*, ipso divinæ veritatis testimonio.

Hæreticis proximè succedunt ingrati quidam Catholici, qui innumerabilium & incomparabilium beneficiorum à Sede Apostolica acceptorum immemores, sinistrè de Summo Pontifice loquuntur, aut quærimoniis, detractionibus, scommatibus ac vilibus titulis eum dehonestant. Observat Edovardus Westonus in suo Theatro Civili, quòd *cùm pleri-*
Lib. 3. c. 22. num. 5. *que hominum ægrè patiantur se ab alio regi, gestire solent, si non resistendo aperto marte imperium excutere, saltem maledicendo, infamia dicta divulgando imperantis auctoritatem utcunque diminuere. Cujusque Principis decora violantis, instar opportuni venti applaudere consuevit publicus rumor ad detrahendum, popularibus familiaris: quorum ingenio suavè illustria opprimere, niveoque candore conspicua turpitudinis notâ contaminare: Denique opprobria sua in pulchras magnorum metas veluti in procelsu cervorum colla collineare.* Ab hac injuria neque Rectores Ecclesiastici, nec ipse Summus Pontifex tutus est, quin pati debeat pasquillos, scommata, indigna epitaphia aliasque scurrilitates. Accidit
Chron. Minor. p. 4. lib. 10. c. 45. Romæ tempore Sixti Papæ V. ut in præsentia Beati Angeli de Paz quædam dicteria & murmura in Papam jactarentur. Acriter eos reprehendit vir sanctus, & indignabundus secessit ab eo consortio: & in via socio suo narravit exempla varia eorum, qui indiscretè nimis murmurantes contra Judices suos atrociter à Deo puniti sunt, concluditque narrationem magno cum suspirio dicens: *Væ tibi, væ tibi Roma, quæ nondum te emendas à blasphemiis in providentissimum tuum Episcopum, licèt propter illas jam correpta fueris tam diro flagello famis.* Neque solum præsentis vitæ calamitatibus plectendum est illud facinus; sed etiam maximè
futuræ. *Hi sunt murmuratores*, inquit San- Vers. 16. & 13.
ctus Judas, *querulosi &c. fluctus feri maris despumantes suas confusiones, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Verorum Franciscanorum, qui Summo Pontifici non tantùm Obedientiam, sed etiam *Reverentiam* promiserunt, officium est intrepidè talibus silentium imponere, ne discursibus istis pergant promovere odium, contemptum, & pravam opinionem de Christo Domini. Redarguunt quodammodo silentium nostrum in tali occasione illi, qui adstabant Principi Sacerdotum Ananiæ, qui cùm præcepisset percutere os Pauli, Apostolus ignorans esse Principem Sacerdotum, ei regessit: *Percutiet te Deus paries dealbate.* At qui adsta-
bant dixerunt: *Summum Sacerdotem Dei ma-* Actor. 23. vers. 2. 3.
ledicis? Judicabant illi indignum & sacrilegum, etiam post acceptam à Sacerdote injuriam, vel malum verbum in eum regerere. Neque Apostolus correptionem tanquam in-
justam rejicit, sed *nesciebam fratres*, inquit, Vers. 5.
quia Princeps est Sacerdotum; agnoscensque legis obligationem: *Scriptum est*, inquit, *Principem populi tui non maledices.* Vel ut habet tex-
tus Exodi: *Diis non detrahes, & Principi po-* Exod. 22. vers. 28.
puli tui non maledices. Deos illos vocans, qui vice Dei in subditos exercent jurisdictionem, & ideo non homines sed Dii appellantur. Satelles etiam assistens Caiphæ, ratus Christum Dominum non sufficienti cum Reverentia re-
spondisse, dedit ei alapam, dicens: *Sic respon-* Joan. 18. vers. 23.
des Pontifici? Ubi mitissimus Agnus Dei alapam quidem patienter tulit; objectam vero irreverentiæ notam velut intolerabilem & infamem à se depulit competenti excusatione.

Esto sint aliqui Pontifices moribus non ita probi, quin & vitiis aliquibus obnoxii, pietatis est hanc reverentiam eis impendere, ut vitia illorum audita contegamus profundo si-
lentio. *Ne iteres*, monet Sapiens, *verbum* Eccli. 19. vers. 7. &
nequam & durum Et: *Audisti verbum ad-* vers. 10.
versus proximum tuum? commoriatur in te. Compesce pruritum illum effutiendi, quæ acutè & cum lepôre quodam prolata sunt, & propter acumen scitu digna videntur. Novimus quantâ maledictione ferierit Noë Chanaan nepotem suum propter contumeliam insolentem, cujus auctor fuerat Cham pater Chanaan. Impudens sanè irreverentia est & maximè offendens præsentes denudare turpitudinem corporalem, etiam vilissimæ personæ; quantò magis revelare turpitudinem morum & miserias illius, qui à toto mundo suspici debet ac æstimari, & cujus inhonoratio in universam redundat Ecclesiam Dei, juxta il-
lud Sapientis: *Ne glorieris in contumelia Patris* Eccli. 3. vers. 12.
tui: non est tibi gloria ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore Patris sui, & dedecus Filii Pater sine honore.

TEX-

TEXTUS & § *IX.*

Domino Papæ Honorio & Successoribus ejus canonicè intrantibus.

SUMMARIUM.

Quibus titulis Sanctus Pater Franciscus specialiter debebat Reverentiam Domino Papæ Honorio? Quomodo agendum tempore schismatis? Electio Pontificis orationibus apud Deum prævenienda. Orandum etiam pro noviter electo.

INter Pontifices qoibus suo & suotum nomine S. Franciscus promisit *Obedientiam & Reverentiam*, noo immeritò primò nominatur *Dominus Papa Honorius*, qui tunc regebat Ecclesiam, quando ex Dei monitu secundam hanc, quam explicamus, scribebat Regulam, in qua primam ab Iooocentio III. vivæ tantum vocis oraculo approbatam, & ipsum qoodammodo Evangelium in compendium redegit. Ipse enim tanquam Christi Vicarios Regulam à Christo dictatam confirmavit, eamque toti mundo, ot securam & sanctam vivendi formulam commendavit: eo ipso infallibilem faciens & indubitatam eam promissionem, quæ fit vicissim ex parte Dei Regulam promittentibus, *Quod si eam observaverint, assecuturi sint vitam æternam.* Licèt enim Doctorum virotum approbatio reddat sententiam aliquam & doctrinam de modo vivendi probabilem & moraliter securam; altior tamen multò, & securior approbatio fuit illa *Honorii* Christi Vicarii, cui ad pascendas oves & Regimen Ecclesiæ copiosiorem & infallibilem Spiritûs Sancti assistentiam promisit. Unde si *Theologos, & eos qui ministrant nobis sanctissima verba divina debemus venerari sicut qui ministrant nobis spiritum & vitam.* Si Pharao Rex Ægypti, & Balthaxar Rex Babylonis jure meritò populis sibi subditis præceperint Reverentiam & honorem exhibere Josepho & Danieli, eò quòd somnia & visiones tanquam â Deo ipsis exhibitas ampliori Spiritu Dei illostrati, quodammodo authentizaverint & explicaverint; nihil minus debetur Honorio, qui revelatam à Deo Regulam S. Francisco, infallibiliori Sancti Spiritus fultus assistentiâ ad salutem & securitatem tot millium animarum suâ confirmatione fecit authenticam & indubitatam; & sic *ministravit* toti Ordini *Spiritum & Vitam.*

S. Franc. in suo Testam.

Gen. 41. vers. 12.

Dan. 5. vers. 12. & 29.

Meritò ergo omnibus & specialiter Fratribos Minoribus omoi Reverentiâ honorandus est *Dominus Papa Honorius*, quem ipsemet Christus ante Regulæ hujus conscriptionem honoravit, & per Franciscum honorari voluit, remittens ipsum pro confirmatione famosæ Indulgentiæ Portiunculæ à se io præsentia Beatissimæ Virginis & Sanctorum Angelorum concessæ ad *Honorium* suum Vicarium, volens ipso uti tanquam iostrumeoto quo talis ac tantus thesaurus toti mundo innotesceret & distribueretur. Imo eo ipso, quo hanc Regulam (ipsiusmet S. Francisci, Beatæ Birgittæ aliorumque testimonio) constat ita dictatam Francisco, *ut non ipse, sed Christus* singula *præcepta & verba in illa posuerit*, consequens est voluisse Christum Dominum honorari *Honorium*, qui initio Regulæ *obedientiam & Reverentiam* illi promitti ordioavit.

Franc. in Opusc. tom. 3. colloquio 9.

Birg. lib. 7. Revel. c. 20

Successoribus Honorii eadem debetur obedientia, reverentiâ & gratitudo, utpote qoi suis declarationibus Regulam illustrarunt, & Ordinem contra obtrectatores defenderunt. Ab Innocentio enim Papa III. qui primus Franciscum in sinum paternum suscepit, vix unus est ex Successoribus, qoi noo favore aliquo pastorali & paterno Ordines ab ipso Francisco institutos exornavit; ut videre est io Pootificiis Regestis.

Prudenti verò cautelâ usus est Seraphicus vir dicendo *Reverentiam* deberi *Successoribus* Honorii *canonicè intrantibus.* Siquidem permittit aliquando Deus propter peccata populi Ecclesiam suam molestissimâ schismatis tempestate concuti, quæ â diabolo vel impiis principes, vel per ambitiosos supremi honoris æmulatores suscitatur. Quo casu confusionibus omnia replentur & in tristi dubio fluctuant omoes pii, quem debeant pro pastore legitimo agnoscere. In talibus tenebris consultum est se in silentio continere, ne temerè evulgando seotentiam vel contra alterutram partem pertinaciter defendendo, quamdiu res communiter dubia est, legitimè electo injuria irrogetur. Non decet oos de suprema sede & jure judicare, & auctoritate dicti nostri alios fortasse in errorem pertinacem pertrahere.

Cæterum qualiter se oporteat gerere, prudentissima consilia tradit S. Antoninus ex Gersone, quorum præcipua & magis oecessaria sunt. Primò inter homines ejusdem obedieotiæ adhærere sententiis à suo Superiore credito latis. Secundò, de casibus reservatis Papæ & dispensationibus, aliisque in foro conscientiæ, & publico sive contensiosa, possunt secundum homines suæ partis & suam partem, & seipsos quietare teoendo pro legitimo facto id

p. 2 summa tit. 3. c. 11.

quod Superior eorum ab eis creditus fecerit. Tertiò, ubi homo nihil sentit carnale vel tenebrosum trahens eum ad istam vel illam partem, non debet sibi facere scrupulos, sed quando quis adhæret non ex conscientia & veritate cognita, sed ex particularitate adhærentium uni parti, vel quia unus potest magis juvare, vel majora beneficia conferre, aut confert quàm alter; ille est in malo statu etiam adhærendo vero Pontifici. Hæc Antoninus, & alia fusiùs loco citato.

Lugubres & turbulentissimæ sunt istæ tenebræ schismaticæ & innumera afferentes detrimenta animarum. Ideo expediens est statim à morte Pontificis prævenire misericordem Deum ferventissimis orationibus, ut non permittat lupum rapacem intrare qui dispergat oves, sed pro sua in Sanctam Ecclesiam dilectione sic dirigat electores ut faciant unum intrare canonicè, eamque mentem inspiret universo gregi ut illum audiant, suscipiant & sequantur, ac fiat unum ovile & unus pastor. Hoc docemur exemplo Christi & Apostolorum. Ipse enim Salvator vocaturus discipulos suos & ex ipsis
Luc. 6. vers. 12. duodecim Apostolos electurus, *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ipsi necessaria non erat oratio, cùm sciret & posset omnia, nobis verò exemplum orandi in simili negotio necessarium erit quo pulsemus januam misericordiæ, ut Deus qui sortes dirigit, quæ mittuntur in urnam, non permittat regnare hypocritam propter peccata populi. Princeps etiam Apostolorum cum reliquis Apostolis electurus Successorem in Apostulatu Judæ proditoris, unanimem præmiserunt ora-
Actor. 1. vers. 24. tionem: *Tu Domine*, inquit, *qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & Apostolatûs, de quo prævaricatus est Judas.* Quin & idem
Cap. ubi periculum §. Quia vero fidel. de Elect. in 6. per leges Ecclesiasticas sancitum est: *Quia verò fidelibus non est tam de solicita quantumcumque inventione fidendum quam de instantia orationis humilis & devota sperandum: hinc adjicimus Sanctioni, ut in omnibus civitatibus cæterisque locis insignibus, ubi primùm de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit: à Clero & Populo solemnibus pro eo exequiis celebratis, singulis diebus (donec de ipsius Ecclesiæ provisione indubitanter rumor pertulerit veritatem) humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus insistatur, ut efficiat Cardinalium corda in electione concordia, &c.* Præcipitur insuper omnibus, quibus prædicationis munus commissum est, ut populum seriò ad easdem preces adhortentur, adjunctis & jejuniis publicis ex Episcoporum ordinatione. Piè & laudabiliter per universum Ordinem Franciscanum suffragia publica indicuntur pro felici electione Ministri Generalis, & aliorum Prælatorum in singulis Provinciis; quanto majori fervore hoc faciendum est circa electionem Summi Pontificis, à qua non modò unius Religiosi Ordinis, sed universæ Ecclesiæ Dei præsidium expectatur.

Noviter autem electus Pontifex est similibus orationum nostrarum suffragiis prosequendus. Sic supplicabat Benedictus XII recens electus Generali & Provincialibus Ministris & Fratribus Ordinis Minorum: *Universitatem vestram precamur & obsecramus attentiùs per viscera misericordiæ Jesu Christi, quatenus pro persona nostra statuque salubri & felici universalis Ecclesiæ orationes devotas & sedulas ad supremæ Majestatis clementiam effundatis, ut omnipotens Deus nobis sua omnipotentia dexteram porrigat ...., ut sciamus & possimus dispersa colligere, fracta connectere, deperdita restaurare, custodire pinguia, manuducere fortia & humilia confovere, aliaque sponsa nostra nobis divinitùs copulata, Romana & Generali Ecclesia præesse pariter & prodesse.* Idem meritò est omnibus Pontificibus electis desiderium, & eadem nobis obligatio: qui etsi ad suffragia nostra specialiter non recurrant, monet tamen nos satis filialis amor eis ex Regula specialiter debitus, & communis boni inde dependentis sollicitudo. Annal. Minor. tom. 3. an. 1335. n. 2.

TEXTUS & §. X.

Et Ecclesiæ Romanæ.

SUMMARIUM.

Quibus prærogativis Ecclesia Romana præfulgeat. Prælatorum Ecclesiæ aliorumque Clericorum veneratio multipliciter per Franciscum inculcata Minoribus. Quis fructus inde sperandus sit.

PRævenit & præmunivit suum Ordinem S. Franciscus adversus monstra hæreticorum & schismaticorum, qui contra *montem*
Psal. 67. vers. 16. Ecclesiæ Romanæ alios *montes coagulatos suspicantur* sive imaginantur & somniant. Ecclesiam v. g. Lutheranam, Reformatam si Deo placet, Anglicanam, Græcam &c. Cùm una tantùm Romana cum suis filiabus & subditis Ecclesiæ veræ & Catholicæ nomen possideat & mereatur. Hanc ergo à suis voluit Franciscus agnosci eique Reverentiam & Obedientiam præstari.

Beatus Frater Ægidius S. Francisci dilectus socius, cùm audiret quippiam referri ex Decretis & Constitutionibus Ecclesiasticis, valde id commendabat, dicebatque: *Nos indocti* Annal. Minor. tom. 2. an. 1262. n. 19.

ce

& miseri non agnoscimus bonitatem tuam ô Sancta Romana Ecclesia. Tu enim doces nos viam salutis: tu viam paras, & munis, quâ ad sempiternam gloriam proficiscamur. Verè vix ullus satis intelligit præeminentiam Ecclesiæ istius quam sibi Deus elegit in peculium, & propriam ac dilectam hæreditatem. Cùm tamen expediat nosce illam, non superficialiter tantùm, sed ex intimis perfectionibus & illustribus prærogativis, quibus à sponso Domino Jesu Christo est decorata. Agnoscendum igitur primò illam esse petram solidam & inconcussam, quæ juxta Salvatoris prædictionem numquam dimovenda aut evertenda est, licèt vehementissimis tempestatibus & persecutionibus sit impetita à Judæis, Paganis, Græcis, Schismaticis, à Rebellibus Principibus, ab Hæreticis, à proditoribus Cardinalibus, Episcopis, Doctoribus, ab ipso Populo Romano, & vicinis populis invidiâ tabescentibus, ab Anti-papis & eorum asseclis, quorum aliqui fidem, alii mandata & auctoritatem, alii famam & honorem, alii temporalia ejus bona furibundè sunt aggressi. Secundò, ipsa est quæ semper conspicuam se exhibuit, nescia latitare, aut Religionem suam abscondere; quamvis superstitiosa, pertinax, severa nimis & fatua ab æmulis haberetur. Recordatur quippe sponsum suum ipsam sapientiam Patris iisdem ludibriis impetitum, dum cœpit doctrinam suam prædicare sibique

Matth. cap. 10. vers. 27.

in Apostolis ab eo dictum esse, *quod in aure auditis prædicate super tecta*; Nec decere cœlestem lucem abscondi sub modio pusillanimitatis. Tertiò, ipsa est centrum unitatis, in quo conveniunt cæteræ omnes Ecclesiæ particulares, quæ hujus unius communione compaginantur: transmittitque Religionem suam per universam totius mundi circumferentiam. Quartò, ipsa est verè Apostolica, successione non interruptâ originem trahens à Principe Apostolorum, & conservans officium ejus & auctoritatem: sed eò maximè, quòd fidei capita ab Apostolis tradita juxta veram eorum mentem in hac Ecclesia intelligantur & explicentur, sic ut sentiatur ac in ea perseveret effectus

Lucæ 22. vers. 32.

orationis Christi, quâ rogavit pro Petro *ut non deficeret fides ejus*. Quintò, in ipsa centrum est tribunal supremum divinæ potestatis & universalis regni Christi, ut omnes fideles magni & parvi, ecclesiastici & sæculares ibi tanquam

1. Ad Tim c. 3. vers. 15.

in *columna & firmamento veritatis* veritatem & justitiam valeant invenire. Sextò, ad rupem istam & columnam immobilem impingentes naviculæ hæresiarcharum confractæ sunt, larvæ hypocriseos detractæ, mendacia detecta, blasphæmiæ condemnatæ, & impetus luporum cohibiti, ne dispergerentur oves simplices, & in errores abriperentur. Jure igitur meritissimo huic Romanæ Ecclesiæ applaudamus verbis Tobiæ: *Luce splendidâ fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient, & munera afferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te, &c.*

Accedamus nunc ad considerationem principalium membrorum hujus Ecclesiæ. Et quidem quæ reverentia ejus Capiti debeatur, dictum est duobus §. §. præcedentibus. Huic proximè succedunt Cardinales, Episcopi atque Prælati habentes Sedis Apostolicæ communionem. Hi nobis Collegium Apostolorum, & selectorum Christi Discipulorum repræsentant. Dignitatem eorum non aliter æstimant ignari, quàm à vita & moribus; quæ humanæ naturæ conditione, imperfectionibus permiscentur. Religiosiùs ex majestate

De Ecclesiastica Hierarchia parte 2. § 1.

officii & gradûs de ipsis judicat Seraphicus Bonaventura, qui comparat eos Dominationibus seu Angelis primi Ordinis secundæ Hierarchiæ, ex diversis capitibus & partibus officiorum suorum, & beneficiorum, quæ præstant generi humano. Faciles sunt Laici ad censuram, contemptum & judicium temerarium de personis ecclesiasticis, quas ut otiosas, avaras, carnales, arrogantes & iniquas proscindunt: liberè illis invident, & nocent ut possunt, si non possunt, saltem exultant, quando per potentiores ipsis insultatur. Aliter affectus fuit B. Franciscus, qui simplices Sacerdotes, multò magis eminentiores, ita suspexit, ut nollet in ipsis considerare peccatum; sed

In testamento.

tantummodo discernere in ipsis Filium Dei, quem ipsi soli consecrant, & aliis administrant. Utque discipulis suis eandem insinuaret reverentiam, dixit aliquando: *Beatus servus, qui portat fidem in Clericis, qui vivunt secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et væ illis qui ipsos despiciunt: licet enim peccatores sint, tamen nullus debet eos judicare, quia ipse solus Dominus reservat sibi eos ad judicandum. Nam quantò major est administratio eorum de corpore & sanguine Domini, tantò majus peccatum habet, qui peccat in ipsos, quàm in alios homines istius mundi.*

Opusc. S. Franc. Tom. 1. c. 25.

Dum Sanctus Pater quandoque perambularet Lombardiam, accessit ad eum quidam hæreticus accusans Sacerdotem. Id ei summoperè displicebat. Quod ut ostenderet, & facto doceret nullatenus tangendum Christum Domini, statim in conspectu hæretici coram Sacerdote genuflectens manum ipsius osculatus est, & sic absque ullo litigio os calumniatoris obstruxit. Nos itaque Franciscani discamus è documentis & exemplis Apostolici Francisci cunctos homines manu ducere ad pedes Prælatorum suorum & ministrorum Dei, & inculcare Apostoli præceptum: *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus*; quantò magis spiritualibus: *non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus.* Subditur reverentiæ remuneratio: *Scientes quod à Domino accipietis hæreditatis retributionem. Domino Christo servite*, in suis ministris. Denique subjungitur irreverentiæ punitio: *Qui enim injuriam facit*, subtrahendo honorem debitum, *recipiet id quod iniquè gessit.* Neque prætendendum temerariè aliquos esse indignos, vel ob generis vilitatem, vel ob ignorantiam, vel ob mores indisciplinatos; *non est enim personarum acceptio apud Deum*, qui vult omnes domesticos & officiales suos honorari.

S. Bernardinus To. 1. Ser. 20. a. 3. c. 3.

Coloss. 3. vers. 23.

Quamvis autem nos Franciscani etiam ecclesiasticæ personæ & sacerdotes simus, non

ſnde nobis eſt ſuperbiendum. Meminerimus evangelici conſilii: *Cùm vocatus fueris, vade,... recumbe in noviſſimo loco.* (Luc. 14. verſ. 10.) Ibi gloriam inveniemus & pacem. Turpiſſimum eſt contendere verbis cum Eccleſiæ miniſtris, velle doctiores apparere, aut confundere eorum ignorantiam, prætendere præcedentiam, ſtare à parte eorum, qui paſtores ſuos peſſumdare conantur, corridere ſcurris ingenioſa ſcommata in eos effutientibus. Accidit aliquando, ut cùm aliqui noſtrum coram hæreticis contemptibiles apparerent, Magnates aliqui & Duces exercituum publicè magnas & inſuetas pauperculis illis reverentias exhiberent: eâ ſolum ratione ut redderent eos ſuſpiciendos, eorumque concionibus adderent auctoritatem. Quidni nos ſimili urbanitate commendabiles reddamus miniſtros Eccleſiæ? Expectabimus forſitan ut ipſi nos honore præveniant; Intolerabilis hic faſtus in Fratre Minore. *Qui aliis libenter honorem impendit*, inquit Royardus, (In Epiſt. Domin. 2. poſt. Epiph.) *probat utique ſe erga illos animo integro eſſe & liberali: ſubmiſſiter & honeſtè de aliis ſentire, de ſe verò ſubmiſsè. Quod qui facit, utique honore dignus eſt coram Deo & hominibus. Contrà verò, qui proximum non honorat, oſtendit ſe erga illum, vel non animo integro eſſe, vel de ſe eximia, de illo exigua ſentire.* Quid verò, ſi inveniantur duræ cervicis Clerici, qui nullâ prece, nullâ arte, ſubjectione nullâ, nullo virtutis ſpecimine, nec vitâ quamtumvis exemplari flecti poſſint, ut permittant ſuis Plebanis cibum ſpiritualem miniſtrari, vel ab eiſdem corporalem accipere: De talibus aliquando Fratres apud Sanctum Patrem conquerebantur. Ipſe autem reſpondit: (Annal. Minor. Tom. 1. an. 1219. num. 27.) *Scitote Fratres quod Deo eſt gratiſſimum animarum lucrum. Hoc conſequi meliùs poſſumus cum pace Clericorum, quam cum diſcordia. Si autem ipſi ſalutem impediunt, Dei eſt ultio, & ipſe retribuet eis in tempore.* (Deut. 32. verſ. 4.) *Ideoque eſtote ſubjecti Prælatis, ne quantum ex vobis eſt zelus malus conſurgat. Si filii pacis fueritis, & Clerum & populum lucrabimini: & hoc acceptabilius Deo erit, quàm populum ſolum, Clero ſcandalizato lucrari. Tegite eorum lapſus, multiplices eorum ſupplete defectus. Et cùm hæc feceritis, humiliores eſtote.*

TEXTVS & §. XI.

Et alii Fratres teneantur Fratri Franciſco obedire.

SVMMARIVM.

Primorum Franciſci ſociorum prompta Obedientia. Fratris Ruffini diabolica tentatio contra Obedientiam. Provinciales aliqui conati excutere Sancti Patris Obedientiam acriter ab eo redarguuntur. F. Helias etiam ei adverſatur. S. Franciſcus deponit Generalatum, & quare? Reaſſumitur Helias miro Dei conſilio.

Nihil minùs cogitabat humilis Franciſcus quàm de titulo fundatoris, & officio Superioris, qui omnibus humiliter ſubeſſe, nemini præeſſe deſiderabat: Deus tamen, qui ita parvum in oculis ſuis elegit ad inſtitutionem tam vaſti Ordinis, eundem voluit eſſe primum illius Rectorem, mandans in principio Regulæ, ut *alii Fratres teneantur Fratri Franciſco obedire.* Ipſe equidem magis faciendo quàm præcipiendo regere ſuos ſatagebat, oſtendens magiſterio vitæ vivendi lineam, habuitque diſcipulos ita promptos, ut Patris exemplum pro mandato ſuſciperent. Prout patuit in Fratre Joanne cognomento Simplice, (Annal. Minor. Tom. 1. an. 1215. num. 7.) qui vitam Franciſci tam ſedulò ſibi velut normam propoſuit ad quam ſuas adæquaret actiones, ut nihil facientem videret præceptorem, quin ſtatim idipſum ipſe faceret. Si ambulabat, ſi orabat, ſi oculos in cœlum, aut brachia in altum elevabat, ſi tuſſiebat, ſi quidpiam aliud agebat, ſecundas hic addebat vices; idque diligenter obſervabat, ut nihil infectum præteriret, quod fieri à ſuo deprehendebat Magiſtro. Adnotavit hæc aliquando Inſtitutor, piumque æmulum leniter corripuit; monens, quibuſdam videri poſſe vanas & geſticulatorias has actiones, atque ex animi levitate procedere. Cui Joannes: *Ego Deo promiſi te ſequi, te imitari, cuncta quæ feceris pro viribus æmulari: parce ergo meæ ſimplicitati & inſcitiæ, quâ te duce non timeo errare. Meæ parum aut nihil fido ruditati: hoc unum ſcio, me nihil ſcire; proinde bonum nactus magiſtrum illud ſolùm efficiam quod te præeuntem, & opere docentem priùs feciſſe conſpexero.*

Generaliùs primorum Sociorum promptiſſimam obedientiam commemorat Seraphicus Bonaventura: *De ſanctiſſimo Patre noſtro legimus*, inquit, *& primis Sociis ejus, quòd non ſolùm ea quæ Beatus Pater eis verbo expreſſit promptè adimplebant, ſed etiam ſi aliquo modo ejus beneplacitum poterant cognoſcere, ſtudioſiſſimè perfecerunt, ſicut ab ipſo didicerant Patre ſancto.* (Lib. de proceſ. Relig. proceſ. 6. cap. 8.) Dura quandoque & in ſpeciem indiſcreta præcipiebat,

cipiebat, nec tamen erat ulla repugnantia. Volens aliquando periculum facere humilitatis & obedientiæ Fratris Massæi, totamcæteris Fratribus ei dixit: Frater Massæe, omnes hi tui Fratres potiorem quàm tu acceperunt à Domino gratiam contemplandi & orandi: proindè ut liberiùs & commodiùs sanctis his exercitiis incumbant, æquum erit, ut tu, qui exterioribus monasteriis officiis aptior es, portæ & culinæ curam agas, & quod his ministeriis aliquando superesse posset temporis, conquirendæ impendas Eleëmosynæ. Id autem præ cæteris curabis, ut advenantes sæculares, Fratres non perturbent, sed ad primum ostii pulsum sollicitus adsis, iisque urbanis satisfacias verbis, ita ut solus omnium excipias negotia, nec opus sit ut quisquam ex Fratribus ad ostium accedat. Abi in pace, & quàm sollicitè vide, ut hæc omnia fiant ad meriti salutaris obedientiam. Ille verò inclinato capite humiliter recessit absque ullo murmure, aut præcepti fermè importabilis excusatione, sed injuncta per plures obivit dies.

Annal. Tom. 1. an 1210. num. 31.

Tanta etiam erat præceptorum Viri Dei efficacia, ut nedum viventes, verùm & mortui eisdem obsequerentur. Mortuo Fratre Petro Cataneo sancti Patris Vicario Generali crebra ad ejus tumulum fiebant miracula: ideoque ad eum catet vatim, ut in rebus miris fit, concurrebant populi, dona ferentes, gratias reportaturi. Oblationes pingues Paupertatem ultra desiderium relevabant, & nimius populi accessus cordis quietem interturbabat. Eò veniens audito de Fratris Petri morte nuntio Franciscus, dissolutam Fratrum recollectionem, turbatum silentium, infirmatamque Paupertatem comperiens, sancto zelo, sed magno ultra humanum in cælestes imperio, stetit supra defuncti sepulchrum, hoc modo præcipiens: Frater Petre, dum vixisti semper & promptè mihi obedieras, neque tardiorem à te modò exigo obedientiam. Nimis molestamur à tui sepulchri veneratoribus, paupertatem enervant, silentium violant, disciplinam relaxant. Præcipio itaque tibi per Obedientiam, ut deinceps cesses à miraculis patrandis. Mirum sanè! obediente Deo voci hominis, ad sancti viri sepulchrum nullum imposterum apparuit miraculum. Imò ut habent chronica M. S. Jornandis in Vaticano numero 1960. quando S. Franciscus jussit aliquanto post tempore ut transferretur corpus ejus, inventus est corpore inversus, genuflexus, & caput vultumque demissum habens in terram ad modum humiliter obsequentis: quasi tanta fuerit vis Obedientiæ, ut etiam jam mortuus, nonnisi flexis genibus & dimisso capite eam auderet excipere. Aureus sanè, beatus & delitiosus erat convictus iste in nascentis Religionis primordiis, dum tutò præcipiebat Francisci simplicitas quidquid profectui & saluti congruum judicabat, & Fratrum promptitudo tam reverenter suscipiebat quasi Angelum audivisset docentem de cœlo. Aurea omnino tempora.

Annal. Tom. 5. an. 1221. num. 3.

Verùm invidus adversarius noster Diabolus, sicut in aliis præcipuis hujus sancti instituti partibus graves obices posuit, sic non prætermisit etiam Obedientiæ insidias struere. Hac enim destructâ sperabat corpus Ordinis protinùs emoriturum: sicut corpus abscisso collo, per quod influxus vitales à capite derivantur, necesse est ut deficiat, & penitùs collabatur. Particulares aliquos Fratres aggressus est, & ex eis selectiorem unum scilicet Fratrem Ruffinum. Huic falsarius iste apparuit quandoque, in forma Crucifixi, dicens ei quasi ex commiserationis affectu: Miser homo cur te affligis tantis abstinentiis sinè fructu? Quid tibi prosunt tot orationes: quandoquidem mundus universus mutare non potest id, quod est ab æterno providentiâ Patris mei ordinatum? & per eam tu non es de numero prædestinatorum sed reproborum. Ideo motus compassione pro eo, quòd tantopere te affligas, volui tibi hac formâ apparere, & certificare de eo quod futurum est, ac monere, ut saltem infernum tuum non incipias durante hac vitâ: neque credas deinceps illi alteri damnato filio Bernardonis, qui in infernum iturus est cum Patre suo, omnes qui eum sequentur se deceptos invenient. His dictis disparuit Princeps tenebrarum, relinquens spiritum Ruffini miserè offuscatum & incredibili affectum tristitiâ. Innotuit Sancto Patri divinâ revelatione hæc dæmonis machinatio, qui videns periculum Fratris Ruffini sibi tantoperè dilecti, Fratrem Massæum misit, qui eum perquireret in monte Subasio (ubi in solitaria cella morabatur) & ad se accerseret. Per quem intellectâ viri Dei legatione, Ruffinus temerè & irreverenter respondit: *Quid mihi & Francisco?* Ex quo inopinato responso advertens Massæus deceptum diabolicâ fraude Ruffinum, multis cœpit ei suadere, ut secum ad sanctum Patrem accederet, ab eo mali medelam accepturus: ac tandem persuasit. Coram Viro Dei consistens Ruffinus, & jam cognoscens artificia diaboli, cœpit multis profusis lachrymis culpam agnoscere de celata tentatione. Cui Franciscus: *Vade fili, confitere, frequenta orationem, & certus esto, quòd hac tentatio se convertet in tantam pacem & jucunditatem spiritualem, sicut cognosces in proximo.* Quibus monitis Sancti Patris obediens Ruffinus effectum illius prædictionis expertus est, ac deinceps in devotione & obedientia erga ipsum ampliùs confirmatus.

Chron. Minor. lib. 1. c. 78.

Generalior & vehementior in Obedientiam insultus fuit ille, quem aliqui Provinciales mediante auctoritate Cardinalis Hugolini attentarunt. Hi cùm non auderent per seipsos aggredi Franciscum, vel non sperarent successum, callidè subornarunt Cardinalem, rogantes eum, quatenus Fratri Francisco velut suo, non illorum nomine persuadere, ut vellet admittere & sequi suorum Fratrum consilia, quorum plures erant doctissimi & universo apti regimini, præsertim cùm ipse vir simplex, & illiteratus, non valeret tantæ multitudini satisfacere, nec per infirmas corporis vires omnia negotia Ordinis expedire. Multa deindè ei suggesserunt de Regulis Sancti Augustini, Benedicti, Basilii & aliorum constitutionibus, quibus adeo vetustate & tantorum Patriarcharum sanctitate commen-

Annal. to. 1. an. 1219. n. 24.

datis

datis securè innitendum dicebant, neque adeò ab eis recedendum, ot novâ & longè diversâ & asperâ nimis Regulâ velimus videri Patribus nostris esse meliores. Arrepta itaque occasione & inito familiari colloquio cum viro Dei, proposuit hæc omnia Cardinalis, tanquam propria boni regiminis arbitria. Quæ tamen non propria, sed ab aliis suggesta per Spiritum intellexit Vir sanctus, exurgensque de loco, ubi cum Cardinali sedebat, manu reverenter apprehensâ eum duxit ad Fratres in Capitulo congregatos ? quibus in spiritûs fervore dixit. *Fratres mei, Fratres mei: Deus vocavit me per viam simplicitatis & humilitatis, ut Crucis sequar stultitiam, & ad ejus gloriam, propriam confusionem & vestræ conscientiæ securitatem, vobis expando quæ ipse mihi ita dixit: Francisce, ego volo te esse novum fatuellum in mundo, qui operibus & verbis stultitiam prædicet Crucis, & te tuosque sequaces ut in me dumtaxat respiciànt, atque absque alio vivendi modo me sequantur. Ipse dignanter & misericorditer mihi ostendit viam pro me & pro illis qui mihi credere voluñt & adhærere. Non est ergo, cur aliam mihi nominetis Regulam, neque Augustini, neque Benedicti, neque aliorum vivendi formam, præter eam, quæ mihi à Domino pro sua benignitate & misericordia desuper est concessa. Nolo itaque contrarius esse voluntati Domini mei, neque per aliam viam vos præire, à qua qui recedunt aliosque avertere curant, vereor ne divinam sentiant ultionem, & cum rubore suo tandem cogantur ad hanc semitam redire.* Convertens se deinde ad Dominum Ostiensem, inquit: *Isti sapientes, quos Dominatio vestra adeo laudat & mihi commendat, vellent suâ humanâ prudentiâ & Deum & Vos decipere; sed verè semetipsos decipiunt, destruere & conculcare volentes ea, quæ per me indignum servum suum loquitur Christus pro ipsorum salute, & totius Ordinis incremento. Neque enim mihi quidquam horum, quæ facio aut dico, attribuo, neque ita mihi fido in Ordinis regimine, quin longâ præmissâ oratione omnia conferam cum supremo hujus Sodalitii Rectore Patre cœlesti. Ipsi verò ad manifestum periculum & damnum animarum suarum sapientiam suam & prudentiam hujus sæculi præferunt Christi voluntati, quam tot signis eis huc usque manifestavit, ut solidaret & perficeret opus suum, quod per me misellum incœpit ad salutem animarum & ædificationem sanctæ Matris Ecclesiæ.* Quibus auditis & secum aliè perpensis Dominus Ostiensis, obstupuit ad igneum hominis fervorem & præsentaneam Spiritûs assistentiam, qui aliorum arcana, & quidquid ad Ordiois regimen spectat ei exiemplò revelabat; conversusque ad Fratres confusos & mente suspensos recedente viro Dei, inquit: *Fratres mei charissimi, ipsi vidistis & audistis quæ per virum hunc Apostolicum Spiritus ipse locutus est. Vacate & attendite vobis, nolite Spiritum hunc contristare, neque ingrati sitis beneficio Dei, quia verè Deus est in isto pauperculo, & per os ejus loquitur potentia sua magnalia. Qui eum audit, non hominem sed Deum audit: & qui spernit eum, Christum spernit. Humiliate itaque corda vestra Deo: & si placere Deo cupitis, huic pauperculo acquiescite & obedite, ne fructum vestræ vocationis amittatis.* Quibus verbis compuncti, & commoti qui contraria ministraverunt consilia, in posterum Viri sancti verbis & nutui humiliter acquieverunt.

Frater tamen Helias turgens spiritu præsumptionis, non potuit proprium flectere judicium, pessumdedit multa quæ Franciscus ordinaverat, fuitque auctor & præsidium aliis similiter contumacibus. Cùm enim anno 1219. Sanctus Pater studio propagandæ fidei abiisset in Syriam & ei commisisset regimen Ordinis, in absentia ipsius multa temerariè mutavit, & relaxavit contra ipsius præcepta, & liberiores reddidit subditos ad obedientiam ipsius similiter contemnendam. Post annum reverso viro Dei, delatæ sunt ad ipsum de Helia ejusque adhærentibus querimoniæ, ita ut coactus fuerit eo amoto curam Ordinis committere Fratri Petro Cataneo, Viro sancto & probato. Et quod dudum cogitaverat perfecit. Deposuit Generalatum in manibus ejus, humiliter in præsentia Fratrum ei Obedientiam promisit, licèt hoc Fratres durè & dolorosè acciperent. Rationes habuit hujus facti sufficientes: quasdam quidem secretas inter ipsum & Deum: alias evidentes, quas data occasionibus Sociis suis manifestavit.

Primò, Cùm positus esset à Deo in exemplum observandæ hujus vocationis, sciretque obedientiam unam esse de difficilioribus & utilioribus partibus hujus status, voluit ad conditionem subditi descendere, in qua ipsi materia obedientiæ abundè suppeteret, & eo modo suâ societate levius redderet jugum pauperculorum subditorum.

Secundò, Nemo ignorat plurima Prælatis, etiam parvis, nonnihil grave & molestum esse, dum à suo sublimiori gradu ad æqualem reliquorum subditorum sortem reducuntur, vel lege ordinariâ, vel per extraordinariam sententiam: speravit se his utcumque solatio futurum, dum viderent ipsum à cacumine Generalatûs descendisse ad conditiooem simplicissimorum laicorum, & se subtraxisse à frigidis istis & miseris reverentiis, quæ solent pueriles & imperfectas animas inflare.

Tertiò, Propositum renuntiandi officio auxit fatigatio continua in curandis rebus externis, aucto jam in immensum subditorum numero, & simul in quibusdam crescente contumaciâ, apud quos nec vitæ exempla, nec verba proficiebant. Non celavit hoc suum consilium uni ex suis simplicioribus & devotis filiis, qui cùm mœrens ipsum interrogaret, cur filios, quos Deo pepererat, tanquam alienos alteri nutriendos commisisset, respondit: *Fili* Opusc. to. 3.
mi, ego Fratres meos quantùm possum dilige, quos Colloq. 13.
ut proprios meos natos indies magis diligerem, si illi Patris, & non aliena proponerent imitanda vestigia. Nec alienos potero judicare, dum illis placuerit me pro Patre suo reputare. Sed sunt quidam de numero Prælatorum, qui dum eis antiquorum exempla proponunt, alia consulunt, & aliò trahunt, mea præcepta floccipendunt & salutaria monita contemnunt. Quæ verò modò faciunt, si bene, si perperam consulant, ipsarum rerum exitus & temporis decursus comprobabit.

Va

Væ tamen illis Prælatis, qui mihi sunt contrarii, quos Dei voluntati repugnare liquido constat, licèt invitus quibusdam condescendam. Dolor mihi est & afflictio magna, Frater, quòd ea quæ per magnum orationis laborem à Domino obtinui, & quæ in magnam totius Religionis & Fratrum præsentium & futurorum utilitatem redundant, quidam ex Superioribus auctoritate sua & mundana scientia providentiâ evertere conantur, dicentes: Ista sunt tenenda; quæ ego contemnenda puto: & quæ servare jubeo tanquam inania & negligenda despiciunt. Hæ rationes, & concurrens simul infirmitas corporalis, justificare potuerunt Sanctum Patrem, ne quis calumniari posset, ipsum defectu zeli aut charitatis hanc curam excussisse. Præsertim cùm Deus ipse factum istud non improbârit. *Ad an. 1221. num. 4.* Cùm enim defunctus esset Frater Petrus Cataneus, & aliquis habenas Ordinis deberet assumere, secretum cum Deo iniit consilium, quis foret substituendus. A quo responsum accepit, Fratrem Heliam reassumendum in Vicarium Generalem, ipsum autem eo onere non gravavit.

Occulta Dei judicia & inscrutabiles vias ejus meritò hoc loco miratur R. admodum Pater Lucas Waddingus egregius Ordinis nostri Chronologus, ut vellet teneræ & succrescenti religioni dari secundò in Prælatum, quem dissolutâ disciplinâ jam primò exuerat regimine, & indignum postea redderet ipsâ societate. Si licèt aliquantulum ingredi in sanctuarium Dei & secreta consiliorum ejus temperanter investigare: Supponendum imprimis, benignissimum Deum virum istum egregiis dotibus cumulasse, quibus si uti voluisset ut oportuit, potuisset Ordini spiritualiter & temporaliter plurimùm honoris & utilitatis afferre: de eo e- *Ad an. 1221. num. 9.* nim scribit idem Waddingus: Magna fecit & gessit, & tantâ sapientiâ præditus fuit, ut ad magna negotia peragenda videretur ab ipsa natura progenitus, neque in Italia pares haberet, obinde Principibus perquam familiaris & charus. Sed prævidebat Deus eum relaxationem Ordinis inducturum; & jam experientia docuerat ad relaxationes propendere, esseque minus sanctum, cùm illo tempore tot in Ordine sancti & zelosi viri florerent. Verum est. *1. Reg. c. 9 & 10.* Attamen & Saulem elegit Dominus in Regem Israël; quem tamen sciebat à sua bonitate in Regno declinaturum. Quis scit an Eliam hunc sanctis & zelosis Patribus præferendo non voluerit docere, sicut non semper doctiores, ita nec sanctiores esse ad Regimen magis idoneos. Cùmque multi ex primariis Ordinis viris in Eliam propenderent; si fortè aliqui ut suæ tepiditatis, laxitatis, humanæque prudentiæ fautorem haberent; is *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, *Job. 34. vers. 30.* secundum eorum adinventiones permisit eis Superiorem eligere, in quo, & cum quo postea confunderentur & humiliarentur. Sanctiores verò & zelosos, qui alium desiderabant, docere voluit zelum temperare, obedire non tantum *S. Francisco & ejus Successoribus* sanctis, bonis & modestis, sed etiam discolis dareque posteris exempla patientiæ & heroicæ obedientiæ inter difficultates & oppressiones malorum Fratrum. Denique docemur non mirari nimiùm aut animum despondere, si aliquando (ut natum est fieri inter homines) minùs boni & zelosi præferantur melioribus: cùm hoc ipsum in aureo florentis Ordinis principio vivente ipso Fundatore Deus permiserit.

Concludamus hunc §. per inobedientiæ punitionem & remunerationem obedientiæ injunctæ Beato Fratri Angelo de Burgo; cui cùm S. Franciscus injunxisset pergere Burgum & nunciare populo; quòd sequenti die eis prædicaret, ob verecundiam & inanes parentum respectus id distulit, utpote nobili familiâ Burgo oriundus. Quamobrem jussus est nudus præceptum implere. Rogantique quid ex hoc meriti haberet, respondit Franciscus; *Securum te facio, quod mecum eris in paradiso, vitamque æternam possidebis.* In cujus signum crucem ipsi in fronte fecit & ipsum osculando subarrhavit. *Annot. Ad an. 1213. num. 26 27. & 28. Martyr. Franc. ad 7. Julii.* Statimque Beatus Angelus summa cum alacritate pœnitentiam aggrediens adimplere (licèt à prima platea revocatus) simplicis obedientiæ exemplum dedit & incitamentum; præsertim cùm postea Guardianus in monte Casalis Sancti Patris consiliis humiliter obediens latrones plures converterit, & tres funiculis charitatis traxerit ad Ordinem Fratrum Minorum, in quo sanctè vixerunt & obierunt. Trahamur nos ejus exemplo ad obediendum S. Francisco, ut ad æterna obedientium præmia cum ipso perveniamus; licèt enim jam Franciscum in persona loquentem non audiamus, ejus tamen sanctissima Regula, ejus Testamentum, quâ ultimam suam voluntatem filiis declaravit (cujus impletionem indignissimum est filios veros negligere) satis magnam obediendi Francisco occasionem & materiam subministrant.

TEXTUS & §. XII.

Et ejus Successoribus obedire.

SUMMARIUM.

Duplex successionis consideratio in Successoribus S. Francisci, potestatis & sanctitatis. Qui conati sunt se subducere à potestate. Qualis debeat esse successio sanctitatis juxta sancti Patris descriptionem.

Sicut Christo ad Patrem ascendente pro conservatione corporis Ecclesiæ & regimine oportuit visibile aliquod caput ipsiusque Vicarium in terris relinqui, ita quandoquidem

Seraphicus Patriarcha Franciscus Ordinem suum fundaverit ad similitudinem Ecclesiæ Catholicæ, per modum perfectæ cujusdam communitatis & corporis Hierarchici, in quo talis esset omnium membrorum inter se unio, ut Fratres particulares suis Guardianis, Guardiani eorumque conventus Ministris Provincialibus, Ministri verò Provinciales cum suis Principiis Generali Ministro tanquam primario totius Ordinis capiti subjicerentur;

Cap. 8 vitæ num. 2. cùmque Francisco per Christum facta sit repromissio, quòd paupercula hæc Religio usque ad diem extremi judicii salva ipsius munere permanebit: necesse fuit ut ipso Fundatore migrante ex hoc mundo ad cœlum aliquis Successor ipsius cum suprema potestate ad Religionis gubernacula relinqueretur. Et ita factum est, ut ab obitu Sancti Patris usque in præsens continuâ serie succedentes sibi Ministros Generales Fratres habuerint, quibus tenerentur ex Regula obedire.

Porrò sicut Sanctus Pater passus est contradictores aliquos (ut superiori §. ostendimus) qui severam nimis & intolerabilem arbitrati fuere ejus Obedientiam; sic etiam aliqui malè feriati Successoribus sese opposuerunt, & conati sunt ab eorum obedientia sese subducere.

Annal. Tom. 3. an. 1328. num. 28. Unus Philippus de Majoricis peregrino spiritu ductus cum duobus sociis suæ vanæ cogitationis & præsumptæ novitatis, quæ secundum divum Bernardum *mater est temeritatis, soror superstitionis & filia levitatis*,

Epist. 174. statuit novum adinvenire genus instituti Franciscani, in quo ipse cum suis sequacibus viveret ab unitate Ordinis & à Ministri Generalis obedientiâ separatus. Pro hoc conceptu stabiliendo supplicem libellum exhibuit Joanni XXII. sed petitio ipsius fuit per Pontificem, præmisso priùs maturo consilio Cardinalium in pleno Consistorio reprobata. Inquietus homo nequaquam contentus tam gravi resolutione, alteram instantiam fecit apud

Ibid. an. 1341. n. 21. Benedictum XII. adhibito intercessore Roberto Siciliæ Rege, de Pontifice & Ecclesiâ optimè merito: cui tamen minimè assentiendum multis rationibus amicè respondit Pontifex, ostenditque speciosam hanc petitionem à turbulento potiùs & seditioso quàm à sedato & pio animo processisse, hominemque ipsum suspectæ fidei reum, non ad perfectionem, sed ad æmolationem & ambitionis gloriam hæc intentasse, nec decere Sedem Apostolicam, quæ Religiones in vinculo pacis & charitatis cupit confovere, occasionem dare calumniæ, quasi Auctor sit dissipationis & discordiæ Ordinis Minorum.

Chron. Minor. p. 3. lib. 7. cap. 26. Similem insaniam somniavit quidam Frater Matthæus, cui cum displicerent omnes expositiones Regulæ & ipsæ Pontificiæ declarationes, Syndicorum usus, & alii probati ac necessarii modi vivendi, apparitionibus dæmonis in proposito confirmabatur. Quibus tandem dementatus ad deserta loca fugit cum aliquot asseclis, cœpitque alium Generalem, Provinciales & Guardianos instituere, proponens sibi mirabilia de seipso. Sed tota hæc tela aranearum facili negotio incisa est per prudentiam Patrum nostræ Religionis, & defecit randem præsumptuosus iste novitatis architectus ad laxiores vivendi modos, & sensit quàm verè sententiatum sit: *Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.* Judith. 6. vers. 15.

Noluit Franciscus eos censeri Fratres sui Ordinis Minorum, qui non essent suis Successoribus subjecti; prout latè quidem & nervosè deduxerunt & probarunt Fratres Conventuales, sed malè & sinè fundamento hunc infamem defectum Fratribus Observantibus impingebant, siquidem in Bulla, *Licèt alias* Leo X. testificatur: *Quod ipsi Fratres de Observantia & Reformati veri & indubitati Fratres Ordinis B. Francisci & ejus Regula* (adeoque & præcepti de obediendo S. Francisci Successoribus) *observatores semper fuerint.* Decrevit autem idem Leo Pontifex per Bullam, *Ite & vos*, ut deinceps Minister Generalis ex solis purè & simpliciter Regulam Observantibus eligeretur, quem & *Ministrum Generalem totius Ordinis* appellavit. Cæteros verò Patres & Fratres, qui nolebant Regulam purè & ad litteram observare, à corpore Ordinis, ex Observantibus constituto, sequestravit in aliud corpus Religionis, sub nomine *Fratrum Minorum Conventualium*, quod à Magistris Generalibus & Provincialibus regeretur, adjudicato sigillo Ordinis Generali Ministro Ordinis Observantium, tanquam legitimo B. Francisci Successori. Vide Rodulph. in Histor. Seraph. f. 192.

Porrò desiderat Sanctus Pater Franciscus Successores habere, non modò successione auctoritatis, sed & religionis ac pietatis; quatenus duplici hac successione tanquam duobus brachiis ædificium ab Ipso constructum sustentetur; spiritum suum duplicem illis exoptat, ut ei succedant in magnis & sanctis desideriis, quibus exarsit anima ejus, sicque per illos Ordo regatur eo spiritu quo fundatus est, ac dilatetur non tam iounli multiplicatione suppositorum, quàm cultu ampliore pietatis. Quod fiet, si Generales Ministri, quemadmodum gradu super alios eminent, sic etiam emineant sapientiâ & pietate. *Bonus animarum rector* (inquit Bonaventura eximius Francisci Successor) *maximè Religiosus inter cætera debet singularibus virtutibus prafulgere: Sicut Isaias scribit Seraphim, quæ sunt præminentiora cælestium Spirituum agmina, sex alis ornata. Et fortasse ideo in tali similitudine Sanctissimo Patri nostro Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit, quando eum sua passionis stigmatibus insignivit, ut ostenderet sic alatos esse debere spiritualiter qui ejus familia præesse deberent.* Hæc sapientissimus ille & sanctissimus Generalis, qui deinde pergit principales Superiorum virtutes sub nomine alarum explicare. Divus etiam Gregorius, dum sibi & suis Successoribus describit regulam Pastoralem, sic agnoscit obligationem ad virtutem eminentiorem. *Qui loci sui necessitate debet summa dicere, hac eâdem necessitate compellitur summa monstrare: Illa namque vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendo adjuvat ut fiat. Hinc enim dicitur*: Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion: *Ut scilicet qui cælesti prædicatione* De sex alis Seraphim. cap. 2. Pastoralis p. 2. cap. 3.

nititur,

Isa. 40. vers. 9. *utitur, ima jam terenorum operum desereas in verum culmine jam stare videatur, tantoque faciliùs subditos ad meliora pertrahat, quantò per vita meritum se supernis clamat: & sicat subditos honore Ordinis superat, ita & morum virtute transcendat.* Ipse etiam Seraphicus Pater sciens quantum positum sit momentum in sanctitate primicetii ad perfectionem Religionis, non contentus fuit sub generalitate terminorum virtuosam vitam ei commendare, sed voluit minutatim singularum virtutum exercitia præcipua exponendo, accuratissimis lineamẽtis Successoris sui veri effigiem depingere. *Dux* (inquiens) Opusc. Tom. 3. Collat. 26. *& pastor familia mea debet esse homo vita gravissima, discretionis magna, fama laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plùs diligit, in toto scandalum generet. Homo qui sancta orationis sit amicus, ita tamen quod certas horas anima sua, certas gregi sibi commisso distribuat. Nam primò manè debet sanctissimum Sacrificium Missa pramittere, & ibidem longa devotione seipsum & gregem divina protectioni affectuosiùs commendare. Post orationem verò seipsum statuat ab omnibus depilandũ, omnibus responsuram, omnibus cum charitate, patientiâ & mansuetudine provisaum. Non debet esse acceptator personarum, ita quod non minùs curet de simplicibus & idiotis, quàm de sapientibus & sapientibus. Cui si donũ scientia est concessũ, tamen plus in moribus pietatis & simplicitatis, patientia & humilitatis imaginẽ ferat. Foveatque virtutes in se & in aliis, atque in practicando eas continuè se exerceat, ad hac alios plùs exemplo quam sermonibus incitando. Sit execrator pecunia, qua nostra professionis & perfectionis est pracipua corruptela: & tanquam caput & exemplar imitandum ab omnibus, nullis unquam loculis abutatur. Sufficiant autem sibi pro se habitus & libellus, pro aliis verò scriptorium & sigillum: non sit aggregator librorum, nec lectioni multùm intentus, ne fortè detrahat officio, quod prarogat studio. Consoletur piè afflictos, cùm sit ultimum remedium tribulatis; ne si apud eum defuerint remedia sanitatis, desperationis morbus pravaleat in infirmis. Ut protervos flectat ad mansuetudinem, seipsum prosternat, & aliquid sui juris relaxet, ut animas Christo lucrifaciat. Ad refugas Ordinis velut ad oves qua perierunt, viscera pietatis expandat, & nunquam misericordiam illis neget, sciens tentationes illas pervalidas, qua ad tantum casum possunt impellere animam; quas si illum permitteret Dominus experiri, fortè in magis pracipitium laberetur. Oportet eum non arridere honoribus, nec favoribus plùs quàm injuriis delectari: ita quòd propter honores non mutentur ejus mores, nisi in melius. Si quando verò propensiori & meliori cibo indiguerit, non in absconso, sed in publico loco assumat, ut aliis tollatur verecundia providendi sibi in infirmitatibus & debilitatibus suis. Ad eum maximè pertinet latentes conscientias distinguere, & ex occultis venis eruere veritatem. Omnes accusationes in principio habeat suspectas, donec veritas ex diligenti examine incipiat apparere. Aures etiam non prabeat multiloquis, & multiloquos in accusationibus specialiter habeat suspectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet esse quod propter cupiditatem retinendi honorem, virilem formam justitia & aquitatis nullatenus inficiat vel relaxet. Ita tamen quòd ex nimio rigore nullius anima occidatur, & ex superflua mansuetudine non nascatur torpor, atque ex laxa indulgentia non proveniat dissolutio disciplina: sicque ab omnibus timeatur, ut ab ipsis timentibus diligatur. Officium autem Prælationis semper putet & sentiat sibi fore potiùs oneri quàm honori.*

Hæc Franciscus de ipsius Ministri persona. Quia verò non satis judicabat spectatæ esse vitæ rectorem, nisi & probi fuerint qui ei circumstant, pergit etiam de sociis ejus disponere. Qui enim in se bonus est Prælatus, sed malos habet socios, similes est ei, qui sano gaudet capite, sed infirmis dolet lateribus juxta divi Bernardi doctrinam, quà dixit juvenem malis addictum comitibus *latere dolere*: nam cùm Epist. 91. lateribus assident mali, ex hac parte perfecta sanitas non est. Ad Religionis quietem & profectum non sufficit æquum & vigilem habere Rectorem, sed etiam oportet ut socios sibi seligat zelo pares & in labore fideles. Aliàs quidquid sanctæ paeis vel boni nominis Religioni suis meritis Rector acquirit, perdit alienis. Ad quod non immeritò applicat S. Ambrosius lib. 4. in Lucam circa finem, quod Lucæ 8. versu 24. navis, in quam Christus & Petrus, bonus utique Ecclesiæ Rector à Deo electus, descenderant, *Operiretur fluctibus: Navis* (inquit) *non turbatur qua Petrum habet* (Lucæ 5. vers. 3.) *turbatur illa qua Judam habet. Et si multa illic discipulorum merita navigabant tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utràque Petrus; sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis.* Non sufficiebat B. Francisco, interdixisse Ministro Generali, ne pecuniam aut necessitati superflua ab ullo reciperet; quin idem etiam sociis interdiceret. Nam videmus aliquando Eliseos, id est integros Prælatos, qui Naamani 4. Reg. 5. vers. 16. munera respuant, ut purè sua exequantur officia; sed habent apud se pueros Giezi, socios videlicet assumont, qui ipsis insciis ea recipiunt, & Superiorum gloriæ maculam inurunt; & quidem majorem, si ea conscíis ipsis recipiantur, & pauperculi nihil quod offerant habentes minùs benevolè tractentur.

Hinc meritò idem B. Franciscus de sociis Tom. 3. Opusc. Collat. 26. Ministri hoc modo ait: *Vellem etiam eum habere socios praditos honestate, rigidos adversus voluptates, fortes in angustiis, & compassivos delinquentibus, habentes aqualem affectionem ad omnes, omnibus convenienter affabiles, & omnes convenientes ad eos cum sancta jucunditate recipientes, nihil de labore suo recipientes nisi puram corporis necessitatem: & nihil appetentes nisi laudẽ Dei.* Denique concludit: *Ecce talis debet esse Generalis Minister, & tales debet habere socios.* Succinctè ibi enarravit omnes conditiones perfectissimi Prælati; sed quæ haud facili negotio in una persona inveniri possint, prout ipse in principio istius collationis profitetur se inter suos talem non invenire. Ideo ut Sancti Patris nostri legitimo Successori conferantur, orandus est Pater luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit. Hujus rei gratiâ flectamus genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi & supplicemus: *Da ei, quasumus Domine, verbo & exemplo quibus praest proficere, ut ad vitam unà cum grege sibi credito perveniat sempiternam.*

CAPUT SECUNDUM.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Provinciales: quibus solummodo, & non aliis, recipiendi Fratres licentia concedatur. Ministri verò diligenter examinent eos de Fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & usque in finem firmiter observare, & uxores non habent, vel si habent, & monasterium jam intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ jam emisso, & illius ætatis sint uxores, quòd non possit de eis oriri suspicio; dicant eis verbum sancti Evangelii, quòd vadant & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres, & eorum Ministri, ne soliciti sint de rebus suis temporalibus: ut liberè faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes: quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas sinè caputio, & cingulum, & bracchas, & caparonem usque ad cingulum; nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad Obedientiam promittentes vitam istam, & Regulam semper observare. Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, juxta mandatum Domini Papæ: quia secundùm sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Et illi qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sinè caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, & possint ea repetiare de saccis, & aliis petiis, cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis, & coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis, sed magis unusquisque judicet, & despiciat semetipsum.

TEXTUS & §. PRIMUS.

Si qui voluerint hanc Vitam accipere.

SUMMARIUM.

Accessus ad Ordinem sit liber & voluntarius. Variis occasionibus Deus utitur. Spiritus malignus aliquando sese miscet. Quibus motivis uti soleat? Etiam *Professi intentionem quâ inducti sunt congruit examinare & recogitare.*

DOminus disponens faciendam oblationem primitiarum ac donorum ad formandum tabernaculum, arcam, mensam & candelabrum cunctaque eò pertinentia, reliquit cujuslibet devotioni conferre in hoc opus, quod placeret, absque ulla coactione. Præcepitque Moyses ut deputati tollerent Primitias *ab omni homine qui offeret ultroneus.* (Exod. 25. vers. 2.) Quod cùm esset publicatum: *Omnes viri & mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt* (Exod. 35. vers. 29.) Ordo noster est velut tabernaculum pretiosum, in quo cogitat Dominus inhabitare. Singuli Fratres sunt velut aurum, gemmæ, byssus, ligna sethim, oleum exquisitum, & prætiosæ materiæ, quibus se vult Dominus singulariùs honorari. Expectat tamen, ut quisque voluntarius & prono animo offerat, oolens aliquem cogere aut cogi ad hoc vitæ genus, quod naturæ corroptæ adeo contrarium videtur. Propter quod ipse Salvator, cùm præjaceret aliquod ipsius fundamentum, usus est modo proponendi non coactivo, sed libero ac indifferenti, dicens: *Qui vult venire post me. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.* (Matth. 16 vers. 24. & 19. vers. 21.) Noluit quemquam cogi, venire aot perfectioois statum amplecti. *Consilia ista* (inquit Divus Augustinus) *à Domino non præcipiuntur, quamvis moneantur offerri: ut tantò intelligantur esse gratiora, quantò magis ostenduntur esse indebita.* (Lib. 1. de Adult. conjug. cap. 14.) Profectò si ad terreoam militiam communiter nonoisi voluotarii colliguntur, quia labores illius graves sunt, & obedientia ibi sub pœna mortis exigitur; quantò minùs ad hanc militiam Spiritualem quis cogendus est, in qua & laborca extraordinarii sunt ad salutem æternam præcisè non necessarii, & obedientia semel jurata, sub pœna exigitur mortis æternæ?

Etsi verò libertas relioquatur omnibus hanc palæstram ingressuris, negari tamen non potest, quin Divina Sapientia *præoccupet qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat.* (Sap. 6. vers. 14.) Nisi enim seipsam priùs manifestaret, ac spe aliquâ & dulcedine mentis alliceret, oon tam ardentes in Candidatis accenderentur voluntates: in iis maximè, qui opibus, florenti ætate, mondanis favoribus, parentum instantiâ, aliisque vinculis retrahuntur ab hac vita, quæ nonoisi rigores, cootemptum, paupertatem ac omnium delectabilium abnegationem indicit. Tantâ vi experimur quosdam urgeri, & tantâ instantiâ urgere admissionem; ut non admitti pro summa reputent infelicitate. Ista est vis divinæ gratiæ, quæ in iis, quos elegit Deus, facit ut velint hanc viam inire. Externæ occasiones sæpe concurrunt, & eis oculos aperiunt; quæ aliquando levissimæ sunt, nihilque in aliis operantur, horum verò corda movent vehementissimè. Frater Joannes Parens quoudam Generalis Ordinis hanc refertur habuisse occasionem mundo valedicendi, & nostris se aggregandi, (Annal. an. 1221. num. 21.) quòd cùm non procul ab urbe Felceunii deambularet, viderit subulcum ad vesperam porcos in antrum cogentē, renitentesque atque hinc inde delabentes hac voce iracundū compulisse: *Porci ingredimini in antrum, sicut Judices causarum intrant in infernum;* Statimque, velut sibi dictum intellexerint, porcorum gregem absque difficultate ulla sub antris se abdidisse. Quo spectaculo, quamvis ludico, ille seriò percussus, & verè commotus, judicaturâ dimissâ venit Florentiam, ubi cùm S. Francisci explorasset virtutes, ei adhæsit, vocato etiam ad Religionem filio, distributis priùs facoltatibus io pauperes.

S. Antonii Patavini ad hunc Ordinem accessus sumpsit occasionem ex Martyrio sanctorum Martyrum Berardi, Petri, Othonis, Accursii & Adiuti; visis enim horum reliquiis, subitò more elephantis (ut habet Vincentius Bellovacensis) ad prælium ex aspectu sanguinis animatus, (Lib. 30. cap. 135.) desiderio Martyrii totus æstuavit. Erat per id tempus haud procul à Conimbria Monasterium io loco, qui S. Antonius dicitur, ubi Fratres erant iostituto & professione Franciscani, qui ex præscripto Regulæ suæ eleëmosynam petituri ad Monasterium Sanctæ Crucis (in quo vir Dei tunc Canonicus Regularis S. Augustini morabatur) sæpe venire solebant. Ad quos pro more suo die quodam visitandi gratiâ clam accedens, inter cætera ait ad illos: *Ordinis vestri habitum, Fratres charissimi, ardenti animo cupio accipere, modò id polliceri velitis, simulatque illum induero, missuros me vos ad regiones Saracenorum, ut cum Sanctis Martyribus merear ego quoque sanguinem fundere, & esse corona illorum particeps.* Acceptatâ per Fratres cooditione, cùm vir Dei abeundi facultatem à suo Superiore multis

præcibus velut extorsisset, habitu donatus, & nostris aggregatus est.

Fratris Alexandri Alensis, eximii in Pariensi Universitate Sacræ Theologiæ Doctoris, conversionem, in hunc modum refert B. Antoninus.

3. Part. *Hist.* tit. 24. c. 8. §. 1.

Conceperat talem devotionem erga Deiparam, ut statuerit, aut etiam voverit, nihil denegare, quod ejus interposito nomine peteretur. Id scitum à quadam venerabili fœmina, dictum item Cisterciensibus, ut propter hanc fidem datam peterent sui vellet fieri instituti. Illis accedentibus ad Magistri ædes, ut rem hanc summe sibi honorificam, ob Virginis Mariæ reverentiam postularent, magna irrepsit oblivio, ut nihil minùs meminerint, quàm hujus. Mulier judicans suam præmonitionem ob contemptum rejectam, Prædicatores adiit, ut suo magno lucro & honori quod Cistercienses neglexerant, efficerent. Illi verò læti abeuntes communem Magistrum salutarunt, & de rebus seriis alloquentes, ut urbanè & quæsitâ opportunitate commodiùs suam petitionem subjungerent, rem distulerunt in colloquii finem, ne præproperè & nimis inconsultò viderentur rem gravissimam proponere. At supervenit quidam ex Minoritis, qui ostiatim panem mendicabat, & quod illi præviâ multâ consideratione explicare statuerunt, hic ex abrupto cælitùs motus rogavit: Reverende, inquit, Magister, magnum & celebre apud omnes pietatis & doctrinæ nomen obtinuisti, & res sæculi tibi satis secundæ. Porrò obsecro te per amorem B. Mariæ Virginis, ut seriò & impensè consideres, utrùm ad æternitatis felicitatem consultiùs tibi sit sæcularem vitam agere, an Christi crucem in pauperculo hoc nostro instituto perferre. Stupefacti sunt Fratres Prædicatores ad præreptam sibi de tanto homine lucrando occasionem. Magister verò primum quidem territus fuit, sed subitò à Deo tactus intrinsecùs, respondit: *Vade Frater: quia statim te sequar, & faciam quod petisti*; & sic sæculum deserens habitum Minorum suscepit.

Similes vocandi rationes, quæ juxta humanam prudentiam possent judicari minùs congruæ & rationabiles, Divina Providentia reputat peropportunas.

Psal. 3. vers. 9. Aug. in Psal. 102.

Domini est salus, & quibus vult mediis, impertit; *Vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis* (hujus exempla vide tom. 1. Annal. Minor. an. 1248. n 8. & sequentibus) *vocat per misericordiam consolationis.* Frequentissimum inter alia allectivum est exemplum insignium aliquarum personarum Christi crucem alacriter amplectentium Sicut enim olim nil ita accendebat ad fidei confessionem quàm aspectus fluentis sanguinis Martyrum; ita & in hoc negotio nihil ita fortiter operatur, quàm exemplum præcurrentium ad mortem spiritualem.

Porrò etsi omnes venientes ad Religionem aliquem sanctum motum in conversione sua præ se ferant, non tamen omnium vocatio à Deo est, sed fatendum est, aliquos sordidâ vel vanâ adduci intentione. Ita ut de confluentibus ad Regulam dici possit id, quod Apostolus dicebat Judæis egressis de Ægypto:

1. Cor. 10. vers. 1.

Nolo vos ignorare Fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt. Latent omnes sub nube nominis & habitûs religiosi. *Omnes mare transierunt*, scilicet difficultates, quæ sese objiciunt relinquentibus mundum. *Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari*, hi baptizati suut efficaciùs per sanctæ Regulæ professionem. *Et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt*; nam aodem pane intellectûs & aquâ sapientiæ salutaris instructi sunt. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, quia non intraverunt in ovile per ostium, quod est Christus & ejus amor; sed aliundè. Ducti sunt in desertum à spiritu malo: unde mirum non est, si in eodem deserto non pugnent & vincant cum Christo, sed potiùs cedant Diaboli tentationibus, si ad persuasionem ejus comedant panem sibi oblatum, sperent regna mundi & vanam gloriam, quæ eis à longè ostenditur & promittitur, si mittant se deorsum ad terrenas vilitates. Descendamus autem in particulari ad dignoscendum pravas talium inventiones.

Matth. c. 4.

Ad Philipp. 3. v. 19

Primò sunt, quos luget Apostolus, quorum Deus venter est, qui ventrem colunt super omnia, & ad cultum ventris omnia referunt. Isti sunt, qui cùm miseri & pauperes sint in sæculo, & simul pigri ad laborandum, cogitant nullibi commodius & securiùs invenire necessaria ad vitam corporalem, quàm in Religione. Istorum sordida est intentio & *vita nequam hospitandi de domo in domum.*

Eccl. 29. vers. 31.

Et experientiâ compertum est talium ingluviei sæpe difficiliùs satisfieri, quàm adolescentum quondam opulentorum necessitatibus. Ad quod facit historia, quæ nostro tempore contigit in Conventu Fratrum Minorum Lovanii. Recepti duo illic & vestiti: quorum alter primariæ nobilitatis stupebat & quodammodo conquerebatur tam amplè à Deo pauperum Fratrum necessitatibus provideri. Alter, qui vix mendicando panem sibi necessarium conquisiverat, conquerebatur de pauperibus communitatis portionibus: unde meritò ut suspectus de intentione non bonâ, remissus est ad sæculum. Si qui autem ad tempus dissimulent & profiteantur, scire debent, tales se verorum pauperum panem non gratis manducare, sed in rationibus reddendis graviter confundendos, quòd ea temporalia, quæ Dominus servis suis piè providit, ipsi simul rapiant ad serviendum soli ventri, cum interim de cultu Dei minimè sollicitti cum tædio Divinis intersint.

Secundò, alios digito ostendit S. Antonius Paduanus dicens:

Sermone in Sexag.

In foro communi tanquam apothecarii sophisticas species falsi Religiosi venditant: super habitu enim Religionis & umbrâ falsi nominis laudari appetunt. Quoddam enim personale figmentum perfectionis apud homines induunt. Sancti videri volunt; sed esse nolunt. Verè insani & infelices, qui horteum Religionis intrare intendunt, non ut tritico pascantur, sed ut paleas colligant, quibus comburantur. Cùm enim magna opera piorum Fratrum, generosus contemptus mundi, sancta conver-

ſatio, & ipſius Regulæ illuſtris ſama admirationem, & reverentiam & amorem erga Religioſos excitent apud Catholicum populum, bene ſapit mundanis quibuſdam gloriolis iſta: quam quia non ſatis aſſequi poſſunt in ſtatu ſuo ſæculari, habitum ſanctitatis ambiunt, ut ſub eo, & per eum venari poſſint levem iſtum fumum, quo ſuam paſcant ambitionem. Nihil minùs cogitant, quàm de deponendo veteri homine, diſcunt tantummodo componere externos geſtus, vocem, vultum, veſtes & mores ad formam ſanctitatis, ut credantur eſſe, quales non ſunt. Hos ſtatim à profeſſione piget domi remanere, & non videri, quia tota eorum felicitas, poſſe reverentiis communibus frui, & virtutis aliquod ſpecimen oſtentare. Væ inſelici Ordini, qui talibus hypocritis ſcatet: & duplex væ, ſi à talibus regatur.

Tertiò, alii pueriliter alliciuntur ex aliquo carnali affectu ſuorum fratrum vel cognatorum, quos habent in Ordine, ſperantes contubernium eorum, & non attendentes onera, quæ ſunt ſubeunda. Hi tandem propriis cognatis fiunt oneroſi, dum non poſſunt eis ad ſatietatem ſatisfacere ad conſolandum, ad confabulandum, ad protegendum, contra correptiones Superiorum, & recreandum puſillanimes iſtos pueros: atque ita luunt ſtul-

Abacuc 2. verſ. 12.

titiam ſuam, qui eos allexerunt. *Væ*, inquit Propheta, *qui ædificat civitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Quâ ſententiâ

Orat. Relig. cap. 7.

involvi aſſerit noſter Guevara eos, qui parentibus & amicis Eccleſiæ plantarium replens, noxiis plerumque & inutilibus.

Quartò, aliquibus dictum putamus illud

Iſa. 33. verſ. 11.

Iſaiæ: *Concipietis ardorem, parietis ſtipulam, ſpiritus veſter ut ignis vorabit vos*: qui ſcilicet vehementi aliquâ impatientiâ, ob res pro voto non ſuccedentes, quaſi deſperabundi in hujus vitæ anguſtias ſeſe præcipitare cogitant. Si ſolum à prædominante ſpiritu indignationis hæc ſuſcitatur cogitatio, nec ulteriùs ſe porrigit, ſicut radix converſionis amara fuit, ita & fructus omnes conſequentes & reliquum vitæ nonniſi amaritudo, impatientia, & perturbatio eſt. Hos ſimiles dixerim (licèt non in eodem gradu) inſanis illis, qui ſibi manus injiciunt, ut finem inveniant gravibus mœroribus ſuis, quo medio in multò deteriores prolabuntur. Frequenter tamen ſimili occaſione utitur Deus, ut ablactet electos ſuos à mundo per experientiam infidelitatis ipſius, qui aliàs difficulter potuiſſent avelli: & tunc ſimul magnos infundit reſolutiones, relictis temporalibus ſe toto animo addicendi æternis. Sic contigit B. Thomæ

Annal. an. 1447. num. 81.

Florentino. Hic effrænem tranſegit juventutem, eoſque habuit ſocios, qui malis omnibus implicarent. Ad facinora quæque audacem ducebat adoleſcentulum frequenter quidam heros ad diverticula nocturna & opera tenebrarum, quibus ineſſe ſolet plùs periculi, quàm delectamenti, ut ille probavit vulneribus ſæpe acceptis & inflictis, vitâque in extremum diſcrimen redactâ. Quo id lucro, caſus docuit paulò poſt ſecutus. Cauſam dicturus cujuſdam criminis, falsò tamen objecti ad heroem abiit, ut judicem redderet propitium. Verùm ille non ſolùm renuit, ſed & in platea loquentem indignanter rejecit, verecundatus in aliorum conſpectu vilem & facinoroſum hominem ad colloquium admittere. Turbatus & fremens Thomas, Hæccine, inquit, merces vitæ pro te toties periclitantis? Hoc ſervati corporis præmium? Et nocturnæ cuſtodiæ diurna gratitudo? Alii deinceps ſerviendum eſt, qui laboribus certiora ſtatuat præmia, & meritis munera digniora. Liberatus ab objecto crimine cœpit meliora cogitare, ac virtute & bonâ fama Minorum, qui in Conventu Feſulano ſub arctiori inſtituto vivebant, allectus, decrevit hoc vitæ genus amplecti; & tandem ſuis alieniſque precibus obtinuit, ut in eorumdem admitteretur conſortium. Hanc verò vocationem à Deo fuiſſe docuit effectus ſubſequentis perfectiſſimæ converſationis. Sicut etiam defectus ſinceræ intentionis dijudicari poteſt ex prava ſubſequenti vita eorum, qui carnis vel Diaboli conſilio mundum deſerunt. His timendum ab illo comminatorio verbo Domini apud Iſaiam.

Iſaiæ 30.

Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium & non ex me; & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum. Alii nullis moventur rationibus; ſed velut ſtupida animalia ſolo parentum impulſu & quaſi mandato accedunt, vel ſaltem quia ſciunt hoc parentibus placiturum. Magna temeritas, ne dicam crudelitas parentum eſt, ſic adigere filios in pedicas inextricabiles, & in vortices perennium triſtitiarum, cum periculo tranſgreſſionis regularum vel deſperationis. Pueri etiam iſti vilis animi ſunt, qui ut liberentur à vexis paternis, ſalvare ſe putant in his domibus, quæ vertuntur eis in perpetuos carceres, paternis multò amariores. Experiuntur ſuo malo, quòd *qui ti-*

Joh. 6. verſ. 16.

ment pruinam, irruet ſuper eos nix. Sed neque tuta omninò ſunt in hoc negotio conſilia eorū parentum, qui boni ſunt & timentes Deum, & filiis ſuis benè conſultum volunt. Suſpecti ſunt ipſorum affectus, & ex affectibus prodeuntia conſilia: vel non ſatis penetrant intimos animæ receſſus; qui niſi exploratiſſimi ſint, nullum de ſeligendo ſtatu conſilium deliberantibus dare ſufficiunt. *Cum viro ir-*

Eccl. 37. verſ. 12.

religioſo, inquit Sapiens, *tracta de ſanctitate, & cum injuſto de juſtitia, & cum muliere de ea qua æmulatur: cum timido de bello: cum negotiatore de trajectione: cum emptore de venditione: cum viro livido de gratiis agendis: cum impio de pietate; cum inhoneſto de honeſtate, &c.* Ac tandem concludit: *Non attendas his in omni conſilio.* Prudentiùs igitur examinanda & dirigenda eſt voluntas iſta magna, à qua dependet momentum pacis internæ præſentis, & æternæ ſalutis futuræ.

Nos quoque ſemitam Religionis jam ingreſſi revocemus ſubindè ad trutinam primas noſtras inſpirationes & intentiones, ne fortaſſis à prava radice pullularint, vel ab aliquo verme incidentalis motivi vitiatæ fuerint. Si quid ab initio in illis non rectum fuerit, emendari poteſt. Si verò ab initio oculus intentionis ſimplex & rectus fuerit, cum frequenter in animum revocemus, & magno deſiderio

conten-

contendamus ad pristini fervoris redire pri-
mordia. Abbas Sisnis illum versiculum Psal-
Apud Guevar. in Prolog. Oratorii Relig. mi: *Reliquiæ cogitationis diem festum agant tibi*,
exponebat hoc modo: *Tunc nos Religiosi offe-
rimus Deo reliquias nostra cogitationis, dum re-
cordamur magnorum propositorum, quæ attulimus
venientes ad Ordinem, & meminimus istius pro-
fessionis, quam emisimus in manibus Prælati, fo-
ventes continuò primum fervorem & devotionem.*
Quæ quia frequenter evanescit, frequenter
in mentem revocanda est, tanquam præclaris-
simum vitæ nostræ directorium. Ista est stella,
quæ nobis illuxit in oriente nostræ conversio-
nis, & perduxit adorare Dominum in sancto
stabulo paupertatis. Illud est semen divi-
num, quod quamdiu in nobis manet, facit
ut non peccemus. Illud est speculum, in quo
consideramus vultum nativitatis nostræ reli-
giosæ, vultum tunc gratiosum & Deo amabi-
lem; in quo deprehendimus maculas adven-
titias, quibus fœdatur innocentia prima, do-
cetur quid in posterum cavendum vel prose-
quendum sit. Ne simus de leviculis istis, qui
comparantur viro *considerantì vultum nativita-* Jacobi 1. vers. 23.
*tis suæ in speculo, qui consideravit se & abiit, &
statim oblitus est qualis fuerit.*

TEXTVS & § II.

Et venerint ad Fratres nostros.

SVMMARIVM.

*Qualiter à Fratribus recipiendi, & de quibus instruendi sint Can-
didati? à quibus utrique cavere debent.*

REfert Evangelica Historia, quòd qui-
dam Gentiles ex his, qui ascenderant,
ut adorarent in die festo, accesserunt ad Phi-
lippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & roga-
Joan. 12. vers. 20. bant eum dicentes: *Domine, volumus Jesum
videre.* Venit Philippus & dicit Andreæ. An-
dreas rursùm & Philippus dixerunt Jesu. Qua
occasione Dominus Jesu instillavit eis salu-
berrimam doctrinam de *grano frumenti, quod
si cadens in terram mortuum fuerit, multum fru-
ctum adfert*, & quòd *qui odit animam suam
in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*
vers. 26. Conclusitque finaliter: *Si quis mihi ministrat
me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister
meus erit.* Multi his temporibus veniunt fre-
quenter ad Fratres nostros, cum pio deside-
rio dicentes: *Domine, volumus JEsum videre.*
Volumus relinquere mundum, & amplecti
Religionem. Tales fugientes à vanitatibus
sæculi, in quocumque Conventu venerint ad
nos, suscipiendi sunt in visceribus charitatis
cum pia congratulatione tanquam naufragi,
Religionis nostræ navi adnatantes, ut in ea
salventur: tanquam viatores fugientes ab in-
sequentibus latronibus & hostibus, ut in arce
nostra tuti delitescant. Bonarum exhortatio-
num subsidio sunt in pio proposito confir-
Isa 21. mandi. *Occurrentes sitienti*, inquit Prophe-
vers. 14. ta, *ferte aquam, qui habitatis terram Austri,
cum panibus occurrite fugienti. A facie enim
gladiorum fugerunt, à facie gladii imminentis,
à facie arcus extenti, à facie gravis prælii.* Ex-
emplo Apostolorum Philippi & Andre addu-
cere eos debemus ad Jesum, & ex illo fonte
misericordiæ potare aquis sapientiæ salutaris,
de amplectendâ mortificatione, de odien-
do in hoc mundo animam suam, de sequen-
do Christum quocumque ierit, & usque ad
crucem & crucifixionem. His documentis irri-
gare debemus novellas istas plantationes. Cru-
delitas foret, non compati fugientibus, non
dignari eos uno aspectu aut verbo consolato-
rio, nec exhibere charitatem, quam existi-
mant apud nos eminere. Cavendum nobis ab
ea sententia terribili, quæ in Deuteronomio
fertur contra Ammonitas & Moabitas: *Non in-
trabunt Ecclesiam Domini in æternum, quia nolue-* Deut. 23. vers. 3.
*runt vobis occurrere cum pane & aqua in via,
quando egressi estis de Ægypto.* Habuerunt
quidem in more positum aliqui ex antiquis
severioribus Patribus, non statim admittere
venientes, sed contemptibiliter præ foribus
relinquere, & asperiùs lacessere ad proban-
dam conversionis veritatem. Prudenter & cum
fructu id agebant, ut eo modo delectum
facerent verè amantium religiosam vitam, &
verò si puellæ aliquæ ad familiaritatem à pro-
cis expetitæ eos relinquunt foris velut canes,
quasi ne uno quidem verbo digni essent, quo-
rum tamen instantia ita pertinax est, ut non
ideirco abeant, nec se imposterum absenteot;
sed potiùs ad novas artes placendi amasiis
anxiè convertantur: cur similiter non proben-
tur qui petunt ad perpetuum religiosorum ad-
mitti convictum, & de quibus suspicio esse
possit, eos nondum satis solido hujus vitæ a-
more succensos esse. Hæc tamen probationis
forma pertinet ad eos, quorum conscientia in
absoluta admissione gravatur. Fratres verò,
ad quos primùm veniunt isti canditati, su-
spensum de iis teneant judicium, sperantes-
que eos verè à Christo vocatos ad militiam su-
am, studeant eos charitatis officiis ante om-
nia confovere.

Primò, doceant eos quanti æstimandum sit
vocationis istius beneficium, & quàm glo-
riosa hæc Dei servitus: quàm pius, beneficus
& gratus sit iste Dominus, & quàm amoro-
so corde suscipiat servitium sibi impensum,
præsertim in excellentioribus & religiosis ex-
ercitiis. Secundò, disquirant per diversas
interrogationes indirectas, num hæc vocatio
sit

sit à Deo, ne fortassis malum pro bono accipientes, semetipsos & illos decipiant instruantque candidatos ut seipsos examinent, num aliquaca rationibus moveantur, quibus spiritus solet allicere corda. Nempe ut serviant Deo perfectiùs, quàm in mundo per opera in hoc Instituto ordinata: ut evitent continua & gravia pericula, quibus scatet mundus, & à quibus meritò sibi timuerunt, qui fortiores & sapientiores videbantur, & fugâ sibi consuluerunt ad assecurandam salutem suarum animarum, nec erubuerunt esse de plebe ista

Prov. 30. vers. 26. invalida, de qua Sapiens: *Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum.* In petra alta & secura statûs Religiosi. Item alii moventur ad castiganda hic prioris vitæ delicta in cruce cum Christo usque ad mortem. Alii trahuntur variis affectibus & amoribus virtutum, quas in Ordine sperant liberiùs exercere, puta devotionis, obedientiæ, zeli animarum, paupertatis, austeritatis, castitatis, silentii, charitatis & similium. Tertiò, Proponenda eis, quæ §. præcedenti explicata sunt prava motiva, si fortassis aliquo horum non stimulentur: vel saltem carnale quidpiam spectent præter Deum & puram animæ suæ salutem. Si quid sinistri renuntiet conscientia, ponderandum in sinceritate, num hoc motivum sit principale: quod si ita est, malum est desiderium & comprimendum. Si tantummodo paleæ istæ incidentes & admistæ sint, non idcirco statim damnandum pium propositum propter adventitios aliquos pueriles respectus. Difficile est animabus adhuc sæculo immersis ità purè omnem cavere sæcularem respectum, ut nihil penitùs adhæreseat. Dummodo principalis & imperatrix intentio sancta sit, facilè post adeptum hunc statum exsufflabunt pulveres istos melioribus instructi consiliis, vel ipsa stultitia ad nuvam lucem deprehensa per seipsam evanescet & contemnetur:

Psal. 18. vers. 3. *Nox enim nocti indicat scientiam*, dum quod antea veluti tenebris obvolutum non videbatur, tempore quietis, sedatis curis & cogitationibus incipit agnosci & prudentiùs disponi. Quartò, Quia in his frequenter humana caligat prudentia, doceantur longis & ferventibus orationibus instare, ut non permittat eos Deus in tanto errare negotio;

Jacob 1. vers. 5. juxta illud S. Jacobi: *Si vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Quintò, Si Religiosum aliquem intelligentem & ad omnes Ordines indifferentem, habeant Confessarium, cui totum cor suum credere audeant, moneantur explicare omnes suos motus internos & rationes eorum. Judicet ipse de eorum idoneitate & inspirationum & vocationis qualitate: indifferens enim Confessarius, utpote plenius informatus potest meliùs judicare. Delectus tamen habendus est in consiliariis, & maximè ab iis cavendum, qui sapientes videri volunt, sed temerarii & affectibus quibusdam præoccupati sunt: qui etsi verum & rectum videant, nolunt tamen illud edicere; & plùs vocationi divinæ obsistunt, quàm ipsimet sæculares, dum vel ad proprium Institutum pellicere conantur simplices, quò non vocat Deus, vel deterrent eos ab Ordine, quem consiliarii isti non amant; sed contemnunt. Sextò, Doceantur sagaciter attendere, quid in hoc Ordine maximè admirentur, & ament plùs, quàm in alio: an virtus aliqua singularis, aut exercitium, per quod sperât se infallibiliter placituros Deo, & acquisituros regnum cœlorum. Quòd si fortassis ea perfectio, quam sibi imaginantur simplices isti, non est præsentibus temporibus ita in usu, sicut credunt, non ideo abstrahendi sunt. Quis enim scit, si Deus has animas non præparat ad eam perfectionem post aliquos annos in Ordine restituendam? Pergent fortè constanter in primitùs concepta virtute, & tandem in eis complebitur, quod de Joseph

scriptum est: *Eloquium Domini inflamavit eum &c. ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, senes ejus prudentiam doceret.* Benedictio Psal. 104. vers. 19.
Ordinis est tales suspicere & fovere, qui senescentem suscitent pietatem. Septimò, Denique optent & suadeant cum Apostolo istis

electis: *Deus aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum.* Ad Heb. 13. vers. 21.
Opera bona verò ad tyrones aptandos idonea sunt exercitationes aliquæ religiosæ, quæ compatibiles sunt cum statu sæculari, assumptæ secretò. A levioribus enim velitationibus conjicere licebit, quid poterunt in gravioribus præliis. Nunquam eis deerunt parvæ materiæ patientiæ, abnegationis propriæ voluntatis, sobrietatis & charitatis; possunt se à vanitatibus, multiloquio & levibus riis abstrahere. A gustu horum præludiorum judicare poterunt de futuris, sensimque animum induent generosum. Singulariter autem monendi sunt, ne scintillam istam suæ devotionis obruant & extinguant peccatis gravioribus, vanitatibus mundanis, societatibus noxiis. Non desunt tentationes exsurgentibus plantis, quas nititur Adversarius initio, antequam in arbores convalescant, convellere. Per levitates, convivia, lusus, & peccata communia sic adducit incautos, ut Deo displicere incipiant, pietatis obliviscantur, & se ulterioribus gratiis præbeant indignos, & priorem penitùs amittant.

Plangendus est abusus quorundam vocatorum ad Religionem, qui ut mundo valedicant, pro ultima vice semel cum sociis antiquis in effrænes sese dissolutiones effundunt, inebriant, & ineptas committunt insolentias, quasi stultitia præparatio sit ad sapientiam & intemperantia ad pœnitentiam. Existimant isti gloriam esse, ostentare mundi derelictionem, & quasi tubâ factum suum publicare: nec animadvertunt se adhuc esse de vilissimus mundi mancipiis, & adhuc apud se in summo prætio esse vanitatem. Talem gloriosum

humilis Franciscus quandoque egregiè confudit. Adolescens erat nobilis, dives & doctus, qui petiturus admitti ad Seraphicam Religionem, Assisium se contulit. Familiares Annal. an. 1212. num. 56.
quosdam & parentes convocavit, ut comitarentur in via, & magnam duxit secum turbam satellitum. Secutus est etiam rogatus nobilium cognatorum ex Fratribus unus, ut prospe-

rum faceret desiderium ejus; qui postquam ad S. Patrem accessit, eumque ad ostiolum cœnobii deduxit, ut Nobiles Viros salutaret & exciperet: statim ut vidit tantum fastum & pomposum comitatum, interrogavit: Qui sunt isti Domini, aut quid volunt? Cui Frater hilari vultu, quasi magnam & gratam offerret Viro Sancto prædam: Pater, inquit, hic est ex nobilissimis Mediolanensibus adolescens eruditus & dives, qui vester cupit esse discipulus. Subridens S. Pater: Frater mi, inquit coram omnibus, non videtur mihi bonus pro nostro societate: ad pauperem enim Religionem nimio cum fastu, elati animi signo, venire, mihi indicat non contempsisse perfectè amorem sæculi, nec ei velle perfectè valedicere. Consulam nac de re nostros consodales. Convocatis igitur in unum, & re omnibus proposita, ipso adolescente coram posito, singulos interrogavit, an admitti deberet? Quibus sigillatim dicentibus: Nequaquam, quia adhuc radicatam in eo conspiciebant vanam gloriam & pompam mundanam, obstupuit, toroque palluit ore adolescens, & in compunctionis lachrymas erupit. Quem ut vidit ore mutatum & corde compunctum, ei compatiens Benignus Pater, denuò interrogavit; Vultis eum recipere Fratres mei, si velit humiliter servire in culina, & noster esse coquus, quo ministerio, sæculi abnegabit vanitatem? Responderunt, sibi hac lege placere. Conversus ad Juvenem, inquit: Audisti quid bi dicunt? Complebis hoc pactum? Illo provoluto ad Sancti Viri pedes, asserenteque se paratum ad omnia, quæ sibi placuerit Imperare: amplexus est eum & deosculatus, dimissisque comitibus & satellitibus, quibus omnem pecuniam & supellectilem tradi præcepit, misit novum tyronem, ut Fratribus serviret in culina. Quod humiliter, cum magno sui ac Fratrum solatio fecit, & deinceps inter vilia humilitatis officia ingenti resplenduit vitæ sanctimonia.

Major esset abusus ipsorum Religiosorũ, si cùm ad illos venerint innocentes illi Tyrones, ostendant se coram eis leves, liberos nimiùm, ridiculos & malè moratos. Ex hoc enim vel mitantur mores illos non respondere magnæ opinioni antè de ipsis conceptæ, sicque modestè sese ad sua recipiunt. Vel si remanent & habitum suscipiunt, ostendunt se esse pueros sinè intellectu, vel leves, & ad tales ineptias inclinatos, ac postea similes illis Fratribus evadunt. Sicque Fratrum imprudentiâ in ipso primo ingressu semina bonorum & magnorum propositorum in illis suffocantur. Caveant hujusmodi, ne in caput illorum vibretur illud fulmen Christi: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ plùs quàm vos.* Matth. 23. vers. 15. Idem est judicium de illis, qui novellos istos lautis mensis recreant, omniaque meliùs ad carnis commoditatem ministrant, quàm in sæculo. Unde fit, ut adolescentes, qui sapiunt & verè ad faciendam pœnitentiam venerunt, videant se deceptos, ac saltem putent ita semper cum eis agendum, & sic ab Ordine saltem isto avertantur; vel talibus lautitiis & commoditatibus coervati, discant potiùs quæ corruptæ naturæ, quàm quæ Deo grata sunt & animæ proficua quærere.

TEXTUS & S. III.

Mittant eos ad suos Ministros Provinciales.

SUMMARIUM.

Obligantur Fratres in bonum Ordinis super inidoneitate ad se venientium aliqualiter inquirere, ac Ministros monere. Peccant graviter commendantes inidoneos; Idoneos avertentes, Peccatores, simplices & rudes, nullam callentes artem non ob hoc inidonei statim censendi.

PRudentissimus F. Christophorus de Varisio ex quatuor malis afferebat Religioni certam imminere ruinam. Ex indifferenti & indiscreta Novitiorum receptione, & retentione minùs idoneorum in fine probationis. Ex Magistrorum imperitia, qui Tyrones educare nesciunt in simplicitate, puritate & humilitate. Ex paupertatis contemptu, & curiosis structuris, dum rafectoria Ecclesiis, & cœnobia palatiis possunt comparari. Demum ex remisso rigore justitiæ & disciplinæ. Contra primum malum disposuit S. Pater, ut Fratres, ad quos venerint recipiendi, *mittant eos ad suos Ministros Provinciales.* Contra quod præceptum graviter peccare possunt, si idoneos in primo accessu repellant, temerè usurpantes judicium, quod supra se est. Debent etiam, antequam mittant eos ad Ministros Provinciales, à familiatioribus amicis cautè disquirere de malis & bonis conditionibus prætendentis: Ut, quod non potest commodè Provincialis, ipsi qui fortè parentelæ, patriæ, & locorum habitationis illorum notitiam habent, aut habere facilè possunt, ad examen securiùs

Annal. Tom. 7. an. 1491. num. 5.

securiùs eos intruere possint. Quòd si impedimentum aliquod perspectum habeant, præinstruant de illo candidatum; alioquin & in ipsummet injuriam committent, permittendo eum assumere onus importabile, sese illaqueare obligationibus insolubilibus, & conquirere sibi angustias amaras, dum deprehenso impedimento cogetur abire. Satiùs est non ingredi ad nuptias absque veste nuptiali, quàm post ingressum ejici cum fletu in tenebras exteriores. Quòd si tamen monitus velit pertinaciter urgere admissionem, informandi erunt illi, ad quos admissio pertinet, ne circumveniantur.

Hujus obligationis quidam ità obliviscuntur, ut non solùm abscondant vitia sollicitantis, sed & litteras dent commendatitias ad Provincialem. Putant fortassis lucrum esse istius animæ, quam in mille errores & salutis pericula deducunt ex indiscreta misericordia. Caveant ne caro & sanguis colludant in præsentatione consanguineorum: ne muneribus & beneficiis prætendentium vel parentum excæcati & (ut existimant) obligati velint etiam Superioribus oculos obligare, ne inidoneos discernant. Sint divites, sint nobiles, sint docti: Quid ad rem? si spiritum non habeant: Nunquid prodigitur & perditur quies & decus sanctæ hujus societatis per intrusionem inutilium personarum, & obvelantur injustè oculi admittentium, ut eas intrare permittant? Quicumque miserint ad Ministrum, quos sciunt esse vitiatos, cogitent sibi dici, quod irreligiosis istis Judæis, qui vitiatas hostias offerebant, & altare Domini despicie-
Malach. 1. vers. 8. bant, improperat Deus per Malachiam: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Et tandem: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra.* Pudendum est malis artibus adeò imperfectas personas aliquando Deo & Religionibus obtrudi, quas Domini Sæculares verecundarentur in suum servitium aut domum admittere. Adeoque injustè etiam agunt sæculares, qui aliquando etiam volunt amici haberi, qui Superiores tergiversantes urgent ad receptionem suis importunis commendationibus.

Contrario errore, eoque non minùs gravi peccatur à Fratribus, quos primùm conversi isti conveniunt, si nimium creduli suspicionibus suis, aut malè fundatis relationibus; vel pravo aliquo affectu sauciati, temerè cursum divinæ vocationis impediant, probos & idoneos adolescentes deterreant, & dissuadeant, ne ad Provincialem accedant: vel ipsum Superiorem ab eis avertant, & nescio quibus criminationibus ac vituperiis audientiam ipsis intercludunt. Si malitiosè id faciant, non evadent istud *Væ*, quod exiit ab ore Domini:
Matth. 23. vers. 13. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Deus vocat, & illi repellunt venientes, & obicem malignè objiciunt. Quid est hoc, nisi officium Diaboli exercere, qui coram throno Dei agit malignum accusatorem Fratrum? Diotrephen sugillat S. Joannes, quia ipse in- 3. Epist. Joan. 10.
ter alia neque suscipiebat Fratres, & eos qui suscipiebant, prohibebat. Quod licèt de inhospitalitate communiter intelligatur; quadrat tamen amaris istis hominibus, qui impediunt cupientes sese in hoc asylo salvare, & fugant indignis modis.

Nec valet aliquorum prætextus quòd prætendentes Ordinem fuerint in sæculo peccatores; quos dedeceat in honoratum Ordinem admittere: similem namque zelum habebat Pharisæus iste, qui putabat periculum imminere famæ Salvatoris, quòd permitteret sibi à pœnitente Magdalena pedes tangi & rigari lachrymis. Eodem zelo fervebant, qui discipulos interrogabant, quare cum publicanis & peccatoribus manducaret: & quia murmurabant quòd ad hominem peccatorem divertisset; si Magdalena pedibus Pharisæi illius provoluta tentasset eos osculari, faciem ejus impetiisset, & à se protrusisset. Si etiam Zachæus ad Pharisæos aliquos ingredi cœpisset, Certè protinùs ei fores occlusissent, & emissis in eum canibus procul abegissent. Nihilo meliùs agunt illi, qui quasi ex prudenti zelo fores occludunt peccatoribus convertentibus se ad pœnitentiam. Non talis est spiritus mitissimi Domini Jesu, sed sicut fuit de ipso prædictum:
Isa. 42. vers. 2. *Non accipiet personam, nec audietur vox ejus foris, Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, &c.* Facto ostendit
vers. 7. se eum esse, qui promissus erat dandus *in fœdus populi, in lucem gentium: ut aperiret oculos cæcorum, & educeret de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentes in tenebris.*

Ejusdem spiritûs esse & Fratres suos debere ostendit S. Franciscus, quando ipsi transeunti aliquando per Conventum Montis Casalis, narravit loci Guardianus (erat is Ange- Annal. an. 1219. num. 27.
lus de Burgo, cujus obedientia ante commendata est) tres insignes in illis montibus prædones plura mala viatoribus inferre, & à Cœnobiarchis quotidiè mendicatum panem extorquere, seque nescire, quâ ratione illorum extorsionibus possit mederi. Cui Sanctus Vir: si, quæ dixero tibi, peregeris, confido in Domino, quòd illorum animas lucraberis. Optimum quem habes panem & vinum defer eis in montem, & stratâ mappâ in terra invita Fratres latrones mansuetis & placidis verbis ad edendum. Quod dum fecerint, suaviter spiritualia verba tu cum socio tuo proponite: deinde humiliter petite, ut vobis promittant, se neminem ampliùs vulneraturos aut læsuros. Quod si promiserint, die sequenti egredimini, etiam cum pane, vino & obsonio, & dicite, hæc vos illis proferre, tùm quia Fratres; tum quia pridie amicè vobis promiserunt, quod petiistis. Si similiter tertiò feceritis, non dubitetis, quin Dominus illuminabit consilia cordium eorum, & docebit eos viam bonam, per quam ambulent. Fecit omnia Guardianus, & ad tantam homines deduxit mansuetudinem, atque erga Fratres amicitiam & familiaritatem, ut præstita obsequia rependerint, suis humeris è sylvis ligna portantes ad

Eremitorium, Fratribusque in aliis humiliter servientes. Unus eis adhæsit, & socii alio se contulerunt pœnitentiam de reatibus acturi. Aliis tribus latronibus qui ibidem simili charitatis officio, orante S. Francisco, converti referuntur, ob scelera & latrocinia ingressum ad Ordinem non præclusit; in quo sanctè vixerunt in maxima pœnitentia; & duo quidem citiùs obierunt, sed tertius superstes per quindecim annos ter in qualibet hebdomada panem tantùm & aquam manducabat, unicâ indutus tunicâ, nudis pedibus etiam sinè sandaliis incedebat.

Hanc Patris nostri mansuetudinem erga peccatores imitemur. Quis scit, si illos, quos percellit horror suorum scelerum, non elegit Deus, ut per humilem sui agnitionem & pœnitentiæ labores præcedant in regno Dei alios, qui nunc per occultam superbiam dicunt in cordibus suis: *Non sumus sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, ebriosi, &c.* Non simus sicut duri illi Sacerdotes, ad quos Judas pœnitentiâ ductus, reversus est, sed contemptus ab eis, præcipitatus in desperationem.
[Lib. 12. V. Pœnitentia, Hæresi, 32.] Inter antiquos hæreticos commemorat Alphonsus à Castro crudeles Novatianos, qui peccatoribus & lapsis quantumvis pœnitentibus omnem negabant misericordiam apud Deum & Ecclesiam: quos graviter & catholicè redarguit S. Cyprianus, Chrysost. & Concil. Nicænum, & ipse Alphonsus multâ scripturarum mole confundit, ostendens paratum Dei sinum & clementiam ad suscipiendos revertentes peccatores. Legant duri Catholici, quæ ibi scribit: dum enim arietat Novatianos, simul emolliet ipsos ad æmulandam Dei erga pœnitentes clementiam.

Hæc tamen non obstant, quin Superiores, quorum interest recipere, publicè criminosos & infames, punitos publicè vel punitioni obnoxios, imò à talibus descendentes, possint & ordinariè debeant ut suspectos & inhabiles rejicere juxta statuta Ordinis; nisi mediis efficacibus maculam eluant & omnem auferant causam suspicionis, ut §. 5. n. 2. dicetur.

Quoad simplices & rudes opus est discretione, ne statim propter simplicitatem reputentur Ordini inutiles, ideoque Fratres vereantur ad Ministros eos mittere. Si tamen adeò rudes & rustici inveniantur ut non intelligant nec intelligere possint, quid petant, nec rationem petitionis suæ reddere: vel semifatui aut insani essent, stultum foret eos mittere pro admissione; nam prout optimè notat Antonius Guevara: *Nihil perniciosius Religioni, quàm homo ignarus malitiâ instructus.* [Orat. Relig. cap. 7.]
Non sunt autem repellendi qui sunt simplicitatis suavis, discretæ & columbinæ, qui sciunt quid promittant, & norunt adimplere, quæ præcipiuntur & sui officii sunt. Quales quantique erant Apostoli, dum à Christo vocati sunt? Certè ignari, pauperes & contempti: hos interim elegit sapientissimus Magister tanquam maximè idoneos ad cœlestem sapientiam recipiendam & disseminandam. Atque ut doceret in discipulorum electione maximè attendendam esse simplicitatem, dum ipsi afferrentur parvuli ut tangeret eos & discipuli comminarentur offerentibus, ac impedire vellent accessum, [Marci 10. vers. 13.] quasi indecens esset tanto Magistro tam vilibus detineri, visus est Dominus quasi ægrè ferre, dicens illis: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis: talium est regnum Dei.* Multo sæpè labore opus est, ut doctiores & in sæcularibus negotiis versati reducantur ad simplicitatem & ignorantiam malitiæ, ac Religioni aptentur. Quòd si aliquos mittit Deus, jam quasi ex natura vel gratiâ suâ expertes omnis malitiæ & duplicitatis, & ad humilitatem, obedientiam & sinceritatem aptatos; æquumne est tales repudiare: Diuturnâ experientiâ compertum est, Deum assumere tales ad suam familiaritatem, & præclara facinora pietatis.

Fratrem Joannem cognomento Simplicem hac ratione Deus ad Ordinem nostrum [Annal. an. 1215. num. 5.] vocavit. S. P. N. dolens quòd parum curarent Presbyteri de munditia suarum Ecclesiarum, arreptis scopis multoties eas verrebat. Dum id semel faceret in derelicto quodam fano, pervenit fama ad vicini oppidi populos adesse Franciscum, atque in suburbana Ecclesia scopis purgamenta educere. Præ cæteris accurrit ad humile spectaculum Joannes hic ruralis, qui in proximo arabat campo, & verrentem summo studio videns Dei servum, indignum tulit, nisi ipse opem ferret. Eidem ergo operi incumbens, sanctumque Virum rogans, ut à labore quiesceret, scobem omnem & sordes eduxit, araneorum operam & texturam improbam perdidit. Sursum deorsumque mundatâ æde iniit cum viro Dei sermonem, dixitque simpliciter: Frater à multis diebus, ex quo de te tuisque Fratribus audivi, quæ undique narrantur, cogitavi similiter Deo servire, sed qualiter ad te accederem ignoravi. Nunc autem, quia ita Domino placuit, ut te hic ad votum viderem, me tibi offero, ut faciam quodcumque tibi placuerit. Vir Dei considerans hominis simplicis piom affectum, & super huic similes requiescere faciliùs spiritum Dei, tanquam à Deo missum statuit recipiendum. Admissus in Ordinem in simplicitate & puritate cordis Domino tam sanctè servivit, ut ejus laudabilem conversationem Vir sanctus sæpius referret & extolleret, & non Fratrem Joannem, sed Sanctum Joannem simplicem appellaret.

In ipso & aliis innumeris simplicibus & illiteratis verificatum est illud Sapientis: *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam* [Prov. 28. vers. 6.]
dives in pravis itineribus. Hinc etiam quamvis industrii Laici callentes artem mechanicam cæteris paribus sint præferendi imperitis, tamen pigri, contumaces, superbi & indevoti sunt imperitis devotis postponendi. Faciliùs devotus aliquis diligens & promptus discet artem aliquam mechanicam conventui utilem, quàm peritus artifex addiscere possit veram virtutem & devotionem, si eam antea non delibaverit.

* * *

TEX-

TEXTUS & §. IV.

Quibus ſolummodo & non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur.

SUMMARIUM.

Cur ad ſolos Miniſtros reſtricta ſit poteſtas recipiendi Novitios? Conſilium dæmonum circa hanc receptionem. Quâ circumſpectione recipiendi nobiles, litterati, & pueri? Quomodo circa commendationes ſe gerere debeant? Quid fieri posſit, ubi vix niſi inepti ſe offerunt aut corraduntur.

GAbaonitæ volentes recipi ad pacificam cum Iraëlitis cohabitationem, venerunt ad Joſuë, & ad principes multitudinis, & dixerunt: *Servi veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcum.* [Joſuë 9. verſ. 11.] Hujus verò poſtulationis cauſam exprimebant: *Timuimus valde, & providimus animabus noſtris, veſtro terrore compulſi*, auditis cunctis quæ propter hunc populum fecit Deus Ægypto & duobus Regibus Amorrhæorum. Ideo inquiunt *hoc inivimus conſilium*, ut ſecuri & pacificè vobis cohabitantes, à malis ſimilibus ſalvemur. [verſ. 27.] Joſuë ergo liberavit eos, *decrevitque in illo die, eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna & aquas comportantes uſque in præſens tempus, in loco quem Dominus elegiſſet.* Simile ineunt conſilium devotæ perſonæ, quæ videntes mundi pericula, & plagas impiorum, timore Domini concutiuntur, & providentes animabus ſuis veniunt ad Prælatos Religioſæ Congregationis, petentes iſti electo populo Dei aggregari. Prælatorum ergo tanquam Principum Iſraël eſt talium ſupplicationes excipere, eoſque recipere, ac decernere eos eſſe in miniſterio altaris Domini in loco quem elegerit Dominus, ſeu in Ordine, ad quem eos invitaverit ſuâ vocatione. Rectè igitur diſpoſuit Seraphicus Franciſcus, ut Miniſtris Provincialibus *recipiendi Fratres licentia concedatur*. Et iis *ſolummodo*, propter maximum negotii momentum, quod non expediebat, niſi prudentioribus, & magis expertis & conſcientioſis committi. Eâ ratione obviare voluit conatibus Rectoris tenebrarum; qui per viam receptionis inidonearum perſonarum, conatus fuit aliquando in totum corpus Ordinis generalem inducere corruptionem. [Annal: an. 1219. num. 19.] Dum S. Pater ad conventum Portiunculæ Comitia Generalia celebraret pro meliori ſtabilimento ſui ſodalitii, Princeps tenebrarum convocato multorum millium ſui generis malignorum Spirituum concilio in hoſpitali Cruciferorum, non longè ab illa Franciſcana acie poſito, comitia comitiis, conſilia conſiliis oppoſuit; ſeriùſque egit quomodo adoleſcentem extirparet Religionem, congregatamque aciem diſſiparet. Multa eo fine prolata in medium conſilia, varia vaſtrorum arbitria; illud tamen unius ex aſtutioribus præ cæteris probatum fuit, cum probis viris, quorum Deus pars cordis eorum, non tam agendum aperto marte quàm arte, neque tam apertè debellandam robuſtam aciem, quàm callidè ſupplantandam. Eam porrò ſe excogitaſſe, inquiebat, rationem eos paulatim enervandi, ut ſocii ſuas adhiberent vires ad inducendum hoc ſodalitium, quatenus ſub ſpecie boni & æqui intrà ſe reciperet Nobiles, Magiſtros Litterarios & Puerulos. Nobiles, ut vivant inter eos lautiùs, ſuſpirantes ad delitias, quibus enutriti ſunt. Litterarios Magiſtros, ut ſuis ſcientiis tumentes viam deſtruant & conculcent humilitatis. Puerulos, ut relaxent regularem diſciplinam, quam molliuſcula membra perhorrent. Optimum cunctis viſum & commendatum conſilium, opereque complendum: quod & in mandatis ab iniquo ſuo acceperunt Rectore.

Porrò ſecretum hoc conciliabulum non latuit Franciſcum, Deo totum deſuper revelante, colligitque ſe Vir Dei uno vel altero die ad ſacrum quoddam latibulum, Deum oraturus, ut ſe ſuoſque liberaret à laqueo venantium. A quo tandem confortatus proceſſit in medium ſanctæ multitudinis, quam egregio & luculento ſermone monuit ſuæ ſalutis cum omni ſollicitudine curandæ, nec adeo fidendum eſſe vitæ generi, nec ſtatûs perfectioni, quin ſupplantari ſe poſſe putarent hoſtis inſidiis. Idque ſibi exemplo multo conſtitiſſe, quippe è cœlo ſecum traxit tertiam partem ſtellarum, & paradiſo deturbaverat pios colonos, Chriſti ſocios voluit cribrare ut triticum, quoſdamque in ſuam ſententiam adduxit, unum ut traderet, alterum ut negaret, & omnes ut eo relicto fugam inirent. Deinde narratis, quæ deſuper accepit, intimavit, ut omnem adhiberent conatum eludendi artes Diaboli; utque converteretur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcenderet; caverent, ut

Nobiles in Ordinem recipiendi non tam nobilitàti carnis quàm spiritûs attenderent: nec Magistri suis scientiis intumescerent, sed humiliter aliis proficerent; & Juvenculi ab ipsis unguiculis juxta suam capacitatem addiscerent in tenera ætate, quæ robustiùs in adolescentiori servarent. Neque enim ei visum opportunum aut æquum, ut propter ea, quæ Demones cogitaverunt, consilia, quæ non potuerunt stabilire (neque enim est consilium contra Dominum) divitibus præcluderetur ad hanc Societatem aditus, quorum animus ad magna pro Deo obeunda communiter nobilior, vocatio sincerior, & transitus à locuplete substantia ad summam rerum egestatem laudabilior; quin imò & conversio ad alios trahendos efficacior, ipsique Instituto honorificentior, imò & aliquando necessario Nobilium parentum favore & subsidiis utilior. Similiter doctos & Magistros nequaquam respui debere, per quos nobis ministratur spiritus & vita, per quos errones reducantur ad viam salutis & pacis, per quos cæterorum Fratrum repellatur ignorantia, & evangelicæ vitæ sequaces habeat Ecclesia Doctores, quorum vita & doctrina sit aliis pro magisterio. Demum Adolescentulos voluit recipiendos, qui dixit: *Sinite parvulos venire ad me*, quibus meliùs est, ut potiùs non noverint, quàm ut fugerint mundum; meliùs venisse ad Religionem impollutos & illæsos, quàm *velut torres raptos ab incendio* vitiorum, quibus exurebantur, & denigrati motibus facilè suscipiant foveantque applicatam undecumque favillam. *Bonum* tanè *est viro cùm portaverit jugum* Domini *ab adolescentia*, imò & à pueritia sua, ut in nulla ætate aliud sciat, quàm quod in reliqua debeat observare, nec aliquando gustet in sæculo, pro quo postea suspiret in Monasterio. An verò hæc adeo exserationabilia, pro rerum, temporis & loci circumstantia ubique nationum expediant, Prælatorum erit definire. Videatur nostrum Antonium de Guevarra Oratorii Religiosorum cap. 9.

Marc 10. vers. 14.

Amos 4. vers. 11.

Thren 3. vers. 27.

Præter Prudentiam circa prædicta, etiam Fortitudine pollere debent Ministri contra commendationes undequaque ingruentes & obtruentes, quibus aliqui obtruduntur ab ignorantibus eorum incapacitatem. Benefactores aliqui æstimant hoc debere suis benefactis: ut quemcumque commendaverint, recipiatur: non considerantes inæqualitatem ejus, quod dederunt, ad id quod repetunt. Exigunt alimenta unius personæ victuræ fortassis ad quadraginta annos in recompensationem aliquot refectionum, quas dederunt Conventui. Taceo intolerabile onus spirituale, quod humeris nostris imponunt. Veniunt etiam Nobiles cum auctoritate instantes pro servis suis. Interdum respectus & timor perdendæ gratiæ Magnatum plurimùm movet, interdum spes favoris nostri in supervenientibus negotiis: interdum obligatio gratitudinis, quia Domini isti ad nostrorum fortè commendationem promoverunt aliquos sæculares ad officia & dignitates: interdum quia consanguinei, patriotæ, *dilectæ filiæ spirituales* vel aliàs familiares urgent, difficulter evadere potest Minister, quin acquiescat irrationabili postulationi. Hic teneat virilis animi robur & fortitudinem, ne ex affectu placendi sæcularibus, displiceat bonis Fratribus, & gravet Ordinem. *Benedictus in filiis Aser, sit placens Fratribus suis. Ferrum & æs calceamentum ejus.* Habeat pedes affectuum muniros ære & ferro, ad resistendum fortiter & honestè talibus irrationabilibus instantiis. Certè nullus est tam magnus benefactor, qui ad nostram instantiam permitteret simile onus suis humeris imponi, imò nec famulum vel ancillam, quibus indigent, ad commendationem nostram reciperent, quibus tamen possunt, ubi voluerint, expediri. Ægrè ferant amici isti & Domini se non exauditos; tandem seipsos redarguent, attendentes istius repulsæ æquitatem, & Prælatum talem magis reverebuntur propter imperterriti animi fortitudinem in retinendo æquo judicio circa delectum admittendorum. *Quod si victus istis commendationibus Prælatus*, inquit Guevarra, *dat indignis locum, non pater, sed vitricus est: non reformator, sed dissipator; ex quo admittit in domum Religionis, non quos elegit Dominus, sed quos commendat mundus*, vel quos ejicit quasi purgamenta in sterquilinium.

Deut. 33. vers. 24. & 25.

Orat. Relig. cap. 7.

Contingit etiam frequenter justo Dei judicio, ut illimet, quos ita leviter ex stulta commiseratione receperunt, sint amariores patrum suorum tortores, qui pro accepto favore ejus non rependant, nisi ingratitudinem, contemptus, rebelliones & irreverentias; tanquam viperei fœtus, qui nisi per mortem parentum non vivunt; nam per quæ quis peccat, per hæc & punitur. Luget Ezechiel: *Egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit, & non fuit in ea virga fortis. Planctus est, & erit in planctum.* Prælatus est radix, è qua surgit & excrescit arbor Religionis in ramos sive Fratres. Sed è ramis istis exit plerumque ignis consumens ipsam arborem & fructus, & qui fit in planctum ipsi Prælato & Religioni. Quando verò absque Ministrorum culpa contingit etiam malos pisces in rete eorum irrepere, quos postea vellent non admissos, patienter tolerandum est. Sit eis solatio, quòd ipsa indefectibilis Sapientia unum Judam proditorem acceptaverit; non ex errore aut ignorantia personæ & casuum futurorum, sed ex arcano & profundo judicio in finem boni melioris. Propter quod & Apostolus dixit: *Oportet & hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant*, & ipse Salvator: *Necesse est, ut veniant scandala* eis sapienter utente ad bonum providentiâ cœlesti.

Ezech. 19. vers. 14.

1. Cor. 11. Matth. 18.

Sed quid agent miseri Ministri in Provinciis, ubi talis incumbit necessitas, ut cogantur quoscumque acceptare ad replendos suos conventus, imò & turpiter emendicare ex plateis, è scholis trivialibus & pauperum tabernis pueros aliquos quos sibi asciscant? Siquidem sicut ob hæresum ingluviem, bellorum inundantiam, leges pes-

sumdantur,

ſumdantur & homines quodammodo ad barbariem reducuntur : ita etiam ad eum & tam miſerum ſtatum Religioſæ congregationes reducuntur, ut ejuſmodi mundi quiſquiliis replendi ſint conventus, ne omninò vacui remaneant. Hinc nati ſunt provenire homines malè morati, inverecundi, inſolentes & viles, quibus nihil magni venit in mentem. Qui cùm nullo devotionis ſenſu attrahantur, nonniſi blanditiis aut comminationibus adigi ſolent ad ſervanda exter ora. Deploranda certè conditio talium Provinciarum; maximè propter difficultatem reſtituendæ melioris diſciplinæ, contra quam obſtinatiùs obfirmantur vilia iſta ingenia. Quid agat miſer Provincialis in talibus anguſtiis? Admittetne quoſcumque, ut provideat ſuis conventibus, quos tamen probabiliter prævidet viam diſcolorum ituros? Vel permittet deſertam fieri Provinciam, quia omnino aptos non reperit, quos acceptet? In re tam ancipiti anceps eſt conſilium ſuggerere. Ex forma gubernationis mundi, quam Deus ſervat, & S. conſiderat Auguſtinus, viderentur aliqui ſaltem omnino inidonei acceptari, nam cùm ab hominibus malis & infidelibus non ſuſtulerit generandi facultatem, *placet ei ut naſcantur & multiplicentur hi quos etſi malos ipſe non fecit, tamen malos futuros ipſe preſcivit.* E multis ſiquidem paleis paucula grana colligere diſponit. Sed in oppo- Epiſt. 59.
ſitum dicit Sapiens : *Non concupiſcit Deus multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Ne jucunderis in filiis impiis ſi multiplicentur, nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & non aſpexeris in labores eorum. Melior eſt enim unus timens Deum, quàm mille filii impii. Et utile eſt mori ſinè filiis, quàm relinquere filios impios.* Ecclеſ. 16. verſ. 22. & 26. verſ. 4.
Crediderim tamen numquam omnes, qui petunt admitti, ita ineptos & depravatos eſſe, quin ſæcularibus meliores ſint, imò & ex eis major pars efformari poſſit in veros & utiles Religioſos, ſi probis & diſcretis profeſſis educandi tradantur, in quorum defectu poſſent ab bene formatas Provincias mitti ad tempus inſtruendi. Quibus certè efformatis, ſi alii de novo advenientes in aliquo Conventu jungantur, brevi videbitur proborum filiorum multiplicatio, & reformatio collapſæ diſciplinæ.

TEXTUS & §. *V.*

Miniſtri verò diligenter eos examinent.

SUMMARIUM.

Quàm seriò? & de quibus examinandi prætendentes Ordinem? non admittendi ætatis inſufficientis, infames, ſpurii, valetudinarii, deliri, hebetes, ab eodem vel alio Ordine egreſſi vel rejecti, nec facilè alium profeſſi, creditoribus, vel parentibus pauperibus obſtricti.

Luc. 6. verſ. 47. DIxit Salvator Diſcipulis ſuis : *Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos : oſtendam vobis cui ſimilis ſit : Similis eſt homini ædificanti domum.* Homo ædificans domum, magno delectu & diligentiâ aſſumit ligna; putridum omne rejicit, eò quòd unum ſolùm inter cætera ſolida, afferat totius compaginis diſſolutionem. Prælatus Regularis ſimili modo intendit domui Ordinis ſui ædificandæ. Debet igitur diligenter examinare materialia ingreſſura hanc ſtructuram, hoc eſt perſonas, quæ ad Religionem recipiendæ ſunt, Placeat ei ſaluberrimum ſapi-
Ecclеſ. 11. verſ. 31. entis conſilium, *Non omnem hominem inducas in domum tuam; multa enim ſunt inſidiæ doloſi.* S. Franciſcus in Regula pauca ſpecificavit, de quibus voluit eaaminari venientes: plura reliquit Miniſtrorum diſcretioni. Qui ne in iſto eaamine errarent, ſed exploratum haberent, quibus conditionibus inſtructi eſſe deberent admittendi, præter illas quas & jus commune S. Eccleſiæ præſcripſit, alias adhuc voluit integer noſter Ordo propoſitas. Ex conſtitutis jure communi.

Prima, eſt competens ætas & ad deliberationem ſufficientem idonea. Prævênit tamen ætatem in quibuſdam Spiritus ſanctus. B. Joannes Firmanus anno decimo tertio ætatis ad Cron. p. 2. l. 8. cap. 2.
noſtram Religionem admiſſus, feliciter eum ſummis rigoribus auſpicatus eſt & uſque in finem perſeveravit. F. Antonius à Stronconio Cron. p. 3. l. 5. cap. 30.
duodennis erat, multùmque de viribus ipſius dubitabatur; ſed ætatem vigore animi ſuperavit in regularibus & ſupererogatoriis auſteritatibus.

Secunda, Infames facinoroſi, qui vel plexi ſunt turpiter per Judices ſæculares, vel adhuc ſunt obnoxii ſimilibus ſententiis, vel ob præſentia crimina vulgari infamiâ laborantes, ea mente Eccleſiæ ab honorato ſtatu Religioſo arcentur tanquam indigni privilegiis iſtis eximiis, quibus hunc ſanctum ſtatum voluit inſignire. Non quòd penitùs ab hoc beneficio arceantur; ſed quia antequam admittantur, debent tam apparenti & indubitatâ morum converſatione veterem maculam eluiſſe, ut nobis opprobrio eſſe non poſſit eorum admiſſio. Si enim publicanis & meretricibus apertum

apertum est cœlum, imò & præcessuri dicantur magnificos aliquos Rabbinos in Regno cœlorum; cur non paterent eisdem domus religiosæ, si apertâ & exemplari vitâ probent se inter amicos Dei reputatos? F. Phelimeus, dum sub habitu Tertiarii piè & devotè magnam exerceret hospitalitatem, cum Fratre Germano rixatus projecto in eum cultro interemit. Pœnitens, Ordinem Minorum post multas repulsas ingressus, gravem fratricidii reatum longo diluit corporis cruciatu, & bonorum operum satisfactione. In ejus morte, visus est totus ardere Conventus, & dum flammas extincturi accurrunt vicini populi, signum accipiunt cœlitùs emissum pissimi viri in pace defuncti.

Annal. Tom. 6. an. 1465. num. 15.

Tertiò, Non facilè suscipiendi Spurii. Hinc enim serpit in Ordinem nescio quæ infamia & contemptus: à quo sese tuetur Clerus, dum Ecclesiastica beneficia vetat talibus conferri. Licèt Christus Dominus in hunc mundum venerit quæsiturus contemptus & opprobria, noluit tamen de Matre nasci, cui posset quippiam infame impingi, & unde ipse maculam nomini suo contraxisse videretur, maluitque putari filius pauperis Josephi, quàm Matrem æstimari Meretricem, si absque legitimo marito visa fuisset peperisse.

Quartò, Ordo quoque sancivit legem de morbidis non suscipiendis. Libenter tales personas à se ejicit mundus, sed Prælatorum est accuratè disquirere de valetudine, ne de Conventibus Xenodochia fiant, & fraudulenter isti se in humeros Fratrum projiciant portandi & curandi, & maximè ne seipsos importabili jugo alligent cum periculo suarum conscientiarum. Cum valetudinariis computandi veniunt, qui cùm teneræ sint complexionis, ad minimos labores querulantur: Si tamen teneritudinem corporis suppleret animi magnitudo cum discretione conjuncta, non adeò suspecta esse deberet talium receptio. Nobilis quidam adolescens de Burgo Sancti sepulchri, dum prædicantem audivit Franciscum, & post suum desiderium de ineunda ipsius Sodalitate deprompsit, monitus à S. Patre ut secum bene priùs expenderet quid tentaret, durius hoc dicens, quàm ut in delitiis enutriti ea possint perferre absque molestia. Respondit: Pater, nonne Tu, & Tui ejusdem sunt mecum compaginis, ex eadem terra coagulati, eundem haurimus aërem, & similem vivimus vitam? Quod mei similes ferunt, ego me non adeò ægrè passurum cum Dei adjutorio confido. Placuit Sancto Viro cordata teneri juvenis responsio, & indito Angeli nomine sibi conjunxit.

Annal. an. 1213. num. 26.

Quintò, Sicut integri corpore desiderantur, sic & multò magis integri sensibus & judicio, ne fatuis & insanis gravata familia per eorum indiscretiones turbetur & exterorum risui exponatur. De hoc defectu poterit à responsis, gestibus aliisque signis sumi conjectura. Sumendum deinceps sat temporis, ut certiora sanæ mentis signa deprehendantur. Non inconsultum foret eos, de quibus est suspicio, remitti ad Fratres, quibuscum conversati suadeantur, ut per eos sagaciter cerebri & sensuum integritas indagetur. Neque tantùm evidenter amentes arcendi sunt, sed ii etiam, qui tam exigui sunt judicii, ut nihil agere posse videantur, nisi per aliquem ad manum ducti, obtusi & hebetes, ad omnia attoniti, in rebus agendis plumbei, in respondendo ad interrogata toti distracti vel non accipientes vim interrogationum. Quid enim à talibus exspectandum? Nati sunt ad sequendum tantummodo vulgarem cursum sive ad bonum sive ad malum; nec de virtutis præstantia, nec de vitii turpitudine sciunt judicare, nec unquam eis in mentem veniret aliquid ad Dei gloriam auspicari, nisi propellerentur. Hos vocant aliqui bonos, quia nihil agunt malitiosè; sed verè dicendi sunt mali, quia nihil boni agunt nec agere sciunt. Ab aliis dicuntur simplices & Ordini nostro idonei; sed veriùs non simplices, sed *Nulli* appellandi sunt. Simplices sunt: qui non duplices, sed synceri in suis bonis actionibus apparent: vel qui etiamsi pluribus, nec intenti, nec apti sint: in uno tamen toti & attentissimi sunt, vel in oratione & devotione, vel in charitate exhibenda, vel in austeritate vitæ, vel in mortificatione sui, vel in obedientia, vel in aliquo alio bono, quod inspiraverit illis Deus. De insulsis autem & hebetibus istis, qui tantummodo servilem animum præ se ferunt, nil aliud exspectandum, quàm quod de mancipiis asserit Sapiens: *Operatur in disciplina* quamdiu flagellis adiguur, *& quærit requiescere*, si vel minimùm cesses à flagris. *Laxa manus illi & quærit libertatem*, quasi sub nullius ampliùs esset Dominio, quam subinde etiam per Apostasiam quærit: vel si in tantam non deveniat temeritatem, retractus humanis respectibus; tamen protervus manet & durus. Eccl. 33. vers. 26.

Sextò, Considerandum venit, num sollicitans aliàs admissus fuerit & egressus spontè, nullâ rationabili urgente causâ; id enim levitatis & inconstantiæ grave indicium est. Dum primò accesserunt, gloriabantur cum S. Petro & Thoma se in mortem cum Christo ituros, & potasses eos ipsi Dæmoni dentes & cornua excussuros: ita animosi videbantur; sed ad primum strepitum disciplinæ ad occursum unius humilitationis, ad mandatum horarii silentii expavescere cœperunt & fugerunt, velut canes nodoso fuste graviter icti. Vel post transactos in Novitiatu aliquot menses tantam hujus vitæ nauseam passi sunt, ut tandem majori cum gaudio habitum exspoliarint, quàm venientes induerant. Horum aliqui posteà pœnitentes supplicant, & humiliant sese, ut denuò admittantur. Cavendum à tornatilibus istis spiritibus, nec facilè credendum lachrymis eorum. *Præcordia fatui, quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius.* Hodie in summo est non aspiciens nec loquens nisi cœlestia: cras in declivi erit, oblitus hesternæ devotionis: perendie in terra, & totus in terrenis. Etiamsi iterum volvatur sursum, parum hoc durabit, protinùs iterum rotabit deorsum. Excusant se, quòd tentatio fuerit, dum egredi voluerunt. Ita est, sed quam superare noluerunt juxta Directorum suorum consilium. Audire malue- Eccl. 33. vers. 5.

rant

tunt Diabolum ſuadentem abjicere donum Dei, Cùm ratione non regantur, ſed incidentibus apprehenſionibus; quis ſcit ſi poſt ſecundam admiſſionem novas non patientur, ut rurſum diſcedant, vel dum profeſſi fuerint, incidente ſimili faſtidio de Apoſtaſia non cogitabunt? In admiſſione prima non potuit deprehendi levitas iſta mentis quæ ſecuta eſt, ſicœque in hac ſecunda inſtantia de ea non ſecutura poſſumus eſſe ſecuri.

Septimò, Major ſit timor de illo qui per Fratres ejectus eſt ob mores diſplicentes. Fautores ipſius ajunt poſt egreſſum ei apertos fuiſſe oculos, amarè pœnituiſſe ob commiſſas petulantias vel inobedientias, firmiter propoſuiſſe meliora ſi amiſſam recuperet gratiam. Emendatos eſſe mores iſtos, quos in Novitiatu, dum adigeretur, emendare noluit, eumque ſanctiorem factum in ſæculo & ſub uſu propriæ libertatis, difficilè creditur. Magis apparens eſt, eum jam ſatis videre ſtultitiam ſuam, & dolere quòd non cautiùs eam abſconderit, eumque cautiorem futurum ſi denuo recipiatur, ſed an ne ſanctior ſit, an et tantùm appareat, magnum dubium eſt. Quid autem pernitioſiùs, quàm depoſito candore induiſſe novam duplicitatem ad fingendum & decipiendum Fratres? Venerunt priùs ut lupi, & repulſi ſunt: nunc veniunt ad nos in veſtimentis ovium, ſed fortè intrinſecùs erunt tales, quales ante fuerant. Quòd ſi per fautores ejecti Novitii ſollicitetur Miniſter ad rejudicandum & condemnandum judicium à Communitate latum, vel ex ſuſpicione alicujus odii & conſpirationis in viſitatione, vel ſuffragatione intercurrentis, vel quia benigniùs ſupportandæ fuerint pueriles imperfectiones, vel quia Fratres non ſatis attenderint ad offenſiones externorum, quæ ex ejectione talis perſonæ ſecutæ ſunt, aut ex alio ſimili capite: talibus delationibus & conſiliis non facilè credat, nec condemnet temerè eos, qui oculis ſuis viderunt Novitii converſationem, & præſenſerunt inquietudines ex ejus convictu orituras, & in hoc judicio egerunt quod conſcientia dictabat. Ducatur fortaſſis unus atque alter paſſionibus ob privatas irreverentias ſibi irrogatas, vel ex ſuſpicionibus levibus: hoc de integra communitate virorum timentium Deum credendum non eſt, quæ in caſibus ſimilibus à Deo dirigitur. Multis experimentis conſtat, quòd quandocumque aliquis recipitur cum magnis diſputationibus & contradictionibus plurium Fratrum, ſemper id vergat in Ordinis dedecus & gravamen; quantò magis, dum quis planè condemnatus fuit, malè cedat, ſi per auctoritatem denuò intrudatur?

Octavo, Non parva etiam habenda ratio eorum, qui ab aliis Ordinibus rejecti vel ejecti ſunt. Præterquam enim quòd præter dignitatem cujuſcumque Inſtituti ſit rejectitios alienos colligere, periculum etiam eſt ab ipſis perſonis. Quis enim non præſumat eas ejectas ob defectus non tolerabiles, qui ſervandi honoris & pacis causâ non propalantur? Multò tutiùs fuerit credere judicio cordatorum Religioſorum circa iſtas perſonas, quàm eas ita ſuſpectas ſuſcipere cum periculo novæ confuſionis & turbationis. Sed non eſt quòd anſam aliquibus demus cogitandi faciliùs nos recipere eos, qui aliis non placent: cùm Ordo, qui cum perſonis nihil recipit, majorem meritò delectum poſſit & debeat prætendere perſonarum.

Nonò, Majori adhuc cum pondere agendum eum iis qui in aliis Ordinibus profeſſi ſunt. Nam hæ mutationes rarò fiunt abſque tumultu ob Superiorum reſiſtentiam, adeoque ad præveniendas turbationes accuratè diſquirendum eſt an juſtæ ſubſint cauſæ ex parte poſtulantium. Cùm verò cogitent relinquere locum & ordinem ſuum non tam neceſſitate abſolutâ procurandæ ſalutis, quemadmodum ſæculares in continuis periculis conſtituti, ſed ex puro deſiderio ſublimioris perfectionis, totum examen ſuper hac ſinceritate dirigendum eſt. Hæc autem utcumque deprehendetur, ſi antea pro modulo ſuo perfectionem verè conſectati ſunt: ſi priorem Regulam accuratè ſervaverint: ſi ex importunitate & contrariis affectibus confratrum vera impedimenta paſſi ſint: ſi communes regulæ & modi agendi incompatibiles ſint cum iis operibus, ad quæ ſe vehementer trahi ſentiunt, &c. His mediis probata fuit ſinceritas iſtorum pientiſſimorum virorum, qui ab aliis Ordinibus ad nos tranſierunt, ut S. Antonius Paduanus, qui ſanctiſſimè vixerat inter Canonicos regulares S. Auguſtini. B. Moricus, quem ipſe Franciſcus admiſit venientem è familia Crucigerorum. Integrum Monaſterium Benedictinorum juxta Antiochiam, qui unanimiter Ordini noſtro nomen dederunt. F. Benedictinus aliàs Benedictus à Cavoraccio ab Eremitis Auguſtinianis venit ad noſtros ſpe aſperioris pœnitentiæ, quam & mirabiliter coluit & exercuit. F. Franciſcus à Sanctis, vir admirandæ pietatis & humilitatis, qui priùs fuerat Trinitarius. F. Paulus à Jeſu ex Abbate Clericorum Regularium ad imam paupertatem & humilitatem deſcendit. F. Antonius à Segovia qui antea in Ordine Ciſtercienſi militaverat, cujus vita inter nos multis fuit illuſtrata miraculis. F. Gaſpar à Viniojo vir ſummæ auſteritatis, antea Societatis Jeſu. Horum profectus in meliùs manifeſtavit non vanum aut puerilem fuiſſe inſtinctum relinquendi priora ſigna, ut ſub noſtris militarent. Quia tamen effectus futuri nobis incerti ſunt, à præſenti vel præterito ſtatu formandæ erunt conjecturæ, tum ab examinantibus, tum ab ipſis prætendentibus. Signa latentis vitii in fundo intentionis ſunt: aliqua impatientia obedientiæ aut caſtigationis inflictæ, aut impeditæ prætenſionis alicujus ambitioſæ: vel averſio ab aliqua perſona, cujus convictus ipſi intolerabilis videatur, cùm interim ſtabilitas in eodem loco ſpem ſeparationis præſcindat: vel ſpes alicujus vanæ gloriæ aut commoditatis temporalis, quæ animum ſecretò extimulet. In his Deus non purè quæritur, & ideo nec invenitur. Videas enim hos jam admiſſos triſtes effici & manere, ſemper antiquas obſervantias & priſtinorum Fratrum amicitiam animo obverſari, & ſubinde eas præferre cum offenſione præſentium: quin & ſubinde tentant alienas intrudere cæremonias cum diſſonantia magna & turbatione communitatis; quod

Chron, p. 1. lib. 8. cap. 45.

Martyrol. Franciſc. 10. Decembris.

Annal. an 1212. num. 41. Idem 30. Decemb.

Chron, p. 2. lib. 4. cap 16. Martyr. Franciſc. 19. Auguſti.

Eccles. 21. vers. 36. præmonnetat Sapiens: *Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & alienabit te à tuis propriis.*

Decimò, Meritò etiam arcentur gravati debitis: Reddere enim se impotentem ad restituendum aliena per professionem paupertatis, non est se exspoliare pro Christo; sed Christum in creditore spoliare. Possessionum temporalium abdicatio à Domino instituta est, non autem solutionis debitorum elusio seu fuga, quæ furto æquivalet & latrocinio. Seipsum & Petrum post omnia abdicata noluit immunem facere à solutione tributorum quæ aliquibus videri poterant debere. Non sunt immunes à veris debitis, qui subdolè conantur se immiscere turbæ sequentium Christum in paupertate. Doceantur hujusmodi debitores verecundam paupertatem sibi divinâ dispositione immissam æquanimiter pati, & sibi antiquas delicias & superflua subtrahere, ut justitiæ debito satisfacere possint. Incipiant in sæculo humiliari, credantque hanc penuriam, sobrietatem & humilitatem studio justitiæ toleratam æquivalere vitæ religiosæ; quin & meritis superare: quippe cui minus periculum est à vanâ gloriâ, & quæ certius ad divinam referatur voluntatem. Chron. p. 2. lib 9. cap. 24. Admissus quidem est in Ordinem nostrum F. Gondisalvus miro modo; Persuasis uxore & duabus filiabus suis, ut Regulam S. Claræ amplecterentur, quarum capillos ipse manu propriâ abscidit. Filius ejus unicus Frater Minor effectus est. Bona eorum divendita ad debitis satisfaciendum. Cùm verò pro omnibus non sufficerent, F. Gondisalvus, ut conscientiam suam exoneraret, magna cum humilitate suos accessit creditores, & cum abundantia lachrymarum eis supplicabat, ut vellent ipsis debita & offensas remittere, & fune ad collum appenso veniam postulabat. Hoc spectaculo commoti omnes eum cum lachrymis comitabantur, remittentes ipsi debita prout petierat. Sed quotusquisque est, qui eum in hoc facto imitetur? aut quis præsumat creditores tam liberaliter debita remissuros? Hoc tamen non negaverim, nobilem vel divitem insuetum labori neque calentem artem, quâ posset apparentèr aliquid ultra vitæ necessaria lucrari ad satisfaciendum creditoribus; si vero spiritu ductus amore Religiosæ vitæ omnibus bonis cedat in favorem creditorum, posse recipi, quia meliùs sic satisfacit creditoribus, quàm in sæculo manendo.

Undecimò, Eâdem cantelâ & severitate ablegandi sunt ii, qui onere alendorum pauperum parentum obstricti sunt. Nec est quòd se Matth. 10. vers. 37. fundent tales in verbo isto: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus*, putentque sibi deberi regnum cœlorum, si in hoc casu relinquunt patrem & matrem, &c. Alienum hoc est à mente Domini, qui hoc verbo voluit suspectam reddere amicitiam istam tanquam inimicam crucis suæ. Hi autem, non suavitatem, quæ ab amicitia & convictu parentum est, sed amaritudinem, quæ ab eorum miseria oritur & paupertate, abhorrent & fugere intendunt: quod tantùm abest ut sanctum sit, quod potiùs reprobum à Sapiente judicetur: *Quam malæ famæ est, qui derelinquit Patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem.* Eccl. 3. vers. 18. De omnibus pauperibus dixit Deus: *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Eccl. 34 vers. 25. Non Religiosus sed parricida est, qui defraudat proprios parentes pane, quem ipsis debet. Nugantur illi se vocatos ad sublimiorem charitatem in Religione exercendam; sed malè intelligunt, quid sit charitas Dei & proximi. Audiant censuram S. Joannis: *Qui viderit Fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* 1. Joan vers. 17 Si claudant isti viscera sua à propriis parentibus, credemus eos erga alios charitatem habituros? At, inquiunt, exercitium quærimus Obedientiæ religiosæ ad majus meritum. Quid eis prodesse poterit electitia obedientia, dum pessumdant istam indispensabilem, quâ tenentur obedire præcepto Dei, qui mandavit parentes honorare, hoc est, non eis deesse in necessitatibus. Prætendunt studium majoris perfectionis, & se parentibus meliùs subventuros per orationum subsidia, quàm per media externa; nec levem esse thesaurum participare de meritis alicujus Religiosi. Similem sycophantiam Pharisæorum redarguit Dominus: Matth. 15 vers. 3. *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora Patrem & Matrem, Et: Qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit Patri vel Matri, munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificabit Patrem suum aut Matrem: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Hi faciunt irritum mandatum Dei, non propter aliquid sanctum, ut est sacrificium, sed propter suam propriam commoditatem. Si dicant se Paupertatem apud nos quærere, cur non eam patiuntur cum parentibus, quam immisit Deus? Imitentur Christum Dominum, qui eam primò sustinuit, quam domi cum parentibus invenit.

Non ignoramus parentes quosdam esse imprudenter paratos renuntiare juri quod habent ad necessaria subsidia, modò filios suos videant Religiosos: qui tandem urgente necessitate molesti sunt Ordini & aliis. Qui si negligantur, vulgus graviter scandalizatur de duritia nostra: si verò eos alere incipiamus, cedit in Fratrum gravamen & dissolutionem disciplinæ: Vel (quod pejus est) filii jam professi per clancularias procurationes, indecentes ac illicitos modos procurant eis quidquid possunt. Hæc prævideant & præcaveant prudentes Prælati, ne onera ista admittant cum turbatione suarum Provinciarum, & perpendant illud Sapientis: *Qui subtrahit aliquid à Patre suo & à Matre, & dicit, hoc non esse peccatum particeps homicidæ est.* Prov. 28. vers. 24.

TEX-

TEXTUS & § VI.

Examinent eos de Fide Catholica.

SUMMARIUM.

Quia fides est omnis virtutis & perfectionis fundamentum, Franciscus sapienter statuit de ea examinandos. Quâ cautelâ conversi vel filii hæreticorum recipiendi? Hæresis infame crimen, sicut sanctis etiam falsò impositum visum est intolerabile, ita cavendum est sollicitè ne irrepat.

Ezech. 17. vers. 3. OSteusa est divinitùs Ezechieli Prophetæ *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, quæ venit ad Libanum & tulit medullam Cedri.* Secundùm Petri Berchorii interpretationem Aquila, quæ parùm habet carnositatis, & multum nervositatis & plumositatis, repræsentat virum perfectum, qui habet pennatum sive virtutum moltitudinem; nervorum ligantium, id est, charitatis fortitudinem: carnis, sive carnalis voluptatis paucitatem. Itaque Aquila intelligi potest esse Franciscus *magnarum alarum* hoc est Seraphicorum desideriorum, quibus sursum agebatur in Deum; *longo membrorum ductu*, utpore membris corporis sui mystici seu Seraphici Ordinis per totum mundum undequaque extensus: plenus *plumis & varietate* virtutum. Hæc Aquila divinâ dispositione, *venit ad Libanum* hujus mundi, *& tulit medullam Cedri.* Cedrus lignum est magnæ soliditatis, & durationis, ita quòd à vermibus & teredinibus nunquam corrodatur. Talis est S. Dei Ecclesia, quia nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. Hujus Cedri medulla est fidei Catholicæ intemerata doctrina. Eam tulit Franciscus, vir Catholicus, & totus Apostolicus, dum Ecclesiæ teneri fidem Romanæ docuit, atque ad tres ordines suos nullum admitti voluit, nisi istâ fide imbutum. Igitur à Libano mundi tulit ad Ordines suos *medullam Cedri*, hoc est, homines Catholicæ fidei, in Cedri sive Ecclesiæ visceribus incorporatos. Et ideo circa recipiendos ante omnia præcipit Ministris, ut *examinet eos de Fide Catholica.*

Tom. 1. Serm. 2. Art. 1. & 3. S. Bernardinus subtiliter explorat diversas rationes, ob quas specialiter Religiosis Fides fortis necessaria sit. 1. Quia ipsa est primum fundamentum Perfectionis, quam Regula religiosa indicit. Quis nobis esset animus iis gravibus obligationibus nos obstringendi, nisi apprehenderemus bonitatem & majestatem ejus, propter quem hanc arctam viam ingredimur? Quid autem in cordibus nostris generat apprehensionem istam, nisi Fides? Fides, inquam, eorum omnium, quæ de Deo quovis modo revelata sunt: quæ licèt in sæcularibus fidelibus reperiatur, quia tamen non adeò viva & fortis est, idcircò trepidant ad solum auditum illius austeritatis, quæ Religiosis delectabilis videtur ob amorem ejus, cujus immensam bonitatem degustarunt. 2. Ex fidei infirmitate languet Spes adipiscendi præmium illud singulare, quod Religiosis reservatum est: cujus valorem quia beneficio clarioris fidei intelligimus, ideò præ cæteris propter verba labiorum Dei custodimus vias duras. 3. Fides est, quæ nos certificat hâc professione honorari Dominum supra omnia alia opera sæcularia. Quâ fide, quia carent Hæretici, de hoc vitæ genere auspicando non cogitant; quin potiùs illud contemnunt, blasphæmant & persequuntur. 4. Cùm Deus ab omnibus hominibus exigat opus Fidei velut sacrificium quoddam humani Intellectus, qui captivari debet & quodammodo immolari sub verbo Dei revelato; hoc est præparatio quædam & manuductio ad plenius sacrificium propriæ libertatis per Obedientiam, & mactationem intimarum concupiscentiarum, per Paupertatem & Castitatem. 5. Ea est hominis pusillanimitas, ut trepidet ad aggrediendum aspera & remota multùm à sensu & judicio communi, nisi præeuntem videat magnum aliquem & sapientem virum, quem tutò sequi possit. Ut isti nostræ infirmitati succurreret æterna Dei virtus & Sapientia Filius ingeniti Patris factus homo præcessit & viam aperuit. Sola Fides hunc ducem nobis ostendit, & sequendum docet sinè ambiguitate. 6. Nemo ignorat, quantis obicibus, argumentis, fallaciis, violentiis & blanditiis mundus, servos Jesu Christi detinere moliatur, ne integrè sequantur illum in suis sanctis consiliis; eâdem invidiâ, quâ olim Sanctos Martyres à Domino avellere moliebatur. *Sed hæc est victoria quæ vincit mundum,* 1. Joan. 5. vers. 4.
fides nostra, quâ suadente eum fugimus, contemnimus, amicitiam ejus rescindimus, & transferimos ad cœlestia.

Ob hæc & alia multa sapientissimè disposuit Seraphicus Patriarcha, explorandum imprimis à Ministris sollicitè Fidei fundamentum, antequam minoriticæ perfectionis molem superstruere incipiant in novellis illis candidatis. Quæ inquisitio eò accuratior esse debebit, quò majores malè suspicandi occasiones præbent parentes suspectæ fidei, regio hæresi infecta, præcedens conver-

ſatio, & ſtudii locus. Maximè verò ſcrutandus animus eorum, qui parentibus hæreticis orti ſunt, ſed per Dei miſericordiam meliora didicerunt. Hos univerſaliter rejicere, nimis crudele foret, præſertim in iis Provinciis, quæ dominio ſubduntur Principum vel Magiſtratuum hæreticorum. Cur non ex ſterilibus iſtis agris una bona ariſta colligetur, dummodo nullis omnino indiciis ficta vel nutans deprehendatur converſio ſeſe offerentium? Auxiliante divinâ gratiâ excoli poterunt, ut pietatem, amorem Dei & curam ſuæ Regulæ concipiant & conſervent, & compleatur in eis, quod vaticinatus eſt Iſaias: *Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quomodo ſi pauca olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem ſuam atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus.* Novit Dominus ſuſcitare de pulvere egenum & de ſtercore erigere pauperem, ut ſedeat cum Principibus populi ſui, id eſt, ex terris, imò & parentibus hæreſi infectis ſuſcitare poteſt ſuâ gratiâ Filios Abrahæ & Chriſti, qui Chriſtianos reliquos fidei & vitæ exemplo præcedant.

Iſaiæ 24. verſ. 13.

Sollicitè tamen cavendum, ne ſub ſpecie pietatis, vulpeculæ ſubintrent, quæ vineam Domini Sabaoth demoliantur. Novum non eſt, impietatem & hæreſes, cùm per ſe abominabiles ſint, libenter latere ſub veſtimentis & ſpecie humilitatis, paupertatis & aſperitatis. Encratitæ, teſte S. Bernardo, ſub ſpecie caſtitatis & ſobrietatis nuptias damnabant, & eſum eorum omnium, quæ vitam habuerant. Apoſtolici Hæretici glorianres ſe vitam Apoſtolorum æmulari, nihil proprium poſſidebant: & ſimul docebant, teſte Alphonſo à Caſtro, neminem ſalvari poſſe, qui proprium quidpiam haberet. Pauperes de Lugduno mirificè colebant Paupertatem; ſed cum tanto errore, ut aſſererent per eam omnia deleri peccata: adeo ut meliorem judicarent meretricem ſi pauper eſſet, quàm divitem quantumvis caſtum. Nemo pauperior quàm nebulones iſti Fratricelli, Begardi & Bizochi (de quibus Alvarus Pelagius & Chronica Ordinis multis in locis) qui ſe genuinos B. Franciſci diſcipulos & filios gloriabantur; in rei tamen veritate hypocrytæ erant & hæretici. Hoc ſæculum vidot Anabaptiſtas, qui licèt ipſis etiam Lutheranis & Calviniſtis odioſiſſimi ſint propter pudendas hæreſes, ſibi tamen blandiuntur ob vitam communem alicubi ſervatam, patientiam evangelicam & externam aliquam modeſtiam. Hæc colluvies hypocritarum ſinè fide Catholica in externa pietatis apparentia ambulantium, à rectè intelligentibus damnantur, & à Domino maledicti ſunt. Ne verò ſub latibulo habitûs & nominis Franciſcani irrepant in ovile Chriſti, præcepit Vir Dei Franciſcus admittendos imprimis de Fide Catholica examinari.

Serm. 66. in Cant.

V. Paupertas.

Ibid.

Hinc etiam in Ordine noſtro ſemper habita eſt infamia intolerabilis, aliquem tantummodo ſuſpicione erroris eſſe notatum. Eam maculam ſanctiſſimi Viri (licèt in aliis patientes injuriarum & calumniarum) toto conatu à ſe depulerunt. B. Joannes Parmenſis cùm injuſtè eſſet hujus criminis arceſſitus, Generalis Miniſter Bonaventura ipſius Succeſſor judices deſtinavit, qui in ejus acta & ſcripta diſquirerent. Increpantibus illis, & quantumcumque asperè agentibus, Parmenſis pauca & lenia verba reſpondit. Sed cùm eſſet inter illos, qui tanquam hæreticum perpetuo carceri mancipandum judicarent: ille ægriùs ferens quidquam hæreticum ſibi impingi, in pedes erectus, & vultu in cœlum elato, altiori voce dicere cœpit: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*, & quæ ultrà in Symbolo Apoſtolico continentur.

Annal. an. 1256. num. 6.

Eâdem curâ ſe purgârunt F. Ubertinus de Caſali, F. Raymundus Gaufredi, Generalis, F. Chriſtophorus à Capite Fontium itidem Generalis, quos invidia adverſariorum hâc notâ infamare tentaverat. Similiter F. Petrus Joannes Olivi acriter agitatus fuit, quaſi errans in multis. Ut à ſe, quàm tantopere averſabatur notam & opinionem excuteret, ſolemnem coram multis circumſtantibus emiſit fidei profeſſionem, in hæc verba: *Confiteor Deo & coram vobis aſſero, me Solis ſcripturis ſacris, & ſolì Fidei Catholicæ atque Romanæ Eccleſiæ, cujus nunc gubernator eſt Dominus Papa Bonifacius adhærere ex fide, & veluti vera Fidei.*

Annal. an. 1297. num. 34.

cap. 10. vita.

Quin & ipſe S. Bernardinus vocatus in crimen hæreſis coram Martino V. Pontifice, non diſtulit venire ad fidei judicem & doctrinam ſuam illius examini ſubjicere, ne diutiùs ſuſpectus remaneret. Eandem calumniam paſſus B. Jacobus à Marchia totis viribus tùm alibi tùm in ſuggeſtibus maximè eam à ſe depulit, dicens ſe omnia toleraturum præter unam hæreſis injuriam; quia tot prædicationes ejus in ſuſpicionem vocarentur, & ſi quem feciſſet in populis fructum, hoc frigido iniqui rumoris vento decoqueretur, & penitùs diſſiparetur. Sciebant graviſſimi iſti Patres quàm noxia non ſolum ſibi, ſed & toti Sodalitio ſuo futura eſſet illa infamia, & quàm indelebilis, niſi argumentis evidentibus fidei ſuæ ſinceritatem palam demonſtraſſent.

Expertus eſt ſemel novellus grex Reformatorum Fratrum ſub F. Gentili de Spoleto, quàm pernicioſa ſit fermenti iſtius hæretici commiſtio. Incautè admiſerant ſuſpectos de hæreſi Fratricellos, vel defectu examinis, vel ſub ſpe eos reducendi ad ſaniorem mentem. Reſcivit hoc Generalis Miniſter Guilielmus Farinerius & per eum Summus Pontifex. Opus non fuit alterius criminis allegatione: ſtatim reformatio illa in ſe optima & neceſſaria hoc nævo viriata, penitùs diſſipata eſt.

Annal. Tom. 4. an. 1355. num. 1.

Provideant igitur Superiores omnes, ne in Conventibus ſuis inter ſubditos ulla germinet radix cujuſcumque erroris. Credi non poteſt, quàm facilè gliſcat in animam hoc hæreſeos venenum. Fortuitò inciderunt aliqui in librum peſtiferum, ex curioſitate legerunt, argumenta adverſariorum viſa ſunt plauſibilia: quæ quia proprio ingenio enodare non potuerunt, doceri ab intelligentioribus

gentioribus erubuerunt, & seipsos judices constituerunt istarum controversiarum, tandem ausi sunt Sanctam Dei Ecclesiam falsitatis aut ignorantiæ condemnare. Videas alios ea familiari colloquio cum ministello aliquo, aut sciolo & garrulo hypocritâ, vel (quod magis pudendum) cum muliercula quam depereunt, adduci ut credant, non tam efficacibus argumentis, quàm amore personæ suaviter proponentis. Quibus dum pleoè illapsa fuerit hæresis, in impudentem erumpunt apostasiam, quia dum vermiculum illum duditaris aperire non sunt ausi, tandem in perfectum adolevit serpentem, qui totam fidem intùs depastus est, & hominem in eam vertit insaniam, ut fugiat, nesciens quò vadat.

Alii, si non tam crassam & infamem admittant labem, in alios impingunt errores, sibi & Ordini suo nocentissimos. Hauriunt conceptus noviter inventos, quos arroganter tueri volunt contra quemcumque etiam doctiorem se opponere volentem; alta sapien-

1. Tim. 6. vers. 4. tes & nihil scientes, sed *languentes circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt*, pro Catholicis haberi volunt; sensum tamen Catholicum tam obscuris, inusitatis, & suspectis locutionibus involvunt (si non confundunt & convellunt) ut ab hæreticorum phrasi non diffideant, & suâ temeritate piorum aures offendant. Vigilantium Prælatorum est cavere, ne tales vulpeculæ etiam vineas eorum ingrediantur, vel in eis nascantur: & si subdolè ingressæ vel natæ fuerint, quàm citissimè capiantur. *Qui potest obviare*, inquit Damasus Papa, *& perturbare perversos, & non facit, nihil est aliud, quàm favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Cap. qui potest 23. q. 3. Remissiores in hoc periculo acri perstringit confusione Alphonsus à Castro, dum ostendit, quam ardenti zelo Ethnici Sanctos Apostolos & Martyres & universos Christianos extinguere studuerunt, solùm quia antiquæ adversabantur religioni; qui licèt in cæteris vitiosissimi essent; in Religionis tamen etiam falsæ defensione fortissimos se vindices exhibebant.

TEXTUS & §. VII.

Examinent eos de Ecclesiasticis Sacramentis.

SUMMARIUM.

Præcipuè circa Sacramentorum usum, Pœnitentiæ maximè & Sanctissimæ Eucharistiæ, instituendum est examen. Raro, & tepidè accedentes rejiciendi, prout, & scrupulosi.

Prov. 9. vers. 1. ÆTerna Dei *Sapientia ædificavit sibi Domum* Ecclesiæ, *excidit columnas septem* Sacramentorum quibus tota ædificii structura tanquam quibusdam basibus & columnis inniteretur. Hanc interaetam Sapientiam imitata est Sapientia pauperis Francisci. De hoc Viro Dei Innocentius III. Pontifex, hujusmodi è cœlo perceperat visionem. Videbat in somnis (ut retulit) Lateranensem

Platus l. 1. de bono Statu Relig. cap. 30. Basilicam fore proximam jam ruinæ; quam quidam homo pauperculus, modicus & despectus proprio dorso submisso sustentabat. Conspecto autem posterâ die Francisco: *Verè*, inquit, *hic est ille, qui opere & doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam.* Cùm itaque ipse destinatus esset divinâ ordinatione ad fulciendam domum Ecclesiæ, sollicitus esse debuit de columnis Sacramentorum. Atque ideo monet Ministros sui Ordinis, ut *examinent* recipiendos *de Ecclesiasticis Sacramentis.* Porrò fides seu credulitas Sacramentorum intelligitur sufficienter sub integro complexo Fidei Catholicæ, de quo superiùs præcepit instituendam examinationem. In præsenti ergo textu intelligere possumus ipsum velle, ut super usu & frequentatione eorum examen instituatur. Specialiter verò examinandi sunt circa Sacramenta usitatiora, nempe Pœnitentiæ & Euchatistiæ; ex illorum enim cultu & usu diligenti vel oscitabundo dignoscere poterunt Provinciales Ministri, quantitatem spiritus & fervoris, quo in Deum feruntur, & ex præcedentis vitæ exercitiis conjicient futuræ conversationis successum.

Qui semel tantùm in anno soliti sunt confiteri, idque quia moris est, vel quia per parentes adacti, vel quia timent à Parochis suis notari, quum respectu solum externo moveantur, evidens signum exhibent, se non pro dignitate vivificans hoc Sacramentum æstimare. Aliundè etiam oriri potest raritas ista Confessionis, quòd nimirum non habeant quæ confiteantur, quia in nullo se peccare existimant, in nullo scrupulum faciunt, nesciunt quid sit peccatum, nec tantùm venialia non æstimant, sed neque mortalia, & velut animalia bruta pergunt in suis modis agendi; qui insuper ita hebetes sunt, ut etiamsi moneantur & doceantur hæc vel illa prava esse, non tamen apprehendunt, & penitùs ignorant conscientiæ examen: imò quasi nullam habent conscientiam. Hi ineptissimi sunt ad

hunc statum, & ad religiosam perfectionem, quæ perspicacem & teneram requirit conscientiam ad quoslibet etiam minimos defectus, ut ab eis caveat, vel cùm iis læsa fuerit, illicò requirat sanitatem. Hæc autem teneritudo conscientiæ non tam in Religione acquirenda est, quàm ad illam ex mundo adferenda. Eâ si caruerint in sæculo, manent semper in Religione sui similes, audaces, inverecundi, indomabiles, ignari & indociles; nullas æstimant leges, nullas instructiones, nullas correptiones. Unde per suum agreste ingenium onerosissimi fiunt aliis Fratribus observantissimis singularum Ordinis minutiarum. Et formidare possumus de talibus insensibilibus conscientiis, ne postea indurescant ad gravia facinora, & ad ea prosiliant datis occasionibus. Multò meliorem de se spem præbent, qui levinsculam duxerunt vitam, sed de ipsis levitatibus remorsum sentiunt conscientiæ, & ingenuam ostendunt verecundiam.

Aliud præterea indicium est in prætendentibus adolescentibus circa Sacramentum Pœnitentiæ observandum; scilicet an, si frequenter confiteantur, condignam de confessis agant Pœnitentiam juxta commoditates exiguas sui status sæcularis, & num inceperint eorum occasiones evitare juxta legem omnibus Christianis incumbentem. Tepidioribus sufficit accepisse absolutionem; de condigna satisfactione, nulla sollicitudo: sed quorum Deus tetigit corda, sanctam concipiunt indignationem ad debitè castigandum, quod indebitè commiserunt, nec priùs finit eos quiescere zelus justitiæ. B. Jacobonus priusquam ad Ordinem nostrum admitteretur, per decennium in omnimoda abnegationis certaminibus, & pœnitentiæ durissimis operibus sese exercuerat, in quibus jam satis probatus, tandem admissus est. Similis fervoris specimen aliquod præbent ordinatiè, qui ex corde statum pœnitentialem meditantur. Si verò differant usque ad Ordinis ingressum, interim carni & genio indulgentes; timendum est, ne cùm tonsi & vestiti fuerint, frigida illa proposita evanescant. Solent veteres amores pertinaciùs inhærere, & à communibus austeritatibus pavidos & molliculos istos absterrere. *Plus*, inquit D. August. *in me valebat deterius insolitum, quàm melius insolitum. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ.* Tunc forsitan fingent subterfugia subreptitiarum dispensationum, imaginabuntur sibi præsentaneam mortem, si pro peccatis insolitum aliquid pati oporteat.

Annal. Tom. 2. an. 1298. num. 33.

Lib. 8. Confess. cap. 11.

Circa augustissimum Eucharistiæ Sacramentum fides & fidei opera exploranda erunt ex reverentia & usu illius raro vel frequenti. Minimum quod huic tanto Mysterio exhiberi potest, est devotè diebus singulis audire Missam: quod mediocribus Christianis passim usitatum est. Si deprehendat Minister eos tantillum opus neglexisse, meritò suspicetur eos in prolixioribus divinis officiis, quibus vacare teneantur Religiosi, passuros esse fastidium, nec nisi cum tædio intersuturos. Satiùs est talibus non ingredi Religionem, quàm tepidè in ea degere, & periculum subire maledictionis decretæ in eos, qui opus Dei faciunt negligenter. Tales multò magis abhorrerent orationes liberas & in Ordine consuetas solum ex devotione. Illam verò indevotionem consequi solet sterilitas omnium gratiarum, & tepiditas sibi & cæteris omnibus onerosa.

Qui etiam rarò ad sacram Synaxin accedunt, parum intelligere creduntur hujus sancti operis pretium, & obligationem colendi tantum divini amoris Sacramentum. Vix aliud opus est accommodatius, quo suam in Deum amorem testentur, & hujus amoris augmentum faciant: quod & facillimum est. Si nauseam isti in hoc, quomodo credemus eos profectum facturos in schola, quæ exercitium præscribit charitatis? Christus probare volens discipulorum suorum sinceritatem & fidem ejusque simplicitatem, nihil habuit opportunius, quàm proponere eis hoc admirabile Mysterium de carnis suæ manducatione. Qui veri erant discipuli, crediderunt: aliis durus visus hic sermo, Et *ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.* Nunc similiter probatio discipulorum nostrorum fieri potest per fidem hujus Sacramenti hujus operibus comprobatam. Idoneus est sublimioribus & seraphicis charitatis ardoribus, qui ad hunc divinum ignem non frequenter accedit. Joan. 6.

De Seraphico N. Patre scriptum reliquit D. Bonaventura in hæc verba: *Flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum: stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem & dignantissimam charitatem. Sæpè communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret: dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimùm rapiebatur excessum.* Hinc liquet, æmulatori vestigiorum Francisci minimè sufficere debere communicationem frequentem, quæ ex arida solùm fiat consuetudine. Adolescentes taliter assueti in sæculo, cùm accesserint ad Ordinem, in quo frequens est usus sacræ Communionis, sic perseverant in illo consuetudinario modo, putantque magnum quid agere, si aliis se conforment, & dies præstitutos non prætermittant. Quod externum est, observant, ne aliis indevotiores videantur, sed puritatem internam conscientiæ & mentis attentionem, quæ oculos fugit hominum, parum curant; & quia non ex amore accedunt ad Christum, non ingreditur ad eos Christus cum amore, sed relinquit eos in sua veteri tepiditate, eritque eis sat bene, si non labantur in sortem Judæ proditoris, qui manducavit Corpus Domini, ut videretur facere sicut cæteri. Cap. 9. Legenda.

Alios vexat in Confessione & Communione aliud oppositum vitium, quod consideratione dignum est, si deprehendatur, nimirum nimia Scrupulositas. Malum istud aliquando temporale est, permissum à Deo ad tentationem; aliquando est naturale ex destructa cerebri compositione. Undecumque oriatur, stultitia est: quâ laborans, licèt præ se ferat larvâ timoris Dei, admittendus non est pro isto tempore,

tempore, quia vel delirus est & sinè judicio, vel pertinax & indocilis. Eâdem autem pertinaciâ, quâ credit hoc vel illud esse peccatum, quidquid eruditi dicant in contrarium; credet etiam facilè non esse peccata, quæ verè peccata sunt, etiam in materia votorum, cum gravi Superiorum & confratrum rectè docentium perturbatione. Admittentes talem sentient, quòd (Ecclef. 22. verf. 7.) *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam; qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam.* Sentient & ipsi infinitas angustias spiritus, è quibus vix emergent, & lugebunt continuò. Quantum & quid patiantur, soli ipsi sentiunt; nec exprimere possunt, quia angustiæ inexplicabiles sunt. Neque tamen sibi solis onerosi sunt, sed & in Fratres convictores pars stillat tristitiarum. Cùm autem Crux Domini ferenda sit cum gaudio, plurimùmque ad hoc prosit mutuus sensus fraternæ alacritatis; isti ea ratione impedimento sunt, quòd semper tristes, pavidi & ad desperationem proclives, alacritatem retundant aliorum, & nescio quid amaritudinis immisceant in Congregationis integræ suavitatem. Sed neque aliquis eos recreare & relevare potest, quia nec ipsi volunt. Tales igitur domum remittendi sunt, ne sint impedimento professis unanimiter, alacriter progredientibus, & ne professio sit ipsis in laqueum damnationis.

TEXTVS & §. *VIII.*

Et si velint ea fideliter confiteri, & usque in finem firmiter observare.

SVMMARIVM.

In Candidatis exigitur firma animi fortitudo in confitendo Christo ejusque fide. Expenduntur conditiones servi fidelis Christum Dominum confitentis, interfertis sanctorum virorum Ordinis nostri exemplis.

Lege Deuteronomii sancitum erat, ut exeunte populo Dei ad bellum contra hostes suos, Duces per singulas turmas audiente exercitu proclamarent: (Deut. 20. verf. 8.) *Quis est homo formidolosus & corde pavido? Vadat & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Redemptor noster, qui venerat diripere vasa fortis armati & debellare aëreas potestates, Franciscum sui exercitûs Ducem & signiferum constituit. Ipse siquidem fert in corpore suo stigmata Domini sui Jesu Christi, tanquam vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitûs animentur. Ipse strenuos desiderat sequaces, qui non erubescant crucem Domini sui, & qui parati sint animo forti mysteria divina, quæ corde credunt, etiam ore fideliter confiteri. Hinc vult per Ministros Provinciales inquiri à sollicitantibus sui Ordinis ingressum, *si velint ea* quæ catholicè credunt *fideliter confiteri, & usque in finem firmiter observare.* Rejici vult eos qui non sunt eâ animi fortitudine, ut io tempore belli seu persecutionis excitatæ propter fidem oon audeant, quod corde creditur ad justitiam, etiam ore confiteri ad salutem. *Quis est homo formidolosus, & corde pavido?* Hic non est aptus Ordini Franciscano: (Matth. 10. verf. 33.) *Vadat & revertatur in domum suam.* Summi nostri Imperatoris edictum est: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Non agnoscit eum pro suo milite Franciscus, quem supremus negat Christiani Exercitûs Imperator. Recipit autem eum, qui fortem exhibet animum in confitendo, de quo dicit Christus: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis.* (Ibid. verf. 32.) Talis est miles à Christo & Patre conscriptus; & à Francisco admittendus.

Examinemus porrò quid sit Christum confiteri? Noster Joannes Ferus, scribens super illum textum Matthæi, specificat varia officia fidelis servi Dominum confitentis, petita ex divinis Scripturis; & simul oppositos ac damnabiles modos Christum negandi. *Confiteri Christum*, inquit, *est confiteri ipsum Dominum esse. Quod plura complectitur, quæ vel ex mundano servo disces. Qui enim fidelis est servus.*

Primò, *Apud se cognoscit se esse servum, illum verò Dominum cui servit. Et ob id Domino tribuit gloriam; non sibi: in manus Domini respicit, & ab eo omnia sperat.* Sic agnoscebat se servum Dei Apostolus, eoque titulo tanquam sanctissimo & honorabilissimo gloriabatur: *Paulus servus Jesu Christi*, & in exordiis suarum Epistolarum sese animabat, & disponebat ad ea sancta & præclara servitia, quæ in sequentibus proponebat. Dum venientes ad nos interrogantur: *ad quid veniant?* Una est omnium responsio: *Ad serviendum Deo.* Optimum sanctæ conversationis initium; & si huic itineri perseveranter insistant,

&

& juxta hanc agnitionem & fidem opera sua direxerint, omnia agentes non tanquam servi carnis & mundi, sed tanquam fideles servi Dei, nunquam è recto virtutis tramite aberrabunt.

Secundò, *Nedum in corde suo agnoscit eum Dominum, sed & externis servitiis ipsum profitetur.* Servitia illa ex Evangelio collecta, in regula Minorum expressa inveniuntur. Tantùm quæritur an Candidati velint ea usque in finem firmiter observare?

Tertiò, *Dominum suum coram aliis commendat & deprædicat, ut eos ad amorem ipsius provocet.* Fides admodum imperfecta censebitur, quæ muta est. Apostolus ut fidelis servus dicit: *Nos credimus, propter quod & loquimur.* Quid verò sit loquendum indicat D. Petrus dicens: *Annuntietis virtutes ejus, qui vos vocavit in admirabile lumen suum.* De hoc officio agemus diffusiùs ad Cap. 9. & 12.

2. Cor. 4. vers. 13. 1. Petri 2. vers. 9.

Quartò, *Pati non potest Domini sui contemptum vel injuriam, sed Domini gloriam proprio præfert commodo; quin & vitæ propriæ.* Huoc zelum, & constantiam Fidei & Charitatis, eaposcit Franciscus in hoc verbo Regulæ, juxta illud Apostoli: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri.* Prava & asperans generatio hæreticorum, fidem Catholicam traducit, & probrosam reddere nititur, circa ipsius articulos, quos ipsi ooviter traxerunt in controversiam. Super his ejaculantur scommata contra Catholicos, io mensis & conviviis, in curribus & navibus, & io congressibus quibuscumque: milites, scurræ, mulierculæ; amici amicos diveaant amaris irrisionibus, comicis gesticularionibus, narratiunculis iofamibus, ridiculis interrogationibus, jocosis blasphæmiis, & similibus. Sæculares, contemptibus non assueti, nec perfectè edocti præcepta patientiæ & humilitatis; ut evadant verecondiam, dissimulant, tacent, æstimantque prudentiam latrare cum canibus, & cedere uni malæ horæ, ne pro superstitiosis Papistis habeantur. *Hi sunt, qui cum gaudio accipiunt verbum Dei; non habent autem radicem in se, sed sunt temporales: factâ autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizantur.* Nobiliorem exigit Franciscus audaciam in discipulis suis, frontem duram, vultum immutabilem, & os liberum ad confessionem Religiosiss vetæ, quantumvis per porcos istos conculcatæ, & conspurcatæ scandalis iniqoorum. *Nos gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*, quæ ex mundanorum opprobriis, caccbinnis scurrarum, mendacibus calumniis, & stultorum insanis motibus concionatur. Sub his latet & conservatur Crucifixi gloria. Tuoc verè sumus sancti Evangelii observatores, non quando ut tales à Magnatibus honoramur, suspicimur à populo, & lautè tractamur ab amicis; sed tum maximè, quando repellimur ut putidi Monachi, ut pessimi Pharisæi & Hypocritæ, ut lupi sub pellibus ovinis, ut prædicatores Anti-christi, ut præcursores Papæ, ut superstitiosi idololatræ, ut Martyres Diaboli, ut deceptores mundi, eo solo nomine, quòd Catholici simus & supra omnes alios Catholico-Romani. Hæc mansueto animo pati, crux vera est, Christo nos consocians, & aliqualis fidei nostræ confessio. Ad hoc elegit nos Deus, ut per talem confessionem infirmioribus sæcularibus animum addamus, Religionem suam, ubi opus fuerit, intrepidè profitendi. Insignes multi athletæ ea Ordine Franciscano fortitudinis suæ exemplo nobis præluxerunt. Paucos è multis proponamus ex Martyrologio Franciscano. Joannes Mahusius designatus Episcopus Daventriensis, variis vulneribus dilaniatus, pedibus conculcatus, jacens in mediis platcia velut abjectum cadaver, ioclamans assiduè nomen Jesu, exspirat pro fide Aldernardæ in Flandria. Balthasar à Prato Vir omni doctrinâ, gravitate, & virtute præclarus, in celeberrimis Galliæ civitatibus ob eximias prædicationes plurimùm desideratus, cùm raperetur à Sicariis, & instanter rogaretur, num paratus esset palinodiam recantare, ad omnia nil aliud respondebat, quàm: *Vade post me Sathana, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Unde paulatim pugionibus confossus, & capite in medium discisso, semimortuus io puteum dejicitur. Petrum à Molerio primùm impii blanditiis & promissis adorsi sunt, ut fidem desereret. Contempsit omnia, alligatum ergo ad stipitem, fetaliter verberant, vereoda abscindunt, ventrem aperiont, intestina ligno adunco cum corde extrahunt. Quo in tormento exclamans Christi athleta: *Jesu miserere mei, ac illis ignosce*, animam Deo reddidit. Guilielmus Goudanus post toleratum fœtidum & teterrimum carcerem, & ionumera ludibria ad suspendium trahebatur. Cùmque scalam ascendisset, pio affectu exclamavit: *Domine dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. In manus tuas*, &c. De aliis plurimis Vide *Theatrum Hæretica crudelitatis.* Item *Historiam Martyrum Gorcom.* conscriptam per Eximium Dominum Guil. Estium S. Theol. Doctorem in Duacensi Universitate. Denique *Certamen Seraphicum* Martyrum in Anglia iοterfectorum, novissimè editum per R. Patrem F. Angelum à S. Francisco.

Ad 4. Octobris. Ad 13. Novembris. Ad 16. Novembris. Ad 4. Septembris.

2. Tim. 1. vers. 7.

Matth. 13. vers. 20.

Quintò, Fidelis servus *non erubescit coram adversariis se talem Dominum habere, quantumcumque illi invideant.* Prædictæ constantiæ valdè affinis est hæc gloriatio in Domino Jesu Christo, & humilitate ejus, depositâ mundanâ verecundiâ, & respectu hominum, humilia quæque irridentium: qui etsi Catholici sint, abjectum tamen, ignavum & superstitiosum æstimant monachales nænias & otia amplecti, & sese ab eminentioribus mundi muniis separare. Luce cœlesti illustratus esse debet, qui hos contemnat despectus. Sic erat S. Ludovicus Tolosanus. Hic adiit aliquando secretò Pontificem, & adductis multis rationibus obnixè rogavit ut Episcopatu sibi liceret defungi. Et cùm nonnulli id ejus consilium imprudentiam ioterpretarentur: *Non laboro*, inquit, *habeant me fatuum, modò onere isto & labore ego semel expliær.* Cumque

Vitæ, 11.

que exonerationem illam impetrare non posset; Paupertatem tamen, Christi exemplo, contra mundi judicium consectatus est. Etiam Episcopus unâ veste monasticâ, unâ tunicâ, nequiquam pretiosâ, & fune ad cingendum contentus fuit, & solis ad pedes soleis, imò non rarò nudis omninò pedibus visus est ambulasse. Tota supellex paupertatem testabatur. Lectus, cortinæ, sellæ, coloris Ordini Franciscano convenientis.

Sextò, Fidelis servus ea operatur, quæ scit Domino suo placere, quantumvis aspeta, & à sensibus aliena videantur. Hæc est præcipua, quæ in Candidatis exigitur, præparatio. Cùm enim rarissimæ sint Martyriorum occasiones, non ita necessarium est tyronum animos ad illas suscipiendas explorare; sed cùm quotidie difficultates communes, & repugnantiæ sensualitatis, in adimplendis perfectis Dei beneplacitis occurrant, & impugnent, (quibus frequenter succumbunt etiam qui robustissimi videbantur) multùm expedit ut circa has quotidianas molestias non perfunctoriè tentetur accedentium resolutio. Hinc apud eos non solùm exaltandus est Status Religiosus à quiete & immunitate curarum sæcularium, à libertate, à commoditate studiorum, à suavitatibus spiritualibus; sed oportet insuper eis intimare vias duras, quibus ad illa Dei dona pervenitur. Difficultates Religionis eis proponantur, ad præveniendum tentationes, quæ solent ab umbris istis suscitari. Maximè, si quid singulariter animadvertant, juxta personarum qualitatem futurum importabile, hoc non subticeatur. Aliquibus labores corporales, aliis prolixæ orationes, aliis cæremoniæ, quasi superstitiosæ, aliis obedientia & proprii judicii mortificatio, aliis abjectiora servitia, aliis solitudo & silentium, exotica videbuntur, propter præcedentis status dissonantiam. Ut super his deliberent, præmonendi sunt. Qui virili animo sunt, dum eis onera gravia, austeritates & asperitates proponentur, aspirabunt ad certamen: *Cogitatus* Eccl. 22.
sensati in omni tempore metu non depravabitur. vers. 20.
Sed delicatuli, ad illorum auditum, *sicut pali in excelsis, & camenta sinè impensâ posita, contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum, in cogitatione stulti, contra impetum timoris non resistit.* Ideoque isti, qui delicatuli pueri mansuri præsumuntur, inter ubera materna relinquendi sunt, ne exercitui Domini Sabaoth viriliter procedenti, sint dedecori & impedimento. *Homo formidolosus & corde pavido, vadat & revertatur in domum suam.*

TEXTUS & §. IX.

Et uxores non habent.

SUMMARIUM.

Castitatis professio, cor facit indivisum, ad cogitandum quæ Domini sunt. Facultatem præbet sinè impedimento Dominum obsecrandi. Nuptiæ dissuadentur insigni sententiâ. Continentia illustrior est in adolescentibus.

Isaiæ 56. HÆc dicit Dominus Eunuchis: *qui custodierint Sabbatha mea, elegerint quæ ego*
vers. 5.
volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: Holocausta eorum & victimæ eorum, placebunt mihi super altari meo. Interpretatione Domini Salvatoris, nomine Eunuchorum professores Castitatis intelliguntur.
Matth. 19. *Sunt*, inquit, *Eunuchi, qui seipsos castraverunt*
vers. 12. *propter regnum cœlorum.* Qui absciderunt à corpore suo usum carnalium voluptatum, illarum etiam quæ in Matrimonio tanquam licitæ & honestæ permittuntur. His Eunuchis dabit Dominus in domo sua & in muris suis locum, hoc est, in Sancta Religione, quæ specialiter domus, Dei servitio & inhabitationi deputata: *Adducam eos*, inquit, *in montem sanctum meum*, in statum mundanâ communi conversatione eminentiorem, ubi tanquam in domo orationis jugiter offerant bonorum operum holocausta, & victimas mihi placituras. *Et dabit eis nomen melius*, nomen Religiosorum, quod significat angelicæ puritatis consortes, cives sanctorum & domesticos Dei, qui sequuntur agnum quocumque ierit, quia cum mulieribus non sunt coinquinati. Conformiter huic divinæ ordinationi, Franciscus in hoc textu, significat aptam conditionem admittendorum ad sanctum montem suæ Religionis, esse, *si uxores non habent.*

Apostolus proponens utilitates Virginalis Castitatis ait: *Qui sinè uxore est, solicitus est* 1. Cor. 7.
quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui vers. 32.
autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Puritatem mentis & interiorem dispositionem ad æterna contemplanda habent illi, quibus cor indivisum est ad cogitandum tantùm quæ Domini sunt, quomodo placeant Deo. Cùm ergo opus Franciscanorum sit placere Deo, & procurare amorem Dei; non vulgarem, sed Seraphicum: cui nihil ita obest quàm

petulantior amor creaturæ, præsertim mulieris; debuit hic severè esse à Canditatis nostris eliminatus. Ipse est pondus ingens, quasi appensum alis mentia, ne expeditè evolet ad Deum, eique adhæreat. Non rari inveniuntur, quos Deus vocatione suâ sanctâ dignatur, ut ad amoris sui scholam accedant, seque eidem totos consecrent, quibus concedit aliquid prælibare de suavitatibus in cœlibatûs statu redundantibus; qui interim, si imprudentiùs se ad puellarum effundant familiaritates, & ex juvenili levitate in blandia colloquiis, in lusibus etiam honestis, fictis nuptiarum futurarum & mutui perennis amoris promissionibus, aliisque placendi studiis excedant; sensim Spiritûs sancti scintillam extinguunt, cor amoribus mundanis sauciant, & ineptum penitùs ad cœlestem faciunt conversationem.

Aliam rationem afferebat Paulus consideratione dignissimam: *Porrò hoc ad utilitatem* (Ibid. vers. 35.) *vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* Superiùs ipsis conjugatis temporariam indulserat separationem, ex mutuo consensu, ad vacandum orationi. Cùm igitur unum ex primariis nostris exercitiis esse debeat orare semper ad Deum puro corde; qui rectè hoc aggredi intendit, satis intelligit, quanto studio hoc impedimentum oporteat amovere; quod non tantùm à statu matrimoniali enasci certum est, sed ab affectibus etiam carnalibus nondum planè extinctis. Quòd si conjugales etiam liciti affectus ab orantium cordibus removendi sunt Apostoli consilio; quid censendum erit de meretriciis amoribus, qui non solùm illaqueant animam, sed divinâ gratiâ etiam penitùs destituunt? Qui his intricati sunt vel fuerunt, satis percipiunt, quanto impedimento ab elevationibus mentis retardentur, & in lutum suum recidant & revolvantur.

Vos igitur Canditati, quos Dei & salutis vestræ amor accendit ad quærendum in Ordine nostro asylum, ab hujusmodi laqueis vos expedite, non corpore solùm, verùm & mente. Si fortè contra rixatur in visceribus vestris occasio splendidarum nuptiarum, puellæ speciosæ, divitis, apparenter bene moratæ; & vos amantis, suspirantis, & molliter flentis propter vestram conversionem: erigite, indurate & avertite animum à decipula ista: marmoreum induite pectus, & credite iis, quæ Valerius fusè scribit Ruffino dissuadens nuptias, ubi inter alia sic ait: *Desiderio tuo* (Tom. 4. Operum Hieronymi) *totus inflammatus, & speciosi nobilitate capitis seductus, chymæram esse nescis quod petis: vel nescire debes quod triforme monstrum illud* (mulier) *insignis venustetur facie leonis, olentis maculetur ventre capræ, anguis infidetur caudâ virulenta.* Deinde allatis tristissimis nocumentis, quæ maritis suis pepererunt Eva, Dalila, Bethsabee, & Uxores Salomonis, addit: *Optima fœmina, quæ rarior est Phœnice, amari non potest sine amaritudine metus, & sollicitudinis & frequentis infortunii. Mala autem, quarum tam copiosa sunt examina, ut nullus sit expers malignitatis earum; cùm amantur amarè puniunt, & afflictioni vacant, usque ad divisionem animæ & spiritus. Valentinianus Imperator octogenarius, adhuc Virgo, cùm audiret triumphorum suorum præconia recoli, dicebat unâ se tantùm gloriari victoriâ. Et requisitus, qua? Respondit: Quod inimicorum nequissimum devici, carnem meam.* Et post multa Valerius: *Insani capitis*, inquit, *est fœmina, indeliberatâ semper voluntate. Præcipuum arbitratur quod vult, & non quod expedit: & ut præ omnibus placere cupit, ita placitum suum præferre omnibus consueta est.* Qui non æstimet beneficium, à tam dolosæ & onerosæ servitutis periculo liberari? Gravis quidem incumbit labor, insanitati & excæcatæ concupiscentiæ reluctandi: præsertim dum ad externas illecebras hinnit, & anhelat juvenilis fervor, & petulans pruritus florentis ætatis. Utinam assentiantur tales D. (Serm. 19 in Psal. 118.) Ambrosio, commendanti sanctam continentiam, quæ in adolescentia senilem induit gravitatem, & juveniles annos veteranâ quadam regit continentiâ, fervoremque virentis corporis in cana morum maturitate componit. *Quid potest*, inquit, *habere laudis, si effœtum corpus voluptatibus, & jam senectutis gelu frigidum ad sera devotionis officia, deposito jam seguior vigore convertat? Non est corona, nisi ubi fuerit difficilioris lucta certaminis, ad quam rari attingere possunt; nec omnes qui ingressi fuerint stadium, pervenire. Ille laudabilis est, qui carnem suam, sibi reluctantem, mentis imperio, parcâ frugalitate castigat, & servituti redigit, ne effrænatâ libertate luxuriet, atque indomitâ fervens cupiditate; habenas animi regentis abrumpat.* In eum aspiciamus honorem, ad eum aspiremus, & Dominus erit nobis à dextris, ne commoveamur.

TEXTUS & §. X.

Vel si habent, & jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, &c.

SUMMARIUM.

Status religiosi susceptione, solvitur matrimonialis conjugum obligatio. Ut maritus profiteri possit, debet uxor intrasse Religionem vel votum continentiæ emisisse auctoritate Episcopi. Sitque profecta ætatis. Recensentur præclari viri qui ad Religionem transierunt è Matrimonio. Illis necessaria fuit magna animi fortitudo ad moderandum amorem prolium. Quid cavendum, quando Pater & filius eandem ingrediuntur Religionem?

COnsolabatur olim Dominus populum suum vaticinio Isaiæ, dicens: *Et erit in*
Isa. 10. vers. 27. *die illa: Auferatur onus Assur de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei.* Ex supra dictis satis liquet gravitas oneris Matrimonii, & molestia jugi illius, cui Maritus & Uxor colla subdunt, dum in individuam vitæ societatem colligantur. Piissimus Dominus Jesus voluit suâ ineffabili misericordiâ, pressos eo onere consolari, providendo modum, quo auferretur onus illud de humero eorum, & jugum de collo eorum. Quis verò est ille modus? *Computrescet*, inquiebat Propheta, *jugum à facie olei.* Oleum divinæ gratiæ, quo unguntur conjugum animæ, & vocatione sanctâ ad Religionem invitantur, facit computrescere jugum Matrimoniale, quando ex consensu mutuo Statum illum perfectionis & angelicæ conversationis amplectuntur. Ex tunc enim cessant graves illæ Matrimonii obligationes. Et hoc oleo perunctus requirit pro sua Religione Franciscus, & quorum jugum jam à facie istius olei computruerit. *Si*, inquit, *habent uxores, & jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, &c.* Ut jugum Christi suave & onus ejus leve portare possint, expediantur primùm à gravi jugo mundi. Accingentes se ad militiam Dei, explicentur prius à negotiis sæcularibus. Selectiores quosdam servos suos olim perunxit Deus oleo tam efficacis gratiæ, ut jugum illud computresceret à facie hujus olei, & vincula illa disrumperent, & in Monasteriis sese abderent, modò viri, modò mulieres: ut omnibus esset manifestum, invictam esse charitatem Dei,
Matth. 10. vers. 35. quæ sicut *separat hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam*, ita etiam potens est separare à conjuge ad serviendum nobiliùs Deo viventi. Hoc facinus mundanis videtur admirabile, metiendo illud juxta æstimationes humanas; revera tamen non adeò admirabile apparebit, si perpendamus similes à supernaturali virtute factas separationes. Quot enumerantur Martyres, qui calcato conjugali affectu, & ad ejulatus uxorum indurati, ad horrenda tormenta & ad mortem ipsam properârunt? Et ne ultra naturæ metas transeamus, quotidiè videmus properantes alacriter ad bellum, etiam periculosissimum, contemptis blanditiis & lamentis uxoriis; quos tamen modica admodum aut nulla spes mercedis allicit, nisi forrasis gloriolæ alicujus momentaneæ. Quod etiam inveniuntur, qui magnis cum expensis se à conjugibus separant ex acceptæ alicujus injuriæ indignatione. Si ergo dolor proprius, aut exterioris alicujus boni amor, potest honestum illud vinculum dissolvere quoad thorum & cohabitationem, & cujuscumque boni in matrimonio sperandi gustum extinguere; mirum non videatur, quòd nobilis amor Dei idipsum possit & operetur, dum mentem pulsant & evincunt divinæ vocationis argumenta.

Dum igitur aliqui tali amore accensi gratiam nostram exposcunt, non sunt promiscuè rejiciendi: cùm sint magni animi & futuri fervoris specimen tam præclarum præbeant; & verum contemptûs mundi argumentum sit, non possessiones tantùm, Patrem & Matrem, honores aliaque similia deserere; sed, quod amantissimum est in mundo, uxorem & proles, à visceribus propriis avellere, ut soli Deo paratus & liber locus sit in cordibus eorum. Quia tamen hoc injuriam aliquam præ se fert, non solùm in personam derelictam, verùm & in ipsa connubii jura à Deo condita & firmata; voluit Seraphicus Patriarcha conditiones præfigere sufficientes, quibus injuria quæcumque providè averteretur. Sicut enim arcendi sunt obstricti pecuniariis debitis, ne ad injuriam tertii concurramus; multò magis cavendum ab uxorum injuria, quæ non solùm corpora maritorum, sed & alia eaque plurima humana subsidia jure ab eis exposcunt.

Primò igitur vult *ut Monasterium jam intraverint uxores*, aut ad ingressum ita se obstrinxerint, ut jam quasi ingressæ censeantur: vel licentiam liberè maritis dederint, cedentes vicissim juri suo quocumque casu eventuro. Verendum alioqui, ne eis periculum accidat, quod aliquando F. Gondisalvo Sanchez. (Chron. Min. p. 2. l. 9. cap. 14.) Huic cùm in extremis esset & nulla appareret spes convalescentiæ, consenserat Uxor, ut Ordinis nostri habitum assumeret. Sed ipso præter spem suspite facto, mulier, quæ magno ipsius tenebatur amore, Conventum accessit & repetiit maritum. Ubi Vir Deo plenus, ut tricas inde exorituras præveniret, petiit ab amicis præsentibus, ut solus cum sola loqui permitteretur. Cùmque in hoc consentirent, trahens eam ad partem, ingenti spiritus fervore protulit hæc verba plena amoris & timoris: *Si verum est, ut tu dicis, O Domina, quòd tantopere me ames, cur tam contraria es meæ justæ voluntati, & tam vehementer me affligis? Dic mihi, qui fieri potest, ut bona sit erga amicum voluntas, si impediat & avertat eum à bono, quod illi adfert salutem? Si cogerer deserere hunc meum novum statum, non haberem te pro amica, sed pro inimica mortali, tanquam quæ sis saluti meæ æternæ contraria. Si amas tantopere hoc corpus mortale, deberes multo magis diligere hanc immortalem animam. Et hanc ob causam meliùs erit ut nostra unio sempiterna sit in regno cælesti; quam ut vivamus pariter in terra modico quod nobis superest vitæ tempore.* His aliisque verbis, quæ proferebat Vir Dei de vanitatum mundi contemptu, cooperante divinâ gratiâ tactum & concussum est cor mulieris, & mutatum in melius. Siquidem resolvit ex mariti consilio Ordinem Sanctæ Claræ amplecti, præsentibusque amicis ad mutationem tam mirabilem attonitis, F. Gondisalvus uxorem induit, & sacro habito donavit.

Secundò, Requirit *votum continentiæ* ab uxoribus *jam emissum*. Licèt enim illæ ad continentiæ necessitatem sese coarctent per hunc consensum, quia nulla eis relinquitur aliis nubendi potestas vivente marito; remotior tamen est tentationum occasio, dum voti vinculum superadditum est: ut si quæ fortassis fidei marito servandæ oblivisceretur, religione fidei Deo servandæ arctiùs cohibeantur.

Tertiò, Hæc fiant interveniente *auctoritate Diœcesani Episcopi*, cujus sicut est judicare de Divortiis, ita in hac causa eum agnosci decet & audiri. Cùm enim suboriri possent prætensiones alicujus interesse, sive prolium, sive affinium, sive aliorum, de quibus non decet cognoscere Fratres conjugatum admittentes, examen eorum Episcopo remittendum fuit. Deinde sicut voluit Ecclesia, Episcopi explorarent liberam voluntatem puellarum ingredientium Monasteria vel profitentium, ad securitatem Monasteriorum, ne periculum sit muliebrium palinodiarum, quibus reclament se non liberè ingressas vel professas: sic etiam hic, ne mendaciis, inconstantiis & litibus locus relinqueretur, conveniebat, ut consensus mulieris maritum dimittentis ad Religionem, coram Ecclesiastico Judice transfigeretur & firmaretur. Demum congruebat, ut sicut præsente Christi Ministro ad se mutuò accesserunt in contractu Matrimoniali; sic eodem præsente & benedicente à se mutuò recedant, pergentes ad crucis Christi communionem, & mortem spiritualem.

Quartò, ut tantò remotiores sint derelictæ à suspicione futuri adulterii, vel incontinentiæ, aut displicentiæ de tali consensu, *illius ætatis sint uxores, quòd non possit de eis oriri suspicio*. Voluit S. Pater Ordinem nostrum immunem esse ab improperiis, quæ nobis talium lapsuum occasione impingi possent, quasi misellas istas necessario destituissemus præsidio, indiscretè suscipiendo viros, ipsis alioqui tantoperè obligatos, & donatos à Domino. (Annal. Tom. 3. an. 1322. num. 8) Infamiam attulit Ordini illegitima separatio infelicis Anti-papæ, F. Petri Corbarii, quem uxor audiens evectum ad Pontificatum, in publico judicio repetiit coram Episcopo Reatino, qui & pro ipsa sententiam tulit.

Observatis autem prædictis cautelis, restat tantummodo, ut isti Candidati magnum afferant animum, ad transferendum amores castos in Deum solum, quos olim impenderant partim in fragilem & molestam creaturam. Nec putent se omninò liberos ab oneribus, quia matrimonialia excusserunt; sed humeros suos æquè gravibus præparent, & sublimioribus. Si juxta heroica ista initia progrediantur, speranda est in eis illustrior virtus, prout in viris quibusdam insignibus apparuit, qui fuerunt hâc extraordinariæ vocationis gratiâ roborati, F. Marcus à S. Maria, (Chron. Min. p. 3. l. 7. c. 30) Doctor Medicus, dives & honoratus Ordinem hunc aggressus est, tum ad animæ propriæ salvationem; tum ad exercendum circa alios sublimiorem curationem animarum. Uxor ejus pariter Ordini Sanctæ Claræ adscripta est, F. Franciscus Paravinus, nobilis eques (Ibid. Lib. 3. cap. 44.) auratus, & nominatissimus ob gloriam militarem, cùm vocatus esset diversis angelicis apparitionibus, divinamque certò comperisset voluntatem, instillavit primò in mentem conjugis contemtum mundi, & mutuam separationem: quæ alacriter semetipsam Deo consecravit: ille verò huic nostræ militiæ nomen dedit, evasitque in virum admirabilem atque sanctissimum, F. Petrus Melargi (Chron. p. 4. l. 2. cap. 26.) nobilis miles sub Rege Castiliæ, dum se vidisset è carceribus hostilibus miraculosè liberatum, cogitare cœpit de similiter evadendo mundi carcere, in quo jacebat matrimoniali catenâ constrictus. Prædicavit uxori amorem Jesu Christi, quo plenus erat, ita efficaciter, ut ipsa mariti amorem in Deum transferens monasterium ingrederetur, & hunc athletam liberum relinqueret ad sequendum divinas vocationes. Disposuerat Deus ipso uti ad Provinciarum Hispaniæ Reformationem: quam & postea impigrè ac feliciter confecit, F. Franciscus Trivultius doctissimus (Chron. p. 3. l. 6. cap. 40.) Jurisperitus præclaræ nupserat puellæ. Prima nuptiarum nocte, dum utrimque difficilior est lucta contra concupiscentiam, in ardore spiritûs non seipsum modò, sed sponsam etiam sic devicit, ut ipsa votum emittens

virgi-

virginitatis, continuò ad Monasterium evolaret: ipse verò similiter evangelicam Francisci Regulam, in novam & individuam sponsam assumeret; cui fidem servavit usque ad mortem. B. Joannes Capistranus, in omnibus suis magnus, hac etiam sui ipsius victoriâ enituit. Mirabilibus modis à Deo tractus fuerat, ut huic Ordini nomen daret, tum per carcerum afflictiones, tum per vocationes cœlestes apertissimas, tum per vim spiritûs interiorem. Nihil eum retinere posse videbatur, nisi virgo quædam nobilis & dives, cui erat desponsatus. Sed tandem auxiliante divinâ gratiâ, illius amorem tanquam araneatum telam rupit, ut cœptam conversionem prosequeretur. Habuimus etiam temporibus nostris in Brabantia duos insignes pietate conjuges, Dominum Anselmum vanden Cruyce & Domicellam Catharinam Daniels, qui postquam aliquot annorum continentiam probassent in sæculo, ambo ad Religionem convolarunt. Iste insertus præclaræ Societati Jesu, hæc verò Ordini B. Mariæ de Anuntiatione, in Monasterio Lovaniensi recepta. Tantâ enituit hæc Religiosa erga proximos charitate, ut pro conversione duorum adolescentum, quos mundi nexibus noverat detineri Sponso suo Christo, geminum obtulerit lumen oculorum. Exaudita est pro divina clementia, & sedecim annorum, non modò patienter, verùm & gaudenter sustinuit cæcitatem; asserens interdum eam se non aliter æstimare, quàm pretiosum monile, sibi à sponso directum è cœlo. Multis tandem infirmitatum tunsionibus & pressuris expolita, & supernæ Jerusalem ædificio adaptata, pientissimè vitam finivit an. 1627. Isti omnes & alii multi experti sunt gladium, quem venit Christus mittere in terram, eò atrociùs, quàm in reali Martyrio, quòd hic carnem in viro & uxore unitam dividat, vivas tamen ambas partes relinquens, ad luctæ interioris continuationem.

Annal. Tom. 5. an. 1414. num. 3.

Porrò, sicut in amore uxorum comprimendo, & compassione earum contemnendâ, circumspectio sufficiens adhibenda est, ne contra naturalem divinamque obligationem injuria committatur, pat & fortè major exigitur ratio in desertione prolium, quibus Deus & natura jubent providere, & quas derelinquere dissuadet invictus amor, qui & sanctissimas animas aliquando mirabiliter captivavit. S. Paulæ anima, teste Divo Hieronymo, in cæteris cœlestis videbatur, sed in avulsione à prolibus, prodebat se quid humani, idque immodicum. Visi sunt Apostatæ aliqui conscientiæ tempestatibus concussi, & per omnia fermè ad meliora conversi, hoc tantummodo laqueo retineri, quod parvulos haberent, quos deserere non possent. Longè supra naturam debet esse Charitas ista, quæ pertinacem illum naturæ nodum discindat & absumat. Dura sicut infernus & summoperè indurata æmulatio, quæ ad prolium lachrymas non tenerescit. Debebant in cautes & laxa converti esse SS. Marcus & Marcellianus Martyres, ad quorum animos emolliendos uxores & filii lachrymabundi accesserant, deprecaturi ne in tormenta & in mortem irent; & permoveri cœperant initio; oratione tamen & eloquentiâ S. Sebastiani confirmati, immobiles in proposito usque ad atrocem mortem perstiterunt. Non absimilis est abnegatio propriorum viscerum in proposito capessendæ Religionis; sed à Prælatis recipientibus maturè perpendenda & regulanda, Primò, ut pro debita prolium provisione solliciti fuerint, prolesque sint positæ in securitate sufficienti, judicio illorum ad quos onera ista devolventur. Si namque S. P. N. ad præcavendas sollicitudines de pueris noluit nos compatres fieri; multò minus admitti voluit partes naturales, qui se, & Ordinem, inquietâ sollicitudine fatigarent, sed cum provida ac singulari circumspectione circa tales procedi voluisse non est ambigendum. Deinde ut testimoniis sufficientibus probatum sit affectum naturalem in patribus istis, ita superatum esse, & ad regulas monasticæ obedientiæ ac mortificationis reductum, ut impostetum nec ipsis nec Ordini suscitet molestias, dum fortassis importunè revivisceret, & ad curas revocaret huic Instituto indecentes. Semper suspecta esse debet paterni amoris pertinacia. Constare debet, quòd prævalet amor Crucifixi, atque illius sancta æmulatio, qui propter naturalem Matris compassionem, non fugit crucem, neque ab ea descendit; sed modicâ & regulatâ sollicitudine pro matre, brevibus ei verbis satisfecit. Tunc autem sicut rari, ita & magni, & ad sublimiora vocati præsumantur viri isti, quos adinstar Abrahæ probat Deus, de quibus proinde speranda est illustris aliqua gratia, si in proposito perseverent. Abrahamo post excellentem illam probationem circa immolationem filii, amplissimas fecit Deus promissiones, & novis eum benedictionibus cumulavit: sic illis etiam faciet Dominus, qui se à Filiis avellentes propter ipsum, devinciunt sibi ipsum, ad insuetatas aliquas gratias conferendum. Excelluit in hac mortificatione, F. Adolphus, quondam Comes Holsatiæ, qui relicto splendore mundano ac filiis, panpetuum nostrum habitum assumpsit. De ipso refertur hoc magnæ humilitatis exemplum: semel namque lac mendicabat, ut haberent operarii & Fratres (qui ædificabant Monasterium in Oppido Kyl) quo inter laborandum per æstum reficerentur, cùm hydriam bajulans lacte plenam, in media platea à qua declinare iter non poterat, obvios habuisset filios sublimes in equis Comitum more sæcularium, passus est humani aliquid in animo, ut rubore cœperit perfundi. Sed mox le excutiens, confortatur, & robur mentis advocans, cùm adhuc in conspectu essent filii; hydriam levatam super caput evertit, seque totum à vertice lacte perfudit, dixitque sibi: *Infelix, erubuisti Christi paupertem, bajulare lac in manibus; nunc verò in capite ostende, quid portaveris.*

Annal. Tom. 1. an. 1244. num. 12.

Cautione similiter opus est, dum Pater optat Filium secum admitti. Nemo est, qui ignoret amicitias particulares venenum esse charitatis

tatis communis. Non modica offensio est communitatis, dum sanguine juncti, in eodem conventu habitantes, secretis consiliis & colloquiis, apertis delictorum defensionibus, & munusculis, vel adjutoriis se mutuò fovent, cæteris fratribus contemptis. Suspicio autem esse potest hujus incommodi ex patris & filii cobabitatione oritori. Superavit tameo aliquando gratia naturales inclinationes, & profundâ oblivione tam in filiis quàm in patribus sepelivit. Observatum id fuit in F. Angelo de Groppina, cujus uxor cùm facta esset monialis, ipse verò nostris in Conventu Montis Caroli unâ cum filio aggregatus, extincto omni, quod carnale esse poterat, ambo vitam angelicam duxeruot.

Gonzaga ad 15. Convent. Tuscia.

TEXTVS & §. XI.

Dicant eis verbum S. Evangelii quòd vadant & vendant omnia sua.

SVMMARIVM.

Franciscus facto & verbo docuit omnia terrena relinquere propter Christum. Thesaurus promissus, omnia sic renunciantibus, consistit 1. In sollicitudine Dei pro eorum necessitatibus. Providit illis aliquando miraculosè, etiam per malos: imò per dæmones. 2. In Immunitate à sollicitudinibus. 3. Per eam emitur divina charitas. 4. Aditur vitæ æternæ possessio.

Marc 10. vers. 17. QUodam tempore, cùm Jesus egressus esset in viam, *præcurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Indixit illi primùm observantiam præceptorum: cùmque se ista à juventute assereret observasse, vers. 21. *Jesus intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Huic Evangelicæ perfectionis præscripto aurem præbuit servus altissimi Franciscus, & omnem sollicitudinem cordis apposuit, qualiter auditam perficeret lectionem, & Evangelicæ rectitudinis regulæ se per omnia coaptaret. Hinc amore supernæ patriæ terrena omnia despiciebat quasi nihil. Matth. 13. vers. 44. & 45. Thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negotiator margaritam inventam excogitabat venditis omnibus comparare. Cùm coram Episcopo Assisii depositis omnibus vestimentis restituisset ea Patri, hujus faciebat thesauri mentionem: *Usque nunc* Vita c. 2. num. 4. inquiens Patri, *vocavi te Patrem in terris, amodo autem securè dicere possum: Pater noster qui es in cælis, apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocavi.* Bernardus à Quinta-valle, qui Beati Patris primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quàm privilegio sanctitatis, cùm statuisset ipsius vivendi normam imitari, qualiter id faceret ipsum his verbis subdubius Annal. Tom. 1. an. 1209. num. 4. interrogabat: *Si quis, Francisce, à Domino suo pauca vel multa in plures annos reciperet, nolletque eis ampliùs uti, quid de hujusmodi bonis tibi meliùs faciendum videtur?* Cui Sanctus Vir ex tempore respondit: *Ea Domino suo, à quo recepit, reddere debet.* Cui denuò Bernardus: Francisce plura ego habeo bona, quàm meruerim, à Domino, ea secundùm tuum consilium libenter reddam, eo quo disposueris modo: nam te sequi tibique adhærere decrevi. Hoc sanctum propositum cùm fuisset trinâ Evangelii apertione, trinoque à Deo testimonio confirmatum, Bernardus res suas satis opimas ære commutavit, pecuniamque ipsam asportari fecit in aream S. Georgii, ubi, præceptore Francisco, congregatis egenis, mendicis, peregrinis, orphanis & viduis, omnia liberaliter distribuit, completisque Evangelii consiliis, habitu & vitâ Francisco associatus est. Miratus est tum mundus, & miratur etiamnum, tanquam stultam ejusmodi facultatum abdicationem, quæ abjicit illud, quod tantis communiter sudoribus ab aliis comparatur. Viri verò quos intuitus est Jesus gratiâ & vocatione suâ; quos dilexit, speciali amoris argumento ad statum pertrahens Religiosum, animum induunt istis mundi quisquiliis superiorem, aurémque & cor apponunt divinæ promissioni & vocationi: *Habebis thesaurum in cælo. Veni sequere me.*

Thesaurus profectò ingens, est infallibilis illa providentia, quam nobis solemniter promisit Dei Filius, dum renuntiaverimus infirmæ providentiæ nostræ. *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia*, Matth. 6. vers. 33. terrena, corpori sustentando necessaria, *adjicientur vobis.* Non simus solliciti, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit Pater noster cœlestis quia his omnibus indigemus. Quid Vita cap. 4. num. 1. nobis deesse potest, curam nostri agente Patre cœlesti? Franciscus & socii ejus, cum quodam tempore versus vallem Spoletanam

iter

iter arriperent, lassati ex diuturnitate itineris, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sanè cùm omnis via deesset quâ possent sibi de victu necessario providere, statim affuit providentia Dei. Nam subitò apparuit homo, afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit: subitòque disparuit, incognitus unde venerit aut quò iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes Fratres supernum sibi in comitatu Viri Dei adesse præsidium, magis dono liberalitatis divinæ,
Vita cap. 3. num. 6. quàm cibo carnis propriæ sunt refecti. Quotiescumque etiam S. Pater fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat, dicere solitus erat:
Psal. 54. vers. 23. *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Iste Magnus Pater-familias, filiis suis, etiam per hostes fidei, & per alios truces raptores: imò per ipsos fidei malignos dæmones quan-
Annal. Tom. 1. an 1247. num. 5. doque succurrit. Cùm B. Joannes Parens Generalis visitaret ultramontanas Provincias, contigit brumali tempore eum errore itineris totâ die deviasse, atque in deserto mediisque sylvis ingruentem noctem sustinuisse. Unde socii de periculo anxii eum interrogarunt, quid faciendum? Respondit securus, ad divinum auxilium esse confugiendum. Securè confiderent, Deum numquam sperantibus in se defuisse. Implorandam esse B. Virginem & B. Patrem Franciscum. Primus ergo incepit Antiphonam: *Benedicta tu.* Respondentibus sociis prosequutus est tres Psalmos primi nocturni officii B. Virginis. Versiculi loco subjecit *Ave Maria gratiâ plena, &c.* Mox orationem Dominicam, absolutionem & reliqua: nisi quòd Lectionum loco recitaverit: *Sancta Maria Virgo Virginum, &c.* Subinde: *Te Deum laudamus, &c. Ave Regina cœlorum, &c.* Cùm eodem versu, & oratione *Gratiam tuam, &c.* His finitis ad beatum Franciscum conversus, præcinit Psalm. *Voce meâ ad Dominum clamavi, &c.* cum Antiphona *Salve sancte Pater, &c.* versu & oratione consuetis. Adjecit: *Benedicamus Domino: Te decet laus, te decet hymnus.* Quibus dictis audierunt pulsari campanam; quo excitati magis in divinas laudes, ad sonitum perrexerunt, viâ lutulentâ & difficili, donec ad vicinam pervenerint Abbatiam. Pulsato ostio, præsto obviam fiunt, quasi ex condicto expectantes, plures monachi, qui promptè receperunt hospites, ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt cœnam & sternunt lectos, omnia ministrant necessaria, magnâ, ut videbatur, alacritate. Post primam vigiliam surrexit Generalis ad orationem, & auditâ campanâ, quâ nocte ad laudes divinas convocantur monachi, ad chorum cum ipsis convenit, relictis sociis, qui somno & fatigatione detinebantur. Officium incepturus Hebdomadarius, nec consuetâ est usus ceremoniâ, nec
Psal. 51. vers. 13. ordine, nec versiculo *Domine labia;* sed abruptim, & cum turbatione incepit illo versu Psalmi: *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Respondit Chorus: *Expulsi sunt nec potuerunt stare.* Tertiò idipsum repetitum. Quod suspicionem ingessit Generali. Præcepit igitur in virtute Passionis Christi & sanctissimi Nominis ejus, ut ociùs edicerent, quinam essent? Respondit, qui Abbatis loco videbatur præesse, omnes esse angelos tenebrarum, qui ex divino præcepto inviti missi sunt ad ministrandum eâ nocte ipsi & sociis, precibus, inquiebat, Matris Dei & illius venerabilis Patris vestri: quibus dictis, totum evanuit quod ibidem extructum cernebatur. Se autem cum sociis in nemoroso antro atque in nuda humo invenit Generalis. Excitatis sociis, in laudibus divinis reliquam noctem usque ad auroram, quæ jam instabat, vigiles duxerunt, & surgentes iter progressi ad Conventum Ordinis pervenerunt.

Altera pars hujus Thesauri est Immunitas ab anxiis sollicitudinibus, & pacis internæ possessio per gloriosam victoriam & compressionem cupiditatis. Fallaces istæ divitiæ rectè per Salvatorem nostrum spinæ appellantur, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant. Veri compedes sunt, detinentes animam, ne possit ad cœlestia evolare. Molæ sunt, durissimè conterentes corda se possidentium atque amantium. Cupiditatis insatiabilitatem, crudelitatem & horrificam formam graphicè describit Prudentius Psychomachia 6. Et mox subdit, quàm triumphanter illam subjuget sancta Liberalitas, his verbis concludens istud duellum:

Solvite procinctum justi, & discedite ab armis.
Causa mali tanti jacet interfecta, lucrandi.
Ingluvie pereunte, licet requiescere sanctis.
Summa quies, nil velle super quàm postulet usus.

Inæstimabilis planè thesaurus immunitas à tyrannide Cupiditatis. illam intelligite ex D. Chrysostomi descriptione contrariæ infelicis servitutis quàm Cupiditas inducit. *Illa,* inquit, Hom. 23 in 1. Corinth.
suos amatores nulla meliori conditione esse permittit, quàm damnatos ad effossionem metallorum. Ut enim illi perpetuò in tenebras inclusi & ligati maximis exercentur laboribus; ita & hi in avaritiæ speluncis defossi nullâ vi aut necessitate, sed sponte suâ subeunt supplicium, & seipsos vinculis alligant insolubilibus. Rei isti, vespere saltem laboribus relaxantur; hi autem, die noctuque hujusmodi mala metalla effodiunt. Et illis quidem mensura definita est laboris; Hi vero nullam mensuram laboris norunt, sed quantò magis effodiunt, tantò magis miseriam illam desiderant. Quòd si illi inviti operantur; hi sponte. Difficultas morbi est, à quo minimè liberari possunt; siquidem odio non habent, quòd malo afficiantur, sed tanquam sus in cœno, ita hi in avaritiæ sordibus involuti lætantur, graviora quàm Rei isti patientes. Pudenda & damnabilia sunt genimina istius pravæ Concupiscentiæ. Oculos claudit, ne videant quod justum est; aures obdurat, ne audiant clamores pauperum & creditorum; cor indurat ad amicitiam, etiam proximorum consanguineorum; os claudit, ne in propria necessitate utatur acquisitis; denique animam propriam venalem exponit Diabolo, dum contempto vero Domino, Mammonæ iniquo servire non veretur.

Aliam partem thesauri nobis promissi insinuat Angelus apparens Joanni, dum ait:
Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, Apoc. 3. vers. 18.
ut locuples fias. Aurum hic significare Charitatem, communis est Doctorum interpretatio.

Hæc

Hæc liberali distributione Spiritûs Sancti communiter infunditur; specie tamen aliquâ emptionis acquiri posse hic insinuatur, dum eam emere suademur. Quo pretio? Certè
Cant. 8. vers. 7. *si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Non æstimabit se aliquid dedisse in comparatione valoris illius dilectionis, quam concupiscit; sicut & in veritate nihil est. Quia tamen Dei bonitas tanta est, ut hoc opus dandi omnem substantiam magni faciat, & acceptet illud quasi in pretium sufficiens; patitur infusionem istius charitatis, emptionem appellari. Nec unquam ipse deest contractui ex sua parte, si in sinceritate pro nomine ejus nosipsos omni substantiâ nostrâ irrevocabiliter spoliemus. *Vende*, inquit Salvator quasi dicat: non alienes per mutuum aut depositum; sed per venditionem, eamque irrevocabilem. Neque partem tantùm, aut superflua, aut immobilia tantùm, aut mobilia; sed *omnia quæ habes*, nullo penitus reservato.

Quartò, Potior pars thesauri renuntiantibus sæculo repromissi, est vitæ æternæ pos-
Matth. 19. vers. 29. sessio: *Qui reliquerit domum &c. vitam æternam possidebit.* S. Prosper expendens, quod Josue cap. 13. non dederit Tribui Levi pos-
De vita contemp. l. 2. c. 16. sessionem in terra Chanaan, quoniam Dominus Deus Israël ipse est possessio ejus, sic ait: *Satis hinc ostenditur, quòd hi qui terrena hæreditatis contempserint portionem, Deum spiritualiter mereantur possidere; cujus ditati muneribus, omnia, quæ præclara habentur, in mundo fastidiunt, & ipsum possidere vel ab ipso possideri, eo solo perfrui atque illi inseparabiliter adhærere concupiscunt. Et propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare propter quæ diligitur mundus, ut exclusâ cupiditate mundi, divina in eis charitatis augeri possit & perfici.* Ingens planè thesaurus Beatitudo, status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hujus propositione excitandi animi tyronum, ad heroicum actum abrenuntiationis terrenorum. More suo mellifluis verbis id præstat Bernardus: *Si sapis*, inquit,
si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum; desine jam ea sequi, quæ & assequi miserum est. Beatus qui post illa non abiit quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. An non satiùs ea cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? An non ea prudentiùs Christi cedis amori, quàm morti? Est in insidiis prædo, cujus manibus nec tua nec te potes subducere. Non poterit prævideri, quia tanquam fur in nocte, ita veniet. Nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium quin nec quidquam auferes. Dormies somnum tuum, & nihil invenies in manibus tuis. Sed nosti hæc. Non est in docendo superfluè laborandum. Orandum potiùs, ut quod tibi jam nosse datum est, detur & implere prout oportet. Epist. 103

TEXTVS & §. XII.

Et ea studeant pauperibus erogare.

SVMMARIVM.

Ad Domum Dei, sive Religionem ingressus faciendus per eleëmosynam, D. Basilius acri perstringit censurâ carnales amicos, qui Novitiorum pias dispositiones impediunt. Sophisma politicorum. contra simultaneam omnium bonorum erogationem, eliditur. Religiosis non deest occasio benefaciendi pauperibus.

Narrat sacra Regum Historia, quòd fecerit Salomon, *in ingressu oraculi, ostiola de*
3. Reg. 6. vers. 31. & 33. *lignis olivarum.* Itemque *in introitu templi, postes de lignis olivarum quadrangulatos.* Quo facto significatum voluit Spiritus Sanctus, ingressum ad domum Dei, ad domum orationis, vel ad locum aliis Dei obsequiis dedicatum, confici debere de Olea Misericordiæ. Voluit pientissimus Deus, proximis indigentibus opera misericordiæ impendi, & sic ingressum ac dispositionem fieri ad ipsis misericordiam postulandam; quemadmodum scrip-
Luc. 6. vers. 38. tum est: *Date & dabitur vobis. Eâdem quippe mensurâ quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Similî pietatis consilio, divinorum operum æmulator Franciscus, postes & ostia templi & oraculi suæ Seraphicæ Religionis fecit *de lignis olivarum*; præscribens eum Ordinem ingressuris, ut per januam intrent Misericordiæ, inquiens: *omnia sua studeant pauperibus erogare.* Ipse vitæ suæ exordio intentus fuit ostiolis *de lignis olivarum* fabricandis, quæ postmodum appendi faceret ad ingressum oraculi, per se postmodum construendi. Inerat namque ju- Vita cap. 1.
venis Francisci præcordiis divinitùs indita quædam ad pauperes miseratio liberalis: quæ secum ab infantia crescens, tantâ cor ipsius benignitate repleverat, ut jam Evangelii non Luc. 6.
surdus auditor, omni proponeret se petenti vers. 30.
tribuere, maximè si divinum allegaret amorem. Cùm autem semel negotiationis intentus tumultibus pauperem quendam pro amore Dei petentem eleëmosynam, præter morem solitum, vacuum repulisset: statim ad cor reversus, cucurrit post ipsum; & eleëmosynâ illi clementer impensâ, promisit Domino Deo, quòd nunquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret: quod usque ad mortem indefessâ pietate observans, copiosa in Deum dilectionis & gratiæ incrementa

incrementa promeruit. Volens autem etiam sequaces suos similem erga pauperes induere benignitatem, & viscera misericordiæ, legem tulit ut *omnia sua studeant pauperibus erogare*; alioqui ab eo misericordiam intromissionis ad Ordinem non consecuturi, nisi & ipsi similem præstiterint indigentibus. Quidam petens Ori-
Opusc. S. Franc. Tom. 3. Apopht. 22. dinis habitum sua distribuerat consanguineis & cognatis. Cùmque venisset ad Beatum Patrem, & quæ fecerat retulisset, repulsam tulit his verbis: *Vade frater musca, nondum existi de cognatione tua & de domo patris tui. Non est dignus jungi pauperibus Christi, qui pauperes defraudavit. Incepisti à carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ posuisti. Vade viam tuam.*

Non ignoramus, amicos & cognatos inhiare vehementer bonis istis quæ derelinquuntur, multisque artibus mendaciorum, lamentorum, comminationum & promissionum impedire vocatos, ne omnia erogent pauperibus. Suæ discretioni hoc relictum volunt, perditum sibi æstimant quidquid Christo tribuitur, allegant sibi injuriam fieri, contendunt acriter pro interesse proprio; ita ut teneriores isti tyrones, ad tales impetus, concutiantur à pusillanimitate spiritûs; & fraudulentiis decepti, acquiescant irrationabili illorum voluntati. Illos fraudulentos pauperum exspoliatores, acri reprehensione perstringit S. Basilius, & docet re-
quæst. 9 fusius explic. nontiantes, quâ discretione hic agant: *Non oportet*, inquit, *contemptim erga ea quæ ad se pertinent affici, sed conari, ut omnia exactè accepta, velut Domino de cætero consecrata, cum omni pietate dispenset: aut per ipsum, si eâ potentiâ & experientiâ præditus sit: aut per delectos cum magna probatione, & qui declararunt se posse fideliter ac prudenter dispensare: neque dimittere cognatis, neque per vulgarem aliquem dispensare. Si enim is, qui regiarum possessionum curam sibi concreditam habet, etsi nihil ex paratis abalienet, verùm per negligentiam quandam ea quæ acquiri poterant dimittat, à crimine non absolvitur; quam condemnationem expectare oportet ferendam ob hæc, quæ Domino sunt dicata, ab his, qui supinè & negligenter affecti sunt ad distributionem?* Deinde cùm ingratitudo & perfidia contingit à cognatis secundùm carnem, docet indecorum esse cum eis litigare, *perfidis tamen istis, sacrilegii peccatum contestari oportet.* Et si is eos ad commune judicium vocat qui perfidiam auspicatus est, ad declarandam permittit comparere. Hæc à viro sancto accipiant pauperum defraudatores. Vos autem novellæ Francisci plantationes, instante tali tentatione non acquiescite carni & sanguini; sed audite vocem Patris vestri: *Studeant*, inquit, *omnia sua pau-*
Chron. Minor. p. 3. lib. 4 cap. 30. *peribus erogare.* Exemplo vobis sit, constantia & devotio insignis cujusdam juvenis Mediolanensis, cui B. Philippus Tutertinus amorem Jesu Christi & fugam sæculi prædicaverat. Hic ut liberiùs sua pauperibus erogaret, Ordinis ingressum distulit, usque ad obitum parentis. Eo defuncto, amici conati sunt eum à proposito deterrere, & carceri mancipârunt, ne sic omnia profunderet; sed frustrà, perfectè enim absolvit quod animo conceperat, eoque initio viam sibi ad præclaram paravit sanctitatem.

Politicum sophisma prudentum hujus sæculi est, non consultum, imò fatuum esse, omnibus se bonis abdicare, quibus possent misericordiæ opera exerceri, quæ laudaturus sit Christus in extremo judicio, tanquam sibi facta: sufficere si affectu & mente temporalibus renuntietur. Quid intendunt hi, nisi ut potior pars retineatur, & Christo particulæ dentur, ac superfluitates? Unicam potiùs faciamus eleëmosynam, quæ pro toto sufficiat vitæ tempore, & præter quam Christus aliam exigere non possit, à nobis, in statu impotentiæ dandi constitutis. Si enim ipsi acceptissimum est in adolescentia per martyrium præscindere vitam, fortassis alioquin per quadraginta annos in ejus servitio duraturam: putandum non est, ei displicere impotentiam futurarum eleëmosynarum, quæ per paupertatem ab ipso laudatam & consultam contrahitur. Accedit, quòd etiam post initam hanc vivendi rationem, non desit facultas aliqua pauperibus miserendi. F. Ægidius impigrè laborabat manibus, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus, quatenùs tempore quo dormiebat, nec pro se orare poterat, intercessores haberet ad Deum, confidens in eo verbo:
Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Quamvis contin- *Ecclesi. 29. vers. 15.*
geret pauperem esse suæ obligationis pro te orandi obliviosum, ipsa eleëmosyna *pro te exorabit.* Non obliviscetur miseroti Deus, à quo liberalitatis exercitæ vicissitudinem expectamus. Accidit semel, ut Francisco redeunti de *Vita S. P. cap. 8 n. 4.*
Senis pauper quidam occurreret, cùm occasione infirmitatis, super habitum palliolo quodam esset amictus. Cujus miseriâ oculo clementi conspectâ: *Oportet*, inquit, *ad socium, ut reddamus mantellum pauperculo isti, quia ipsius est; mutuò enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contingeret.* Socius autem, pii Patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii se neglecto. At ille: *Pro furto*, ait, *mihi reputo à magno Eleëmosynario imputandum, si hoc quod fero, non dedero magis egenti.* Propterea de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam, solitus erat à dantibus licentiam petere: ut licitè posset, si magis egenus occurreret, erogare. Pluries cùm oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat. Sic itaquè intrà Ordinem quoque non deerunt misericordiæ occasiones, si quærantur. Maximam autem eleëmosynam, erogationis omnium, in ipso Ordinis ingressu, requirit Franciscus. Et convenienter; cùm enim tunc vitam inchoëmus indigentem maximè gratiâ Dei, & cui impetrandæ nos ipsos impares agnoscimus & insufficientes; prudentiæ erit, tunc eos sibi obligare & adhibere intercessores, qui non solent apud Deum pati repulsam, sicut scrip-
tum est: *Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, & judicium festinatò adveniet illi*; Sive in vindictam opprimentium eum, sive in favorem benefactorum, pro quibus à sponsore suo misericordiam postulaverit. *Ecclesia. vers. 6.*

TEXTUS & §. XIII.

Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas.

SUMMARIUM.

Voluntas offerenda Deo, ubi deest facti possibilitas. Id fecit S. Didacus. Multis causis impediuntur Novitii ab actuali bonorum suorum in pauperes erogatione. Cordis affectum & consolatoria verba exhibenda pauperibus, dum aliud non habetur. Quatuor causæ ob quas pauperes honorandi. Franciscani multi, mirificè in pauperes benefici.

Marc. 12. vers. 41. Luc 21. vers. 2.

SAlvator noster, io templo Jerosolymitano sedens cootra gazophylacium, aspiciebat, quomodo turba jactaret æs io gazophylacium; & multi divites jactabant multa. *Vidit autem & quandam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit: verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plùs quàm omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi omnem victum suum quem habuit, misit.* Ea est divini dispositio oculi, ut cor aspiciat potiùs, quàm manum; affectum magis penset, quàm censum. Multum æstimat dedisse, qui oihil sibi retinuit. Novitiis igitur sacram Fraocisci Regulam professuris coosulit Sreaphicus Pater, ut si ex abuodanti sibi substantiâ temporali non p[illegible]int mittere in munera Dei, io pauperes tanquam io Christi gazophylacium jactando; bonam saltem cum vidua panpercula afferaot voluntatem; *Quod si*, inquit, *facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas.* Hanc Domino offerant, tanquam æs minutum; ipsi tamen singulariter placiturum.

Hist. Hisp. vitæ S. Didaci.

Id rectè practicavit S. Didacus. Pridie illius diei quo sacram erat professionem Domino ouncopaturus, præcibus coram V. Sacramento fusis, negotium illud intensissimè commendabat. Cùm autem altiùs aliquando voces proferret, auditus fuit à Fratre aliquo in Ecclesia latente, inter alia hojusmodi exprimere desideria: *Utinam haberem Romani Pontificis dignitatem! Utinam divitias & gloriam potentissimi Hispaniarum Monarchæ?* Aliaque similia multa, ex quibus colligi posse videbatur, adolescentem animum habere gloriæ divitiisque sæculi inhiantem, adeoque ineptum esse, qui se obligaret voto paupertatem humilitatemque Minoriticam totâ vitâ consectandi. Re ad Instructorem delatâ, accersitur candidatus, & interrogatur, num in eum modum oraverit, & quomodo hos affectus puer consistere posse, cum paupertatis & humilitatis perpetuæ adeundâ obligatione? Respondit Didacus, se veraciter optasse, deprecatumque fuisse, ut dignitatibus omnibus, ac facultatibus mundi potiri potuisset: *Ut*, inquiebat, *facultas mihi suppeteret ea omnia propter amorem Domini mei dimittendi. Pauperculus sum, paucisque possum pro Domino renuntiare cum effectu; sed ea mihi est voluntas, ut si dignitate fulgerem Papali & facultatibus Regiis, imò totius mundi honoribus atque divitiis, libenter me iis omnibus pro nudi sequela Crucifixi expoliarem.* Talem in omnibus illis affectum exoptat Franciscus, quibus actualis bonorum io pauperes erogatio foret impossibilis; quod ex variis potest circumstantiis cootingere.

Imprimis bona qoandoque sunt debitis gravata vel intricata litibus, quæ non tam citò dissolvi possunt & liquidari; litibusque sic pendentibus divendi noo possunt. 2. Alibi per leges consuetodinesve publicas, in hæredum familiarumque favorem, adempta est Novitiis potestas de rebus hujusmodi disponendi. 3. Tanta nonnunquam est secreta proximorum amicorum indigentia, ut subsidium sit eis meritò conferendum. Spleodent aliquando foris familiæ, quibus tamen est res angusta domi; maluntque supremam pati indigentiam, quàm se cum verecuodia abjicere ad petendum subsidia, vel coram extraneis, de domesticis conquerendum indigentiis. Opus misericordiæ, quin & debitum pietatis est, rationem habere honestatis, & occultæ istius necessitatis: dum amicorum noo servitur avaritiæ, sed pudori & latenti consulitur dolori. Hunc prævenire spontaneâ subsidii oblatione, meliùs est, quàm famis malum ab inverecundis avertere mendicis. Hoc suo nos exemplo juvenis docuit Franciscus. Cùm habitu & convictu noodum esset sequestratus à mundo, obvium aliquando habuit militem quendam, generosum quidem, sed pauperem & & malè vestitum; cujus pauperiem pio miserans affectu illum protinùs se exuto vestivit; ut simul io uno geminum impleret pietatis officium, quo & oobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam relevaret. Nocte verò sequenti, cùm se sopori dedisset, palatium speciosum & magoum, cum militaribus armis crucis Christi sigoaculo iosignitum, Clemeotia sibi divina monstravit: ut misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi, præostenderet in- Vita ejus cap. 1. n. 3. & 4.

compara-

comparabili compensandam esse mercede. Hunc etiam modum temporis processu Candidatos docuit ad suam Religionem aspiraotes. Annal. *Tom. 1. an. 1215. num. 6.* Parentes adolescentis illius, quem postea S. Pater decrevir Fratrem simplicem appellari, commoti ad filii sibi summè necessarii recessum, eum magno ejulatu venerunt ad Cœnobium, & Joannis Instructorem rogarunt multâ prece, ut sibi eripere nollet vitæ suæ refugium, & victûs remedium. Dulci eos hortatus alloquio Franciscus, Patri ait: Amice, filius tuus impulsu ductus divino, Deo vult inservire*, quod tibi nequaquam displicere, imò summè placere debet, quòd dignatus sit Deus ex tua progenie sibi servum adsciscere. Neque parum in hac re tibi lucri consurgit, dum pro uno quem dimittis filio, plures tibi acquiris, & fratres constituis tuos, universos undique bujus Sodalitii sectatores. Præterea Dei creatura est; quòd si eum sibi addicit Creator, quis audebit ejus voluntati resistere? aut dicere: cur ita facis? Omnipotens est & justus, suum reposcit; fiat ergo voluntas ejus, & perveniat super hunc filium tuum misericordia ejus. Ego eum tepellere non debeo, nec possum à domo Dei, dum concupiscit & deficit anima ejus in atria Domini, à quibus neminem licet arcere. Quod solùm possum, præstabo; ut quem in pauperes volebat & decebat erogare bovem, vobis relinquat, ut sic relinquens mundo quæ sua sunt, nudum se committat brachiis Christi.

Tametsi verò reliquo vitæ tempore arctemur impossibilitate manum pauperibus porrigendi; superest tamen, quem vivis illis honorandæ Christi paupertatis imaginibus semper impendere possimus, amoris & compassionis affectus. A cæteris ordinariè hominibus tanquam inutiles relinquuntur & indigni, sed à Domino, qui eos in camino exercet egestatis, suscipiuntur. Eccles. 11. vers. 12. *Est homo marcidus*, inquit Sapiens, *egens recuperatione, plùs deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono.* Eidem misericordi Domino cantat Regius Psaltes Psalm. 9. vers. 14. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Nobis quoque credamus pauperes derelictos, & in visceribus charitatis specialiùs commendatos. Si non valemus mendicum Lazarum saturare de mensa divitum, saltem canum fungamur officio, Luc. 16. vers. 21. qui *veniebant & lingebant ulcera ejus.* Tanto Beatus Didacus erga Christi pauperes amore flagrabat, ut cùm eorum calamitates pro voto sublevare non posset, vim lachrymarum profundens verbis eos dulcissimis solaretur, Eccles. 4. vers. 7. Vade, & tu fac similiter. *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Multæ suppetunt rationes, cur eos intimo dilectionis gremio complectamur. Unam sanctus reddit Malachias: Malach. 2. vers. 10. *Nunquid non pater unus est omnium nostrùm? Nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum?* Eundem corporis agnoscimus animæque Creatorem, & eâ ratione Fratres nostri sunt. Imò alius insuper agnoscendus est in eis Fraternitatis titulus magis specialis, quia pauperes. Enimvero licèt hoc intersit, quòd illi necessitate pauperes sint, nos voluntate, utraque tamen paupertas Deum habet progenitorem: siquidem *bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Eccles. 11. vers. 14. Alias duas rationes pauperes honorandi tangit D. Greg. Primò, quia nostri apud Deum existunt intercessores. *Quotidie Lazarum, si quærimus, invenimus, si non quærimus, cernimus.* Hom. 40. in Evang. *Ecce importunè se pauperes offerunt, rogant nos, qui tunc pro nobis intercessores venient. Certè nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogamur.* Alteram affert rationem, quòd ignoramus, quanti sint meriti apud Deum. *Ecce multos cernimus*, inquit, *qui cujus sint meriti, nescimus. Omnes ergo venerandi sunt, tantòque necesse est, ut omnibus te humiliare debeas, quantò quis sit ignoras.* Et enarrato glorioso fine S. Romulæ pauperrimæ & despectæ, sic concludit: *Honorate, quos pauperes videtis, & quos foris conspicitis despectos sæculi, intùs arbitramini amicos Dei.* Quod si oculus & cogitatio aliquid renuntiat de ipsorum moribus reprehensibile, audite quomodo & his patrocinetur pius Doctor: *Cùm quoslibet in hoc mundo abjectos aspicitis, etiamsi qua eorum reprehensibilia esse videantur, nolite despicere; quia forsasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat.* Amantissimus Francisci primogenitus, Bernardus de Quinta-valle, aliud in eis consideravit, quo bene afficeretur. Annal. *Tom. 1. an. 1241. num. 6.* Suspexit eos ut Pædagogos & Magistros summæ illius sapientiæ, quam se nunquam satis addiscere posse profitebatur, veræ nimirum Paupertatis, cum humilitate. Visis enim laceris miserisque pauperibus, solebat ab eis occasionem sumere humiliandi semetipsum, velut in observanda paupertate inferiorem. Multi sancti, Paupertatis ejusdem cultores, cum sui nominis gloria, sese offerebant in speculum: malebat tamen vir prudens eos in suæ exercitationis assumere Magistros, qui absque ulla gloria essent abjecti, cumque Paupertate materiam veræ humilitatis conservarent. Tales verò sunt pauperes necessarii; nesciunt enim ostentationem, & cùm à publicis perpetuò arceantur honoribus, mitissimâ id ferunt patientiâ: imò omni se reputant indignos æstimatione, parci sunt & frugales in rerum usu; adeoque idonei nobis sunt Franciscanæ vocationis, supremæque sapientiæ magistri.

Hæc, aliaque fortè sublimiora in pauperibus Sancti Patres nostri considerarunt, ut mirum non sit, si eos tam eximio prosecuti sint honore, & temporalibus quibus poterant subsidiis, ut suam in eos observantiam & pietatem minimè potuerint cohibere. Noster Junipe-rus, nihil retinebat, quo eos judicabat egere, Annal. *Tom. 2. an. 1258. num. 15.* aliquando mantellum, aliquando habitum ipsum, aliàs lacernæ prætegmina pauperibus distribuebat, solis sibi relictis femoralibus; vestitis aliis, suâ contentus nuditate. Reprehensus sæpiùs à Superioribus; sub sanctæ obedientiæ præcepto tandem jussus est, ne ampliùs posset quidpiam ex vestibus largiri. Obvio tamen nudo pauperi, atque eleëmosynam petenti, respondet: *Frater mi, noveris nihil mihi præter habitum superesse, neque hunc ipsum meum esse, sed Prælatorum, qui mihi per sanctam obedientiam præceperunt, ne un-*

quam darem. Depositum itaque illorum, non rem meam porto; donare non possum, si tu mihi auferas, non contradicam. Dum hæc mendicus audivit, ex tempore spoliavit non resistentem. Nec ornamentis parcebat altaris. In solemnitate quadam relinquebatur ab æditno in Ecclesia, ut dum ille manducaret, hic excubias ageret. Supervenit paupercula quædam vetula; suam, filiæ, neptisque miserias egestatis expandens Junipero altari oranti. Compassus tantæ inopiæ, conjectis hinc inde oculis, ut quid dare posset, aspiceret; notavit in antipendio magni pretii, olim à Gregorio IX. ad majorem corporis S. Francisci subtus sepulti cultum oblato, campanulas pependisse argenteas: quas excidens pauperculæ dedit, monens ut quantocyus abiret, ne ab alio donum revocaretur. Hæc & similia, ad excessum usque indies actitabat, F. Herculanus oblesâ pet Florentinos urbe Lucanâ, toro obsidionis tempore stipem ostiatim colligebat, & famelicis distribuebat, sibi multoties subtrahens quod dabat egenis. Triduo aliquando ab omni abstinebat cibo, ut viscera reficeret miserorum. B. Nicolai Factoris intima ad pauperum liquescebant occursum. Cùm eos pro concione populo commendaret, pii affectus vehementiâ, in mentis ut plurimùm rapiebatur excessum. Rogatus à quatuor pueris pauxillum panis, nec habens ad manum quod daret, todidem à Deo panes miraculosè impetravit, puerisque distribuit. Benignitatem quoque Fratris Petri de Regalada, insigni Deus comprobavit miraculo. Senem quendam pauperculum solebat quotidiano cibo reficere. Paulò post ejus mortem, accessit mendicus ad ostiarium, solitam acceptutus eleëmosynam: sed responso accepto tardè advenisse, nihilque superesse erogandum; impatienter tulit, abiitque in templum ad sepulchrum Regalati: ubi conquestus de janitoris erga se injuriâ, dixit: Piissimè Pater, si tu vixisses, non ita malè mecum ageretur, neque absque refectione rejiceret ostiarius. Mihi tecum bene semper erat, nunc fame pereo, nec est qui respiciat. Res mira: auditâ miselli querelâ, vir sanctus brachium exeruit, panemque porrexit. Magna debuit esse erga proximos charitas viventis, cui tanta inerat defuncto erga pauperes miseratio. Gualterus ex Ordine Minorum Episcopus Pictaviensis, nudis occurrerat pauperibus. Indignum ratus sic eos prætenire, pannû eutavit eum quo vestirentur. Mercatori postea solvit Angelus, in specie Episcopalis œconomi. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.* Induerant cum Seraphico Francisco Paupertatis sensum, ejusque incommoda proprio didicerant experimento, atque sic aptari erant ad compatiendum similia patientibus.

Annal. Tom. 6. an. 1451. num. 44.

Chron. p. 4. lib. 8. c. 10. & 11.

Annal. Tom. 6. an. 1456 num. 17

Chron. p. 2. lib. cap. 24.

Eccl. 44. vers. 10.

TEXTVS & §. XIV.

Et caveant Fratres & eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut liberè faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis.

SVMMARIVM.

S. Franciscus Eliæ comparatus Prophetæ. Noluit suos sectatores sollicitudinem habere circa bona Novitiorum, *de quibus ante Professionem disponunt.* Ne *quidem prætextu, per ea pauperibus subveniendi. Monere tamen possunt, si videant in usus vanos disponere. Extra eum casum,* Novitii *plenæ relinquantur libertati. Moneantur, faciendam dispositionem precibus Domino commendare.*

Elias Propheta, reperiens Elizeum arantem in duodecim jugis boüm, *misit pallium suum super illum.* Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: Osculer oro Patrem meum, & Matrem meam, & sic sequar te. *Dixitque ei: Vade & revertere: quod enim meum erat, feci tibi.* Nihil curæ erat Eliæ, quod de tot jugis boüm, omnibusque possessionibus fieret Elizei. Sufficiebat ei, ut sequeretur, & eâdem secum vitæ Regulâ Domino ministraret. Secundum D. Bonaventuræ interpretationem. Franciscus *incendio Seraphico totus ignitus, & ut vir Hierarchicus curru igneo sursum vectus, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu & virtute Eliæ.* Ipse super multos adolescentes, quorum corda tetigit Deus vocatione suâ sanctâ, *misit pallium suum*, hoc est, pauperculo Minoritaoi Ordinis habitu illos donavit, ut sub eo fideliter Altissimo militarent. De horum possessionibus, de quibus habent instante professione disponere, oullatenus se voluit intromittere; sed dato eis salutari

3. Reg. 19. vers. 19.

Prol. ad Vitam. S. Fran.

salutari consilio, ut studeant omnia sua pauperibus erogare, de cætero, quoad ista, plenæ ipsos permittit libertati, dicens: *Vade & revertere* ad tua temporalia, ut abeiste expedias; *Quod enim meum erat, feci tibi.* Eandemque Novitiorum libertatem volens à sui Ordinis Religiosis relinqui illibatam, ait: *Caveant Fratres & eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut liberè faciant, quidquid Dominus inspiraverit eis.*

Ex commendata superioribus §§. pauperum commiseratione, videri potuisset licitum Fratribus sollicitudinem gerere circa renuntiandas Novitiorum facultates, ut ex illis possent largiores pauperibus eleëmosynæ provenire. Ideo voluit Sanctus Institutor præsentem subjungere prohibitionem quâ Filii ipsius ab omni temporalium curâ penitus elongentur, ne etiam sub specie misericordiæ pauperum, periculum aliquod generetur illi, quam Domino promiserunt, paupertati. Cùm Maria accepisset libram unguenti nardi, pistici, pretiosi, & unxisset pedes Jesu,

Joan. 12. vers. 4. *dixit unus ex Discipulis, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non vaniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Honestus erat prætextus, negotiabatur tamen Judas pro latente in imis visceribus cupiditate. Alienissimos nos ab illa esse oportet, atque ideo cunctas vitare ipsius occasiones:

Eccles. 13. vers. 1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Non decet nos negotiis sæcularium, etiam amicorum, intricari; moltò minùs Novitiorum dispositioni de rebus suis temporalibus: hoc enim ordinariè scandalum & avaritiæ opinionem generat: insuper cujusdam velut juris aut tutelæ prætensionem, sive superintendentiæ indebitam arrogationem sapit. *Omnia* temporalia inquit Apostolus,

Philipp. 3. vers. 8. *detrimentum feci, & arbitror ut stercora.* Hinc docemur non scrutari vel curiosas instituere inquisitiones, quid ad tyrones istos pertineat, & quibus relinquatur? Fatua judicaretur illius curiositas, qui per vias scrutaretur, ubi excrementa reliquerit amicus, quem in domum suam invitavit; vel quia porcus deglutierit, conturbaretur. Silentium nobis, &

Eccles. 11. vers. 9. quietem indicit Sapiens: *De re quæ te non molestat, ne certeris; & in judicio peccantium, ne consistas.* Urit nos aliquando zelus justitiæ, quæ in pueris istis decipiendis violatur, per iniquam legum & consuetudinum circa hæc interpretationem, per arrogatam auctoritatem tutorum, per deceptiones subornatorum jurisperitorum, per amicorum bonis istis inhiantium avaritiam: nec possumus non indignari, ob fraudem contra pauperes adornatam, & non compati tyronibus sic implicatis. Sed quæ nobis erit quies si moliamur occurrere innumeris, quæ in mondo committuntur, injustitiis? Quis prudens hoc attentabit? Contendentes pro hujusmodi temporalibus sæcula-

1. Cor. 6. vers. 7. res, monet Apostolus: *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Quantò magis id nobis dictum accipiamus, ne conemur modis per Regulam prohibitis, injurias fraudesque impedire; atque illicitis mediis, pauperum succurrere

necessitati? Dicamus potiùs Domino: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Psalm. 9. vers. 14.

Novit ipse modos eis providendi, dum hæc deerit Novitiorum nostrorum largitio. *Orphano* quoque tyroni nostro, iniquis vexato machinationibus, sic *erit* ipse *adjutor*, ut dicere possit: *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psalm. 26. vers. 10.

Omnem igitur terrenorum istorum curam dimittamus. Christus Dominus ad se primos evocans discipulos, minimè sollicitus fuit, quid de eorum fieret rebus; sufficiebat ipsi, si non eis ampliùs implicarentur.

Noluit tamen Franciscus ora Patrum sic obturare, ut si quando viderent Novitium, carne ductum & sanguine, se perperam in hac gerere distributione; pauperibusque oblivioni traditis, facultates suas, sive motu proprio, sive alieno instinctu, in vanitates atque inutilia opera applicare; non possint eum graviter monere, eo zelo quo S. Chrysostomus variis locis divites monet, qui liberales se exhibent in parasitos, mimos & canes; in Christum verò avari sunt atque crudeles. Proponere possunt, erranti juveni, Sapientis verbum: *Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.* Eccles. 12. vers. 1. & 5. Et iterum: *Da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit; nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi.* Mala scilicet, juxta Lyrani nostri expositionem, præterita quæ fecit, & quæ facturus est: unde si ei dederis, duplicis peccati reus eris, scilicet commissi facinoris, in quo ipsum confirmas (à quo per inopiæ pœnam fortè resipuisset) & futuri, quod faciet; ad quod vires ei præbes beneficio. Hinc illud Socrates: *Malis faciens bene, nutrit lupos.* Explicari etiam ei potest summa, in qua versatur stultitia, quòd malit facultates suas, inutiliter & absque ullius spe mercedis, quasi in profundum maris abjicere, quàm amicos sibi facere de mammona iniquitatis, qui ipsum, cùm defecerit, recipiant in æterna tabernacula, ubi thesaurum haberet non deficientem.

Hâc causâ exceptâ, suo arbitrio relinquendi sunt Novitii, *ut liberè faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis.* Quidquid verò in pios usus, vel in alios non profanos destinatur, ex Dei inspiratione datum præsumitur; tametsi sæcularium deprecatio intervenerit aut consilium. Rationes habent penes se, quas nolunt explicare, neque nos decet explorare, cur his potiùs quàm illis donent. Cur suspicabimur hanc distributionem ex mala mundi procedere inspiratione, & non potiùs Deum illos commovisse, ad sublevandas aliquorum derelictorum nobis incognitas necessitates; & ad quam dispositionem secretas fortè sentiunt obligationes, sive restitutionum, sive promissionum, sive gratitudinis? Liberrima igitur relinquatur bonorum istorum distributio, nullo humano coarctata respectu. Cùm enim propter Deum fieri debeat; ut hæc intentio purissima maneat, opusque suo integro non fraudetur merito, summoperè cavendum est, ne terrenus

 aliquis

aliquis in teneram timidamque Novitii mentem injiciatur respectus, quo sancti hujus operis turbari posset integritas. Impeditur autem per Fratres, & maximè per Superiores, auctoritativis specificationibus, qualiter, quibus causis, & personis, & quantum distribui expediat. Cùm enim jam tantum conceperior Superiorum timorem, ut non audeant vel in minimo refragari, aut Fratribus displicere; dum eis ipsorú fuerint declarata desideria, non audebunt prætergredi (etsi millies protestatio fiat, eos in hac causa liberos esse) ne displiceant, aut quid committant, unde postea fiant odiosi. Indubitatum est reverentialem metum, qui maximè Novitiis prædominatur, licèt coactionem non inducat, minuere tamen notabiliter libertatem: sicut & preces, commendationesque importunæ, vim quandam timidioribus atque simplicioribus inferunt mentibus puerorum.

Reminiamus eos ad orationum exercitia, quibus divinam implorent inspirationem, quæ eorum in hoc negotio dirigat voluntates. Cùm indigeant sapientiâ, postolent à Deo, & dabitur eis. Quemadmodum tempore Liberii Summi Pontificis contigit Joanni Patricio Romano, ejusque uxori pari nobilitate. Hic cùm liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem Sanctissimæ Virgini Dei Matri voverunt; ab ea summis precibus assiduè petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam potissimùm erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces & vota ex animo facta benignè audiens B. Virgo, miraculo comprobavit admonitique, ut quem locum nive conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur: se enim ita velle ab ipsis hæredem institui; quæ Basilica tanquam cæteris ejusdem nominis Basilicis præstans, Ecclesia S. Mariæ majoris dicta est. Brev. Rom. 5. August.

TEXTUS & § XV.

Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, &c.

SVMMARIVM.

Cur mittendi Novitii bonis suis renuntiaturi pro consilio ad viros extra Ordinem? Cur solis Ministris licitum sic mittere? Cur expediat nil acceptare de bonis Novitiorum? Præsertim quod periculum sit eliminandæ Paupertatis, & inde hujus Ordinis ruina. Non impendenda ista legata in usus superfluos *& commessationes.*

Act. 6. vers. 1. & 2. &c. DUndecim Apostoli audientes abusum quendam fieri circa bonorum temporalium in pauperes Christi fideles distributionem, eidemque volentes obviare, convocatâ multitudine discipulorum dixerunt: *Considerate Fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus.* scilicet Ministerii mensæ, seu erogationis bonorum communium in pauperes. *Nos verò*, inquiunt, *orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Noluerunt ipsi se vers. 4. de temporalibus istis intromittere, sed ad alios sollicitudinem istam derivârunt. Idem fuit de hoc opere judicium perfecti Apostolorum Sectatoris Francisci. *Si consilium requiratur*, inquit, ad disponendum de rebus temporalibus Candidatorum, *licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.* Quasi dicat: *considerent viros boni testimonii, plenos Spiritu sancto & sapientiâ, quos constituant super hoc opus. Nos verò* Religiosi, *orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Ablegatâ temporalium sollicitudine, spiritualis promotionis Candidatorum cura nobis incumbit; quæ oratione & ministerio verbi Dei procuranda est.

Pro consilio autem ad dispositionem temporalium. Primò, voluit Franciscus Candidatos mitti ad viros extra Ordinem, qui hæc sæcularia intelligunt & quotidie pertractant. Etsi verò reperirentur inter nos gnari legum & consuetudinum, qui possent opportuna dare consilia, hoc tamen noluit S. Pater: tum quia mortui sumus mundo & mundanis: tum ne ex consiliis nostris Novitiorum libertas imminui videatur: tum ad pacem cum exteris servandam, ne si quid indiscretum aut contra amicorum placitum fiat, nobis imputetur: tum ad amovendam propriæ quæstionis occasionem & suspicionem.

Secundò, Non expedit ordinariè eos mitti ad amicos carnales, qui concupiscentiâ & spe hæreditatis illecti, solummodo quæ carnis sunt sapiunt, & propriis solent studere emolumentis; sed *ad aliquos Deum timentes.* Ab aliis cavendum præmonet Sapiens:

Cum

Eccles. 37. vers. 12. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, &c. Non attendas his in omni consilio: sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei.* Neque Apostoli judicârunt requirendos viros mundi prudentiâ & legum peritiâ repletos; sed *viros boni testimonii, plenos Spiritu Sancto & sapientiâ, quos constituerent super hoc opus.*

Tertiò, Quia non vulgaris est prudentiæ, tales deligere consiliarios; hanc licentiam mittendi ad eos, solis reservavit Ministris: *Licentiam*, inquiens, *habeant Ministri*, &c. quos credidit intelligentiores fore, & pro obligatione muneris sui speravit futuros accuratiores in adimplenda pia sui Patris & Fundatoris intentione. Inter vulgares Fratres facilè potuissent aliqui reperiri, qui imprudenter vel ex simplicitate misissent non ad timoratos & pauperum amicos, sed ad inhiantes propriis commodis, vel aliâ minùs bonâ intentione aut affectione inclinatos.

Hinc magis cavendum est Fratribus, ne ipsi-met indirectis argumentis persuadeant tyronibus, ut Ordini sua elargiantur, enarrando largas præcedentium professorum eleëmosynas, & necessitates suas multis ac querulosis discursibus exaggerando. Verum quidem est nos ordinatiè aliquibus laborare necessitatibus; nec semper in promptu esse benefactores, qui eis satisfaciant, & facillimum esse modum, debita jam contracta per Novitios sua omnia profundentes extinguendi, aliisque quæ magnos requirunt sumptus providendi: debent tamen omnes nostri Religiosi ab inductionibus ad sibi dandum, & suasionibus, nec non & à dandis circa distributionem consiliis omninò abstinere, imò & in iis, quæ sponte à Noviciis offeruntur, sollicitè cavendum est quod Clemens V. In Declar. Reg. cap. 2. circa hunc Regulæ passum declaravit: *Ne ex receptorum quantitate notabili præsumi possit sinister oculus contra ipsos.*

Opusc. S. Franc. Tom. 3. colloq. 4. Cùm in loco S. Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quòd non posset hospitibus supervenientibus secundùm necessitatis exigentiam provideri, adiit Virum Dei Vicarius suus, allegans penuriam Fratrum, & petens, ut intrantium Novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent Fratres tempore opportuno. Ad quem Vir sanctus superni consilii non ignarus: *Absit*, inquit, *à nobis, Frater charissime, ut pro quovis homine impiè agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cùm necessitas id postulaverit, quàm contra paupertatis votum, & Regulæ observantiam, vel Evangelii professionem, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit B. Virgo, sanctis Evangelii observato perfectè consilio, suum altare detegi; quàm altari suo ornato, Filii sui promissum consilium prætermitti.* Ista fuit Francisci sententia. Neque desuerunt ipsi rationes taliter sentiendi.

Primò, Ut illibata servaretur Novitiis libertas, ad faciendum de rebus suis quod ipsis rationabilius videretur: quando enim semel inolevisset usus iste dandi Fratribus largas eleëmosynas, verecundiâ aliquâ arctati fuissent sequentes ad faciendum tantundem atque fecerant præcedentes.

Secundò, Nemo ignorat quàm odiosi facti sint, & aliquando fiant Ordines Religiosi, qui vel solùm putantur artificiosè Noviciorum suorum divitias aucupari. Est qui comparet illos odiosâ nimis nec satis Religiosâ comparatione ac æstimatione, invidis & iniquis illis fratribus, qui Josephum innocentem exuerunt suâ tunicâ polymitâ, exutumque miserunt in cisternam veterem, perpetuâ oblivione sepeliendum: Sic homines sæculares suo pede Religiosos metientes, existimant illos, dum egregiè spoliârunt, pauperos istos relinquere in perpetua oblivione & contemptu, vellèque jam è vivis sublatos, ut locus fieret aliis novis unctulis similiter deglubendis. Gen. 37. Hinc suscitantur contra eos iræ & invidiæ mundanorum, & propriæ diminutio auctoritatis. Ex adverso accresceret nobis in immensum auctoritas, & ad succurrendum nobis fervebit mundus, si videat nos constanter renuere opimas eleëmosynas ab ingredientibus oblatas, & in pauperum integrum commodum relinquere hanc evangelicam renuntiationem.

Tertiò, Consideravit S. Pater ad quantam excreverint opulentiam Ordines aliqui antiqui receptione eorum quæ ab ingredientibus conferebantur; & timuit etiam Ordini suo, expendens quantam plagam opes istæ dictorum Ordinum inflixerint sanctitati. Nuster Joannes Vitalis à Furno in Speculo Morali de istis pronuntiat in hunc modum: *Postquam Religio peperit divitias, filia propriam matrem suffocavit. Nam paupertas Religionem genuit, Religio divitias. Divitiæ verò destruxerunt Religionem, & Ecclesiam; quò destructa sunt non solùm spiritualia, sed etiam temporalia; ita quòd paupertas voluntatis justa, redacta est ad paupertatem necessitatis.* Verb. Conversatio. Quod his temporibus fieri frequenter videmus, dum hæretici divitiis Ecclesiasticorum inhiantes, locupletata occupant & expoliant Monasteria. De specialibus Ordinibus luget Mauburnus in Rosero spirituali, referens ruinas singulorum. Parte 1. tit. 1. cap. 4. sub finem.

Non tam arctam voverat paupertatem B. Joannes Gualbertus Fundator Ordinis Vallis Umbrosæ sub Regula S. Benedicti, nec talem discipulis omnium abdicationem præscripserat, quin à Tyronibus dotem pro sustentatione congrua recipere liceret. Surius in ejus vita 12. Julii. §. 7. Cùm tamen audisset quendam conversionis gratiâ cœnobium aliquod petiisse, totumque patrimonium suum in charta scriptum, neglectis hæredibus, secum eò apportasse; mox illud monasterium adiit, & Abbati, qui chartam illam receperat, imperavit, ut sine mora illam sibi exhiberet: Quam acceptam discerpsit, humi abjiciens fragmenta ejus. Putabat enim rationi & æquitati magis consentaneum, exiguis contentum vivere, quàm sanctis opibus superbiâ efferri. Deinde valde commotus, zelo sanctæ Paupertatis, Deum & Apostolum ejus rogavit, ut ipsum de illo cœnobio ulciscantur; confestimque iratus abscessit.

cessit. Nec longè aberat, cùm ecce repentinus exstitit ignis monasterium illud magna ex parte absumens. Ut autem socius ejus vidit incendium, & ei indicavit, nec retrò respicere voluit, nec eò referre pedem, sed ad Vallem Umbrosam iter prosecutus est.

Commendanda ergo hic venit pauperis Christi sapientia, quòd hanc portam singulari seræ obstruxerit, ne suam depasceretur paupertatem. In aggeribus maritimis unius talpæ cuniculus neglectus, suscipit aquas; quæ sensim & secretò per alluviem augent meatum, & tandem tanto irrumpunt impetu, ut irremediabiliter arva contigua obruantur. Non ita timebat Vir Dei superfluitatem à mendicitate, nam aggerem obicit petendi verecundiá: multò minùs formidabat à laboritio manuum, quia ibi cohibetur excessus molestiâ fatigationis; sed largitiones istæ suaviter influunt, & minùs caventer, ideoque magis suspectæ habendæ erant: ne forte nostro accideret Ordini, quod navi, in quam subtiliter per secretas rimas penetrant aquæ, in tantâ copiâ, ut tandem ipsa, & consistentes in ea submergantur.

Alius adhuc perniciosus largitionum istarum effectus timendus est; ne qui ingredientes illas fecerant, persuadeant plùs sibi quàm cæteris indulgendum; & fortè Superiores correpti à pusillanimitate spiritûs tali ipsorum persuasioni condescendant, palpantes eos ubi oportuerit castigare; quod reprehendit Sapiens dicendo: *Xenia & dona*
Ecclef. 20. vers. 31. *excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit increpationes.* Non omnium juniorum ea est persuasio & impudentia, nec omnium Superiorum ea pusillanimitas; periculum tamen stultitiæ istius est imperfectis (quorum nimis numerosa est multitudo) quam & olim observavit Cassianus lib. 4 De Renunt cap. 4. Denique prurit aliquando animus Fratrum ad curiosa, vana, inutilia & sensualia, pro quibus verecundarentur recurrere ad benefactores, eisque juxta mentem expositorum Regulæ sua desideria specificare. Per has autem Novitiorum donationes, evaderetur pudor iste, liberiùsque satisfieret vanitatibus contra paupertatem militantibus.

Quòd si sponte Novitii de rebus suis disponant in usus superfluos Fratrum, nec iste levis abusus aut tolerandus foret: hoc ipso enim produnt se nondum verum hujus Ordinis spiritum concepisse, sed hausisse de calice aureo Babylonis vanitatem & relaxationem. Hanc dedocendi sunt per Instructores, & comprimendi, si velint ad convivia profana in refectoriis nostris disponere, ultra metas modestiæ & parcimoniæ religiosæ, ne istis mundanis auspiciis sanctimonium suæ professionis commaculent. Si verò hæc à Patribus, quorum interest paupertatem tueri, acceptentur, non aliter agere censebuntur, quàm ii de quibus Jeremias: *Filii colligunt* Jerem. 7.
ligna, & Patres succendunt ignem, &c. ut me vers. 18.
ad iracundiam provocent. Filii subministrant media commessationum, aliorumque excessuum, & Patres eis cum indignatione Dei abutentes, ignem succendunt inextinguibilem. Ad hæc earum acceptatione eleëmosynarum, ad usus non necessarios, eorum duplicatur judicium, juxta illud Sapientis:
Panis egentium, vita pauperum est, qui defraudat Eccl. 34.
illum, homo sanguinis est: Defraudantur enim a- vers. 25.
lii pauperes, in quorum favorem Christus evangelicam istam abrenuntiationem instituit, dum ea ad luxum recipiuntur, de quibus viscera refici debuerant afflictorum. Quod qualiter æstimandum sit, accipiatur ex D. Bern. scribente Fulconi Beneficiario: *Quidquid præter* Epist. 2.
necessarium victum, & simplicem vestitum, de altario retines, tuum non est: rapina est, sacrilegiũ est, quia videlicet pauperibus non erogatũ & redditum.

TEXTVS & §. XVI.

Posteà concedant eis pannos probationis.

SVMMARIVM.

Qualiter suscipiendi Novitii ad probationem. De quibus instruendi. Quomodo in virtutibus exercendi. Sagaciter exploranda eorum inclinationes. Boni Instructoris conditiones, remissivè.

Dan. 1. vers. 3. NAbuchodonosor Rex Babylonis, præcepit Asphenez Præposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israël, & de semine regio *pueros, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ, & qui possent stare in palatio Regis.* Consimili ratione Præpositum Seraphicæ familiæ Franciscum constituit Deus, ut introduceret in Religionem suam tyrones perfectionis, decoros formâ virtutum, eruditos sapientiâ & doctos disciplinâ, qui stare possent in Palatio Regis Regum, & in domo Dei ambulare cum consensu. His excolendis tantam debet Instructor adhibere sollicitudinem, ut dicere eis possit cum Præposito Eunuchorum: *Timeo Dominum* vers. 10.
meum Regem..... qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum Regi. Indignabitur profectò Deus, si hos non repererit admentem suam efformatos. Statim igitur in principio applicandus est animus Magistri ad inscribendam

bendam menti eorum veram pietatem, dum ingenium adhuc recens, simplex, docibile, & omnis boni avidum est. Quæ primò proponuntur, reverentiùs suscipiuntur, gustantur meliùs, firmius hærent, & creduntur simpliciùs. Audiamus de hoc negotio Seraphicam nostri Bonaventuræ doctrinam: *In disciplina,* inquit, *efformentur, sicut parvuli in domo, plantula in horto, virgulæ in virgulto. Ut parvuli duas habere debent obstetrices: Obedientiam, quæ liget eis manus & pedes, & involvat eos in panniculis paupertatis: & Humilitatem, quæ reclinet in præsepio, in cunabulo claustri cum freno temperantiæ & capistro silentii. Sicut plantulæ de uno loco eradicantur, & in alio transplantantur, clauduntur, rigantur, purgantur, fodiuntur, coluntur; sic Novitius debet instar plantulæ de mundo radicitus evelli, & in Religione transplantari, in sancto proposito radicari, circumspectione claudi, devotione rigari, confessione purgari, fodi & excoli exercitio & occupatione. Ut virgultum, debet Neophytus habere radicem humilitatis, stipitem rectæ intentionis, frondes sinceræ dilectionis, folia honestæ locutionis, flores pulchræ conversationis, & tandem fructus bonæ operationis, quia per fructus eorum cognoscit eos Deus, & vos similiter cognoscetis.* Hæc summatiè devotus noster Bonaventura.

[Diet: salutis tit. 4. cap. 1.]

Quia verò non solùm interioris hominis rectâ dispositione, sed externis etiam actibus colitur Deus; & Fratrum communitati necesse est se conformare: Imprimis statim ab initio monstrandæ erunt eis cæremoniæ, officia ipsis competentia; quâ honestate, alacritate & diligentiâ peragant quæ communiter fieri solent in choro, capitulo, dormitorio, cellâ aliisque in locis; ne tanquam stipites præ ignorantia ubique attoniti hæreant, sintque Fratribus offensioni. Deinde moneantur vitam & affectus instituere ad regulas omnium religiosarum virtutum, quæ sunt; sic dirigere actiones & cogitationes singulas, ut per eas magis magisque placeant Deo, in quiete conscientiæ, & cordis puritate. Stare continuò in præsentia Dei, eumque alloqui tanquam clarissimè intelligentem omnes cordis motiones; simulque omni loco & occasione mentis evagationes evitare. Agnoscere se vilem & indignum consortio hominum, ex eaque cognitione contentum esse vilibus officiis, contemptu & oblivione. Obedire Superioribus quibuscumque sicut Domino, libenter, simpliciter, velociter, viriliter & perseveranter. Injurias & correptiones omnes, etiam indiscretas, sinè murmure tolerare. Modis omnibus licitis sensualitatem & carnis petulantiam edomare. Nunquam otio indulgere. Tacere semper & ubique; nisi necessitas, honestas, aut charitas urgeat ad loquendum. Sincerè amare omnes omninò homines, etiam eos, qui illis malè volunt aut voluerunt. Religiosè & accuratè servare omnia, quæ in Regula præscripta sunt, nec non Ordinis consuetudines & constitutiones.

Porrò quia harum aliarumque virtutum occasiones non semper occurrunt Novitiis, quas tamen non solùm auditu addiscere debent verùm etiam assuefactione: subministrandæ sunt eis nonnunquam occasiones, modò graves, modò leves, ut & ipsi probent quid possint, & Religiosi. In his si difficultas aliqua & repugnantia animadvertatur; instructione aliquâ opportunâ sublevandi & animandi sunt ad vincendum seipsus, donec virtutis gustare experint suavitatem. Recipiendos ad Ordinem admonebat S. N. Patriarcha in leprosorum ministeriis oportere exerceri. Secum eos ducens, primus lectos versabat, plagas curabat, saniem radebat, ulcera lavabat, & linguâ quandoque lingebat. In his ministeriis volebat eos nonnunquam experiri. Delicatulos, & qui abhorrebant hæc munia, rejiciebat; humiliter autem & charitativè exercentes, libenter amplectebatur. Quibus ut majorem adderet animum, & gratiores redderet leprosos, fratres Christianos eos appellabat. Alio tempore duos juvenes ad Ordinem recipi obnixè orantes, de Obedientia & facilitate ad propriam abnegandam voluntatem experiri volens, secum duxit ad hortum, dicens: *Venite mecum, & pro Religiosorum victu caules plantate, eo modo quo me facere videritis.* Et plantulis acceptis, radices sursum agebat, folia verò terræ mandabat. Quem plantandi modum unus ex juvenibus, verè obediens, per omnia observabat; alter verò pro humano captu aliquantisper sciolus, tanquam hortorum cultoribus insuetum redarguebat, & vice versâ caules plantandos asserebat. Cui Beatus Pater: *Fili,* inquit, *me imitare, & quod ego facio, fac tu similiter.* Quo nolente, quia fatuum sibi videbatur quod fiebat, ait Vir Dei: *Frater video, quòd magnus es Magister. Vade viam tuam. Simplicem & humilem Ordinem non decent similes magistri; sed simplices & fatui, sicut est iste socius tuus. Hic nobiscum remanebit; te recipere non expedit. Vade viam tuam.* Istud, & similia contra rationem videbantur; sed didicerat Vir Dei ex Ecclesiastico, qualiter erudiendus esset discipulus sapientiæ: *Timorem & metum & probationem inducet super eum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius,* dum scilicet magna & sancta pollicebitur, sed cui fidendum non est, donec per tribulationem bene discussæ fuerint magnæ istæ pollicitationes. Si bene consultum velimus Ordini, nunquam erit hæc probandi severitas remittenda. Illudque erat consilium S. Basilii: *Et,* inquit, *qui a splendido aliquo vitæ genere ad imitandum modestissimæ humilitatis Domini nostri Jesu Christi exemplum festinat, munia quædam præscribi debent de numero eorum, quæ illi sordida existimant, qui in civili vitâ versantur: observandumque, num in iis eum omni animi alacritate, non erubescentem & confusibilem se Deo operarium exhibeat.* B. Joannem Capistranum, dum in nostrum admitti peteret contubernium in Cœnobio Montis extra Perusium, Marcus Bergomensis ædis præfectus multis tentandum judicavit, ne fortè levitate animi aut passione aliquâ duceretur. Præcepit, ut vectus asello, sordidâ veste, redimitus tempora vittâ chartaceâ, peccatis rubricatâ, urbem Perusinam circuiret. Obedivit, circuivit, cives admiratione replevit; dum vident opprobriis & igno-

[Annal. an. 1212. num. 50.]

[Opusc. S. Franc. Tom. 3. Colloq. 26.]

[Eccles. 4. vers. 19.]

[In Regulis fusius disputatis q. 10.]

[Annal. Tom. 5. an. 1414. num. 3.]

miniæ ſtudentem, quem noverant priùs factis illuſtrem. Tandem admiſſus, & diſciplinæ traditus F. Onofrii de Seggiano, laici, pii, auſteri, ſed prudentiſſimi, multis probatus eſt argumentis. Bis tanquam inſanus & emotæ mentis dimiſſus, aliquoties innocenter flagellatus, frequenter abſque noxa reprehenſus, ebullienti aquâ in faciem aſperſus: ſummâ patientiâ omnia tolerabat, coram plectente obmuteſcebat, & contumeliis laceſſitus nullum impatientiæ prætulit ſignum.

Sagaciter explorandum eſt, quò ſponte ferantur novella tyronum ingenia, quibus ſtudiis & occupationibus maximè delectentur;
Prov. 20. vers. 11. nam *ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſunt opera ejus.* Si malæ ſint inclinationes, eæque vehementiores, iſtis emendandis potiſſimùm allaborandum eſt, informandi ſunt quomodo eas frangant, & flectant verſus bonum. Si nullæ ſunt, nec ad bonum aliquando vel malum ferri videntur, ſed tantùm agunt, quæ ab aliis communiter fieri vident, extimulandi ſunt velut ignava pecora ad amoris divini & cœleſtis bravii proſecutionem. Si bonæ ſunt inclinationes, eæ fovendæ ſunt & campus liberior præbendus; cùm enim Spiritus Sanctus primarius fundator ſanctitatis ſit, homines autem tantummodo ſuperſtructores, dum ex ſpontaneis conatibus ſeſe produnt bona iſta ſemina, permittenda ſunt excreſcere, per diſcretionem dirigenda, omnique arte cum ſpe delectabilis fructus excolenda. De his, quorum indoles non ita facilè dignoſci poteſt, quia fingere ſciunt, & cautè ſeipſos abſcondere; judicium ſumi poteſt à præcedenti in mundo converſatione, dum affectus laxioribus indulſcerent habenis. Ubi, ſi ſuperbi, vani, audaces, ebrioſi, prodigi aut peccatis gravioribus obnoxii fuerint, limâ indigent mordaciore. Item ſi nunc ſe jungant converſationi diſcolorum: ſi eorum vox, vultus, geſtus & mores aliquam præ ſe ferant ferocitatem. Qui olim milites, coci, ſervi, eremitæ vel vagabundi fuerunt, ferventiore indigent fornace ad probationem. F. Chriſtophorus Crivellus Tribunus militum, monitus in viſione à S. Francisco, ut Minoritis nomen daret, & Bernardini Senenſis ſermonibus vehementer commotus, Inſtitutum noſtrum amplexus eſt. Similiter F. Franciſcus Beccaria Ticinenſis ſub duce Mediolanenſi Ordinum Ductor. Militares eorum ardores & ſæculi vanitates compreſſuri Magiſtri utrumque humilibus exercuerunt officiis, & adhuc ſub ſericis pretioſiſque veſtibus incedentes ruderum, tabuli & calcis oneribus diebus multis probatos voluerunt. Annal. Tom. 6. an. 1467. num. 15.
Neque deponenda eſt cura & ſollicitudo de illis, qui mollioris & modeſti videntur ingenii: ſæpè enim ſub quietis iſtis & taciturnis, amariores latent paſſiones, quæ poſtea dum nihil minùs cogitur, erumpere ſolent, & fuere implacabiliter. Hos omnes medicandos nobis mittit pius Samaritanus Chriſtus Dominus, ut curam eorum habeamus, donec redierit; & quæcumque erogaverimus, reddet nobis. Verumtamen non cuilibet collata eſt ea ars & ſapientia ad curandas tam arcanas & dubias plagas. Eligendus pro hoc munere Inſtructor induſtrius & diſcretus, ſciens cuique convenientia ordinare exercitia & opera; juxta perſonarum capacitatem, neceſſitatum exigentiam, virium quantitatem, & morbos infirmorum. Indiſcreti enim Inſtructoris eſt languidis imponere jejunia præter Regulam, timidis longas invectivas declamare cum acrimonia, melancholicis ſolitudinem & ſilentium ſingulare indicere, indevotis laicalia opera quibus à choro eximantur indulgere, nugatoria in ſpeciem pœnitentiarum præcipere, quibus illi & ſpectatores nonniſi ad riſum provocentur. Reliquas conditiones perfecto Novitiorum Inſtructori neceſſarias recenſet noſter Guevarra in Oratorio Relig. toto cap. 8. apud quem utiliter legentur. Guevarra Orat. Relig. cap. 8.

§. XVII. Incidentalis.

De Probationibus Novitiorum à Deo per varias tentationes.

SVMMARIVM.

Quàm utiles ſint Novitiis tentationes. Munimenta eorum ſunt. 1. declarare eas Magiſtris. Quàm ſit eis periculoſa propria confidentia. 2. Oratio ad Deum. 3. Patrocinium B. Virginis. 4. Sacramentalis Confeſſio. Probantur aliquando per morbos. Qualiter in iis ſe habeant.

DE ſuprà memoratis pueris efformandis, ut apti eſſent ſtare in palatio Regis Babyloniorum, refert ulteriùs Sacra Hiſtoria:
Dan. 1. vers. 5. *Conſtituit eis Rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino unde bibebat ipſe, ut enutriti tribus annis, poſtea ſtarent in conſpectu Regis.* Vinum unde bibit Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, eſt myrrhatum tentationibus, tribulationibus & paſſionibus. Illud vinum conſtituit ipſe omnibus ſuis electis conſortibus in regno,

regno. Unde duobus filiis Zebedæi, petentibus eligi ad consedendum ipsi in regno, pro-
Matth. 20. vers. 22.
tinùs proponit quæstionem : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Ut digni invenirentur consistere in conspectu Regis, constituit eis *vinum* tribulationis, torculari Crucis expressum, *unde bibebat ipse*. Idipsum antea denuntiaverat Sapiens :
Eccl. 2. vers. 1.
Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Misericors & miserator Dominus, probatione tentationum docet manus servorum suorum ad prælium, in quo necesse habent totâ vitâ suâ inevitabiliter exerceri. Inæstimabile istud est divinæ bonitatis beneficium, verique Religiosi probativum & perfectivum. B. Bernardus à Quinta-valle in extremis positus, hoc de se
Annal. Tom. 1. an. 1241. num. 9.
testabatur dicens : *Non fui verus Frater Minor, nisi in tentationibus in quibus semper tenuit me Dominus.* Quia mundus laqueis & inquietudinibus plenus est, autumant ignari aliqui se, postquam ex eo fugerint, in Religionis asylo omnem inventuros quietem & securitatem; quam dum postea non inveniunt, sed potiùs acrius prælium instauratum, abjecto animo
Opusc. Franc. Tom. 3. colloq. 28.
turbantur, tristantur & quasi desperant. Talis erat quidam tempore S. Patris nostri. Præ molesta & vehementi tentatione proximus desperationi videbatur. Simul etiam verebatur tentationem detegere S. Patri, metuens, ne propterea minùs deinceps ab eo diligeretur. Afflictum natum charus Pater accersivit, & paternâ voce consolatus est : *Ne timeas, nec contristeris, Fili mi. Crede mihi, quòd nunc plùs solito te Dei servum judico, & quò magis tentatum te senseris, magis mihi te noveris esse dilectum. Nullus, Fili, se Dei servum reputare debet, quousque per tentationem & tribulationem non transierit. Annulus est quodammodo victa tentatio, quo Dominus servi sui animam sibi desponsat.* Plures sibi de annosis meritis blandiuntur, & nulla sustinuisse tormenta aut tentationes lætantur. Sed quoniam ante congressum solus eos terror elideret, sciant spiritûs sui debilitatem à Domino consideratam, & ideo non probari tentatione. Vix enim objiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta. *Signum est amplioris gratiæ, nihil Deum in servo suo impunè relinquere in hoc mundo.* Huic consolatoriæ doctrinæ S. Patris, attendant qui fortiter impugnantur; confidantque se ad opera magna reservatos, quandoquidem tantis præludiis
Eccl. 10. vers. 10.
præparantur. Verissimum est enim illud : *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.* Quomodo verò exacuitur, nisi per tentationes, quibus cogitur intellectus adinvenire media & modos resistendi, & immunem se servandi à vulneribus peccatorum?

Variis autem tentationibus varia media adinventa sunt, quæ tentatis non mediocriter profuerunt. Primum est deceptiones istas interiores alicui viro prudenti, præsertim Instructori revelare. Mirabiles fuêre artes Magistrorum ad excutiendas è mentibus discipulorum suorum molestias, quæ alioquin insuperatæ videbantur. Adolescens quidam ad unam B. Simonis de Assisio prædicationem
Annal. an 1210. num. 42
conversus, molestam passus in tyrocinio tentationem carnis, suggerente eo, *cujus halitus prunas ardere facit*, ut ad ea, quæ dereliquerat, corporis rediret oblectamenta.
Job. 41. vers. 12.
Sæpè vestes sæculares repetiit à B. Vito; qui urgentem salutaribus instructionibus repellebat tentationem. Sed cùm nimiæ tentatoris molestiæ jam ampliùs se resistere posse juvenis desperaret, reddendaque omninò vestimenta contenderet; eum propè se paulisper sedere Vir Sanctus rogavit, & angustiati afflictique caput in suo sinu reposuit. Demum elevatis in cœlum oculis, ferventique effusâ oratione extra se raptus, in ipsa extasi cum Deo egit de adolescentis salute. Dum ad se redit, invenit discipulum ab omni liberatum malo, firmatumque in sancto religionis proposito : in quo ad tam excelsum pervênit charitatis apicem, ut cùm cuidam malefactori ex judicis sententia eruendi essent oculi, ipse magnis efflagitaret precibus, ut illi unum, sibi alterum eruerent oculum, ne miser homo omnino lumine privaretur.
Annal. Tom. 1. ann. 1212. num. 43.
Cujus charitatem admiratus Judex, pœnam omnem misello dimisit. Alius ex Francisci discipulis spiritualem carnali duriorem passus tentationem : cùm diu vexaretur, procidit ad S. Patris pedes, & rem omnem expandere tentans, non potuit, lachrymis & frequentibus singultibus præpeditus. Elevans autem bonus pastor infirmam oviculam & inter brachia tenens, cœlitùs penetrans quod intùs latebat, tenerâ voce dixit ad Fratrem : *Fili mi, ne timeas, hoc erit tibi in gratia augmentum.* Et deinde aliâ & imperiosâ voce inquit ad dæmones : *Præcipio vobis maligni dæmones, ne ampliùs hunc meum fratrem oppugnetis.* Quibus dictis statim Frater liber evasit, & dæmon confusus abscessit. Putant quidam se admodum prudenter agere, si præ pudore, diffidentiâ & superbiâ cautè celent animum suum, nemini fidant, passiones suas pravas premant silentio, nescientes se abscondere diabolum in sinu suo, ne per expertum Magistrum, & confratrum orationes deprehendatur & ejiciatur.
Collat. 2. cap. 11.
De quibus hoc modo loquitur Cassianus : *Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum protrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis consiliis Seniorum in suo judicio persuaserit ac definitione doctrinâ ve confidere, &c. Et ideo semper Seniorum summâ diligentiâ sunt sectanda vestigia, atque ad eos cuncta, quæ in nostris cordibus oriuntur, sublato confusionis velamine deferenda.* Eosdem deplorat D. Bernardus, indicatque periculum, dum sibi esse volunt discipuli pariter & magistri :
Serm. 77. in Cantic.
Quàm multi ex hoc à recto tramite periculosissime aberrasse comperti sunt! Nimirum ignorantes astutias Sathanæ & cogitationes ipsius. Factum est, ut qui spiritu cœperant, carne consummarentur : abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Videant proinde, qui ejusmodi sunt, quomodo cautè ambulent : nam seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori.
Annal. Tom. 6. an 1293. num. 5
Funesto exitio id expertus est unus è tyronibus nimis in suo proposito pertinax. Singularem sibi vitam præscripserat, nec in pietatis aut humilitatis officiis volebat cum cæteris convenire. Reprehensus à Magistro proprium

secutus arbitrium nolebat acquiescere, indiscretis semper abstinentiis in secretis latibulis intentus. Oranti ut liberaretur à Magistri molestiis, liceretque quidquid pro macerando corpore liberet, apparuit dæmon in speciosissima forma Dei Genitricis: Protinùs adoranti & interroganti, quid eum facere vellet? respondit falsa Virginis imago: Persevera Fili, in tuis pœnitentiis & abstinentiis, neque credas Magistro contraria suadenti: ego tui curam & magisterium geram; quando expedierit, ut carnem vel aliud obsonium omittas, faciam, ut è regione loci, in quo sedes, appareat tibi manus, quæ illud iodicet; quare quod illa prohibuerit, ne tangas, quantumvis præceperit Magister, ut manduces. Hinc singularior & obstinatior factus adolescens, commovit in se ædis Præfectum, qui Magistri monitis reluctantem graviùs corripuit. Temerè nimis ille respondit, potiori se obedire Magistro, neque contra hujus præceptum quidpiam se facturum, quantumvis alii juberent. Apparens denuò ficta Deipara laudavit misselli constantiam, atque ut perseveraret admonuit. Tertiò se conspiciendam præbuit in majori splendore, tempusque adesse diait, quo ei fruendus esset filius suus Christus; nihilque aliud est, inquit, impedimenti, quàm ut eodem quo ille mortis genere vitam consummes. Quare ut quaotocyùs ad filii consortium accedas, accepteque libentiùs hunc tuum præclarum ex mundo recessum, non alii quàm tu-metipse adhibendi sunt crucifixores: dum Fratres alto stertetiot somno, tum sanctum hoc offer sacrificium in loco omnium humillimo, in culina, ibique transversis lignis, infixisque clavis ita age, ut verè Cruci te figas. Credidit misellus dicenti, modumque quo faceret edoctus, horâ præfiaâ se crucifixit. Fuit qui ictus & tumultum perciperet, & ostium ab illo fortiter clausum extra cardines ageret, qui dum vidit ita è cruce pendentem, polsatâ campanâ, expergefactisque Fratribus è ligno deposuit. Lethaliter ille vulneratus & semimortuus, nulli pœnitentiam aut delictorum confessionem suadenti obsequi voluit, pertinacissimè asserens non alium quàm B. Virginem sibi apparuisse, etsi Fratres dicebant Sathanam se transfigurasse in imagioem lucis. Mirabile sanè, dum remedium omne depellit, & salutaria quæque monita contemnit, quod suum erat rapuerunt dæmones io ictu oculi, neque ampliùs quidquam de eo sciti potuit in illa regione.

Secundò, Aliud vincendarum tentationum præsidium est, fervens & confidens oratio. Huic benignissimus Dominus facilè acquiescit, dum agnoscentes imbecillitatem nostram, simulque retinentes in nobis ipsis primam bonam voluntatem, ad eum confugimus, qui nos in hoc adduxit certamen, cum promissione adjutorii necessarii in tempore opportuno. Amabiles fuerunt quorundam amplexus & solatia ab isto clementissimo Pa-
Annal. Min. Tom 2. ann. 1263. Num. 47. tre. Tyro quidam severiùs probatus, & per multa tentatus à rigido Guardiano, cùm duriorem sibi impositam pœnitentiam complerer, abiit in Ecclesiam, ubi prostratus coram Crucifixo, allegabat suam sufferentiam dicens: *Domine, ecce quanta pro te patior, ecce quot mihi molestias ingerit hic inhumanus Guardianus. Tu nosti me potuisse calamitates istas evadere, neque enim mihi deerant in sæculo facultates lautè vitam transigendi.* Cui statim indignabundus Christus: *Ecce etiam, quæ ego pro te passus sum; quæ mihi illata ludibria? quæ vulnera? quæ suprema malorum? neque verò nulla mea culpa, tua omnis. Ego innocens pro te peccante omnia perpessus.* Attonitus Frater erubuit de sua jactantia, in posterum mala quæque pro Christo libenter toleraturus. Alter nobilis de- Chron. p. 2. lib. 4. c. 10. §. 1.
licatulè nutritus in sæculo, religiosam victûs tenuitatem duriùs ferebat, eâque ratione se parabat ad egressum. Priùs tamen quàm egrederetur, coram Crucifixo paululum oravit, ut se divinæ commendaret elementiæ. Nec frustrà: abreptus enim in ecstasim, audivit eum interrogantem, cor vellet abire? Cui reverenter respondit: iotolerabiles mihi sunt hæ austeritates, in victu præsertim & vestitu. Christus elevato brachio ostendit ei latus sanguinolentum, dixit; *Extende manum, & intinge in sanguine meo, & quandocumque Diabolus tibi depinget religiosas austeritates ut intolerabiles, condito eas recordatione & comparatione sanguinis dolorumque meorum, sicutque tibi leves.* Hâc recreatus instructione, deinceps molestias omnes facilè superavit. Alteri Novitio Ibid. cap. 9. §. 5.
Parisiis, profundè illapsa fuit tentatio circa fidem S. Trinitatis, cui nihil proderant quæcumque argomenta & explicationes à Doctoribus Parisiensibus proponerentur. Igitur oratione lachrymosâ & ferventi aggressus est Patrem luminum, & mox sublevatus est. Vidit enim Alexandrum Alensem sedentem ad pedem Crucifixi ac disputantem de eo dubio quo ipse torquebatur, illudque clarè resolventem. Audivitque dicentem sibi Crucifixum: *Fili, crede iis quæ Alexander docuit.* Eoque viso istæ mentis tenebræ illicò evanuerunt.

Tertiò, Confidentia in sacratissimam Virginem Mariam, securissimum est præsidium tentatorum. Spiritus Sanctus sponsam suam
depingens, inter alia encomia hoc adfert: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. vers. 4. Michaël Gisleriùs applicans hoc D. Virgini ait: *Mille clypei, qui ex hac turri pendent, mille sunt atque innumera præsidiorum genera, quæ ab oratione tantæ Virginis parata nobis accipimus, quibus qualibet in tentatione, & in emergenti quacumque occasione & necessitate, nos ipsos quasi fortissimis protegimus clypeis, quibus quasi omni armaturâ fortium instruimur.* Amici duo, sua nomina Franciscano de- Annal. Tom. 2.
derant Instituto, eo inter se inito pacto, ut si cuiquam illorum vitæ assumptæ genus displiceret, alter cum eo recederet. Unus nolebat ulteriùs in sancto proposito progredi, suadebatque, ut alter juxta factam promissionem secum abiret. Dissuasit hic, ne ab incepto desisteret; nec omninò poterat obtinere, tandem importunâ victus amici prece, rogavit, ut per Ecclesiam discessuri transirent. Commendavit Beatæ Virgini, ad ejus altare prostratus, amici discrimen; cum lachrymis orat, & à

gravi

gravi liberaretur tentatione. Dum paululum hæsissent; qui ad recessum socium impellebat, vidit S. Franciscum orantis lachrymas colligentem, & B. Virgini offerentem, ne recessurus periret. Hâc visione confortatus, in sancto Instituto constanter per omnem vitam sanctè permansit.

Annal. Tom. 4. an. 1383. num. 6. Quartò, Sacramentalem Confessionem prodesse ad excutiendas tentationes, experimento compertum est. Fratri Nicolao Thomacello semel revelatum est, unum ex discipulis genere nobilem, quòd humiliora Ordinis ministeria exercaretur, nulloque pacto animum ad utensilia abluenda applicare posset, voluisse Fratribus valedicere. Anxius Pater ad tyronem accedit, consolari intentat, tentationem à diabolo provenire ostendit, invitatque ad Sacramentalem peccatorum confessionem. Obedivit ille, & protinùs stultus iste horror dissipatus est. Crediderim peccata latentia impedire, ne lux gratiæ illucescat, quâ deprehendi possit fraus pessimi Deceptoris, res levissimas depingentis ut admodum graves, & detinentis animum in superba aliqua impatientia, quæ nondum meretur humilitatis dono confortati. Obice illo per humilem confessionem amoto, aditus præbetur divino lumini, ad fraudes maligni Veteratoris detegendas.

Præter afflictiones spiritûs, subministrat interdum Deus novis pugilibus suis dolores corporales, & morborum conflictationes, ad probationem perfectam. In his se prodit cujuslibet generositas, & pœnitentiæ faciendæ propositum. Qui enim viliotis sunt animi, se ipsos amantes, spiritûs vigore destituti, lamentabuntur inconsolabiliter, omnem Dei memoriam seponentes, toti in medicinis & remediis, impatientes si quid eis desit, & ad parentes patriamque aspirantes. Unde suspicari licebit, eos post professionem fore de istis delicatulis, qui ad minimos morbos volunt ab oneribus communibus dispensari, qui ad minimam adversam auram expavescunt, & quibus totus mundus vix sufficere posse videtur ad subministrandum remedia reparandæ vel conservandæ sanitatis. Qui verò venerunt castigandorum delictorum gratiâ, vel ad sectandum Christi patientis vestigia, gaudent, & congratulantur sibi, luculentas istas materias virtutis exercendæ subministrari, minimèque de medicamentorum vel ministerii defectu querulantur. Hos verus Dei amor huc adduxit, ideòque nihil terrebit aut cogitationem inducet de retrocedendo; sed Pauli Apostoli constantiam induentes, dicent cum eo: *Certus sum, quia neque mors*, mihi comminata, Rom. 8. verf. 38. *neque vita* diuturnior, mihi promissa, si abstineam ab his rigoribus, *neque Angeli* maligni, cum suis terroribus, *neque principatus*, sive Superiores, quantumvis rigidi, *neque virtutes* gloriosæ in mundana vita propositæ, *neque instantia* mala perpetienda, *neque futura*, quæ mihi prædicuntur eventura, si diu vivam in hoc Ordine; *neque fortitudo* volentium me hinc extrahere, *neque altitudo* perfectionis exercendæ, quæ videretur esse supra meas vires, *neque profundum* abjectionis, ad quod descendo, *neque creatura alia, poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.*

TEXTUS & §. XVIII.

Videlicet duas tunicas sinè caputio.

SUMMARIUM.

Quid sit novitas vitæ, quam Novitii auspicantur? Cur eis mutentur vestes? Quare in vestimentis nostris tanta vilitas? Item Asperitas? Item cur ad crucis figuram efformata tunica?

Apostolus cupiens fideles recens conversos à vana sua conversatione, in novitate vitæ ambulare, soletter eos adhortatur vitiosam deponere vetustatem: *Expoliantes*, inquit, *vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* Probrosam istam & damnabilem vetustatem, quâ nos cupit exspoliari, in hunc modum sanctus describit Anselmus: *Vetustas ista erat, præsentem mundum quærere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, ad illa multiplicanda quærere aliena, nullum purè propter Deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc vetusti sunt hominis, quæ trahimus de radice corruptionis.* Hunc veterem hominem exuentes, *induimini* novum, scilicet *Dominum Jesum Christum.* Ipsius virtutibus & perfectionibus oportet nos investiri. *Induite vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c.* Hanc Apostoli exhortationem sibi directam intelligant religiosæ perfectionis Candidati. Decreverunt Patres nostri ipsos novâ formâ habitûs corporaliter indui, quæ assumpti statûs conditiones repræsentaret, & cujus assiduo aspectu & contactu ad earum monerentur recordationem, simulque erubescerent mores & cogitationes non ad eam formam componere, quam externo habitu pollicentur. Hanc extremoniam & rationes ejus fusè explicat Cassianus, ostendens quid significent singulæ partes istius vesti-

Coloss. 3. verf. 9. — In 1. Cor. cap. 5. — Rom. 13. verf. 14. — Coloss. 3. verf. 12. — Lib. 1. de habitu Monachi.

vestimenti, quod tunc temporis gestabatur. Nos consideremus materiam, formam, & significatum pannorum probationis, qui nostris Novitiis tribuuntur.

Primò, Voluit sanctissimus Pater noster generaliter, ut essent viles. Qui in Regum & Principum palatiis conversantur, ex necessitate ornant se juxta sui statûs decentiam; non enim ibi aliter comparere permittuntur. Nobis delitescentibus in nidulo paupertatis, ad quid mundanus iste cultus? Mulieribus quasi à natura inest curiositas, & corporis ornandi excessivum studium; quia cùm animi careant dotibus, quibus viri ornati sunt, supplere conantur externo splendore istum defectum, ut hoc modo in prætio habeantur. Nobis meliora & splendidiora proposita sunt (Psal. 44.): *Omnis gloria filiæ Regis* cœlestis *ab intus*, in præclaris cordis affectibus. Deindè vestium pompa, nescio quàm afflare consuevit incircumspectis arrogantiam. Mundani multi conantur hominum oculos eo medio detinere in respectu & admiratione suæ excellentiæ; cùm norint ideo frequenter vanos istos deferri honores. (Jacob 2. vers. 2.) *Si introierit*, inquit Jacobus, *in conventum vestrum*, ò Mundani, *vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu*, ut plurimùm intenderis in eum qui indutus est veste præclarâ & diceris ei: *Tu sede hic bene*. Pauperi autem: *Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum*. Cùm igitur Tyrones nostri jam elegerint humilitatem, abdicaverint humanorum respectuum fascinationem, nec ampliùs æstimari desiderent, sed contemni; conveniens fuit eis habitum tribui vilem & pauperculum, mundanorum divitum (Eccles. 13. vers. 24.) contemptibus congruentem. *Sicut* enim *abominatio est superbo humilitas: sic & execratio divitis pauper*. Et in hac execratione gaudentes digni invenientur societate Filii Dei.

Secundò, Voluit vestes istas asperas esse; eamque constitutionem propriæ conversationis firmavit exemplo. Ipse enim, teste D. (Vita cap. 5. num. 2.) Bonaventura vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat; asserens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando verò in datâ sibi tunicâ lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interiùs; quia non in casulis pauperum, sed in palatiis Principum, juxta veritatis verbum, vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientiâ enim certâ didicerat, dæmones asperitate terreri: deliciosis autem & mollibus ad tentandum fortiùs animari. Unde cùm nocte quâdam, propter infirmitatem capitis & oculorum, præter solitum morem, cervical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus, ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum, multimodè à sanctæ orationis studio perturbavit; donec vocato socio pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longiùs exportari. Exemplo S. Patris nos quoque ad sanctam accingamur austeritatem. Ridiculum foret & stultum, porco jacenti pulvinar candidum & molle supponere, cui lutum sufficit ad quietem & siliquæ ad saginam. Corpus nostrum propter ingluviem, sordes, vilesque appetitus, porco non ineptè comparatur. Huic non quæramus mollitiem. Sufficit ei storea aliqua vel nuda humus, sicut sufficere solet militibus sub dio, & opilionibus in agro dormientibus.

Tertiò, Forma vestis nostræ est tunica talaris cum manicis, quæ extensæ formam Crucis efficiunt. Francisco in primordiis suæ conversionis oblatus est mantellus pauper & vilis, cujusdam agricolæ servientis Assisiensi Episcopo (Vita cap. 2. num. 4.): quem ipse gratanter suscipiens, cum cæmento, quod sibi occurrit, ad modum Crucis manu propriâ consignavit, operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis semi-nudi. Præter alia multa Crucis Christi memorialia voluit, ut & vestis continuam sibi illius memoriam refricaret: vigilando, dormiendo, & in omni loco se sentiret esse in cruce; non exteriùs affixum, sed intrà conclusum, ipsâque circumdatum & armatum. Eadem sit cogitatio nostra; nec solùm cogitatio, sed & vita nostra sit quasi hominis crucifixi in patientia, in luctu & morum seriositate: abactis procul jocis ac levitatibus: ita ut quicumque viderint nos, haud aliter valeant judicare, quàm quòd sub habitu isto stet aliquis mundo crucifixus & mortuus, ad recreationes terrenas insensibilis, nihilque aliud in corde sentiens, quàm dolores dilecti sui Jesu Christi. Hoc est vestimenti hujus significatum. ut simus secundum doctrinam Apostoli *semper* (2. Cor. 4. vers. 10.) *mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, & ut vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*. Nondum intellexerat hoc practicè initio tyrocinii sui magnus Doctor Alexander Alensis; sed edoctus fuit miraculosâ S. Francisci apparitione. Dum Novitiatum adhuc (S. Antonin. 3. parte hist. tit. 24.) ageret Alexander, territus vestium austeritate, cœperat de egressu cogitare. Nocte sequenti Franciscus licèt absens corpore, præsens tamen spiritu, apparuit ipsi, ponderosissimam crucem ligneam portans humeris, cum qua cacumen præcelsi montis ascendere velle videbatur. Dum autem gemeret sub pondere, motus compassione Alexander, accessit, opem in portando sancto Patri laturus. A quo repulsam tulit indignanter, his verbis: *Vade miser, tu non vales portare unam crucem levem de panno; & portabis unam ponderosam de ligno?* Intellexit protinùs vir subtilis suam eâ visione redargui pusillanimitatem; & ad perseverantiam ferendæ religiosæ austeritatis eâ commonitione extitit roboratus. Simili modo ipsemet Christus adolescentem quendam Parisiis tali tentatione vacillantem roboravit. Sodalitio nostro valedicturum sub Quadragesimæ (Annal. Tom 2. an. 1265. num. 7.) initio, Magister tyronum sanctis persuasionibus detinuit usque ad Pascha. In Parasceve apparuit Christus gravem humeris crucem ferens, & dicens: *Non mihi compateris, Fili, onus magnum ferenti?* Cui ille humiliter: *Domine compatior, & vellem te hoc onere levare. Accipe*, inquit Christus, *crucem hanc, quam si in finem usque portaveris, salvus eris.*

Quo viso, & verbis, intellexit sibi à Christo perseverantiam in assumpto vitæ genere persuaderi.

T E X T V S & §. *XIX.*

Et cingulum & braccas.

SVMMARIVM.

Quomodo Chorda cinctoria sit Humilitatis monimentum, per hoc quòd eâ ligati, ut bestiæ censeamur, vel ut latrones ducendi ad supplicium. Refricat etiam memoriam vinculorum Christi. & vinculi Obedientiæ, quo eum sequamur. Sic debemus mentem elevare, ut inhonestarum miseriarum memoriam superemus.

Isaias 3. vers. 24. VAticinatus fuerat Isaias: *Erit pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Divinam istam prædictionem quotidie cernimus compleri in quamplurimis adolescentibus & puellis, qui abrenuntiantes sæculi pompis, pro aureis & gemmeis zonis, vilem & nodosum funiculum assumunt quo cingantur; tonsuram & rasuram religiosam commutant pro vana crinium crispatura, & pro fascia pectorali sacco vestiuntur cilicino. Hujus heroici operis ducem & antesignanum habent, perfectum Vita cap. 3. num. 1. mundialium contemptorem Franciscum. Hic dum die quodam Missam de Apostolis devotus audiret: perlectum est Evangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Evangelicam in vi- Matth. 10. vers. 9. vendo? *Ne* videlicet *possideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam.* Quod audiens & intelligens, ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfusus lætitiâ: *Hoc est*, inquit, *quod cupio, hoc quod totis præcordiis concupisco.* Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, & pecuniam execratur, unâque contentus tunicâ, *rejectâ corrigiâ pro cingulo funem sumit.* Ecce *pro zona funiculus*, quem voluit Franciscus esse humile sui suorumque cinctorium. Indagemus autem breviter mysteria in illo nostro Franciscano funiculo significata.

Primò, Capistris & funibus bestiæ alligantur, ne ferociant. Horum adminiculo ad herorum suorum nutum per omnia diriguntur. Stant, procedunt, serviunt, pascuntur, ac tandem mactantur. Non sericis ligaturis constringuntur, aut gemmatis baltheis; viles eis chordæ sufficiunt. Nos Franciscani ad bethlemiticum accessimus stabulum humilitatis, habetque unusquisque nostrûm Domino dicere cum Propheta: *Ut jumentum factus sum apud* Psal. 72. vers. 23. *te.* D. Bern. considerans solemnem Christi ingressum in Jerusalem, & tres ordines ipsi obse- Dom. Palm. Serm. 1. quentium, ait Fratribus suis & nobis: *Omnes reliqui ex eo quod abundat sibi mittunt, & quasi sine gravamine Domino obsequuntur. Solum jumentum semetipsum exponit ejus obsequio. Silendum tibi est, ut elationem caveatis; an magis loquar, ut consolationem habeatis? Jumentum cui insidet Christus, nonne vos estis, juxta præceptum Apostoli glorificantes & portantes Deum in* 1. Cor. 6. *corporibus vestris?* Et post pauca: *Cui in processione illa Jesus propinquior, cui de tribus ordinibus salus vicinior? Facilè credo potestis advertere.* In jumentis istis computat S. Daniëlem, quia vili edulio in abstinentiæ labore sustentatum. De seipso etiam S. David decantat Domino: Psal. 72. *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper te-* vers. 23. *cum*, q. d. ita tibi vicinus, sicut jumentum Domino sibi insidenti. Tuo totaliter subjectus regimini: *Tenuisti manum dexteram meam, &* Vers. 24. *in voluntate tua deduxisti me.* Cavendum verò ne alio etiam titulo inter jumenta computemur, eo nimirum quem idem commemorat Psalmista: *Homo cùm in honore esset non intel-* Psal. 48. *lexit, comparatus est jumentis insipientibus, &* vers. 21. *similis factus est illis.* Videamus num cesserimus aliquando brutalibus & insolentibus passionum nostratum motibus. Compescamus recalcitrans illud jumentum alligatione funiculi, ut directioni Domini sui cogatur deinceps obtemperare. Istius officii nos admonet ille, quo circumligamur funiculus. B. Jacoponus reflectens se super antiquas suas insolentias cùm verecundia & compunctione, hoc stratagemate studuit procurare medelam veterum delictorum. Tuderti cùm ludi solemnes publicè Annal. summo populi concursu celebrarentur, accen- Tom. 2. sus ingenti fervore, sese pubetenus denuda- an 1298. vit, instratoque tergo clitellis jumentorum, num. 30. postilenâ fræni vice ori impositâ, manibus, pedibusque quadrupedum situ proreptans, in confertam se spectantium turbam intulit; quo spectaculo tam inusitato, plerique attoniti & propè externati inter se intuentes, nihil ut si elingues forent collocuti, atque à foro dilapsi, ædes suas repetiverunt, itaque ludi finierunt. Nec unus omnium fuit, qui risu solveretur, sed admirari omnes, hominis nobilitatem & pristinam fortunam cum præsenti conferentes, factum, studiumque pœnitentis non potuerunt non probare.

Secundò, Alius funium seu chordarum usus est latrones constringere ductos ad patibulum. Innocentissimus Agnus Dei, non modò Luc. 23. cum iniquis latronibus deputatus est, sed Marc. 15. etiam pessimo latrone Barbarâ deterior æstimatus. Nempe sceleratorum omnium vadem ipse se constituerat, Nos sumus qui peccavi-

mus,

mus, nos iniquè egimus. Latronum opera sunt, rem alienam præsente Domino injustè rapere, sibi usurpare. Nunquid nos aliquando membra nostra quæ Dei sunt, ab ejus subtraximus servitio, & servire fecimus immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, creaturasque alias non ad vanitatem concessas, usurpavimus ad servitutem corruptionis contra veri Domini voluntatem? Nunquid aliquando animam nostram, Dei sponsam & filiam vilissimo pretio vendidimus inimicis Dei, cùm tamen non solùm jure creationis plenum in eam vendicaret dominium, sed jure etiam laboriosissimæ Redemptionis? Commiserat eam nobis in honore ac libertate custodiendam, quam interim crudelibus & impuris Dæmonibus tradidimus, in stuprum, in servitutem, & in adjutorium diabolici belli contra proprium Dominum, sponsum atque parentem. Mandatum legimus in sacra Regum historia: 3. Reg 20. vers. 39. *Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes.* S. Antonius Paduanus in expositione in eum locum, expendens jussionem illam tanquam ad se directam pro animæ propriæ custoditione, in hunc modum lamentatur: *Heu quoties animus meus, à quo vita procedit, labitur in lacum miseriæ & in lutum fæcis! Dicitur ergo: Erit anima tua pro anima, id est vitâ ejus, aut talentum argenti appendes. Heu Domine Deus, animam habeo. Talentum, id est vitæ puritatem, non habeo, in statera tui examinis appendendam. Ergone animam meam appendes pro isto dilapso? Vere Domine judicia tua justa, quia dignus sum suspendi, qui tuum depositum, cor meum, id est vitam meam non custodivi, & ideo dignus sum vitâ privari.* Tantus iste amicus Dei, se cum latronibus patibulariis, adeoque Vita cap. 6. num. 2. laqueo suspendendis computabat. Ipse etiam Franciscus, humilitatis spiritu inflammatus, in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum Fratribus multis quos secum adduxerat, majorem introivit Ecclesiam: funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. F. Juniperus timisi humilitate passus est se tanquam latronem, non fictè sed veraciter ad patibulum perduci. Hæc est historia. Annal. Tom. 1. an. 1212. num. 26. In agris Romanis grassabatur magnâ tyrannide ingens prædo, Nicolaus nomine, fortis viribus, munito castro imperterritus. Huic in spectro nocturno, & fraudulento per diem cum dæmone colloquio persuasum, fraterculum quendam in castrum venturum, qui ipsum, vel equum summè charum (cujus velocitati sub patrandis nequitiis confidebat) subulâ confodiat. Indicium à dæmone datum, adventurum hominem veste mentitâ sub paupercula lacerna, subtùs proditoria arma gestaturum; subulam videlicet quâ confodiat, & ignitabulum quo castrum incendat. Hoc indicio à Tyranni famulis captus Juniperus: sub hujus enim lacernula invenerunt, quæ dæmon præmonuit; nam ad sandalia resarcienda semper subulam pauperis more, & ad ignem excutiendum, silicem, suscitabulum, & igniarium circumferebat. Raptus ad Tyrannum jubetur sinè mora torqueri in equuleo. In tormentis dum interrogaretur quis esset? respondit se maximum esse peccatorem. Dum ultrà percunctarentur, an cogitaverit de castro prodendo? Dicebat scelestissimum se esse proditorem. Deindè si subulâ illâ intenderet castri Domino vitam eripere? addebat, se hæc & pejora facturum, si malo suo genio à Domino derelinqueretur. Ut expressiùs quidpiam fateretur, stringitur fortiùs in tormentis, in quibus illa sola ejus vox: *Laudetur Dominus Jesus Christus.* Nihil autem ampliùs quàm prædicta repetita confitentem, novo tormenti genere afficiunt, in capite fortiter circumductis ad tempora funiculis. Tandem morti adjudicatur, in patibulo suspendendus, eò ducendus ad equi caudam super plaustrum. Dum duceretur, alacriter Deum laudabat, & stimulos quâ poterat arte addebat caballo, ut velociùs accederet ad locum supplicii. Misso quodam ad Cœnobium Minorum extra castrum, qui à Guardiano Confessarium peteret, qui proditorem ad bene moriendum excitaret, detectus vir sanctus, exitu à periculo liberatus.

Tertio, Chorda quâ cingimur aliam nobis refricat memoriam, Christo Domino & Francisco longè gratissimam. Ista est compassiva commemoratio crudelium alligationum, quas absque resistentia passus est mansuetissimus Agnus Dei, Dominus Jesus Christus. Ipse in teneriori ætate, quasi in noviciatu, alligatus fuit per amantissimam Matrem molliter & circumspectè; sed quando factus est vir, duris funibus constrictus fuit à malevolis tortoribus eum ducentibus ad flagellandum, ad spinis coronandum, & ad crucifigendum. Ligatus mansit usque ad crucem. Ibi quidem laxata sunt chordarum vincula; verùm alia incomparabiliter atrociora successère: clavi scilicet quibus confixus perduravit, usque dum emisit spiritum. Cingulum hoc nostrum illius inæstimabilis beneficii memoriam exquirit & gratitudinem. Cingulum hoc sit nobis fidelitatis debitæ memoriale perenne. Si ipse ad nos latrones descendit, se capi permisit, atque ita ligari ut effugere nequiret, donec nostræ solveret pretium Redemptionis: permittamus nos vicissim ab eo ligari, ita ut effugere non possimus, donec pretium persolverimus reciprocæ charitatis, quod à nobis ipse jure reposcit. Si eum verè cum S. Petro diligimus plùs cæteris, credamus idem nobis dictum quod Petro: *Sequere me.* Ne autem dubium Joan. 21. vers. 18. relinqueretur, quò & qualiter Petrus cæterique ejus amatores ipsum sequi deberent, hoc dilucidè explicuit: *Amen amen dico tibi, cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans quâ morte clarificaturus esset Deum.* Nempe per crucifixionem. Hic est verus modus Christum sequendi crucifixum. In sæculo existentes, cingebamus nosmetipsos, & quò libebat, pro libertate ambulabamus: nunc verò extendimus manus nostras in sacra professione, & obtulimus ut obedientiæ perpetuæ vinculo alligarentur. *Alius ergo nunc*

cinget

tinget te, & ducet quò tu non vis. Hâc propriæ voluntaris abnegarione configuramur fimilitudini mortis ejus. Ipfa eft mortificatio, & mors illa, quâ elarificatori fumus Deum. Durum videtur privari antiquâ libertate, non poffe quod voluerimus agere, aut quò libet ambulare; proptiùs tamen fi res infpiciatur, ferarum libertas eft per fylvas vagari, natutalibufqua regi appetitibus. Vera Libertas, & angelicæ divinæqoe fimilis eft, velle ex amore quod vult Deus, atqoe ita infolobiliter velle, ut ampliùs reduci non poffimus ad infamen fervitotem crudeliter dominantium peccatorum. Hanc libertatem non imminuet, fed augebit hnjus regulæ vinculum; cujus quafi Sacramentum eft funis ifte cinctorius, quo tenemur alligati.

Quòd Braccas deferri voluit Francifcus, non caret divinæ Scripturæ exemplo. Idem ab [Exod. 28. verf. 42.] ipfo Deo indictú Veteris Teftamenti Sacerdotibus in Exodo & Levitico reperimus. Majnr [Levit. 16. verf. 4.] fanè à nobis honeftas & mondicia, quàm à legalibus Miniftris exigitur. Reliqoit verò nos Deus velut homines reliquos in corporalibus neceffitatibus, quia hoc defervit ad vehementem fublimium animarum bumiliationem. Proindè juxta illam Conditoris noftri intentionem humiliemus illi animas ooftras; verecundè quid fimus agnofcentes; fimulque quafi terrena omnia faftidientes, & animo quafi abftracto à corporibus ad cœleftia guftanda & indaganda fublevemur.

TEXTVS & §. XX.

Et caparonem ufque ad cingulum.

SVMMARIVM.

Caparo admonet Novitios fanctæ ftultitiæ propter Chriftum, & præparationis ad contemptum. Item finceritatis exhibendæ & excludendæ fimulationis, Novitiatus tempore. Qualiter temperandus timor ejectionis. Præbet etiam exemplum infantilis innocentiæ confervandæ, & refignationis fub Obedientia Superiorum.

SEnnacherib Regi Affyriorum, Jerofolymam obfidenti, denuntiabat Dominus [Isa. 37. verf. 29.] & comminabatur: *Cùm fureres adversùm me, fuperbia tua afcendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venifti.* Haud aliter juftus Dominus cum oolverfo egit humano genere. Initio cùm Protoparentem noftrum creavit, prohibitionem [Gen. 2. verf. 17.] edidit: *De ligno fcientiæ boni & mali ne comedas.* Homo verò allectus fuperbo fcientiæ defiderio, per ioobedientiam contra proptium furere cœpit Conditorem; ut hic dicere ei potuerit: *Cùm fureres adversùm me, fuperbia tua afcendit in aures meas.* Recefferunt miferi protoplafti à Deo falutari fuo, eximiis donis ftatum innocentiæ concomitantibus exfpoliati. Quid faceret mifericors Deus, ut in viam juftitiæ, unde venerant, reducerentur? Superbo boic appetitui Sapientiæ, contrarium [1 Cor. 1. verf. 21. & 27.] apppofuit medicamentum. *Placuit Deo per ftultitiam prædicationis falvos facere credentes.* Et ideo *quæ ftulta funt mundi elegit Deus, ut confundat fapientes.* Verbum crucis, quod à mundi fapientibus ftultitia reputatur, eft circulus quem ponit in naribus noftris, & frænum in labiis, quo ad ftatum juftitiæ, oode per præpofterum fcieotiæ defiderinm receffimus, reducamur. Hanc Chrifti Philofophiam docet [1. Cor. 3. verf. 18.] Corinthios Apoftolus, dum ait: *Nemo vos feducat. Si quis videtur inter vos fapiens effe in hoc fæculo, ftultus fiat ut fit fapiens.* Fatuitatem fuadet; non eam qoæ in captis mente apparet, fed quam reputat mundus. Eam D. explicat Greg. his verbis: *Ab hujus mundi fapientibus,* [Lib. 10. moral. c. 15. in c. 12. Job.] *puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio ftultum putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali fapientiæ fatuum fonat.* Et pergit exemplificare: *Quid namque ftultius videtur mundo, quàm mentem verbis oftendere, nil callidâ machinatione fimulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, poffeffa relinquere, rapienti non refiftere, percutienti alteram maxillam præbere?* Hæc eft mundi ftultitia & fapientia fanctorum, quam nos Francifcani fequi profitemur. *Nos ftulti* [1. Cor. 4. verf. 10.] *propter Chriftum;* & ideo convenienter S. nofter Patriarcha Caparonem Novitiis attribuit, tanquam aptum fatui capitis operimentum.

Cives Affifienfes, cùm ipfum Virum Dei in [Vita ejus cap. 2. n. 2.] fuæ converfionis initio prodeuntem in publicum, cernerent facie fqualidum, & menta mutatum, ac per hoc alienatum putarent à fenfu; luto platearum & lapidibus impetebant, & tanquam infano & dementi clamofis vocibus iofultabaot. Infignis Domini joculator B. Juniperus tantæ humilitatis erat & fimplicitatis, ut ab imperito volgo fatuus crederetur. Dei fervus Jacoponus Tertiarius S. Francifci in eo occupatiffimus fuit, ut in publico [Annal. Tom. 2. an. 1298. num. 29.] ea faceret diceretque, ob quæ derideretur, & vulgi fabula fieret. Et cognati quidem hanc viri humilitatem & abjectionem feu contem-

ptum erubescentes, quando jam passim coeptè & stolidè facta dictave Jacoponi in ore omnium versabantur, indoctiâ quàm maximâ eum ab hoc amentiæ studio, vitæque genere avertere, reducereque ad sapientiam conabantur: at cùm animo obfirmatum deprehendissent, seque operam ludere, ab incepto destiterunt, suoque modo moreque eum vivere, apta & inepta agere siverunt. Molestiis inde interpellatoribus excussis, liberiùs in contemptionem iocumbebat, & ut altissima ejus jaceret fundamenta, vias modosque prosequebatur & amplectebatur omnes, quibus mundo universo vilesceret, & pro ultimo purgamento
Ibid. n. 31. duceretur. Germanus ejus Frater filiæ nuptias paraturus erat, ad quas propinqui ac necessarii jam confluxerant. Veritus autem ne Jacoponus more suo honores publicos insaniæ simulatione corrumperet, consanguineum misit, qui etiam atque etiam rogaret, vellet eo die personam sapientis sibi sumere, nec infamiâ suâ nuptiis obstrependo, familiæ notam aspergere. Jacoponus in hunc modum legato respondit: *Fratri meo renuntiato, quemadmodum ipse suâ allaborat prudentiâ, ut familiam nostram, genusque eo apparatu illustret, ita me quoque idipsum amentiâ meâ cogitare, molirique.* Itaque rem aggressus est: vestibus se exuit, corpusque pet unctum in discoloribus lecti plumis circumvolvit, monstrumque horrendum, & supra omnes peregrinas & Africanas feras, in ipsa gaudiorum maturitate, floreque nuptiarum, inter suos comparuit; quod adeo displicuit cognatis, ut omni pompâ nuptiali, lætitiâque solutâ, digressi sint omnes; partim pudore suffusi, partim miseratione commoti, super consanguineo olim tam honorato, in præsens tam abjecto & contempto: imò qui contemptionem ipsam contemneret. Rogatus semel à Christo sibi apparente amicè & familiariter, cur hanc stultitiam ita adamaret; re-
A Lapide in 1. Cor. 3. vers. 25. spondit pro lepôre, ut solebat: *Quia tu stultior me fuisti, Domine.* Hanc sapientem Sanctorum fatuitatem, doceantur Novitii nostri, per sui Caparonis gestationem, jugiter æmulari.

Unum eorum quæ mundo stulta videntur, recenset D. Greg. *mentem verbis ostendere, nil callidâ machinatione simulare.* Hanc stultitiam specialiter amplectantur. Dæmon frequenter concutit pectus Novitiorum timore inquietissimo, ne à Religiosorum contubernio dimittantur. Imprudentiores hoc timore plurimùm distrahuntur à sincero orationis cultu, quæ mentem exigit quietissimam; eoque moventur ad componendos mores, ad fingendam modestiam, & ostentandam sanctitatem quamdam, quâ Religiosis placere sperant, ac impedire repulsam tempore dandorum suffragiorum. Hunc timorem nisi moderentur, aut Instructori moderandum exponant, docebun-
Eccli. 19. vers. 24. tur à diabolo quod redarguit Sapiens: *Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo. Et est qui se nimium submittit à multa humilitate. Et est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre quod ignoratum est. Et si ab imbecillitate vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.* Licet nunc callidâ machinatione sanctulum effingat; tameo latet anguis io herba; qui sublato isto puerili timore per professionem, in apertas prosiliet petulantias ac dissolutiones. Vos non sic charissimi Candidati Franciscani; tenete mundi stultitiam, nil callidâ machinatine simulando. *Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus.* Domino Christo servite. *Jam enim securis ad radicem posita est.* Vita vestra arbor est, radice constans, trunco & ramis. Coloss. 3. vers. 23. Matth. 3. vers. 10. Truncus & rami sunt communia Religionis exercitia, in quibus hypocrita potest bonis assimilari: Radix est secreta & latens intentio. *Securis* divini judicii non ad ramos, sed *ad radicem arborum posita est*, quæ excidetur cum tota arbore in ignem mittenda, si deprehendatur vitiosa & solis hominibus placentes esse studeatis. Igitur *Domino Christo servite*, secluso vano hominum respectu. Licèt virtus vestra tunc fortè lateat, sine ex ignorantia, sive ex prava humana affectione, sive ob commistionem adjacentium imperfectionum, quæ illam obnubilando non permittunt emicare; non patietur tamen divina providentia, ut in finem usque lateat, sed emerget e faciet ac elucescere majore cum gloria. Fuit aliquando tyro in Conventu Araceclitano, qui dum primo experimenti anno obAnnal. Tom. 2. servaretur à Fratribus, in nullo deprehensus est ann. 1257. potioris virtutis indicio. Sedulò namque actinum. 12. nes suas comendabiles occultabat, Domino soli placere satagens. Noctu solus orabat in templo, durius in corpus suum animadvertebat, longas trahebat excubias: quibus ut sufficeret, aliquando dormiebat cæteris evigilantibus. Ventum erat ad suffragia pro admissione. Non fuit qui adolescentem commendaret, neque Ministro Raynerio de Senis potuit quippiam Magister Novitiorum respondere, quàm quòd magnam vim lachrymarum soleret effundere in Confessionis arcano. Minister prudens distulit judicii ferendi diem, donec ipse diligentiùs exploraret, quid esset in homine. Ipso illo die cæteris celeriùs ivisse cubitum competit, idque vituperatum à Fratribus. Sed dum primâ noctis vigiliâ exploraturus regreditur, non invenit nisi in Ecclesia, coram S. Virginis simulachro, à terra elevatum, imbre lachrymarum perfusum, Virginem deprecantem, ut concitatos in se Fratres placaret, & ne permitteret è Societate dimitti. Lachrymas hinc inde colligebant duo angeli, & Deiparæ offerebant, dicentes: non esse spernendas afflicti juvenculi præces; quibus suas addiderunt, ut Novitius exaudiretur. Tandem Virgo benigna respondit eum in Ordinem recipiendum, in eo feliciter perseveraturum, & feliciùs obiturum. Retulit Minister hæc Fratribus, à quibus admissus est tyro, & in posterum honoratus. Sic *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8.

Discant etiam *mentem verbis ostendere*, ut si in animo suo deprehendant se illi Statui insufficientes, aperiant liberè, habitum deponant, & ad sæculum revertantur. Sunt quos pueris timor eò usque constringit, ut malint in se suscipere obligationem Regulæ, opinione suâ eis importabilis, quam pati verecundiam mundi, & improperium Monachi excu-

culla-

cullati; qui & consequenter negligent postea, quæ solemni voto promiserint, Hos involvendos timeo sententiâ, quam protulit Spiritus Sanctus: *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* (Psal. 124. vers. 5.) Iniquitas est, timore mundi declinare in obligationes postea transgrediendas, propter quas incidendum erit in manus Dei viventis. Securiùs ambulabunt tales viâ tutâ cum sæcularibus timentibus Deum, quàm per semitas arctiores, quibus impares sese agnoscunt.

Caparonis forma præbet Noviriis aliud præclarum & nunquam obliviscendum documentum, Resignationis scilicet infantilis sub beneplacito Superiorum. Solent involvi capita infantium etiam masculorum per sollicitudinem matrum: estque hoc tegumentum ætatis istius proprium symbolum, & valetudinis munimen. Dum igitur caparone tyronum caput obtegitur, hoc agitur, ut sint *sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscentes; ut in eo crescant in salutem.* (1. Petri 2. vers. 2.) Non decrescant à novitiali candore & simplicitate mox post professionem, sed eam imaginem puerilis candoris retinentes *in eo crescant.* Dum recens baptizato parvulo imponitur capitis tegumentum, apprecatur Sacerdos: *Accipe vestem candidam, sanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi.* (Parochiale ad carem. Bapt.) Idem apprecor nobis omnibus Religiosis, ut candidam & immaculatam vestem primævæ innocentiæ, & fervorem primum sancti propositi, quo accessimus ad hunc perfectionis statum, taliter conservemus, ut eam in die extremi judicii ante tribunal Domini nostri Jesu Christi perferamus.

TEXTUS & §. XXI.

Nisi eisdem Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur.

SUMMARIUM.

Discretionem in temperandô rigore circa Novitios quomodo docuit Christus. Quinque officia Nutricis practicanda Instructoribus & Superioribus. Ministris solis data potestas dispensandi ad excludendum clandestinos fautores Novitiorum. Prævenienda aliquando postulationes, quando apparet subditorum necessitas.

Scandalisati Pharisæi proposuerunt quandoque Redemptori nostro quæstionem: *Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* (Marci 2. vers. 18.) Quibus ille ut ostenderet perfectionem suorum novitiorum Evangelicorum, non in corporalibus istis positam esse: imò horum exercitium aliquando periculosum, & idcirco temperandum: discretionem docuit, & declaravit comparatione illorum cum utribus novis & veteribus, & panni rudis assumento: *Nemo,* (Vers. 21.) inquiens, *assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioqui aufert supplementum novum à veteri, & major scissura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin disrumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt. Sed vinum novum in utres novos mitti debet.* Secundùm Theophylactum in eum locum pannus rudis & vinum novum, jejunium est: vestis autem vetus & utres, infirmitas discipulorum, ratione veteris hominis quem gerebant; qui dum nondum essent robore Spiritûs Sancti renovati, vino novæ perfectionis austerioris idonei non erant, ideoque eos implere distulit clementissimæ discretionis Magister. Et docuit eo facto Religionum Superiores cum Novitiis indulgentiùs agere circa corporalia, donec vires assuetudine, & animus gratiâ accrevissent. Eodem modo *Dernoye Medulla S. Evangelii.* Franciscus corporales suorum Tyronum exercitationes præscripsit, sub hoc discretionis temperamento: *Nisi Ministris aliud secundùm Deum aliquando videatur.*

Neque solùm in vestimentis, sed in aliis quoque similis discretio adhibenda est, quæ parem afferre possent difficultatem, & è quibus modicus fructus spiritualis speraretur. Spiritualem fructum intelligo, ardentiorem charitatem, orationem attentiorem, vivaciorem divinæ præsentiæ apprehensionem, & mentis serenitatem ad percipienda cœlestis allocutionis arcana. Cùm ad hæc referri debeat universa corporalis exercitatio, licitè aliquando relaxabitur pro tempore, si potiores retardet mentis operationes. Discant Ministri & illi quibus hanc commiserint, qualiter se Apostolus præbuerit ipsis in exemplum: *Facti sumus,* inquit, *parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.* (1. Thess. 2. vers. 7.) *Ita desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solùm Evangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.* Solâ Nutricis similitudine totum Curatoris animarum officium declaravit.

Primò, Nutrix portat filiolum in brachiis, ut sinè sollicitudine & molestiâ ad locum perveniat destinatum. Neque ex eo omittit isto labore fatigari, quòd infantulus tantam bene-

Ofee 11. verf. 3. ficentiam minimè recognofcat; *Ego quasi nutritius Ephraim*, ajebat Dominus, *portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quòd curarem eos.* Simili condefcenfione erga fuos Francif-
Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 45. cus utebatur. Tenerè eos ut filios diligebat, ac velut pia mater magno educabat amore, præcipuas in fe affumens curas acquirendi omnibus neceffaria. Primus ipfe, & aliquando folus, ibat mendicatum oftiatim, cæterorum parcens verecundiæ, quos adhuc verebatur fæculi affectionibus detineri.

Secundò, Dum parvuli ambulare incipiunt, cum ipfis lentè eodem graditur paffu, eorum fuftentans infirmitatem. Agnofcebat fecum ita
Pfal. 72. verf. 24. factum, qui dicebat Domino: *Tenuisti manum dexteram meam; & in voluntate tua deduxisti me.* Licèt Seraphicus Pater pro viribus ad vitam aufteram Fratres indiceret: non tamen ei placebat diftrictionis feveritas, quæ pietatis non induit vifcera, nec eft difcretio-
Vita ejus cap. 5. n. 6. nis fale condita. Cùm enim quâdam nocte unus ex Fratribus, præ nimietate abftinentiæ admodum fame cruciatus, nullam poffet habere quietem; intelligeretque pius paftor, ovi fuæ imminere periculum, vocavit fratrem, appofuit panem; & ut ruborem illi tolleret, cœpit ipfe prior comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Depofuit frater verecundiam, fumpfit cibum, gavifus quàm plurimùm, quòd per circumfpectam condefcenfionem paftoris, & corporis evafiffet difpendium, & non modicum accepiffet ædificationis exemplum.

Tertiò, Nutrix permittit puerulum cefpitare, fuis eum viribus relinquendo: mox tamen cefpitantem retinet, ne læfione aliquâ afficiatur. Ifte eft unus tractus ex dulciffimis
Pfal. 36. verf. 23. Dei in hominem amoribus; *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Multùm confidens erat Petrus de fuis viribus, cùm diceret Domino: *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et si oportuerit me tecum mori, non te negabo.* Ideo ut fuarum virium agnofceret imbecillitatem, fuit cadere permiffus. Ne verò collideretur, Dominus fuppofuit manum fuam:
Luc. 22. verf. 61. *Conversus Dominus respexit Petrum.... Et egressus foras Petrus flevit amare.* Divinorum operum æmulator Francifcus pari modo voluit
Vita cap. 7. num. 5. aliquando Difcipulos fuos erudire. Tranfiens quodam tempore cum fuo focio per Apuliam juxta Barrum, invenit in via burfam magnam quafi plenam effe denariis tumefcentem. Monetur à focio pauper Chrifti, & inftanter inducitur, ut burfa tollatur è terra, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in burfa inventa, & fratrem non fuadere rem meriti, fed peccati, alienæ fcilicet furripere ac donare. Recedunt de loco, feftinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiefcit frater, vacuâ pietate delufus, virum Dei moleftans, quafi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem vir mitis redire ad locum; non ut fratris voluntatem perficeret, fed ut detegeret diabolicam fraudem. Reverfus ergo ad burfam, oratione præmiffâ jubet focio illam levare: tremefactus frater obftupuit, diabolicum jam præfentiens monftrum. Propter obedientiæ tamen fanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad burfam. Et ecce ferpens non modicus de burfa exiliens, fimulque cum ipfa fubitò evanefcens, diabolicam deceptionem fratri monftravit. Hoftilis itaque verfutiæ deprehensâ fallaciâ, dixit Vir Sanctus ad focium: *Pecunia servis Dei, O frater, nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus.* Hoc pacto docuit eum in pofterum ab offendiculo præcavere.

Quartò, Nutrix ridet cum ridente parvulo, & cum flente lachrymatur, multaque agit ludicra ad placandum lachrymantem. Hoc veros Chrifti fervos docuit Apoftolus: *gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus*, non in Rom. 12. verf. 15.
faftuofa gravitate altum fapere, fed humilibus confentire, & Magiftrum inter difcipulos effe quafi unum ex illis.

Quintò, Balbutit cum balbutientibus, eifque fe attemperat in loquendo. Hoc ipfum egit Paulus cum fuis Corinthiis: *Ego*, inquit, *Fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed* 1. Cor. 3. verf. 1.
quasi carnalibus, & nondum perfectè intelligentibus pretium atque fublimitatem fpiritualis & Evangelicæ perfectionis. Idcirco non expedit heroica opera vel eminentiores contemplationum gradus, aut divini amoris exceffus incipientibus proponere; fed exigua exercitia, & capacitati intellectus viriumque ipforum proportionata. *Tanquam parvulis*, ait idem Apoftolus, *in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; non enim poteratis.* Lac fimul cibus eft atque potus, non aliunde à nutrice conquifitus, nec foris coctus, fed ipfius cordis calore atque ex intimis tractus vifceribus. Doctrinæ aliundè à magnis & extaticis conquifitæ doctoribus, non ita efficaciter parvulos afficiunt; fed exhibita charitas, & à vera charitate prodeuntia exempla dulcius confortant, & incrementum afferunt ea fugentibus. Devotus Chrifti famulus Francifcus fovebat & Annal.
inftruebat primitivam fuam progeniem in omni fimplicitate. Pro prece horaria inftituit, ut Tom. 1. an. 1209.
fecundùm officii divini partitionem ad unamquamque horam recitarent ter orationem do- num. 42.
minicam, & Miffam audirent: cui cùm intereffent, plùs volebat ut vacarent divinorum myfteriorum contemplationi, quàm vocali orationi. Caufam verò cur tam brevem precandi methodum Sanctus Pater inftituit, affignabat B. Ægidius, dicens, nullo eum voluiffe ftatuto impedire devotionem, fed fancta & majora illorum obfequia defideraffe, ut à fpontanea emanarent devotione.

Providè defpofuit Seraphicus Patriarcha, ut nutricis iftorum parvulorum officium, & condefcenfionis difcretio folis Miniftris refervaretur. Clandeftini confolatores & confiliarii Novitiorum, fub fpeciofo charitatis & fraternæ follicitudinis titulo, evertunt ordinatam juventutis educationem. Infimulant quandoque Superiores ac Inftructores nimiæ feveritatis, morofitatis, imprudentiæ & averfionis: quibus impreffis in tenella adolefcentum ingenia, auctoritas Superiorum regimini neceffaria enervatur. Suppeditant etiam furtivè

tivè cupedias aliasque nugas à pueris expertas. Indulgentiæ istæ quamvis commonem disciplinæ rigorem non dissolverent, tamen illis ipsis pueris nocivæ sunt: sicut recens natis infantibus, quorum nervi nondum sufficienter coosolidati sunt, nec firmiter satis cohærentia membra, nocet fasciis non constringi, motusque indulgeri liberiores. Nisi etiam discant non exaudiri in parvis suis quærimoniis, volent postea sibi satisfieri ad omnia, addiscentque impatientiâ in voluntatum suarum & concupiscentiarum contradictione. Atque dum veris non prementur necessitatibus, alias fingent, eruntque sinè fine querulantes. Relinquantur igitur Ministrorum & Instructorum directioni, discantque eorum sententiam revereri & judicio acquiescere. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas & in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne fortè induret & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Permittantur igitur tyrones luctari & assuescere laboribus usquedum periculum appareat Indiscretionis. Et tunc de adhibenda moderatione prudens Superior non secundùm carnem & sanguinem: sed *secundùm Deum* arbitretur. Signum autem strenuitatis debilium Candidatorum, eis erit, si propensus sit illis animus ad rigores communes, & contristentur se non posse conformiter aliis vivere. Non obligavit se Deus, ut quibus bonam dederit voluntatem, det etiam integram & continuam possibilitatem, Imò hanc sæpè denegat, ut quàm constans sit ea bona voluntas appareat. Apparet autem, dum non totum, saltem quantum vires permittunt, animosè aggreditur. Hi sublevandi sunt, non modò dum rogaverint, sed præveniendi spontaneâ sollicitudine & charitate. Clementissimus Dominus Jesus, cùm foblevatis oculis vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, non distulit eorum necessitati subvenire quousque rogaretur, sed motus spontaneo benignitatis affectu: *Misereor*, inquit, *super turbam*. Et præcepit turbæ discumbere super terram, & appositis panibus & pisciculis satiavit. Verentur sæpè Novitii suas aperire difficultates & conqueri, ne pusillanimes, aut operibus religiosis ferendis impares habeantur apud eos, qui statim hæc de querulosis solent suspicari. Verecundantur minùs agere quàm reliqui, & quibus aliquid luest generositatis, malunt quidvis pati, quàm notam ignaviæ subire aut singularitatis. Horum postulationes pro subventione in necessitatibus exspectandæ non sunt, sed occurrendum eis ultroneo miserationis affectu.

Eccli. 10. vers. 8.

Marci 8. vers. 2.

TEXTUS & §. XXII.

Finito verò anno probationis.

SUMMARIUM.

Professione sociatur Candidatus populo Dei. Amor illius status qui suscipiendus est, sit prævia ad susceptionem dispositio. Bene firmatus animus non evertitur malis aliquorum exemplis visis in Communitate. Probatio studiosi perfectionis non uno anno terminatur, sed durat totâ vitâ.

Judith. 5.

CUm Achior dux omnium filiorum Ammon agnovisset, & Holoferni Principi militiæ Assyriorum annuntiasset Dei mirabilia, & protectionem circa populum Israëliticum, indignati sunt ipsi Principes Holofernis. Furore etiam percitus Holofernes, jubet eum duci in Bethuliam, ut eâ devictâ simul puniatur. *Ex hac hora*, inquiebat, *illorum populo sociaberis, ut dum digna mei gladii pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas.* At servi Holofernis, Bethuliæ appropinquantes, à fundibulariis repulsi, ligaverunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus reliquerunt. Quem solutum Filii Israël cognitâ causâ benignè consolantur, inter alia dicentes: cùm Dominus Deus noster libertatem servis suis dederit, Assyriis profligatis, *sit & tecum Deus in medio nostri; ut si placuerit tibi cum omnibus tuis converseris nobiscum.* Tunc Princeps populi Ozias *finito consilio, suscepit eum in domum suam.* Et subsecuto victoriæ successu, Achior videns virtutem quam fecit Deus Israël, *relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui, & appositus est ad populum Israel.* Haud aliter cum Novitiis Religionum agitur *finito anno probationis.* Tunc enim approbatâ eorum conversatione, & postquam ipsi mirabilia Dei, in Religiosi status & populi Dei ibi congregati perfectione agnoverunt, dicitur eis à sanctâ Religiosorum Communitate: *Sit & tecum Deus in medio nostri, & si placuerit tibi converseris nobiscum.* Et tunc Prælatus congregationis, *finito consilio*, quo eousque super aptitudine tyronis consultatum fuit & deliberatum, *suscipit eum in domum suam*: Ipse autem relicto mun-

Judith. 6. vers. 6.

Cap. 14. num. 6.

danæ vanitatis ritu, & factâ ſpirituali circumciſione per exſpoliationem voluntatis propriæ, delitiarum & facultatum, apponitur ad populum Iſraël. Hanc figuram porrò enodemus.

In primis Achior magnam de illo populo habebat exiſtimationem, & amoris affectu illi copulatus erat, priuſquam convictu & habitatione conjungeretur. Sic quoque debet tyro perfectionis, priùs quàm ſtatum aliquem Religioſum profiteatur, præclaram de illo æſtimationem, & amorem intimum concepiſſe. Sinè hac æſtimatione & amore, arida, inconſtans & faſtidioſa eſt omnis operatio. Amor enim ſui ſtatûs unctio eſt ad juvandam ſpiritualium rotarum volubilitatem; ventus eſt implens vela navis noſtræ atque propellens; humor eſt ad ſubminiſtrandum ſuccum alendis & maturandis virtutum fructibus neceſſarium. Sicut autem fruſtraneus, imò ridiculus eſſet conatus navigantium, qui coadunatis buccis conflarent in vela ad propellendum navim, dum deeſt ventus de cœlo: ita inutiles ſunt perſuaſiones & illecebræ omnes humanæ ad creandum iſtum Religionis amorem, niſi de cœlo aſpiret Spiritus Sanctus, animamque propellat. Ipſo autem non aſpirante, occaſio eſt dubitandi, num ingreſſus in hoc mare factus fuerit de ipſius voluntate. Inſuper seriò obſervet Candidatus priuſquam edat profeſſionem, an in ea Congregatione vel Provinciâ, Regula ritè obſervetur: ſic ſaltem ut non ita invaluerit ibi irregularis vitæ forma, ut in eam omnes, velint, nolint, trahantur, aut tyrannica timeantur impedimenta Regulam ad litteram obſervandi. Nemo navigaturus prudenter navem ingreditur vetuſtam, carioſam, rimas agentem & armamentis neceſſariis deſtitutam. Non facilè admittit Virgo maritum hominem ferum, ebrioſum, pauperem & infirmum; licèt præclaris indutus veſtibus compareat. Non facilè quis fundum vendit fertilem & amœnum, ut montem emat ſterilem, præruptum, ſalebroſum, & incultum, licèt eminentior ampliorque videatur. Eâdem prudentiâ utendum in delectu Ordinis Religioſi: qui ſi ſterilis ſit, inordinatus, vilis & conturbatus, in quo plùs periculi timendum videatur, quàm ſperandum ſpiritualis ſubſidii; ratio ipſa dictat, deſerendum eum potiùs dum adhuc tempus eſt, quàm ei ſe inextricabiliter alligare, cum onere majori conſcientiæ, minorique Deo ſerviendi libertate.

Veruntamen ne inexpertus juvenis in hac tanta conſultatione periclitetur pro temeritate judicii, audiendi erunt viri graviſſimi; quorum ſententiis poterit periculoſus error præcaveri. D. Bonaventura prudenter Novitiis quatuor inculcat cautelas, quæ per totum annum probatorium, & maximè hujus deliberationis tempore erunt obſervandæ. 1. *Ut ab ea voluntate, quâ ad Religionem venerunt, & à primo novitiatûs fervore non tepeſcant. 2. Ne multis tepidorum exemplis moveantur ad imitandum ea: ſicut quidam infirmi ſpiritu, videntes apud ſe alios deſides, otioſos, verboſos, elatos, rebelles, ambitioſos, aliiſque modis vitioſos, dicunt apud ſemetipſos: ſi aliis hoc licet, quare non etiam mihi? & pronsiores ſunt ad malum, ſumantque* (Lib. 1. de profectu Relig. c. 1.) *exemplum de his quos viderint deteriores. 3. Ne judicent temerè facta aliorum: maximè ubi neſciunt, qua de cauſa fiant, qualive intentione. Quidquid ullo modo excuſari poteſt, ſemper ad partem interpretemur meliorem, ſi habere velimus tranquillum cor, aliosque non turbare, & Deum non offendere. 4. cauti eſſe debent Novitii & fortes, ut non frangantur adverſitate vel tentatione.* Hæc fuſiùs Doctor Seraphicus. In quibus tertia cautela principaliter eſt attendenda, cùm Novitiis nulla familiarior, magiſque importuna tentatio ingruere ſoleat, quàm ſuſpiciones ac judicia temeraria de profeſſis Fratribus, ut eâ arte faſtidium & contemptum hujus Inſtituti injiciat dæmon, retrahatque ad ſæculum. Alius conſiliarius ſit ipſis Climacus. Hic enarrat unius Senis conſilium datum juniori: *Sume,* (Libello Scalari Gradu 4. De Obedi.) inquiebat, *in corde tuo verbum Chriſti: qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Et vade, & ſi poſſibile eſt quære duriorem hominem qui ſit in humana natura, & ſume eum in Magiſtrum, & perſeverans bibe de calice deriſionum & reprehenſionum ejus ſicut lac & mel.* Reſpondit Juvenis: *Pater, ſi ille magiſter vivit negligenter, quid faciam?* Reſpondit Senex: *Si etiam videres quòd ſit fornicator, ne diſcedas; ſed dic tibi ipſi: Amice ad quid veniſti? Non judicare, ſed judicari, & habere patientiam.* Et tandem addit S. Doctor: *Vidi puerum ſimplicem & innocentem ire ad ſcholas ad addiſcendam ſapientiam, & nihil didicit niſi malitiam & malos mores, quia habuit malam ſocietatem. Qui habet intellectum, intelligat. Hoc tantùm accidit negligentibus: ſed illi qui toto ſuo conamine quærunt eſſe virtuoſi, ſemper creſcunt de bono in melius.* Hanc medicinam ſibi applicent Novitii, læſi exemplis Fratrum imperfectiorum. Quæ ſi in tantùm proficiat, ut non obſtantibus imperfectionibus iſtis progredi proponant, ad vota facienda atque ſervanda, luctaturi conſtanter contra conſuetudines ſibi diſplicentes, contra ſimultates futuras, contra cachinnas aliaque impedimenta, auxiliatrici gratiâ Dei in plena ſpe & confidentia innixi, audax reſolutio eſt; cujus validum firmamentum eſt ſancta iſta confidentia; quam ſic laudat D. Bernardinus: *Habent thoracem, quæ eſt ſuperexceſſiva fiducia in Domino* (Tom. 1. Serm. 61. art. 2. c. 5.) *Jeſu Chriſto, in ejus promiſſis & verbis; in omni dubio & periculo cor ineffabiliter aſſeverans: ita quòd ſi omnia caſtra dæmonum, & omnis ſynagoga peccantium, & tota caterva mundanorum ſpirituum, ſapientum & principum ipſum obſiderent, omnes habet pro fumo volatili: ſimpliciquè confidentiâ ad Deum, illud Job poſtulat, dicens:* Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me. (Job. 17. verſ. 3.) *Audacterque inquit: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Sub hac confidentia quam plurimi decepti non ſunt, qui licèt profeſſionem inter relaxatiſſimos emiſerint, opportunè tamen ad reformationem aliquam tranſmiſſi ſunt: vel inter ipſos relaxatos tantam virtute & conſtantiâ ſuâ acquiſiverunt auctoritatem, ut tandem deſierint ipſis obganire; quin ipſos timere cæperint & revereri. Quia verò hæc eſt Status Religioſi benedictio, quòd licèt Communitas per abuſus & libertates gradiatur; uni tamen atque alteri communicat Deus ſpiritum, qui ſe-

poſi-

positis omnibus frivolis respectibus viam veritatis & regulæ servant in silentio, patientia & humilitate: crediderim tales inventum iri, & fortè plures in Novitiatu. Super his audite quid suadeat Cassianus:

De Instit. Cœnob. l.4. cap. 38.

Angusta est porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Considera ergo te de paucis & electis effectum, & ne exemplo & tepore multitudinis refrigescas; sed vive ut pauci, ut cum paucis invenire merearis in regno Dei. Deindè cùm ad perfectionis conatum pluribus esset adhortatus, addit cap. 40. *Ad quod ut valeas feliciùs pervenire, exempla tibi sunt imitationis, ac vitæ perfectæ, in congregatione commoranti, à paucis; imò ab uno vel duobus, non pluribus expetenda. Nam præter id quod examinata vita, atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam istud ex hoc utilitatis accidit, quòd ad perfectionem propositi hujus, id est cœnobialis vitæ, diligentius quis unius imbuitur ac formatur exemplo.* Dudum id uno verbo indicaverat Sapiens dum ait:

Eccli. 6. vers. 23.

Sapientia doctrinæ secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta. Et dum multis cohortatus esset ad Sapientiam, inter alia dicit:

Vers. 36.

Si videris sensatum evigila ad eum, & gradus ostiorum ejus exterat pes tuus. Et alibi suadet iterum:

Eccli. 37. vers. 15.

Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Domini, cujus anima est secundùm animam tuam, & qui cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi. In paucis istis stat sanctitas unius Conventus & Provinciæ: sicut hoc ipsum etiam usu venit universali Ecclesiæ Dei, quæ ex reprobis & electis congregatur. Illi pauci sufficiant Novitiis ad doctrinam & subsidium, iisque intima cohæreant charitate. Similem invenimus Dei dispositionem in sacro eloquio frequenter enarratam. Et triginta duobus millibus armatorum qui venerant ad Gedeon contra Madian pugnaturi, pauci sunt per Domini consilium reservati:

Judic. 7. vers. 7.

In trecentis viris, inquit, *qui lambuerunt aquas, liberabo vos..... omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* Meticulosi & cutis suæ nimiùm amantes, vel qui in terram procumbunt ad serviendum sensualitati, non computantur in divino exercitu, nec sunt de semine virorum illorum, per quos fiat salus in Israël. Nos contendamus esse de paucis illis, qui manu ad os projiciente lambuerant aquas, inter quos erant Apostoli qui dicebant:

1 Tim. 6. vers. 8.

Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus. Tobias adhuc puerulus non sequebatur ad malum multitudinem prævaricatorum, inter quos detinebatur;

Tob. 1. vers. 5.

Cùm irent omnes ad vitulos aureos quos Jeroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini & ibi adorabat Dominum Deum Israël; Quicumque ergo vocatus es ad verum Dei cultum, studiumque perfectionis; ex monito Sapientis.

Eccli. 7. vers. 17.

Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. Supple; *habitare*; sed etiamsi corpore sis inter eos, mente tamen sis & vivas quasi inter sanctissimos patres. Vel juxta mentem Dionysii Carthusiani ad hunc locum: non sic agas, ut meritò computeris inter immorigeros, nec judices te esse debere unum ex illis, approbando & imitando irrefrænatam eorum conversationem.

Achior insuper non modò appositus est ad populum Dei, sed perseveranter etiam atque inseparabiliter appositus. Sic enim dicit divina Scriptura:

Judith. 14. vers. 6.

appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem. Sic debet Novellus Christi & Francisci discipulus curare, ut non modo professione ad populum Domini apponatur, sed etiam omnis vitæ & conversationis ejus successio jugiter apposita maneat. Finitus quidem est unus annus probationis; sed multi alii reliqui sunt. Audi Seraphicam Bonaventuræ doctrinam:

Prol lib. de profectu Relig.

Perpende duos esse Novitiatus in Religione. Unus terminatur, quando completo tempore probationis promittet obedientiam & stabilitatem in Ordine per verba. Alter durat quousque Religiosus statum bene vivendi in consuetudinem convertit: quod tunc fit, cùm tam verbis quàm factis promittit se stabilem in Ordine permansurum. Quamdiu enim fluctuat mente & nondum stabiliter apprehendit viam studii spiritualis, & modò vult hoc, modò illud, nesciens quid potiùs eligat, incipiens est, nondum proficient. Stet tamen in bona voluntate & attendat quare venerit, & ad quid? & opus jungat voluntati, & citò incipiet videre viam, quâ pergat ad Deum. Ejusdem fuerant sententiæ Patres illi apud Climacum, qui B. Abakyrium receperant ad Novitiatum.

Gradu 4. de Obed.

Cùm enim hic frequenter vexaretur & ejiceretur incœnatus è refectorio, interrogatus ab eodem S. Joanne Climaco: *Unde hoc?* Respondit: *Isti Patres probant me, si sum dignus effici Monachus, nec hoc faciunt ex iniquitate. Et ideo cognoscens bonam eorum intentionem sustinui patienter jam quindecim annis, quia in principio quando veni, dixerunt mihi, quòd triginta annis debet probari, qui vult effici Monachus.* Plùs dico: quòd si post triginta annorum probationem invenias te nondum attigisse tuarum passionum quietem, nec interiores superasse contradictiones, quæ revocant à perfecta regulæ perfectionisque observantia, æstima teipsum adhuc Novitium, persevera in probatione, dumque probaris ab aliis, supremo magistro Deo sic disponente, ne tibi reputes injuriam fieri, sed beneficium potiùs utilissimum atque omnimodis expetendum. Quis autem præsumet sic uno anno se perfectionem assecuturũ, ut ulteriori non egeat probatione? Certè vas electionis S. Paulus Apostolus de statu suo studioque spirituali dicit:

Philipp. 3. vers. 12.

Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim. Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Deindè ad instructionem omnium eidem perfectioni studentium, addit:

Vers. 13.

Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Hic sit animus noster, hæc æstimatio & indefessus labor, donec sanctitatem comprehenderimus, quàm persequi profitemur.

TEX-

TESTVS & §. XXIII.

Recipiantur.

SVMMARIVM.

Qui recipiunt indignos, injuriosi sunt in seipsos, in Ordinem, & in ipsos-met Novitios. Quinque frivolæ excusationes illorum referuntur & refelluntur. Non ejiciendi Novitii ex solis suspicionibus & inconsideratis delationibus.

UNdecim Apostoli electuri Collegam in Apostolatu, ad hoc tanquam ad opus maximi momenti fervidâ oratione divinum lumen
Actor. 1. vers. 24. implorarunt & directionem: *Tu Domine*, inquiunt, *qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus Apostolatûs.* Opus suffragandi pro Novitiis ad Professionem recipiendis, majoris est ponderis, quàm pro admissione ad Novitiatum; cùm perpetua sit ea receptio & inemendabilis, si defectus in ea committatur. Implorandum igitur in hoc obscuro & perplexo negotio lumen supernæ directionis, ne suffragio nostro ineptus admittatur, aut idoneus rejiciatur.

Triplicis injuriæ rei sunt, qui perfunctoriè, aut inordinato affectu ducti, aut malitiosè, indignis suum dederint suffragium. 1. Respectu sui-ipsius: quia veterum proditorum judicium subituri sunt coram Deo, qui positi ad excubias civitatis ipsius, quoscumque intrare permittunt, absque amicorum inimicorumve discrimine. 2. Respectu Ordinis: dum enim illis ineptis misericordes esse volunt, totius Religionis Fratribus crudeles & infideles sunt; inter quos ponunt homines pestilentes, qui eos corrumpant, totam observantiæ vi-
Prov. 20. vers. 6. neam demolientes; de quibus dicitur *Multi misericordes vocantur, virum fidelem quis inveniet?* Denique injuriam illis ipsis pueris, huic oneri non sufficientibus irrogant, præsertim dum ex cupiditate aliqua temporalis lucri & legati admittuntur. Illam verò aptissimâ similitudine describit Mauburnus in Roseto spiri-
Parte 1. tit. 1. cap 3. memb. 3. §. 2. tuali: *Sicut nautæ*, inquit, *aliquando ægrotantes, non ex toto mortuos, in mare non timent projicere, ut bona eorum possint habere: sic aliqui non timent homines divites, adhuc mundo viventes, sudario religiosi habitûs involvere, & in sepulchro claustri nondum mundo mortuos sepelire, quorum postea fœtore tota corrumpitur Religio.* Notent hæc imprudentes illi & insulsi, qui gloriantur se nullum unquam repulisse à professione, nec unquam aliquem repulsuros; sed semper panperculis Novitiis futuros bonos, id est bonos truncos, qui jacentes secus viam neminem à transitu impedient: cùm interim plurimi sese offerant, atque etiam à Provincialibus, nescientibus nævos occultos, Novitiatui destinentur, qui per experimentum diutinum cognosci debeant, & à pluribus oculatis viris judicari.

Hinc S. Bernardinus optimè monet: *Quidam* Tom. 1. Serm. 24. art. 2. c. 1. *ad Religionem venientes in principio videntur agni, & modico elapso tempore inveniuntur lupi. Ideo non sine magna experientia & lumine, sanctorum Patrum regula statuerunt, ut ad Religionem venientes antea probarentur. Quis enim ædificator domûs, vel navis materialis, non solerter & providè perscrutatur ligna & lapides, & diu cum multis scissuris & tunsionibus parat, antequam in ædificio ponantur? Nec ad hoc quoscumque accipit, sed solidos tantùm & suo aptos operi. Quantò magis in spiritualium Religionum ædificio hoc servari necesse est? quod in quibusdam contingit tempore longo.*

Expendamus autem excusationes, quibus se defendere conantur, illi faciles pro Novitiis suffragatores.

Primò, Si dimittatur Novitius; parentes, amici & benefactores, à quibus commendatus erat, graviter offendentur. Rationem hanc frivolam esse satis ostensum est superiùs hoc ipso Capite §. 4.

Secundò, Timidè imaginantur sibi, vidisse forsitan Novitium miserias aliquas privatorum (quibus Communitates etiam religiosissimæ non carent) easque evulgaturum, si ejectione istâ irritetur. In primis in hoc peccatum fuit, quòd facta fuerint talia, de quibus erubescatur, & unde natum est scandalum pusillorum; à quibus non propter accusationem Novitii, & judicium mundi, sed propter judicium Dei debuerant abstinuisse. Deindè, si delinquentium correptio facta fuit in oculis scandalisatorum, (prout esse debuit) jam maculam scandali eluit pulchritudo justitiæ & severitatis. Quo etiam fundamento præsumitur Novitium fore tam perditæ conscientiæ, ut Ordinem diffamaturus sit? Certè si talis est, vel ex hoc ipso rejici meretur. Demus insuper puerum istum ejectum apud matrem suam curiosam, aliosque quosdam imprudentes enarraturum quæ viderit in Conventu; estne tantillum malum redimendum tanto incommodo iniquæ receptionis? Ista puerilis maledicentia leviter prolata, audietur leviter, & oblivioni tradetur, ac contemnetur; nam *Si-* Prov. 26 vers. 2.
cut avis ad alia transvolans, & passer quò libet vadens, sic maledictum prolatum frustrà in quempiam superveniet. Denique quid frustrà sperant retinendo ineptos tegere turpitudinem suam, quæ aliis modis eruptura est, & fortassis abomina-

inhabiliùs per ipsosmet, quos retinent, in Ordinis est opprobrium evulganda?

Tertiò, alius apparentior timor est, quòd culpæ ejus de cujus ejectione consultatur non videantur sufficientes. In hoc dubio discernendum est delictum à delicto, & diversimodè judicandum. Quod ea oblivione evenit aut ignorantiâ, quotidianâ diluitur correctione, & oblivioni tradendum est. Quod deliberatè, sed ratò, magisque aliorum persuasione aut exemplo delictum est; juxta pœnitendi modum, & cavendi sollicitudinem, misericorditer poterit dissimulari. Sed si frequenter repetiti sunt defectus leves, qui habitus pravos inveteratos arguant superbiæ, inobedientiæ, gulæ, impatientiæ, desidiæ aliorumque similium vitiorum, nullusque appareat conatus repugnandi inclinationibus pravis; judicium formandum erit, non secundùm leves istos actus, sed secundùm venenatas radices & passiones, quæ nunc quidem per timorem reprimuntur, sed in futurum datis majoribus occasionibus in terribilius erumperent incendium. Nota est vulgi fabula, de lupi catulo, nesciente adhuc nocere per ætatem, & ludicrè cohabitante cum pueris domûs: qui tandem crevit in lupum, permissusque semel ingredi in ovile, secutus nativam suam inclinationem, se recreavit in ovibus strangulandis. Novitiis talibus nondum dentes nati, sed tandem cum ætate nascentur, quibus mordeant.

Quartò, Si quos graviores lapsus ediderit Novitius, nec iis moventur ad severitatem præposteri isti misericordes; ajunt enim futurum cautiorem ad se emendandum, patienter agendum esse cum tentato & exulcerato puero; non uno die curari posse vulnera, & consuetudines in sæculo contractas: ipsos Professos decem & viginti, pluriumque annorum, satis adhuc sudare in iis eradicandis. Nolim spem omnino abjici, nec ejici hominem, si veræ hactenus studuit mortificationi. Sed si post varias monitiones, non sumpsit animum vincendi semetipsum; unde sperare possumus futurum posteà animosiorem? Parùm est quòd multa polliceatur. Tantundem faciunt Hypocritæ: nec est nebulo tam projectus, qui non omnem promittat sanctitatem, dum tortorem videt, se ad inferendum supplicium accingentem. Plures similia polliciti sunt, qui super ea spe imprudenter admissi manserunt discoli, sicut fuerant ante tales pollicitationes. Itaque post tot experientias talium deceptionum, placeat tibi consilium Sapientis: *Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ dolosi.* (Eccl. 11. vers. 31.)

Quintò, ajunt iterum compassivi isti: Misellus damnabit se in mundo, si dimittatur, & ad pristinas retrudetur occasiones. Verùm si eum judicatis ita destitutum timore Domini, & studio propriæ salutis, ut ad primas occasiones sit relapsurus in antiquas insolentias; cur non timetis eum, etiam sub religioso habitu, destituendum sancto timore, in occasionibus suæ regulæ transgrediendæ. Ut cohibeatur, continuò eis invigilandum erit, & quasi loris erunt velut insani continendi. Quis autem Sapiens admittat in domum suam omnes insanos, propriæ neci studentes, atque omne tempus vitæ, facultatesque insumat in iis custodiendis? Religiosus Ordo non est institutus in ergastulum talium, sed in palæstram pugilum spiritualium, qui ex liberali studio placendi Regi cœlesti suis passionibus & concupiscentiis bellum indixerunt. Dum autem eos penes nos retinebimus, timendum profectò erit, ne & alios in audaciam pelliciant, ut socios habeant suarum nequitiarum. *A scintilla una augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis.* (Eccles. 11. vers. 34.) Præstat non multiplicari discolos, & bonæ disciplinæ adversarios; contra quos oporteat postea multis viribus decertare. Fortassis Ordo non sufficit iis expugnandis qui jam irrepserunt. Et hæc dicta sint, supposità prædictâ illorum compassivorum suspicione. Opinemur verò meliora de discedentibus, eos scilicet memores futuros piorum exemplorum & documentorum, quæ collegerint in Ordine, ad instituendam vitam in timore Domini. Priusquam ad nos venirent, Domino mediocriter serviebant, eisque hoc sufficiebat, & nunc quoque sufficiet ad salutem. D. Bernardus de uno F. Hugone scripsit: *Tutius esse in ea vocatione quà vocatus est perseverare, quàm sub specie melioris boni, id quidem quod jam cœpit amittere, nec ad id quod præsumit fortassis sufficere.* (Epist. 32.)

Sextò, Indignum est, quod alii pusillanimes lamentantur: sic vult Superior, ut suffragium Novitio demus. Ei cedere oportet, ut teneamus cum ipso pacem. Sic cogitatis miselli pacem tenere cum uno homine, & inimicitias sumere cum toto Ordine, cum Deo, propriâque conscientiâ? Videtur Superior quare indignum admitti velit; an fortè quia caro & sanguis ei revelavit, vel spes affulget pingue legatum obtinendi? Quòd si ita est, tantundem erit, ac si dicat tibi: *Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.* (Prov. 1. vers. 14.) Attende verò quid circa talium invitationem suadeat Spiritus Sanctus: *Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt, &c. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* (Vers. 15.)

Porro non solùm justitia servanda est in ejiciendis ineptis, sed etiam in aptis non ejiciendis. Seponendi carnales, amari, & iniqui respectus. Suspendendæ suspiciones sinè magna ratione conceptæ. Non admittendæ susurronum persuasiones, qui passiones, judiciis temerariis atque vindictæ appetitu facilè abripi dignoscuntur. Moderatè & cunctanter credendum est delationibus defectuum, donec factorum accusationumque veritas clariùs innotuerit. *Jaculum & gladius & sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum falsum testimonium.* (Prov. 25. vers. 18.) Quod quidem non semper loquitur sciens & malitiosè; sed leviter & inconsideratè. Id quod frequenter accidit in loquacibus, suspiciosis & imperfectissimis, qui solent zelum suum amarum in hos innocentes effundere, qualesque ipsi sunt, alios esse putant, fallentes semetipsos, & Communitatem, quam suis complent erroribus, de quibus tecta ânè

Lib. de contemptu mundi p. 3. cap. 23. Didacus Stella : *Nemo rigorosior in discutiendis aliis, quàm ille qui in se dissolutus est. Nemo adeò scandalizatur parvis defectibus, quàm is qui magnus plenus est.* Sollicitè igitur caveant Superiores, ne malis artibus, vel indiscreto zelo, permittant à se repelli benedictionem Domini, aptos adolescentes ad Ordinem destinantis; ne benedictio ab eis elongetur, beatque Religio laborare ad inveniendom personas quascumque, quibus vacui Conventus repleantur, juxta rectum Christi judicium, quo ingratam damnavit Jerosolymam : *Lapidas eos qui mittuntur ad te. Quoties volui congregare Filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Luc. 13. vers. 34.

TEXTVS & S. XXIV.

Ad Obedientiam.

SVMMARIVM.

Religio Franciscana & universim Status Religiosus, comparatur navi in mari. Præsertim ratione Obedientiæ. Ubi commoda servitutis Obedientiæ conferuntur cum miserabili servitute mundanorum. Memoria istius Obedientiæ ad quam recepti sumus, quàm utilis & necessaria.

Matth. 8. vers. 23. SAcrum refert Evangeliom, quòd *ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.* Nos Religiosi, nos Franciscani Jesu discipuli sumus. Ipse ascendit in naviculam Crucis & pœnitentiæ. Restat igitur, ut nos verorum discipulorum exemplo sequi debeamus. Mare magnum & spatiosum manibus, teste Bernardo, est sinè dubio sæculum nequam. In eo moltæ periclitantur animæ, sic ut necesse habeant cum Davide exclamare :
Psal. 68. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* His periclitantibus, præparavit misericors Jesu Naviculam Religionis, in quam cum ipso pariter ascendant. Illius naviculæ Arichitectus constituit Ordinum Fundatores. De S. Patre nostro scribit magnum illud lumen Dominicanæ Familiæ, S. Antoninus Florentinus Archie-
3. p. Hist. tit. 14 c. 1. §. 2. piscopus, in hæc verba : *S. Franciscus fraternâ dilectione devictus adinstar Patriarchæ Noë Arcam fabricavit, & tricameratam fecit, Regulam scilicet Fratrum, Monialium, & Tertii Ordinis : ut inhabitantes in ea præservaret à diluvio vitiorum, & morte inferorum; omni cupiens statui dilectione providere.* Singulari beneficio tangit Dominus multorum corda, ut è mundi fluctibus enatantes, in hanc liberatricem naviculam recipiantur. Rem sub uno proponamus
Annal. Tom. 5. an. 1427. num. 13. exemplo. F. Nicolaus Auximanus, nobilibus parentibus ortus, Bononiæ Doctoratûs laureâ insignitus, tantam adeptus fuerat in sæculo opinionem, ut in gravissimis consuleretur controversiis. Accidit, ut nobilium virorum causæ decidendæ, diebus multis operosiùs studeret, magnum inde præmium reportaturus; & sub vesperam diei, quo judicaturus erat controversiam, sopore gravi corriperetur; in quo visus est sibi in tempestuosum mare decidisse, neque ullam evadendi periculi spem superesse, præter unam, quam à longè videbat navem, ad quam laborioso conatu perveniens, vidit Fratribus Minoribus plenam, & projecto suoe se in eandem è maris excipi procellâ. Expergefactus tremens & lassus, totus ex vehementi animi passione sudore correptus, cogitavit non tam noctis hoc fuisse ludibrium, quàm spectrum cœleste. Mare, inquit, est mundus, mihi subest submergendi periculum inter tot procellas, quibus undique agitantur, qui rebus mundanis immerguntur. Navis illa, in qua Deus me decrevit salvari, Institutum est Fraociscanum. Quid ampliùs ad tam apertam monitionem ego immorer, aut Deum spernam vocantem? Obsequendum est, & promptè : neque enim morosos vult Deus suorum mandatorum executores, & tarda molimina nescit Spiritus Sancti gratia. E lecto itaque surgens, jussit protinùs efferri omnem suam bibliothecam ad Cœnobium S. Pauli extra urbem positum, Minorum Observantum domicilium. Deindè ipse secutus, consilium suum Fratribus exposuit, & repentinæ mutationis causam aperuit. Illi maturiùs agendum, diutiùs differendum, & graviùs deliberandum dicebant, quod semel erat statuendum. At ille moræ impatiens, tandem obtinuit, ut in consortium admitteretur. In simili nos quoque versati fuimus discrimine, & eadem nobis facta est gratia, dum in Navem Franciscanam recipiebamur *ad Obedientiam.*

Noster Bernardinus de Bustis, egregiè pertractans duodecim convenientias Status Religiosi cum navi materiali, pro sexta hanc constituit nostro hic proposito deservientem: Sextò assimilatur Religio navi ratione obeditionis. In navi enim omnes obediunt Gubernatori. Et licèt aliquis ibi sit, in scienria & dignitate magnus & honorabilis, non tamen dedignatur ad pedes ejus sedere. Similiter in Religione, licèt sit aliquis magnus gene- 2. p. Rosarii Serm. 27.

generositate vel sapientiâ, tamen non dedignatur subjici Prælato, licèt idiotæ & vili. Non enim debet Religiosus considerare, quis sit Prælatus, sed eum, cujus fungitur officio, scilicet B. Franciscum vel alium Regulæ suæ Fundatorem, & eum, pro cujus amore subjectus est, scilicet Deum. D. Franciscus dixit aliquando sociis: *Inter alia quæ dignanter mihi pietas divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter Novitio unius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo Fratri. Subditus*, inquit, *Prælatum suum non hominem considerare debet; sed illum pro cujus est amore subjectus. Quandò enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas placet.* Pergamus igitur cum reliquis navigantibus juxta Naucleri directionem, neque judicio proprio, præceptorum rationes discutiamus. Probat Alphonsus à Jesu Maria, inconsultum, imò perniciosum esse, quòd Prælatus rationem reddat subditis, cur hæc vel illa præcipiat. Idque in facto gubernationis verum esse apparet, ex eo quòd Nauclerus infinito labori & periculo se exponeret, si quibuslibet epibathis rationes suæ gubernationis inciperet explicare; quas plerique nec intelligerent. Pari modo licèt quilibet sibi persuadeat, se meliùs recturum, quàm ii, qui ad clavum sedent Religionis; minimè tamen decet, Superiores se fatigare in reddendis præceptorum rationibus. Quòd si non expedit ipsis dare rationes, neque decet subditos eas exigere, sed credere simpliciter, justum & rectum esse, quod à Dei Vicariis fuerit ordinatum.

Vita ejus cap. 6. n. 4.

Lib. de discipl. Relig. p. 2. disc. 11. §. 9.

Deindè sicut omnibus navigantibus, In periculo promptum est remigare, vela expandere vel contrahere, anchoras expedire, junctisque viribus alia agere, quæ ad incolumem faciunt progressum, juxta Naucleri præscriptum: pari modo promptitudo à nobis hic exigitur, ad exequendum ea quæ præscribentur, tum ad proprium, tum ad communem utilitatem. Cessant hic antiqui respectus, dignitatum aut divitiarum præteritarum. Indispensabilis lex est, omnes omnium vires, in unum conferri in labores, sub spe attingendi portum desideratum. In angustias navis redacti, non possumus longè latèque quò libet exspatiari. Hoc tamen non reputemus carcerem, aut libertatis jacturam. Vero judicio de ista arctitudine censet Gilbertus: *Ideo hic*, inquit, *major libertas ad bonum, quia minor licentia ad malum. Quò major districtio, eò major directio.* Comparemus has angustias, & obedientiæ servitutem, cum falsa libertate quâ miseri serviunt sæculares: videbimus quàm hæc infelicior sit, & tristioribus obnoxia laboribus. Eam quâ servitur Mammonæ, confert cum servitute Dei Didacus Stella, scribens in illud Luc. 16. *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Non est numerus, neque terminus miseriarum, quas secum trahit dira ista captivitas avaritiæ. De conclusis autem Religiosâ captivitate pronuntiat Apostolus: *Nunc liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione: finem verò vitam æternam.* Non negarim, petulcæ curiositati & sensualitati, morosam & asperam videri hanc obedientiam; sed mox computescet jugum à facie olei, si ejus commoda cum asperitatibus componamus. Sedentes, comedentes & dormientes homines, in navi ad portum procedunt; sic munere obedientiæ, omni tempore, & omni occupatione in merito proficimus. Hoc probè sciens Evangelicus negotiator Franciscus, ut pluribus modis lucraretur, totumque tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit quàm subesse, nec tam præcipere quàm parere. Idcirco Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem allerebat sanctæ Obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla submitterent, nil temporis sinè lucro transiret. Dilectus ipsius socius F. Ægidius, dicebat se malle unum gratiæ gradum in Religione, quàm decem in sæculo; quia gratia facilè crescit & conservatur in Religione ubi quis remotus vivit à tumultu mundi, inter Fratres assiduè ad virtutis studium stimulantes. In mundo verò, sollicitudo sæcularis, quæ mater est distractionis, perturbat & extinguit gratiæ suavitatem, & pravorum societas tam potenter abducit hominem, ut ad se redire vix permittat. Eâ ratione meritò dixit S. Bernardus: *In Religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, resurgit velociùs, incedit cautiùs, quiescit securiùs, irroratur frequentiùs, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, præmiatur copiosiùs.* Obedientiæ perfectio, & duodecim ejus suavitates fusiùs declaratæ, videri possunt apud D. Bernardinum Tom. 3. Serm. 13.

Serm. 5. in Cant.

Rom. 6. vers. 22.

Vita cap. 6. num. 4.

Surius ad 23. Aprilis.

Vobis autem, O perfectionis Candidati! nunquam è memoria excidat, ad quid recepti sitis, scilicet *ad obedientiam*. Pactum quoddam cum Ordine transigitis, ut ipse vos alat, foveat, defendat, & ad cœlestem perducat beatitudinem; vos autem vice versâ, fideliter & absque ulla contradictione, exequamini quidquid ille dictaverit. Dumque irrepserint concupiscentiæ vosipsos ostentandi, recreandi, prædicandi, regendi, docendi, corripiendi, inquirendi de vita aliena, & occupationibus vacandi peregrinis; memineritis vos ad hæc receptos non esse, sed *ad Obedientiam*, sub iis Prælatis quos vobis Ordo dare voluerit, & ad ea officia quæ vobis meliùs judicaverit convenire. Imò si vobis inciderint sancta & præclara desideria, quæ viderentur ex Deo, & ad Deum esse, credatis non hæc ei placere, nisi integraliter ob Obedientia proficiscantur atque dependeant. Sancta erat D. Antonii Paduani intentio, qui ideo nostri Ordinis habitum suscipiebat, ut ad Saracenos mitteretur, & mereretur cum S. Martyribus sanguinem fundere, eorumque coronæ particeps fieri. Sed ut intelligeret ipse, omnesque alii, qui sancta sibi proponunt exercitia, se *ad Obedientiam* primariò vocatos esse atque receptos, non verò ad ea quæ sibi-met-ipsis præfixerant; divertit Deus omnes istos conatus, & per Obedientiam, deduxit in viam rectam sanctiorum officiorum, quæ ipsis nescientibus præparaverat. Si quid similiter accidat vobis, præter intentiones quas vobis

Vita ejus cap. 3.

præfixistis, & sanctas esse credidistis; patiamini ut Ordo utatur jure suo in iis contemnendis & impediendis, quas in pactum non admisit, ut ad eas permittendum se obligaret, sed plenum jus sibi voluit acquisitum ad præcipiendum, prohibendum, & disponendum de vita vestra prout libuerit. Contra hanc auctoritatem, nec ætas senilis, nec officia honorabilia administrata, nec infirmitates ipsæ corporales præscribunt: sed etiam post septuaginta & ampliùs annos in Religione exactos, post labores pro ea exantlatos, in eodem persistit vigore, ac ipso die quo in album subditorum adscripti estis. Hanc indispensabilem & perpetuam subjectionem, ita vobis nunc proponite, ut sit vobis in stellam maris, vel in nauticam acum, ad cujus aspectû omnem vitæ vestræ navigationem & cursum dirigatis. Videte, ne deceptores & perfidi inveniamini in eos, qui bonâ fide & in sinceritate vobis bene volunt, nec aliquid de voluntate propria in fraudem eorum reservetis: alioquin periculum est, ne in judicium incidatis, quod
apud Job pronuntiatum est: *Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cùm vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.* Job. 36. vers. 13.
Illi verè simulatores sunt, qui se legitimè obligant, nec obligationi postea satisfaciunt. Cùm vincti & obligati fuerint, non est quòd clament & reclament: non audientur, nec enim digni erunt. Et vita eorum inter effeminatos, quia feminarum more contra verbum proprium agere non verecundantur.

TEXTVS & §. XXV.

Promittentes vitam istam & Regulam.

SVMMARIVM.

Ante Professionem docendi Novitii de obligatoriis Regulæ, & aliis præparativis ad eam disponendi sunt. Quatuor utilitates Votorum Religiosorum. Vehemens calcar ad observantiam Professionis est, quòd recordemur nos vovisse Deo Omnipotenti, B. Mariæ Virgini, B. P. Francisco & omnibus Sanctis.

Filiis Israël transgressis Jordanem, & in-
Josue 4. gressis terram promissionis, elegit Josue ex mandato Domini duodecim viros, singulos per singulas Tribus, qui tollerent de medio siccati Jordanis alveo *duodecim durissimos lapides*, quos ponerent in Galgalis loco castro-
Vers. 5. rum, ubi eâ nocte fixuri essent tentoria. *Ite*, inquiebat, *ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel, ut sit signum inter vos*, & quando interrogaverint vos filii vestri cras dicentes: quid sibi volunt lapides isti? respondebitis eis: defecerunt aquæ Jordanis, ante arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: *Idcirco positi sunt lapides isti, in monumentum filiorum Israël, usque in æternum.* Per terram Promissionis non incongruè intelligi potest status Religiosus. Siquidem ipse habet promissionem vitæ ejus quæ nunc est, pariter & futuræ, Chri-
Matth. 19. vers. 29. Marci 10. vers. 10. sto Domino asseverante: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* In hanc terram ingressi sumus, educente nos Domino per gratiam suæ vocationis de terra Ægypti, de præsenti sæculo nequam, de terra miseriæ & tenebrarum. Quid verò præcipit nobis Dominus in hujus terræ limine constitutis? *Ite ante arcam Domini*, servantes cum cæteris Christianis decem præcepta Decalogi, (quæ in arca continebantur) & insuper *portate de medio Jordanis alveo duodecim lapides durissimos in humeris vestris.* Isti duodecim lapides durissimi, interpretatione Seraphici Bonaventuræ, significant duodecim Capitula Regulæ Franciscanæ, quæ duritiam continent pœnitentiæ & mortificationis. *Hoc est dicere*, inquit in Cap. 1. Reg. Expos. initio, *quod Fratres tanquam viri à Domino, vero Josue electi, volentes pertransire Jordanem, & festinare ad terram promissionis, eligunt sibi duodecim durissimos lapides, id est duodecim capitula Regulæ, de loco ubi steterunt pedes Sacerdotum, hoc est ad imitationem duodecim Apostolorum. Jordanis*, qui *fluvius judicii* interpretatur, sanctum denotat Evangelium (secundùm quod Christiani judicandi sunt) è cujus alveo & sinu lapides isti per Franciscum desumpti sunt. Hos portare jubentur Seraphicam Religionem ingredientes, & ad introitum illius status per sacræ professionis pollicitationem collocare, *ut sint lapides isti in signum, & in monumentum* contractæ inter ipsos & Deum obligationis, *usque in æternum.* Antequam verò per votum obligatio contrahatur.

Primùm educendi sunt lapides isti de medio Jordanis alveo. Obligationes Regulæ in propatulum adducendæ, in conspectu & notitiâ eorum, qui ipsarum observantiam solemni sponsione vovere aggredientur. Quomodo enim promittere audeant Deo, quod ignorant?

Eccle. 5. vers. 1. rant? Scitè monet Sapiens : *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Displicet ei infidelis & stulta promissio.* Infidelis est, cui deest veritas, & intentio adimplendi. Stulta est, ejus qui nescit, ad quid se obliget, & quantam ille, cui promittit, exacturos sit rationem. Negligitur quandoque aliquorum in Novitiatu instructio de suscipiendis obligationibus. Hi post professionem detrectant satisfacere, impudenter excipientes, quòd si scivissent tantos fuisse compedes Religionis, nunquam in eos pedem intulissent. Et hinc illæ lachrymæ Religionum. Libet audire gementem super earum strage

In Roseto 1. parte. dist. 1. tit. 2. c. 3. memb. 3. Mauburnum : *Sic sic funditus vastatur vinea sacra Religionis, & fit quòd plures habeat Religio professores, qui nec Regulam sciant; imò qui nec unquam viderint : & quod execrandius, qui vel perspicere dedignantur. O quot tales enutrit nobilis regio ista! Cum tamen non modò Regula veniat cuique professori diligenter observanda, sed fre-*

2. Esdræ 9. vers. 3. *quenter legenda, juxta illud* : Legerunt in volumine legis Domini quater in die, & quater in nocte. *Grandis advocatorum stultitia, qui non studeant in textu de materia, in qua est ferenda à Judice sententia : præsertim cùm secundùm eam judicari habeat omnis professor. Multùm expedit Religiosis, ut Regulam crebrò legant, & intelligant, ut sciant ad quid obligentur; ne sint filii Belial, sicut vacca lasciviens, similes Rhinoceroti. Admissâ siquidem Regulæ ignorantiâ, fit & substantialium votorum minor cura.* Idcirco viderint illi quorum interest docere, qualiter satisfacturi sint Patri cœlesti, qui suos illis concredidit filios, quos incultos reliquerunt & agrestes, ac fortassis causa fuerunt, ne in cœlum admitterentur, sed expellerentur propter suas transgressiones. Terribilis est comminatio Ju-

Luc. 11. vers. 52. dicis : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ. Ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.* Eos in ignorantia reliquistis, qui venerant ad discendum vias vitæ.

Probatissima est in Ordine nostro quarundam Provinciarum consuetudo, ut certum temporis spatium professuris tribuatur, ad recessum solitarium, ubi in silentio & quiete agant cum Dilecto, & ad tantum opus sua corda purificent. Ubi perpendant, quàm proficuus sit eis futurus iste Contractus emptitius, quo disponunt inventam margaritam pretiosam, venditis omnibus comparare : quàm nobilis ista Militia, cui sub duce Christo præstant irrevocabile Sacramentum : quàm felix ista Mors, quæ ipsos à mundo & carne separat, & transmittit consortio Angelorum, ut eis valeant assimilari : quàm acceptum istud Sacrificium, quo supremæ Divinitati supremum offerunt quod possunt, in similitudinem Jesu Christi crucifixi : quàm casta & suavis illa animæ cum Christo Desponsatio, cui perpetuam promissuri sunt fidelitatem, fruituri vicissim Sponsi complexibus usque in sempiternum. Ad horum meditationem & executionem nos piè adhortatur mellifluus

Serm. 3. de Purif. Mariæ. Bernardus : *Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum quâ pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi : quod sumus utique nosmet-ipsi. Ille seipsum obtulit; tu quis es qui te ipsum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico; utinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim longèque gloriosius atque utilius est; ut tibi magis offerar, quam deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur.* Veraciter autem offertur, quod omnino abdicatur, relinquiturque in plenissimo donatarii beneplacito, qua utatur pro libito absque ulla contradictione, indignatione aut reclamatione offerentis. Et taliter offerenti, quid simile dicet Pater cœlestis, sicut ipsi dixit Jesu Christo:

Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum : Et *Ego Dominus vocavi te in justitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te.* Isa. 42. vers. 1. vers. 6.

His præmissis præparativis, ordinatè procedetur ad sacrorum votorum nuncupationem. Servitque hæc sancta promissio non solùm ad certitudinem & firmitatem politiæ externæ, sed ad internam quoque spiritualem perfectionem. Luculenter & doctè explicat ejus utilitates S. Bernardinus, ex quo aliquas hic contractiùs dabimus. 1. Cùm nihil pretiosius libertate habeat homo, illam consecra- Tom. 2. Serm. 14. art. 1.
mus Deo, ut non quæcumque volumus ea faciamus, sed illa duntaxat quæ nobis legitimè præscripta fuerint atque indulta. Et quia Abraham in tentatione inventus est fidelis, offerens Deo quod charissimum habebat in mundo, scilicet Filium, *ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua* : Sic & nobis dabit sacrifi- Eccl. 44. vers. 22.
cantibus & realiter mactantibus quod charissimum habemus, scilicet Libertatem. Neque nobis solùm in pretio est humana libertas, verùm & ipsi Deo. Tanti æstimavit ipse sacrificium Libertatis circa unicam prohibitionem, ut primis parentibus in præmium ejus, offerret confirmationem in gratia, & immortalitatem. Quantò acceptius erit ejusdem libertatis sacrificium in pluribus arduisque materiis exhibitum? 2. Duratio sacrificium etiam æstimatur. Unum transiens bonum opus amplissimâ remuneratur mercede : multò magis quod ad extremum usque vitæ halitum duraturum est. 3. Exercitia virtutum in sæculari statu nunquam ad idem meritum ascendunt, quia carent hâc voti circumstantiâ, quæ in Religiosis summoperè nobilitat omnes eorum actus à fidelitate religiosa imperatos. 4. Conscii sumus fragilitatis nostræ, & inconstantiæ in sanctis propositis, tentationumque vehementer in contraria trahentium. Firmandus igitur est animus, ne omni vento circumferamur. Dum verò hoc Religiosâ præstamus professione, idem cum nobis-met-ipsis agimus, quod cum suspecto fit homine, à quo juramentum exigimus, ad contractus cum eo initi securitatem. Quod admodum gratum est Deo, qui videt nos moliri, ut nulla nobis spes reservetur, redeundi ad pristinas vanitates, quas in perpetuum à nobis ablegamus. Hæc D. Bernardinus, apud quem loco citato plura videri possunt.

Notandum porrò circa hunc Textum, quòd non dicat S. Pater *promittentes solum vitam istam* observare, sed *vitam istam & Regulam*; ut detur intelligi, quòd si fortassis, eo loco ubi professio emittitur Fratres vitam communiter ducerent Regulæ non conformem, minimè sufficiat, ut emittens professionem, istam Fratrum vitam observet atque imitetur; sed requiratur ut promittat & observet *vitam istam & Regulam*, sive vitam Regulæ conformatam. Adeo ut ipsi firmiter adhæreat, tametsi plerique alii viverent irregulariter. Præclara erat magnanimitas Eliæ, qui quamvis putaret derelictum se solum, non ideo terrebatur, sed dicebat: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum Filii Israel.*

3. Reg. 19. vers. 10.

Et verò per Dei misericordiam familia nostra inpræsentiarum florida, etsi quandoque secundùm diversas partes flaccida, numquam tamen eò usque est dilapsa, nec dilabetur, ut ad unum vel paucos vera Regulæ observantia reducatur: semper invenientur columnæ pietatis, quibus juniores inniti possint, quique eis iter pandant ad perfectiora. Porrò non mediocre talibus solatium est, novos pugiles subsidiarios sibi aggregari, quorum fervore ad pergendum in longis suis laboribus animentur, & à quibus onera sibi per ætatem graviora facta, juxta recentes eorum vires valeant assumi.

Vehemens calcar ad fervidam Votorum nostrorum observantiam nobis subministrat consideratio personarum, quibus ea nuncupavimus. Vovimus ac promisimus imprimis *Omnipotenti Deo*, qui non se patitur irrideri, & qui promissionem nostram seriò & amanter acceptavit, ac de fœdifragis districtam sumpturus est ultionem. Deindè *Beatæ Mariæ Virgini*, quæ cum gaudio interfuit sancto isti contractui sponsalitio; ob cujus proindè reverentiam, etsi alia non urgeret ratio, omnino & integrè servanda est. Si quid deest vobis gratiæ, parata est superabundantem à Filio impetrare. Hoc Fratribus suis inculcabat D. Bernardus:

Serm. 2. in Domin. post Oct. Epiph.

Quoties, inquiens, *mihi necesse est, Fratres, post lachrymosas querimonias vestras exorare matrem misericordiæ, ut suggerat benignissimo Filio, quoniam vinum devotionis & charitatis non habeatis? Et ipsa, dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est, & mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum à quibus fuerat invitata, multò magis compatietur nobis. Placent enim illi nuptiæ nostræ, & pertinent ad eam multò magis illis: nimirum de cujus utero tanquam è thalamo sponsus processit.* 3. Vota nostra Religiosa nuncupavimus *B. Patri Francisco*: & non sinè singulari ipsius gaudio, dum de novis suis filiis spectabat, quod ait Sapiens de bene morato filio:

Eccl. 30. vers. 5.

In vita sua, vidit, & lætatus est in illo, & in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Attamen quantâ charitate nos adoptat in filios, dum professionem pronuntiamus; tantâ quoque vigilantiâ è cœlis prospicit, num juxta promissum ambulaturi simus, futurus severus vindex in votorú suorum prævaricatores. Apparuit aliquando cuidam Fratri, qui tentatione victus, meditabatur discessum à Religione.

Annal. Tom. 1. ann. 1243. num. 17.

Nocte dum quieti se daret, apparuit S. Pater stipatus famulante plurimo infernorum spirituum satellitio. Dæmonibus autem præ foribus relictis, solus intravit Conventum, S. Mariæ de Angelis dictum, & vocato Fratre Leone aliisque sociis tum superstitibus interrogavit: *Ut Fratres meam Regulam observant?* Respondent: aliqui tepidè, aliqui minùs bene. *Et vos*, inquit, *cur super hoc obdormitis? non dicitis veritatem? pigros non stimulatis ad meliorem frugem? surgite citò*, inquit, *circuite domum, Regulæ transgressores producite dæmonibus illudendos; sed & vos minimè effugietis*, inquit, *qui tantam Fratrum ruinam dissimulastis.* Illis respondentibus se prævaricatores nequaquam posse discernere: *Ite*, inquit, *signum transgressionis in fronte circumferunt.* Circuivit ergo F. Leo cum sociis reliquis, qui singulos ex proprio charactere cognoscentes, dæmonibus offerebant, qui gravissimis eos tormentis subjiciebant. Inter alios raptus etiam iste tentatus, quem nec preces, nec ulla exemit pœnis supplicatio. Totus autem territus hisce angustiis, evigilavit: deinceps in virum sanctum evasit, suæ vocationi ac bonis operibus diligenter insistens. 4. Fit etiam Professio ista solemnis: *omnibus Sanctis*, qui libenter nos admittunt in sanctitatis societatem, ut jam Apostoli verbis nobis dici possit:

Ephes. 2. vers. 19.

Jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Hæc cogitatio & tantæ memoria dignitatis, sit nobis in stimulum continentioris vitæ, & æmulationis generosæ cæterorum domesticorum Dei. 5. Denique vota emittuntur in manu Prælati, totique Ordini fiunt in persona ipsius, eique tamquam vero apud Deum Interpreti deferuntur. D. Gregorius explicans responsum populi ad Samuëlem circa petitionem Regis, ad illa verba:

Greg. l. 4. cap. 4. in 1. Reg. 1. Reg. 8. vers. 21.

Et locutus est verba populi in auribus Domini, ait ad propositum nostrum: *Prælatus qui suscepit vota vestra, locutus fuit ea in auribus Domini, ut ipsa sponsionis verba susciperent: qui dum verba audit, corda discutit, & ex textu professionis usuras exquirit robusti operis. Hoc namque Novitiorum nostrorum mentes audiant & expavescant, quia videlicet quod Prælatis dicitur, in auribus Domini dicunt. & quod eis promittunt, Deo offerunt, & quasi chyrographum quod illi faciunt Deo tradunt, cui reddenda districta ratio erit.* Registratur in Cancellaria cœlesti, votum nostrum & juramentum, ibique districta ratio de illius observantia requiretur.

TESTUS & §. XXVI.

Semper observare.

SUMMARIUM.

Ad semper continuandam observantiam. 1. cavendum à nimia cum sæcularibus conversatione. 2. à sequendis exemplis tepidiorum. Nec sumenda transgrediendi licentia ab occasione Superioritatis, infirmitatis, aut ætatis senilis. Frequens professionis renovatio, admodum utilis est pro observantia continuatione.

Josuë. 24.

SOlemnis fuit illa populi Israëlitici iterata subjectio sub Deo coram Josuë, quâ denuò elegerunt Deum in Dominum, ut ei soli servirent. In cujus protestationis & servitutis testimonium tulit Josuë lapidem pergrandem, *posuitque eum subter quercum quæ erat in sanctuario Domini*, & dixit ad omnem populum: *En lapis iste erit vobis in testimonium, quòd audierit omnia verba Domini quæ locutus est vobis: ne fortè postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.* Lapis iste prægrandis, in testimonium positus, est votum sanctum, quo notificatur cœlo & terræ quòd audiverimus verbum Domini vocantis nos ad statum Religiosum, & elegerimus eum in Dominum, cui speciali modo semper serviamus, quando sub Sacramento diximus, angelis & hominibus audientibus: *voveo & promitto toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum &c.* Hunc lapidem voluit noster Josuë Seraphicus poni *subter quercum*, subter crucem, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit; subter crucem pœnitentiæ & mortificationis, *quæ est in sanctuario Domini*, in Seraphico Ordine, in quo elegit Dominus tanquam grato sibi sanctuario inhabitare, animasque ingredientium sanctificare. Promittant, inquit, finito anno probationis, vitam istam & Regulam *Semper observare*. Lapis iste prægrandis, durus & durabilis constituitur, *ne fortè postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.* Verum ille qui mendax est ab initio, & in veritate non stetit, nititur lapidem istum amoliri, ne sit nobis in contractæ obligationis testimonium, ut ita professionis factæ immemores, Regulæ præcepta transgrediamur. Exploremus quibus mediis maleficium hoc exequi aggrediatur.

Primum est, nimis effusa & incircumspecta cum sæcularibus conversatio: si pusillanimiter vereamur moribus & factis ab eis discordare, jamque superati simus gustu sensualitatum ac vanitatum mundanarum, atque his enervati jam destituti simus robore sufficienti ad superandas plurium suasiones, amicorum blanditias, respectusque potentiorum. Hujus animarum decipulæ meminit Mauburnus, dum causas lapsuum singularium Ordinum considerat; de Mendicantibus enim ait: *In altissima Paupertate Domino servire cœperat; Sed & hi non minùs cæteris; imò præ cæteris deformiùs ruerunt. Et quam putabimus causam, nisi quia populo nimis se immiscuerunt? Et lapides sanctuarii in capita omnium platearum divisim evagari permiserunt: & non satis intrà limites continentiæ & abstinentiæ cohibuerunt.* Eandem censuram fert Ruysbrochius deplorans discursus & miserias Terminariorum. Graviter de eadem tentatione disseruit Abbas Joannes, dum videret socium suum S. Simeonem Sales, constanter velle relinquere solitudinem, ut mirabiliori modo inter homines serviret Altissimo. Sic namque eum affatus est: *Vide. F. Simeon, & cave, ne quæcumque collegit eremus, dispergat mundus, & quantùm profuit quies, tantùm lædat perturbatio: & quæ attulit vigilia, ea per somnum perdas. Cave, Frater, ne vitæ monasticæ temperantiam corrumpas fraude rerum humanarum. Vide ne fructum quem percipiebas ex eo quòd carebas mulieribus, perdat, quæ cum eis futura est, conversatio. Vide, ne nihil possidendi virtutem, quam tibi conciliabat vita anachoretica, multæ dispergant possessiones: ne quod corpus maceravit jejunium, escæ pingue faciant. Vide, Frater, ne compunctionem tuam perdas per risum, & orationem tuam per negligentiam. Vide, rogo, ne dum tuus ridet vultus, mens unà diffundatur: ne dum manus contrectant, unà quoque contrectet anima: ne dum os comedit, simul quoque voluptate anima perfundatur: ne dum pedes ambulant, unà quoque indecorè saltet interna quies. Et (ut paucis dicam) ne quæcumque facit corpus extrinsecùs, ea quoque faciat anima intrinsecùs.* Horum periculorum non ignarus Franciscus, solitaria loca quærebat amica mœroribus. Ibi pacatus remanens, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lachrymis, pectora manu tundebat; & quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico. Idem docuit Vir Dei filios suos. Eos quos ad exactum vitæ spiritualis cultum segregatos voluit in Conventu Portiunculæ, hâc lege inter cæteras adstrinxit: *Volo quòd Fratres Laici qui serviunt eis, teneantur nunquam*

In Rosetto dist. 1. tit. 2. cap. 3. ad finem.

Surius ad 8. Julii num. 19.

Vita c. 10. num. 3.

Opusc. Tom. 3. Collat. 28.

quam

quam dicere eis verba otiosa, vel nova hujus seculi, vel quæcumque alia, quæ non essent utilia animabus eorum. Et propterea specialiter volo, quòd nullus intret in locum illum, ut ipsi meliùs conservent puritatem & sanctitatem suam. Hinc etiam probatissimi Franciscani, intelligentes promiscuâ externorum conversatinne imperceptibiliter irrepere sui & professionis oblivionem, prudenter se mundi tumultibus subduxerunt, & quasi à facie colubri, se in

Chron. p. 4. l. 3. c. 18.

Conventibus aut cellulis solitariis abdiderunt. Sic F. Martinus de S. Maria ad asperos & inaccessibiles montes de Arabia declinavit. F.

Chron p. 3. l 7. c. 26.

Franciscus à Lauda, in Conventu civitati vicino quindecim annis habitans, nunquam in civitatem intravit. De talibus judicent homines quod voluerint. Ipsi laudant Domi-

Psal. 17. vers. 33.

num cum Psalmista: *Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Eâ celeritate quâ cervi, fugiunt ab inferioribus, ad excelsa divinæ familiaritatis. Quia tamen non æquè omnibus tanta iodulgeri potest solitudo, vos O Religiosi! quibus indicta fuerit hominum frequentatio, curate ut nunquam excidat vobis memoria, & æstimatio digna vestræ profes-

Ephes. 4 vers. 1. Coloss. 1. vers. 10.

sionis *ut ambuletis dignè, vocatione quâ vocati estis Deo per omnia placentes.* Hoc est enim placitum coram Deo, non solùm in claustro regulariter vivere, sed etiam extra immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Quod eleganter ostendit Basilius in Constit. exercit. cap. 6.

Secundò, Alia occasio tepefaciens animam, præbensque audaciam transgrediendi, est unum atque alterum oancisci, qoi se duces præbeant ad transgressiones. In conventibus, etiam reformatis, occurrent fortasse aliqui non adeo sancti, qui dum extra oculos fuerint correctorum, aliter agent quàm decet sanctos. Accidet etiam fortassis, ut quis in Conventum incidat non reformatum, ubi transgressiones sibi auctoritatem, vi consuetudinis, & Prælatorum dissimulatione usurpaverint. Observarunt autem Philosophi morales, Præsertim

Lib. 3. de de Ira.

Seneca, quòd *sumuntur à conversantibus mores: & ut quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit; impudicorum cœtus fortem & siliceum virum emollit, ava-*

Epist. 7.

ritia in proximos virus suum transtulit. Et S. Hieronymus: *Proclivis est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.* Sed ne memoria nobis sensim elabatur, nos promisisse *Regulam semper observare*, instat

Prov. 4. vers. 14.

Sapiens gravi hoc monitorio: *Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam.* Si tantoperè laudarunt Apostoli Christianos, constantes in fide, inter nationes perversas, ubi erat sedes satanæ: quos etiam hortabatur D. Paulus, ut essent sinè querela, simplices filii Dei, sinè reprehensione in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucebant sicut luminaria in mundo: si etiam missi sunt discipuli à Christo sicut oves; non ad oves, sed in medio luporum: denique si nunc plurimi Catholici sæculares sub jugo Priocipum & Magistratuum hæreticorum, non patiuntur se abduci ad libertatem carnis publicè permissam; quantò majori constantiâ debent perfectionis cultores, fortiter stare pro patriis legibus Christi & Francisci, licèt inter Fratres paululum moribus dissonantes?

Tertiò, Aliud lenocinium, qno infatuari posset instabilis anima, ad facilè obliviscendum illud *Semper observare*, est Superioritas. Inveniuntur aliqui, qui quamdiu subditi sunt, boni sunt: imò pro booo zelantes: Postea elevantur, & accidit eis quod Sapiens pronuntiavit: *Est qui stultus apparuit postquam ele-* Prov. 30. vers. 32.
vatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum. Stultus erat antea, licèt sapiens & bene moratus videretur, quia tunc apparebat zelosus & redarguens aliorum, etiam quandoque Superiorum actiones, non attendens majores defectus in propriis latere visceribus: donatus postea aliquâ libertate per Superioritatem, pejus operatus est quàm antecessores: quem nævum *si intellexisset*, antea verecundè tacuisset, *ori suo imposuisset manum*, oec erupisset in censuras aliorum. Blanda pellex est Superioritas ad legum transgressiooes, persuadens mendaciter nullam de licentiosa vita exigendam rationem. Tametsi coactiva vis majorum Prælatorum ipsis præsentialiter noo immineat; sedet tamen quasi pro tribunali verbum istud quo dixerunt: *Voveo & promitto toto tempere vitæ meæ servare Regulam, &c.* Quòd si hoc contemnentes, censuram fortè evadant humanam, manet tamen eos inevitabile judicium Dei, promissa reposcentis; *qui* non accipiens persooam principium, *dicit regi, apostata: qui vocat Duces* Job. 34. vers. 18.
impios, aliisque probrosis cumulat improperiis. Sanctum Patrem nostrum Franciscum, Opusc. Tom. 3.
positum ad clavum supremi in Ordine regiminis, unus ex sociis aliquando interrogavit, cur colloq. 6.
non mitiùs ageret, & corpus tenellum, & pœnitentiæ rigoribus pœnè mortuum, tantâ rigiditate & abstinentiâ affligeret; rogavitque ut deinceps permitteret meliora sibi præparari cibaria. Ad quem verè pœniteos, & Prælatorum exemplum, ait: *Bene fateor, Frater, quòd corpori meo plura necessaria sunt, nec omnia quibus indiget semper illi ministro. Memini namque me positum à Domino in multorum formam & exemplum. Nolo ergo lautioribus nec abundantioribus cibis uti, sed paucis & paupercults vesci: & in omnibus quæ ad vitam opus sunt, ita solùm gaudeo & delector quæ sanctam redolent paupertatem.* Eadem est lex omnibus indicta Superioribus, ut noo verbo solùm, verùm & facto, sint subditis in exemplum Regulæ observandæ. Aliàs censente D. Hieronymo: *Delicata doctrina est, pugnantes ictus dictare de* Tom. 3. Operum Hieronymi, Epist. 4.
muro, & cum unguentis sis ipse delibutus, cruentum militem accusare formidinis. quæ est ad Pammachium.

Quartò, Est tempus aliquod, quod aliquâ cum apparentiâ excipi videtur ab illo: *Semper observare*, tempus scilicet infirmitatis. Tamen etiam tunc Fratres Minores sumus, neque statûs nostri oportet oblivisci. Multæ quidem tunc obligationes cessant, quas oon exigit Deus, sed crucis immissæ rigore compensat. Falluntur tamen, qui putant sibi sub colore

lore

fore recuperandæ valetudinis quidlibet licere, nec attendunt ad obedientiæ legem, quasi liberi forent, adinstar sæcularium: & paupertatem ita à se arbitrantur alienam, ac si totus mundus ad eos pertineret, impendique deberet pro eorum curatione: denique carni suæ ita volunt omnia indulgere, quasi nihil pro Christo patiendum foret, cessaretque omnino lex religiosæ mortificationis. Benignè provisum est in Regula ut infrà cap. 6. §. 28. videbimus, ut cum charitate infirmis serviatur. Sed quia tunc vix scit afflicta & perturbata natura quid sibi expediat, consultum est discretionem alienam expectare, neque ad quodcumque dilatum, vel recusatum, cum impatientia querulari. Faceta & utilis est instructio quâ

Annal. Tom. 7. an. 1493. num. 28.

B. Bernardus Feltrensis cujusdam Xenodochii infirmis & ministris concordiam suasit, alterumque amorem, & ut sua utrique servarent officia. Dixit unicuique tradendum suum libellum, per quem paucis verbis apprehenderet, quidquid ad suum munus spectaret. Infirmorum libris hæc sola inscribenda: *Patientia, Patientia, Patientia.* Ministrorum ista: *Charitas, Charitas, Charitas*, atque ita unicuique sui libri curam habendam, ut alterius non legat. Si enim, ajebat, æger dicat querulus ministro: *abi est Charitas tua?* & ipse Patientiæ obliviscatur; aut si minister molesto importunoque infirmo improperet, dicens: *ubi est Patientia tua?* & non recordetur Charitatis, quam erga ægrum debet exercere, erunt sicut pueri, qui dum lectionem suam in proprio libro legere debent, alternos versant libellos, nec lectionis rationem Magistro exhibent, & scuticâ vapulant. Unicuique igitur suum librum committimus legendum, ut æger patienter ferat ministri defectus, & minister omnem exerceat circa infirmos charitatem. Quis scit etiam, si fortè generosis infirmis no-

Arturus in Martyrol. ad 19. Januarii.

stris feliciter non eveniet, quod F. Ludovico de Aracilio? qui cùm strictioris regularis observantiæ desiderio flagraret, sed quàm plurimis adversæ valetudinis incommodis detentus, illud adimplere desperaret, statuit tamen efficaciter cum forti animi constantiâ & alacritate, Reformationem amplecti, tametsi vitam profundere, mortemque obire contingeret. Quo facto Deus, ut ostenderet, quantùm sibi hæc placuisset resolutio, in ipso instanti eum tali donavit sanitate, ut inter vitæ asperitates habuerit meliùs, quàm in mediis unquam commoditatibus: & quia in ægritudine meminerat se Fratrem esse Minorem, meminit etiam Deus se patrem ei medicumque exhibere.

Quintò, Eadem dicta sint Senibus, qui fortè ob annos multos in Ordine exactos, vel ob consecutam jubilationis solemnitatem, immunitatem prætenderent ab hoc verbo: *Semper observare.* Deferendum quidem est senectuti, propter concomitantes infirmitates, viriumque defectum, & permittendi sunt licentiis uti, quas indulget Regula iis, qui necessitate coguntur, dum talis adest necessitas: quantùm verò ad alia, quæ à corporalibus viribus non dependent, æquè sicut alii remanent obligati. Examinat hanc excusationem à senectute petitam, Joannes Baptista Sainct-Jure, eamque validis rationibus elidit, atque ad perseverantem animat Regularum observantiam, arguens in hunc modum: Quò quis diutiùs in Ordine vixit, eò magis profecisse debet in charitate, humilitate, devotione, obedientiâ &c. aliàs ad quid impendit tempus suum, & tot transegit exercitationes? Qui diutiùs incumbunt studiis, evadunt doctiores; quomodo autem in studio pietatis, sic stulti facti sunt, ut cùm spiritu cœperint, nunc carne consummentur; dum pergendum est retrogrediantur, aut hæreant præ ignavia? *Solemus* inquiebat S. Eucherius, *annos nostros & temporum spatia quibus nunc vivimus supputare. Non te fallat quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti: illum tantùm diem te vixisse computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla transgressione Regula duxisti.* Alexander etiam Magnus eodem sensu ajebat: *Non annos meos, sed victorias computo.* Aliud maximum perseverantiæ momentum est, quòd seniores, qualificati viri & doctiores, sint quasi lucerna supra candelabrum positi in domo sua, ducesque itineris junioribus. Quò pergent hi, si duces per avia deflectant, aut retrorsum revertantur? Seniores itaque ablegent tentationem, quâ suadentur rigorem remittere Regularum, & putare indultam sibi aliquarum transgressionum licentiam.

Lib. 4. c. 5. sect. 1.

Gal. 3.

Hom. 9. ad Monach.

Quint. Curtius lib. 8.

Generaliter verò, pro Religiosis universis admodum efficax remedium est ad sacræ professionis memoriam, observantiamque retinendam, id quod apud multos usu laudabili observatur; quotannis scilicet aut frequentiùs iteratâ professionis pronuntiatione solemnitatem primam, bonosque voluntatis fervores, cum cæremoniis secretis inter Deum animamque nostram renovare. Hæc exercitatio primum instaurat propositum, quod suapte fragilitate refrigescere solet: anima enim, velut aqua, impetceptibiliter, non solùm in tepiditatem, verùm & in totale frigus relabitur, nisi certis temporibus denuò sanctæ dilectionis igni admoveatur. Amor proprius, *frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua. Et devorabit montes, & exuret desertum, & extinguet viride* omnis devotionis. Sed renovatio ista fœderis, renovatio est charitatis, & testimonium certum primam non pœnituisse oblationem. Id nos docuit Christus, qui ut sacrificii sui cruenti jugis apud nos remaneret memoria, sancivit quotidianam immolationis in altari renovationem; hoc, inquam, exemplo docuit nos sacrificium nostrum frequenti iteratione in oculis cœlestis Patris perennare. Formulam nobis exhibet ardens Christi famulus Bartholomæus Salutius, sub his verbis: *Coram te Deo & Patre meo, Patre, Filio & Spiritu Sancto, coram sanctissima Matre tua, coram Jesu meo, coram omnibus Angelis & Sanctis tuis, ego N. iteratò vobis promitto (volens actam hunc in æternum continuare) quidquid vobis promisi in religiosa promissione Ordinis mei, quam obtuli vobis juxta sanctam Minoritarum Regulam, per Pontificem Honorium confirmatam, in manibus Prælati mei. Quem*

Eccles. 43. vers. 22. & 23.

Petro … c. 4.

confirmationis actum, quia nunquam vellem cessare, sed semper durare, volo collocatum in aspiratione & respiratione anhelitus, ut quoad in vita ero, eum renovem, & sancta divinaque opis præsidio perfectè adimpleam. Peto abs te humiliter veniam omnium defectuum, transgressionum & errorum meorum, quos tot ab hinc annis in dicta sancta Regula commisi. Dignare Jesu, pater amantissime, mihi per immensam tuam misericordiam ignoscere, sanctam hanc promissionem, quam tibi facio ex tota cordis mei efficacia, rursum acceptare, mihique gratiam largiri, quâ eam perfectè usque ad mortem adimpleam. Amen. Iste est Lapis, Fratres dilectissimi, qui *erit vobis in testimonium, ne fortè posteà negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.* Utilitatem hujus praxis observavit Nicolaus Serarius, qui docens modos expellēdi Asmodei sive spiritûs carnalitatis, inter alios adducit morem cujusdam viri pii, qui quoties Asmodeum irrepentem sentiret & blandientem, illicò castitatis votum è formula iterabat. Eadem industria prodesse potest contra tentationes alia vota vel præcepta Regulæ impetentes.

TEXTUS & § XXVII.

Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire.

SUMMARIUM.

Præparationes ad Apostasiam sunt, Impatientia correctionum, Contumacia, Proprietas, Amor vitæ sæcularis, Libido & mulierum Familiaritas, Superbia, Ambitio, & Hæresis. Non expedit obstinatos Apostatas cum tumultu requirere. Qualiter Deus aliquos revocavit. Quòd Ordo non contristetur de istis lapsibus. Dum apparent signa prævia Apostasiæ (quæ ibi enumerantur) adjuvandi sunt contra istam insaniam. Monitio ad istos miseros.

Divinus Sponsus in sacro Epithalamio deprædicat Sponsam suam, dicens: *Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* (Cant. 4. vers. 12.) Per hanc cœlestis Regis Sponsam convenienter intelligi potest sacra Minorum Religio, cum qua (juxta Parabolam Innocentio III. Pontifici per D. Franciscum propositam) (Vita cap. 3. num. 8.) Rex ille dives, tanquam cum muliere formosa & paupere, gratanter contraxit, & ex qua æterni Regis filii & hæredes erant ad imaginem Regis per spiritum paupertatis generandi. Hæc intelligitur *fons esse signatus*, pro eo quòd ipsius Patriarcha & Fundator inclitus, tanquam alter Angelus ascendens ab ortu Solis, signum in se habet Dei vivi, portans in corpore suo stigmata Domini Jesu. *Hortus conclusus* est, quia post ingressum in eam per Professionem, non patet ostium ad egrediendum, cavente Seraphico Patre, quòd *nullo modo licebit eis de ista Religione exire.* Quia enim periculosissima est apostaticæ defectionis tentatio, totamque convellens radicem divinæ gratiæ; hanc stabilitatis legem, primo loco professis propositam voluit, ne quoquo modo cogitationes etiam à longè advenientes admittant, quæ sint ad execrandum istud scelus dispositivæ. Nunquam spiritus infernalis ex abrupto se offert ad suadēdam istam impietatem, sed alia præmittit crimina, quæ viam sternant, & aditum præparent: quæ si mentem occupaverint, spem sibi victoriæ pollicetur.

Primum est, Impatientia correctionū. Non potest Ordo impunita relinquere manifesta delicta, & cæterorum infectiva: remissior enim severitas in omni congregatione alit vitia, publicas invehit turbationes, & auctoritatem certò exponit malevolorum ludibrio. Porrò qui jam superbiæ atque impatientiæ affectibus exulcerati sunt, correptiones excipiunt ut contemptus intolerabiles, ex iisque tamquam immanibus injuriis prætextū fingunt aufugiendi. Non multùm eos dissimiles dixeris, illis qui ob casus adversos manus sibi injiciunt, ut temporalibus miseriis finem imponant, æterna sibi per hoc tormenta conciliantes. *Fugit arma ferrea*, inquit, Job, *& irruet in arcum æreum.* (Job. 20. vers. 24.)

Secunda Apostasiæ præparatio est, Contumacia in Superiores. Sic assuescunt imprudenti contradictione lora & fræna præceptorum frangere, ut tandem velut equus indomitus in liberam erumpant evagationem. Sed quandoque Deus eam longam esse non permittit, exequiturque sententiam in eos latam: *Huic extemplò veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam.* (Prov. 6. vers. 15.) Saluberrima erat medicina, beneficium Superiorum, admonentium, corripientium, & cohibentium eos à pravitatibus; sed quia illam abominati sunt, nullus ejus deinceps infunditur pœnitentiæ motus, & sæpe-numero neque tempus conceditur pœnitendi. Fuit ex Minoribus (Annal. Tom. 2. an. 1266. num. 11.) adolescens quidam, qui vitæ regularis pertæsus, voluit ad sæculum redire. Extra monasterium inter maturam jam segetem, ne videretur, voluit habitum exuere. Viderunt tamen messores latibula quærentem, in segete se abscondentem, & ferum molossum insequentem. Malum sectatorem ille non vidit, donec expoliatum habitu invasit, & spectantibus messoribus, qui ad miseri clamores accesserunt,

cesserunt, apprehenso gutture tandem suffocavit. Ultionem suscepit, & Dei judicium exercuit, subitò disparuit obstupescentibus
Ibid. spectatoribus. Idem fermè per omnia evenit alteri Fratri Hispano, qui in apostaticam consentiens discessionem, Fratribus valedixit, quem insecuti sunt duo ut aberrantem revocarent. Observarunt per devia abeuntem & rabidum ponè subiisse canem, quem cùm ut respiceret clamantes monerent, ille in furiam actus habitum & cingulum exuit. Illa non priùs abjecit, quàm adorsus canis suffocaret, nec auxilio esse poterant consodales.

Tertium hujus lugendæ defectionis præambulum, est proprietas, vel occulta, vel manifesta. Sunt enim quibus nunquam sapit aut sufficit quod è communi offertur promptuario, sed ea tantummodo quæ recondita habent; nec unquam quieti sunt, nisi semper aliquid eis in promptu sit. Quin & eò usque audent, ut res quas concupiscunt, modis malis, quandoque etiam injustis, incipiant congregare. Sic Judam proprietarium & furem sequuntur in scelere, & quandoque etiam
Annal. Tom. 1. an. 1222. num. 15. in laqueo atque suspendio. Cùm S. noster Patriarcha ex Urbe Lecci in Apulia, post inchoatum suis monasterium recederet, factus est ei obviam quidam ex suis, qui apostataverat. Recepit eum ad osculum & pacem, cum omni mansuetudine: sed ad furcas è regione in alto positas respiciens, inquit: Cave tibi, ne secundò è gremio Religionis divelli te permittas à dæmone; te enim eò usque ad malum impellet, ut tandem in furcas agat, & in iis ipsis quas prospicis miserè & turpiter suspendaris. Adhæsit erroni cor pravum, & plus tribuit diabolicæ suggestioni quàm salutari Patris monitioni; nam aliquot post menses religiosam exuens vestem, indulsit libertati & insanæ vitæ, donec deprehensus in furto, in illis ipsis furcis, dignã sceleribus suis pœnã exolvit.

Quartò, Prædominatur quibusdam vitæ sæcularis æstimatio, & simul in nauseam vertitur Fratrum convictus, & quidquid monachale est. Undequaque se ingerunt in sæcularium familiaritates. Muri conventus sunt eis murus ignis in circuitu, à quibus quasi à flammis omni student conatu refugere. Quia verò sæcularis libertas eis non permittitur, neque permitti potest, nullum superest brevius consilium, quàm in totum augustiis istis excedere. *Ipsi intraverunt ad Beelphegor*, inquit O-
Oseæ 9. vers. 10. seas, *& abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Et quia navis religiosæ securitatis arcta nimis videbatur, exierunt in latissimam maris planiciem, & descenderunt in profundum quasi lapis. Verè stulti & vecordes, qui videntes in mari pisces natare, ipsi obliti sunt se homines esse; pisciumque libertatem æmulari voluerunt, & perierunt. Sæculares in mundo quasi in elemento proprio salvantur: ubi homines conditionis sublimioris, scilicet Religiosi, suffocantur, dum spetant sæcularium frui libertate.

Quintò, Communissimum capistrum quo apostatæ illaqueantur, est carnis indulgentia, mulierumque familiaritas. Si unam nanciscantur confidentiorem quam depereant, jam injecto inextricabili dæmonis laqueo captivi tenentur, quo datâ occasione ex Ordinis asylo extrahantur. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos: & qui se jungit fornicariis erit nequam. Putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus.* Eccles. 19. vers. 2.
Plurimorum lapsus, illius verbi veritatem satis comprobavit. Miseriæ evidentiores sunt, quàm ut verboso egeant commentario. Qui se illis conglutinant, in omnem prolabuntur nequitiam, putredine consumuntur in fama & corpore, collocantur in propatulo infamiæ, & fiunt in exemplum gravissimi judicii Dei, quo permittente rescindunt seipsos ab honoratorum ipsius servorum numero & societate. Caveamus igitur occasiones. Neque assecuremus nos-met-ipsos super devotione illarum & simplicitate, credentes nullum eis subesse periculum. Crediderim, personis devotis non inesse malitiam, aut fraudulentam machinationem nos decipiendi; non tamen ideo periculo carent. *Nescit homo finem suum;* Eccles. 9. vers. 12.
sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo. Nulla malitia aut callida machinatio in hamo inest vel laqueo inest tamen aucupi qui eis utitur, & piscatori. Innocenter pisces & aves parvulam colligunt escam, & miserè capiuntur. Sic imprudenti homini inadvertenter dulcessit amor speciosæ & tenellæ creaturæ; & magnum æstimat ab ea æstimari, blandè laudari, litteris ejus honorari, munusculis inescari; & nescit quòd anceps diabolus sedet in insidiis, in occultis, ut interficiat innocentem. Et hinc tandem irretitur multis sermonibus, & blanditiis labiorum protrahitur, & *sequitur eam quasi* Prov. 7. vers. 22.
bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum; & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.

Sextò, Vesania quæ Angelos fecit apostatas, facit aliquando etiam Religiosos; Ambitio scilicet & Superbia, quæ erubescit de statu humili, quæritque aliis supereminere. Atque dum tumore mentis supra se erigitur, Deum irritat, qui superbis resistit, & dejici permittit à statu sublimiori quem obtinebant, sicut ipse dicit: *Non habitabit in medio domûs meæ qui facit superbiam.* Et Propheta eidem ait: Psal. 100. vers. 7.
Secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine. Psal. 5. vers. 11.
Professi sunt sequi Jesum mitem & humilem corde; & ecce totis affectibus adhærent, totisque conatibus æmulantur eum, qui est Rex super omnes filios superbiæ. Et quia tumorem istum deprimi sentiunt sub regulari disciplina, impudenter agunt quod observavit Sapiens: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo; quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus. Quoniam initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam implebitur maledictis, & subvertet eum in finem.* In hujus judicii exemplum sit F. Helias, S. Francisci socius, tot signorum,

tantæque sanctitatis, humilitatis, obedientiæ oculatis testis, & qui aliquamdiu vitæ rigore primis illis Religionis Columnis non fuerat inferior, cui gregem regendum semel & iterum Franciscus commisit, & totius regionis suffragiis bis Præfecturam ejus generalem assumpsit. Hic in Capitulo Genuensi eundem ambiens honorem, detectis ejus dolis, per Innocentium IV. omni gratiâ exutus fuit & privilegio. Ad has angustias præter spem inflatos pridem animos redactus, impotens sui, exarsit in rabiem, ad Imperatorem profugit, professi Instituti priorumque beneficiorum prorsus immemor, fit apostata ab Ordine, & Ecclesiæ rebellis atque ideo excommunicatus. Licèt precibus & lachrymis Francisci aliorumque sanctorum Fratrum suffragiis, velut ovis aberrans Ecclesiæ postliminio restitutus, prioris vitæ excessus sub mortem amarissimè luxerit, ac communionem meruerit. Præventus tamen morte, ad habitum non est restitutus, nec insertus Instituto quod deseruit. Alius famosus apostata fuit Petrus de Corbaria, qui se permisit in Anti-papam elevari, contra Joannem XXII. de cujus vitiis ad apostasiam dispositivis sic scribit Alvarus Pelagius: *Cognovi eum in urbe, verum hypocritam, decimantem mentam & anethum, in abstinentiis exterioribus & apertis, & in abdito loculos compilantem, & inter mulierculas Romanas quasi continuè residentem, & gloriam aucupantem; fidem paupertatis, munditiæ & obedientiæ, quæ graviora sunt legis, relinquentem.* Stultissimus virorum iste, aliique ipsi similes, nituntur avolantem ante se apprehendere gloriolam, & exponunt se à tergo totius mundi ludibrio, infamiamque sibi conciliant nonquam eluendam.

Annal. Tom. 1. an. 1244. num. 7.

Lib. 1. de planctu Ecclesiæ art. 37.

Septimò, Genuina Apostasiæ mater est Hæresis, quæ eo loco statum habet monachalem, quo Diabolus crucem. Fugiunt illi, quos pestis illa invaserit, velut phrenetici effractis catenis & carceribus: quinimò triumphum agunt se evasisse, atque ad socios impietatum suarum pertigisse, solemni contumeliâ habitum suum atque Ordinem afficientes. Benedictus Deus, qui mirabili suâ providentiâ curat, ut quos invaserit ista insania, tempestivè à societate innocentis gregis sese proripiant, ne oves reliquæ à lupis istis occultis strangulentur. Quod in impio Bernardino Ochino permissum fuisse, revelavit Deus B. Joanni Zuaxzoranti, & prolixiùs super apostasia ista judicium Dei meditanti. Extra se enim raptus audivit Christum dicentem sibi: *Dic tuo Generali, ut bono animo sit, & quòd eam Congregationem (quamdiu steterit intrà Regulam meo servitio deputatam) nullo umquam tempore deseram; quòdque lapsum exitumque Senensis Ochini permiserim, ne gregis relinquias suo fœtore infectares.*

Arturus in Martyrol. ad 4. Januarii.

Dubium.

Dignum est examine dubium, an expediat tales cum strepitu magno, adhibitâ militari vel sæculari manu, venari, capere & reducere, dum adhuc infixi sunt menti pestilentes errores, & horrores pristini statûs, & fortè jam innexi laqueis meretriciis & prolium, & protecti auctoritate hæretici Magistratûs? Rectè resolvit Emanuel Rodericus, tali casu non esse obligationem requirendi. Et ratio sumi potest ex doctrina quam alibi tradit, illud moraliter & civiliter secundùm jura censeri impossibile, quod sine magno incommodo fieri nequit; impossibilium autem non est obligatio. Quòd neque expediat requirere, apertè sentit D. Bernardus, qui consolans Abbatem S. Nicasii, contristatum de aliquo fugitivo, suadet eum non requirere, exemplo unius Sancti, qui increpantibus eum Fratribus quòd non requireret suum, in sui injuriam ab alia susceptum Ecclesia, respondit: *Nequaquam: ubicumque enim est, si bonus est, meus est.* Deinde seipsum Bernardus producit in exemplum; cùm enim unus ex ipsius reformatis fugisset Cluniacum, (tunc laxius monasterium) dicebat: *Doleo quidem, sed sileo, orans & prosilis ut velint ablatum reddere, & pro illo ut velit sponte redire: Sin verò, servans ei vindictam, qui facturus est judicium injuriam patientibus, & arguere habet in æquitate pro mansuetis terræ.* Quos elegit Deus ipse revocabit; & sicut ejus fuit vocare, sic erit & revocare.

Tom. 1. qq. regul. q. 30. art. 5. Tom. 3. q. 1. art. 2.

Epist. 52.

Variis autem & miris modis revocat. Unum referam è multis. Quidam Ordinis apostata, ductus est in spiritu, ut videret plures mensæ ignitæ assidentes, dapes igneas, potum sulphureum appositum: quæ dum coacti sumerent, flammæ undique per nares, aures & ora erumpebant, Maledicebant omnes diei quo geniti sunt, Creatori qui fecit, Christo qui redemit, & sanguini ejus qui propter illos fuit dispersus. Varia habebant signa, per quæ dignoscebatur diversarum fuisse transfugas religionum. In medio sedebat Cacodæmon, torvo vultu omnibus imperitans, atque ad ignitas epulas edendas candenti tridente compellens. Objiciebat unicuique causam sui profugii, quosdam palam referebat ad ingluviem, alios ob delicias, alios ob libidinem, hos ob dignitates ambiendas, illos ob carnalem parentum affectum sacras deseruisse sodalitates; & singulos duriùs in vitiorum sedibus cruciabat. Dum obstupesceret apostata ad hoc spectaculum, vidit ædes cum malis incolis à terræ hiatu absorberi. Timore concussus misellus, ad Religionem, à qua discesserat, rediit confestim. Alios aliis mediis ad ovile suum Deus reducit; alios in cæcitate & obduratione, pro arcanis suis consiliis, derelinquit.

Annal. Tom. 2. an. 120 num. 6

Attamen, si quosdam non revocet, sumendum hoc est ut beneficium Ordini impensum, quem gravari non vult filiis Belial, & arcam suam vult à paleis expurgare. In Hierosolymitana civitate inter alias portas, una erat stercoris. Quidni talis etiam sit in spirituali nostra civitate, per quam sordes Ordinis ejiciantur? Humbertus discretissimus Magister Ordinis Dominicani scribit: *Gloriantur aliqui de hoc quòd de Ordine eorum nullus apostatat. Quibus dici potest, quòd inanis sit gloriatio talis. Non enim est mirum, quòd nullus apostatando de Ordine illo egreditur, in quo apostasia toleratur. Oportet, ut Religio despumetur, ad hoc, ut in sua puritate servetur. Ubi est despumatio nulla, frequenter est impuritas multa.* Non aliter etiam de purgatione illa censet S. Gregorius rationem reddens verbi istius: *Et territi purgabuntur.*

2. Esdræ 2

Lib. 34. moral. c. 7.

tur. Job. 41. & applicans illud Angelis, dicit: *Purgati sunt, quia Leviathan cum reprobis legionibus exeunte, soli in cœlestibus sedibus qui beatè in æternùm viverent, remanserunt. Hujus itaque lapsus eos terruit, & purgavit. Terruit, ne Conditorem suum superbe despicerent; purgavit verò, quia exeuntibus reprobis, actum est, ut electi soli remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam, etiam bene uti malâ actione reproborum, lapsum cadentium vertit in profectum manentium: & unde punita est culpa superbientium, inde humilibus angelis & inventa & solidata sunt augmenta meritorum. Sancti enim Angeli, dum in istis natura sua damna conspiciunt, in seipsis jam cautiùs robustiùsque consistunt. Unde fit, ut illi electorum spirituum patria, etiam ruina sua damna proficiant, dum inde firmiùs constructa fit, unde fuerat ex parte destructa.* Consolatoria sanè pro religiosis Ordinibus sapientissimi Pontificis sententia. Sicut aulæ cœlesti ignominiæ non fuit tertiam cecidisse partem stellarum, & tot tamque præclaros spiritus apostatâsse: sic neque nobis erit, si è millibus unus abeat in perditionem. Diffamabit fortè sacrum Ordinem maledicentiis. Nihil mirum, Didicit hoc à spiritibus istis protervis, qui quò excellentiores à Deo acceperant gratias, eò majoribus odiis, blasphemiisque eum insectantur. Nihil nocet nobis, quòd expulsus canis ululet foris atque allatret. Fateor, non potest Religio, quia pia mater est, non lugere tam diram filii damnationem, sicut lugebat Samuel reprobationem Saulis. Meminisse tamen etiam debet pio Prophetæ dictum à Domino: *Usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, ne regnet super Israel?* Sufficiat nobis occulta Dei justitia, quæ aliquando manifestiùs apparebit.

1. Reg. 16 vers. 1.

Cùm tamen, sicut ante præmonuimus, ordinariè signa quædam exteriùs prodant occultas tanti facinoris deliberationes, Superiores qui ea deprehendunt, modis omnibus occurrant fugitanti, occasiones auferant, & quantùm in ipsis est, studeant morbidas istas oves in sinu suo confovere. Præter graviora indicia superiùs assignata, observârunt sagaciores in præparantibus se ad fugam, varias conjecturas: singularem oscitantiam in divino officio, furtivas missitationes litterarum, contemptivam sequestrationem à Fratribus, tristitiam cum difficultate revelandi causas dolorum, amicitiam individuam cum murmuratoribus, impatientibus, & imperfectissimis; impudentiam in scurrilitatibus, irrisionem consuetudinum religiosorum, iracundiam sui impotentem contra Superiores, accessum ad Sacramenta nullâ præviâ præparatione, & alia quædam; quæ licèt futuri sceleris fidem non faciant, occasionem tamen suggerunt talibus invigilandi, ne à statu suo discedant, si non habitu & habitatione, moribus saltem atque affectibus. Quòd si vehementiora & proximiora se prodant fugæ indicia, crudelis dissimulatio est videre phreneticum tentantem sibi-met-ipsi manus inferre, nec eum impedire. Prudens obstetricatio colubri tortuosi latentis, alleviat interdum miseram animam, si familiaritate suavi, & obligantibus officiis, adduci possit, ut dolores suos confidenter patefaciat, quò possit congruis solatiis & consiliis lenimentum apponi atque medela. Vel si obstinatius advertant silentium, laboret Superior cum Fratribus, saltem orationibus apud fontem luminis, misericordiam pro Fratre periclitante impetrare. F. Joannes de Fulgineo in monasterio S. Terentiani ad montem Syraptim graviter tentatus, tandem cessit & voluit post desideria carnis abire. Dum jam tenderet patriam versûs, ad castrum Manlianum prominentem collem ascendens, vallem per quam sibi eundum erat, & Tyberis flumen, non longè positum, visum est sibi undique vidisse sanguine repletum. Hæsit admirabundus, deinde flexis genibus oravit Dominum, ut quid sibi agendum esset misericorditer inspiraret. Hoc eodem tempore, Fratres deprehensâ ejus fugâ, omnes unanimiter orabant in Ecclesia, ut reduceretur ovis errabunda, ne periret, missisque qui fugientem insequerentur, hærentem immobilem in vertice collis invenerunt, qui ultrò pœnitudine & sanguinolenti spectaculi terrore ductus, cum iis rediit ad monasterium, & vitam deinceps duxit satis religiosam. Quis scit, si aliis similiter periclitantibus non miserebitur Dominus ad ardentes nostras supplicationes? Vos verò miseri quibus horribilis ista illapsa est tentatio, sistite gradum, & videte, quo suasore & adjutore hæc meditamini. Dæmon est saluti vestræ invidens, hostis Dei & filiorum ejus, dirusque vobis tortor futurus. Imminet vobis ab eo fraus eadem & infamia, quæ Judæ apostatæ & proditori, si pergatis ejus audire consilia. Plantati estis in domo Domini in atriis domus Dei nostri: inserti estis in vitem fructiferam, allaturi fructum multum, si velut palmites vivi manseritis in vite. Quòd si volmetipsos abscindatis à vite Religionis, quid sequetur? *Numquid tolletur de vite lignum ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escam, utramque partem ejus consumpsit ignis, & medietas ejus, redacta est in favillam. Numquid utile erit ad opus? Etiam cùm esset integrum non erat aptum ad opus; quantò magis cùm ignis illud devoraverit & combusserit, nihil ex eo fiet operis?* Omnibus perspecta est indignatio Dei in Israëlitas clementer eductos de Ægyptiaca servitute, ac interim cogitantes ex deserto illuc reverti, contempto priùs accepto beneficio. Quod considerans S. Judas Apostolus ait: *Commonere vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundò eos qui non crediderunt perdit. Angelos verò qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Putatis eum vobis parciturum, si vestrum relinquatis domicilium, nec per Religionis desertum pergatis cum reliquo populo Dei ad terram promissionis? Audite quid ipse Christus clamet vobis, in persona unius fugitivi, quem misericorditer reduxit. Quidam magnâ perculsus tentatione, cùm instituisset primò apud B. Franciscum, deinde apud Cardinalem

Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 37.

Ezech. 15 vers. 3.

Numerorum. 14.

Annal. Tom. 1. an. 1210. num 35.

nalem Protectorem, & demùm apud ipsum Pontificem Honorium, ut habitum religiosum dimittere atque ad sæculum redire permitteretur; nec quidquam ab ipsis obtinuisset, semetipsum excucullavit, deditque in commotionem pedes suos, Superiorum fugiens potestatem. Non tamen longè aberat à Conventu, quando occurrit ei quidam indignanti similis, qui quò miser tenderet? interrogabat. Ille stomachabundus: *Quid mihi*, inquit, *& tibi? Quid ad te pertinet iter meum?* His auditis homo ille detexit pedes, ostendit manos & latus vulnere fossa & sanguinem mittentia recentem, dixitque: *Quid ad me iter tuum, ex his poteris inferre cicatricibus, quas pro te in cruce pertuli. Itane meo ingratus es amori, & tanti immemor beneficii, ut propter caducum & periturum mundum me velis deserere?* Territus Frater, & pietate commotus, ad pedes Christi se projecit, errati veniam deprecatus, statimque rediit ad Franciscum, qui misericorditer & benignè corde compunctum excepit, monuitque, ut dum viveret præ oculis haberet tam immensam dignationem & singulare beneficium Christi sibi apparentis. Ita fecit, & vitâ adeò ad Christi disciplinam regulavit, tu perfectissimus evaserit, & cum sanctitatis opinione cursum consummaverit. Illa verba Christi tamquam vobis etiam dicta accipite, & dæmonis impiis consiliis constanter renuntiate. Admodum utiliter legentur, pro hujus materiæ complemento, tres Epistolæ S. Basilii. Centesima octogesima tertia, in qua unum monachum apostatam validis rationibus invitat ad confidentiam. Centesima octogesima quarta, quâ graviter describit scandalum & periculum alterius Monachi, olim in jejuniis & sanctis exercitiis detriti, & solitarii. Centesima octogesima quinta, quâ cuidam Moniali elapsæ, in memoriam reducit sanctitatem suæ professionis, & injuriæ Sponso Christo illatæ gravitatem. *Tres insi(gnis)sima Epis(to)la S. Basi(lii)*

TEXTVS & §. XXVIII.

Juxta mandatum Domini Papæ.

SVMMARIVM.

Eliduntur colorati respectus ad egrediendum. 1. sub specie vitæ Contemplativæ. Quàm deceret in Ordine institui loca solitaria ad solam contemplationem. 2. Cupiditas alterius Ordinis Reformati, & separatio ab imperfectis. 3. Persecutiones. 4. Prætextus servandæ propriæ Regulæ.

SApientissimus Rex Salomon mandatum præscripsit Semei, maledictori David Patris
3. Reg. 2. vers. 36. sui dicens: *Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi; & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum.* Nos enormes peccatores, frequenter maledictione pessimâ nostrorum scelerum, maledicimus Patri cœlesti, eâque ratione promeriti eramus mortis æternæ supplicium. Exstimulati verò delictorum nostrorum conscientiâ, occurrimus per Pœnitentiam Patri misericordiarum, dicentes cum Semei: *Ne reputes mihi, Domine*
2. Reg. 19. vers. 19. & 20. *mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui. Agnosco enim servus tuus peccatum meum.* Et parcitum nobis est per viscera misericordiæ Dei nostri. Insuper per dilectum suum Franciscum & Vicarium suum Honorium III. ædificavit ejusmodi pœnitentibus peccatoribus domum, sacram scilicet Fratrum Minorum Religionem, dicens cuique volenti eam ingredi: *Habita ibi*, emisśaque ibi solemni professione, *non egredieris inde huc atq; illuc. Quacumque autem die egressus fueris.... scito te interficiendum*, incurrendo reatum peccati mortalis, & ecclesiasticam censuram. Hoc mandatum Domini Papæ tamquam alterius Salomonis expressum habemus, Bullâ: *Fratrum Minorum continent instituta.* Pontificatûs anno octavo, his verbis: *Nulli Fratrum ejusdem Ordinis post factam professionem licet Ordinem ipsum relinquere.... Nosque Superioribus Fratrum ipsorum concedimus, ut in decedentes liceat, donec resipuerint, Ecclesiasticam exercere censuram.* Prohibetque quibuscumque externis eorum admissionem. Debuerunt omnes frivolæ rationes humanæ hoc ictu contundi & conteri, ut ubi color aliquis apparuisset pietatis, inanis fieret commissione inobedientiæ, quæ contra Apostolicum foret commissa decretum.

Una ea apparentibus rationibus discedendi est, quærere majorem vitæ perfectionem in alio statu vel Ordine. Plerique eremum & anachoreticam vel Carthusianam solitudinem sibi proponunt, ignorantes vel discere nolentes ordinem horum desideriorum, quem S. Patres necessarium esse docuerunt; ut primùm quis in cœnobiticæ vitæ virtutibus consummatus sit, victorque intestinorum vitiorum; deinde ad eam vitam transeat, quæ cum Deo solo conversatur; atque tunc cum solis dæmonibus conserat manum, cum jam invictus evaserit in iis luctis quæ ab hominibus exercentur. Qui non præmissis his dispositionibus solitudines meditatur, & ad cas invenicndas, consilia tractat de sui statûs dimissione,

ne, duci se credat in desertum à malo spiritu, & periculum incognitum sibi parari, si pravis ejus suggestionibus obsequatur. In Conventu Ferratiensi cuidam adolescenti, in via quâ ambulabat absconderunt superbi laqueum, invitantes ad solitudinem, cujus erat valdè studiosus. In specie bonorum angelorum apparentes, & vocantes extra septa monasterii, sub horâ Completorii, secutus est, donec ad latam quandam foveam, monasterii terminum pervenit. Dum hanc suaderent ut saltu transiliret, latorem respondit esse quàm ut auderet, eosque tamquam angelos Dei, facilè eum posse transferre. Respondentur coacti, non hoc sibi licere, quia ibi constituti erant limites cœnobii. Rei mysterium interroganti, dixerunt, potentem esse totius Communitatis orationem in choro tunc recitatam sub illis verbis: *Visita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, &c. Quia ergo*, subjunxit Frater, *Diaboli estis vos? Sumus*, inquiunt, *qui ut terminos monasterii transilires cupieramus & mox in apostasia pœnam, in foveam præcipitem daremus. Salvavit te oratio bonorum, ne quidquam in te posuimus.* Quibus dictis evanuerunt, & Frater cautior factus hoc periculo, omnem singularitatis & solitudinis deposuit concupiscentiam, inter consodales securè & hilariter deinceps conversatus.

Annal. Tom. 2. an. 1261. num. 14.

Non semper tamen aspernanda est solitudinis inspiratio, ab iis præferrim, quos judicarent Superiores tractos à Deo, & dotibus sufficientibus instructos. Ideoque Seraphicus Franciscus optabat loca certa in singlis Provinciis esse destinata, in quibus intrà Ordinis gremium devotis illis animabus satisfieri posset, juxta formam, quam tradidit aliquando Fratribus, & videri potest Opuscul. ejus tom. 3. collat. 3. Vel juxta formam quam præscribit Fratribus pro Conventu Portiunculæ Collat. 28. Hinc audiendi non sunt homines, veræ religionis spiritu destituti, qui universaliter reprobant solitudinis devotæ exercitationes, dicendo: ad quid singularitates istæ, & seminaria vanæ gloriæ, & honesta fomenta otiosorum? & conquerendo, quòd Fratres aptissimi Concionibus declamandis & Confessionibus excipiendis ibidem detinerentur cum magno Conventuum detrimento. Itane parum profecerunt isti, ut ignorent contemplativæ vitæ plùs quàm activæ esse tribuendum; & utiliores esse Ordini qui Deo familiares sunt, quàm qui hominibus; nec otium censeri debere, solam à lucris externis cessationem? Audiatur super hoc judicium S. Bonaventuræ, qui expendens Marthæ querimonias contra Magdalenam, adducit Glossam super eodem textu: *Ex illorum persona loquitur Martha, qui adhuc divinæ contemplationis ignari, solùm quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum dicunt: ideo cunctos qui Christo devoti esse volunt, huic operi mancipandos autumant.* Ulteriùs inducit S. Bernardum ita loquentem: *Felix domus, & beata congregatio, in qua de Maria Martha conqueritur.* Quibus tandem suam apponit sententiam: *Contemplativa per se eligenda est sine querimonia; Martha verò, id est activa propter necessitatem suscipienda.* Et retundens objectionem de hujus vitæ inutilitate, ait: *Hæc magis est desideranda, quia melior, & de se præeligenda, tum quia securior, tum quia suavior, tum quia stabilior.* Quæ dicta sint activis istis pessimè Ordini nostro consulentibus, qui pati non possunt in suis Provinciis loca perpetuo silentio, solitudini & jugi orationi destinata. Et illud *unum* quod dicit Christus *necessarium*, isti dicunt inutile. *partem* quam dicit *optimam*, isti dicunt malam: & quam dicit à devotis animabus *non auferendam*, isti audacter auferunt, ut impleant subditos non solùm domesticis Marthæ laboribus, sed externis etiam Esau venationibus, de quibus versantur. Huc etiam spectant quæ diximus superiùs §. 26. num. 1. de periculis sæcularium conversationum.

In Luc. 10.

Serm. 3. de Assumpt. B. V.

Secundò, Aliter prætextus honestus, discedendi à propria statione est, quòd cùm videant aliquos alios Ordines pulchrà politià & honestate nitentes, & majorem exteriùs jactantes sanctitatem, quàm sit Fratrum Minorum; mirabilem sibi depingunt profectum, si in tali loco, cum tam sanctis viris, & inter adeò bonas occasiones vivere daretur: obliviscentes interim earum quas præ manibus habent æquè opportunas. Hinc fastidiunt propriì Ordinis politiam; & à tædio in tædium devolvuntur. Hinc cogitationes de seniando ingressu in alium Ordinem. Rarior quidem est illa tentatio, ob difficultatem & quasi impossibilitatem talis transitùs. Ne tamen putent has cogitationes esse à Deo, ipse ostendit quantùm sibi displiceant. Quidam è nostris ad Cistercienses transierat, & fermè absolverat Noviciatum. Dum votum de hoc religiosissimo Instituto vellet emittere, densâ cæcitate percussus est. Monachi sub-olfecerunt judicium Dei, & prudenter suaserunt, ut ad primam suam rediret regulam, eâque contentus viveret, Optemperavit consilio, & statim pristinus ei visus restitutus est. B. Nicolaus Factor, transierat à Minoribus Observantibus ad Fratres Capucinos Provinciæ Cathalonicæ, à quibus reversus ad Conventum unde discesserat, cùm ad dormitorium per scalas ascenderet, obviam gloriosæ Virginis Mariæ de Angelis imaginem, sic affatus est: *Beatissima atque gloriosa Domina, non aufugit ille, qui domum revertitur.* Hoc dixit, quia relictâ regulari Minoritarum Observantiâ in qua duplicem Eliæ spiritum imbiberat, ad præfatos Capucinos confugerat. Statimque subjunxit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Cùmque valetudinarium esset ingressus (laborabat siquidem febre quatriduanâ) pleuritide acutissimaque febre correptus est: & antequam sacro muniretur viatico, ab omnibus circumstantibus Fratribus, quòd eos, communemque Matrem (sic enim Regularem Observantiam appellare solitus erat) aliquando deseruisset, quàm humillimè in hæc verba prorumpens, veniam petiit: *Reus sum, maximaque subjicior culpæ, quòd sacram Franciscanorum Observantiam ad tempus deseruerim, adque ad Patrum Capucinorum Congregationem, quærens quod minùs mihi expediebat, transierim; licèt hoc bono zelo ductus (ut Deus mihi testis est) fecerim. Quamobrem vos charissimos Patres ac Fratres hortor, ut fortè vestra* contentus

Chron. p. 2. lib. 1. cap. 47.

Gonzaga 7. p. Provin. Valentia Conventu IX.

contenti sitis, nam Minorita Observanti si communem sectetur vitam, nihil penitus eorum quæ ad Regulæ Franciscanæ, & suæ professionis perfectionem, atque nitorem desiderari possunt, deest. Hisque dictis super lectulum genuflexus, licèt viribus omnino destitutus, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum de manu Patris Guardiani summâ cum devotione suscepit, atque Extremæ Unctionis Sacramentum sibi conferri poposcit. Quo denique accepto, cùm sibi quidam Frater instantem mortem, quam ipse multò ante, sancto afflatus Spiritu, prædixerat, de medicorum mente prænuntiaret, respondit: *Rependat tibi Dominus tanti, tamque boni Nuntii vices*: illicoque subjecit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Rogans prætereà P. Guardianum, ut corpus suum exanime in sterquilinio sepeliri juberet, cum summa animi tranquillitate, atque alacritate, spiritum Deo Creatori reddidit. Horum, aliorumque exemplo erudiantur illi, quorum animus simili tentatur indiscreto desiderio commutandæ Religionis. Interim verò dum detinentur fastidio proprii Sodalitii, summopere caveant, ne ductu passionis illius quippiam agant more virorum malè uxoratorum, qui eo, quòd uxorem domi abominentur, per popinas & prostibula evagantur, & desperantes, semetipsos impudicitiæ tradunt. Nitantur potiùs passionem illam superare ad instar viri cujusdam, qui cùm uxorem pulchram, pudicam, mitem atque lectissimam duxisset, sed dæmonis artificio fascinatus ab ea abhorreret; fascino & Diabolo superior, sibi hoc continuò
Matth. 19, vers. 6. ponebat ob oculos: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Donec tandem exorcismis, & Dei miseratione, nebula ista dissipata est. Sapienter tibi sic afflicto dictum accipe per Spiritum Sanctum, de Religione, cui desponsatus
Prov. 5. vers. 18. es: *Lætare cum muliere* (Religione) *adolescentiæ tuæ, Cerva charissima & gratissimus hinnulus. Ubera ejus inebrient te in omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter. Quare seduceris, Fili mi, ab aliena, & foveris in sinu alterius?*

Unum objicere solent isti nauseabundi,
Constit. Exercit. 21. quod S. Basilius proponit atque refellit: *Mali sunt aliqui ex Fratribus, & incautè bonum dissolventes, & honestatis negligentes, & decentem exercitationis sinceritatem contemnentes, & propterea convenit à talibus separari.* Hanc excusationem insufficientem, his elidit rationibus. Neque S. Petrus, neque ullus alius Apostolus, deseruit Apostolorum Collegium, quia illud infamaverat Judas. Neque dixit Noë ad Deum: o-
Gen. 7. portet me de mundo exire, quia omnis caro corrupit viam suam; sed longanimi tolerantiâ inter impietatis fluctus; stabilitatem servavit
Gen. 19. pietatis. Et Loth in Sodomis, inter homines pessimos, & peccatores nimis coram Domino, virtutem custodivit incorruptam. Concluditque tandem Basilius: *Tu verò prætexis Fratrum negligentias, aut existentes, aut à te confictas, defectionem meditans, & tuæ pravitatis ac segnitiei, ad labores pro virtute subeundos velamentum, Fratrum calumniam facis. Neque etiam si contigerit unum digitum in manu aliquid molestè pati, jam etiam alios resecari contendet.* Videamus
Annal. an. 121 num. 9 quo loco Franciscus habeat eos, qui se à grege reliquo separant sub specioso colore pietatis cultioris. Adolescens quidam, bonæ ut videbatur indolis & expectationis, ab Ordine recesserat, seductus à Diabolo, promittens sibi, sui juris facto, majus virtutis incrementum. Hic ad sanctum Patrem venit veniam petiturus. Ad cujus conspectum aufugit Vir Dei, clauso super se cellulæ ostiolo. Admirantibus Fratribus, in publicum posteà prodiens dixit: Ne miremini Fratres, quòd fugerim; vidi enim juvenem hunc pessimum habuisse sessorem, & voluntatis aurigam, horribilissimum Diabolum, qui à Religione seductum ducere conabatur in præcipitium. Oravi quâ potui instantiâ pro misello, ut tali liberaretur seductore, concessitque mihi Dominus quod petivi. Vocatum itaque ad se adolescentem, totius rei admonuit, hortatusque est, ut sibi deinceps à dæmonis caveret insidiis, nec ampliùs à Fratribus permitteret separari. Salutaribus consiliis ille acquievit, & reliquum vitæ tempus religiosè sub disciplina regulari transegit.

Hic etiam monitos velim eos, qui contendunt ad meliores inveniendum commoditates servandi Regulam; ut contenti esse velint eo remedio, quod in ipsa Regula traditum est per recursum ad suos Ministros, de quo infrà. Me- Cap. 10.
minerint iniquum esse zelum Regulæ, per quem ipsa infringitur Regula; hoc scilicet præceptum: *Nullo modo licebit eis de ista Religione exire.* Item: *Universi Fratres u-* Cap. 8.
ni Fratri, hujus Religionis Generali Ministro, & servo totius Fraternitatis, teneantur firmiter obedire. Item quòd sic vivant *ut inter Fratres vel de Fratribus scandalum non oriatur*, & quòd *sint pacifici & humiles.* Quæ omnia præcepta, per tumultuariam à Religione discessionem, apertè & turpiter cum damnationis periculo temerantur. Hi similes sunt illi qui positus in cacumine præcelsæ rupis sterilis & horridæ, vidensque inferiùs vallem amœnam, planam & frugiferam, & exoptans ibidem habitare, non quæreret descensum per gradus & semitas, sed uno impetu se præcipitaret, membrisque omnibus collideretur. Verum
quidem est, quòd *tecta jugiter perstillantia* Prov. 19. vers. 13
mulier litigiosa, molesta scilicet atque incommoda cohabitatio; quis tamen nisi fatuus, ob ejusmodi perstillationes domo egrediatur, sub dio in aëris incommodis pernoctaturus? Hoc autem hi facere convincuntur, dum relictis Religionis suæ commodis, ad infinita divertunt incommoda extra Dei gratiam. Vide D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. & Theologos ibi, recensentes incommoda comitantia transitum ad Religionem arctiorem; quæ hîc militant à fortiori.

TEX-

TEXTUS & § *XXIX.*

Luc. 9. vers. 62. *Quia secundùm S. Evangelium* : Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.

SUMMARIUM.

Religio assimilatur Regno Dei. Ex 5. capitibus, non sunt apti huic Regno Dei, respicientes retro, per mundi amorem. Respiciunt & retrò recedentes à Reformatione intrà eundem Ordinem. Talium recessus non nocet Fratribus Reformatis; quin imo prodest.

EXemplum sumptum est ex munere arandi, quod maximè visûs directionem & oculorum vigilantiam requirit: nam si arator, dum manum ad aratrum adhibet, retrò respiciat; aut omninò arare non poterit, aut certè facilè & frequenter in arando aberrabit. Sic inquit Christus, qui suscipit statum Pœnitentiæ seu mittit manum suam ad crucem, quæ *Aratri* nomine significatur, (secundùm D. Ambrosii interpretationem) (Lib. de Filii Dei. c. 6.) quia ferro dominicæ Passionis munita, scindit cordis duritiam, & ad opertum fructus aperit. *Mittens*, inquam, *manum suam ad* hoc *aratrum*, & oculos suæ intentionis aut sollicitudinis ad negotia humana vel temporalia convertens, suscepto muneri ineptus est. Illâ igitur Domini sententiâ perstringuntur illi Religiosi, qui quidem à statu suscepto prorsus desistere non volunt; sed inceptum volunt perfectionis opus agere, & simul animi curam in sæcularibus negotiis ponere. Quod innotescit, ex occasione, quâ Christus illa verba protulit. Nam (Luc. 9. vers. 61.) ille qui se obtulit ad Christum sequendum, & sollicitum se simul ostendebat domesticarum rerum, non desistebat à bono proposito, sed cum illo volebat simul ad temporalia respicere, atque illorum curam gerere. Atque ita hæc verba intellexisse videtur Basilius in Constit. Monast. cap. 21. ubi cùm latè docuisset, eos qui perfectionem profitentur; debere omninò animum à temporalibus curis, parentibus, cognatis, & negotiis amovere, hoc Christi testimonio illam doctrinam confirmat. Similiter Euthymius: *Oportet*, inquit, (Euthym. in eum locum) *eum qui sequitur Christum, confestim omnia despicere, & sequi, ne oculos quidem ab eo divertendo; ne fortè habitu & specie eorum quæ à tergo sunt, detineatur.* Cæterùm pœnam sic retrò respicientis, uno verbo complexus est mitissimus Dominus: *Non est aptus regno Dei.* Breve quidem verbum, sed efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti. Ideo opportunè monet D. Bernardus, (Serm. 3. in Quadragesima.) *ut si fortè pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse non ingerat apostasiam cordis; ne Religiosi in habitu religionis tor gerant sæculare, & quidquid consolationis sæcularis invenire potuerint, amplectantur*; futuri alioqui indigni regno Dei.

Porrò per *Regnum Dei*, non solùm præsentis temporis Ecclesia, sed etiam Status Religiosus intelligi potest. Sic intellexit B. P. Ægidius. (Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 38.) Quinque Provinciales Ministri eum visum pertexerant Perusiam; quos ut vidit, mystico & spirituali cantu voluit impositi monere officii, utens ad hoc appositâ similitudine æterni habitaculi, absque lapide aut calce constructi, cui non dissimilem dixit esse Religionem, cujus etiam ædificandæ illi erant operarii. Perspicuum est, nec huic religioso Regno Dei aptos esse, qui respiciunt retrò, & ad ea quæ sunt mundi, convertuntur.

Primò, Apostolici viri, quorum conversatio in cœlis est, eorum quæ retrò sunt, obliviscuntur. *Quæ quidem retrò sunt obliviscens*, (Philipp. 3. vers. 13.) inquit Paulus, *ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.* At quomodo ad anteriora extendet semetipsum, qui respicit retrò, & ad ea regreditur, contempto supernæ vocationis bravio? Certè indicium est, eum non esse de regno Dei, qui directè contrario graditur itinere, & primæ vocationis, non gratiam modò, verùm & memoriam excussit. Olim dicebat Dominus Ezechieli: *Mitto te ad gentes apostatrices, quia* (Ezech. 2. vers. 3.) *recesserunt à me patres eorum: prævaricati sunt pactum meum, usque in diem hanc.* Hunc locum versans D. Gregorius, intelligit eo significari, non solùm eos qui externam apostasiam committunt, aut committere cogitant, sed etiam qui retento statu, mundanis denuò negotiis implicantur. Sic scribit: *Sicut qui à* (Hom. 9. in Ezech.) *fide recedit, apostata est; ita qui ad perversum opus, quod deseruerat, redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur.* Perversum opus erat diligere mundum & ea quæ in mundo sunt, ejus vanitatibus carnisque corruptioni servire. Sacramentum præstitimus Regi cœlesti, hoc opus perversum deserendi, & quan-

rùm in nobis est destroendi. Quomodo ergo audebimus, quæ destruximus, reædificate? *Si qua destruxi*, inquit Apostolus, *iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.* (Gal 2. vers. 18.)

Secondò, Sicut in Cœlo nonnisi in Deo & divinis gaudium est & beatitudo; ita & in religioso tegno Dei: ex quo eliminatur quidquid carnale est, & ab amicitia delibatur humana, vel quod in transitoriis fundatur possessionibus. Olim Sodoma species erat mundi, tota in delitiis & abundantiâ terrenâ; quam jussus erat Loth cum familia sua dimittere. Cùm autem Dominus tempestate horrendâ, pluisset super eam sulphur, & ignem de cœlo, *respiciens uxor Loth post se*, ad domum suam quam reliquerat, subitâ morte percussa, *versa est in statuam salis.* (Gen. 19. vers. 26.) Non regrediebatur; retrospiciebat tantùm quid fieret de domo sua & suppellectili; & tamen Dominum graviter irritavit. Quod exemplum divinæ severitatis proponit Christus iis maximè, qui omnia reliquerunt, dicens: *In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retrò. Memores estote uxoris Loth.* (Luc. 17. vers. 31.) Illi in tectum ascenderunt, qui eminentiorem sanctitatis gradum profitentur. Illi in agro, qui sese à turbis populorum segregantes, pretiosum charitatis thesaurum absconditum in agro Religionis quærunt, inveniunt, atque effodiunt. Digni profectò sunt judicio mulierculæ istius, si ad Sodomam derelictam, non solùm respiecre, sed affectuom pedibus etiam regredi tentaveriot.

Tertiò, Sicut primum opus Angelorum in cœlo fuit, pugnare contra socios rebelles, & militiam bonam Regni suo militare: sic Religiosi officium est, nova bella gerere sub signis Crucifixi. (Vita cap. 1. num. 4.) Duci militiæ nostræ Francisco in suæ conversionis initio nocte quâdam, cùm se sopori dedisset, palatium speciosum & magnum, cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitum, Clementia divina monstravit. Cùmque quæreret, cujus essent illa omnia? sua fore militumque suorum, supernâ fuit assertione responsum. Igitur quicumque ad pœnitentiæ agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus, Christoque militamus. Quis verò æstimaverit dignum honore militari, qui spreto bono publico, neglectâ sui Imperatoris gloriâ, repudiatâ sui exercitûs societate, turpiter redit ad propria, vel prædonem agit, propriis dumtaxat studens commodis; vel quod pejus est, ad castra transvolat inimicorum? *Exclamavit Mathatias voce magnâ in civitate dicens: omnis qui habet zelum legis, statuens testamentum, veniat post me. Et fugit ipse, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate. Tunc descendebant multi quærentes judicium & justitiam in desertum, & sederunt ibi ipsi, &c.* (1. Machab. 2. vers. 27.) Hunc locum S. Antonius Paduanus sic interpretatur; *Mathatias signat virum justum & religiosum, specialiter tamen Religionis fundatorem, ut B. Franciscum. Talis namque ex speciali dono Dei, datus est Christianis, ad liberandum de manibus inimicorum*, ut liberati serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. (Ad Domin. 1. Quadr. Serm. 1.)

Eandem qualitatem in S. Patre nostro agnoscens seraphicus Bonaventura, ipsi acclamat: *Eia nunc strenuissime miles Christi, ipsius fer arma* (sacra quinque stigmata) *invictissimi ducis: quibus munitus & insignitus, omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis Altissimi: ad cujus intuitum, omnes pugnatores divini exercitûs animentur.* (Vitæ c. 13. num. 11.) Cùm igitur reliquerimus omnia in civitate mundi, & venerimus cum Francisco in hoc desertum, quærentes judicium & justitiam; sedeamus ibi, & ipsi cœlesti Imperatori adhæreamus. *Nemo potest duobus Dominis servire*, (Luc. 16. vers. 13.) directè opposita jubentibus; & in acie unius & alterius stare, dicente Christo: *Qui non est mecum, contra me est; & qui non congregat mecum, spargit.* (Matth. 12. vers. 30.)

Quartò, Sicut regni cœlestis unicum opus & officium est, jugiter vacare Deo laudando; ita & regni religiosi. Quomodo verò cantabont canticum Domini, qui habitant in terra aliena, quorum cor longè à Domino, & propè est mundo? Quibus in indignatione ait Dominus: *Aufer à me tumultum carminum suorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* (Amos 5. vers. 23.) Tædia, somnolentiæ, & impatientiæ in choro, sufficiens testimonium dicunt, eos non esse aptos illi regno, in quo Chori inveniuntur Angelorum alternatim collaudantes Dominum, ubi Seraphim clamant alter ad alterum, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* (Isaiæ 6. vers. 3.) Choro hîc assuescat oportet, qui ibi choris inseri voluerit Angelorum: Non aspiciat retrò mentis evagatione.

Quintò, Qui de regno Dei sunt, ædificarunt supra firmam petram. Ea est enim conditio Regni Dei, ut sempiternum sit, ut non corrumpatur, ut omnes incolæ in Regis sui fide, obedientia atque dilectiona persistant. Ad quam stabilitatem respiciebat Apostolus dicens: *Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu & reverentia.* (Hebr. 12. vers. 28.) Isti regno apti non sunt, qui insurgentibus cupiditatum suarum motibus, dilabuntur, & velut spuma gracilis, huc & illuc feruntur, juxta occasionum volubilitatem. Miseriam inconstantiæ eorum graphicè describit S. Judas, primariò quidem intendens in hæreticos, sed verbis iisdem verberans etiam cognatos eorum apostatas, tam exteriores, quàm interiores: *Hi sunt*, inquit, *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ*, bonorum operum fructibus destitutæ, *bis mortuæ*, primò ob extinctam gratiam in Baptismo acceptam, ac eam deinde quæ superaddita fuerat in religiosa professione; *eradicatæ*, corpore vel moribus è plantario Religionis: *Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones* variis scandalis: *Sidera errantia*, stellæ è cœlo lapsæ; *quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* (Epist. vers. 12.) Has terribiles sententias, uno verbo complexus Salvator, ait: *Non est aptus regno Dei.*

Demum quid opinabimur de iis, qui cùm nomen dederint Congregationi reformatæ, ubi perfectiùs, quietiùs & commodiùs Deo servire intenderant, postea inde recedunt, ut

latiorem

latiorem viam in eodem Ordine ineant? Certe tales etiam retrò respicere indubitarum est: cùm hoc vix unquam accidat nisi ex carnalibus & levissimis impulsibus, qui hominis exagitant inconstantiam. Memorabilis fuit

Annal. Tom 5. an 1449. num. 20.

discessus F. Roberti de Licio à Reformatione Observantinorum, sub primo suo aureo sæculo. Hic cum paulatim strictioris vitæ tædium concepisset, & fibulas laxaret disciplinæ, impatienter ferebat morosos correctores, & integros rectores, qui à recto tramite declinantem reducere satagebant. Accedebant alii similes, ambitionis æstu perciti, qui populi applausum & gloriam ex doctis concionibus partam in contemptum convertebant humilis Instituti, omnibus ad proprium commodum abutentes. Ipse etiam Robertus, per totam Italiam ab eloquentia nominatissimus erat. Judicabant hi fastuosi, Reformatos suâ præsentiâ & adjutorio indignos; à quibus discessionem fecerunt ad laxiores, quasi hâc ratione se de illis egregiè vindicaturi. Verùm discessus inflatorum & delicatulorum istorum, minimè conturbare debet sanctam Congregationem, quæ ab eis deseri videtur. De cœlo ista providet Franciscus, curam suorum gerens, & in favorem suarum simplicium ovium permittit, ut isti quasi lupi domestici, Imaginatis quibusdam respectibus percellantur, & fugiant. Christus etiam supremus Franciscanæ familiæ præses, providebit, ne quid eâ ratione detrimenti patiatur,

Ibid. num. 12.

Orabat eo tempore F. Franciscus Papiensis sive Ticinensis, Vir sanctissimus, Christum Dominum, ne permitteret noxia Roberti, ejusque adhærentium prosperari consilia. Apparuit ei Christus, & mœrentem consolatus, dixit: *Ut quid propter ista turbaris? cur tantoperè commoveris? cujus est hoc opus? cujus familia? nonne mea? Ego prosperabo, & crescere faciam in gentem magnam, quæ præ multitudine numerari non poterit. Quis è tot diversisque nationibus sodalitium hoc coagmentavit? Quis adeò brevi tempore tot contradicentibus multiplicavit? Ego feci, ego ab inimicis defendam. Qui vos conturbant, non facient impunè; ab hac vita resilientes pænitebit, sed perseverantes bene habebunt: pro desertoribus alios substituam, qui eorum coronas suscipiant.* Sed neque timere habent pii Fratres, ne apud homines æstimatio Congregationis minuatur. Manet ipsam sua gloria, ab humilitate, modestiâ, vitæque sanctitate. Hoc probè intellexit Illustrissimus Dux Cosmas Medices, qui videns aliquot vanos Concionatores reliquisse Observantiam, tantùm abest ut inde minuerit Congregationis apud se existimationem, ut auxerit potiùs: *Conjicio*, inquit, *quòd justitia & virtus regret istos simplices Fratres, qui non promovent, nec curant ambitiosos. Tantò purgatior erit hæc Congregatio, quandoquidem fex seipsam separavit.* Neque talium discessio plùs nocet integritati & robori corporis, quàm abscissio cæsariei, quæ serviebat solummodo ad vanitatem.

Chron. p. 1. lib 3. cap. 40.

TEXTUS & § XXX.

Et illi qui jam promiserunt Obedientiam, habeant unam tunicam.

SUMMARIUM.

Unius solùm tunicæ deportatione imitamur, quoad honestas permittit, Christi in cruce pendentis nuditatem. Tria documenta, quæ à nuditate Christi in cruce sumuntur. Franciscus perfectissimus illius nuditatis æmulator.

IN sacra Regum historia legimus, quòd Samuël ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo. *Et tunicam parvam faciebat ei Mater sua*, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem. Sic Franciscana Religio, paupercula Mater nostra, Filio suo per sacram professionem jam suscepto ut ministret toto tempore vitæ suæ ante faciem Domini, facit tunicam parvam vilem, abjectam atque pauperculam, & adfert, præsenti textu dicens: *Illi qui jam promiserunt obedientiam habeant unam tunicam.* Plures quidem insigniores sancti, cultioribus usi sunt vestimentis, absque ullo veræ sanctitatis detrimento. Tamen Magister Magistrorum Christus, asperitatem & simplicitatem amictûs, in amico suo Joanne Baptista mirificè collandavit: discipulisque suis, futuris doctoribus perfectionis, inter alias apostolicas leges, hanc posuit: *Neque duas tunicas habeatis.* Superfluitatem vestimentorum, mundanis hominibus satis familiarem, abdicatam voluit à spiritualibus servis suis, quos præparabat ad discurrendum per universum mundum, ac proinde conveniebat inutilibus non gravari sarcinis, quæ solent viatores non modicum retardare.

1. Reg. 2. vers. 19.

Luc. 9. vers. 3.

Apostolicus Vir Franciscus ex audita illa Christi lectione, meritis Matris misericordiæ concepit ac peperit spiritum Evangelicæ paupertatis. Dum enim quodam die festivo, ad ejus hortatum & preces, Sacerdos quidam Sacrum celebraret in ædicula S. Mariæ, quam

Annal. an. 1208. num. 2.

Portiunculam dicunt, illuque recitaret Evangelium, in quo Christus Dominus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit evangelicam vivendi, *Ne videlicet possiderent aurum aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas haberent, &c.* Attentiùs instructionem hanc audivit Vir Dei, explerisque sacris mysteriis, clariùs sibi intimari & explicari rogavit à Sacerdote. Quorum perfectum & litteralem sensum, ut pleniùs apprehendit, memoriæque commendans secum ruminavit, Apostolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfusus est lætitia, *& hoc est*, inquit, *quod cupio, hoc quod totis præcordiis concupisco.* Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, & pecuniam execratur, *unâque contentus tunicula*, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficeret, & apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptaret.

Matth. 10. vers. 10.

Tanta hujus legis Apostolicæ cura, magis magisque in ipso succrevit contemplatione sui Jesu Crucifixi. Quotiescumque enim oculos in eum figeret, primum quod occurrebat, erat pœnalis illa & verecunda nuditas, quam in cruce sustinuit. Pudebat eum vestitum esse cùm Dominum suum nudum conspiceret; eoque solo cohibebatur ab imitatione, quòd honestas cogeret non nudum ambulare. Hinc eo saltem modo indui voluit, qui proximè accederet ad dilecti sui nuditatem: non est autem proximior quàm unicâ tantùm tunicula corporis membra contegere. Quæ interim pudicissimo Domino, dum moriendum esset, detracta fuit, ad majus tormentum; prout devotè contemplatur Antonius de Guevarra referens lamentationem ipsius per os Prophetæ exclamantis: *Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Quæ confusio tunc eò gravior fuit, quò populus aspectans frequentior, impudentior, irridens, malisque ejus insultans.

Montis Calvariæ p. 1. cap. 29

Psal. 43. vers. 16.

Ulteriùs indagans devotus Doctor nuditatis illius mysterium, invenit tria nobis commoda in nuditatis istius imitatione. 1. Quòd Filius Dei priùs se spoliari vestibus permiserit, quàm in crucem ascenderet. Per quod discipulos suos docere voluit, neminem ad fastigium perfectionis niti posse, neminem cum ipso crucem ascendere, nisi priùs à se universa avaritiæ desideria excutiat, propriamque exuat voluntatem: & ad veræ perfectionis adeptionem, ac pacificam in Religione vitam, ante omnia necessarium esse, ut cor omninò pravis nudetur affectibus, ac deinde vestibus corporis exspolietur. Alterum commodum in imitatione nuditatis Christi desumit à facto Saulis, qui dum quæreret David & Samuelem, factus est super eum spiritus Domini, *& exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus totâ die illâ & nocte.* Super quo D. Isidorus observat, quòd Saul non antè in numerum Prophetarum assumptus est, quàm se denudaset: sic neque nos inseremur Electorum numero, nisi priùs à nostris nudemur concupiscentiis; nec alii sunt divinis laudibus decantandis aptiores. Denique Christus nudus ingressus est in certamen cum dæmone, eumque devicit: eandem nobis commendans armaturâ, & consimilem promittens victoriam; quod Sanctus notavit Gregorius dicens: *Nihil in hoc mundo maligni spiritus proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citiùs ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur.* Eâ ratione Franciscus spiritualem aggressurus militiam, depositis cotam Assisiensi Episcopo omnibus vestimentis, nudus relictus est, ut nudum sequeretur Crucifixum Dominum, militiæ cælestis Imperatorem. Appropinquante horâ, quâ migraturus erat ex hoc mundo ad Patrem, ut veritatis exemplo monstraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo; in illa infirmitate extrema gravissima, super nudam humum, se totum nudatum, in spiritûs fervore projecit: quatenus horâ illâ extremâ, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Voluit certè per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper, & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter hoc & in principio conversionis suæ nudus remansit coram Antistite, & in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire: Fratribusque sibi assistentibus in obedientia charitatis injunxit, ut cùm viderent eum jam esse defunctum, per tam longum spatium nudum super humum jacere permitterent, quo unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O verè christianissimum virum, qui vivens Christo viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfectè esse studuit imitatione conformis, & expressâ promeruit similitudine decorari. Similis fuit spiritus multorum S. Patris filiorum. Gloriosus Christi Martyr, F. Paulus à S. Magdalena, cùm pro Christi fide esset in Anglia morti adjudicatus, ingenti flagrabat desiderio, & obnixè supplicabat, ut in patibulo, in quo conficiendus erat, nudus suspenderetur; quatenus eo modo formam mortis Christi atque Francisci æmularetur. Judices tamen, hostes Christi ejusque Ecclesiæ, hoc ipsi indulgere noluerunt. Nos dilectissimi Fratres, eos saltem concipiamus Ignes generosæ æmulationis istorum virorum, ut superfluitatemomnem respuentes, paucis contenti simus, prout præcisè necessitati sufficit, & congruit honestati, ut secundùm salutare monitum Apostoli: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

Guevarra ibid. c. 30.

1. Reg. 19. vers. 24.

Hom. 32. in Evangelia.

Vita c. 14 num. 3.

Ann. 1643

1. Tim. 6 vers. 8.

TEXTUS & §. XXXI.

Cum Caputio.

SUMMARIUM.

Caputium refricat nobis memoriam suscepti luctûs Pœnitentiæ. Est galea, quâ muniti intrepidè pertranseamus ludibria mundanorum. Repræsentat nobis jugum obedientiæ. Estque velamen ad oculorum custodiam.

DUx eximius Judas Machabæus & Fratres ejus & reliquus populus Judæorum, congregati in Maspha, ut contra Gorgiam Ducem exercitûs Syriæ decertarent, jejunaverunt, & induerunt se ciliciis, *& cinerem* (1. Mach. 3. vers. 47.) *imposuerunt capiti suo*, multisque aliis pietatis (1. Reg. 13. vers. 19. Judith. 4. vers. 16. & 9. vers. 1.) operibus & oratione ad Deum, sese ad conflictum instantem præparârunt. Ejusmodi cinerum in capitibus impositio, usitatissimâ phrasi divinæ Scripturæ atque sanctorum Patrum, pœnitentiæ exercitium designat. Franciscus, adinstar alterius Judæ Machabæi, animaturus omnes pugnatores divini exercitûs, ad viriliter decertandum contra mundum atque Diabolum, cœpit divino instinctu, tam exemplo quàm verbo, pœnitentiam prædicare. Innotescente itaque apud multos Viri Dei tam doctrinæ simplicis veritate quàm vitæ, cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari; & eidem rejectis omnibus habitu vitâque conjungi. Et hi, sanctâ Viri Dei imitatione *cinerem imposuerunt capiti suo*, cinericei coloris caputium ex ipsius præscripto capitibus suis imponentes, in humilis pœnitentiæ protestationem, & ut quotiescumque illud capiti superinducerent, moverentur excitare contritionis motus, consimiles illis, qui à veteribus, cùm cinerem imponerent capitibus, exercebantur. Mos habet in Belgio nostro, ut proximi defunctorum consanguinei, feretrum cadaveris subsequentes, caput habeant in caputiis quibusdam profundatum, in signum doloris, luctusque super defuncto. Frequenter hominum animæ spiritualiter moriuntur, juxta pronuntiatam à Domino sententiam: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* (Ezech. 18. vers. 20.) Super hoc lamentabili interitu animarum, invitamur ad fletum & planctum, calvitium & cingulum sacci. Præconem hujus luctus pœnitentiæ instituendæ, agit Dei servus Franciscus, proclamans verbis Jeremiæ: *Filia populi* (Jerem. 6. vers. 26.) *mei, accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Et Franciscanis suis, hujus consilii sectatoribus, habitum præscribit pœnitentiæ congruentem, & *cum caputio*, ut ad luctus ostensionem caput teneant in caputio occultatum.

Altera caputii utilitas est, quòd sit nobis quasi galea sub qua cum resignatione intrepida transeamus per irrisiones quaslibet & ludi- (Vita cap. 6. num. 1.) bria mundanorum. Humilitatis forma Franciscus, studebat tamquam Christi discipulus in oculis suis & aliorum vilescere. Stultum judicabat mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis & de laudibus tristabatur. Malebat siquidem de se vituperium audire, quàm laudem: sciens quòd illud ad emendandum induceret; hæc impelleret ad cadendum. Et ideo sæpè cùm populi merita in eo sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui Fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cùmque Frater ille, licèt invitus, eum rusticum & mercenarium, imperitum & inutilem diceret, exhilaratus tam mente quàm facie respondebat: *Benedicat tibi Dominus, fili charissime, quia tu verissima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire.* Idem erat ad despectiones sui suscipiendas animus discipulo ipsius B. Junipero. Incredibilia penè videntur, quæ fecit (Annal. an. 1210. num. 35.) & dixit ad imam sui dejectionem: nec alius quisquam tam honoris avidus, quàm hic vituperii. Proinde cùm ab aliquo afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandens, dicebat ei: *Amice, projicias huc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis: imple, ne timeas.* Injurias & opprobria lapides appellans pretiosos. Illius patientiæ, humilitati & simplicitati adeò afficiebatur Franciscus, ut die quodam adstantibus Fratribus ipso per digitum demonstrato, diceret: *Utinam, Fratres, de hujusmodi Juniperis integram sylvam haberemus.*

Tertiò, Caputium nostrum est monitorium, quòd portemus jugum Christi suave, & onus ejus leve, quoad obedientiam præstandam Superioribus. Hinc Pater noster Seraphicus, inobedientiam, pessimam superbiæ prolem, punivit aliquando ablatione caputii. Accidit semel, ut ipsi præsentaretur quidam Frater, qui contra legem obedientiæ aliquid (Vita ejus cap. 6 num.) fecerat, disciplinâ justitiæ corrigendus. Videns autem Vir Dei Fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei, amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentivum esset aliis delinquendi, jussit ablatum Fratri caputium in medio flammarum projici; ut omnes adverterent, quantâ qualique vindictâ offensa sit inobedientiæ percellenda. Cùmque per moram caputium fuisset in medio ignis: præcepit illud flammis detrahi, reddique

Fratri humiliter pœnitenti. Simili judicio percellebat quandoque defectum promptitudinis in obedientia Fratris Ruffini. Mandaverat huic, ut iret ad civitatem Assisii prædicaturus hoc quod ipsi Dominus desuper inspirasset. Excusabat se magna cum humilitate Ruffinus, dicens: excusa me Pater, si placet, quia non aptus sum ad prædicandum, nescio enim loqui, quia simplex sum & idiota. Quamvis enim disertus Nobilis fuisset in sæculo, taliter tamen fuerat mutatus in semetipso propter gratiam contemplandi, quam à Deo receperat, ut sæpius extra se raperetur, & rarissimè proferret sermonem, & tunc etiam cum tanta id faciebat difficultate, ut non absque gravi molestia loqui videretur. Verùm Sanctus reprehendens ipsum, quòd non fuisset illicò mandato obsecutus, pœnitentiam injunxit, ut eò pergeret absque caputio. Mox Ruffinus extracto sibi caputio, projiciens se in terram, benedictionem petiit, quâ absque ulteriori contradictione Assisium pergeret, ad implendum obedientiæ sanctæ mandatum. Interim verò quòd Ruffinus illo prædicationis operi detinebatur, considerans Vir sanctus promptam Ruffini obedientiam, cœpit reprehendere semetipsum, discurrens in hunc modum: Quid tibi in mentem venit Fili Petri Bernardonis, tibi tantillo, quòd præceperis Ruffino, uni de Nobilioribus Assisii, ut vadat absque caputio prædicatum? Faciam te sumere exemplum super temetipso de his quæ præcipis alteri; & loquens in hunc modum sibi ipsi, extraxit sibi caputium de capite, perrexitque Assisium; habens Fratrem Leonem pro socio. Cùmque ad Ecclesiam pervenisset, in qua Ruffinus populo prædicabat, atque ab eo conspectus fuisset, illicò Ruffinus è suggestu descendit, sancto Patri obviam processurus, locumque prædicationis oblaturus. Accepravit Vir Dei, populumque efficacissimâ concione ad fletum compunctionis commovit: finitâ prædicatione Frater Leo qui utriusque attulerat caputium, suum cuique restituit, & ad monasterium reversi sunt, cognitâ per misericordiam Dei virtute obedientiæ, & obtentâ per gratiam Dei sui-ipsius victoriâ.

Chron. parte 1. cap. 41.

Quartò, Servit Religiosorum caputium in velamen oculorum. Lateralibus obstaculis cohibenda est oculorum concupiscentia, ne ad illicita divagetur. Nullus est sensus qui tam animæ noceat, quàm qui præ cæteris corpori placet: nullus adeò traditor est animæ, quàm qui alienæ judex est formæ. *Oculus meus*, inquid Jeremias, *depradatus est animam meam.* Ab anima habet oculus vitam, ab oculo habet anima mortem. Quot habet corpus sensus, tot habet & anima hostes; sed nullum tam sentit crudelem, quàm quem habet magis delicatum. Holofernes, superbus ille Dei contumeliator, ciborum ingurgitator immodicus, & vini potator anhelus, gustu peccabat & lingua; blasphæmiarum æquè proferebat & audiebat insanias, nec ullus erat in eo sensus non laxatus ad offensam; tamen non dicit Sacra Scriptura, quod in lingua, vel in gustu, vel in tactu, vel in auribus, sed *in oculis suis captus est Holofernes.* Bene visûs periculum perspectum habuit sanctus Job, patientiæ magister, cùm sagaciter pactum iniit cum oculis; ne periret per oculos. *Pepigi* inquit, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ad non cogitandum de virgine, quod vitium est animæ, prævenit visum, qui officium est oculi, & veluti insidianti morti, corporis fenestras clausit in oculis, quos raptores quosdam ad culpam reputavit. Hinc Seraphicus noster Patriarcha curam gerens permaximam de utriusque hominis puritare servandâ, mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, sollicitè evitari jubebat; asserens per hujusmodi debilem frangi, & fortem sæpè spiritum infirmari. Ipse verò adeò averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quòd (sicut aliquando socio dixit) quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possent aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. F. Rogerius de Provincia Provinciæ, tam solerter mulierum fugiebat aspectus, ut neque matrem quantumvis vetulam, auderet in faciem respicere. Admiratus de his Confessarius, qui puritatis ejus & castæ mentis erat conscius, interrogavit eum: ut quid ita inurbanè sese gereret, ut nec in matrem, nec in heroinam nobilem, quæ sæpiùs eum venit allocutura, oculos erigeret; præsertim cùm per Dei gratiam à malis cogitationibus, & concupiscendis quas videret, alienus videretur? Cui respondit: quamdiu facit homo quod in se est occasiones peccandi & pericula fugiendo, Deus facit quod suum est, eum à malis præservando. Quòd si homo se periculo temerè exponit, præsertim in tali materia, ad quam ex vitio depravatæ naturæ est valde propensus, justè committitur cum Dominus propriis viribus, in quibus confidit, per quas non poterit tentationibus omnibus resistere, sed facilè succumbet.

Thren. 3. vers. 51.

Judith. 10 vers. 17.

Job 31. vers. 1.

Vita c. 5. num. 4.

Annal. Tom. 2. an. 1287. num. 9.

TEX-

TEXTUS §. XXXII.

Et aliam ſinè caputio, qui voluerint habere.

SUMMARIUM.

In corporalibus oneribus ſervanda ſemper diſcretio. Augmentum charitatis eſt, dum fortiores ſupportant infirmiores. Optimum eſt aſſueſacere ſe ad frigoris tolerantiam. Exempla ſanctorum ad hoc. Item aliorum, qui hoc modo ardorem extinxerunt concupiſcentiæ. Ignis Orationis, optimum calefactorium.

PLena diſcretionis & benignitatis eſt illa Apoſtoli ad Romanos ſcripta conſtitutio : Rom. 15. verſ. 2. *Unuſquiſque veſtrùm proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.* Conſurgit ædificatio, dum non ſolùm fortes & duri lapides coacervantur, ſed ordinatâ diſcretione mollius quoque inter ſe admittunt cæmentum, quod tractu temporis unà cum lapidibus induratur, eoſque facit firmiſſimo inter ſe nexu colligari. Sic, inquit Doctor gentium, *debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere; & non nobis placere.* Quod non agunt, qui ſibi placent in viribus ſuis, & factis athleticis, juxta vires ſuas giganteas; ſed proximis non placent *ad ædificationem*, dum ſuas vires & duritiem in ferendis laboribus, cum aliorum conferentes imbecillitate, eoſdem elato ſupercilio aſpernantur. Vel dum onera imbecillibus infirmorum humeris imponenda, volunt eſſe metienda ſecundùm vires proprias firmiores. Iſte non eſt modus ædificandæ beatæ urbis Jeruſalem, quæ conſtituitur in cœlis, vivis ex lapidibus. Mollis quoque diſcretionis cæmentum adhibendum eſt, juxta quod Conſtit. 31. S. Baſilius Religioſis ſuis præſcripſit: *Ne majoribus mandatis quàm pro corporis viribus conſtitutis, infirmum ad contradictionem irritet: ſed velut pater omnibus benevolus ac legitimus, uniuſcujuſque corporis vires inſpiciat, & ſic mandata imponat atque diſtribuat.* Hoc egregiè præſtitit Minorum Patriarcha Franciſcus. Licèt enim pro viribus ad auſteram vitam induceret: non tamen ei placebat diſtrictionis ſeveritas, quæ pietatis non induit viſcera, nec eſt diſcretionis ſale condita. Hinc cùm ſciret, in hanc Fraternitatem admittendos eſſe etiam teneriores, qui præclaris animi dotibus, & ſanctâ pollerent charitate; eorum rationem habere volens, legem diſcretionis ſtatuit, ut præter unam tunicam, habeant *& aliam ſinè caputio, qui voluerint habere.* Sic ſuſtinet imbecillitates infirmorum, & proximo unicuique placet in bonum ad ædifiationem, faciens duros & fortes lapides, molliuſque cæmentum charitativo convictu in unum cohærere, & cæmentum illud molle paulatim ad auſteritates ſimiles indurari. Nemini dubium eſt, æquè aut magis placere Deo humilem & mitem propriæ infirmitatis agnitionem, conſtantem propriarum paſſionum mortificationem, jugem in cœleſtibus converſationem, fortem in obedientiis atque injuriis reſignationem, quàm aſininam frigoris tolerantiam, quæ ſæpenumerò concomitantem habet crudelem & inconſideratam in alios Fratres aſperitatem, & arrogantem eorum quaſi ignavorum contemptum. Tunc omnes placemus proximo in bonum, & placemus Deo, dum in Communitate aliqua ceroitur, quod monet Apoſtolus: *Idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos, in honorem Dei.* Rom. 15. verſ. 5. Hoc ſervamus dum infirmioribus placet labor & auſteritas fortiorum, carniſque propriæ odium: fortioribus autem placet humilitas & devotio infirmiorum. Quibus animus non eſt ad frigus intenſius tolerandum, præſertim ſi per hoc ab orationis attentione divinique officii perſeverantiâ ſe ſentiant avocari, hoc beneficio Regulæ confidenter utantur. Majus bonum, per minus non eſt interrumpendum. Non malè obſervavit F. Joannes Hortulanus tria non mediocriter obeſſe cultoribus orationis: Societatem hominum, corporis ſcabiem, & frigus exceſſivum. Cujus tolerantia ſancta quidem eſt, ſi propter Chriſtum nudum & frigore rigentem ſuſtineatur; ſed ſanctior eſt mentis cum Deo in ardore orationis exercitatio.

Quia tamen corporales aſperitates callum obducunt aſſiduitate, ita ut quodammodo inſenſibile reddant corpus, neque ſpiritum ampliùs impediant, conſultum eſt ſemetipſum ad frigus indurare, nec facilè cedere communi illi moleſtiæ. Sanè frigidulos Religioſos, juvenes præſertim, naturæ adhoc calentis, confundit diuturna nautarum & militum in ſtationibus ſuis tempore brumali perſeverantia, plurimorumque mendicorum nuditas. Præclarè eluxit S. Patris noſtri, & aliquot

insignio-

insigniorum ejus Sectatorum, in hoc rigore tolerando magnanimitas. Angelus, carnalis *Apparatu ad Annal. §. 1. n. 10.* Frater B. Francisci, vidit eum aliquando in Ecclesia orantem, paupere eremiticâ veste contectum, & præ nimio algore trementem. Ille sicut solitus erat juvenili amentiâ ad omnia Fratris sui facta, mundanis peregrina & inusitata, ridere & cachinnari, suggessit irrisoriè socio, ut Franciscum accederet, rogaretque, ut aliquantulum sudoris sibi vendere vellet. Ridiculo internuntio Vir sanctus respondit: se nolle hominibus suum vendere *Chron. p. 3. lib. 7. cap. 41.* sudorem, *cariùs*, inquit, *illum Domino vendam*. F. Nicolaus Volscus dum ob intensum frigus altera tunica necessaria videretur, nudum se constituebat ad orationem in cella, ita ut aliquando præ frigore stridere dentibus audiretur. Tunc seipsum per aliquot horas redarguebat in hunc modum; *Quid? optasne plures habere vestes? Multum est, si tibi hunc restituam habitum.* Sicque gaudebat corpus, si modò unico habitu denuò refoveretur; & à pluribus concupiscendis dissuescebat. Simile de B. Petro de Alcantara refert Marinæus de Recoll. lib. 4. cap. 4. Fuit in Provincia S. Joseph in Flandria decrepitus senex F. Joannes Fabri, qui triginta annis ante mortem, numquam ignem accessit nec admisit, licèt interdum ad tres vel quatuor horas in summo frigore sedisset in Ecclesia, excipiendis confessionibus occupatus. Cujus cerebrum post viginti & ampliùs annos fortuitò (dum in eodem loco sepultura pro altero foderetur) inventum est integrum & candidissimum. Extaricus ille F. Nicolaus Factor, *Chron. p. 4. l. 8. c. 6.* in hoc etiam mirabilis, sicut in omnibus operibus suis, in lacum frigidissimum ingressus, ibidem tribus horis stetit, tanto divini amoris igne accensus, ut in ipsas aquas transiret fervor, eoque incalescerent. Si hos rigores aliquà usque studuerimus imitari, percipiemus quandoque dignam *1. Cor. 15. vers. 58.* istâ castigatione mercedem, *scientes quòd labor noster non est inanis in Domino.*

Ad hoc quoque proderit, ut ferreti ignes concupiscentiæ, & petulantis carnis pruritus, utcumque extinguantur, absque magno vanæ gloriæ aut adulationis periculo. Qui adhibeot jejunia, disciplinas, aliaque inusitata, gloriam sibi conciliant apud aspicientes; sed hæc austeritas tolerandi frigus non ita gloriosa videtur, quia inevitabilis est, atque *Vita cap. 5. num. 3.* vulgaris. Vehementer quandoque servus Altissimi Franciscus per frigus repressit ardorem concupiscentiæ. Dæmonis insufflatione, *cujus* *Job. 41. vers. 12.* *halitus prunas ardere facit*, gravis ipsum carnis tentatio apprehenderat. Quam ut præsensit castitatis amator, mirando fervore spiritûs animatus, apertâ cellâ foras exivit in hortum: & in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas: quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc major uxor tua est; quatuor istæ duo filii & duæ filiæ; reliquæ duæ servus & ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si verò eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino sollicitè servi. Illicò tentator victus abscessit, & Vir sanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum bene pœnaliter alsit foris, ardorem interiùs sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliud minimè sentiret. Eandem artem luctandi contra carnem *Chron. p. 3. lib. 1. cap. 37* propriam, utiliter exercuit F. Archangelus à Campo-basso, qui aliquando in foveam nive & glacie plenam se injecit, atque volutavit, quoad usque impuræ extinguerentur cogitationes. Incomparabiliter tolerabilius est viro spirituali magnum sustinere frigus in carne, quàm ardorem carnis vel modicum sentire in mente. Ideo isti eximii Sancti sic domesticum hostem frigore excessivo subigebant, ut candidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præservarent.

Hæc tamen in excessu fervoris sunt actitata, qui non cuilibet contingit. Nec consulendum vulgaribus Servis Dei extraordinariis rigoribus propriam intempestivè destruere naturam. Solùm ad confortandam in frigore patientiam, memoriæ commendandum consilium B. Petri Pectinarii Tertiarii, quod quidam Fratri algenti & ex choro redeunti, sug- *Annal. Tom. 2. an. 1289. num. 31.* gessit: *Compatior*, inquiebat, *tuæ vehementi passioni, charissime Frater. Oro tamen, ut reminiscaris Christi in cruce pendentis, algentis, sitientis, tot tormenta indignè ferentis. Et spondeo, te nullam frigoris passurum molestiam.* Dum hæc calida verba igniti hominis Frater audivit, toto ita incaluit corpore, ut exclamare oportuerit, & dicere: Dimitte me, quæso, neque intensiores mihi inferas ignes, adeo namque jam ardeo, ut omninò liquefiam, nec majorem possim sufferre calorem. Hoc orationis & meditationis ardentis calefactorio confortatus F. Matthæus Sanctorcazius *Annal. Tom. 4. an. 1376. num. 10.* Laicus noctes plurimas sub dio ducebat insomnes in oratione Dei, nive aliquando in muri modum undique circumdatus & tectus, intactus & illæsus, intra nivium ambitum, veluti in sacello, deprecabatur. Mirum non est, quòd alterâ tunicâ non indigerent; induti quippe erant Jesum Christum, cor eorum velut fornax erat accensa flammis Spiritûs Sancti. Qui ergo teneriores (ne dicam impatientiores) sunt in frigore tolerando, recordentur subindè illius responsi, quod dedit Sanctus Pater noster interrogantibus, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hyemalis algoris asperitate tueri: *Si superna patriæ flammâ, per* *Vita cap. 5. num. 2.* *desiderium contingeremur interiùs, frigus istud exterius facilè portaremus.*

TEX-

TEXTUS & §. *XXXIII.*

Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta.

SUMMARIUM.

Nuditate pedum monemur sanctitatis Religionis quam professi sumus. Imitamur Christum & Apostolos. Formam pœnitentium & prædicatorum pœnitentiæ præferimus. Item sensualitatem affligimus. Constantia aliquorum in hujus rigoris observantia. Discretè permissa sandalia. Reprehenduntur indiscreti contemptores licentiæ datæ per Regulam.

CUm Moyses pasceret oves Jethro soceri sui, & minasset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Dominus, in flamma ignis, de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. [Exod. 3. vers. 5.] Cernens autem Dominus accedentem Moysen ad videndum visionem illam magnam, dixit ei: Ne appropies huc: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Degentibus nobis in deserto sæculi, apparuit per Dei & Salvatoris nostri gratiam Franciscus, tamquam rubus asperitatibus pœnitentiæ spinosus, & ardens Seraphicæ charitatis incendio, ut totus, quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flammâ videretur absorptus. Et Dominus esat *in flamma ignis*, in rubi istius medio: nam, teste D. Bonaventura, [Vita c. 9. num. 2.] *Christus Jesus crucifixus intra sua mentis ubera, ut Myrrhæ fasciculus jugiter morabatur*: & quidem in flamma ignis; nam *in ipsum opeabat per excessivi amoris incendium totaliter transformari.* Resolvimus ergo cum sancta generositate: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Accedere volumus ad Franciscum Ordinemque ipsius amplecti, per ipsum audituri quid loquetetur in nobis Dominus Deus. Sed mox intimatur nobis præceptum: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Si volumus vitam istam Franciscanam & Regulam observare, discalceatos nos esse oportet. Quâ vero de causâ? Quo fine? *Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Profectò si licuit R^no. P. Francisco Angelorum sive Quinnonio Generali totius Ordinis nostri Ministro (id referente R^no. P. Francisco Gonzaga) de uno solo Provinciæ Brabantiæ Conventu dicere: *Ipsi lapides Conventûs Lovaniensis sancti sunt*, sanctificati utique sanctâ Religiosorum inibi habitantium conversatione; quid ni mihi dicere liceat de toto Seraphico Ordine, quoniam ipse *terra sancta est*? Terra est tam multis Dei mirabilibus, tam eximiâ Fundatoris sanctitate, tam præclarâ ipsius Sectatorum conversatione, jam abhinc quatuor sæculis multipliciter sanctificata. Itaque *solve calceamentum de pedibus tuis*, ut jugiter memineris, quoniam *locus in quo stas, terra sancta est.* Terribilis est Dei per Prophetam comminatio: [Isa. 26. vers. 10.] *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Verè Seraphica Francisci Religio *terra sanctorum* est, quæ Dei Ecclesiæ, cœlestique paradiso tot Sanctos progerminavit. Ne in hac sanctorum terra geramus iniqua, & excludamur à gloriæ Domini visione, Seraphicus noster Patriarcha solvit calceamentum de pedibus nostris, ut quotiescumque conspexeris, O Franciscane, pedes tuos discalceatos, recorderis, quoniam *locus in quo stas*, Minorum Ordo, in quo statum elegisti, *terra sancta est*, & vivas conformiter sanctitati ad eum statum requisitæ.

Aliæ rationes assignari possunt, cur Francisco placuerit ista pedum nuditas.

Primò, Perfectior Christi ejusque Apostolorum imitatio. [Tom. 7. parte 4.] Dilucidè & latè probat S. Bonaventura in Opusculo de Sandaliis Apostolorum, quòd post traditam apostolicam Regulam, quæ Matthæi 10. describitur, Christus ejusque discipuli incesserint sinè calceamentis. De Christo sic argumentatur S. Hieronymus: [Loco ibi citato.] *Christus non habuit, quod non habendum docuit, qui primò cœpit facere & docere; docuit autem non deferre calceamenta.* Apostolos hoc observasse, satis insinuat ipse Dominus; dicens eis instante suâ passione: [Luc. 22. vers. 35.] *Quando misi vos sinè sacculo, sinè pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?*

Secundò, Iste est modus incedendi pauperrimorum & contemptorum, quos ad amussim æmulari, Francisco propositum erat. Insuper quia hoc efficaciter deprimit tumentes spiritus, & statûs humilioris commonefacit, propriæque vilitatis. [Berchor. Reduct. Moral. l. 7. cap. 60 n. 7.] Ferunt quòd Pavo videns plumarum suarum pulchritudinem superbit, & caudam erigit, & facit rotam: sed quia pedes habet deformes & rugosos atque pallidos, videns eos, subitò rotam dimittit ac dejicit. Mundus inter cæteras vestimentorum vanitates, etiam in tibialibus, ocreis, calcaribus & calceamentis, curiosas adinvenit formas, quibus se prodit superbia: humilitas ex adverso, menti per se illabitur ex aspectu nuditatis pedum, & nescio quâ secretâ virtute

detumescere facit antè inflatum pectus. Hoc
Annal. Tom. 5. an. 1441. num. 1. probè intelligens S. Bernardinus quondam spiritualis magister Beati Alberti Sartiani, occurrit ei cum Clero & Populo Cottoniensi, dum pro munere Nuntii Apostolici cum Legato Jacobitarum aliisque Græcis equo benè instructo insideret, hominesque acccurrerent, ut vel fimbriam tangerent vestimenti. Quare Sanctus senex timens discipulo suo de inani gloria, voce magnâ clamavit: *Frater Alberte, respice ad pedes, memento mortis, cave ne honores tanti plus æquo animum extollant.* Arbitratus est Vir sapientissimus, sufficere ad retundendam irruentem vanam gloriam, respici pedes nudos, tamquam pauperis hominis & abjecti, cui non conveniant honores & applausus populares.

2. Reg. 15. vers. 30. Tertiò, Docuit S. David hanc esse pœnitentium formam: *Ascendebat Clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, operto capite*, tamquam verecundus de præteritis delictis. Quis autem ignorat Ordinem Minorum statum esse pœnitentium atque lugentium? De Seraphico Patre suo dicit Bonaventura,
Prolego ad Vitam. quòd officium habuerit vocandi ad fletum & planctum, calvitium & cingulum sacci, signandi *Thau super frontes virorum gementium & dolentium*, signo pœnitentialis crucis, & habitus cruci conformis, & pedum nuditate in similitudinem crucifixi.

Quartò, Discalceatum incedere non solùm pœnitentium atque lugentium proprium est; verùm & magis prædicatorum pœnitentiæ.
Isaiæ 20. vers. 2. *Vade*, inquiebat Dominus ad Isaiam, *& solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus*, & in ea miserabili forma judicia Dei populo prædicavit. Scimus Dei æterni mentem esse in hujus Ordinis institutione, & Summi Pontificis Innocentii III. mandatum in prima ejus confirmatione, de prædicanda per universum mundum pœnitentiâ. Quid autem magis decens, imò necessarium, quàm ut prædicator exemplo monstret, quod verbo nititur persuadere? Multus est S. Gregorius in hoc inculcando. Explicans illud
Moral. 31. cap. 11. Job 39. vers. 19. *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?* Hæc sparsim dicit: *Huic equo* (sive Prædicatori) *Dominus fortitudinem & hinnitum se dare testatur, quia in prædicatore ejus, nisi vita & sermo conveniant, nequaquam virtus perfectionis apparebit. Non enim multum prodest, si sublimis vita operatione suffultus sit, si tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare quod sentit. Vel quid prodest alios bene loquendo accendere, si semetipsum indicat malè vivendo torpuisse? Quo alios ad bene vivendum suscitat, eo ad bene agendum & opera prædicantis ligat, ne extra sermonem actio transeat, ne voci vita contradicat.* Et specialiùs nobis, qui exteriùs habitum deferimus Pœnitentiæ, loquens idem S. Doctor prosequitur: *Quia signa virtutum gestant, majora semper exerceant: & debilitatis crimen incurrere metuant, dum in semetipsis jam fortitudinis est præmium quod ostentant*; Sanctitas scilicet vestimenti pauperis, quam omnes habent in veneratione.

Quintò, Potior ratio hujus nuditatis, eaque notissima fuit studium affligendæ sensualitatis. Quàm molesta sit, experimur satis, dum hyems acrior est, pergendumque per salebrosa loca, per lutum, per nives & glaciem. Solatio nobis sint dolores pedum Domini nostri Jesu Christi, cruci affixorum & sanguine manantium. Suavissimum Francisco fuit in manibus pedibusque clavatis circumferre dolores Domini sui, eique sociari in cruce ista gloriosa, quibus æterna gloria, Dei electis parabatur. Simili modo & vos, Fratres dilectissimi, in hac asperitate *communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* 1. Petri 4. vers. 13. Simus tepidioribus Christianis in vivam passionis Christi imaginem, eosque ad filialem ejusdem passionis & tolerantiæ provocemus æmulationem. Medici, quibus humani corporis teneritudo perspecta est, & quàm facilè morbi gravissimi à male custoditis pedibus oriantur, pro miraculo continuo habent, quòd in ea nuditate sani & vegeti conservemur. Quòd si Deus eâdem providentiâ & benevolentiâ nos in suo conservat servitio, quâ olim Martyres præservavit ab ignibus, aquis, feris, aliisque suppliciis, ne per ea statim consumerentur, sed ut diutiùs suam in Dominum restarentur charitatem; eandem patientiæ constantiam decet nos tenere propter Christum usque ad mortem, confidentes quòd robur dabit corpori, & gratiam animæ, quâ possimus sustinere.

Nobiles isti asceræ, qui nos in hac præcesserunt tolerantia, ex carne humana compacti erant, & communem nobiscum aërem acceperunt, & in similiter factam deciderunt terram, æstibus frigoribusque obnoxiam. Ante Francisci tempora exemplum habemus à magno illo candidi Ordinis Præmonstratensis Patriarcha S. Norberto. Hic in oppido Diœcesis Leodiensis, quod Huum appellatur, suis Surius ad 6. Junii num. 9. omnibus erogatis, abjectis calceamentis, incedet pauperes nudis incessit pedibus, in media horrendæ hyemis asperitate, ita ut nives aliquando usque ad genua, aliquando usque ad femora pertingerent. E nostris paucos de Annal. an. 1230. num. 11. quàm plurimis referamus. F. Joannes Parens, qui factus Minister Generalis, in subditos lenissimus, in seipsum asperior erat, totum Ordinem pedes visitavit. Admirabilis iste F. An- Chron. parte 1. lib. 5. c. 32. tonius de Stroncouio, cùm nec sandalia, nec sotulas deferret, aliquando pedes ita innosos habebat ac laceros, ut per sutorem pellis irerum conjungi deberent. Bernardinus Feltren- Ibid. lib. 7. cap. 24. sis quamvis miserabiliter herniosus, nudis tamen semper pedibus, concionum gratiâ per totam discurrit Italiam. F. Alphonsus de Scalona ambulans nudis plantis in nivibus ac glacie, Chron. p. 1. lib. 8. cap. 68. ita videntes rapiebat in admirationem, ut crederent Deum mundo parcere ob viri sanctitatem. F. Joannes de Guadalupe, & F. Petrus Melgari, hanc sibi legem indixerunt, ut nihil umquam deferrent ad pedum sublevamen: quorum & aliorum sanctorum Patrum exemplo, benedicta illa Discalceatorum reformatio coaluit; quæ adhuc in suo fervore, cum ædificatione Hispaniæ, atque totius Ordinis, perseverat. Quo in opere præcipuam sibi Ibid. l. c. 61.
laudem

laudem acquisivit F. Angelus Vallisoletanus, in laboribus indefessus, qui novies & decies ab Hispania Romam iter confecit, nudis semper pedibus; ita ut propter frigoris intemperiem, quater ei pedum ungues deciderint. His adjungamus ardentissimum vitæ apostolicæ instauratorem S. Ignatium præclaræ Societatis Jesu Fundatorem. Hanc inter primas Spiritûs Sancti motiones secutus est, ut calceamenta abjiceret: cùmque ob contractas infirmitates persuasus fuisset de hac aliisque austeritatibus paululum remittere; perfectâ tamen Hierosolymitanâ peregrinatione, in Hispaniam reversus, rigorem resumpsit, rescissis inferioribus soleis, & retentâ tantummodo, ex discreto consilio, superiori parte calceorum.

Surius ad 31. Julii n. 2. & 6.

Quid verò commemoro singulares personas, quasi hoc sit solorum Sanctorum privilegium? Rem probant possibilem integræ Congregationes, per orbem diffusæ, Recollectorum, Clamontanorum, Reformatorum ultra montes, & Capucinorum. B. Angelus de Paz dum adhuc latiorem teneret viam, & occasione lutosissimæ viæ sua solvisset calceamenta, expertus facilitatem adimplendi hujus præcepti Regulæ, propositum concepit & firmavit, numquam deinceps eis utendi. Urgebant consodales quibus cohabitabat, hoc vertendum vitio singularitatis. Objectionem acuto retudit argumento: Sicut, inquit, contra charitatem fraternam esset, cogere impotentes ad sequelam communitatis, ne singulares videantur; ita contra charitatem & justitiam est, cogere robustos ad non observandum obligatoria Regulæ, quia communitas illa non servat: præsertim cum ex observantia illa resultat Dei gloria & proximi ædificatio: quæ cùm in hoc facto eveniant, nullus mortalium me ad pristinam reducet prævaricationem. Confirmet insuper animos nostros constans usus teneriorum puellarum, quæ nec sandalia admittunt in quibusdam Conventibus de prima Regula S. Claræ, etiam in summa hyemis asperitate, & Belgicâ regione, ubi frigora prolixiora & acriora vigent: inter quas tamen aliquæ ad summam attingunt senectutem.

Chron. p. 4. lib. 10. cap. 34.

Fatendum nihilominus, non solùm ab animi magnitudine hanc pendere tolerantiam, verùm & à corporis robore, quod certum est non semper animi magnitudini corresponderе. Cùm autem neque Dei neque Francisci mens sit, eas nobis conciliare infirmitates, quæ à majoribus, utilioribus ac necessariis officiis in Dei servitio impedirent, plantæ pedum sandaliis armari permittuntur. Illi quibus nec sandalia aut calepodia sufficerent, sed majori *necessitate coguntur, possunt portare calceamenta.* Talis necessitas provenire potest ex dolorum vel ægritudinum molestiis. Vel quandoque tanta est nivium excrescentia, ut nonnisi cum certo valetudinis periculo pervadi possit, & necessariò alioquin domi manendum foret, utilioribus aut necessariis negotiis prætermissis. Propter hæc & similia potest ad breve tempus intermitti corporalis illa exercitatio.

Illi verò indiscreti, qui in summa auræ injuria pertinaciter servare volunt, quod in Regula præceptum non est, omniumque judicio censetur intolerabile; credant se nec Deo nec Francisco, sed sibi solis placere; qui ut generosi & austeri videantur, & in admiratione sint aspicientium, destruunt semetipsos, hospitibus amicis ad quos divertunt onerosi fiunt, reversi domum medicamentis uti, & otio diu vacare coguntur, facti ad munia sua inepti; gloriantur que tamquam de egregio facinore, & zelo suæ Regulæ, quam tamen & ejus discretionem contemnunt, & blasphæmant velut mollem nimis relaxationem. Non ignoratur à Deo intentio eorum, & fundus corruptus; quin & à prudentioribus Fratribus deprehenditur & contemnitur; præsertim dum vident non correspondendere tantæ austeritati reliquarum virtutum culmen, sed eos in aliis non ita apparentibus mortificationibus delicatulos, ad unum contemptibile verbum, aut displicens mandatum, inobedientes vel impatientes, plumbeosque aut nullos ad opera charitatis. Similes sunt stulto isti Diogeni Cynico, in summo frigore statuam æneam amplexanti, ut patiens videretur. Quem alius meritò irridebat, quòd hoc absque suo vel alterius commodo pateretur. Opto ne judicium habeant cum Pharisæis, qui *exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes*, ne exterminent pedes suos, quo hominibus austeri robustique videantur. *Hypocritæ*, inquit S. Antonius Paduanus, *qui modo decoquunt, id est, affligunt carnes suas in coquina simulatæ sanctitatis, à Domino projicientur in latrinam æternı fœtoris.* An hoc verbum sit contra ipsos dictum, interrogent sinceritatem suarum intimatum intentionum.

In notis super Apoc. ad cap. 6.

TEXTUS & §. XXXIV.

Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur.

SUMMARIUM.

Cur nobis indicta vestimentorum vilitas. F. Helias super hujus præcepti transgressione per S. Patrem reprehensus. Quàm constanter Cardinales & Episcopi aliqui ex nostris hanc vilitatem retinuerint. Cinereus noster color monet nos humilitatis, necessitatis moriendi, & continuò exercendæ pœnitentiæ. Item nos esse de sorte Christi qui putatus fuit quasi leprosus; cinereus autem est habitus leprosorum.

GAbaonitæ priusquam per Josuë decernerentur esse in ministerio cuncti populi & altaris Domini in loco quem Dominus
Josue 9. vers. 4. elegisset, venerunt ad ipsum *saccos veteres asinis imponentes*, & cum alio vili miserabilique apparatu; ac per hunc obtinuerunt, ut mortis loco (quæ alioquin ipsis fuerat inferenda) prædicto famulitio perpetuo adstringe-
Vita cap. 5. num. 5. rentur. Vir Dei Franciscus corpus suum Fratrem Asinum appellabat, tamquam laboriosis oneribus supponendum, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Asinus etiam non splendidis aut pretiosis cooperitur, sed vilibus insternitur tegumentis: Sic voluit Filios suos minores, qui futuri essent in ministerio salutis populi Christiani, & altaris Domini, corpora sua viliter, more asinorum tractare: *saccos veteres asinis imponentes*, vilibus cooperientes tegumentis. *Et Fratres emnes*, inquit, *vestimentis vilibus induantur.*

Annal. an. 1220. num. 20. Oranti Francisco in loco S. Mariæ de Angelis, oculis ejus corporalibus, & coram ipso apparuit quædam statua, quæ habebat caput aureum, & faciem pulcherrimam: pectus & brachia de argento, ventrem & femora de ære, tibias autem de ferro, pedes verò ex parte ferreos & ex parte fictiles; & erat induta Sacco, ex quo humano rubore perfusa multùm erubescere videbatur. Quæ statua cùm dixisset ei, se missam à Deo, ut in ipsa disceret, quæ circa Ordinem Franciscanum ventura erant & futura; Inter alia addebat: Saccus quo sum induta, de quo erubescere videor, est sancta Paupertas; quæ cùm sit totius Ordinis decor & custodia singularis, & corona & fundamentum omnimodæ sanctitatis, deficientibus tamen omnibus studiis virtuosis (quod futurum aliquando prædixerat) de ipsa scilicet paupertate sanctissimâ, filii degeneres erubescent, & abjectis vilibus indumentis, eligent pretiosa, & cappas varias anxiè & simoniacè procurabunt.

Ibid paulò superius. Hoc jam antè experimento aliquo compererat in Fratre Elia, suo Vicario Generali. Hic etenim cotam ipso apparere est ausus in habitu cultiori & pretiosiori longiorisque caputii, ampliorum manicarum, dilatatis etiam fimbriis, quàm pauperis & humilis professionis monachus potuerit induere, absque manifesta arctioris status dissonantia. Quem ut vidit Vir sanctus animi indignationem parumper dissimulans, petiit coram circumstantibus, ut habitum illum sibi vellet accommodare. Quod cùm negare non posset, in angulum se retrahens, exutum sancto Viro apportavit. Ille verò suo habitui superindutum, accommodavit, plicuit, aptavit, subrugavit ad cingulum, caputium fastuoso modo obduxit capiti: deinde erectâ cervice, extento collo, inflato pectore, fastuosâ gravitate, cœpit tumenti gressu incedere, & cum vocis boatu, Fratres ad talem prosopopæiam obstupentes, ita salutare: *Bona gentes salvete.* Deambulansque ita, per medium illorum ibat ter aut quater. Tandem in fervore spiritûs, cum magna indignatione exutum habitum contumeliosè longiùs projecit; & ad Fratrem Eliam conversus dixit; *Sic incedent nothi & spurii Religionis Fratres*, Et mutato vultu & gestu, humiliter & modestè, in spiritûs lenitate, in suo pauperculo & lacero tegmine incedens, verba salutis & charitatis loquens ad Fratres, ait: *Hic est incessus & gestus legitimorum & germanorum Fratrum Minorum.* Sedit postea in medio illorum, talibusque sermonibus eos ad humilitatem, & paupertatem constanter sectandam allexit, ut qui inter omnes humilior, & præ omnibus pauper judicabatur, non sat sibi hausisse harum virtutum videretur. Hinc patet, quod sicut cordato viro non placet in uxore cultus meretricius, & immodestus, quo placeat aliis viris; sic nec Francisco exquisitus iste cultus, quo spurii Religiosi quærunt mundo placere, sibique auctoritatem conciliare. Nec dissimiliter de eo sentit S. Antonius Paduanus: *Non dico, Religio*, inquit, *sed lege dæmonum fecit de deserto palatium, de claustro* Serm. ad Dom. 2.
castellum, de solitudine curiam regalem. Religiosus Adventus.
&

& miles de eodem panno sibi partiuntur vestimentum. Sed eremi cultor, maximus vatum, de pilis camelorum habuit indumentum. Si S. Joannes sanctificatus, & à Domino laudatus, tantâ fuit usus asperitate; quid nos in peccato concepti, peccatis onerati, reprobandi à Domino, nisi misericordia affuerit, quid facere debemus? In deserto ergo pœnitentia, sit vilitas habitus, asperitas victus, ut verè possimus vocari Religiosi.

At, inquiunt, cultiori habitu opus est propter decentiam. Quam verò decentiam? Mundi & sæculi, de quo isti sunt. Ista decentia est, quam Sanctus damnavit Bernardus, qui dum fusiùs de monachorum quorundam disseruisset curiositate, concludit: *Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Et alibi instruens Sanctimonialem, quæ sit vera decentia & decor, ait: *Decor qui cum veste induitur, & deponitur cum veste; vestis procul dubio est, non vestitis. Tu ergo noli æmulari in malignantibus, & mendicantibus pulchritudinem alienam, ubi perdiderint suam. Nativo & interno produnt se decore nudas, quæ tanto studio & pretio de diversis & variis speciebus, ejus qua præterit figura mundi, foris sibi conficere satagunt, unde oculis suspicientium appareant speciosa. Ille verus proprius que cujusque rei decor, qui nullâ interjacente materiâ per se inest.* Decentia veri Fratris Minoris est, primùm de seipso viliter humiliterque sentire: deinde id quod de se sentit secundùm veritatem, habitu etiam exteriùs profiteri; ut interna existimatio externam componat constitutionem, externaque vilis constitutio, internam foveat atque refricet existimationem.

Apol. ad Abbat. Gulielm.

Epist. 113.

Optimè id intellexerunt non solùm vulgaris turba priorum Fratrum, sed & sanctiores quique ex Franciscano Ordine ad ecclesiasticas assumpti dignitates. D. Bonaventura, honoratus Cardinalatu, & infulis Pontificalibus, numquam adduci potuit, ut habitum deponeret Minoriticum. F. Aycardus Archi-Episcopus Mediolanensis, Ordinis sui instituta, & antiquam retinebat disciplinam. F. Franciscus Ximenius, Archi-Episcopus Toletanus, & Cardinalis, numquam Sandalia, nec vilem sui Ordinis habitum dimisit: numquam linea, etiam in infirmitatibus sibi voluit indulgere. F. Elias à Bourdeilla Archi-Episcopus Turonensis & Cardinalis, semper constans mansit in sui status observantia, in jejuniis Regulæ & in victûs vestitûsque paupertate. Spectabant utique quod feliciter uni retributum est à Domino. Hic quondam Canonicus fuerat Palentinus, sed initiatus in Provincia Castellæ, nobiscum delectabatur super vili paupertimoque habitu. Cùm piè defunctus esset, post aliquot dies in Purgatorio transactos, suo Confessori apparuit in veste pretiosissima, cœlum coolcensurus, dicens non parùm sibi profuisse lacerum & pauperculum habitum, quem in Ordine gerebat, ad depellendas Purgatorii flammas, & merendam hanc quam gerebat vestem.

Annal. Tom. 3. an. 1317. num. 15. Chron. p. 3. l. 8. c. 46.

Arturus Martyrol. ad 5. Julii.

Annal. Tom. 2. an. 1293. num. 4.

Porrò ne vestium vilitas solùm cæremonialis esse videatur, velim, quæ Superiùs §. 18. 19. & 20. ad institutionem diximus Novitiorum, qualiter ab aspectu & gestatione vilium pannorum, caparonis, cordæ cinctoriæ, mentem transferant ad interioris hominis ædificationem, eadem quoque à Professis mente retineantur, ne inutiliter adinstar mendicorum trivialium, rusticorum & vulgarium pauperum sub vilibus vestimentis circumeamus, sed ut intelligentes servi Dei, quibus omnia exteriora, quantumvis exigua, cooperantur in bonum. Color ipse Ordini nostro familiaris & proprius, magna & admodum utilia nobis loquitur, si attendamus. Cinericius est, & cineris memorativus, per quem plerique Sapientes edocti sunt, in propii status consideratione stabiliter oculum figere, & sese usque ad cinerem humiliare.

Primò, S. Abraham Patriarcha: *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis*, quasi dicat inutilis, vilis, conculcabilis, expositus pedibus hominum brutorumque transeuntium. Si hic magnus amicus Dei, pater multarum gentium, tam tenuiter de se sensit: quid nos terræ vermiculi adhuc in sublime erigimut? *Quid superbit terra & cinis?* Si terra contemnitur, negligitur & conculcatur, nulla ei irrogatur injuria. Quia verò suæ terrenæ conditionis facilè obliviscitur humana carnalitas, quæ in pulchritudine & mollitie cutis exterioris viliter delectatur: nos qui ad veritatis trutinam debemus de nobis-ipsis judicare, ad aspectum nostri cinerei vestimenti, redeamus ad istius agnitionem veritatis, quòd caro nostra non sit nisi massa madefacti cineris, vivens quidem ad modicum, sed privanda brevi isto vitali beneficio, & in terram reditura de qua sumpta est.

Gen. 18. vers. 27.

Ecclef. 10. vers. 9.

Secundò, Memoriam necessitatis moriendi plurimùm habere momenti ad prudentiam suique custodiam, omnes norunt Sapientes. Inter alios de hujus memoriæ defectu querulatur Jeremias: *Sordes ejus in pedibus ejus: non est recordata finis sui:* Causam plurimarum peccati sordium isti tribuens oblivioni. Hinc S. Dei Ecclesia in ingressu quadragesimalis jejunii quod ad fideles purificandos instituit, hanc illis refricatura memoriam, cineres capitibus inspergit, cum hoc Dei in primum parentem lato improperio: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sed ne momentanea, vel unius solùm diei nobis hæc esset commemoratio, perpetuum nobis fecit Franciscus monitorium istud, per cinereum vestimentum, quod nos continuò ad sanctam istam urgeret philosophiam. Ut autem sciremus, quid sit ex ea mortis memoria resolvendum, scripsit idem aliquando: *Considerate & videte quoniam dies mortis appropinquat. Rogo ergo vos cum reverentia sicut possum, ne propter curas & sollicitudines hujus sæculi quas habetis, Dominum oblivioni tradatis. Quia omnes, qui eum oblivioni tradunt, & à mandatis ejus declinant, maledicti sunt & oblivioni tradentur; & cùm venerit dies mortis, omnia quæ putabant habere, auferentur ab eis.*

Threa. 1. vers. 9.

Opusc. S. Franc. Tom. 1. Epist. 15.

Tertiò, Magnorum criminum rei cinerem

capitibus inspergere solebant, eâ pœnitentiæ protestatione, iratum Dominum placaturi. Ad
Moral.l.35. cap.2. quod nos hortatur D. Gregorius: *Ut in compunctione cilicii*; inquiens, *cognoscatis, quid per culpam faceretis, & in cenere, quid per judicium* (Dei contra Adamum Gen. 3. 19.) *facti estis.* An autem verè lugentes simus, ex moribus & actibus apparebit. Lugentes, domi se continent, amicorum sibi interdicunt convivia, histriones, moriones, omnesque levitates à domo excludunt. Tota eorum cogitatio de malis est quibus premuntur, de doloribus apud confidentiores amicos humilem deponunt querimoniam, nil nisi serium admittunt, facies tota ad severitatem composita est, ita ut videntes omnes fermè pariter ad luctum timoremque similem compungantur. Eadem nos decent. Quæ si desint, æquè prodigiosum videbitur, ac si lugentes isti veteres, in cinere & cilicio, visi fuissent eodem tempore choreas ducere, cantillare, epulari, amoribus vacare, cachinnari & similia actitare, quæ à dissolutis mundanis frequentari conspiciuntur.

Quartò, quibusdam in locis leprosorum habitus nostris similes sunt in colore. Lex autem leprosorum est, ut ab hominum consortio separentur, os habeant veste contectum, seque contaminatos atque sordidos certo significent instrumento; & dum tamquam immundi vitantur, humiliter id ferant, tamquam justum, sibique conveniens. Nos similiter non ægrè feremus, nos legibus hujusmodi obnoxios teneri. Agnoscamus nos individuos socios esse & consodales istius leprosi Filii Dei, cujus speciem Isaias describit: *Vidimus eum,* Isaiæ 53. vers. 2.
& non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus. Unde nec reputavimus eum, &c. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Hujus leprosi nobis ingeritur continua recordatio, per cinereum, quem gestamus, habitum leprosorum.

TEXTUS & § XXXV.

Et possint ea repetiare de saccis & aliis petiis, cum benedictione Dei.

SUMMARIUM.

Tribus de causis permissa habituum repetiatio. Cavendum ab ostentatione sanctitatis per hanc vilitatem. Quàm detestabilis Hypocrisis. Scandalosa olim contentiones ratione hujus vilificationis. Sordes in vestibus indecentes. Fratres Minores uti in vestitu, sic in vita conformandi S. Eliæ.

S. Job Patientiæ speculum in gravissimis positus doloribus & statu luctûs, inter alias suas abjectiones, hanc recenset: *Saccum*
Job.16. vers.16. *consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam*; Ut videlicet statui lugentis, exterior etiam habitus correspondere, & sterquilinium, locus infimus atque vilissimus, & cinis quo obsitus erat, majorem ejus exprimerent contemptum. Nos Franciscani, qui sumus rebus omnibus temporalibus cum Jobo spoliati, hic monemur saccum consuere super cutem nostram, dicente S. Patre nostro: *Possint* vestimenta *repetiare de saccis &c.* Atque cum panperculo repetiato mendicorum habitu, ita in loco infimo considere, ut non quæramus deinceps primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, aut cogitemus de fimbriis dilatandis; sed viles istæ petiæ dicant jugiter in auribus nostris:
Isaiæ 47. vers. 1. *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra. Non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultrà non vocaberis mollis & tenera.* Et: *Sede*
vers. 5. *tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultrà Domina regnorum.*

Ab iis qui sunt per necessitatem pauperes, optimam formam edoctus fuit Franciscus quoad usum rerum, conservationem, atque parcimoniam. Ipsorum praxim in illis ipse servavit, suisque sequacibus servandam proposuit. Mos autem pauperum est, pauca habere, parcè uti, & quantùm fieri potest cavere, ne præproperè consumantur. Eâ ratione repetiant vestes dum atteri cœperint, ne hoc prætermisso penitùs lacerentur, & omnino inutiles fiant. Hoc mente insinuavit nobis S. Pater esse repetianda vestimenta, ut magis observetur, ac reluceat paupertas. Tum etiam, ne supervacanto distrahamur labore in novis frequentiùs conquirendis. Ab hoc onere voluit nos quoad fieri poterat exonerari, cùm ad sublimiora vocati simus, quibus vitæ spatium impendamus; non enim corpori alendo & induendo nati sumus, sed excolendo spiritui, & ad æternæ fruitionis opus solerter disponendo. Cavere nos denique voluit onera benefactorum, ne pro conferendis novis habitibus sæpiùs qnàm exigat necessitas molestentur. *Ipsi scitis*, inquit Apostolus, *quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non fuimus inquieti inter vos, neque gratis* 2. Thessal. 3. vers. 7.
manducavimus panem ab aliquo, sed in labore & fatigatione noctis ac die operantes, ne quem vestrûm grava-

gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

Materiam Repetiationis specificavit: *de saccis & aliis petiis*, ad innuendam, quam supra commendaverat vilitatem, quæ materiis istis adangeret; nam *facci* nomine, non modò id intelligendum venit, quo frumenta, vel similia deferuntur, sed vestes etiam pœnitentiales atque cilicinæ, quarum usus in luctu erat & temporibus pœnitentiæ. Præsciebat venturos novissimis temporibus superbos Fratres atque pomposos, qui consodales repetiatis indutos habitibus, tamquam Ordini dedecorosos abominarentur, usque adeò ut cogitaturi essent de arcenda & prohibenda repetiatione. Ne hi consilia sua possent stabilire, prævenit ipse in favorem humilium suorum filiorum, sanctæque paupertatis cultorum, per hunc Regulæ Textum, volens eos tutos atque liberos in sanctis suis voluntatibus conservari.

Modum insuper adjecit, ut fieret *cum benedictione Dei*, non cum maledictione. Unde verò in eo repetiationis negotio periculum maledictionis? Non ita dormitat Behemoth, quin aliquâ quandoque titillet vanitate sub habitibus repetiatis, & insusurret incautis, eo apparatu ad sanctitatis atque austeritatis majoris formam composito, inanem apud homines gloriolam aucupari. Liceat nobis dicere cum D. Gregorio: *Quia terrem principes magnâ se humilitate prosternunt Deo, pravi homines nunc ad fraudis argumenta vertuntur: quia enim illos revereri religionem conspiciunt, ipsi cultum Religionis assumunt & bonorum vitam sub despectis vestibus iniquis operibus premunt. Mundi quippe dilectores sunt, qui hoc in se quod homines venerantur, ostentant, atque eis qui verè se despiciunt, veste, non mente copulantur. Et quia præsentem gloriam amantes consequi non possunt, quasi despicientes sequuntur. Honores non fugiunt, ut honoribus obvient.* Hoc errore infatuati, timere habent illud *va*, quod Dominus in eos fulguravit, qui similes sunt sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ: *Sic & vos* inquiebat Scribis & Pharisæis, *aforis quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.*

Moral. l. 31. cap. 5.

Matth. 23. vers. 28.

Quàm abominabilis sit ista hypocrisis, rectè exprimit Alvarus Pelagius, inter alia scribens in hunc modum: *Hypocrisis mater est duplicitatis, filia mendacii & patris ejus Diaboli, duplici vitâ vivens, corpore in cœlis habitans, mente in terra: honoris avida, in se pavida & infructuosa, doli artifex, martyr Diaboli, æmulatrix & persecutrix bonorum: correctrix omnium, ipsa incorrigibilis: intus arida; antrum dæmonum, & eorum figura, tinea sanctitatis, compta meretrix, fucata spurcitia, inflata vipera, ornatum sepulchrum, filia peccati, & continuè peccans: perditionis præcursus, vermis Ecclesiæ insensibiliter eam depascens, negatio naturæ, crocodilus vitalia Ecclesiæ consumens, blasphemia alterius vitæ, genitrix Pharisæorum, soror Scribarum, puritatis Evangelicæ inimica.* Hanc

Lib. 1. de planctu Eccles. c. 67

pestem tam sollicitè vitabat Franciscus, ut aliquando Vicario suo suadenti, ut permitteret convalescentiam suam à quadam infirmitate procurari, assuendo ad habitum pellem vulpinam, quæ debilem confoveret stomachum, respondetit: *Si vis ut interius fomentum illud admittam, ejusdem mensura aliam pelliculam consue parti exteriori, ut omnibus constet quæ intus latet mollities.* Stulti sanè & vesani, qui quærentes humi repentem gloriolam, nec eam tamen assequuntur, sed contemptum potiùs & irrisionem, dum fœtor earum, Deo permittente, ipsis non cogitantibus erumpit. Etenim dum cerebrum eorum plenum est fumo propriæ æstimationis, & certâ fide, quòd pro sanctulis habeantur, videbis in eis affectatam gravitatem, erectam cervicem, sublimem vultum, incessum compositum, raram & dedignabundam vocem, impatientiam in minimo contemptu, invidiam si alii plùs vel æquè honorentur, jactantiam importunam propriæ perfectionis, quâ non solùm comparatione sæcularium, verùm & aliorum Ordinum se spiritualissimos, rigidissimos & sanctissimos prædicabunt, scribent, & contentiosè credi volent. Quæ ibi conformitas interioris hominis cum exteriori sancto tegumento?

Annal. an. 1212. num. 54.

Sed neque illi repetiant vestimenta sua *cum benedictione Dei*, qui pro comparando hoc modo vilitatis (quem Regula in libertate nostra relinquit) fraternam lædunt atque discindunt charitatem. Certè displicuerunt Deo & Francisco rixæ & scissuræ scandalosæ, hac de causa suscitatæ tempore Joannis XXII. Invaluerat in Communitatem Ordinis, curiositas & vanitas in habitu, eaque plerisque plurimùm displicebat; & cœperunt in odium ejus quidam propriâ auctoritate uti vestibus strictis, curtis, vilibus, cum parvis caputiis. Ægrè ferebant Fratres Communitatis cæteros à se discriminari, & inusitatis squalidisque vestibus suis nobiliores condemnati. Econtra Spirituales (sic dicti) contendebant non licere sibi aliter incedere, suumque habitum à Francisco traditum paupertati status sui esse conformiorem. Hinc odia, hinc persecutiones, scissuræ & inobedientiæ: ita ut debuerit Summus Pontifex sententiam suam super his contradictionibus ferre, & juxta præcedentium Pontificum Nicolai & Clementis placita reservare judicium vilitatis Superioribus Ordinis, quibus acquiescerent subditi, & securi essent in conscientia: simul mandans Superioribus, ut ad mentem Francisci & normam Paupertatis reducerent usum universalem. Multi ex Spiritualibus tergiversati sunt, condemnati, & severè habiti. Toti Ecclesiæ Dei displicuerunt scandalosæ istæ contentiones & indiscretiones; quæ eò usque creverunt, ut hæreses parerent, & Sedis Apostolicæ proscinderent auctoritatem. Nunquam fuit Francisci mens armare furiosos contra legitimam auctoritatem, vel talibus uti propugnatoribus Regulæ suæ, qui charitatem everterent, obedientiam & pacem perturbarent. Qui putant se taliter gratum ipsi præstare obsequium, non aliter agunt quam Tertullianus

Annal. Tom. 3. an. 317. num. 18.

lianus erga Ecclesiam Dei, qui volens castimoniam exaltare, hæresim erexit, damnando secundas nuptias: & sicut Novatiani, qui dum volunt disciplinam tueri Ecclesiasticam, crudeliter prohibent recipi lapsos pœnitentes: vel sicut Manichæus, qui volens commendare sobrietatem, condemnat vinum ut creatum à Diabolo. Ita cervicosi isti studuerunt vestem servare exteriorem, atque interim ipsum corpus Ordinis lethalibus impetiêre vulneribus. Deploranda sanè miseria, quòd pro hujusmodi quæstionibus de repetiatione, de forma caputii, & similibus, de quibus nulla est Regulæ obligatio, tamquam pro aris & focis decertetur, cum scandalo fraternæque charitatis læsione; dum innocentes Religiosi judicantur, atque etiam apud sæculares quandoque traducuntur tamquam voti sui ac Regulæ transgressores. Utinam pro hujusmodi contentionibus de lana caprina in mentem ipsorum penetret quod S. P. N. consulit, monet & exhortatur Fratres suos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum *non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent: sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti & humiles, honestè loquentes omnibus*, & de omnibus, *sicut decet.*

Cap. 3. Regula.

Putant aliqui hoc textu Regulæ de repetiatione, pro vestimentorum sordibus patrocinium subministrari, tamquam hæ comites sint & ornamenta Paupertatis. Sed falluntur. Sordes displicent Francisco, tamquam sordidi animi indices & negligentiæ argumenta. *Fœda est Religio*, inquit S. Bonav. *quæ innititur fœditati. Culpatur quidem & cultus munditiæ nimius, sed & defectus. Indecens omnibus personis Ecclesiasticis qualibet immunditia.* Certè si in altaribus & templis pro sacrificii reverentiâ nitor omnis exigitur, cur non & in Ministris? B. Joannes de Zummaraga Archi-Episcopus Mexicanus, licèt summus esset amator & cultor paupertatis, hanc tamen maximè abhorrebat immunditiam; asserens Sacerdotes & Religiosos nitidos esse debere, pro honore quem suæ debent Ecclesiasticæ dignitati. Potest honestas, sinè detrimento Paupertatis, & habituum vilificatiu per repetiationem, absque nauseabundis sordibus conservari.

Spec. Novit. Cap. 25.

Chron. p. 4. l. 2. c. 4.

Ad sublimius aliquid occasione saccorum nostrorum invitamur. De prædicatoribus pœnitentiæ & pugillibus insignioribus contra Anti-Christum, Elia & Enoch, dicit sacra Apocalypsis, quòd *prophetabunt diebus 1260. amicti saccis.* Diversas Seraphici Patris nostri similitudines cum Elia, subtiliter animadvertit D. Bernardinus, ut quod reliquerit omnia ad nutum Dei inspirantis; quòd non solum corvi, sed aliæ quoque creaturæ fuerint ei ad ministrandum obsequentes: quòd in jejuniis, ac cibi & potûs, vestimentorumque vilitate fuerit excessivus: quòd barbaris Regibus ex zelo justitiæ intrepidè prædicaverit: quòd fuerit Dominum in specie Seraphim contemplatus: denique quòd in curru splendenti simul & igneo sursum vehi fuerit demonstratus. Ex quibus omnibus concludit S. Bonavent. *rationabiliter comprobatur venisse in spiritu & virtute Eliæ.* Excitandi sunt animi nostri, ut his temporibus Anti-Christianis, ad eandem perveniamus Eliæ similitudinem, ut qui apparemus ei similes in saccis exteriùs, consimili quoque induamur spiritu & virtute ex alto: incipientes pœnitentiam à nobis metipsis, ardentes fidei & justitiæ zelo, contra ipsum imperterriti Anti-Christum, gloriam Dei jugiter contemplantes, raptique curru igneæ charitatis: demum nullibi, nisi in paradiso habitantes, extra conspectum hominum dum externis officii nostri operibus non occupamur. Hæc est pars vocationis nostræ, hæc occasio spei, quòd in vitæ mortalis termino dicetur nobis: *Ascendite huc*, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Apoc. 11 vers. 3.

In cap. 1 Apoc.

Pr. 4. ad Vitam.

Apoc. 11. vers. 12.

TEXTVS & §. XXXVI.

Quos moneo & exhortor, ne despiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos.

SVMMARIVM.

Pessimi possunt se occultare sub habitu sancto: & sanctissimi inventi sunt sub vestibus pretiosis. Etsi sæculares videantur peccatores, non tamen contemnendi: & quare? Non adulandum divitibus ob solum vestium splendorem. Contrarium est species quædam idololatriæ.

SUperbus ille Pharisæus, cujus meminit in Evangelio Salvator, qui ascenderat in templum ut oraret, stans hæc apud se orabat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.* Familiaris solet esse tentatio iis, qui sanctitatem profitentur eminentiorem, cæteros quos externa forma non ita commendabiles reddit, fastu dedignabundo aspernari. Seraphicus Pater volens hujusmodi superbiam pharisaici supercilii à filiis suis, altissimæ perfectionis professoribus, amoliri: *moneo*, inquit

Luc. 18. vers. 11.

inquit *& exhortor*, *ne* conspectis humilibus suis & asperis vestimentis, *despiciant neque judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos.*

Imprudentium corda prona sunt ad credendum se esse quod foris ostentant, aliosque non aliud esse, quàm quod etiam foris apparent. Joan. 7. vers. 24. Æternæ verò sapientiæ regula est; *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Non est nequitia in mundo, quæ non possit speciosâ sanctitatis fictione palliari. Olim Bizochi, Fratricelli aliique sceleratissimi hæretici, sub nostro sancto & pauperculo habitu circumcursantes, miram mentiebantur sanctitatem. Ipse etiam Angelus Satanæ nonnumquam sub isto vestimento in Franciscanum se transfiguravit. Stultissimum igitur est, à sola externa apparentia bonum de seipso opinari, & sublimiter ostentare. Ista est gloriatio, non de fructibus, sed de viridantium specie foliorum. Audiant super hoc Prophetæ Ezech. 31. vers. 10. sententiam. *Pro eo qui sublimatus est in altitudine sua, & dedit summitatem suam virentem atque condensam, & elevatum est cor ejus in altitudine sua, tradidi eum in manu fortissimi Gentium. Faciens faciet ei: juxta impietatem ejus ejeci eum.*

E converso potest sub sæcularium mollibus vestimentis & coloratis vera virtus Deique amor consistere. Notissima est pietas & modestia Esther Reginæ, & Judith, multarumque christianarum Heroinarum, quæ licèt ornatæ cultu regio cum magna processerint gloria, in corde tamen signum superbiæ & gloriæ suæ abominabantur. Mardochæus quoque Esther 8. vers. 15. de palatio egrediens *fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet & aereis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo.* Joseph regnans in universa terra Ægypti, & Daniel factus primus in aula Regum, magnifico Principum more ornati erant, sanctitatem interim servantes illibatam. Quot sancti Martyres, sive in aulis Cæsarum, sive in Ordine Senatorio, sive in Præfecturis Provinciarum, sive in nobilissimis Matrimoniis purissimum servarunt atque testati sunt Dei amorem sub vestibus pretiosis? Credamus igitur verissimum esse, quod Divus scripsit Gregorius: Pastorali part. 3. adm. 29. *In humano genere quidam in meliori ordine deteriores sunt, & quidam in deteriori meliores; quia & isti sortem externi habitûs bene vivendo transcendunt, & illi superioris loci meritum moribus non exæquando diminuunt.* Passus est aliquando quid humani S. Ephrem circa S. Basilium, Surius in vita S. Basilii, 14. Januarii n. 11. cujus status in eremo fuerat ei sub specie præcelsæ columnæ demonstratus. Sed cùm Cæsaream venisset, & Basilium stolâ pretiosâ conspexisset amictum, & circa eum Clerum frequentissimum, cum ornamentis magnificis eidem obsequentem, dicebat in semet-ipso: Nos qui portavimus pondus diei & æstus, nihil proficimus, & hic in tali honore, obsequioque humano, columna existit? Mirum. Sed mox errorem correxit Deus, ostendens dubitanti stupenda indicia sanctitatis Basilii. Nemo ignorat plurimos sæcularium fervere in dilectione Dei, timere super omnia ejus offensam, compatientes esse miserorum, in

afflictionibus publicis privatisque parlentes, domi suæ frugaliores, familiæ suæ benè præpositos, demùm cum humili depressioris sui status agnitione, stantes à longè, & percutientes pectus suum, qui fortè præ nobis descendent in domum suam justificati. Neque nobismetipsis abblandiamur, quòd plurimi sint præ nobis peccatores. *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Eccles. 11. vers. 23. Meminerimus quòd justus animarum æstimator aliquando sequentibus se dixit: Matth. 8. vers. 11. *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Nulli magis filii regni, quàm Religiosi, æstimati cives cœlorum & domestici Dei; nulli etiam remotiores à perfectione vitæ quàm mundani. Horum tamen finis & judicium Dei de ipsis, quàm diversum sit, hic discitur ab ore Christi Judicis; hosque contemnendi ansa, radicitùs succiditur. Imitemur praxim B. Bernardi à Quinta-Valle. Marian. l. 2. cap. 19. Hic cùm divites videret pretiosis, deauratis & curiosis indutos vestimentis, cum cordis compunctione dicebat: *Forsitan sub illis vestibus portant cilicia, vel ferreos circulos, sustinent carnis martyrium in occulto, & sic vitant vanam gloriam meliùs quàm tu, Bernarde, cum tuis vilibus exterioribus indumentis.* Hic est modus Franciscanus judicandi homines, quos viderimus, mollibus vestimentis & coloratis indutos.

Nihilominùs cavendum ab opposito vitio, adulandi & adorandi divites & vanas personas, quæ solent splendore vestium quandam apud abjectas animas sibi conciliare majestatem. Sic se permittit mundus hoc fuco decipi, ut homines deformes, ignorabiles, & qui domi arctæ fortunæ sunt, appareant gloriosi. Hunc errorem non ignoravit, neque dissimulavit Seneca: *Quemadmodum*, inquit, Epist. 47. *stultus est, qui equum empturus, ipsum non inspicit, sed stratum ejus ac frænos; sic & stultissimus est, qui hominem ex conditione circumdatæ vestis æstimat.* Graviter hanc stultitiam & iniquum judicium perstringit S. Jacobus: Jacob 2. vers. 2. *Si introierit in conventum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei: Tu sede hic bene: Pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices cogitationum iniquarum?* Absque dubio, & iniquissimarum quidem, si ad vilitates usque adulatorias abducant, & indigna obsequia, præter dignitatem, gravitatem, severitatem & discretionem sacerdotalem aut religiosam. Cornelius à Lapide proponit verbum illud Jacobi accuratius ruminandum: *Nolent*, inquit, *hoc Confessarii, Concionatores,* In c. 2. Epist. S. Jac. *Doctores, Præsides congregationum, qui gloriantur dum habent pœnitentes, auditores, discipulos, asseclas nobiles, divites, splendidè vestitos. Plebeos verò & squalidos ægrè audiunt & admittunt. Sciant hunc esse sensum vanitatis, non veritatis; mundi, non Christi. Sæpè sub vestibus sericis magna latent sordes.* In majorem degenerant vilitatem, qui spe munusculi emungen-

P dì,

di, ſomptuoſos adotant ſæculstes, & canum abblandientium more eircumeunt, beoedicunt eis, quantumvis iniquis raptoribus, adulteris, & ſcandaloſis peccatoribus. *Dives commotus confirmatur ab amicis. Divitis decepto multi recuperatores: locutus eſt ſuperba & juſtificaverunt illum. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, verbum illius uſque ad nubes perducent.*

Eccleſ. 13. verſ. 25. 26. & 28.

Admodum appoſitè dixit Paulus, Avaritiam ſervitutem eſſe idolorum. Divires idola ſunt aurea & argentea, purpureis veſtibus, ſerico, gemmiſque circumornata. Horum adoratores ſpe lucri, idololatræ rectiſſimè nuncupantur. Hujus Idololatriæ ſpeciem, ſimulque & finem legimus in Actis Apoſtolorum. Tyrii & Sidonii venerant ad Herodem poſtulantes pacem, *eò quòd alerentur regiones eorum ab illo. Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regiâ ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos.* Ecce Idolum. Videra ſacrificium laudis. *Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.* Quid verò conſecurum eſt? *Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo; & conſumptus à vermibus expiravit.* Hic eſt rragediæ adulationis epilogus.

Actor. 12. verſ. 20.

TEXTUS & §. XXXVII.

Uti cibis & potibus delicatis.

SUMMARIUM.

Non impeditur omnimodè ſanctitas per uſum ciborum delicatiorum. Nec ſæculares ideo contemnendi. Nec alii Ordines Religioſi. Exempla eorum, qui licèt ſibi auſteri, aliis tamen indulgentes erant. Corripiuntur nimis delitioſi. Quantâ ſeveritate aliqui guloſitatem mortificaverint.

Eſther. 1.

ASſuerus potentiſſimus Rex tertio anno imperii ſui fecit grande convivium cunctis principibus & pueris ſuis Perſarum & Medorum inclytis & Præfectis Provinciarum, ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui. Non erat autem qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed *ſicut Rex ſtatuerat præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, ut ſumeret unuſquiſque quod vellet.* Deus opt. Max. ſimile nobis convivium inſtituit, dum divitias gloriæ & munificentiæ ſuæ oſtenſurus aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Eſt autem divini convivii lex, ut *is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum aſſumpſit. Nam qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Hanc legem filiis ſuis hoc Teſtu intimat Franciſcus, monens & exhortans, *ne deſpiciant neque judicent homines, quos viderint uti cibis delicatis.* Diſcretus ſervus Dei poteſt illis non malè uti. *Scio & ſatiari,* inquit Apoſtolus, *& eſurire: & abundare & penuriam pati.* Innumeris ſanctis viris minimè nocuerunt cibaria delicatiora, ad caſtitatis, orationis pietatiſque exercitia; ſed inter lautiora epula parſimoniam parcitatemque tutati ſunt, & uſi liberè indulgentiâ illâ quam præbet Apoſtolus: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Iniquum proindè foret ejuſmodi perſonas hoc titulo aſpernari, nec non ad menſuram arctare ſtrictiorem. Hæc indiſcretio turbaverat aliquando mentes diſcipulorum S. Joannis Baptiſtæ, dum in ſpeciem querelæ Chriſto improperarent: *Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant?* Quibus ipſe amicabiliter ſatisfecit, & ſuæ reddidit indulgentiæ rationem: *Numquid poſſunt filii Sponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.* Aliaque addidit, quibus oſtendebat jejunium pro tunc diſcipulis ſuis non convenire. Ipſe amicus Sponſi Joannes in hoc ſe diſcipulis ſuis exhibuit ſapientiorem, quòd ipſe non manducans neque bibens, ſe agnoſceret comedente & bibente Domino multis perfectionis gradibus imperfectiorem, & non dignum ipſius ſolvere corrigiam calceamenti. Cujus humilis ſententiæ rationes affert D. Bonaventura: in *Apologia Pauperum;* concluditque in ſua diſputatione, tam uſum vini & carnium quàm ab illis abſtinentiam, eſſe de illorum genere, quæ bene & malè, perfectè & imperfectè fieri poſſunt. Adducitque in probationem Auguſtinum, ſic loquentem: *Quid locis & temporibus perſoniſque conveniat, diligenter attendendum eſt, ne temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis, pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur; inſipiens autem fœdiſſimâ gulæ flammâ in viliſſimum ardeſcat. Et ſanus quiſque maluerit more Domini piſce veſci quàm lenticulâ more Eſau, aut hordeo more jumentorum.* Cur non arbitremur id ſæpiſſimè fieri in hunc modum? cùm ſæculares quàm plurimos videamus opiparas inſtruere menſas, iiſque ſobriè ac breviter aſſidere, & ad negotia ſeria orationemque ſuis temporibus properare. Aliquorum etiam Religioſorum Ordinum operarios ſpirituales

Rom. 14. verſ. 3. & 6.

Philipp. 4. verſ. 12.

1. Tim. 4. verſ. 4.

Matth. 9. verſ. 14.

Reſp. 2. c. 8.

Lib. 3. de Doctr. Chriſt. c. 12.

ſpitituales arbitramor Domino mandncare, qui annonâ delicatiori frugaliter utentes, juxta vigorem alimentis corporalibus ſubminiſtratum, ſtrenuè labotant in vinea Domini, & opimos teportant in Domini hortea manipulos, ſibique amplum congregant in cœlo theſaurum meritorum. Haud dubium, quin tales acceptiores ſint Deo, quàm pigri, qui pane ſicco ſuſtentati, in otio quaſi ſemi-mortua putreſcunt cadavera, quos commemorans Sapiens ait: *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas dicens: melior eſt pugillus cum requie* (ſive otio) *quàm plena utraque manus cum labore & afflictione animi*, quaotumvis nili & honeſtâ. Sic delirant apud ſe & inter ſe ignavi homines, audentque ioiquè contemnere laborantes, & juxta laboris onera ſeſe reficientes. Pro bis doctè & cordatè diſputat S. Bonaventura in ſupradicta Apologia loco ſuprà citato.

Eccleſ. 4. verſ. 5.

Hactenus dicta de non contemneodis externis delicatiora comedentibus, etiam de Fratribus noſtris procedunt, quibus aliqando vel ratione laborum vel debilitatis ſuſtentandæ, meliori poſſet eſſe opus alimento. Hic etiam ſervanda Apoſtoli conſtitutio, ut *qui non manducat, manducantem non judicet.* Qui abſtinentiores ſunt, velim, ut in humilitatis charitatiſque conſervandæ exemplum B. Gerardum Panormitanum aſſumant, qui licèt ſeveriſſimus eſſet in ſeipſum, numquam tamen ullum contempſit mitiori incedentem viâ, quin potiùs exultabat in ſpiritu, ſi quid extraordinarium ad Fratrum recreationem cerneret apponi, ſollicitèque procurabat ea quibus indigerent. Præclaro miraculo fuit iſte affectus ipſius erga S. Communitatem per Dominum comprobatus. Deerat in Feſto Reſurrectionis Dominicæ cocus. Juſſit Guardianus F. Gerardum in quodam ſacello divina contemplantem, illud munus obire. Inclinato ad Superioris juſſa capite hæſit longo tempore in Eccleſia uſque ad horam Tertiæ dum Sacrum ſolemne cantaretur. Cœnobii Procurator Præfectum admonuit in tanta feſtivitate nullos Fratribus parari cibos, neque ipſum accenſum eſſe ignem in culina. Commotus Guardianus reverſuſque ad Sacellum, pacato & tranquillo animo orantem invenit Gerardum; à quo cùm exquireret, cur non obediret? Reſpondit ſe omninò præcepto obſecutum, neque defuturum Fratribus quòd abundè manducarent. Abiit ergo & clauſo culinæ oſtio adjutus à ſpecioſo juvene, quem aliqui ex Fratribus per rimulas conſpicati ſunt, breviſſimo tempore tot dapibus officina abundavit, ut numquam lautiùs Fratres ſint refecti. Licèt vitam perpetuò tranſigeret in pane & aqua, tamen ſi Superiores vel hoſpites aliquando è ſuis ferculis cibos mittebant; ille curialiter admittebat, & ſumptâ unâ vel alterâ buccellâ, reliqua reponebat pauperibus diſtribuenda. Sic abſtinentiæ rigorem obſervabat, uti pœnitens minimè ſuperſtitioſus. Sunt alii quidam apicum obſervatores, qui ita ſibi præſcribunt aliquas virtutes ſectandas ut rigoroſis quibuſdam limitibus perfectionem putent occludi, & potiùs velint cum aliorum offenſa recuſare rationabilem cum ipſis accommodationem, quàm metam a ſe indiſcretè præfixam præterire. F. Antonius de Stronconio, licèt ipſe abſtinentiſſimus, meliora tamen pro Fratribus mendicare non gravabatur, ſociiſque in itineribus inculcabat, ut bene reficerentur. Glorioſus item gulæ triumphator F. Joannes Lucenſis, compatiens aliis omnibus, ſuadebat nihil ſupra vires in abſtinentiis attentare, ſed communi ſe vitæ Fratrum conformare; tantùm abeſt, ut eos deſpiceret aut dedignaretur.

Chron. p. 2. l. 9. c. 2. — Annal. Tom. 5. an. 1343. num. 20. — Ibid. n. 26. — Chron. p. 3. lib. 5. cap. 32. — Ibid. cap. 41.

Dum per ſupradicta parrocinari nitimur Fratribus neceſſitatem patientibus, non intendimus favere delicatulis quibuſdam gulæ ſuæ mancipiis, qui cum ſint Religionis obliti, totum fatigant mundum, ut menſæ ſuæ proviſum ſit ad lautitias & ſuperfluitatem. B. Angelus de Paz meditans ſuper illud: *Et cœperunt vellere ſpicas*, ait: Magnum paupertatis Chriſti argumentum, nec non ſequacium, qui nullum cibi genus, præter ſata quæ occurrebant, & ſylveſtres herbas & germina campeſtria, quæ colligendi & quibus veſcendi inerat facultas, habebant. Attamen *egenus factus eſt, ut illius inopiâ vos divites eſſetis*, Prædicat Paulus. *Sed in quo divites? Quod imitatores ejus facti Benedictus, Bernardus, Franciſcus, & victum ſimplicem abſque omni ſollicitudine, & pauperrimum quærere didicerunt, ut divitias contemplationis, & quæ in requie opulenta dilectis parantur, impetrarent: quorum ſtudium ſi nos profeſſores Inſtituti ſancti proſequeremur, abſque dubio Chriſti divitias quas patribus communicavit largiter, communes nobis faceret.* Præclarum hujus exemplar nobis in ipſo ſuæ converſionis tyrocinio Franciſcus exhibuit. Dum in reparanda S. Damiani Eccleſia inſudaret, Petrus illius Eccleſiæ Sacerdos ei compaſſus, ut multo onere defeſſum refocillaret, cibos quos poterat meliores ei conquirebat, & condiebat. Cogitavit enim adoleſcentem lautioribus aſſuefactum, ultra communem durioremve cæmentariorum aut mendicorum victum, potiori cibo eſſe reficiendum. At novus Dei athleta poſt dies aliquot presbyteri humanitatem ſecum conſiderans, ad ſeipſum converſus ait: *Invenies tu, quocumque ieris, hunc Sacerdotem, qui tantam tibi præſtet humanitatem? Non eſt hæc vita pauperis, quam elegiſti. Modo ergo, ſicut pauperem decet vade, & porta in manu paropſidem, oſtiatimque emendicata pro amore Dei cibaria tu ea coadunare non erubeſcas. Ita voluntariè te vivere oportet pro amore illius qui pauper natus, pauperrimus in ſæculo vixit, nudus & pauper manſit in patibulo, ſepultuſque eſt in alieno ſepulchro.* Sequenti igitur die accipiens paropſidem, civitatem ingreſſus præ foribus mendicabat, & quidquid varii generis eſcarum erogabatur, in ſcutella conglomerabat. Poſtea in aperto ſedens loco, coram poſitâ ſcutellâ, ad prandium ſe parat; ſed delicatulus olim, & lautis ferculis, dulciculiſque potionibus enutritus, ad primam buccellæ intinctionem in paropſide parumper exhorruit, manumque retraxit. Sanctæ autem paupertatis incenſus affectu, ſemet acriter objurgans, animumque ſibi addens manducare aggreſſus,

In Marc. c. 2. — 2. Cor. 8. verſ. 9. — Appar. ad Annal. § 5. num. 8.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

P 2

aggressus, tantam in bis emendicatis frustulis & conglomeratis esculentis sensit voluptatem, ut nihil in sæculo dulcius suaviusque aliquando se gustasse putaret. Ex hoc inopinato gustu tantùm exultavit cor ejus in Domino, quòd caro ipsius licèt debilis & attrita, corroboratam se senserit ad quæcumque amara & gravia pro Domino hilariter toleranda. Eadem circa alimentorum parcimoniam & vilitatem mens fuit verorum S. Patris Filiorum. Horum primogenitus Bernardus de Quinta-Valle graviter F. Heliam reprehendit, quem videbat lautè vivere, & splendidam in cubiculo vitam ducere prætendendo id sibi ea necessitate licere, & ad regiminis auctoritatem conducere. Quando hic Minister Generalis lautè manducabat in camera, è triclinio vel refectorio surgebat Bernardus, portans unâ manu panem, alterâ paropsidem, & ad ostium pulsans cubiculo sese ingerebat, & absque invitatorio assidebat Heliæ in mensa dicens: *Ego etiam volo secum manducare de bonis magni Domini, quæ pauperibus largitur.* In hunc modum luxum hominis confundens.

Annal. Tom. 1. an. 1230. num. 9.

F. Juniperus lepido stratagemate sordidam hanc sollicitudinem & recreationum mensalium frequentiam confudit. Exeuntibus Fratribus ad quasdam benefactoris exequias, commendata est cura refectionis Junipero. Abiit ille in civitatem mendicaturus, ubi quæcumque offerebantur admisit. Domi secum cogitavit magnam esse molestiam & frequens sanctæ orationis impedimentum, quotidiè manducare; quare decrevit ad stipem collecta, gallinas, ova, caseum, herbas, legumina, uvas, simul omnia coquere, ut semel per quindenam coquus laboraret, & Fratres manducarent. Ut erant omnia data, gallinas plumatas cum intestinis, variaque illa edulii genera in ahenum conjecit, sollicitè infundans magno supposito igne, ut omnia essent in promptu antequam Fratres redirent. Primus qui accessit, perspectis gallinis supernatantibus & re examinatâ abiit ad cæteros, rem ridiculam narraturus. Visum veniunt omnes opiparum convivii apparatum; sed Præfectus ædis tantam insipientiam ferre non valens, coram omnibus vehementer redarguit. Cui ille humiliter genu-flexus: *Putavi certè, pater, me rectè fecisse, atque meâ sollicitudine magnâ curâ per quindenam Fratres levasse, dum hodie ad satietatem edentes, per totidem dies non esurirent, neque de indulgendo ventri cogitarent; sed solùm orationibus sanctis intenti animæ impinguandæ studerent.*

Annal. Tom. 2. an. 1258. num. 18.

Fateor, difficile est cohibere se à delicatioribus, dum præsentia sunt, & fames urget astantque importuni invitatores, fautores & excusatores sensualitatis, prætextu servandæ ad Dei servitium valetudinis. Contra ad hinnientem istum appetitum erexerunt se generosè pugiles aliqui, memorandâ illum severitate domantes. Hostis malignus aliquando totus in eo fuit, ut gulæ vitio expugnatum dejiceret Jacoponum, ingenti cupiditate & orexi vescendæ bubulæ in eo excitatâ. Cujus petitiones sentiens, cacodæmoni imponere constituit, simulando triumphari velle. Itaque licèt carnium abstinentiam continuam observaret, bubulam ut adipisceretur operam dedit: quam nactus minimè comedit, sed crudam in cella appendit. Quod ut antagonista dæmon vidit, magis magisque desiderium edendi in eo accendit. Jacoponus verò prandii horâ appetente, cellam petebat, bubulam contemplabatur, & ore imminens etiam deosculabatur; quo facto in triclinium cum aliis concedebat: ubi de more pane & aquâ genium famemque placabat. Hanc porrò rem ludumve per multos continuans dies insidiatori illudendo ægerrimè faciebat. Caro corrupta jam putrescebat fœtebatque. Quam graveolentiam, etsi ipse æquissimis ferret naribus, animoque; ea tamen ad cellas Fratrum cæterorum intoleranda deferebatur. Indagantes illi, & Jacoponi cellam introgressi, quod erat, comperiunt. Jacoponus tempori superveniens ipsis inspectantibus carnem olfacit, & ceu rem odoratissimam basiatur, ut suam castigaret cupiditatem. Hujus aliorumque similium gulæ domitorum, qui summo rigore annexam cibis delicatioribus excluserunt voluptatem, is scopus fuit, ut cœlestibus delitiis gustum præpararent. Hinc etiam in præsenti vitâ tanta sunt domûs Dei ubertate inebriati, ut nonnisi cum dolore & suspirio ad mensam corporalem accederent. Erat hoc, ut arbitror, benedictionis istius experimentum, quam cultoribus suis olim promiserat Deus: *Vetera, novis supervenientibus projicietis*; vetera scilicet ventris oblectamenta, tamquam magnis cordibus insufficientia.

Annal. Tom. 2. an. 1298. num. 39.

Levit. 26 vers. 10.

TEXTVS & §. XXXVIII.

Sed magis unusquisque judicet semetipsum.

SVMMARIVM.

Judicando nos-metipsos prævenimus divinum judicium. Permittuntur à Deo graves lapsus, ut homo superbus in sui adducatur cognitionem. Quantùm noceat adulatio, sui-ipsius cognitioni. Quàm utilis sit communium miseriarum consideratio.

Refert S. Joannes in divina Apocalypsi, quòd viderit mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni Dei, libri aperti sunt: *& judicati sunt mortui, ex his quæ*

Apoc. 20 vers. 12.

quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum. Iſti ſunt libri conſcientiarum noſtrarum, ex quibus tunc erimus judicandi. Quamdiu in hac vita degimus, occupati ſumus in iis conſcribendis; menda ſi quæ irrepſerint, nunc ita corrigi poſſunt, ut in diſtricto Dei judicio poſtea non reputentur. Si autem nunc relicta fuerint, non judicata per nos neque correcta, tunc judicabimur *ex his quæ ſcripta erunt in libris, ſecundùm opera noſtra.* Si ex libri alicujus ſcripturâ penderet vitæ noſtræ vel mortis judicium, relictuſque in manibus noſtris eſſet, ac noſtro commiſſus judicio, ad decodam pro libitu ſententiam, quantâ illum diligentiâ ſcrutaremur, ſicubi fortè contineret contra nos decretum mortis, & curaremus modis omnibus perniciosam iſtam obliterare ſcripturam? Hoc planè modo nobiſcum in præſenti vita agitur. Libri conſcientiarum ex quibus judicandi ſumus, penes nos ſunt atque in noſtra poteſtate; ut proprio contra nos inſtituto judicio & correptione, eradamus ex iis judicium mortis. Apoſtoli ſententia eſt: 1. Cor. 11. vers. 31 *Si nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Præoccupemus ergo faciem Judicis in confeſſione, ut ipſi ad judicium venienti dicere valeamus: Pſal. 118. vers. 121. *Feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me.* Nemo itaque qui rectè ſibi conſultum voluerit, aliarum actis dijudicandis occupetur, *ſed magis unuſquiſque judicet ſemetipſum.* Propriorum correptione defectuum, ſtudeat animam ſuam à divini judicii diſtrictione præſervare. Job 13. vers. 14. *Quare lacero carnes meas dentibus,* inquit S. Job, *& animam meam porto in manibus meis?* Serm. 2. ad Dom. 5 poſt Trinit. Hunc locum ſic interpretatur D. Antonius Paduanus: Dentibus carnes ſuas lacerat, qui carnalitatem ſuam dignâ reprehenſione accuſat: & ſicut non facilè illius rei obliviſcimur, quam in manibus portamus, ita ſe animæ ſuæ & propriæ converſationis perpetuò meminiſſe & curam habere oſtendit, tamquam rei ſibi chariſſimæ atque commendatiſſimæ, quam continuò portet in manibus. Ut ad hanc noſtri-ipſius cognitionem & dijudicationem continuam commoneret Deus, poſuit in fundo cordis noſtri inevitabile monitorium conſcientiæ: inſtituit inſuper obligationem comparendi exteriùs coram tribunali Sacerdotum ad faciendam de peccatis propriis accuſationem.

Ad hæc, arcano ſuo conſilio permittit in ſervis ſuis lapſus quoſdam graviores, quibus aperiantur oculi eorum ad palpabilem ſui cognitionem. *Qui de virtute ſe extollit* inquit D. Moral. l. 33. cap. 11. Greg. *per vitium ad humilitatem redit. Qui acceptis virtutibus extollitur, non gladio, ſed medicamento vulneratur. Quia ergo de medicamento nos vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum: ut qui virtute percutimur, vitio curemur. Nos namque virtutum dona retorquemus in uſus vitiorum; ille vitiorum illecebras aſſumit in artem virtutum & ſalutis ſtatum. Percutit ut ſervet, ut qui humilitatem currentes fugimus, et ſaltem cadentes hæreamus.* Quilibet in ſeipſo ſat multas & graves inveniet humiliationis materias, ſi cum ipſo ſuorum remanſerit lumen oculorum, ſi propriæ ſcrutetur conſcientiæ penetralia. Franciſcus, cùm in veritate ſpeculum eſſet & ſplendor omnimodæ ſanctitatis, in propria tamen reputatione non erat niſi peccator. Imò perquirenti ab eo Fratri, quid de ſe ipſo ſentiret? *Videor,* ait *mihi maximus peccatorum.* Vita c. 4. num. 7. Cùmque illi Frater diceret ex adverſo, quòd hoc non poſſet ſanâ conſcientiâ dicere neque ſentire; vide quàm ſubtilem excogitaverit rationem humile illud de ſe judicium verificandi: *Si quantumcumque ſceleratum hominem tantum fuiſſet Chriſtus miſericordiâ proſecutus, arbitror ſanè, quòd multò quàm ego Deo gratior eſſet.* F. Gonſalvus Sancius numquam ſiniſtri quippiam de aliquo ſuſpicari viſus eſt, Chron. p. 2. lib. 9. cap. 15. eò quòd adeò gravia ſibi propria viderentur peccata, ut aliorum omnium ſuperarent. Unde cùm cerneret alios pro delictis caſtigari, lachrymabundus penes ſe conquerebatur: *Quàm ſunt innocentes reſpectu mei, qui confundi deberem propter peccata mea & caſtigari.*

Denſa quandoque nebula ſeſe interponit, ne rectum de nobis ipſis feramus judicium. Superbiæ & præſumptionis diabolicæ faſcino præoccupati veritatem non agnoſcimus propriarum miſeriarum. Eas exiguas reputamus atque multipliciter excuſamus: maximè dum nullus eas animadvertit, qui earum nobis explicet turpitudinem. Amici ſi adverterint, tacent ut plurimùm, quia nos monitionis aut inſtructionis cognoſcunt incapaces. Si ex ore audiamus adverſariorum, vera eſſe non credimus, ſed iracundiæ ſolùm atque odii figmenta; nobiſque injuſtè mala iſta exprobrari, cùm tamen conſcientia aliqualiter ſic eſſe renuntiet. Quòd ſi laus aliqua ſive ſincera ſive adulatoria inopinatò accedat, jam pro indubitata habemus ſanctitatem propriam & innocentiam, & propriæ cognitionis lumen penitùs obnubilatur. Hanc miſeriam graphicè depingit D. Gregor. *Hypocritarum mentes, dum aliud eſt quod agunt atque aliud quod hominibus oſtendunt, laudes de ipſa ſanctitatis oſtentatione recipiunt: in æſtimatione hominum multis melioribus præferuntur, & cùm intus apud ſe tacitâ cogitatione ſuperbiunt, foris ſe humiles demonſtrant.* Moral. l. 33. cap. 4. *Cùmque ab hominibus immoderatè laudantur, tales eſſe quoque ſe apud Deum exiſtimant, quales ſe gaudent hominibus innotuiſſe. Unde fit, ut etiâ æternæ vitæ præmium ſe percepturos præſumant: & qui hic de humanis favoribus exultant, illic ſe habituros requiem omnino non dubitant. Sed inter hæc occultæ vocationis hora ſurrepit, & cùm carnis oculos claudunt, mentis aperiunt: moxque ut ſupplicia æterna receperint, ibi vident quâ virtutum æſtimatione divites in ſomnis fuerunt.*

Saniori judicio de hominum circa nos opinionibus cenſebat Chriſti diſcipulus Franciſcus, à ſummo dictum eſſe Magiſtro commemorans: *Quod altum eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum:* Luc. 16. vers. 15. Sed & verbum hoc dicere ſolitus erat. *Quantùm homo eſt in oculis Dei, tantùm eſt & non plus.* Stultum proinde judicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis, & de laudibus triſtabatur. Malebat quidem de ſe vituperium audire quàm laudem: ſciens quòd illud ad emendandum induceret, iſta impelleret ad cadendum. Juſtâ igitur & infallibili trutinâ *unuſquiſque judicet ſemet-*

ipsum. Morum defectus quos in nobis agnoscimus, in aliis consideremus quàm odibiles sint & indecentes: eâdemque distictione & displicentiâ eos in nobis-ipsis, sicut in aliis percellamus; eadem enim est in nobis & in aliis ejusdem vitii abominatio; quod tamen in nobis eò debet abominabilius videri, quod nobis maximè, neutiquam verò aliis sit nocumento. Hinc nostræ indignitatis cognitio atque judicium, tam immobile esse debet, ut quamvis mundus universus præclarâ de nobis enuntiet, fidem tamen minimè adhibeamus. Vita cap. 6. num. 10 Eâ praxi humilis utebatur Franciscus, ut cùm populi merita in eo sanctitatis extollerent, præciperet alicui Fratri, ut in contrarium, verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret.

Miseriæ item naturæ nostræ abundanter nobis ad infimam sufficiunt humiliationem. In eam corporis considerationem induci nos Chron. p. 4. lib. 9. cap. 35. debere dicebat B. Paschalis, ut haud aliter ac fœtidum cadaver æstimemus, scatensque vermibus, à quo omnes secundùm veritatem de ipso sentientes, averterent oculos, naresque obturarent, ad tantam non hauriendum abominationem. Animæ consideratione tan- Annal. Tom. 7. an. 1483. num. 31. topetè atterebatur F. Raphael de Varisio, ut numquam visus sit ridere aut lætari; causamque interrogatus dixit: *Tanto præoccupatus sum timore & tremore perdendæ nobilissimæ mihi concreditæ animæ, ut nullus mihi superesse possit locus lætitiæ.* Tantum est rationalis istius spiritus creari ad Dei imaginem pretium, simul & fragilitas. Thesaurum istum portamus in vasis fictilibus, & periculosâ gradimur viâ; proinde multiplici opus est circumspectione, ut offendicula caveamus. Cespitabis, si aliorum vestigia, & non tua consideraveris. Hæc erat Philosophia servorum Dei, nosse ac dijudicare semetipsos. Totum illorum studium in acquisitione istius sublimis sapientiæ versabatur. De se testatur Sanctus ille F. Joannes Lucensis: *quadraginta annis studui ad hanc cognitionem capessendam, nec adhuc ad eam me perfectè pervenisse arbitror.* Chron. parte 3. lib. 5. c. 39. Non tædebat viros illos laboris ac molestiæ: quia probè noverant scientiæ istius dignitatem ac fructum. Audi quid de ea sentiat præfatus F. Joannes Lucensis loco citato: *Agnoscere suam propriam miseriam, suprema omnium scientiarum est. Videns enim se nihil esse, confugit ad auxilium Dei, & reperit viam confidentiæ, & per confidentiam thesaurum amplissimum. Ex superbia & magna nostri-ipsius opinione labimur in graves confusiones, dum non fugimus occasiones peccatorum, & tandem ad ea defluimus. Humilis autem cognitor sui-ipsius fugit, & tutus evadit. Legite in vestris conscientiis, & invenietis, quanta utilitatis sit hæc humilitas.*

TEXTUS § XXXIX.

Et despiciat semetipsum.

SVMMARIVM.

Tres gradus tolerantiæ contemptuum & despectuum. 1. seipsum judicare vilem. 2. ab aliis vilipendi. 3. vilipensiones quærere. Exempla verorum humilium qui contemptus quæsierunt. Qualiter etiam imperfectiores hanc virtutem exercere possint.

REdocens David arcam à domo Obededom Gethæi in Jerusalem, & subsiliens atque saltans coram Domino, pro hoc despe- 2. Reg. 6. vers. 21. ctus fuit in corde Michol uxoris suæ atque reprehensus. Dixitque ad eam: *Ante Dominum qui elegit me potiùs quàm Patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israël, & ludam & vilior fiam plùs, quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis.* Arcam Dei novæ legis tabulas continentem, intelligere possumus sacrum Jesu Christi Evangelium. Hanc Franciscus reducturus in mundum, per institutionem Ordinis Minorum, qui in cordibus hominum mundanorum formam renovaret Evangelicæ vitæ, contemptus quàm plurimos à vanis sæculi hominibus retulit atque despectus. Cùm cives Assisienses in conversionis ipsius primordiis cernerent facie squalidum & mente mutatum; ac per hoc alienatum putarent à sensu: luto platearum & lapidibus impetebant, & tamquam insano & dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini nullâ fractus aut mutatus injuriâ, ut surdus in omnibus pertransibat. Tamquam alter David, istius vanæ Michol, istius mundi immundi pro nihilo duxit ludibria, sed *ludam*, inquit, *& vilior fiam, plùs quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis.* Idemque ab universo suo requirit grege Franciscano, dicens: *unusquisque despiciat semetipsum*, feratque fortiter illatos ab aliis despectus. Propter innatum cuilibet honoris & æstimationis appetitum, molestissimus est contemptus: eaque molestia & impatientia non de minimis est humanæ naturæ miseriis. Sed quos irradiat lux gratiæ supernaturalis, feliciter supra hujus molestiæ sensum elevantur atque insensibiles fiunt. Tres gradus hujus gratiæ observantur in varia Sanctorum conversatione.

Primus, est seipsum discutere in veritate, inventa confiteri vitia, & contemptus ex Dei decreto secundùm justitiam irrogandos, cum mentis resignatione præstolari. Hinc illustris

Psalm. 43. vers. 16. illustris ille pœnitens: *Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis & obloquêntis* conscientiæ. Psalm. 68. vers. 20. Et alibi: *Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, & miseriam.* Multi tamen qui sic de se judicant, testimonium perhibente conscientiâ ipsorum; honoris tuendi gratiâ, horrent cognosci foris atque confundi. Hinc ascendendus est.

Secundus gradus, ut despicientiam externam ultrò ab aliis irrogatam miti suscipiant animo, taceantque cum verecundia ad persecutiones, contemptus, & irrisiones. Eò pervenerat David, cùm ajebat: Psal. 37. vers. 14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: quoniam in te Domine speravi.* Super quo obser- In 3. Psal. Pœnit. vat Petrus Vega divinum modum acquirendæ surditatis sanctæ inter strepitus injuriarum, si animum transferamus in cælum, spe mercedis gloriosæ patientibus ibi repositæ. Si fores domus alicujus pulsentur fortiter, nullusque respondeat ab intus, signum est non auditi strepitum, & alibi esse inquilinos: sic dum foris perstrepunt injuriæ, contemptus & obloquia, si mens in cœlis est, neutiquam mirum videbitur, strepitum non audiri, neque responsum egredi à domo interiori; quia mens alibi est, in paradiso cœlesti: Sublimiorem adhuc modum in talium injuriarum occurrentiâ, Christus Luc. 6. vers. 29. docuit: *Qui te percutit in maxillam, præbe ei & alteram.* Ut alapam videaris non pro injuria, sed pro beneficio reputare, ut superiùs §. 31. retulimus Beatum consuevisse Juniperum. Sic declaratur animi supra injurias Lib. 1. Offic. c. 6. celsitudo. Præclarè de hoc D. Ambr. *Is qui citò injuria movetur, facit se dignum videri contumeliâ, dum vult eâ indignus probari. Melior est qui contemnit injuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat ita despicit; qui autem dolet quasi senserit, torquetur.*

Tertius gradus altior est, quem hoc Textu suadet Franciscus, non solùm alienos expectare contemptus, animoque immoto suscipere; verùm & despicere semetipsum ac ultrò ludibriis exponere ad superbiam efficaciùs retundendam, & recedendum magis à contemnendi proximum temeritate. Dei donum, & fortitudo non vulgaris est id aggredi, & fortiter in eo state. Hujus magnanimitatis prærogativa soli reservata erat Filio Dei.

Ad ipsius tamen æmulationem pro humano modo perfectissimè contendit humilis Franciscus. Accidit semel ut infirmitate gravatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate, modicum relaxaret. Viribus autem corporis utcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnia animatus opprobrium; Vita c. 6. num. 2. *Non est*, inquit, *conveniens ut populus abstinentem me credat, & ego è contrario carnaliter reficiar in occulto.* Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflammatus, & in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum Fratribus multis quos secum adduxerat, majorem introivit Ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis, in oculis omnium se trahi præcepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licèt quartanarius esset & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit. Audientibus cunctis asseruit se non tamquam spiritualem honorandum fore: quin imò tamquam carnalem & glutonem ab omnibus contemnendum. F. Martinus à Valentia, quem præparabat Deus ad Indiarum conversionem, directionemque eorum, qui in eodem essent opere laboraturi, in Ministrum eligebatur Provincialem. *Chron. p. 4. lib. 8. cap. 41.* Ne in ea evanesceret Prælatura, dum esset subditos visitaturus, priùs quàm eorum intelligeret corriperetque defectus, de propriis culpam agnoscebat, aspetáque disciplinâ publicè castigabat. Aliàs ab amicis carnalibus rogatus, ut Valentiam iret, aliquam subodoratus vanitatem, eamdem hoc modo elusit. Nudatus, ac fune ad collum injecto per sociū trahi se fecit in platea, ubi amici morabantur, nec non per alia publica loca, ubi contemptua & irrisiones gaudenti suscepit animo, sicque rediit ad Conventum. F. Juniperus ex contumeliarum Christi consideratione & admiratione in tantam earumdem accensus est æmulationem, ut sui compos non esset, & ab impetiro vulgo ob aviditatem sui contemptûs conquirendi, fatuus crederetur. F. Thomas Florentinus sive de Scarlino, unus ex fundamentalibus sanctæ Observantiæ lapidibus, hoc modo egregiè aptatus fuit & expolitus. Cùm tertiò cum sociis captus fuisset à Turcis, miserè habitus fuit & teterrimis carceribus mancipatus. *Annal. Tom. 5. an. 1447. num. 34.* Factâ sibi tandem facultate per urbem discurrendi, & sociis providendi; eâ tamen adjectâ conditione, ut sub vesperam rediret in carcerem: mirâ charitate magnoque labore per varias artes sibi commendatisque sociis victum providebat, & servilia quæque opera inter Saracenorum injurias & puerorum ludibria absque delectu subibat, ut Christi Confessores sustentaret. Semel crudelissimè à Saracenorum insolenti turba cæsus, in tertam collisus, in cœno revolutus, elevatis fimbriis turpiter illusus, flagris cæsus, & in capite vulneratus, lætus rediit ad socios, dicens: *Thesaurum natus ad vos dives regredior: plus ego vobis hodie lucri feci: permisit Deus, ut sui nominis hostes in me sævirent; certamen dedit forte, sed ut vincerem, clypeo eum me munivit christianæ patientia. Ecce belli vestigia, ecce prælantis indicia.* *Sap. 10.* Ostensis vulneribus rogavit, ut Deo laudes pro receptis beneficiis concinerent, & si ita expediret, ut malum deliniret. Obsecuti Socii, gratias reddiderunt, oraverunt, salutem suo impetrârunt Procuratori, nullo relicto signo cicatricum. Nescio si aliquis in hac palæstra sublimior aut similis Fratre Jacopono Tudertino reperiri possit. Videri possunt quæ de ipso superiùs § 20. retulimus. Hoc Christianæ Philosophiæ secretum ipse aliis quoque studuit persuadere imitandum, dicens: *Quisque debet ita se contemptu dignum & abjectum judicare, ut planè sibi persuadent mores* *Annal. Tom. 7. an. 1306. num. 44.*

mores suos omnibus esse fastidio: ita enim in modestia progressum facturus est, & faciliùs vitia emendaturus eorum inter quos versabitur: eapropter ego ajebat, in quacumque urbe degebam, cùm ex me quæreretur, an ab illorum commercio abhorrerem, respondebam: imò verò demiror me ab illis tolerari, nec me instar mali omnes è civitate exterminari. Sui contemptio, virtutum est seminarium, vitiorumque omnium expiatrix. Homo non se tantùm ipse horreat, sed & ab aliis horreri desideret. In eamdem sententiam cuidam fuso amico scribebat devotissimus F. Conradus Offidanus: *Servus Christi desideret despici & vilipendi, & opprobriari ab omni creatura, & velit quòd omnis creatura credat eum talibus dignum: ita quod nullus sibi compatiatur; nec velit vivere in corde alicujus, nisi solùm Jesu Christi, nec quocumque modo ab alio reputari.* Quod licèt in experientia durum & triste videatur, judicium tamen viri istius, pro magno bono reputari debet; prosequitur enim: *Scias & veraciter credas te tanto bono esse indignum, & à te nullo modo posse prædicta haberi: Et quòd quantò plùs de istis habueris, tantò magis videaris tibi in reputatione propria minùs habere.*

Ibid. n. 3.

Quod si nos miseri non tam heroico fervore in nostri feramur contemptum, sicut sublimes istæ animæ, saltem parvos nostrarum personarum neglectus miti suscipiamus animo, eum silentio ac patientiâ sustineamus, non juxta æstimationem nostram propriam ab aliis æstimari, aut quid leve ab imperitis quibusdam, invidis aut aliter malè affectis in nostrum fieri contemptum. Tessera Fratris Minoris est, de his non querulari, sed & gaudere. *Perfacile est*, inquit D. Bernardus, *vestem habere contemptam, submissas manus, & genua deosculari inclinato ad terram capite, oculisque dejectis humilitatem ac mansuetudinem pollicери, lentâ tenuique voce proferre sermones, suspirare crebrius, & ad omne verbum peccatorem se, ac miserum proclamare.* Sed invenias de talibus, qui *si levi sermone offensus fuerit, continuò incipiat attollere supercilium, levare cervicem, & subito oris sono, insanoque clamore obstrepere ac murmurare.*

In Apoc. cap 9. vers. 7.

CAPUT TERTIUM.

De divino Officio, & Jejunio, & qualiter Fratres debeant ire per Mundum.

CLerici faciant divinum Officium secundùm ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem, & orent pro defunctis. Et jejunent à Festo omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania Domini usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntariè eam jejunant, benedicti sint à Domino: & qui nolunt, non sint adstricti; sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi sextâ Feriâ jejunare. Tempore verò manifestæ necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Consulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent: sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifestâ necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint primùm dicant: Pax huic domui. Et secundùm sanctum Evangelium, de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare.

TEX-

TEXTUS & §. I.

Clerici.

SUMMARIUM.

Clerici Novæ legis, veteribus Levitis comparati. Supereminent Laicis in vita sanctimonia. Qualiter juniores se disponant ad sacerdotium. Diaconorum & Subdiaconorum obligatio. Quàm periculosa eis ambitio sacerdotii. Gravis monitio Francisci ad clericos universos, ut servent altaris munditiam.

Numer. 3. vers. 5. & 6. LOcutus est Dominus ad Moysen dicens: Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent ei & excubent, & observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, & custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus. Et modum eos præparandi ad sanctas istas functiones alibi decernens, ait: Cap. 8. vers. 13. *Statues Levitas in conspectu Aaron, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei, & postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi.* Simile est in nova Lege, multoque sublimius Clericorum officium, qui altaris Dominici & incruenti Sacrificii ministerio deputantur. Ut isti divino muneri præparentur, Ecclesiæ suæ præscribit Christus: *Statues eos in conspectu* Pontificis, *& consecrabis* ordinationis Sacramento vel tonsurâ clericali *oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel*, ut sint à laicorum conversatione separati, & reliquorum Christianorum vitæ atque moribus supereminentes. Hoc cùm S. Ambrosius Lib. 3. Epistola 20. multis sacræ paginæ exemplis persuasisset Irenæo, concludit in hunc modum: *Videe nihil in Sacerdotibus* (idem est cum proportione de inferiorum graduum Clericis) *plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu & moribus inconditæ multitudinis? Sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat; si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat; si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quadam gregalis conversationis, ac detrita via orbitas declinemus; sed quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium; inviam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deterat: maculosus scilicet ignavia sua sordidus, & fimo iniquitatis oblitus.*

Ad hujusmodi vitam, & virtutum ornamenta juniores Clerici tempestivè præparentur. In ipsis facienda est probatio & exercitatio initiativa earum perfectionum, quæ Sacerdotalem ornare debent dignitatem. Vulgare est, ut quos mundus ad militiam parat, & ad gloriosos in illa triumphos, ab adolescentia equis assuefaciat regendis; armis, cursu, luctâ, gladiatoriâ arte similibusque exerceat præparativis. Qui Foro & Rostris destinati sunt, praxim forensem, legumque imbibunt peritiam; disputationibus, pactis, concordatis, litigiorumque examinibus occupantur. Denique hoc unusquisque ab ineunte ætate studet manibus ac mente terere, quod in adulta meditatur exercere. Igitur qui ad præcelsum istud, & ipsis tremendum Angelis Sacrificii divini munus destinati & selecti sunt, cur non tempestivè ad sacerdotalem sese exerceant pietatem, quæ non potest in momento, sed exercitatione diutinâ comparari? Solida hujus mysterii fides, attentissima mentis ad hoc opus applicatio, reverentia profundissima, cœlestis cum Deo conversatio, & hujus mensæ gustus, aliaque Sacerdoti necessaria, non ita facilis sunt acquisitionis, quin longum, attentissimumque studium prævium mereantur. Quòd si sacratissima Christi Mater à primo suæ conceptionis instanti, præveniente Dei gratiâ ad Maternitatis Dei officium extitit divinitùs præparata, illamque præparationem procedente ætate proprio studio auxit, continuoque labore; quid facere eos convenit, qui Christi Sacerdotio destinantur, quod à plerisque fuit officio Maternitatis Dei non immeritò comparatum?

Oportet, inquit Apostolus *Diaconos pudicos* 1. Tim. 3.
esse; non bilingues, non multo vino deditos, non vers. 8.
turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Exemplar sumant sibi necessariæ perfectionis ex SS. Petro & Joanne, qui primi Christi Sacrificii Diaconus & Subdiaconus extiterunt:
Misit, Salvator, *Petrum & Joannem, dicens:* Luc. 22.
Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. Illo vers. 8.
mandato directi sunt, ut omnia ad solemnem hanc actionem necessaria præpararent; summoque Sacerdoti assisterent incruenti sui Sacrificii primitias oblaturo. In Petro enituit excellentia charitatis; Joannem prærogativa castitatis ampliori Salvatoris dilectione fecerat dignum. Has virtutes simulque imam humilitatem, Ministros Sacerdotum, ad altare convenit apportare.

Humili nostro Francisco sufficiebat Diaconatus, neque ausus erat ad gradum conscen-

dere Sacerdotalem. Reputabat se non habere sanctitatem isti dignitati, plùs quàm angelicæ, competentem. Mirabilis est aliquando temerariorum juvenum pruritus & cupiditas ad Sacerdotii dignitatem: qui non absque virorum cordatorum offensione impatientiam suam ex dilatione manifestant, querulantur, amicos promotores callidè sollicitant, admissique immodestiùs exultant. Primitiæ sunt latentis intùs ambitionis: quæ licèt non exigua videatur ob materiæ levitatem, tamen crescentibus annis & occasionibus, excrescet in impudentem majorum officiorum cu-
Ecclesi.11. vers.32. piditatem. *Sicut enim eructant præcordia fœtentium*, inquit Ecclesiasticus, *& sicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum: sic & cor superborum.* Proprias laudes *eructant* ut promoveantur; vel invidiosas murmurationes de æqualibus suis ante eos promotis. Et licèt astuti videantur *sicut perdix*, & acuti visus *ut caprea*; laqueo tamen ambitionis capti manent, & irretiti; ita ut crescente insaniâ istâ, post adeptum sacerdotium, cogitent, & gradatim ad officia aspirent honorabiliora. Horum conatus reprimi convenit circumspectâ Patrum providentiâ, & veram eis de seipsis ingeri opinionem. Prætereundum tamen non est unum S. Pachomii factum, dum similis tulerit occasio, & spes profectûs spi-
Surius ad 14. Maii num. 37. ritualis. Venerat ad eum Præfectus monasterii cum Fratre qui urgebat molestissimè, ut dignitatem assequeretur clericatûs: quem cum videret indignum, variè differebat. Cùmque non valeret amplius Fratris sustinere molestiam, speravit sanctum virum posse contentionem dissolvere. Qui cùm cognovisset caussam, dixit Presbytero: *Non venisti ad me ut Dei exquireres voluntatem? Audi ergo me, & concede ei suam petitionem, ne desperet. Fortasse per id abstrahemus animam ejus ab inimico. Contingit enim virum quoque malum si beneficio afficiatur, venire ad sensum boni. Meliorum enim rerum desiderium solet animabus minimè dissolutis & ignavis esse veluti certum pignus quod se gerent ex virtute. Nobis quoque, Frater, oportet hoc facere: quæ est enim ex Deo dilectio, in eo consistit quòd alter alterius moveatur misericordia.* Frater assecutus desiderium suum, compunctus agnovit suam tentationem apostandi, nisi clementiâ fuisset servatus Pachomii: ac deinceps vitam duxit suâ dignam professione. Hinc discant Prælati prudenter subditorum perpendere desideria: & severitatem in similibus casibus subindè remittere, ne quassatus calamus conteratur. Subditi verò quibus gratia indulgetur & misericordia, novos inde assumant animos, ad vitam perfectiùs instituendam.

Monentur deindè Ministri altaris, exemplo discipuli illius quem diligebat Jesus, munditiam mentis & corporis ad altare apportare. Ipse præëminebat aliis, prærogativâ Castitatis. Ipse quæsivit cœnaculum bene mundatum, & nitidè stratum, in quo Pascha novæ Legis offerretur. Justus etiam Joseph ab Arimathæa, acceptum Corpus Jesu involvit illud in sindone munda. Hoc est Ministrorum altaris officium, paramenta sacrificii, cum quibus immaculatus agnus Dei tractandus est, & in quibus collocandus, munda exhibere. Graviter super hoc scribit Seraphicus Pater noster omnibus totius mundi Clericis in hæc verba: *Omnes illi qui ministrant tam sanctissima Mysteria, considerent intra se; maximè hi qui in-* *Tom. 2. Opusc. S. Franc. Epistola 12.*
discretè ministrant, quàm viles sint calices, corporalia, & linteamina ubi sacrificantur Corpus & sanguis Domini nostri. Et à multis in locis vilibus relinquitur, miserabiliter portatur, & indignè sumitur, & indiscretè aliis ministratur. Non movemur de his omnibus pietate, cùm ipse pius Dominus in manibus nostris se præbeat, & eum tractemus & sumamus quotidiè per os nostrum? An ignoramus quia debemus venire in manus ejus? Horrendum sanè incidere in manus Dei viventis. Proinde placeat nobis Viri Sancti monitum, sic concludentis: *Igitur de his omnibus, & aliis, citò & firmiter emendemus; & ubicumque fuerit sanctissimum Corpus Domini nostri Jesu Christi illicitè collocatum, & relictum; removeatur de illo loco, & in loco pretioso ponatur & consignetur.* Neque consilii tantùm hoc esse, sed etiam præcepti, indicat dicens: *Scimus, quia hæc omnia tenemur super omnia observare secundùm præcepta Domini, & Constitutiones Sanctæ Matris Ecclesiæ. Et qui hoc non fecerit, sciat se coram Domino nostro Jesu Christo in die Judicii reddere rationem.*

TEXTUS & §. II.

Faciant divinum Officium.

SUMMARIUM.

Franciscani, sorte vocati, ut sint in laudem gloriæ Dei, per divini Officii congruam celebrationem. Devotio Francisci & Ludovici sub divino Officio. Remuneratio devotè illud recitantium. Justæ punitiones perfunctoriè, negligenter & indevotè recitantium.

Apoc. 15. vers. 2. & 3. Scribit D. Joannes in Apocalypsi, se vidisse *tamquam mare vitreum, mistum igne: & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum,*

habentes

habentes citharas Dei : & cantantes canticum Moysi, servi Dei, & canticum Agni. Per *mare vitreum*, Ribera accipit sæculum, quia fragile est instar vitri; de quo cecinit B. Jacoponus:

Cur mundus militat
Sub vana gloria
Cujus prosperitas
Est transitoria
Tam citò labitur
Ejus potentia
Quàm vasa figuli
Quæ sunt fragilia.

Hoc mare *mistum est igne* concupiscentiæ; 1. Joan. 2. vers. 16. *quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Legitimi Franciscani, qui sub signis Seraphici Ducis militantes, *vicerunt Bestiam*, hoc est Diabolum & omnes pompas ejus; *Stantes super mare vitreum* hujus mundi, ipsum suppeditantes & contemnentes; stantes in litore Religionis quod mari imminet, estque supra mare. Isti inquam habent *cytharas Dei, cantantes canticum Moysi servi Dei*, sive Francisci, præcipientis præsenti Textu: *Faciant divinum Officium*, cantantes nocte & die *canticum* sive laudes *Agni* Dei qui tollit peccata mundi, Adeo Ephes. 1. vers. 11. ut gloriari possint cum Apostolo: *Nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus nos, &c.* Vocati sumus & electi, ut more cœlestinm spirituum, attentè, quietè, non præcipitanter, præparatione debitâ, mente ad præsentiam summæ Majestatis inclinatâ, reverenter, gaudenter, cum ferventi & seraphico amore *Officium* faciamus verè *divinum.*

Psalm. 46. vers. 8. Illud est, quod monet Regius Psaltes. *Psallite sapienter.* Ubi rectè notavit Exim. D. Guil. Estius in Græco exprimi *intelligenter*; in Hebræo: *eruditè.* Docens hæc tria psallenti conjungenda, ut psallat *eruditè*, hoc est convenienti syllabarum distinctione, interpunctione, morâ, & si quid aliud decentem pronuntiationem spectat. *Intelligenter*, ut quod legit intelligat, & ad ea quæ legit attendat. *Sapienter*, ut ad ea quæ verbis significantur, quodam devotionis affectu feratur, & spiritualem in eis sapiat devotionem. Quibus similia habet Annotat. in Psal. 46. Franciscus Titelmanus, addens fieri posse, ut quis sapienter psallat, qui tamen eorum quæ profert omnino nihil distinctè intelligit: modò Deum jugiter ante oculos habeat, illique totâ mentis acie intendat; recitat etenim talis sacra cantica, sciens iis altissimas Dei laudes ac veneranda contineri mysteria, esseque à viris adeò plenis composita, cujusmodi ipse numquam posset conficere aut proferre. Qui proindè illa ore recitat, quasi Deum spectatorem & acceptatorem istarum laudum ei oblatarum ante oculos jugiter habeat, valde sapienter psallit. Idque magnæ consolationi esse debet Deo sacratis virginibus, aut illis, qui sensum psalmorum non penetrant. Intelligunt isti utique quod psallunt, dum Deum, cujus sciunt se laudes proferre, intelligunt ac mente tenent. E contrà incipienter psallunt, qui sola verba recitare contenti, corde divagantur per castra, civitates & regna, imò & per universi orbis latissima spatia; corde à Deo plurimùm elongati. Verè autem non est hoc *officium divinum*; non est hæc laus quæ Deum nostrum decet: non est hæc decora in ejus oculis laudatio, qui totâ mentis attentione jute optimo laudandus venit. Ejusmodi psalmorum cantoribus, vel potiùs delatratoribus rectè illud convenit propheticum, ex ore Domini: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Isa. 29. Matth. 15.

Æmulemur S. Patris Nostri pietatem. Solitus erat Dei servus, horas canonicas non minùs timoratè Deo persolvere, quàm devotè, Vita ejus cap. 10. Nam licèt oculorum, stomachi, splenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, vel parieti inhærere dum psalleret; sed horas semper erectus, & sinè caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum; hujusmodi consuetudinem reverenter & sacram, propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim: si quietè comedit corpus cibum suum, futurum eum ipso vermium escam; enm quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus vanis phantasmatibus interiùs vagaretur. Cùm aliquid tale accideret, non parcebat Confessioni, quin illud protinùs expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissimè muscas hujusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum diceret Tertiam, in memoriam veniens, paululum ipsius animum distraxisset; motus fervore spiritûs, vasculum igne consumpsit, dicens: *Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit.* Psalmos cum tanta mentis & spiritûs attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet: & cùm nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine, labia sua lingere videbatur. Nomen autem Jesu cùm exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari: ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum. Sanctus quoque Ludovicus, terrestris ille Angelus, adhuc Laicus, pensum Sedulius c. 5. Vita divini Officii, diurnum pariterque nocturnum, ex more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, studiosissimè Domino quotidiè persolvebat: molestè ferens, & severè arguens, si quos in precando videbat properare nimiùm; aut quovis modo divinum illud opus interturbare. Psalmos legebat miro fervore, animoque adeò intento, tamquam ipsum Deum præsentem intueretur: ut exemplo suo torpidos & segniores ad affectum pietatis vehementer excitaret, serenâ facie & vultu placido, semper interiorem significans lætitiam spiritus & jucunditatem. Quia verò est, quod vulgò dicitur, *Ubi cor, ibi oculus*: tantisper dum orabat, in Ecclesiis præsertim, oculos in Crucifixi imaginem defigebat: ut sibi flamma in pectore rerum cresceret divinarum.

Ista est seraphicorum Franciscanorum praxis divi-

Dernoye Medulla S. Evangelii. Q 2

divinum faciendi Officium. Mirum verò in modum eam sibi gratam esse ostendit Altissimus, præmiisque animæ & corporis fuit munificè remuneratus. Duo placet exempla de quàm plurimis referre. B. Dulcelina, Virgo Tertiaria, cùm in templo FF. Minorum oraret in die Penthecostes, vidit descêdentem Spiritum Sanctum in linguis igneis super Fratres psallentes in choro: atque aliàs diversimodè eos effulgere conspexit, juxta plures vel pauciores quos recipiebant gradus charitatis. In Provincia S. Jacobi, Custodiâ verò Eborensi, & Conventu Extremi, vulgo Lusitanico *Estremoz*, dum Fratres nihil haberent quod in crastino manducarent, Guardianus vir pius, hortatus est ut bono essent animo, & solemniùs illâ nocte canerent Matutinum, Deumque, ut præsenti succurreret necessitati, instantiùs orarent. Fecerunt ita, Deusque illorum preces exaudivit, excitato à somno quodam Petro Boni, illius loci incolâ locuplete, sed avaro, & erga pauperes, præsertim Minores, valde crudeli. Vidit hic super tectum templi, viginti novem candelas accensas, optimo ordine dispositas: & aliquando duas, aliquando unam, deindè alias ultra cæteras ascendere; ita quòd egregiè ordinata videretur vicissitudo candelarum ascendentium. Admiratus valde, uxorem expergefecit, quæ piè interpretata visionem, suasit ut die sequenti aliquid Fratribus erogaret. Accessit ille postridiè ad loci Præfectum, interrogavitque quot haberet domi Fratres? Qui respondit viginti novem esse incolas monasterii; quos cùm intellexisset candelarum numero adæquari, non immeritò judicavit per easdem designatos in choro psallentes; & per ascendentes indicari, qui mentis elevatione, aut majori attentione divinum psallebant Officium. Misit itaque protinùs, quod illo die manducarent, & deinceps fuit illorum benefactor singolaris.

Annal. Tom. 2. an. 1290. num. 51.

Ibid. an. 1291. num. 6.

Neque minùs visa est aliquando divina Justitia, peccatum negligentiæ in Officio divino, contiguâ ferire castigatione. In Oxuniensi monasterio, mira accidit res, quâ significatum voluit Dominus, quàm seriò & reverenter solvi velit pensum Ecclesiasticum, & in suo conspectu dignâ reverentiâ horas recitari canonicas. Evênit, ut quispiam Fratres inter Completorii preces moverit ad risum, illique minùs religiosè loci sanctitatem respicerent, quin dissolutè riderent: repentino & magno fragore Christi crucifixi effigies, quæ super chori ostium pendebat, verso ad Fratres vultu, indignationem & subsannationem erga ridentes indicavit. Quam & illi senserunt: nam ex tremendo fragore, & commoto Christi vultu, statim tabescentes, qui præcipui erant in culpa, paucis post diebus vitam cum morte commotârunt. Consimili severitate judicii cælestis perstringendi sunt, qui truncatim, sinè ordine, sinè devotione, mente alibi vagante, enunciant verba ab ore languido, parvi ducentes si per hoc opus placeant præsenti Deo vel displiceant. Ludolphus de Saxonia, explicans illud *Spiritus quidem promptus est, &c.* appositè monet, pungitque quorundam negligentiam, dicens: *Non tepidè, sed cum magno fervore oris, sicut fecit Dominus: & hoc non parùm, sed prolixè & distinctè: non sicut illi qui festinanter horas solvendo, & si non verbo, facto tamen dicunt expediamus nos de his, quia habemus alia facere magis necessaria; quasi ad utiliora atque majora festinantes.* Hi profectò non faciunt, sed profanant divinum Officium, dum profanis rebus, minorisque momenti nituntur postponere.

Annal. 2. m. 1. an 1220. num. 64.

In vitam Christi p. 2. c. 59.

Horrendum est judicium, quod in multos tum Religiosos, tum sæculares Clericos nostris temporibus exercuit Deus; in eorum Ecclesias multis in locis perpetuum inducendo silentium: permittendo urendas profanis & impiis hæreticorum conventiculis, vel funditùs evertendas, quæ erectæ erant primitùs pro exercendis catholicæ Religionis sacris, & ad glorificandum laudabile nomen Domini. Multa scelera tum populi tum cleri occasionem illi justæ dederunt punitioni. Ut inter illa etiam computare possimus illum, de quo in præsenti loquimur abusum, ansam præbet comminatio per Prophetam olim contra populum facta Judaicum: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Quam eòusque mandatam esse cernimus executioni, ut de templis & choris Catholicorum completum videatur, quod per eumdem Amos dudum prædixerat Dominus: *Venit finis super populum meum Israël, non adjiciam ultrà ut pertranseam eum*, absque notabili vindicta: *& stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus*, dum vi effringentur à profanatoribus ejus: *multi morientur*, non relictis Catholicis piisve Religiosis successoribus: *in omni loco projicietur silentium*, prout passim in Anglia, Germania, Hollandia ac variis Flandriæ & Brabantiæ partibus, cum inconsolabili tristitia fieri videmus; dum in Templis divino dicatis cultui penitùs silent divinæ laudes, & quandoque in stabula equorũ, delubra vertuntur sanctorum. *Justus es Domine & rectum judicium tuum.* Confitendum nobis est cum glorioso Martyre Machabæo: *Nos peccatis nostris hæc patimur.* Ut autem denuò reconcilietur servis suis, *Exaltantes eum repleamini virtute*, humilitate, charitate, castitate &c. Quinam enim loquentur potentias Domini, auditas facient omnes laudes ejus, nisi illi *beati, qui custodiunt judicium & faciunt justitiam in omni tempore?* Qui vitam ducunt choris dignam Seraphicis, & quorum jugiter est in cælestibus conversatio.

Amos 5. vers. 23.

Amos 8. vers. 2.

2. Mach. 7. vers. 32.

Eccles. 43. vers. 34.

Psal. 105. vers. 3.

TEX-

TEXTUS & §. III.

Secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio.

SUMMARIUM.

Cor Francisci est aureum thuribulum, plenum igne charitatis & incenso devotionis. Institutio Chori, Cæremoniarum ac solemnitatum, præsertim cantûs commendatur. Idem usurpatus fuit in Ecclesia & Ordine Seraphico, ab utriusque primordiis. Quàm præstans exercitium sit chori frequentatio ad divinum Officium.

F. Petrus Aureolus, eminentissimus S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis, in suo aureo Breviario Biblicorum, pertractans illud Apocalypsis: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium, super altare aureum. . .Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram, &c.* hujusmodi tradit interpretationem: Angelus iste est Damasus Papa; legitur enim quòd ipse ad instigationem Hieronymi, tempore Valentis, instituit, ut in fine cujuslibet Psalmi cantaretur: *Gloria Patri*, &c. Instituit & Psalmos in Ecclesia noctè dieque cantari. Dicit igitur, quòd *alius Angelus*, scilicet Papa Damasus, *venit & stetit ante altare*, ut impleret officium sacerdotale, *habens thuribulum aureum*, cor scilicet devotione & charitate plenum, *& data sunt ei incensa multa*, liber videlicet Psalmorum, qui plenus est orationibus ferventissimis & odoriferis; *ut daret*, id est ordinaret per totum orbem, *de orationibus sanctorum super altare* Majestatis divinæ, *& ascendit fumus incensorum* coram Domino; quia hæc institutio fuit salubris Ecclesiæ, & multùm placet Deo. *Accepit* autem iste *Angelus thuribulum plenum de igne altaris, & misit in terram*, quia declaravit toti Ecclesiæ per orbem diffusæ, quantâ devotione & charitate erga Deum cor ejus æstuaret. Alter *Angelus* ascendens ab ortu solis, habens signum Dei vivi, Franciscus scilicet, *accepit* similiter *thuribulum* cordis sui *& implevit illud de igne* charitatis. *Charitatem ferventem*, inquit Bonav. *quâ sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat. Totus namque quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flammâ videbatur absorptus.* Ecce qualiter implevit cordis thuribulum de igne altaris. *Et misit in terram*, volens non solùm ipse ardere, sed totum quoque mundum cooperante Domino accendere. Quod Sancta Dei agnoscens Ecclesia orat: *Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci Passionis tuæ sacra stigmata renovasti, concede, &c.* Ut eum verò ignem excitaret, & faceret vehementer accendi, præbuit filiis suis flabellum jugis precationis, & *incensa multa de orationibus sanctorum omnium*, tamquam illius divini ignis perpetuum fomentum, & quidem de illis, quæ sunt *super altare aureum* Romanæ Ecclesiæ, præscribens universis suæ familiæ Clericis facere divinum Officium *secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*.

Apoc. 8. vers. 3.

Vita cap. 9.

Cernebat Franciscus suo præsertim tempore non eamdem ubique servari formam ac ordinem divini Officii; sed pro locorum ac diœcesum varietate plurimùm variari. Quod cùm in unica sua fraternitate per varias orbis christiani plagas diffundendâ confusionem non modicam generare posset; præsertim ob incertam ac mutabilem Fratrum diversis in locis habitationem: voluit vir totus Apostolicus Ecclesiæ Romanæ & Apostolicæ normam ac ordinem in divino Officio inviolatè ubique servari, sciens inter omnes esse normam securissimam, quam cæterarum Ecclesiarum Mater & Magistra probavit.

Hic porrò ordo S. Romanæ Ecclesiæ, quantùm ad nostrum intentum spectat (litteralem sensum, ac obligationem explicârunt satis Commentatores Regulæ) ex variis exurgit. Cernitur enim in illa chorus: cernitur Officii substantia & ritus seu cæremoniæ, cernitur denique cantus. Chorum seu modum alternatim psallendi didicit Ecclesia (teste Damasceno) ab istis Seraphinis, qui (ut vidit Isaias) *clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus* clamabant scilicet alternis vocibus: idque potissimum, ut homines docerent in choro alternis psallere, sicque continuò & concinnè Deum laudare, seseque ac cæteros ad divinas laudes excitare. Quas rationes institutæ psalmodiæ pulchrè notavit S. Bonaventura. Angelos quoque alternatim psallentes vidit S. Ignatius Martyr, teste Socrate, indeque alternam psalmodiam in suam Ecclesiam induxit. Unde liquet psallentes in choro angelorum opus imitari, imò officium subire. Quin & psallentibus nobis, Angelos unà psallere novit

Lib. de Trisagio. Isaiæ 6. vers. 3.

De Sex alis Seraphim cap 2. Lib. 6. Hist. c. 8.

 S. Chry-

In Ps. 137. Pal. 537. S. Cbryfoftomus (tefte Bellarmino) explicaos illud Pfalmiftæ: *In confpectu Angelorum pfallam tibi.* q. d. è regione Angclorum pfallam, quafi unum chorum faciuor angeli, alierum homines, velur invicem refpondentes. Ex quibus patet eacellenria hujus operis, quæ juncta mulsiplici uilitari, quam unctio & eaperientia docer, adeò exrimulabat animum *Annal. Tom. 3. an. 1322. num. 28.* B. Joannis ab Alvernia, ur oon pateretnt fe divelli à confortio pfallentium in choro; cui ut interesset, noctu è cella fua folitatis pergebat nudis pedibus per vias nive coopertas, & lubricas, ac hiatibus terræ vicinas; fie ur quandoque in nivem demerfus, eàque totus afperfus, femper tameo lætus cum Fratibus conciøèret.

Ordinar infuper S. Romana Ecclefia Officium non femper idem, fed pro temporis ac feftorum diverfitate varium, exornans illud variis eaternis cæremoniis & ritibus, in folemni præfertim pfalmodia accuratè obfervandis: nt fuot genuflextones, incenfatiooes, adorationes, corporis inclinationes, lumina accenfa, ornamenta, & id genus alia, à Majoribos & Pontificibns ex abundantia fidei ac devotionis inftitura; quæ eâdem fide & drvotione funt obfervanda. Si erenim aridâ mente abfque fpirituali intellectu fierent, opus potiùs hiftriorum effent. At fi debitâ devotione ac Deo dignâ gravitate & majeftate peragantur, interna pictas augetur, imò & in oculis fpectantium mira refplender venuftas, cunctorumque animi ad reverentiam & devotionem eacitantur; fed & corda peccatorum non ratò ad pœnitentiam emolliuntur, aut etiam ad vitam religiofam accedunuur. Homines fumus corpore & fpiritu conftantes: quibus proindè fenfibilia ifta fymbola in communi Dei cultu congruebant, ut ab eis laudetur corpore & fpiritu, & à corporalibus mens ad fpiritualia eacitetur.

Neque ifta parvipendenda effe, Deus ipfe aliquando mooftrsvit mittendo angelum, qui cæremonias fuppleret. Cùm enim pfallerent Fratres in choro F. Ertfortus provinciæ *Annal. an. 1249. num. 9.* Saxoniæ, ounc Tburingiæ, vidit angelum eos thurulo aureo incenfantem. Aliàs ob neglectum rituum ultio divina fuit in vifione monftrata. Cùm enim pio Religionis more *Chron. p. 2. lib 9. cap. 22* Fratres ob reverentiam Sanctiffimæ Trinitatis fe confueverint ad verfum *Gloria Patri, &c.* humiliter inclinare; piger quifpiam hoc noo curaverat. At poft mortem vifus eft ftare fuper exilem columnam quafi pofitam io medio mari, io qua centies per diem & toties per noctem cogebatur profundè inclinari, cum fummo timore decidendi in mare; quateoos fic neglectæ cæremoniæ culpam expiaret.

Cantus denique io Officio publico eft inter præcipuas ejuidem folemnitates. Et quidem in S. Romana Ecclefia *jam ab inftituta fedis ex-* *Ad ann. Christi 60. num. 13.* *ordio Pfalmorum cantus coaluit*, teftibus Baronio & Spondano. Cujus efficacia quanta fit ad inflammandum corda fidelium, proprio D. Auguft. confitetut experimento, loquens *Lib. 9. confess. c. 6.* Domino in hæc verba: *Nec fatiabar illis diebus, dulcedine mirabili confiderare altitudinem confilii tui, fuper falutem generis humani. Quantùm flevi in hymnis & canticis tuis, fuavefonantis Ecclefia tua vocibus commotus acriter. Voces illa influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum: & exæftuabat inde affectus pietatis & bene mihi erat cum eis.* Excitandis fimiliter aliorum cordibus ad pietatem, ait inftiturum effe in Ecelefia Mediolanenfi, *ut hymni & pfalmi canerentur, fecundùm morem orientalium partium, ne populus mæroris tadio contabefceret: & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus Domini gregibus etiam per cæteras orbis partes imitantibus.* *Ibid. c. 7.* Hanc pietatis fidelium promotionem etiam refpicit pia Mater Ecclefia; fatagitque amovere quidquid in devotionis cederet diminutionem. Devotiffimus S. Romanæ Ecclefiæ filius Francifcus, omni conamine ftuduit hanc divini Officii magnificam folemnitatem Ordini fuo Seraphico ab ipfis incunabulis infinuare, & modis omnibus reddere commendatam. Iftud eft proprium Seraphinorum officium fuperiùs explicatum. Hinc à Religionis Francifcanæ exordio multiplicia legimus ejus fancti exercitii exempla. S. Clara infirmitatis *Annal. Tom. 2. an. 1252. num. 10.* erat affixâ lectolo, in illa Nativitatis bora, quando Parvulo nato, mundus cum Angelis jubilat: omnes Religiofæ ipfius ad Matutinum in oratorium pergunt, & Matrem infirmitatibus preffam folam relinqnont. Cùmque de parvulo Jefu cogitare cœpiffet, & multùm doleret, quòd ejus laudibus intereffe non poffet, fufpirans ait: *Domine Deus, ecce fola relicta fum tibi in loco ifto.* Et ecce tepentè mirabilis ille concentus, qui in Ecclefia S. Francifci fiebat, fuis cœpit auribus intonare. Audiebat jubilum Fratrum pfallentium, barmonias caotantiom attendebat, ipfum quoque percipiebat fonitum organorum. Præclarus Ordinis noftri Chronologus R. P. Waddingus, ibi judicavit obiter adnotandum, *Ibid. n. 21.* non adeò ablegaffe S. Francifcum, nec primævos Ordinis Patres Pfalmodiam aut cantum, imò nec ufum organorum, aut aliorum muficalium inftrumentorum, ut modò quidam volunt, & fuis congregationibus penitùs interdicunt. *Vita c. 16.* Eo tempore quo D. Antonius Paduanus apud Montem Peffulanum prælegebat, quodam folemoi die concionabatur, omni & cleto & populo aufcultante. Sermone inchoaro, occurrit animo, fe officium quoddam fibi injunctum alteri noo demandaffe. Moris illic erat, ut in præcipuis Dei folemnitatibus, duo infignes Fratres, fub fummo Sacrificio *Alleluja* cantarent: Quod officiom tùm incumbebat viro Dei. Itaque magno quodam mœrore affectus, in pulpitum caput cucullo operiens, fefe reclinabat, & coram omni illa auditorum frequentia, fic aliquamdiu permanfit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit. F. Joannes de Parma totius Ordinis Generalis *Annal. Tom. 1. an. 1249 num. 2.* Minifter in Epiftola ad Miniftros Tofciæ volens providere ne circa divini Officii folemnitatem diminutio vel immutatio aliqua fieret, quod quidam machinabantur, fic fcribit: *Quia ficut indubitanter cognovi, nonnulli Fratrum Officium divinum, quod de Regula noftra fecundùm ordinem Sancta Romana Ecclefia*

celebrare

celebrare debemus, in littera mutare interdum, sed in cantu maxime variare præsumimus, minùs pensantes quod hi in gloria sua ponunt maculam evidenter, dum sua dimittunt à sanctis Patribus edicta, &c. Post hanc abusûs relationem, remedium providet, dicens; *Porrò cantum seu sonum hymnorum nostrorum quomodolibet variare, aut cantari in aliquam notam, non secundùm nostrum Breviarium, vel consuetudinem per Generale Capitulum approbatam, non patiamini de cætero transmutari, subditos vestros ab hujusmodi novitatibus arctiùs compescendo.* Hunc Parmensem, in Ministeriatûs officio subsecutus sapientissimus atque sanctissimus Bonaventura, agens de divino Officio in Speculo Disciplinæ ad Novitios, cantum supponit & nominat ac curam in illo observandam præscribit. *Parte 1. cap. 14.*

Hæc ad commendationem cantûs dicta sint: sic tamen ut non commendem cantantium vanitatem, & cantui subindè mixtam lasciviam, quæ distractionem potiùs, quàm devotionem generet; ut in cantu præsertim musico aliquando experimur. Unde Seraphicus Pater in Epistola quadam ad Capitulum generale monet: *Clerici dicant Officium cum devotione coram Deo, ut possint per veritatem mentis placere Deo, & non cum lascivitate vocis aures populi demulcere: & non attendentes melodiam vocis sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens verò concordet Deo.* Non laudo etiam, sed vitupero indecorum cantandi modum in quibusdam Ecclesiis vigentem, in quibus clerici celeriter absque ulla concinnitate Psalmos decantant, ut à circumstantibus verba vix percipi valeant. Tales meliùs devotè & tractim Officium legerent, quàm sic cantarent. Officia denique charitatis, paucitas psallentium, aliæque rationes possunt concurrere, quæ suadeant lectionem divini Officii sinè nota: prout etiam Seraphicus Pater pauperibus dominabus seu Clarissis præscripsit, ac in variis provinciis Fratrum Reformatorum hodie servari videmus: quorum consuetudinem non intendo reprobare. Quid enim? Dum omni modo, sive per gemitum turturis, sive per melodiam philomelæ laudetur Deus; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. *Opusc. Tom. 1. Ep. 11. Reg. cap. 3.*

Hoc unicè omnibus meis Franciscanis Fratribus commendatum velim in visceribus charitatis, ut *unanimes uno ore honorificent Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Ut simus seduli atque indefessi divinarum laudum in choro sectatores, & ut chori munera noverimus aliis omnibus Religionis functionibus (etiam apparenter honorabilioribus) multis gradibus præeminere. Rectè id agnovit F. Andreas Burgundus, qui etiam corporalibus Christi complexibus sanctum chori prætulit exercitium. Huic semel in cella oranti, apparuit Dominus, in specie pulcherrimi infantuli, candidi & rubicundi; ad cujus conspectum summâ fuit consolatione repletus. Pulsatâ ad Vesperas campanâ, dubius hæsit vir pius, an ad chorum vocatus obediret, vel potiùs dilecti frueretur amplexibus. Tandem statuit ad Chorum properare. Quàm verò id gratum Deo fuerit, mox ipse expertus est; nam à Vesperis redeuntem Christus expectavit, ejus laudans obedientiam. Cui cùm Frater humiles redderet gratias ob tantam dignationem, quòd misellum placuit expectare. *Ita factum*, inquit, *quia tui Ordinis instituti obsecutus es; quod si aliter fecisses, neque ad Vesperas ivisses, prorsus te insalutato recessissem.* Hæc est divina Chori studiosorum commendatio. E converso magna imprudentia est, & damnabilis argumentum tepiditatis, dum nulla urget necessitas, communes Dei laudes declinare, quasi onerosum quid atque inutile; eoque tempore, otio vel peregrinis indulgere occupationibus. Quàm severè de eis censeat noster Antonius de Guevarra, audiamus: *Religiosus qui per obedientiam aliquo officio detentus non est, neque Choro vult interesse nisi coactus, in Ordine retinendus non est, nec de sua salute securus; quandoquidem non respondet intentioni fundatorum, & injustè devorat quæ lucrati sunt Fratres.* Et iterum: *Si optas in Ordine vivere quietè & gaudenter, assuesce frequentare continuò divinum Officium. Quicumque enim inimicus est Chori, fiet intolerabilis suæ Religioni, vel eandem apostatabit.* *Rom. 15. vers. 6. Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 40. Orat. Relig. c. p. 34. & 35.*

Limitationem verò adjicit S. Pater, ut fiat Officium S. Romanæ Ecclesiæ *excepto psalterio.* Quod R. P. Marchant sic exponit, ut per Psalterium Romanæ Ecclesiæ quod excipitur, intelligatur Psalterium translationis septuaginta Interpretum, quod est peculiare Ecclesiæ Romanæ, & quo Cardinales utuntur, nec extra Urbem Romanam ejus est usus. *Expos. in Reg. cap. 3. q. 4.*

TEX-

TEXTUS & §. *IV.*

Ex quo habere poterunt Breviaria.

SUMMARIUM.

Breviaria sunt cithara in quibus cithariz antur Dei laudes. Continent materiam orationis vocalis, qua ab aliquibus periculosè contemnitur. Officium B. Virginis Ordo Franciscanus semper in pretio habuit. Psalmorum Pœnitentialium commendatio. In Psalmis Gradualibus qua consideranda. Vtilitas lectionis Itinerarii. Commendationes anima quâ praxi recitanda. Solemnitates sanctorum Ordinis pracipuâ devotione celebranda.

AUdivit D. Joannes vocem de cœlo tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni: *& vocem*, inquit, *quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* (Apoc. 14. vers. 2.) Hæc est vox Clericorum Romanæ Ecclesiæ, quæ per totum orbam qnaquaversum auditur *de cœlo* Ecclesiæ, laudes Deo & agno resonare. Vox planè *tamquam aquarum multarum*, propter innumerabilem propè psallentium multitudinem. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati* propter perpetuæ continentiæ in Ordinis sacri susceptione factam professionem. *Hi empti sunt ex hominibus primitia Deo & agno*, io sortem Domini vocati, ejusque totâ vitâ mancipati obsequiis. Horum vox cantantium Canticum novum ante sedem Dei, auditur, *sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Per mysticas has *Citharas* possumus non inconvenienter Clericorum *Breviaria* intelligere. Hæc enim sunt vasa psalmi, atque instrumenta, in quibus divinæ laudes nocte ac die cum cordia & oris modulatione ludun-tur. De bia voluit Seraphicus Pater, filiis suis Franciscania provisum esse, ad laudum divinarum recitationem: *Poterunt*, inquiens, *habere Breviaria.* In his voluit eia subministrare vocalis orationis materiam. Neque enim placuit Viro Dei perniciosa quorundam arrogantia, qui sub specie vacandi liberiùs atque prolixiùs orationi mentali, vocales istas propudiant orationes. Quibus, permittente Deo, qui superbia resistit, quandoque talis ingruit tepiditas, ut ueutram tandem orationem colant, gravique correpti fastidio satis laborent, ut se urgere possint ad horas legendum obligatorias. Arroganter sibi persuadent se dignos jam esse familiaribus Dei congressibus per eminentiores contemplationis gradus, & multis nihilominus ac gravibus scatent imperfectionibua, atque in damnabili otio conquiescunt. (Psal. 5. vers. 11.) Talibus præsumptuosis Psalmista imprecatur: *Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.* Dum simplices Fratres non præsumunt volare supra muros domus Dei; sed contendunt per communem intrare portam vocalis orationis, ad Dei fruitionem intromittuntur; & nescientes, se luminibus inveniunt circumcinctos contemplationis.

Præter partem illam Breviarii, quæ Officium continet, ad quod nos Franciscani obligamur; aliæ etiam Officia continent ad quorum superogatoriam ex devotione recitationem invitamur.

Primò, *Officium B. Mariæ Virginis*, in summâ semper fuit apud Seraphicum Ordinem æstimatione ac frequentatione: in tantùm, ut vix in eo Religiosus inveniatur, aliquâ præditus pietate, per quem non quotidiè recitetur. Neque sanè id mirum; nam S. P. N. teste Bonaventura ipsam Domini nostri Jesu Christi Matrem indicibili complectebatur amore: eò quod Dominum Majestatis Fratrem nobis effecerit, & per eam simus misericordiam consecuti. (Vita c. 9. num. 2.) In ipsâque post Christum præcipuè fidens, *eam sui ac suorum advocatam constituit.* Convenit ergo nobis, illius recitatione Officii, advocatæ nostræ indies patrocinium implorare.

Secundò, *Psalmorum* item *Pœnitentialium* recitatio, fuit semper Ordini usitatissima, quam pii Patres nostri studuerunt etiam impetratis à Sede Apostolica Indulgentiis promovere, & posteris suis summo studio commendare. Profectò status pœnitentiæ, quem amplexi sumus, urget nos ad continuam pro nostris alienisque peccatis deprecationem. Quam autem adhibere possumus convenientiorem, quàm hos Psalmos pœnitentiales, qui à Spiritû Sancto in hunc finem dictati, & à Principe Pœnitentium pronuntiati sunt? Huic orationi Pœnitentialium Psalmorum applicat noster Didacus Vega istam Isaiæ sententiam: (In Prol. explan. 7. Psal. Pœnit.) *Erit Tyro quasi canticum meretricis. Sume citharam, circui civitatem: meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum, ut memoria sit tui.* (Isaiæ 23. vers. 16.) Meretrix est anima peccatrix, Cithara sunt septem isti Psalmi, nihil nisi pœnitentiam resonantes. Monetur itaque bene & attentè canere, & canticum istud

frequenter

frequenter iterare, citharamque istam septichordem pulsare: *quam*, inquit, *si attentâ mente pulsaveris, sincerâ mente tetigeris, & ante cordis attenderis; invenies vestigia qua sequaris, exemplar quod æmuleris, & quem offeras Deo vera fructum pœnitentiæ*, pro te aliisque peccatoribus, benefactoribus præsertim, quorum comedisti peccata.
Jonæ 3. vers. 9. *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus: & revertatur à furore iræ suæ; & non peribimus?* B. Coleta universitatem totius mundi peccatorum tenerrimo in se
Annal. Tom. 5. an. 1406. num. 34. susceperat affectu. Inter multas revelationes, quas divinitùs habuit Pater celeberrimus, professione Dominicanus, Magister Vincentius Ferrerius, etiam illa fuit, quâ Coletam vidit in spiritu, genua flectentem humiliter, & ferventer rogantem Deum pro peccatis miserrimæ plebis suæ. Cui ille sic respondere videbatur; *Quid me vis facere filia, ego quotidianis illorum injuriis, & contumeliis afficior: quotidiè illi me lacerant, & discerpunt, contemnentes præcepta mea, meque blasphemantes & abnegantes.* Alio tempore orante ferventer Coletâ beatissimam Dei Genitricem, ut apud Filium suum, pro miserrimo populo Christiano intercederet, oblatus ei fuit discus quidam, plenus particulis carnis tamquam infantis in frustra concisi, dictumque ast illi: *Quo pacto ego deprecabor Filium meum pro his, qui quotidiè peccatis, & horrendis sceleribus suis, quantùm quidem in eis est, & etiam in minores eum discindunt & dilaniant particulas, quam hæ sint quas cernis?*
Annal. Tom 6. ann 1472. num. 54. F. Anastasius Mediolanensis, ut Patrem misericordiarum pro suis & proximorum peccatis efficaciùs emolliret, antequam reliqui Fratres ad Matutinum convenirent in Ecclesiam descendebat, & præmissâ oratione in angulo Ecclesiæ, exuto habitu, dum integros 7. Psalmos pœnitentiales recitabat, totum corpus asperè cædebat, in fine subjungens: *Hæc paucula verbera cedant in memoriam flagellorum, quæ Dominus meus Jesus Christus pro me pertulit ad columnam.*

De *Officio Defunctorum* dabitur agendi occasio inferiùs §. 8. Ubi de Suffragiis mortuorum.

Continet etiam Breviarium *Psalmos Graduales*, in tres classes distributos. Nos qui in mortali corpore constituti in hac terra peregrinamur à Domino, bonam voluntatem habentes magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum, contendere debemus per gradus hujus scalaris orationis ascensiones in corde nostro disponere, in hac valle lachrymarum, ut procedendo de virtute in virtutem videre tandem possimus Deum Deorum
Vita cap. 10 in Syon. Mos erat angelico viro Francisco, numquam otiari à bono: quin potiùs instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proxi-
Gen. 28. mum. Nam tempus sibi concessum ad meritum, dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cùm secundum exigentiam locorum & temporum, alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat,

Dernoye Medulla S. Evangelii.

locumque quietis: quo liberiùs Deo vacans, extergeret, si quid pulveris sibi ex conversatione hominum adhæsisset. Hujus muneris sanctæ vicissitudini per Psalmorum Gradualium orationem nos aptemus. Noster Bartholomæus Pisanus compendio declaravit 15. gra- *Lib. de laud. B.*
dus in his Psalmis positos, per quos B. Virgo *Virg. l. 2.*
meliùs ad templum ascendit perfectionis spi- *fructu 1.*
ritualiter, quàm ad templum materiale corporaliter, dum fuit ibidem præsentata. 1. Gradus. Linguæ ordinatio & directio, ut laudes sanctificatas persolvat. 2. Oculorum internorum & virium ad Deum levatio. 3. Affectionum sive appetibilium, appetentium & appetendorum in Deum directio. 4. Criminis cujuscumque animam maculantis detestatio, quam quis per se non obtinet; sed solâ Dei gratiâ. 5. Ab omni peccato mortali præservatio. 6. Rogat ut assiduè cor in Deo stabiliatur. 7. Aversio oculorum à cujuscumque vanitatis contuitu. 8. Continua in Dei opere exercitatio. 9. Incentivorum carnalium & voluptatum suppressio, per vitæ austeritatem. 10. Dæmonis & fraudum ejus detectio & contemptus. 11. Ut mentem à terrenis excutiat, quo faciliùs ad Deum sustollat. 12. Ut modicitatem suam cognoscendo de sua fragilitate diffidat. 13. Recordatio operum & beneficiorum Dei. 14. Ut ad æterna gustanda anhelet. 15. Ut Deo totâ dilectione sese copulet, nihilque nisi ejus laudem sapiat.

Iterum in eisdem Psalmis alios gradus monstrat auctor prædictus. 1. Humanam miseriam inspicere. 2. Divinam clementiam implorare. 3. De divina bonitate confidere. 4. Propriam confidentiam abdicare. 5. Deum adjuvantem commendare. 6. De victoria obtenta contra dæmones gaudere. 7. Adquiescere iis quæ Deus infligit. 8. Humana auxilia & potentiam despicere. 9. Se aptare ad agendas Domini voluntates. 10. Divinam protectionem comprehendere in tentationibus. 11. Quò plura percepimus à Deo, eò magis se humiliare. 12. Vanitatem præ foribus cordis stantem cavere. 13. Ad omnia vigiles esse, ne Deo displiceamus. 14. Proximo etiam debitam charitatem reddere. 15. De omnibus præcedentibus gratiis Deum benedicere.

Huc etiam referre possumus *Itinerarium Clericorum*, quod quidem pro corporaliter iterantibus præscriptum est, meliori tamen fructu legitur pro itineris spiritualis securitate, inter pericula, fatigationes & exilia hujus vitæ, tot obnoxiæ tentationibus. Experimento compertum est illarum præcationum recitationem, multis contra corporis atque animæ pericula subsidio fuisse, angelicaque non raro subministrasse præsidia.

Commendationes animæ agonizantis, vim credimus habere singularem ab ægroto dæmones absterrendi. Ea non est legentium dumtaxat oratio, sed Ecclesiæ totius, clamantis pro membri afflicti salute, & matris instar parturientis, ad educendum prolem suam ex hujus vitæ tenebris, in lumen æternitatis. Portæ inferi non prævalebunt, si deprecatio hæc in fide, ac pietate Ecclesiæ, & charitate fraterna ritè proferatur. Neque solùm utiliter usurpan-

tur hæ commendationes animæ, dum actualiter adstamus agonizanti: Verùm & quocumque tempore, pro universis Christi fidelibus, præsertim Ordinis nostri Fratribus, qui quocumque positi loco, eo momento ad tribunal Dei evocantur, atque in supremæ cum diabolo luctæ versantur angustiis. Hæc erat pia praxis B. Christinæ Mirabilis, quæ solebat en modo non pro Christianis dumtaxat, sed pro infidelibus quoque agonizantibus, viscerosâ compassione, Christi misericordiam efflagitare. Notatu dignum est de B. Colecta, omnes eos Fratres vel Sorores, qui sub ipsius viventes Reformatione ex hac vita migrarunt, quoad vixit ipsa, sive in propinquis, sive in longinquis degerent regionibus, illi in obitu suo apparuisse: non pauca, nec mediocria ab ea, si indigerent, salutis subsidia accipientes.

Surius ad 25. Junii num. 16.

Annal. Tom. 5. an 1406. num. 9.

Piâ etiam benevolentiâ acceptantur à Deo *Benedictiones Mensales & gratiarum actiones* traditæ in Breviario. D. S. Ignatio Societatis Jesu fundatore, ferunt, rantam ad eas solitum fuisse afferre mentis attentionem, ac si forent obligatoriæ.

Denique prætereundum non est Romani Breviarii additamentum, continens *Officia propria Ordinis Minorum*, hoc est eorum familiæ nostræ Sanctorum virorum atque fœminarum, qui militiam bonam sub signis militarunt Franciscanis, summisque laboribus congregarunt sanctitatem, quam hæreditariâ nobis transmitterent successione, quosque habemus specialissimos apud Deum Patrem advocatos. Horum cultus Apostolicâ nobis concessione permissus, præcipuâ celebrandus est devotione. D. Bernardus: scribens Fratribus Hiberniæ de obitu S. Malachiæ Episcopi & conterraneî eorum, dicit: *Primùm quidem congratulandum est animæ sanctæ, ne nos arguat de inopia charitatis, dicens & ipse quod Dominus ad Apostolos:* Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. *Prævenit nos ad Patrem spiritum spiritus Patris nostri. Nec modò charitatis inops, sed ingratitudinis etiam rei esse convincimur, super omnibus quæ per eum nobis beneficia provenerunt, si non congratulamur ei, qui de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de mundo transiit ad Patrem.* Eadem nobis incumbit erga Sanctos nostros obligatio, quæ erga Sanctum Malachiam Cistercienfibus. Prospicit è cœlo Dominus, ut videat, an debitâ prosequamur reverentiâ nostros olim commilitones, quos è terris ad ipsum præmisit peregrinatio nostra. Et verò quæ est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonquid Sancti qui eum coodecorarunt? *Gloria filiorum patres eorum. Nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorū virorum gloria.*

Joan. 14. vers. 28.

Prov. 17. vers. 6. Eccl. 44. vers. 15.

TEXTVS & §. V.

De Celebratione Missæ, secundùm Ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Incruenti Sacrificii mysterium in Apocalypsi designatum. Eximia Francisci de Sacerdotii dignitate existimatio. Intentiones particulares, quæ movere debeant Sacerdotem mysterium celebrare. Francisci ad omnes Sacerdotes exhortatio. Cautela quædam in scripto S. Francisci observanda. Rubricæ Missalis non negligendæ. Quàm excellens sit munus ministrandi Sacramentum fidelibus.

INter alias visiones quas in Pathmos Insula habuit sublimis cœlorum Aquila D. Joannes: *Vidi*, inquit, *& ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stantem tamquam occisum, &c.* Hoc expositores nostri Liranus & Aureolus de Chhristo in Eucharistia interpretantur. Hic Agnus, inquit Aureolus, est Christus, qui est in medio Romanæ Ecclesiæ & quatuor Patriarchalium sedium, & viginti quatuor seniorum, hoc est universarum Episcopalium Ecclesiarum, sub Sacramento Eucharistiæ: in quo continuè immolatur agnus, & repræsentatur *tamquam occisus*: cum ordinatum sit Sacrificium illud ad mortis Christi repræsentationem. Licèt verò hic Joannes viderit Christum, non in Eucharistia, sed in se, sub specie agni in cruce occisi & immolati: tamen quia idem est Agnus qui quotidiè immolatur in Eucharistia, quæ eumdem in cruce occisum exhibet memoriæ fidelium; hinc ad Eucharistiam quoque Symbolicè hæc extendi possunt. Idem enim est Sacrificium Crucis & Eucharistiæ; sive victimam, sive repræsentationem, sive fructum & effectum spectes. Hoc mysterium voluit Franciscus à filiis suis tamquam *in medio throni*, seu, *secundùm Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* celebrari.

Apoc. 5. vers. 6.

Ipse Seraphicus sanctus, flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis, fervore omni- Vita S. Francisci cap. 9.

omnium medullarum : stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, & dignatissimam charitatem. Sacerdotes illius mysterii Ministros incomparabili dignos æstimabat reverentiâ. In tantùm, ut eum S. Dei Ecclesia hoc honoraverit Elogio : *Franciscus vir Catholicus, & totus Apostolicus, Ecclesiæ teneri fidem Romanæ docuit, Presbyterosque monuit præ cunctis revereri.* Tantam de illorum conceperat dignitate opinionem, ut se illi per sacram ordinationem suscipienda, minimè reputaret idoneum : fuitque in eum humilitatis sensum divino inductus confirmatusque oraculo. Plùs æquò sollicitabatur Vir sanctus à nonnullis, ut se permitteret ad Sacerdotium promoveri. Orationi prolixiùs vacuit, opem à Deo postulans atque consilium. Apparuit ei Angelus, ampullam liquore plenam perlucido deferens in manibus, atque ita effatus est : *Aspice Francisce : qui enim sanctissimum vult pertractare Eucharistiæ Sacramentum, eâ debet puritate nitere, quâ phiala hujus latex.* Quare humilis Franciscus illam nancisci diffidens gratiam, ab inceptis protinùs destitit. Atque exinde Sacerdotalibus manibus, inquit S. Antoninus, quibus conficiendi Dominici Corporis Sacramentum collata est potestas, magnam volebat reverentiam exhibere, unde sæpè dicebat : *Si Sancto venienti de cœlo, & pauperculo alicui Sacerdoti, me contingeret obviare : ad Sacerdotis manus deosculandas citiùs me conferrem, & Sancto dicerem : Expecta me Sancte, quia manus hujusmodi Verbum vitæ contrectant, & ultra humanum aliquid possident.* Epistolam quoque dedit ad omnes sui Ordinis Sacerdotes, in qua gravissimis eos verbis commonefecit, condignâ cum reverentiâ & devotione divini hujus mysterium Sacramenti celebrare. Juverit hic aliqua ejus verba inserere verè Seraphicam spirantia pietatem : *Rogo*, inquit, *in Domino omnes Fratres meos Sacerdotes, qui sunt & erunt & esse cupiunt altissimi, quòd quandocumque voluerint Missam celebrare, puri & purè faciant, cum reverentia, verum Sacrificium sanctissimi Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, sanctâ intentione & mundâ, non pro ulla terrena re, neque timore vel amore alicujus hominis, quasi placentes hominibus : sed omnis voluntas, quantùm adjuvat gratia omnipotentis ad eum dirigatur, & soli ipsi Deo summo tantùm placere desideretis, quia ipse solus operatur ibi, sicut sibi placet. Quoniam sicut ipse Dominus dicit* : Hoc facite in meam commemorationem ; *Si quis aliter fecerit, Judas traditor efficitur.*

In Officio S. Francisci Proprio Ord. Minorum.

Martyrol. Francisc. ad 4. Octob.

Chron. parte 3. tit. 24. cap. 2. §. 2.

Opusc. S. Franc. Tom. 1. Epistola 12.

Luc. 22. vers. 19.

D. Bonaventura, spiritûs Francisci hæres, ad particulares aliquas descendit intentiones, declaratque quorum fructuum spe adduci deceat ad altare, offerendumque Sacrificium. 1. Spe obtinendi per illud quasi per hostiam oblationis, purgationem veterum delictorum. 2. Moveat propriæ consideratio infirmitatis, ut eam tibi applices medicinam. 3. Pressura tribulationis alicujus, ut per eum qui omnia potest, ab omni citiùs adversitate libereris. 4. Desiderium gratiæ vel beneficii spiritualis obtinendi, ut per eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas. 5. Gratiarum actio pro beneficiis impetratis, ut cum Davide dicas : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & sacrificabo hostiam laudis.* 6. Charitas & compassio proximorum, ut offeratur pro salute vivorum, & defunctorum requie; cùm nihil apud Patrem interpellet efficaciùs, quàm effusus sanguis Jesu Christi. 7. Laus Dei & Sanctorum ; quæ pro dignitate tractatur, hoc sublimissimo Sacrificio laudis. 8. Dei amor, ut eum invites ad te, perque spiritualis refectionis inviscerationem in teipso eum delectabiliter amplexeris. Amorosis hoc suspiriis practicabat ardentissimus ille Dei Servus Frater Bartholomæus Salutius : *Accipe Domine*, loquiens, *cor meum, quia corde passcens. Immitte illud vulneri lacerati pectoris tui. Include illud ibi semper, quia redhiberi mihi, prorsus nolo. Si tamen velis me vivere sinè corde meo, da mihi tuum, & retine tu meum : Vade cor meum, vade in vulnus pectoris tui Jesu. Ecquid vis agere diutiùs in hujus peccatoris mei cloacâ, &c.* 9. Intentio esse potest augendæ gratiæ, quia hoc Sacramentum continet gratiarum fontem, omnisque salutis Auctorem. 10. Suspirium atque ardor, quo totis visceribus, hujus excessivæ charitatis, & dulcissimæ refectionis virtute, sanctificari cupias ab omni carnis & spiritûs inquinamento, atque ab omnibus eripi tentationum periculis.

Opusc. de Præparatione ad Missam.

Psal. 115.

Spirit. Convers. Invent. 123.

Pergit porrò Seraphicus Patriarcha, in supra-memorata Epistola, divinas filiis suis intentare puniriones, nisi requisitam impendant divinissimo Mysterio devotionem : *Recordamini*, ait, *Fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est in lege Moysi, quod transgredientes in corporalibus, sine ulla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quantò majora meretur pati supplicia*, qui Filium Dei conculcaverit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui sancto contumeliam fecerit? *Despicit enim homo polluens, & conculcat Agnum Dei ; quoniam sicut dicit Apostolus, non dijudicans & discernens sanctum panem Christum ab aliis cibariis, vel operibus, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat :* Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter, vel fraudulenter. *Et propter Sacerdotes qui nolunt ponere super id cor in veritate, condemnat nos dicens :* Maledicam benedictionibus vestris. Deindè pergit eos propositis sanctorum cohortari exemplis. *Audite Fratres mei : Si beata Virgo Maria honoratur (ut dignum est) quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo : si B. Joannes Baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem : si sepulchrum, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur ; quantùm debet esse sanctus, & justus, & dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum & glorificatum*, in quem desiderant Angeli prospicere *contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis sumendum præbet?* Idipsum ulteriùs inculcat, & nititur persuadere desumpto argomento à Sacerdotii dignitate ; *Videte dignitatem vestram Fratres Sacerdotes, & estote* sancti, quia ipse sanctus est. *Et sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Domi-*

Deut. 17. vers. 6. & 19. vers. 15.

Hebr. 10. vers. 29.

1. Cor. 11. vers. 29.

Jerem. 48. vers. 10.

Malach. 2. vers. 2.

1. Petri 1. vers. 12.

Levit. 11. vers. 44.

nus Deus , ita & vos propter hoc mysterium diligite eum , reveremini & honorate. Magna miseria & miseranda infirmitas , quando ipsum sic præsentem habetis , & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat , totus mundus contremiscat , & cœlum exultet , quando super altare in manibus Sacerdotis est Christus filius Dei vivi. O admiranda altitudo ! O stupenda dignatio ! O sublimitas humilis , quod Dominus universitatis , Deus & Dei Filius , sic se humiliat , ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat ! Videte Fratres humilitatem Dei , & effundite coram illo corda vestra , *& humiliamini , ut & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis , ut totos vos recipiat , qui se vobis exhibet totum.*

Phil. Melanchton Apol. Confess. Augustana Art. de Missa. Cæterùm , qood subdit ibidem Vir Dei de una Missa in quolibet cœnobio celebrandâ , cautè legendum est , ob depravatum hæreticorum sensum , qui hoc loco abusi sunt ad stabiliendum suum dogma de abjurandis Missis privatis. Rogavit autem Vir S. Fratres sacrosancta non multiplicare sacrificia , & ut à quotidiana abstinerent celebratione , veritus, ne propter quotidianam sacrificandi coosuetudinem tanti mysterii debita reverentia , quam in hac ipsa Epistola auxius inculcat, & tantoperè commendat , paulatim declinaret (qood & ipsum retraxit à Presbyteratûs Ordine suscipiendo , & D. Bonaventuram per multos dies à celebrando continuit) vel apud clerũ aut populum , sacrosanctum Domini Corpus assiduitate vilesceret ; nam quod rarum est , plùs appetitur & æstimatur. Quod non primus aut solus docuit Franciscus , sed multos pios Sacerdotes de facto plures dies prætermisisse quin sacrum facerent , aliisque consuluisse ita fieri, ob majorem rei sacræ reverentiam , dicunt noster Franciscus Pitigianis in 4. Scoti d. 13. q. 2. a. 2. concl. 4. & Franciscus Suarez Tom. 3. in 3. partem disp. 80. sect. a. concl 3. Ejusque hunc esse sensum , colligitur non obscurè ex ipsa Epistola , in qua nihil aliud quàm reverentiam erga hoc Sacramentum suadere conatur ; supponitque sacrificandi quando placuerit penes Fratres liberam esse facultatem , dicens : *Qnandocumque voluerint Missam celebrare , puri & purè faciant cum reverentia.* Unde non tollit libertatem , nec præceptivè prohibet tanquam malum & illicitum , sicut hæretici, consuetudinem privatas missas celebrandi ; sed inducit ad rariorem & puriorem tanti Sacramenti cultum. Accedit quòd inviolabilis maxima apud Virum Dei semper fuerit : *Tenendum de Sacramentis , sicut S. Romana tenet Ecclesia ;* totumque voluerit Divinum Officium fieri *secundùm ordinem S. Romanæ Ecclesiæ :* Habet autem in præsenti ordo & consuetndo hujus Ecclesiæ , ut passim quotidiè à Sacerdotibus Mysterium celebretur.

Præter Orationes præscribit etiam Ordo Romanus cæremooias diversas , tum ad augendam in oculis adstantis populi Sacrificii Majestatem : tum ad refricandam actionum passionumque Jesu Christi memoriam. Hinc illæ contemnendæ non sunt , neque præscripta negligenda Rubricarum. Domini sententia est : *Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Luc. 16. vers. 10. Qui minimum non reddunt Deo, hoc est externas in Sacrificio cæremonias ; quis eredet nos reddere quod majus est , mentis attentiooem , fidem , charitatem , necessariamque sanctimoniam ? Multò (prô dolor!) inepto suo modo utendi Ecclesiæ cæremoniis , ansam præbent impietati hæreticorum , qui ore blasphæmo eas velut ludicras , judaizantes ac superstitiosas sugillant , & velut steriles atque ridiculas simiarum gesticulationes. Illi quidem perversi portabunt suarum judicium blasphæmiarum ; sed neque immunes transibunt , qui perfunctorio suo & leviculo (ne dicam ridieulo) modo Ecclesiasticas cæremonias pertractandi , occasionem præbent hæreticis impiæ locutionis. cum ea igitur maturitate ac gravitate eas exerceamus , ut possint commendandæ apud præsentes divini operis magnificentiæ (ad quod institutæ sunt) deservire. Significatiooes cæremoniarum Missæ explicatæ videri possunt apud Franciscum Titelmannum in expositione Missæ , Petrum Marchantium in suo Tribunali animæ, apud F. Michaëlem Huelano fusissimè per integrum librum ; præcipuè vero apud D. Bonaventuram Tom. *Tom. 2.* 2. Opusc. tract. 22. qui est Expositio Missæ. *p. 2. tr. 4.*

Præter sacrificandi munus , incumbit quoque Sacerdotibus , Sanctissimum Sacramentum ministrare fidelibus. Hoc ad eam accedit benevolentiam , quâ Virgo Deipara , Filium suum , Sanctis Joscpho & Simeoni tradidit amplexandum , Magis Regibus atque pastoribus adorandum. Hanc Dei Genitricis charitatem sibi Sacerdotes proponant æmulandam , dum eumdem Christum Sanctis porrigunt animabus. B. Nicolaus Factor sub hoc ministerio in extasim sæpiùs rapiebatur. Ferunt S. Franciscum Xaverium motum incomparabili hujus muneris dignitate , frequenter ipsum flexis genibus obivisse , tantâque devotione , ut subindè amoris virtute igneâ in altum elevaretur. In testimonium dilectionis ergo puriores animas non dedignati sunt S. Angeli id officii aliquando præstare. Sic S. Bonaventuræ , B. Stanislao Kostkæ , F. Thadæo Romæ in Conventu nostro Ara-cœlitano defuncto an. 1639. devotissimæ Berttandæ , Angelæ de Fulgineo, Dominicũ Corpus ministrarunt. Quin & ipse Christus Dominus hoc ministerium minimè alienum putavit à suæ gloria Majestatis. Qnod enim de cœlestis gaudii promisit communicatione : *Præcinget se , & faciet illos discumbere , &* Luc. 12. *transiens ministrabit illis ;* non est dedignatus & vers. 37. in sacramentali servare communione. Sic officium illud Sacerdotale in ultima Cœna circa suos exercuit Apostolos. Sic etiam posterioribus temporibus S. Catharinæ Senensi , B. Coletæ aliisque quàm plurimis Corpus suum communicavit & Sanguinem.

TEXTUS §. *VI.*

Laici, dicant: Pater noster.

SUMMARIUM.

Orationis Dominicæ origo & sensuum ubertas. Expositio ejus per S. Franciscum edita. Quænam singulis comprehendantur petitionibus. Consuetudo Ordinis Minorum legendi quinque Pater Noster ad vulnera Christi. Ubi incidenter de quinque vulneribus Francisci.

Cœlestis disciplinæ Magister, rogatus ab uno ex discipulis suis: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Joannes discipulos suos, dixit: *Cùm oratis, dicite: Pater sanctificetur nomen tuum, &c.* Pari modo Franciscus, qui Christo Domino perfectâ esse studuit imitatione conformis, rogantibus Fratribus, ut eos doceret orare, dixit: *Cùm orabitis, dicite: Pater noster, &c.* [*Luc. 11. vers. 2.*] Huic Evangelicæ insistens doctrinæ, præscripturus Laicis suis orandi formulam: *Laici*, inquit, *dicant Pater noster.* [*Vita ejus c. 4. num. 3.*] Hâc ratione voluit iis, qui ad certam orandi normam ex Breviario non adstringuntur, ademptam libertatem qualscumque sive vocales sive mentales orationes eligendi. Abbreviatum verbum est dominica illa oratio; sed multiplici refertum sensuum ubertate. Pro nostra etiam instructione brevem super illa oratione conscriptam reliquit Paraphrasim, in hunc modum.

Pater noster beatissime & sanctissime, Creator noster, Redemptor noster, & Consolator noster. *Qui es in cœlis*, in Angelis, in Sanctis; illuminans eos ad tui cognitionem. [*Opusc. Tom. 1. Exposit. in Orat. Dominicam.*] Quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum divinum: quia tu Domine amor es inhabitans, & implens eos ad beatudinem; quia tu Domine summum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & sinè quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum.* Clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quæ sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum, sublimitas Majestatis, & profundum judiciorum. *Adveniat regnum tuum.* Ut regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Ut amemus te toto corde, te semper cogitando, ex totâ animâ te semper desiderando; ex totâ mente omnes intentiones nostras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus nostris, omnes vires & sensus animæ & corporis in obsequium tui amoris, & non in aliud expendendo. Et proximos nostros amemus sicut nos-metipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo; de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo; in malis compatiendo, & nemini ullam offensam faciendo. *Panem nostrum quotidianum;* scilicet dilectum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, *da nobis hodie*, in memoriam, & intelligentiam & reverentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis dixit, & fecit, & sustulit. *Et dimitte nobis debita nostra;* per tuam misericordiam ineffabilem & Passionis dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi virtutem; & per Beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium electorum tuorum merita & intercessionem. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et quod non plenè dimittimus, tu Domine fac nos plenè dimittere, ut inimicos nostros propter te veraciter diligamus, & pro eis apud te devotè intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodesse studeamus. *Et ne nos inducas in tentationem;* occultam vel manifestam; subitam vel importunam. *Sed libera nos à malo*, præterito, præsenti, & futuro. Amen.

Juxta hanc Paraphrasim, ancilla Dei Angela de Fulgineo dominicam legens orationem, [*In vita ejus cap. 16*] tantum sentiebat in corde suo gustum divinæ bonitatis, ut nullo posset sermone explicare. Neque id adeò mirum videri debet: nam dum morosè orationis tam excellentis partibus inhæret animus, excitantur in eo affectus, quos oratio in singulis partibus exigit. Nec potest fieri, ut animæ palato multùm sapiat, dum cursim multa pertransit. Quare *non in multitudine, sed in devotione & fervore devotionis consistit oratio*, inquit S. Bernardinus, qui mox de [*Tom. 3. Serm. 4. de Inspirat. art. 3.*] Seraphico Patre subjungit, quòd quandoque per decem milliaria (subintellige italica) ambulans non diceret nisi unum Pater noster: adeo nimirum spiritus iste scrutabatur profunda orationis illius, uberesque illius fructus percipiebat. Quare nobis omninò curandum, ut singulos versus, imò singula penè verba attentissimè consideremus, eorumque vim expendamus. Estque hoc specimen accuratioris modi orandi (teste Leonardo Lessio) qui mirificè & mentem illustrat & affectum excitat, & [*Lib. 4. de summo Bono c. 1.*] dulcedinem in singulis partibus gustare facit: imò ut idem addit, multò fortasse meliùs est hoc modo semel orationem dominicam recitare, quàm centies cum parva attentione. Quare illum non solum exemplo S. Francisci commendat, sed etiam à S. Ignatio in libello exercitiorum asserit valde commendari. Sic etiam

Annal. Tom. 6. ann. 1460 num. 21.

legitur de F. Thomasio, quòd singula orationis dominicæ verba secum ruminare, sæpiúsque repetere solitus erat, multam in singulis inveniens meditandi occasionem. Verè etenim sensuum ubertate pollet, adeoque menti devotæ fœcundam meditationum segetem subministrat. Oratio namque hæc, juxta S. Bonaventuram, privilegiata est in tribus; nempe in dignitate, quia à Christo composita: in brevitate, ut citiùs sciatur, meliùs retineatur, & frequentiùs dicatur: in fœcunditate, quia omnes continet petitiones, & utriusque vitæ necessaria complectitur.

Opuscul. Tom. 2. Expos. in Orat. Dominic.

S. Bernar. din. Tom. 1. Serm. 6.

Adnoravit etiam S. Bernardinus, quòd hæc ipsa oratio specialiter adjunctam habeat confidentiam impetrandi; cùm non debeamus hæsitare, num ea quæ ibi postulamus salubria sint ipsique placita; ex eo quòd ipsemet, cujus est donare, præinstruxerit postulare, quæ disposuit dare. Ad hæc magnum inspirat amorem, dum docet Deum invocare ut Patrem, Creatorem, Reparatorem, & cujus in possessione gloriæ expectamus hæreditatem. Charitatem etiam ad Angelos, ad homines, & ad ipsam Christi humanitatem insinuat, dum dicimus: *Noster;* agnoscimus enim eos Fratres nostros, ex eodem genitos Deo Patre, & à quibus mutuam vicissim habemus expectate charitatem. Attollit quoque mentem ad cœlos à terrenis, dum eum compellamus, *qui est in cœlis*. Non in uno tantùm cœlo sed in pluribus. Primò quidem in seipso, qui est cœlum cœlorum per eminentiam Patris, per Filii splendorem, per efficaces Spiritûs Sancti influentias. Secundò qui est *in cœlis* creatis, oempe justis omnibus, in quibus habitat per fidem, charitatem, atque observantiam mandatorum. Tertiò *in cœlis* sive sedibus glorificatorum, sive glorificatis ipsis, habitans in eis per visionem intellectui communicatam, per possessionem sui datam memoriæ, per dilectionem atque fruitionem concessam voluntati. Pergit idem Sanctus explanare ea quæ in septem illis petitionibus postulantur. Rogamus igitur.

Primò, ut *Sanctificetur nomen Dei*; tùm per Fidem, quâ illum cognoscimus & videmus supra omnes falsos Deos: tùm per sanctum cultum, curantes ut per mala nostra *nomen* istud Dei nostri non blasphemetur, sed ut fideles servi ejus sanctitatem in nostra referamus conversatione: tum in proximorum ædificatione, quibus occasionem præbeamus Patrem glorificandi.

Secundò, ut *Adveniat regnum Dei*, id est Ecclesia vel anima in qua regnat per gratiam: *adveniat* id est finem perveniat beatitudinis.

Tertiò, ut *Fiat voluntas Dei in terra sicut in cœlo*, nimirum ut sic à terrenis peccatoribus sicut à justis impleatur. Item ut sicut *in cœlo* Deo ordinante, omnia in tranquillitate suam tenent stationem, sic *in terra* omnes suum servent ordinem in pace atque concordia, quia sic est *voluntas Dei*. Item ut sicut in cœli consistorio decretum fuerit circa nos, humiliter nos resignemus ut ita *fiat*; & cùm factum fuerit contenti simus, sive suavia sive amara evenerint.

Quartò, ut *Panem nostrum quotidianum det nobis hodie*, sive ad corporalis vitæ sustentationem, ne hujus defectu pusillanimes facti in Dei deficiamus servitio: sive ad vitæ interioris sustentationem, per auxilium divinæ gratiæ: sive ad vitæ æternæ provisionem, quæ à pane colligitur Sacramentali, ut scilicet ita per eum nutriamur, ut non moriamur in æternum.

Quintò, ut *Dimittantur nobis debita nostra*, sub ea tamen forma atque conditione quâ *nostris dimittimus debitoribus*; ut à difficultate, quam patimur in condonandis nobis factis injuriis, æstimemus illios condonationis pretium, quam à Deo petimus pro gravissimis, quas ipsi irrogavimus injuriis; quarum comparatione, reliquæ debent pro nihilo reputari.

Sextò, ut *non inducamur in tentationem*; qnippe qui periculorum sumus imminentium ignari, impotentes ad resistendum, & fragiles ad consentiendum.

Septimò, ut *liberemur à malo*; à præsenti quidem per patientem tribulationum sustinentiam; vel per contemptum earum & oblivionem, vel per superfusam abundantiorem consolationem. A futuro autem *malo* damnationis æternæ per prædestinantem Salvatoris misericordiam.

Ultra personas obiter prælibatas, singularem exemplo Seraphici Patris Francisci in oratione dominica gustum ac fructum sensit F. Thomas Teutonicus, Vir quidem adeo contemplationi addictus, ut integras in ea noctes insumeret: at orationi Dominicæ supra modum affectus, sic ut super singulas illius petitiones longas, imò multarum horarum meditationes formare solitus esset. F. Bernardinus Hungarus in ejusdem orationis recitatione tantas animi motiones cælitùs sentiebat, ut illam vix quinquies legere valeret, quin in extasim raperetur: adeo ut Vicarius Generalis coactus fuerit cum eo auctoritate papali in horarum laicalium obligatione dispensare.

Annal. Tom. 6. ann. 1467. num. 13.

Chron. p. 3. lib. 7. cap. 42.

Ibid. c. 42.

F. Gregorius ab Etballio Laicus tantâ ferebatur in hanc Orationem reverentiâ, ut eam (numero ex Regula obstringebatur) nonnisi brachiis in crucis formam extensis excitaret. Inolevit quoque probatissima per universum Franciscanum Ordinem consuetudo, ut certis diei temporibus quinquies *Pater noster* brachiis in crucis modum extensis legatur, in memoriale quinque vulnerum à Christo in cruce acceptorum, ad singulas orationes cor & meditationem ad singula dirigendo vulnera, cum spe, quòd cælestis Pater omnia hac in oratione proposita, exauditurus sit, ob respectum quinque illarum cicatricum, quas cœlo intulit, ut apud Patrem exhibitæ interpellent pro nobis. Admodum piè de Stigmatibus Sancti nostri Patriarchæ contemplatur D. Antoninus; *Sicut Dominus Jesus (ut ait Bernardus) ante Patrem ostendens latus & vulnera sua, quæ sustinuit in sua Passione pro hominibus, inclinat eum ad pietatem erga nos: ita & B. Franciscus ostendens stigmata sibi impressa Dominicæ Passionis, habet inducere Patrem & Filium suum ad misericordiam & clementiam erga peccatores. Et*

Sum. Hist. p. 3. tit. 24. cap. 1. §. 3.

ideo

ideo cum devotione quilibet recurrere ad eum debet, ut faciat ei Deum propitium & perducat ad regna cœlorum. Devota omnino speculatio, & Lib. 22. de Civit. Dei cap. 20. conformis illi sententiæ magni Patris Augustini, quâ censet in Martyrum corporibus post generalem resurrectionem remansuras Martyrii cicatrices, cœloque ut signa triumphi infcendas. Idem cum Florentino Præsule de B. Patris nostri opinemur cicatricibus, eamque inde praxim eliciamus, ut legentes quinque *Pater noster* in crucis formam mente in Deum directâ, recogitemus etiam eximiam illam dignationem, quâ Christi vulnera in caroeis membris Francisci descripsit digitus Dei vivi, ut intuitu pietatis illius, atque patientiæ, quâ dolores ingentes exinde provenientes Vir Dei sustinuit, possimus desiderata percipere, & à nostra non confundi exspectatione.

TEXTUS & §. VII.

Viginti quatuor pro Matutinis, pro laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, &c.

SUMMARIUM.

Orationis ejusdem frequentatio non est superstitiosa. Utile est Fratribus Laicis dum suas legunt orationes Dominicas, Deum sibi proponere præsentem sub certis formis & mysteriis. Septem mysteriorum classes pro septem horis canonicis ipsorum, & ad singula Pater noster *singulæ considerationes.*

HÆretici nostri, cæci & duces cæcorum, inter alia Catholicorum pia exercitia, ex quibus depravato animo scandalum accipiunt, hoc etiam recensent, quod in lectione Rosarii aliorumque similium devotionis instrumentorum, quasi computum teneamus lectarum orationum dominicarum vel angelicarum salutationum; superstitionis arguentes istam præcum quasi adnumerationem. Et quia sunt sine fine 2. Tim. 3. vers. 7. quæstiones *Quare, Quomodo, ubi, &c. Et numquam ad scientiam veritatis pervenientes*, super hoc etiam insulsam proponunt quæstionem dicentes: ubi scriptum est, numerandas fore orationes quæ Domino offeruntur? Memini Matth. 26. vers. 44. sciolis istis aliquando reposuisse, ut legerent dubii solutionem apud Matthæum, qui de Domino Jesu constituto in horto Oliveti scribit: *Oravit tertiò, eundem sermonem dicens.* Ecce eadem oratio per ipsum Dominum repetita, & ad numerum multiplicata ternarium. Sæpius frequentata oratio, efficaciùs pulsat & aperit divinæ propitiatorium exauditionis. In Psalmis Davidicis, quorum usu Novatores isti plurimùm gloriantur, passim invenitur idem in eodem etiam versu, mutato dumtaxat parum verborum sono sæpiùs repetitum. In primo versu primi Psalmi, idem significatum per trinam inculcatur repetitionem: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit; & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Et sic passim in aliis; idque ad majorem & evidentiorem affectus orantis expressionem, & ad efficaciorem divini Numinis permotionem. Hoc probè intelligens Vir Dei Franciscus, Laicis suis pro quotidianarum penso præcationum, certum præscripsit numerum Dominicarum Orationum.

Porrò ne iteratio ista tædium generet oranti, juvabit ad singula *Pater noster*, nova imaginari mysteria, vel Christum Dominum novas exercentem actiones, cum aliquo divinitatis suæ radio, prout in Evangeliis enarrantur; refricando amoris istius paterni memoriam, quem in singulis demonstravit mysteriis, & in quibus suam expressit de provocando nostro in ipsum amore voluntatem. In quibus etiam regnum suum nobis aperuit: quibus panem promeruit, simulque nobis obtulit gratiam; nec non remissionem nos sperare fecit delictorum: in quibus tandem malignum vicit, contrivitque Satanam sub pedibus nostris, atque ab omni malo liberavit. Hæc varietas nauseabundam sublevabit animam, & fœcundam suggeret spiritualium sensuum ubertatem.

Considerationes Dei præsentis sub Matutinis.

AD 24. *Pater noster* pro Matutinis, proponatur nobis Christus præsens, tamquam in eo statu, quo erat tempore viginti-quatuor præcipuarum tolerantiarum, & in quibus raram perfectissimamque patientiæ speciem præmonstravit.

Primo, Quando in Circumcisione cœpit sanguinem suum effundere. 2. Dum paupertatis incommoda perpessus est, sive in domo materna, sive aliàs divagando prædicationis gratiâ. 3. Dum passus est deserti miserias, & famem

famem per dies quadraginta. 4. Dum labores itinerum & vigilias orationum nocturnarum subiit. 5. In gravibus contradictionibus, murmurationibus, insidiis & injuriis Pharisæorum doctrinæ suæ contradicentium. 6. Quando à discipulo proprio venditus, & indignè traditus est, cum contemptu tot benevolentiarum, quibus eum ad pœnitentiam & pudorem revocabat. 7. Dum pavorem & angustias sensit in horto, usque ad sanguineum sudorem. 8. Dum vidit Discipulos dormientes tempore tam periculoso, & maximè dum vidit se ab eis derelictum, contra fidem datam. 9. Dum captus & strictissimè ligatus velut latro. 10. Dum stetet coram Anna & impertinenter examinaretur, ubi & atrocem alapam immeritò accepit. 11. Dum relictus petulantiæ ministrorum sputa, alapas, velationes oculorum, & improperia varia accepit. 12. Dum à dilecto discipulo suo Petro negatus est. 13. Dum falsis accusationibus coram Caipha & curia spirituali obrutus est. 14. Dum à Pilato vidente innocentiam ejus non est erutus; prout dictabat justitia, & obligatio officii sui. 15. Dum coram Herode & aulicis ejus comparuit & insanus habitus est. 16. Dum comparatus cum Barabba, præ illo despectus est à populo. 17. Quando se nudatum vidit, coram cohorte petulantissimorum nebulonum, cum maxima verecundia, in aula Pilati, & in cruce. 10. Dum atrociter toto corpore flagellatus fuit. 19 Dum corona spinea capiti ipsius impressa fuit. 20. Dum caput ejus fuste percussum, & irrisoriè indutus ac salutatus ut Rex. 21. Dum communi suffragio totius populi abnegatus, & ad crucem postulatus, & à Pilato in mortem traditus est. 22. Dum bajulans sibi crucem, eductus est cum labore, & fatigatione summâ. 23. Dum felle & aceto potatus in sua molestissima siti. 24. Dum tandem mortis tormentum sustinuit in separatione animæ à corpore.

Pro Laudibus.

Quinque orationes dominicæ decretæ sunt. Quæ dum recitantur, conveniens est ut mens elevetur ad Christum quasi in cruce pendentem, & dirè afflictum, in suis quinque vulneribus: convertendo oculos ad singula vulnera, successivè, per singulas orationes, easque offerendo Patri cælesti, cum orationibus quas Filius suus dilectus obtulit, positus in hoc supplicio & sacrificio. Plurimi mysteria istis quinque vulneribus appositissima adinvenerunt, quæ meditationem quietam in silentio requirunt, ut bene gustentur. Dum vocales orationes recitantur, sufficiant considerationes illæ quæ ex verbis ipsis educuntur, & ad prædicta sanctissima vulnera referri possunt, juxta cujuslibet orantis industriam, & intellectum, & Spiritûs Sancti illuminationem. Tamen in adjutorium simpliciorum has subnectimus.

Primò, Ut ad vulnus dextræ manus, aspiciant Deum, innumeris suavibus tractibus allicientem peccatores, ad resipiscentiam. 2. Ad vulnus sinistræ manus, multis tribulationibus, terroribus & amaritudinibus eosdem abstergentem à peccatis suis. 3. Ad vulnus dextri pedis, quàm longanimiter expectet aliquando ad 30. & 40. annos, si fortè peccator redeat ad bonam mentem. 4. Ad vulnus sinistri pedis, quantâ patientiâ supportet peccantem in præsentia sua, quem non tradit diabolis torquendum, prout meretur. 5. Ad vulnus lateris, quanto amore suscipiat pœnitentem animam, & eam in corpore proprio atque corde recludat.

Ad Primam.

Cum sint recitandæ septem orationes dominicæ, sicut & in aliis tribus sequentibus horis: ad singulas attolli poterunt oculi ad Patrem, ut fontem septem principalium beneficiorum, quorum numquam oporteat oblivisci.

Primò, ut Creatorem nostrum, per quem positi sumus in esse: quo titulo ipse est optimissimè Pater noster. 2. Ut ad ptum electorem, qui ad gratiam baptismi perduxit; sinè qua nihil nobis profuisset creatos esse. 3. Ut recipientem nos iteratò, post peccata actualia, per donum justificationis. 4. Ut conservatorem vigilantissimum, qui nos ab infinitis periculis corporalibus & spiritualibus, & in tentationibus positos præservavit. 5. Ut fœcundum inspiratorem plurimarum bonarum voluntatum, de quibus numquam cogitassemus, nisi ipse gratis desuper commovisset & corroborasset ad earum executionem. 7. Ut auctorem spei sublimis; qui jubet nos sperare finem illius, ad quam creati sumus, beatitudinis.

Ad Tertiam.

Quia hostes animarum ad subversionem maximè Religiosorum accensi sunt, quorum tentationes & technas propriâ industriâ evadere impossibile est, decet animas humiles de se diffidentes clamare ad Deum adjutorem, ut præservet ab istis capitalibus, ad quas omnes aliæ reducuntur.

Primò, superbia, cui maximè obnoxii sunt imprudentiores spirituales. 2. Ab avaritia & proprietate, quæ facilè gliscit in amatores sui ipsius sub prætextu necessitatis. 3. Ab invidia quorumcumque, qui videntur nobis gloriosiores coram mundo. 4. Ab ira & contentionibus, quæ inter pusillos ob res leves facilè suscitantur. 5. A gula, quæ toties redintegrat insultus suos, quoties necessitati satisfaciendum est quotidianæ, provocans semper ad excessum. 6. A luxuria, secretos ignes suscitante, quæ præoccupare solet corda contra ingressum amoris Dei, & integraliter illa depascit. 7. Ab acedia, quæ animam prosternit ad otium, somnum & tædium in oratione, obedientiis & omnibus operibus bonis.

Ad Sextam.

Totâ contentione mentis conversi ad speculum justitiæ & sanctitatis, & considerantes in eo septem principales virtutes, quibus perficiendi sumus, eas confidenter postulabimus.

Primò, Ut ad instar Christi Domini simus humiles in veritate. 2. Liberi ab omni affectu

rerum

rerum terrenarum, & contenti paupertate istâ beatâ quam elegimus. 3. Constantes in fraterna charitate erga omnes homines, absque ulla amaritudine aut malevolentia. 4. Mites, non solùm in supportandis defectibus alienis nos non concernentibus, sed in propriis etiam injuriis & provocationibus. 5. Sobrii etiam inter quascumque lautitias mundi, & incitationes ad excessus mensales. 6. Casti & rigidi contemptores omnium recreationum, & cujusvis mollioris commoditatis, cum earum dedignatione. 7. Strenui ad omne opus bonum, quod quocumque modo, sive à Superioribus, sive à sola Regula injunctum, sive à Deo fuerit inspiratum.

Ad Nonam.

Quia voluntatis paternæ est, ut filii sui secum beati sint, & evadant supplicia illa infernalia, quæ diabolo & angelis ejus parata sunt, ad singula *Pater noster* orandum, ut ab illis nos præservet, & abducat à periculosis viis, quæ illuc ducunt, ne scilicet deveniamus.

Primò, In ignem horribilem & sulphureum, urentem & non consumentem. 2. In famem insanam, & sitim nunquam extinguendam. 3. In impatientissimos dolores cordis ob deperditam beatitudinem. 4. In confusionem intolerabilem, ex improperiis & accusationibus omnium aliorum damnatorum. 5. In corrosionem inevitabilem conscientiæ, cum summo tormento. 6. In societatem crudelium dæmonum, & aliorum blasphemantium Deum. 7. In supplicium supremum desperationis; quâ apprehendunt nunquam futurum finem suarum miseriarum, in tota æternitate.

Ad Vesperas.

Ad vesperam vitæ laboriosæ, post toleratum pondus diei & æstum, vocantur operarii ad recipiendam mercedem. Quandoquidem illam speramus, decet frequenter ad illam aspicere, & coram Patre ostendere, quòd illam toto corde desideremus: Igitur ad duodecim orationes, mentem dirigamus ad totidem partes beatitudinis.

Primò, In qua concedetur visio jucundissima ineffabilis Trinitatis. 2. Fruemur præsentiâ amabili humanitatis Christi, non ampliùs involutâ sub nube sacramentalium specierum, sed in propria forma gloriosa. 3. Admittemur ad consortium desideratissimum Matris Mariæ. 4. Habitabimus cum nobilissimis spiritibus Angelicis nos honoraturis. 5. erimus sociati sanctis, veris & amantissimis amicis, qui de nostra tamquam de propria congaudebunt gloria 6. Ubi vicissim communicabimus cum gaudiis omnium aliorum concivium. 7. Honorabimur cum magna gloria ab ipso Rege cœli & terræ. 8. certi erimus nunquam ampliùs offendendam amicitiam cum Patre nostro, & cæteris omnibus filiis ejus, & cohæredibus. 9. Corpus ipsum nunc miserum, tunc glorificatum & suis exornatum dotibus erit, ad imaginem glorificatæ Christi humanitatis. 10. Ubi erit securitas æterna, & immunitas ab omnibus quibus nunc subjacemus afflictionibus. 11. Ubi locus ipse paradisi, pulchritudine, amœnitate, spatiositate suâ delectabit omnes inhabitatores & ipsos sensus corporales. 12. Ubi singulis operibus & laboribus merces congrua reddetur à justo Judice, quam nullus nostrûm adhuc capere aut intelligere potest, sed diversificabitur pro qualitate meritorum & desideriorum, quæ nunc Deus in nobis observat.

Ad Completorium.

Dum completa fuerit vita nostra præsens, & recipiendum bravium gloriæ, non potest esse transitus ad eam, nisi per portam mortis, & judicii particularis. Quæ hora cùm sit periculosissima, nosque tunc maximè turbandi, tum per dolores corporis, tum per tentationes mentis, juvatet tunc habere adjutores fideles. Nihil minùs possumus facere, quàm eos invitare instantiis, & Dominum rogare, ut permittat eos venire nobis in succursum. Ad septem orationes pro completorio impositas, erunt humiliùs pro hora nostræ mortis invitandi.

Primò, Sancti Apostoli, quibus data est præcipua potestas in dæmones, hostes nostros. 2. SS. Martyres, qui sunt nobis in tobur ad patientiam. 3. Sancti Sacerdotes & Episcopi, quorum oratio sanat infirmum. 4. Sancti, qui in statu Religioso servierunt Domino, & nos præcesserunt. 5. Gloriosæ Virgines, quibus ea amore teneriori nihil negat Sponsus. 6. Sancti, qui in humilitate matrimonii Deo placuerunt. 7. Sancti pœnitentes, qui meruerunt apud Deum posse succurrere pœnitentibus, & condalibus in agone postremo constitutis.

Sicut Clericis ad clausuram Completorii & totius Officii indicta est solemnis salutatio B. Virginis: eamdem pariter accedant Laici, ut pariter cæteris patronis eorum sit dux & comes ad præsidium, utque orationes omnes præcedentes exaudiantur.

Hæ considerationes pro horis omnibus præparatæ, & affectus pii inde effluentes sint anima & vita orationis Laicorum. Parum fuisset corporalem pronuntiationem ordinasse, nisi vita & motus sanctus procuretur: quem Deus quidem suâ gratiâ debet inspirare, ipsorum tamen muneris est, animam ad cœlestis hujus motionis præparare susceptionem.

TEXTVS & §. VIII.

Et orent pro defunctis.

SVMMARIVM.

S. Franciscus comparatus Abdemelech liberatori Ieremiæ. Concessum ipsi à Christo privilegium, quot annis in die Natalitii sui, omnes animas suorum è Purgatorio educendi. Praxis piè legendi Officium Defunctorum. Quæ nobis utilitates proveniant ex misericordia in defunctos. Quorumdam Franciscanorum excellens in hoc pietas.

Jerem. 38. vers. 7. & sequentibus.

UT audivit Abdemelech, qui erat in domo Sedeciæ Regis, quòd misissent Jeremiam in lacum, posoit cor ut liberaret eum, & locurus ad Regem laboravit ut erueret illum. Præcepit itaque Rex Abdemelech dicens: *Tolle tecum hinc triginta viros, & leva Jeremiam de lacu.* Assumptis ergo Abdemelech secum viris, *tulit veteres pannos, & antiqua quæ computruerant, & submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.* Dixitque Abdemelech ad Jeremiam: *Pone veteres pannos, & hæc scissa, & putrida sub cubitu manuum tuarum, & super funes.* Fecit ergo Jeremias: *Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu.* Per *Abdemelech*, qui interpretatur *Servus Regis*, coovenienter Franciscus, servus Regis altissimi accipitur. Hic ut audivit animas defunctorum fidelium missas in lacum Purgatorii, pro earum liberatione, fusis apud cælestem Regem precibus, instantissimè laboravit. Neque ipse solùm, sed assumpsit secum viros, consodales suos Minores, quos ad incumbendum pariter huic operi adhortatur dicens: *Orent pro defunctis.* Quasi dicat adminiculis suffragiorum levate Jeremiam de lacu. Neque sic solùm; sed satisfactiones quoque pœnitentialium operum quæ in Religione usurpantur, ad dilectas illas Deo animas submittendo. Vide enim, quid noster practicavit Abdemelech. *Tulit veteres pannos*, rude atque vile induens pœnitentiæ vestimentum. Nec sibi soli, sed & aliis voluit hæc signa effectusque pœnitentiæ proficere: unde ipsius exemplo sunt viri multi ad pœnitentiam animati. Imò defunctis quoque voluit ea prodesse: *submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.* Isti sunt funiculi cinctorii, qui universo orbi per Franciscum distributi conspiciuntur, in memoriale vinculorum vulnerumque Salvatoris. Hos funiculos devotè gestantibus S. Romana Sedes, diversas impertivit indulgentias, quæ applicabiles etiam animabus lacu Purgatorii detentis, submittunt in earum liberationem, satisfactiones Christi & Francisci *in lacum per funiculos.* Sed veteribus quoque sui indumenti pannis, auxiliatur eisdem, dicens: *Pone veteres pannos, & hæc scissa & putrida sub cubitu manuum tuarum & super funes.* Hoc modo miseram peccatoris animam adhoc degentem in corpore, liberat à lacu Purgatorii præservativè, inducens eum verbo vel exemplo, ut pauperes pannos Franciscanæ Religionis, funemque cinctorium suscipiens, satagat in hac vita per dignos pœnitentiæ fructus omnes expiare maculas peccatorum, atque hâc ratione à Purgatorii lacu præservetur. Imò & vitâ functis adfert per hos pannos subsidium, quatenus promeruit Vir Dei, ut Romani Pontifices, iis qui corpora sua facerent in Franciscano habitu sepeliri, varias concederent Indulgentias, quibus sinè satisfactione hujus vitæ decedentes, possent nihilominus à lacu Purgatorii liberari. Quod multos permovit pios, magnos etiam mundi Monarchas, ut in eo vellent pauperculo habitu sepeliri. Id mandarunt sub mortem Greg. IX. & Martinus IV. summi Pontifices, Potentissimus Hispaniarum Indiarumque Monarcha Philippus III. Serenissimus Belgarum Princeps Albertus Pius, aliique quàm plures, cupientes per hos pœnitentiæ pannos, à residuo peccatorum suorum debito liberari. Sic igitur Abdemelech noster Franciscus, & viri quos tulit secum, Fratres scilicet Minores, *extraxerunt Jeremiam*, hoc est nondum plenè expurgatam animam, *funibus* cinctoriis Franciscanis, *& eduxerunt de lacu* Purgatorii.

Sacer. Privil. S. Francisci ad object. 4. contra 4. Privilegium.

Inerat juvenis adhuc Francisci præcordiis divinitùs indita quædam ad pauperes miseratio liberalis. Unde temporis processu, afflictis qualicumque corporali molestiâ, mirâ compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret, piâ cordis dulcedine referebat in Christum, in eorum afflictionibus Christum contemplando. Sanè clementiam quam habebat ingenitam, superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes & infirmos; & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Si hæc erga pauperes corporales hujus mundi; quem putabimus ipsius fuisse animum, erga pauperes alterius sæculi, incomparabiliter graviori pressos necessitate spirituali, & quidem tali, à qua posset eos semper, non affectu

D. Bonav. Legenda cap. 1. & 8.

dum-

dumtaxat, sed manu quoque sublevare? Ne quidem post obitum suum desiit memoriam eorum, atque misericordiam erga ipsos habere. Gloriolam Viri Sancti animam multos ex Filiis è Purgatorii ergastulo tunc dimissos, associasse scribunt ex revelatione & relatione Sancti cujusdam ex sibi coævis Thomas Celanus & Bernardus à Bessa; ille Divi Francisci, hic Divi Bonaventuræ socius. Ex his vetustus liber dictus *Speculum S. Francisci & Sociorum ejus*, sic habet; *De morte ejus hoc dico: quòd anima ejus, velut sagitta per Purgatorium transiens, animas omnes illic detentas, secum duxit.* In eodem loco, Recognitor Libri dicit: alios docuisse B. Franciscum idem facere singulis annis, die suæ festivitatis. Id expressiùs habet Bartholomæus Pisanus, referens hæc verba Christi ad Franciscum: *Sicut ego in die obitùs mei ad Lymbum accessi, & meritis ac virtute stigmatum Passionis meæ, omnes animas quas inveni, extraxi: sic volo, quòd & tu, ut sis mihi conformis in morte, sicut es in vita, in die natalitii tui vadas quolibet anno ad Purgatorium, & omnes animas trium Ordinum, scilicet Minorum, S. Claræ, & Pœnitentium Tertii Ordinis, quos ibidem invenies, in virtute & efficacia tuorum Stigmatum eruas, & ad gloriam Paradisi perducas.* Item de eximio hoc Privilegio facta est Revelatio B. Virgini Joannæ de Sancta Cruce, ut videre est in ipsius Revelationibus, ubi Sanctæ Virgini in Festo B. Francisci per sex horas in extasim raptæ, Dominus apparuit, eique indicavit, quomodo miserat S. Franciscum in Purgatorium, ut per virtutem & prærogativam Stigmatum ejus, animas sibi devotorum & trium ejus Ordinum ibi detentas, inde liberaret. Et ulteriùs ei revelavit, hoc fuisse B. Francisco concessum singulis annis, usque in finem mundi. Revelationes porrò B. Joannæ apud viros doctos multùm habent auctoritatis. Plura de hoc privilegio, defensionemque ipsius contra objectiones adversariorum habet *Appendix Sacrarii Privilegiorum* S. Patri Francisco concessorum.

Annal. Tom. 1. ann 1226. num. 38. Lib.1.f.106

Lib. 3. conformit. fructu 31

Æquali nos convenit, cum Seraphico Patre, erga gratas illas Deo animulas fervere dilectione; alioqui nec Dei charitatem habere convincimur, dicente Discipulo illo, quem diligebat Jesus: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit Fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo Charitas Dei manet in eo?* Nobis; O Franciscani, desunt temporalia media in subsidium mendicorum circumforaneorum, suppetunt tamen spirituales facultates in pauperum alterius mundi subventionem, qui asperioribus longè gravantur necessitatibus, minùsque se possunt quàm hujus sæculi pauperes adjuvare. Tempus habemus locumque preces effundendi coram Deo, nec desunt jejuniorum, vigiliarum, disciplinarum, aliorumque hujusmodi exercitiorum commoditates, qui propriissimi sunt nummi apud Deum Judicem satisfactorii. Missarum item Sacrificia, nec non Officia Defunctorum, constitutis in Ordine diebus, affectuosâ devotionis efficaciâ persolvantur.

1. Joan. 3 vers. 17.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Quòd ut majori cum fructu, gustuque devotionis fiat, optarim ut sub Officii Defunctorum recitatione, tres nobis propositas teneamus considerationes. 1. Ut quæ leguntur ex querimoniis & lamentis Job, afflictissimi quondam servi Dei, accipiantur non tamquam onius istius viri cum Deo dudum in cœlo regnantis, sed tamquam voces afflictorum istorum, quos manus tetigit Domini tempore præsenti; eritque hæc consideratio in urgentem erga ipsos stimulum compassionis. 2. Psalmi qui ibi recitantur, plurimos continent gemitus eximii istius pœnitentis Psalmorum Auctoris, quibus se posse speravit placare iram Domini, prout & placavit. Hos repetere convenit nomine animarum castigatarum, ut quando ipsæ non possunt, nos in earum persona preces pro illis offeramus, si fortè ad misericordiam flectatur & ignoscat Deus. 3. Auditur in Psalmis quibusdam quasi Christi Anima ad inferos descendens, Patresque consolans ibidem detentos, eo triduo quo fuit ibidem commorata; quo in descensu atque mora, excellentem eis exhibuit charitatem. Consimili affectu si induantur, qui eos recitant Psalmos, eamdemque optent incarceratis animabus opitulationem, indubiè rorem aliquem refrigerantem divina super ipsos stillabit misericordia; si tamen non distractè, præcipitanter & persunctoriè, verùm ferventer seduloque recitentur. Defunctus aliquis, ex condicto amico confratri suo apparens, & interrogatus, num Missæ pro ipso celebratæ quidpiam profuissent, respondit: Ita quidem; magis tamen profuturas fuisse, si cum majori peractæ fuissent devotione: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut susceperit faciem tuam, ait Dominus exercituum.* Cæcas faciunt oblationes, qui sinè attentione orant atque intellectu; Claudas verò, qui non integrè persolvunt ad quæ obligantur, nec debitâ eas ad salutem proximi dirigunt intentione. Neque ab hoc Pietatis studio abstrahat quemquam imprudens persuasio de sanctitate defuncti, quasi minimè suffragiis indigentis. Judicia Dei abyssus multa. Theologus quidam Parisiensis pro sui more Conventûs, tres pro quodam defuncto Missas celebrare tenebatur. Neglexit autem, credens ipsum angelicâ quam duxerat conversatione, maculas nullas contraxisse. Apparens ei anima defuncti sibi satisfieri postulavit, dicens, incredibile esse, quàm strictas exigat Deus minutulorum quoque delictorum rationes, quàmque severè etiam in amicis suis cuncta castiget. Meritò igitur de quolibet summam præsumemus indigentiam, ejusdemque summum adjutorii nostri desiderium.

Chron. P. 2. lib. 4. cap. 34.

Malach. 1. v. 8.

P. Elias à S. Theresia in suo Legato pro animabus Purgatorii quinque enumerat hujus pietatis fructus, quorum consideratio poterit nos ampliùs ad induendum misericordiæ viscera exstimulare. 1. Quòd in immensum adaugeat cumulum meritorum. 2. Quòd hæc sit Eleëmosyna, supra alias omnes beneplacens Deo; quippe collata ad acceleran-

Lib. 1. c. 40.

dam desideratissimam Dei parentis animæque filiæ conjunctionem : facta è propriis sudoribus & corde proprio : erogara in nobilissimas sanctasque creaturas. 3. Animæ ipsæ brevi Deo adfuturæ, in summo nobis obligantur; de quibus certum est ingratas esse non posse, nec beneficii obliviosas. Confidenter igitur poteris animam tuis liberandam suffragiis rogare: Gen. 40. vers. 14. *Memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias meaum misericordiam : ut suggeras Pharaoni*, Deo nimirum, *ut educat me de isto carcere*, de corpore mortis hujus, & faciat me tecum in cælestibus consedere. 4. Obligantur & sancti quos ipsa coluit, Custosque Angelus, quibus benefit, dum animæ subventum est in necessitatibus constitutæ. 5. Quin & ipsum obligat Christum, qui sibi reputat impensum, quòd membris ipsius conjunctissimis præstitum est. Suâ etiam tenetur promissione, *beatos* fore *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Certè non irremunerata mansit mi- Jerem. 39. vers. 17. sericordia Abdemelech liberantis è lacu Jeremiam. *Liberabo te in illa die*, ait illi *Dominus*, *& non traderis in manus virorum quos tu formidas*; Malignorum spirituum qui te in mortis articulo infestabunt, & ad gehennam pertrahere tentabunt, *Sed eruens liberabo te, & gladio non cades; sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.* Habuerat quippe fiduciam, quòd qui benefaceret Prophetæ, mercedem Prophetæ acciperet. Et nos similiter habeamus fiduciam, quòd justis illis benefacientes, justorum accipiemus retributionem.

His, similibusque considerationibus tamquam calcaribus quibusdam exstimulati, aliquot nostrorum pientissimorum Confratrum, impensam in adjuvandis animabus illis operam posuerunt. Annal. Tom 2. ann 1270. num. 31. Fratri Stephano Corvo, aliquando magna utriusque sexûs vitâ functorum multitudo apparuit, profundam reverentiam, & gratias agentium, quòd ejus præcibus liberati sunt à pœnis Purgatoriis. Hic enim habuit in usu, ut per claustrum & cœmeterium ad cellam semper incederet, pro omnibus ibidem sepultis ad Dominum præces oblaturus. F. Franciscus de Fabriano, cùm aliquando Missam pro defunctis celebraret affectuosiùs, vehementerque compateretur animabus dura tormenta patientibus, & in fine sacrum mysterium clauderet illâ deprecatiunculâ: *Requiescant in pace*, multorum exaudita est vox, alacriter respondentium *Amen*: quos vel Angelos ministrantes sacrificanti, vel animas ad præces sancti viri à Purgatorii ergastulo liberatas judicare licebit. Eodem Tom. an. 1267. num. 7. B. Joannes Firmanus, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, summo charitatis affectu, sanctum offerebat sacrificium pro animabus Purgatorii. Annal. Tom. 3. an. 1322. num. 38. Dum verò sacratissimum Christi Corpus elevaret, mirâque dulcedine pietatis & fraternæ dilectionis Deo Patri exhiberet, ut pro amore unigeniti Filii, qui in cruce pependit, animas misellas, ab ipso creatas & redemptas, è Purgatorii carcere misericorditer liberaret: vidit innumeras, quasi ex ignita fornace prodeuntes, in cælum ascendere, quæ sibi gratias propter tantum beneficium gratæ rependebant. Hi procul dubio dignis à Deo præmiis pro impensa sunt remunerati charitate. Sed neque impunita remansit quorumdam circa hoc charitatis debitum negligentia. Frater Chron. p. 4. lib. 3. cap. 36. Joannes de Via, Exemplaris aliàs & timens Deum, negligentior tamen fuerat in aliquot officiis mortuorum persolvendis. Apparuit post mortem Novitio cuidam pristinas deplorans negligentias, asserensque se minimè posse cœlum ingredi, donec neglecta fuissent per alios persoluta, specialis autem nobis incumbit pro defunctis benefactoribus satisfaciendi obligatio. Illi inpensè satisfaciamus, ne consimili ingratis constituto plectamur supplicio.

TEXTVS & §. IX.

Et jejunent.

SVMMARIVM.

Jejunio enervantur adversarii nostri spirituales. S. Francisci abstinentia. Jejunii commendatio. Duodecim fructus illius. Cœlestis sapientiæ amatores, non debilitantur Jejunio; sed roborantur.

DUm veteres terræ Promissionis populos esset Josuë expugnaturus, præceptum dedit illi Dominus: Josuë. 11. vers. 6. *Equos eorum subnervabis & currus igne combures.* Quod figurale factum in hunc modum doctissimus exponit Origenes: Hom. 15. in Jos. *Equus lascivus motus & superbæ cervicis est animal. Quare si passiones corporis, id est libidinem & superbiam, quibus anima velut equitans vectatur & fertur ad præcipitia, equos & currus intelligamus, non erit rationi contraria intelligentia. Hos igitur equos jubet Dominus subnervari. Subnervatur autem equus, cùm corpus Jejuniis, vigiliis & omni abstinentia afflictione maceratur. Ideo enim & fallax dicitur equus ad salutem, si motus corporis nostri fieri permittamus effrenes, nec abstinentia jugo lasciviam carnis, & superba colla subdamus. Currus etiam jubemur incendere, id est omnem arrogantiæ spiritum resecare.* Seraphicus noster Josuë volens filios suos ex hujus mundi Ægypto eductos, stabilire in terræ Promissionis, sive Religiosi status possessione, intimat eis dominicum de sub-

ſubnervandis hoſtium equis mandatum. Jejunia per Regulam præſcripta, gladii ſunt neceſſarii ad ſubnervandos equos, quibus inequitantes adverſarii denuò nos ad infamem reducerent ſervitutem. (Iſa. 31. verſ. 3.) *Equi eorum, caro.* Tranſlati ſumus à tyrannica carnis & ſenſualitatis ſervitute, ad imperium regimenque ejuſdem per ſpiritûs vigorem. (Rom. 3. verſ. 4.) *Vos mortificati eſtis*, inquit Apoſtolus, *legi* carnis *per Corpus Christi, ut ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo. Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, &c.* Quod fuit primis Chriſtianis ante fuiſſe Judæos, hoc nobis eſt ſæculares fuiſſe, quando eramus carnis paſſionibus ſervientes. Agnoſcamus Dei miſericordiam, quæ nos ab iſta eduxit ſervitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, & equos carnis noſtræ per Jejunium ſubnervemus, ne inimici noſtri nos denuo illi miſerabili ſubjiciant ſervituti.

Attendens Vir Dei Franciſcus illud Apoſtoli verbum (Gal. 5. verſ. 24.): *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*; ut crucis armaturam ſuo ferret in corpore, tantâ diſciplinæ rigiditate ſenſuales arcebat appetitus, ut vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ. (Vita cap. 5. num. 1.) Difficile namque fore dicebat, neceſſitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parere: propter quæ cocta cibaria ſanitatis tempore vix admittebat, & rarò; admiſſa verò aut conficiebat cinere, aut condimenti ſaporem admixtione aquæ, ut plurimùm reddebat inſipidum. De potu vini quid dicam? cùm & de aqua frigida, dum ſitis æſtuaret ardore, vix ad ſufficientiam biberet. Modos adinveniebat abſtinentiæ potioris, & quotidiè exercitatione creſcebat; licètque jam perfectionis culmen attingeret, tamquam incipiens ſemper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Nec verò aliam potuit viam Vir Sanctus inire aut ſuis monſtrare Fratribus, quàm ipſius Chriſti & Sanctorum, qui Jejunium coluerunt totis viribus, & commendarunt. Suam nobis edicit Ambroſius ſententiam apud D. Bonaventuram (Apol. Paup. Reſp. 1. c. 3): *Ne terrenum quis aut novellum putet eſſe Jejunium: Primus uſus mundi ab eo incepit, quando lux clara reſplenduit. Ubi cibus incepit, ibi finis factus eſt mundi. Ubi cœpit ſua incrementa neſcire, ibi cœperunt divina circa eum opera feriari. Prima lex in Paradiſo lata eſt de Jejunio.* Altiùſque illud reducens ad cœleſtem & angelicum uſum, pergit: *Elias meritò judicatus cœlo dignus, ut cum ipſo raperetur corpore, quoniam cœleſti vitâ vivebat in corpore, & ſuperna uſum converſationis exhibebat in terris. Quid enim eſt Jejunium, niſi ſubſtantia cœleſtis? Eſt refectio animæ & cibus mentis, vita Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis. Ideo Joannes Baptiſta Jejunium colens, Angelus nominatus & habitus eſt.*

(Tom. 1. Serm. 5.) S. Bernardinus compendioſè duodecim illius fructus proponit, ſuper omnia nobis expetendos & acquirendos. 1. Reſtæuratur per Jejunium caro, ut illi primæ reſtituatur ſervituti, quâ ſpiritui concorditer ſubjiciebatur. 2. Satisfit juſtitiæ pro culpis, ut qui admiſit illicita, ab aliquibus abſtineat licitis, prout lex dictat juſtitiæ. 3. Evaduntur nova delicta, quibus intemperantia latum ſolet oſtium aperire. 4. Reconciliatur iratus Deus per ſpiritus humiliationem, qui domitâ jam pelliciente carne, deſinit rebellare. 5. Clarificatur mens conſumptis jam craſſis & offuſcantibus nebulis. 6. Cibatur corpus & anima novo modo; etenim dum Chriſtus gulæ repudiaſſet tentationem, *acceſſerunt Angeli & miniſtrabant ei.* (Matth. 4, verſ. 11.) 7. Redit ſanitas corporis, per ſuperfluorum humorum conſumptionem. 8. Fortificatur animus ad honeſtos labores; à quibus impatientes famis, ventrique ſuo dediti, turpiter abſterrentur. 9. Eradicatur amor proprius, qui facilè areſcit Jejunio. 10. Sacrificatur caro Domino, divinoque applicatur cultui, quæ aliàs immunditiæ ſerviebat & corruptioni. 11. Triumphus ſuper dæmones reportatur, qui hanc timent artem compeſcendæ ſenſualitatis, per quam tamquam oſtiariam liberiùs ad nos intromittebantur. 12. Corona gloriæ redditur abſtinentibus; ſicut illicitè comedentibus infligetur cum divite epulone duraturum ſinè fine ſupplicium.

Utinam hæc ſaperent & intelligerent molliores, timidique propriæ carnis amatores, qui ad ſolum trepidant Jejunii nomen, quia corporis vires Jejunio ſuſpicantur attenuandas! Graviter illis D. inſultat Hieronymus (Lib. 2. contra Jovin.): *Audi creatas eſſe ſues, apros, cervos, & ejuſmodi animantes, ut athletæ, milites, nautæ, metallorum foſſores, & cæteri hujuſmodi operibus mancipati, cibos haberent, quibus corporis fortitudinem ſuſtentarent. Cæterùm noſtra Religio non athletam erudit, non foſſorem vel remigem; ſed ſapientiæ ſectatorem, qui Deo ſe cultui mancipavit.* Juſtè excandeſcit Titelmannus noſter in quoſdam remiſſioris diſciplinæ amatores, qui illum Pſalmi verſiculum (Annot. in verſ. 10. Pſal. 58.): *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, citare ſolent in ſuæ confirmationem remiſſionis; quaſi ex Prophetæ auctoritate formidantes, vel vigiliis, vel Jejuniis, vel aliis paulò durioribus corpus affligere, ne fortè non ad Dominum ſuam cuſtodiant fortitudinem: non ſatis attendentes, quòd Paulus Apoſtolus harum rerum optimè expertus, de ſeipſo ait: *Virtus in infirmitate perficitur.* Et: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Qui etiam alibi, (1. Cor. 9. 2. Cor. 12.) in laboribus & Jejuniis & vigiliis ſupra modum gloriatur, & caſtigat corpus ſuum, atque in ſervitutem redigit, ne reprobus efficiatur; cùm interim hi molles pugnatores, propheticâ illâ voce ſe bene munitos exiſtimant, adverſus omne quod arctioris videtur ſeverioriſque diſciplinæ. Legitimus iſtius verbi intellectus eſt, quòd David fortitudine ſeu viribus animæ ſuæ nonniſi ad Dei Gloriam uti decernit, cujus eſſe novit, quæ in ipſo ſunt omnia.

Aliam ergo regendi corporis ineant iſti delicatuli rationem, quam D. Baſilius ſuggerit, dicens (De Jejun. Serm. 1.): *Ne corporis imbecillitatem valetudinemque cauſeris, &c. Niſi fortè dicas, gubernatores navem commeatibus valde oneratam, meliùs ſervare, quàm levem & vacuam; nam & multitudine*

tudine plenam & gravem, parvus unda impetus impellit atque deprimit. Ea verò qua mediocrem retinet ponderum sarcinam, facile fluctibus superverit, cùm nil eam impediat quin in sublime vertetur. Sic & hominum corporibus saturitate gravatu solet evenire. Indignum sanè, viros professione Religiosos famis sitisque afflictione terreri, cùm sæculares plerosque invictos contra eam faciat vel avaritiæ tenacitas, vel fervor venationis, vel in litibus prosequendis obstinatio; aut spes gloriæ militaris, aut saltem sanitatis ex lege Medicorum consequendæ desiderium. Audiamus ethnicum censorem perstringentem sollicitos istos suorum corporum
Epist. 15. curatores. Ipse est Seneca. *Stulta est*, inquit, *& minimè conveniens litterato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi. Cùm tibi feliciter sagina cesserit, & tori creverint, nec vires unquam opimi bovis, nec pondus aquabis. Adjice, quòd majore corporis sarcinâ animus eliditur, & minùs agilis est. Itaque quantùm potes circumscribe corpus tuum, & animo locum laxa.* Si dilatandi corporis cura, ex judicio infidelis Philosophi hominem dedecet literatum, quantò magis nos Christiano sensu judicemus dedecere hominem Religiosum? Indubitatum est, in robusto vegetoque corpore, animum molliorem fieri atque tepidiorem; in debili verò & attrito, spiritum ampliùs roborari.

TEXTVS & S. X.

A Festo omnium Sanctorum.

SVMMARIVM.

Sanctorum omnium exemplis dirigimur ad pœnitentiale Jejunium; Consideratione mercedis jejunantium animamur. Speciales favores divini, abstinentissimo B. Ioanni Firmano impensi. Sanctorum subsidium implorandum pro Jejunii exercitatione. Comparatione abstinentiæ illorum, nostra modica est.

S. Jacobus Apostolus, in Catholica sua Epistola, fideles ad patientiæ certamen anima-
Jacob. 5. vers. 10. turus: *Exemplum accipite Fratres*, inquit, *laboris & patientia, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.* Simili pietatis consilio Franciscus, animos additurus Filiis suis, ad tolerantiam solemnis quod eis indicebat Jejunii, memoriam eis ingerit omnium Sanctorum: *Jejunent*, inquiens, *à Festo omnium Sanctorum*, sperans eâ occasione excitandos illos, propositâ & recenter consideratâ Sanctorum omnium magnanimitate, qui ducti spiritu Christi sanctam inierunt vitæ rationem, per arctas atque molestas abstinentiæ, sanctæque mortificationis semitas, cum mentis alacritate, spirituali fructu, ac præclaro suæ virtutis exemplo. Itinerantium alacritatem haud parum juvat alacris præcedentium cursus, minùsque suspectum facit iter: quin & pudorem generosis injicit mentibus, si minùs faciant, aut non penetrent quò commilitones intrepidè præces-
Vita c. 9. num. 2. serunt, vicerunt & gloriosi facti sunt. Ipse certè Vir Dei, ex recordatione Sanctorum omnium, tamquam lapidum ignitorum, in debitum recalescebat incendium. Idem de sui Instituti speravit sectatoribus; & eapropter, illud quod præscribit Jejunium, à Sanctorum omnium inchoari voluit commemoratione: simul certantibus ostendens quos decreverit honores Deus & Ecclesia in hac mortificationis palæstrâ triumphantis. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, infallibilis veritatis promissio est.

Quantùm autem Deus honorârit abstinentiam à Sanctis pro suo susceptam nomine, non est qui condignè valeat explicare. Quosdam enim per volucres aut feras in extrema pavit necessitate. Alios fame propemodum attritos, ministerio recreavit Angelorum. Quosdam sublimiorem ingressos viam, omnemque fastidientes corporalis cibi vilitatem, per semetipsum suo proprio sustentavit Corpore & Sanguine. Notus est favor S. Catharinæ Senensi præstitus, & Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ. Æquè mirabilis contigit dignatio circa Beatam Angelam de Fulgineo tertii Ordinis S. Francisci. Dum aliquando vellet divinum Eucharistiæ sumere alimentum, nec esset qui ministraret, apparuerunt ei Angeli, & sacro cibo refecerunt. Tantam fortitudinem & nutrimentum ex hoc sacratissimo repottabat convivio, ut per duodecim annos nihil corporalis cibi degustârit, plenè satiata hâc escâ cœlesti; quam quotidiè digno sumebat fervore; carnis potiùs, quàm panis dulcissimum, & inexplicabilem habentem in ore saporem. Has gratias, devotæ illæ animæ non fuissent à Domino consecutæ, nisi primùm longo probassent certamine, se omnia gulæ irritamenta, gustûsque delectationes penitùs in perpetuum contempsisse. Annal. Tom. 2. ann. 1309. num. 14.

Illis autem quibus edendi necessitas, & aviditas naturalis adempta non fuit, sed severè compressa, & repudiata delectatio, non defuit Deus, quin perpessas pro ipso in hoc conflictu molestias, luculentissimis deliciis spiritualibus compensaret. De uno solùm id ostendemus

Eodem Tomo. ann. 1522. num. 27. demus B. Joannne Firmano. Hic ætatem fermè omnem transegit in fame & siti, in Jejuniis multis, in frigore & nuditate, in disciplinis & vigiliis, quibus sufferendis impares videbantur vires humanæ. Quotannis per sex Quadragesimas jejunabat, videlicet Spiritûs Sancti, Assumptionis B. Virginis, Angelorum, S. Martini, S. Francisci, & Majorem, quam vocant; Sed in tribus posterioribus parcissimè panem dumtaxat & aquam admittebat, sicut etiam in Vigiliis Sanctorum, & sextis Feriis; aliis quoque modis mirabiliter se affligens. Aliâ jejunavit Quadragesimâ, miro modo per dies singulos ex herbis crudis decerpens, quot duobus digitis prehendi possent, absque pane, sale aut oleo, idque semel in die, potum aquæ subjungens. Aliâ tot fabas sumebat quotidiè, quot pugillo poterant concludi. Aliâ parvulum panem hordeaceum, totis quadraginta diebus reclusus in cella. Alterâ demum etiam clausus in cella sportulum tantùm panis bis cocti admisit, frustulum unum sumens quotidiè. Videamus nunc quantis consolationum suavitatibus sobrias istas Viri *Ibid. num. 36.* beati portiunculas condierit Deus. In profesto Sancti Laurentii (quem impensiùs colebat) dum in vesperis illa caneretur Antiphona: *Adhæsit anima mea post te, quia caro mea igne cremata est pro te Deus meus*, & gloriosissimi Martyris passionem altiùs contemplaretur, vidit ipsum in craticula jacentem, subjectas prunas, & sancti Martyris cœlestem mentis ardorem. Deinde vidit, ut oculos Laurentius suavissimo aspectu in se verterit, statimque repletus gaudio, in mentis excessum factus, ita immobilis hæsit, usque ad horam Completorii. Vidit iterum eumdem gloriosum, insigne passionis dexterâ tenentem, & dicentem, per craticulam se in cœlum ascendisse, & in terra tot *Ibid. num. 38.* honorea acquisivisse. Magno aliquando ferebatur desiderio Christum videndi crucifixum: nihil etenim ita cor ejus afficiebat, uti consideratio immensi Christi amoris, quo pro ingratis & indignis peccatoribus mori dignatus est. Desiderium pii viri exaudivit Dominus, apparuitque illi inter Missarum solemnia super altare, tamquam si tunc deponeretur de cruce, nudus, plagatus, lividus inter brachia charæ Genitricis. Magnâ teneritudine contemplatus est in illa effigie, singulos dolores & vulnera, plagarum modos, & numerum, ex quo conspectu ita liquefacta est anima ejus, ac si omnes illas cicatrices in propria carne sentiret. *Ibid. num. 43.* Aliàs simili exoptabat affectu Christi videre Genitricem; non in illa sublimitate quâ nunc regnat in cœlis, sed in illa humilitate, quâ conversabatur in terris. Annuit sacratissima Virgo, apparuitque ei in cella oranti, ipsa veste, & forma humili, quâ vixit in mundo. Per integrum diem visio duravit, & multis eum Virgo affecit favoribus, inclinavitque caput ante se genuflexi in gremium suum, & multa aperuit divina mysteria, quæ nulli hominum voluit ille revelare. Apparitione quoque S. P. *Ibid. num. 37.* Francisci dignatus est, qui vulnera ostendit, atque ut penetrantes tangeret clavos, invitavit. Tetigit, & illi in partem oppositam resiliebant. Hâc visione & contactu ita confortatus & lætus remansit, ut octiduum absque cibo & potu transegerit, & terrena omnia sorderent. In solemnitate dedicationis B. Mi- *Ibid. num. 45.* chaëlis Archangeli, descendit è sua cella in Ecclesiam, ut cum Fratribus illâ nocte Laudes decantaret Matutinas. Quibus persolutis, perstitit in meditatione curiæ cœlestis, & gloriæ Angelorum. In cellam mox regredienti, ad Ecclesiæ ostium occurrit cytharædus, non visu, sed sono, & hominem ad melodiam obstupentem, comitatus est usque ad cellam, semper psallens, variosque emittens sonos, & chori cœlestis gloriam repræsentans. Si tam divinæ dapes dilectis Deo pœnitentibus, & abstinentibus, apponuntur in exilio; quid eis præstabitur in Regno?

Alia ratio, cur *à Festo omnium Sanctorum* posuerit Jejuniorum auspicia Franciscus, fuit spes non modica adjutorii ad hanc mortificationem necessarii. Cùm enim contra naturæ inclinationem sit, supernaturali vigore gratiæ confortandus est spiritus, ut evadat superior. Eos autem præsertim sperare possumus adjutores, qui acriùs & ferventiùs contra seipsos in eo conflictu decertârunt. Damnabili usu mundi, solent duellatores, singulare inituri certamen, patrinos sibi adsciscere. Hoc sanctum duellum ingressuris, suadet Franciscus ex illustri Sanctorum exercitu patrinos sive patronos certos sibi deligere, qui eos dirigant, iniquos adversæ partis adjutores arceant, victoriamque promoveant. Haud dubium, quin operam suam gaudenter impendent Beati illi, quos delectat pugiles videre expeditos, carnem propriam pro Christi gloria suppeditantes.

Ne verò nobis-ipsis ob prolixa Jejunia tamquam sanctulis abblandiamur, consultum erit Sanctorum abstinentias intueri, nostrasque exiles earum comparatione dimetiri. Ex uno S. Hieronymi verbo, antiquorum accipite severitatem: *De cibis & potu taceo; cùm etiam languentes Monachi aquâ frigidâ vix utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit.* *Epist. 22. ad Eustochium.* Gigantibus istis comparati, quasi locustæ videbimur.

TEXTVS & §. XI.

Uſque ad Nativitatem Domini.

SVMMARIVM.

Jejunium præparat optimè ad naſcentem Chriſtum ſuſcipiendum. In Bethleëmitico puero, ſingulariter relucet Paupertas, Caſtitas & Obedientia. Diſponit nos Jejunium ad guſtandam Matris parientis ſuavitatem. Item ad concinendum Angelis cantantibus: Gloria in excelſis Deo, &c.

PRiuſquam deſcenderet ſuper terram Manoa, quo cibandi erant Filii Iſraël, terra illa deſerti rore cœlico cooperiebatur & irrigabatur: *Cùm deſcenderet*, inquit Sacra Hiſtoria, *nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man.* [*Numer. 11. verſ. 9.*] Ubi alii cum Lirano noſtro legunt: *Cùm ros operuiſſet faciem terræ, deſcendebat Manna.* [*In cap. 10. numer.*] Quærit verò doctiſſimus Abolenſis, in quem finem ros præcedebat Manna? Et Reſpondet, ne Manna cadens in ſiccam terram macularetur ſordibus & pulvere terræ. Myſticè Chriſtus Dominus eſt verum Mauna: *Ego*, inquit, *ſum panis vivus qui de cœlo deſcendit.* Pro hoc pane cœleſti obtinendo, diò multùmque ſupplicaverant veteres Patriarchæ & Prophetæ: *Rorate cœli deſuper & nubes pluant juſtum.* Donec tandem veniente plenitudine temporis miſit Deus Filium ſuum in mundum, & panis Angelorum natus in Bethlcëm domo panis, factus eſt & panis hominum. Irriganda verò eſt terra cordis noſtri, rore divinæ gratiæ, ut per animi munditiam, locus congruus venienti pani cœleſti præparetur. Porrò hæc munditia Jejunio convenientiſſimè acquiritur. S. Leo Papa de quadrageſimali loquens Jejunio: [*Serm. 4. de Quadrag.*] *Quia*, inquit, *neceſſe eſt mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere, magnâ divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & Jejunia caſta decoquerent.* Hoc probè ſciens Dei ſervus Franciſcus, Indicto alumnis ſuis Jejunio, mundari voluit cordis habitaculum venienti Filio Dei, diſponens eâ ratione per ipſos excellentiſſimum Nativitatis Dominicæ Sacramentum purificatis & corporibus & mentibus celebrari. Ad Dominicæ Reſurrectionis ſolemnitatem, quadraginta dierum Jejunio Eccleſia populum diſpoſuit Chriſtianum. Ad Nativitatis quoque condignam celebrationem Clerum inſtruxit per Adventuale divinum Officium: omneſque fermè Religioſi Ordines, alumnis ſuis Adventuale Jejunium eodem fine indixerunt. His communibus limitibus non continebatur Seraphici Franciſci devotio. Jejunandum Filiis ſuis conſtituit *à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini.* Prolixiori illâ diſpoſitione, cogitavit guſtum eorum præparare, ad ſapores virtutum in Manna iſto cœleſti contentos, abundanter percipiendum.

Prima virtus, ſpecialiter eniteſcens in Sponſo illo egrediente de thalamo ſuo fuit ſancta Paupertas. Nudus egreſſus eſt de utero Matris ſuæ; non neceſſitate naturæ, quemadmodum parvuli cæteri, ſed providentiâ æternâ & voluntariâ electione. Natus in ſtabulo, reclinatus in præſepio. Sic exinanivit ſemetipſum Dominus Majeſtatis, ut inopiâ ipſius nos ditaremur. *Vide Domine Jeſu*, inquit Franciſcus, [*Tom. 1. Opuſc. Orat. pro obtin. Paupertate.*] *quia Paupertas pro tantò eſt Regina virtutum, pro quantò relictis Angelorum ſedibus deſcendiſti ad terras, ut ipſam poſſes charitate perpetuâ deſponſare; & omnes perfectionis filios in ipſa, & ex ipſa, & per ipſam producere.* Summam illam Chriſti Jeſu Paupertatem & Matris, frequenter cum lachrymis revocabat ad mentem: inde hanc virtutum aſſerens Reginam, quia in Rege Regum & in Regina Matre ejus, tam præſtanter effulſit. Voluit quandoque in Solemnitate Nativitatis vivam ſibi exhibere formulam pauperculæ illius, quam tenuerat Dominus in Bethlcëm, œconomiæ: Fecit præparari præſepium, [*Vita c. 10. num. 9.*] apportari fœnum, bovem & aſinum ad locum adduci. Advocantur Fratres, adveniunt populi, perſonat ſylva voces; & venerabilis illa nox luminibus copioſis & claris, laudibuſque ſonoris & conſonis, & ſplendens efficitur & ſolemnis. Stabat Vir Dei coram præſepio pietate repletus, reſperſos lachrymis, & gaudio ſuperfuſus. Celebrantur Miſſarum ſolemnia ſuper præſepe, Levitâ Chriſti Franciſco ſacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumſtanti de Nativitate Regis Pauperis; quem cùm nominare vellet, *puerum de Bethleëm*, præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuoſus & verax, qui propter Chriſti amorem ſæculari relictâ militiâ, viro Dei magnâ fuit familiaritate conjunctus, D. Joannes de Græcio, ſe vidiſſe aſſeruit puerulú quemdam valde formoſum, in illo præſepio dormientem: quem B. Pater Franciſcus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur à ſomno. Hanc ſiquidem devoti militis viſionem, non ſolùm videntis ſanctitas credibilem facit; ſed & deſignata veritas comprobat, & miracula ſubſecuta confirmant. Nam exemplum Franciſci conſideratum à mundo exci-

cita-

titativum est cordium, in fide Christi torpentium; & fœnum præsepii reservatum à populo, mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsivum pestium diversarum.

Alterum saporis delectamentum, in pane illo cœlesti appetendum, est illibatæ puritas Castitatis. Major puritas, neque in Matre, neque in Parvulo concipi potest. In reliquorum carne infantium semina futurarum latent concupiscentiarum; hic verò puer de Bethlcëm

Sap. 7. vers. 16. *candor est lucis æternæ & speculum sine macula Dei Majestatis.* In Matrem etiam nihil inquinatum incurrit, sive ex actu, sive ex origine. Hæc quidem puritas nobis impossibilis est, propter fomitem intùs adhuc delitescentem; vi tamen Jejuniorum compescendus pruritus concupiscentiæ, ut quoad fieri potest, Bethleëmitico parvulo in puritate conformemur.

Tertium decus nascentis Filii Dei erat, quòd manus pedesque permiserit ligari, nullo signo vel minimam ostendens cogitationem de curando vel gubernando semetipso, omnimodam sui potestatem matri relinquens atque nutritio. Veri Fratres erimus divini istius parvuli & cohæredes, si abdicatâ penitùs voluntate judicioque proprio, pannis & fasciis constricti obedientiæ, plenam nostri ipsorum reliquerimus Superioribus potestatem. D. Bern. tra-

Serm. 42. in Cant. ctans illud Psalmi 61. *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* sic ait: *Et parum est, esse subjectum Deo, nisi sis & omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Abbati tamquam præcellenti, sive Prioribus tamquam ab eo constitutis. Ego plus dico: subdere paribus, subdere minoribus. Sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

Occasionem ejiciendi hominem irrevocabiliter ex Paradiso, imprudens dederat humana voracitas. Ejectum sic à facie Domini, inconsolabiles consequebantur ærumnæ. Misericors & miserator Dominus venit visitare & facere redemptionem plebis suæ. Quâ verò adveniens convenientiori excipiatur præparatione, quàm humili diutinâque per abstinentiam corporis maceratione? Ut qui per voracitatis delectamenta à Paradisi gaudiis recessimus, ad hæc per Jejuniorum lamenta revocemur. Hæc est congrua recipiendæ charitatis divinæ dispositio. Rigidissimus corporis sui

Marianus de Strict. observ. l. 4. cap. 10. domitor B. Petrus de Alcantara, cùm semel sublimissimum Evangelistæ pronuntiatum inaudiret: *Verbum caro factum est*, derepentè à spiritu Domini correptus, totusque in se conglobatus; per aërem altitudine duorum cubitorum celerrimè volans, quatuor, inoffenso corpore, ostia penetravit, donec ante Venerabile poneretur Sacramentum, ubi ab insequentibus Fratribus in genua provolutus, & totus obrigescens, in extasi inventus est. Huic gratiæ idoneum fecerat prodigiosa ipsius

Lib. 4. c. 4. abstinentia, de qua sic Marianus: victûs adeo modici ac tenuis erat, ut in senio perinde ac in juventute atri panis pabulo delectaretur. Interdum exquirens frusta, quæ gravi mucore possent fastidium generare. Si quando olera adhibuit, aut legumina modicè cocta, cineris admixtione reddebat insipida, ne possent delitiæ palatū titillare. Edebat de triduo in triduum: & quandoque octiduo integro absque cibo perdurabat, dum orationum impetu teneretur. Tandem æstimationem incurrit, quòd sensu careret communi, quòd insipida & acida, gustuique adversantia, velut dulcia deprædicaret.

Simile B. Joanni Firmano contigit, cujus abstinentiæ commendationem præcedenti attulimus Paragrapho. Appropinquante Nativitatis dominicæ festivitate, ardebat vehementer cor & omnia interiora ejus, ut putaret se in ignita positum fornace. Hinc oriebatur in pectore divini amoris flamma, quæ exteriùs prodibat, & in voces amorosas urgebat. Duravit amoris vis per menses sex, ardor verò ultra annum integrum. Ab hoc tempore innumeras eum recepisse consolationes & visitationes cœlestes, testantur vitæ Auctores, easque semetipsos & plures alios conspexisse; nam ex fervoris & amoris magnitudine, illas haud poterat occultare. Annal. Tom. 5. an. 1322. num. 41.

Insuper in hac solemnitate clementissima Virgo Maria filiis adoptivis stillas præparat maternæ dulcedinis, ut dum Unigenitum suum naturalem lactat ubere de cœlo pleno, in Servulorum suorum deriventur animas stillicidia gratiarum stillantia super terram. Ut his idonei reddamur, necesse est, ut os teneamus à mundialium sordibus expurgatum. Jejunii porrò officium est hanc facere expurgationem, neque deinceps lac carnalium admittere lamiarum. Monstra te esse filium, ut monstret ipsa se esse matrem. Deplorat quorumdam indignitatem Isaias. *Omnes mensæ repletæ sunt* Cap. 28.
vomitu sordiumque, ita ut non esset locus. Quem vers. 8.
docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus, maledictis delectationum quibus solet amatores suos mundus inebriare.

Denique cùm officii nostri sit divinas canere laudes, & in consortium penetrare cœlestis exercitûs Angelorum gloriam canentium recèns nati Salvatoris, vocem cordis nostri convenit esse sonoram. Quo verò modo fiet istud, si non priùs Jejunium malè gratam consumpserit raucedinem, faucesque à superfluitatibus liberaverit, quæ laudes impediunt divinas? Angelicæ perfectionis est obnoxium non esse comedendi bibendique necessitatibus, sed solâ divinorum operum admiratione ac laude jugiter detineri. Proxime ad angelicam accedimus libertatem, dum rationis severitate vilem istum regimus appetitum, cogimusque ut paucissimis vivat contentus. *Jejunium*, inquit Hom. 71.
S. Chrysostomus, *multam affert disciplinam, &* ad Pop.
Angelum ex homine reddit, & cum incorporeis Antioch.
pugnat virtutibus.

TEXTUS & §. XII.

Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus &c.

SUMMARIUM.

Convenienter auspicamur Jejunium à die Epiphaniæ, exemplo Christi, ob similitudinem mysteriorum istius diei cum partibus nostræ vocationis. 1. Obtulimus Deo tria munera. 2. Baptizati sumus cum Christo. 3. Adducti sumus in desertum Religionis. 4. Ingressi sumus in palæstram diversarum tentationum. 5. Electi sumus ad prædicandam pœnitentiam. 6. In nuptiis nostris deest vinum, quod nonnisi Iejunio impetratur.

NAzaræis Domino consecrandis & offerendis, prima fuit lata lex de abstinentia, ut scirent ante omnia habendam sibi esse rationem Sobrietatis: *Vir sive mulier, cùm fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare: à vino & omni quod inebriare potest, abstinebunt..... quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum, non comedent.* (Numer. 6. vers. 2.) Non minori ratione condimentum votorum nostrorum religiosorum, per quæ consecrati sumus Domino, Sobrietas & Abstinentia esse debet. In solemnitate Epiphaniæ, servanda nobis est commemoratio, earum quas per sacram Professionem fecimus Domino oblationum. Excelleos fuit cœlestis bonli aris miraculum, quod stella nova nobis apparuit, & illuxit mentibus nostris perfectioris vitæ cogoitio, cujus inquirendæ desiderio patriam reliquimus, Herodis mundique insidiantis respectus pertransivimus, donec ad paupertinum pervenimus stabulum Minoriticæ Religionis. Ibique reperto Jesu ei tria obtulimus munera, numquam ab eo repetenda: externa bona fortunæ per votum Paupertatis; corpus per votum Castitatis; animam per votum Obedientiæ: quæ à Christo Domino, sanctissimâ ejus Matre, & à S. Josepho sive ab hujus familiæ Superiore, legitimè sunt acceptata. Hujus consecratioois nostræ, & oblationis Domino factæ, recolitur præsenti solemnitate memoria; adeoque nil mirum, si à Sancto Patre Nostro, nobis tamquam veris Nazaræis, exercitium proponitur abstinentiæ.

Alterum præsenti die circa Christum miraculum, fuit descensus Spiritûs Sancti corporali columbæ specie in ipsum, mox à suscepto per Joannem baptismate. Usitatissimâ phrasi Sanctorum Patrum, Religionis ingressus Baptismo comparatur. Et per ipsum invisibiliter descendit in Religiosum novellum Spiritus Sancti gratia, quæ Jejunio ac sobrietate manutenenda est; nam comminatus est Deus: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est,* (Gen. 6. vers. 3.) implicatus in carnis servitio. Primùm Spiritus Sancti opus, mox à Christi Baptismo fuit, cum à viliori sequestrare hominum conversatione, atque in desertum adducere, ubi quasi ad necessitatem redactus esset, carendi mensis & dapibus, simulque famem patiendi, & alia deserti incommoda. Eadem est Spiritûs Sancti inteotio, qui nos in hoc desertum adduxit Religionis. Ductus est etiam Jesus in desertum ab illo suo Sancto Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Prima verò quâ impetebatur tentatio, erat de solvendo Jejunio. Si in hac adversarius superior evasisset, de reliquis certam sibi pollicebatur victoriam, tamquam habens agere cum ignavo homine, qui veotris sui non posset dominari cupiditati. Sed contempsit invictus Dux stercoraria porci infernalis consilia, & nos ad similem erexit contemptum. Ingressi sumus in arenam cum sordido illo hoste, qui sublimiores præparat tentationes; sed solet primas velitationes in cibis & potibus adornare. Sequamur artem bellandi, ab uno ex nostris traditam Coripheis: *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* (1. Cor. 9. vers. 25.) Ne verò dubium remaneret, quis sit agon, & à quibus abstinendum, S. Leo Papa exposuit: *In omni agone certaminis Christiani, utilitas continentiæ plurimùm valet; ita ut quidam sævissimorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus, nullis exorcizantium imperiis fugantur, solâ Jejuniorum & orationum virtute pellantur. Grata est Deo, & terribilis diabolo jejunantis oratio.* (De Jejunio 7. mensis Serm. 2.) In eamdem sententiam, noster Philippus Diez, ex illo verbo Job: *In fame bestiæ terræ pacificæ erunt tibi*, (Job. 5. vers. 23.) ingeniosè concludit: In Jejunio & fame voluntariâ, bestiæ terræ, sive hostes spiritus tibi non poterunt prævalere; eos domabis, in servitium rediges, ferociam eorum humiliabis, ut nullâ possint ratione contra te belligerare.

Demum Christus per Jejunium jam præparatus, accinxit se, & egressus est ad prædicandam mundo pœnitentiam, in temissionem peccatorum. Idem est nostrum munus, ideoque eadem necessaria præpatatio Joannes prædicaturus pœnitensiam, cœpit in Spiritu & virtute Eliæ, corpus humiliare Jejunio, ut sic auditores suos ad necessarii rigoris æmulationem potenti stimularet exemplo. Paulus
1. Cor. 9. vers. 27. egregius Prædicator: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Neque pro solo auditorum exemplo, sed pro ipsius etiam prædicatoris illuminatione Jejunium tequiritur. Cœlestis sapientiæ radiis illustrandus est, quibus possit populum illuminare. Frustrancus verò est labor studentium, & cœlestes desiderantium illuminationes, nisi nebulis saturitatis nimiæ per Jejunium moderatamque parcimoniam dissipatis. Dignus non videbatur Moyses legem populo promulgandam à Domino accipere, nisi quadragesimæ jejunio purificatus. Eadem fuit armatura Eliæ necessaria, ad aggrediendum peccatores gladio verbi Dei. Et hi ambo digni inventi sunt, illam videre lucem, quam in Transfiguratione Dominus, novis suis intendebat concionatoribus manifestare. Lux illa magna, quâ Seraphicus Ordo illustratus est, sancta nimirum Regula, non nisi jejunanti Francisco dictata est. Idem nosipsi proprio meliùs percipiemus
Eccl. 10. vers. 10. experimento, *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, sed hebetatum fuerit; multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.* Quid magis *hebetat*, Intellectum quàm Saturitas? Laborios *exacuetur* sobrietate, & facilè *sequetur sapientia Non* autem *invenitur in terra suaviter viventium.* Job. 28. vers. 13.

Tertiò, hoc ipso die Jesus vocatus ad nuptias, mutatâ in vinum aquâ, paupertati consuluit invitantium. Ad hoc convivium, etiam nos, tamquam discipuli Jesu, pertinemus. Imò nostræ sunt nuptiæ, Sponsæ Christo dilectæ sunt animæ nostræ, ipsi Sponso cœlesti obligatæ. Tota vita nostra epulum nuptiale est; sed pauperum, & egentium vino, nisi divinitùs suppeditetur. Impleamus hydrias aquâ insipidi jejunii, & credamus aquam illam convertendam in vinum, lætificaturum cor hominis in æternum. Multi sanctorum Fratrum nostrorum, qui arctissimâ disciplinâ carnem macerârunt, frigidâ sterilique se impleverunt aquâ jejuniorum; juxta suarum mensuram hydriarum, vino donati sunt præstantissimo admirabilium gratiarum. Similes nobis divina præparat liberalitas, si studeamus constanter mensalium siliquas aspernari voluptatum. Hoc expertus est unus ex insignioribus propriæ sensualitatis triumphatoribus F. Paulus Trincius Annal. Observantiæ Regularis inceptor, qui delitescens in quadam turre, ut persequentium declinaret molestias, cùm suas Domino commendaret afflictiones, tantâ repletus est consolatione & divinæ gratiæ augmento, ut vehementer clamaret: *Satis est Domine, satis est.* Tom. 4. an. 1390. num. 6.

T E X T V S & §. XIII.

Qui voluntariè eam jejunant, benedicti sint à Domino.

SVMMARIVM.

Benedictio spiritualis impenditur jejunantibus. Efficacia benedictionis S. P. Francisci, circa Fratrem Eliam apparuit. Quid operetur in jejunantibus hoc Jejunium. Calcandi respectus humani eorum, qui Jejunium hoc impedire vellent, aut dissuadere ut indiscretum.

EDuxit manus Domini Ezechiël Prophetam in spiritu, & dimisit eum in medio campi, qui erat plenus ossibus, multis valde, siccisque vehementer, & jussus est de ossibus istis
Ezech. 37. vers. 4. vaticinari, & dicere eis: *Ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis.* Per ossa arida, convenienter intelliguntur jejuniis extenuati, qui per voluntariam mortificationem quasi ossa sunt interfectorum, proprio destituta spiritu: imò & carne propriâ. Quidnam illis noster vaticinatur Ezechiël, noster, inquam Franciscus? *Ossa arida: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis.* Suâ sanctâ benedictione illis communicatâ, intromittet in ea Spiritum Domini, & sanctam ejus vitalem operationem. Pollicetur eis Apostolico verbo: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Sanctam, inquit, Quadragesimam, quam Dominus suo sancto Jejunio consecravit, *qui voluntariè jejunant, benedicti sint à Domino.* Raverentes filii semper magno ambitu morientium parentum expetivêre benedictionem, magnam ejus efficaciam probè cognoscentes. *In opere & sermone*, inquit Sapiens, *& omni patientia honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio Patris, firmat domos filiorum.* Rom. 8. vers. 13. Eccl. 3. vers. 9.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Benedictionis Seraphici Patris nostri magna

frequenter apparuit energia. Cùm à finiſtris ipſius jam jamqne moriruri, manibus ca .cellatis, genuflexus hæreret F. Elias; dexterâ capiti ejus immiſsâ (dum omnino cæcutiret) quis eſſet interrogavit? Reſponſum, Eliam eſſe. Bene, inquit, ſe res habet, & bene requieſcit ſuper eum dextera mea. *Te fili mi*, addidit, *in omnibus & ſuper omnia benedico, & ſicut in manibus tuis Fratres meos & Filios augmentavit Altiſſimus: ita & ſuper te, & in te omnibus benedico. In cœlo & in terra, benedicat te Rex omnium Deus. Benedico te ſicut poſſum, & plùs quàm poſſum, & quod non poſſum ego, poſſit in te qui omnia poteſt. Recordetur Deus operis, & laboris tui, & in retributione juſtorum ſors tua ſervetur. Omnem benedictionem quam cupis, invenias, & quod dignè poſtulas, impleatur.* Hujus benedictionis efficaciâ promeruit apud Patrem miſericordiæ, ne commiſſa ſuæ cuſtodiæ errabunda ovicula, periret in æternum. Enimvero quamvis relaxatiſſimam duxerit vitam, & propter inobedientias in Summum Eccleſiæ Pontificem commiſſas, Eccleſiaſticis ſubjacuerit cenſuris, finaliter tamen Euchariſtiam obtinuit, recitato priùs pſalmo illo Pœnitentiali: *Miſerere mei Deus*, emiſſis ad ſingulos verſus aliis ſuſpiriis, elevatiſque in cœlum oculis & brachiis, & prolatis frequenter illis ſimilibuſque verbis ejaculatoris: *Domine parce mihi peccatori. Domine non intres mecum in judicium; Domine adjuva me propter miſericordiam tuam, & propter merita ſervi tui Franciſci, quem indignè & ingratè contempſi.* Sicque verè pœnitens deceſſit. Si tantùm valuit Franciſci benedictio, cùm adhuc in terris advena eſſet ac peregrinus, quantò magis nunc quando cohabitans eſt Patri gratiarum?

Annal. Tom. 1. an. 1226. num. 23.

Annal. Tom. 2. an. 1253. num. 30.

Hoc benedictionis Jejunium piè obſervantes, ſentiunt paternam neceſſariorum donorum diſtributionem, prout ſuarum exigit ſtatus animarum. Quibuſdam zelus immittitur, & votorum ſervandorum ſollicitudo: alii contra tentationes firmantur, internaſque concupiſcentias: aliorum mens ponitur in tranquillo: aliis inter afflictionum tempeſtates, cœleſtis inſtillatur conſolatio ad patientiam: omnibus adeſt Franciſcus in mortis anguſtiis, ut benedictio quam ſperârunt, eos in totam comitetur æternitatem. Dum verò integra aliqua Congregatio uniformiter domi & foris adimplet hoc Patris ſancti deſiderium, obligatur ipſe Communitatem iſtam in publica conſervare pace, ſanctâque diſciplinâ. Semper præſtò eſt, eos contra adverſarios propugnaturus, pioſque eorum conatus proſperaturus. Qui inter hos reperiuntur ex rationabili occaſione non jejunantes, non ideo à participatione communis gratiæ, & protectionis per jejunantes promeritæ, excluduntur: dummodo corpori Communitatis compaginati maneant in unitate charitatis. Pari modo participat benedictioni quam univerſo conventui impetrit Franciſcus, qui amat & reveretur congregationem jejunantem, & à Patre benedictam, ſicut de Eccleſiæ membris ſcripſit S. Aug. *Accipimus & nos Spiritum Sanctum, ſi amamus Eccleſiam, ſi charitate compaginamur, ſi Catholico nomine & fide gaudemus. Credamus Fratres, quantùm quiſque amat Eccleſiam Chriſti, tantùm habet Spiritum Sanctum.* Si propter paucos juſtos Sodomis pepercisset Deus; cur non credamus, quòd propter plures de Communitate jejunantes Franciſcus benedicet univerſis?

Tract. 32. in Joan.

Hinc datur intelligi, quantùm ſibi-ipſis damnoſi & conſodalibus ingrati ſint, qui charitatis defectu ſe à benedictis Franciſci filiis diſcindunt, qui ſimplicibus verbi ipſius obſervatoribus vitium impingunt ſingularitatis, quia ſcilicet eorum ſenſualitati non ſe accommodant. Convincitur ſanè, ſi quis hujuſmodi eſt, non domeſticus eſſe Franciſci, ſed adverſarius; dum quod ſuadet ille, præſumit iſte diſſuadere, atque ut indiſcretum ſugillare. Volens ſanctus Pater, contra hujuſmodi abuſum præcavere, ne Jejunium hoc poſſet ſingulare, vanum vel hypocriticum reputari, permiſit illud, commendavit atque benedixit. Nobis igitur eo clypeo munitis contra ſingularitatis periculum, proculcandi ſunt reſpectus humani circa boni executionem, & erectâ fronte gaudenter agendum eſt quod noſcitur Domino ampliùs placiturum. B. Rogerius in nullo actu, qui ad Dei cultum vel proximi ſpectabat utilitatem verecundabatur; dicebatque eum verum amorem non eſſe, qui omnem non expelleret inanem verecundiam. Qui ſemel puerili iſti timori præbet locum, nil umquam magni aggredietur; mox enim ubi inceperit, prorumpet morio aliquis in medium vel invidus aut otioſus, qui bene actum reprehendet, & à laudabili opere deterrebit. Trepidantibus & fugientibus ad umbratiles iſtos reſpectus occurrit Franciſcus, voce Iſaiæ clamans: *Audite me qui ſcitis juſtum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam ſic devorabit eos tinea. Salus autem mea in ſempiternum erit;* ea videlicet ſalus, quam bono iſto opere merebimini.

Annal. Tom. 1. an. 1287. num. 12.

Iſa. 51. verſ. 7.

TEX

TEXTUS & §. XIV.

Et qui nolunt non sint adstricti.

SUMMARIUM.

Discretio talis in abstinentiis servanda, ut priùs obligatoriis satisfiat, vel ab iis non præpediamur, aut à perfectioribus exercitiis. Moderata sunt durabiliora. Liberum Jejunium, suo merito non caret. Vanum est & superbia signum, ideo solùm jejunare quia sic faciunt alii.

Rom. 12. vers. 1. OBsecro vos Fratres per misericordiam Dei, ait Apostolus, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Conformiter huic Apostolico consilio, monuit Franciscus præcedenti Capite Regulæ, circa nuditatem pedum, numerumque vestimentorum discretionis habendam esse rationem, ne irrationabile evadat obsequium nostrum, Idem hic præstat circa Jejunia, quæ speciem aliquam habere possent indiscretionis. Ab his olim præmonuit Demetriadem D. Hieronymus: *Neque verò immoderata tibi imperamus Jejunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt quàm sanctæ conversationis jacere fundamenta. Sic debes jejunare ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuorum vel porteris vel traharis manibus: sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minùs facias. Jejunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est.* Caveri vult circa Jejunium, quod etiam superiùs circa alias monuimus exercitationes corporales, ne sit sublimiorum charitatis devotionisque officiorum impedimentum. Hinc noluit Legislator Seraphicus ad hoc Jejunium obligare. *Qui nolunt*, inquiens, *non sint adstricti.* Idque justissimis rationibus.

Primò, In tam numerosi gregis multitudine, inveniendi erant aliqui complexionis debilioris, quibus periculum esset, observato hoc Jejunio, defuturas vires ad communem Quadragesimam, cunctis impositam Christianis. Probatissimam habebat Vir Sanctus B. Petri Damiani regulam: *Sacratius est quod publicè à lege taxatur, quàm quod institutione privatâ dependitur: & gratuita munera quantumlibet grandia minimè valent à mandatis legis offerentem absolvere, quominùs quæ lege præfixa sunt studeat implere. Cui nimirum licet qualibet pro devotione adjicere, non tamen instituta majorum propriis amovere. Voluntaria quippe augere possunt, excusare omnino quæ legis sunt, nequeunt.* Maluit ideo Sanctus Pater omnes liberos relinquere, quàm aliquos reddendo impotentes, difformitatem inducere in grege universo, atque ab integra Ecclesiæ obedientia impedire.

Surius ad 22. Febr. num. 5.

Secundo, Non solùm infirmos corpore timuit supra vires gravare, sed etiam animo debiles, quibus non adeo vividus concessus est fervor. Absterriti fortè fuissent ab hac Regula, muniisque nobilioribus hujus status, propter apprehensionem immodicæ corporalis exercitationis. Non expediebat erroneo huic judicio occasionem dare, atque obicem istum præclaris objicere ingeniis, absque magna necessitate, Ad hæc, fieri poterat, ut iis etiam qui in primo Ordinis ingressu se ad hanc præparassent austeritatem, laboris assiduitate primævus concideret animus, & ad odiosas suspirarent dispensationes cum offensione cæterorum. Præstat verò non statuere legem, quàm ob indiscretum ejus rigorem, in probabiles sese conjicere dispensandi necessitates.

Tertiò Moderata sunt durabiliora. Optavit autem Vir Dei initam semel obligationem posse semper & absque ulla querimonia observari. Maluit filios suos oneratos mediocriter continuò vitâ cœli pergere; quàm ultra modum viresque gravatos, priùs quàm perveniant, subsistere. Noster Antonius de Guevarra Orat. Relig. cap. 32. multis condemnat indiscretionem jejunantium ultra vires, atque inde contrahentium infirmitates sibi & Communitati onerosas, & impossibilitatem cæteris regularibus muniis perfungendi; perpenditque morosè superiùs allegatum Apostoli consilium. Eamdem moderationem Sanctus commendat Basilius Const. 4. His rationibus voluit Franciscus nimias suspendi obligationes, & incolumem relinqui libertatem.

Hinc etsi hæc piorum Fratrum sit uniformis voluntas, & juxta eam ordinent Superiores communem & continuum hujus Jejunii cultum; displiceret tamen S. Patri, si auctoritate suâ ad obligandum uterentur, contra eam quâ usus est ipse ad liberandum ab obligatione. Si subditi in ista positi libertate hoc voluntariè suscipiunt, non indè minuitur meritum. Spontaneæ dilectioni sua debetur gloria; estque Deo tantò acceptior, quantò defæcatior à timore quopiam, qui ut plurimùm cum operibus currit obligatoriis. *Da altissimo secundùm datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantùm reddet tibi.* Eccles. 35. vers. 12. Bonus oculus, sancta intentio est, quam legi-

ſimis rationibus conamur rectificare, ut vana excludantur motiva.

Vaniſſimum inter alia motivum eſt, jejunare quia ſic faciunt alii, & pudet eis non ſe conformare. Laudabile quidem eſt, ſancta cæterorum æmulari exempla; ſed inutile, opus dumtaxat externum intueri & ſequi corde arido, nec eamdem ſentire, nec ſcire internam charitatem, puritatemque intentionis, ſequendo ſolùm quia præcedunt cæteri; ſicut ſolent aſini equos ſequi præeuntes. Cogitatio hæc, ſecretâ non caret ſuperbia, quâ non patitur ſuperficialis bonorum imitator, ſe reliquis minùs ſanctum, fortem aut generoſum videri; cùm interim verè non Deo placere ſatagat, ſed hominibus. *Qui à cibis abſtinet*, judicabat F. Joannes Lucenſis, *vel alias colit virtutes propter verecundiam, ſuperbus eſt.* Moyſe atque Aarone operantibus mirabilia Domini in conſpectu Pharaonis, *fecerunt ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis.* Videant iſti, an his Magis Ægyptiacis voluerint aſſimilari, an verò recto corde coram Deo, & bono intentionis oculo facere velint manuum ſuarum adiuventionem.

Annal. Tom 6. ann. 1478 num. 36.

Exod. 6. verſ. 11.

TEXTVS & §. XV.

Sed aliam uſquè ad Reſurrectionem Domini jejunent.

SVMMARIVM.

Figura Quadrageſimalis Jejunii, & Franciſcus Angelo comparatus. Per Iejunium compatimur Chriſto patienti, ut reſurgenti poſſimus conglorificari, & congauderi. Diſponimur per ipſum ad immortalitatem. Sententia Franciſci contra ſubterfugientes Iejunia Eccleſiæ.

3. Reg. 19. verſ. 5. — ELias fugiens Jezabel in deſerto, projecit ſe & obdormivit in umbra Juniperi: *Et ecce Angelus Domini tetigit eum & dixit illi: Surge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericeus panis & vas aquæ.... Qui cum ſurrexiſſet,* (verſ. 8.) *comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.* Maledicta iſta Jezabel, peccatrix nimis coram Domino, non incongruè mundi immundi figura conſtituitur. A facie hujus fugimus in Religionis deſertum, dicentes cum Propheta: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* (Pſal. 54. verſ. 8.) *Projecimus* nos ibi, profundâ per humilitatem abjectione, & *obdormivimus* perfectâ ſenſuum per mortificationem ligatione, *in umbra Juniperi*, ſanctæ nimirum Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ut ſub vivifico ligno, unde pendet univerſorum vita & ſalus, requieſcentes, poſſimus cum Sponſa gloriari: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi.* (Cant. 2. verſ. 3.) Si per Angelum Domini intelligamus Franciſcum, non erit rationi contraria intelligentia, ſuffragante Seraphico Bonaventura, qui dicit: *Beatus Franciſcus, Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ vaticinatione veridicâ, ſub ſimilitudine Angeli aſcendentis ab ortu ſolis, ſignumque Dei vivi habentis, adſtruitur non immeritò deſignatus.* (Prol. in vitam Franc. §. 1) Hic Angelus terreſtris, invitat nos ad tennem Quadrageſimalis Jejunii refectionem: *Quadrageſimam*, inquiens, *uſque ad Reſurrectionem Domini jejunent.* Reſpexit Elias, *& ecce ad caput ſuum ſubcinericeus panis & vas aquæ.* Iſte eſt panis, & aqua brevis, quo nos voluit eo tempore ſuſtentari. Qui convenienter *ſubcinericeus panis* dicitur, pro eo quòd S. Eccleſia fidelibus ſuis eam abſtinentiæ rationem ingreſſuris, capita cineribus inſpergit, unà cum mortalitatis eorum commemoratione, dicendo: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Ex illo autem ſubcinericeo pane comedens Propheta: *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.* Quo datur intelligi, quòd panis ille tribulationis & aqua anguſtiæ, quibus quadraginta dierum ſpatio in Jejuniis ſuſtentamur, ſint cor hominis confirmantia, & perducent nos ad ſuperuum montem Domini, ubi videndus erit atque fruendus ſinè fine Deus Deorum in Sion.

Multiplex autem movit Eccleſiam & Franciſcum congruentia, ut decernerent præmittere Jejunium iſtud Dominicæ Reſurrectionis ſolemnitati.

Primò, Reſurrectio Chriſti fuit victorioſus ipſius in gloriam ſuam ingreſſus. Præmiſit verò ipſe ultroneâ tolerantiâ & ſuſceptione, luctus, dolores, contemptus, multiplicesque afflictiones iſti ſuæ glorificationi. *Nonne*, inquit, *oportebat hæc pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* (Luc. 24. verſ. 26.) Si ipſum Dei filium oportuit non ſinè paſſionibus intrare in gloriam ſuam propriam, quæ ipſi jure debebatur hæreditario; deſinat conqueri ſervus, ſi non abſque labore certaminis, in alieni gloriam inducitur triumphi. Cùm igitur memoria gloriæ Chriſti in Reſurrectione, ſtabilimentum ſit ſpei de noſtra participatione, decuit pro ſolidanda ſpei ſecuritate, labores præmitti Jejuniorum; quoniam ſi compatimur & conglorificabimur.

Secun-

Secundò, Gaudium Regis nostri triumphantis in Resurrectione, in omnium corda Christianorum per amicam dimanavit congratulationem. Ne perfectum hujus gaudii sensum aliqua impediat radix amaritudinis, præcedente fuit depurgandum Jejunio, quidquid posset conscientiam amaricare. Utque sincerius sit gaudium istud spirituale, omnis carnalis delectationis admistio, Jejunii beneficio secernitur; ut ea solùm quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram.

Tertiò, Præparandum fuit palatum, & acuendus abstinentiâ præviâ appetitus, ad degustationem Paschalis agni immaculati, ad cujus manducationem, cunctus fidelium populus, in hac Solemnitate, lege convocatur Ecclesiæ.

Quartò, Luctuosissimum quod sentimus in mundo, est inevitabilis mortis necessitas, & mors ipsa terribilium omnium terribilissima. Summum verò quod æstimamus est vita; maximè si fuerit immortalis. In Resurrectione sua, Christus immortalitatem nobis ut possibilem proponit, atque sperandam. Modum porrò ipsius recuperandæ, quam in Paradiso miserabiliter amisimus, Sanctus innuit Basi-

Serm. 1. de Jejunio. lius: *Quandoquidem non jejunavimus excidimus à Paradiso; Jejunemus itaque quo rursus ad ipsum revertamur. Non vides Lazarum, quomodo per Jejunium ingressus est in Paradisum?* Non quidem solum id efficit Jejunium; disponit tamen carnem vel maximè, dum antiquam consumit corruptionem, & cœlestem quodammodo homo incipit ducere vitam, quæ omnis cibi corporei expers, in eo tantùm vivit verbo quod procedit de ore Dei. Ut autem gustetur vitale hoc & vivificans verbum, evaporandi sunt mensales fumi, offuscantes intellectum. Igitur quò spiritus purgatior fiat, & crassior carnis materialitas consumatur, itque ad beatas dotes aptetur, in Christo efflorescentes; fornax adhibenda est Jejuniorum. Alacriter igitur hanc ingrediamur & percurramus abstinentiæ palæstram.

Acriter perstringit Seraphicus noster Patriarcha carnales quosdam, quibus tametsi bonus sit stomachus & robusta valetudo, ex parvæ tamen debilitatis timore, ad omnes se laxant lautitias & oppletiones, necessitates prætendunt impetrandæ in Jejunio dispensationis, easque ex propriâ quandoque usurpant sapientiâ, non libratâ satis necessitate. Audiamus ipsum nobis loquentem: *Necessitas, Fratres charissimi, quam non ratio postulat, sed voluptas ostentat, extincti spiritus signum est manifestum.* Opusc. S. Franc. Tom. 1. collat. 10. *Spiritu tepido & paulatim a gratia frigescente, necesse est carnem & sanguinem quæ sua sunt quærere. Quid enim restat, quando anima caret spiritualibus deliciis, nisi ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus, necessitatis articulum palliat, tunc sensus carnis conscientiam format. Si adest Fratri meo vera necessitas, & statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occasio meriti, sed displicuisse sibi studiosè probavit; ipsas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud est, nisi Ægyptum repetere.* Nos itaque, homines pœnitentiæ dedicati, tantâ districtione servemus præceptum Ecclesiæ Jejunium, ut nostro sæculares discant exemplo, non leviter exemptionis quærere subterfugia.

T E X T U S & §. XVI.

Aliis autem temporibus, non teneantur nisi sextâ Feriâ jejunare.

S U M M A R I U M.

Jejunium Feriæ sextæ fundatum in Christi Passione. Francisci erga Dominicam Passionem devotio. Exhortatio ad eamdem, & Franciscanorum aliquorum devotionis exempla. Item Francisci devotio erga Spiritum Sanctum, Deiparam Virginem, Michaëlem Archangelum & Sanctos Apostolos, præsertim Petrum & Paulum.

FUtura tamquam præterita prospiciens S. David, in persona filii sui Christi Domini

Psal. 68. vers. 22. lamentatur, dicens: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Quod ut consummaretur, pendens Jesus in cruce dixit:

Joann. 19. vers. 28. *Sitio.* Milites autem spongiam aceto plenam hyssopo circomponentes, offerentesque ori ejus dederunt ei bibere. Antiquissima traditio Feriam sextam, hujus amaræ refectionis & Passionis Christi memoriæ consecravit: quippe quæ illo die creditur accidisse. Eumdem diem statuit Franciscus per filios suos devoto singulis hebdomadibus Jejunio celebrari: volens ut hâc gustus mortificatione, commensales fierent Crucifixi, qui eo die felle pasci dignatus est, & aceto potari. Honori ducimus si ad Magnatum admittimur mensas, eisdemque cum ipsis fruimur eduliis. Ad hanc mensam Crucifixi Jesu invitans sectatores suos Franciscus: *Teneantur*, inquit, *Sextâ feriâ jejunare.*

Appa-

Vita cap. 1. num. 6.

Apparuerit ei in suæ conversionis initio Christus Jesus veluti cruci confixus: ad cujus conspectum liquefacta est anima ejus, & memoria Passionis, visceribus cordis ipsius adeò impressa medullitùs, ut ab illa hora cùm Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset à lachrymis & gemitibus exteriùs contineri. Ad compensandam tantam dilectionis Christi exuberantiam, cunctas suas austeritates, laboriosa opera, afflictionesque quomodocumque sibi provenientes amanter diligebat. Huc pertinet, quod de quinque plagis seu patentibus vulneribus corpori ipsius, digito Dei inflictis scriptum reliquerunt Pisanus conform. 8. & Antoninus tit. x3. cap. 2. §. 9. Fratri Leoni soli tamquam fideliori amico B. Franciscus sua Stigmata committebat tangenda, ut novas petiolas (id est linteola) apponeret, amoris aliis, sanguine cruentatis. Nam qualibet die inter clavos illos mirabiles, & carnem reliquam, ad tenendum sanguinem & mitigandum dolorem, tales illi petiolas renovabat. Die verò Jovis de serò & per totum diem Veneris, nullum apponi remedium permittebat: ut illo die crucifixionis, in sacris Stigmatibus sentiret Crucifixi dolores. Similem erga passum Dominum compassionem, dilectis Filiis omni studuit conatu inculcare. Unde hujusmodi eis scriptum reliquit: *Semper ante oculos habete, Fratres charissimi, viam humilitatis & paupertatis sanctæ crucis, per quam nos minavit Salvator noster Jesus Christus; considerantes quod si ipsius divinam majestatem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, quòd multò magis oportebit nos peccatores adeò enormes per viam crucis & Passionis incedere. Et certè si ad tollendam crucem suam quilibet obligatur Christianus, potiori jure tenemur nos, qui crucis vexillum sequi profitemur.* Hinc etiam est quòd nos pro Feriæ sextæ refectione ad divinū Passionis remittit promptuarium, ex quo omnis mortificationis & boni operis sumitur condimentum. In dulcedinem nobis amaritudo vertetur Jejunii, si cogitemus quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad regnum. Soror quædam Seraphina ut aliquid degustaret pœnarum Christi, Feriâ sextâ fel sorbebat: modò absque temperatura, modò mixtum aceto. B. Coletæ specialis quædam erat collata gratia circa Domini Passionem. Ejus meditationibus sæpissimè extra se rapiebatur, & in Deum transformabatur ardentissimo desiderio, & amore; præcipuè tamen sextis Feriis ab hora sexta matutina usque ad sextam vespertinam, priùs manè auditâ Missâ, nihil interim manducans aut bibens. Tam erat ferventer & efficaciter Dominicæ commemorandæ Passioni intenta, ut sæpe-numero præ doloris vehementia, in manibus, pedibus & latere suo, sibi reverà videretur clavis & lanceâ confixa.

Annal. Tom. 1. ann. 1224. num. 17.

Opusc. S. Franc. Tom. 3. collat. 24.

Luc. 24. vers. 26.

Annal. Tom 5. an. 1406. num. 39.

Aliis temporibus, non exegit Franciscus à Filiis suis Jejunia, præter communes Ecclesiæ obligationes; *Aliis*, inquiens, *temporibus non teneantur jejunare.* Ardens tamen ipsius erga mysteria vel sanctos aliquos reverentia ipsum ad alias invitavit Quadragesimas.

Unam Spiritui Sancto fonti omnium gratiarum dedicavit. Ad hujus Spiritus receptionem cùm discipuli essent Antiochiæ congregati, *ministrantibus illis Domino & jejunantibus*, respondit eis Spiritus Sanctus ad ea quæ postulabant. Et Apostolos, rudes, crassiorisque adhuc intellectus, omnem docuit veritatem. Cernens Christi famulus Franciscus, paulatim accrescere numerum Fratrum, disposuit per hoc solemne Jejunium, fervidasque supplicationes, cum illo simplicium cœtu Sapientiæ divinæ adire Magistrum, ut per ipsum eos disciplinis faceret cœlestibus erudiri.

Act. 13. vers. 2.

In Deipara Virgine post Christum præcipuè fidens, eam sui & suorum Advocatam constituit: & ad honorem ipsius à Festo Apostolorum Petri & Pauli usque ad Festum Assumptionis devotissimè jejunabat. Hoc modo volebat expeditior fieri, ut Aquilam illam divino elevatam præcepto, & ponentem in arduis cœlorum nidum suum, ac provocantem ad volandum pullos suos, posset pariter ad cœlestia comitari. Ipsa est cum qua & per quam eò conscendimus. Leo Francisci socius inter alias cœlestes immissiones, illam etiam percepit memorabilem in Virginei patrocinii commendationem. Erat magna planities, & in ea species quædam judicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo: Angelorum tubæ personabant; denique binæ scalæ è summo cœlo usque ad terram demissæ, altera candido colore, altera purpureo. Huic autem purpureæ imminens videbatur ex alto Christus, vultus habitu severo, atque subirato. At Franciscus paulò infra ipsum Fratres suos evocabat ut fidenter ascenderent: nam Dominum ita velle, eosque invitare. Cùm autem illi se per scalas audenter efferrent, alius de tertio, alius de quarto, vel de decimo, alii de superioribus, ac penè jam ultimis gradibus procidebant. Quâ suorum clade magnoperè commotus D. Franciscus, eos voce magnâ admonuit, ut ad scalam alteram candidam accurrerent; illic asserens nihil fore periculi. Itaque cùm ad eam accessissent, Mariam ei incumbentem videbant, quæ eos blandissimè intuens, studiosè etiam juvaret, exciperetque singulos, ita ut nullo negotio ad unum plurimi in cœlum evaserint. Hoc Jejunium Marianum tamquam scalam in cœlum sibi Franciscus erexit, per quam eò perveniret, quò in Assumptionis Solemniis Advocatam Deiparam præmisit peregrinatio nostra.

Vita cap. 9. num. 2.

Annal. Tom. 1. an. 1232. num. 28.

Beato item Michaëli Archangelo, eò quòd animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior: propter fervidum quem habebat zelum, ad salutem omnium salvandorum; & ob devotionem ipsius, cæterorumque spirituum angelicorum ab Assumptione Virginis gloriosæ, quadraginta diebus jejunans, orationi jugiter insistebat. Sancti Michaëlis festum, quo reliquorum etiam Angelorum congratulationem celebrat Ecclesia, hoc Jejunio decreverat prævenire, ut in tantùm fieret ad angelicam vitam purgatior, quantùm posset semetipsum per recessum ab animali cibo sublevare. Seraphici vocamur nos Franciscani, tamquam supremis Angelis magis affines, proinde mensa nos delectare debet Angelorum. Quænam verò est illa? *Videbar quidem*, dicebat Raphael, *vobiscum manducare*

Vita cap. 9. num. 2.

Tob. 12. vers. 19.

care & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Cibus iste Christi & Angelorum est, ut faciant voluntatem Patris. Neque huic Francisci Jejunio divina defuit remuneratio, quando ipso durante, singulari privilegio retroactis sæculis non concesso, sacris fuit Christi Stigmatibus sibi in specie Seraphim apparentis decoratus. Unde superveniente solemnitate Archangeli Michaëlis, descendit angelicus vir de monte, secum ferens crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi.

Apostolos quoque, præcipuè Petrum & Paulum, propter fervidam charitatem quam habuerunt ad Christum, summâ devotione complexans, ob eorum reverentiam & amorem, quagragesimæ specialis Jejunium Domino dedicabat. Hoc medio studuit eorum gratiam emereri, eorumque imitatione severum sui corporis concipere contemptum, quo illi servierunt Domino *in fame & siti, in Jejuniis multis, in frigore & nuditate.* 2. Cor. 11. vers. 27. Nosque ad eumdem conatus est rigorem invitare; servatâ tamen discretione, quam S Bernardus tradidit cuidam Simoni Abbati: *Invitandi sunt ad arctiorem vitam, non cogendi.* Epist. 81.

TEXTUS & §. XVII.

Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur Fratres Jejunio corporali.

SUMMARIUM.

Figura officii Superiorum erga subditos. Discretio etiam in obligatoriis Jejuniis adhibenda. Ejus defectu multa oriuntur inconvenientia. Dum necessitas dubia existit, standum resolutioni Superiorum. Charitatis est, perplexo Fratri bene suadere. Dum manifestè nulla est necessitas, corpus constanter subigendum.

INter alia Pontificialia indumenta Aaronis, recensentur Rationale & Superhumerale. Præscribitque Dominus duos lapides onychinos sculptos nominibus duodecim filiorum Israel poni in utroque latere superhumeralis:
Exod. 28. *Portabitque Aaron,* inquit, *nomina eorum coram Domino, super utrumque humerum.* Idemque
vers. 29. de Rationali constituens: *Portabit Aaron,* ait, *nomina filiorum Israël in Rationali judicii super pectus suum.* Quo mystico præcepto innuit Dominus, cum qui cum Aarone Superioris officium obiturus est, debere subditorum nomina super utrumque portare humerum; ut infirmitates toleret necessitatesque singulorum. (Opusc. S. Francisc. T. m. 1. Epist. 7.) Super pectus quoque suum, per benignam omnium dilectionem, quâ per Rationale judicii, hoc est per judicium ratione regulatum, cunctorum indigentiis charitativâ subveniat condescensione. Sic Aaron noster Seraphicus nomina filiorum suorum super utroque humero & pectore portans, decernit: *Tempore manifestæ necessitatis non teneantur Fratres Jejunio corporali.*

In obligatoriis, obruit discretionem sæpenumero timor transgressionis, & urget, ut necessaria naturæ cum sublimiorum exercitiorum detrimento pertinaciùs recusentur: idcirco discretionis amussim etiam in his appositam voluit, ut nulla sit tempore manifestæ necessitatis obligatio. Litterales Commentatores Regulæ, ostenderunt abundè quæ sint istæ necessitates. Horum decisionibus ut scrupulosi acquiescant, sic eos ex D. Bernardo admonet Bonaventura: *Corporalia exercitia, si* In Medit. *ex indiscretionis vitio sic agantur, ut vel deficien-* cap. 44. *te spiritu, vel languente corpore, spiritualia impediantur: qui sic est, tulit corpori suo bonum effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem, sacrilegus est, & omnium horum in Deum reus. Non quod secundùm sensum Apostoli videatur etiam humanum hoc, & non deceat, vel non justum sit caput aliquando dolere in servitio Dei, quod olim aliquando usque ad dolorem laboravit in vanitate sæculi: esurire ventrem usque ad rugitum, qui sæpe repletus est usque ad vomitum: sed modus in omnibus habendus. Affligendum est corpus, non conterendum.* Alibi præferens exemplum Christi condescendentis dis- (Apol. Paup. Resp. 2. c. 8.) cipulorum infirmitati in Jejuniis, exemplo S. Joannis rigorosè abstinentis, suosque attrahentis ad carnis macerationes, plurimùm commendat charitatem discretam, ad Fratrum necessaria condescendentem, ad hoc simul illud usurpans Apostoli: *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem.* 1. Cor. 9. vers. 22. Eædem moverunt Franciscû rationes sollicitiùs monere, ut à nobis necessaria servaretur discretio. Hinc dicebat aliquando: *Fratri Corpori cum discretione providendum est, ne ab eo tempestas acediæ commoveatur. Servus enim Dei in comedendo & bibendo & dormiendo, & alias corporis necessitates sumendo, debet cum discretione corpori satisfacere, unde non tædeat ipsum vigilare, & reverenter in oratione persistere: ita quòd Frater* (Opusc. S. Franc. collat. 8.)

Corpus non valeas murmurare, dicens: Fame deficio, tui exercitii sarcinam ferre non valeo, non possum stare rectum, & insistere orationi, nec in tribulationibus meis latari, nec alia bona operari, quia non satisfacis indigentia mea. Eodem

Collat. 9.

fine dixit alibi: *Unusquisque consideret naturam suam, quia licèt aliquis ex vobis valeat sustentari pauciori cibo quàm alius, nolo tamen quòd abundantiori cibo indigens illum in hoc imitari nitatur, sed naturam suam considerans exhibeat corpori suo necessitatem. Sicut enim nobis à superfluitate comestionis, qua obest corpori & anima, tenemur cavere, ita à nimia abstinentia. Imò magis: quoniam Deus misericordiam vult, & non sacrificium,*

In Advent. de Inspir. Serm. 2. art. 1. c. 2.

Hanc sententiã fusè confirmans D. Bernardinus adducit insuper gravia inconvenientia, quæ ex hujus doctrinæ neglectu consequuntur. *Inde fit*, inquit, *ut indiscreti (quod & ego sapiùs vidi) in tantam relaxationem labantur, & tantâ impatientiâ crucientur, ut nullo modo à quocumque eis valeat satisfieri. Fiunt amentes, non absque discrimine animarum suarum maximo, fiunt inconversabiles, protervi, Pralatis rebelles, omnibus inutiles, instabiles, vagi, & omni vitio pleni: de quibus Propheta ait:* Ascendunt ad cœlos, *ex initiali fervore* & descendunt usque ad abyssos, *in criminali errore*, anima eorum in malis tabescebat, *id est deficiebat &c. Si quis autem quarat, quo judicio standum sit in hujus regula discretione? cùm plerique ex immoderato fervore discretum putent quod nimis arduum est: atque alii ex remissiori fervore, arduum arbitrentur quod leve est: dicendum, quod standum est judicio Deum timentium Pralatorum, & consilio expertorum & peritorum, quibus si fides plena & pura adhibeatur, non permittet Deus talem, sperantem in se, periculosè labi.*

Psal. 106. vers. 26.

Superiores itaquè quibus timidarum istarum commissa est cura animarum, non audentium de sua necessitate quidpiam in propria resolvere causâ, non subtrahant eis resolutum super scrupulis istis judicium. Ratam habebit Deus ipsorum sententiam, quum res adhuc dubia est, & non manifestè illicita. Indignos se faciunt loco & nomine Patrum, qui non curant pungentem spinam de cordibus educere filiorum. Mentem eorum crudeliùs istæ torquent angustiæ, quàm fames ventrem. Non reliuquant igitur propriæ conscientiæ judicioquè, angustiatos subditos, qui jam pridem omne judicium proprium in manus resignaruut Superiorum. Si penes ipsos-met dubium maneat circa subditorum necessitates, misericordia & charitas prævaleant rigori. Obedientia cum bona subditi voluntate meritum supplebit intermissæ rationabiliter abstinentiæ; pietatemque quâ liberant animam subditi à tormento scrupuli, & corpus debile ab intempestivo Jejunio, credant inter opera misericordiæ à Domino reputari. *Tutius est*, inquit D. Chrysost. *remitti chordas, quàm intensiùs protendi. Remissarum namque intensione artificis peritiâ convalescit: sed qua semel rupta est, nullo reparatur artificio.*

Apud D. Bernardin. supra.

Quòd si Superiores in hac declarandæ necessitatis misericordiâ suo desint officio, licitum est alteri, cui necessitas existit manifesta, trepidantem consodalis animum erigere. Cùm enim eis solùm lumen deficiat, & discretio ad judicandum de veritate necessitatis, per alios timentes Deum suppleri potest. Magnus Martinus à Valentia dignatus est per mulierculam in casu simili edoceri. Abstinebat quandoque à cibo ad quatuor vel quinque dies, persuasus vires sibi suppetere. Deficiebat tamen, & consumebatur. Occurrens ei mulier, admirabunda dixit, brevi eum moriturum, nisi exhaustæ omnino naturæ succurreret Deus. Vir bonus, qui Fratrum quorumdam antè neglexerat consilia, simplicis fœminæ monitis acquiescens, viam inivit discretionis. Præstat abstinentiæ humilitas, proprium abnegans judicium, & substernens alieno.

Chron. p. 4. lib. 2. cap. 39.

Dum necessitas manifesta non est, placet in praxim deduci, piam B. Bartholomæi Salutii contemplationem. Describit per formam dialogismi inter animam & corpus, lamenta corporis & rigorosè tractari, quòd in cœnam nil accepisset nisi tres bolos panis, modicum herbæ crudæ, unum pirum, duasque ficus. Post brevem deindè super duro assere somnum, ad Dei laudes surgere juberetur. Durâ exindè disciplinâ ad sanguinem usque exercetetur; haud secus ac equus ebrium habens sessorem, qui deficiens fame jumentum scuticis urget atque calcaribus. Deindè inducit animam ista imperiosè contemnentem murmura, & suasu Angeli, corpus castigatum ad Dei laudes adigentem. Tandemque c. 83. inducit carnem his contentam esse. imò nec corporales ampliùs cibos desiderare, præ suavissima illa, quæ ex anima redundabat in corpus, divini amoris satietate.

Parad. Contempl. cap. 81.

TEX

TEXTUS & §. XVIII.

Consulo verò, moneo & exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, &c.

SUMMARIUM.

S. Franciscus Raphaëli Archangelo comparatus. Religiosa motiva eundi per mundum, sunt Prædicatio, Exemplu n bonæ conversationis, Solatium afflictorum, Intellectus beneficii vocationis religiosæ, Ædificatio spiritualis. Sex vitiosa motiva prodeundi in publicum. Quantopere amanda solitudo. Foris servanda solitudo mentis.

TObiæ Juniori socium ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti, Raphaël Angelus occurrit, cui Pater filium commisit, Tob. 5. vers. 20. post factam sibi promissionem: *Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.* Qui sic eum toto itinere à diversis eruit periculis, beneficiisque cumulavit, ut domum rediens Tobias, eorumque recensum Patri Cap. 12. vers. 3. faciens, hoc præclaro concluderet elogio: *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Idem nos jure meritissimo de Angelico pronuntiemus Viro Francisco, qui nobis non in Rages Medorum ituris, sed per mundum, qui totus positus est in maligno, comitem se præbet ducemque itineris, & contra pericula omnia stabili nobis consulturus patrocinio, ait: *Consulo, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, &c.* Hoc textu & subsequentibus, quibus præclaras nobis commendat virtutes, procurare admititur, ut non modò salvi in eum reducamur, quem in primis parentibus amisimus paradisum, verùm & bonis omnibus per eum repleamur. Hoc agnovit, atque luculento expressit In Prol. ad vitam testimonio Seraphicus Bonaventura: *Evangelicæ*, inquiens, *perfectionis professorem, ducem atque præconem effectum, in lucem dedit Deus credentium: ut testimonium perhibendo de lumine, viam lucis & pacis ad corda fidelium Domino præ-* Eccl. 50. vers. 6. *pararet. Hic etenim* quasi stella matutina in medio nebulæ, *clarens vitæ micans & doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris & umbra mortis, irradiatione præfulgidâ direxit in lucem, &c.* Sicut autem Tobias pro recuperandis mutuò datis Gabelo talentis argenti, eam suscepit profectionem; sic debent Religiosæ personæ, illis solis de causis è claustro exire in mundum, quibus spiritualia referant emolumenta.

Prima causa utiliter foras prodeundi, est Matt. 16 vers. 15. Prædicationis ministerium, *Euntes in mundum universum*, loquiebat Discipulis Salvator, *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hæc est optima relinquendæ dilectæ solitudinis ratio. Vita cap. 12 Contigit aliquando, Franciscum in magnam cujusdam incidere dubitationis agoniam, utrùm expediter orationi vacare, an prædicando discurrere. Super quo dubio cùm superno revelante spiritu, Venerabilis Sacerdos F. Sylvester, & Virgo Deo dicata Clara, interrogati eidem respondissent, beneplaciti esse divini, quòd Christi præco ad prædicandum exiret; exurgens continuò succinxit se & nullâ prorsus contractâ morâ iter aggressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si factâ manu Dei super eum, novam induisset è cœlo virtutem. De his discursibus factis, causâ prædicationis, erit ad Cap. 9. latiùs agendum.

Secundò, Alia inter peccatores exeundi ratio, ex Apostoli verbo colligitur. *In manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos, ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* 2. Cor. 4. vers. 2. Cùm enim plerique indurati peccatores vel non accedant ad audiendum verbum Dei, vel non apprehendant oretenùs datas monitiones; validiùs tanguntur eorum conscientiæ perspecto sanctorum virorum bonæ conversationis exemplo. Duo Fratres Parisienses, cùm Annal. Tom. 2. ann. 1282. num. 9. aliò proficiscerentur, mediâ hyeme, sub prima noctis hora accessetunt fatigati ex itinere, luto conspersi & pluviâ madefacti ad ostium cujusdam Equitis, Fratribus infensi, qui à viginti annis suos reatus non curaverat confiteri. Alloquentibus matrem-familias, illa respondit: nescio, boni Patres, quid agam; si vos sub tecto admisero timeo mariti mei, vobis haud amici, offensam; si crudeliter tempestuosâ hâc nocte dimisero, est quòd verear Dei indignationem. Ingredimini, & latebitis donec vir meus è venatione regressurus cœnaverit, deinde vobis faciam occultè de rebus quibusque necessariis provideri. Tum advenit maritus, hilariter cœnat, Uxor verò cogitabonda tristatur ob Fratrū inediam. Interrogat ille causam mœstitiæ. Respondit se timere causam revelare. Securè spondet se mali nihil illaturum. Rem omnem illa

narrat, & se timere Dei judicium subjungit, quòd illius servi fame & frigore pereant, ipsi autem in delitiis luxurientur. Mitior factus, jussit è latibulis evocari, & charitativè tractari. Dum verò illi accedunt ad ignem, videtque hospes facies macilentas, vestes madidas, pedes sanguine decurrente perfusos, factâ manu Domini super eum, compunctus dolore cordis intrinsecùs, ex leone mitis agnus evasit, propriis manibus eorum lavit pedes, mensam apposuit, lectos præparavit, advectis recentibus paleis. Adhibitis charitatis officiis, Fratrem seniorem seorsim vocatum, interrogavit: an effrons peccator, qui tot annis ritè non fuit confessus, veniam ausit à Domino sperare? Respondit ille. *Spera in Domino, & fac bonitatem*, quia ipse faciet tecum secundùm magnam misericordiam suam. Ipse est qui promisit: *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* At ille; nolim itaque ego confessionis Sacramentum differre; quare si licet, hâc nocte conscientiam velim exonerare, ne contingat citiùs quàm velim à me repeti animam meam. Nullum subesse mortis periculum cogitans Frater rogavit ut in crastinum confessionem differret. Abierunt omnes cubitum, sed aliquantulum somno refocillatus Sacerdos, secum cogitans de dilata propter suam culpam confessione, & de periculo quod homo dixit potuisse imminere subitaneæ vel improvisæ mortis, totus tremens exurrexit, & in pavimento in faciem prostratus cum lachrymis orabat, ne suâ culpâ miser ille periret, sed saltem in diem sequentem valeret. At factâ visione, conspexit jam hospitem defunctum, altercantes bonos & malos angelos circa ejus animam, & in statera librandorum operum, præponderasse satis plurima mala, paucis bonis; statim tamen defuncti Angelum custodem dixisse: afferantur & apponantur paleæ illæ quas sternendis lectis pauperum Minoritarum ipse jam compunctus hâc nocte propriis manibus & humeris asportavit: addatur sacræ confessionis fervens desiderium. Additis his superârunt bona, condonatis propter salutaris Sacramenti votum cunctis reatibus, deduxerunt Angeli tremulam animam in locum sperandæ salutis. Ecce salvationis occasio hospiti facta, pauperculorum Fratrum è conventu egressio. Nos simili modo euntes per mundum commendemus fideli Creatori animas nostras in benefactis, simulque animas eorum ad quos divertimus benefactorum.

Tertiò, Aliam occasionem foras egrediendi ad sæculares præbet Apostolus, dum Christianis afflictis suarum præparans lenimentum tristitiarum, ait: *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* (Hebr. 12. vers. 3.) Nil reputabat efficacius ad afflictorum solatium, quàm innocentissimum Jesum aspicere, suarum socium afflictionum. Ipso Christo Domino in cœlorum abeunte sublimia, nos ejus loco subrogati sumus in afflictorum solatium; quos tamquam crucifixos vident, pauperes, & humiliatos. Visi sunt malefactores ad extremum tracti supplicium, ad patienter tolerandum pœnas, animum sumpsisse ex consideratione simplicium Fratrum, quos conspiciebant diutino martyrio longas pœnas propter justitiæ zelum sumere de semetipsis; unde sibi tacitè dicebant: nos quidem digna factis recipimus, hi autem nihil mali gesserunt. Alii quoque mundani homines in magnis positi tribulationibus, à nobis tamquam sincerioribus amicis consolationes exigunt spirituales. Dicamus ergo eis verbum, quo informentur salutem suam per occurrentes negotiari tribulationes. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* (Jac. 1. vers. 27.) Visis etiam atque auditis miseriarum tempestatibus, ex quibus vocatione Dei sanctâ extracti sumus, occasionem sumimus ferendi alacriùs onus Christi leve, *in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo Patri; qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* (Coloss. 1. vers. 11.) Inter sex documenta cuilibet proficere volenti utilissima, quæ rogatus aliquando Bonaventura cuidam tradidit Fratri Juveni, illud etiam erat: *Versetur in corde tuo frequenter, memoria omnium tribulationum, ac miseriarum totius mundi.* Numquam autem crederemus tantas esse calamitates, quibus mundi jactantur mancipia, nisi foris aliquando conversaremur. Inveniuntur etiam quandoque foris bonorum sæcularium exempla: *In omni professione*, inquit Gilbertus, *& ordine, quæ sponsa est, ejus quem castè diligit vestigia quærit, quatenus habeat undecumque operationis exemplum, & amoris incendium. Non dedignatur ab his qui foris sunt, qui nullâ arctioris disciplinæ regulâ constringuntur, mutare virtutis insignia, reputans ferventiorem ibi frequenter affectum, ubi inferior fuerit ordinis gradus.* (Serm. 5. in Cantic.) Franciscus si quando pauperiorem se quempiam, secundùm exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinùs arguens, excitabat ad simile: tamquam si æmulâ paupertate concertans, vinci se timeret in illo: accidit enim ut pauperculum quemdam obvium haberet in via: cujus cùm nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: (Vita cap. 7. num. 6.) *Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia; quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus: & ecce magis relucet in illo.* Sic & nobis frequenter confusionem ingerit, major humilitas, modestia, patientia & charitas conspecta in sæcularibus. Hâc cum sæcularibus comparatione S. Paphnutius, perfectissimus Monachus, ad sui dejectus est humiliationem, (In Vitis Patrum.) factâ sibi à Deo revelatione, quòd nondum alicui pauperculo, item alteri, vicini pagi Prætori, in meritis æqualis existeret. Sancto quoque Machario Abbati sanctissimo divinitùs assertum, nondum ipsum ad duarum mulierum conjugatarum attigisse perfectionem. (In Vit. Patr. p. 2. §. 93.)

Quartò, Aliâ ratione, sed bene librata permittit S. Basilius foras exire, quam sub hac exprimit moderatione: *Oportet ut plurimùm in quiete manere, & unumquemque in propria sede persistere, ut hoc habeat constantiæ morum testimonium: non penitùs tamen conclusum esse, sed neces-* (Constit. 7.)

necessarios progressus liberè facere, ne in quibus conscientia nihil impingat, & optimos ac utilissimos propter vitæ sinceritatem Fratres visitare, ita ut virtutum exempla ex ipsis congressu famat; moderatos, ut diximus, & irreprehensibiles progressus faciendo. Sæpe enim tædium animæ inditum, progressus ipse dissolvit, & rursus velut convalescere exhibens, certamina pro pietate alacriter adire facit. Usitatissimum fuit sanctis viris alios Dei amicos invisere, quorum colloquio quædam fortiter illapsæ tentationes dissiparentur, aut

Vita S. Ludov. cap. 7.

pietas concepta foveretur. Sic Ludovicus Galliarum Rex Beatum invisit Ægidium, degentem Perusii, quem (licèt in habitu peregrini & ignoto venientem) B. agnovit Ægidius, spiritu docente; pariterque flexis genibus in mutuos ruerunt amplexus & oscula. Beatus quoque Angelus, præclarissimus Carmelitani Ordinis Martyr, & Prædicatorum Primicerius Dominicus, unà cum Seraphico Francisco, Romæ apud Lateranum convenientes, diem integrum & noctem divinis sermonibus & oratione pariter transegerunt.

Annal. Minor. Tom. 1. ann. 1216 num. 17.

Basil. loco cit.

Subjungit tamen Basilius, loco prædicto, cautelam minimè dissimulandam: *Oportet neque prætextu visitationis Fratrum, & congressus, cum ipsis multas & frequentes visitationes facere. Est enim diabolicum hoc inventum, conante inimico per tales insidias constantiā nostram & ordinatam vitam dissolvere, & in voluptates ac varias seditiones cogitationum immittere: verùm in quiete cum nobis ipsis conversari, considerareque ac corrigere animæ peccata.* Sic visitationes frequentiores etiam spirituales solatii gratiâ factæ damnantur ut noxiæ; quantò magis eæ, quæ sordidioribus suggeruntur motivis & affectibus. Noster Antonius de Guevarra hanc

Joann. 13. vers. 10.

sententiam Domini: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, post D. Anselmum explicat in hunc modum: Non sufficit servum Dei

Orat. Relig. cap. 51.

pium esse & prudentem, humilem & pudicum, nisi sit pariter & quietus. Per priores illas virtutes lotus constituitur, sed *indiget* adhuc *ut pedes lavet*: quod tunc fit, cùm à profanis & inutilibus cohibentur excursionibus; quo fa-

Matth. 18.

cto, *est mundus totus.* Imò Salvatoris sententiâ, abscindendus est pes scandalizans, id est constringendus, ut sic homo in perniciem animæ suæ ad malum currere prohibeatur. Varii autem sunt quibus id expedit.

Primò, Qui pruriunt ire per mundum ad ostentationem; eo spiritu quo Pharisæi, qui

Matth. 23. vers. 6.

amabant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Gaudent se haberi de admirandis istis mundi contemptoribus; cùm tamen intimè sint de vilissimis ejusdem amatoribus atque mancipiis. Tormentum est ipsis latere in tenebris, nec apparere, gemuntque se tanquam vivos sepeliri, si diu intra Conventûs muros cohibeantur, ac mœrore tabes-

Sap. 5. vers. 15.

cunt. *Spes impii tamquam lanugo est quæ à vento tollitur, & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tamquam fumus qui à vento diffusus est, & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.*

Secundò, Æquè viles sunt, qui excurrere gestiunt ad venationem lautiorum mensarum apud divites hujus sæculi, nimis onerosâ eis existente domesticâ frugalitate, atque Superiorum vigilantiâ ad privatas impediendum commessationes. Præmium æstimant aliquantuli operis peracti, licentiam obtinere hospitales invisendi benefactores. Persuadent sibi, se acceptissimos eis esse, atque desideratos: externasque sæcularium curialitates, veram credunt amicitiam; à quibus tamen sæpenumero contemnuntur. Audiant salutare monitum Sapientis: *Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio. Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Vita nequam hospitandi de domo in domum. Et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os;* in iis præsertim domibus, ubi vir & uxor tristem vultum taliumque hospitum fastidium ostendunt.

Eccl. 29. vers. 29.

Tertiò, Quosdam inquietè avocat parentum & antiquorum familiarium amor, pristinisque immergit affectibus. Semel reliquisse amicos, ad puriùs divinæ vacandum familiaritati, gloriosum fuit; sed illi maculam ponunt in gloria sua, qui ad eos absque necessitate revertuntur, cùmque eis hærentes, confidentiùs mores seponunt religiosos. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te.* Sic conversare cum amicis, ut recedens relinquas eos cum appetitu tuæ præsentiæ; si nimiâ morâ eos satiaveris, causabis odium tui atque fastidium. Qui nimis frequenter visitant amicos, & domestica importunè impediunt negotia, eis oneri fiunt, nec magis accepti sunt, quàm lemures apparentes, seu spiritus defunctorum. Utiliùs ergo dimittuntur arida illa visitationum solatia. Cùm Fratri Clementi Caponiu rusticitati verteretur, quod parentes numquàm inviseret, & casu occurrens, non aliter eis quàm planè extraneis loqueretur, hanc sui facti dabat rationem: *Relinquamus sæculares in sæculo, nihil nobis ampliùs commune cum eis. Non bene est Religioso cum mundo. Hunc fugite, si amicitiam cum Deo servare cupitis illibatam.*

Prov. 25. vers. 17.

Chron. p. 3 lib. 6. cap. 31.

Quartò, Divexat quosdam curiositas videndi exteras regiones, ut oculos novarum pascant aspectu vanitatum; vel (quod speciem habet pietatis) pruriunt aviditate visendi sanctorum locorum monumenta. Præclarum existimant, posse enarrare, quæ non viderint alii. Mira vanitas, & sicca recreatio, transiens citissimè, sed relinquens diu perpetuas ex visorum auditorumque recordatione mentis distractiones. In sæcularibus, ejusmodi curiositas compescitur facilè timore ingentium expensarum, periculorum & damnorum in re familiari: & Fratres non timeant damna spiritûs, & diutini temporis pretiosi, quod prodigaliter in longinquis istis consumitur peregrinationibus? Longè aberat ab ista curiositate F. Andreas de Locoya, laicus, Cœnobii janitor annis quinquaginta, quo toto tempore januam ipsam egressus non est.

Annal. Tom. 4. ann. 1397. num. 14.

Quintò, Præcedentibus istis pruritibus, junctum est ordinariè tædium intolerabile regularium exercitiorum, à quibus ad tempus eximi (per molestissimas etiam peregrinationes) in-

gens æstimant beneficium. Evidens omnino extincti studii devotionis argumentum. Pueris solum meditantibus lusum, schola carcer est, & exercitia litteraria tormentum. Ita & viris istis monasterium carcer est, & quæcumque ex obedientia ibi peragenda, in spinas fiunt, & melancholias. Unde elapsi foras, sic universa seponunt atque obliviscuntur exercitia regularia, quasi sæculares denuò effecti, multùmque videntur fecisse, si cursim horas persolverint Canonicas. *Quis dimisit onagrum liberum*, quærit S. Job, *& vincula ejus quis solvit?* Et deindè ipsius exprimit exercitium: *Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit*, domos scilicet & consortia, in quibus sæculariter recreetur, animumque dissolvat. Longè absunt à constanti pietate F. Francisci à Sanctis, qui in suis quantumvis longissimis, maximèque molestis itineribus, numquam à communibus destitit exercitiis; nec orationis tempus interrupit, aut distulit aliquando.

Job. 39. vers. 5.

Vers. 8.

Martyrol. Franc. ad 20. Decemb.

Sextò, Accedere nonnumquam posset fastidium quoddam, & contemptus contubernalium, à quibus abesse solatium est; sed miserum & periculosum, omni privans suavitate, quæ ex sanctorum Fratrum hauriri poterat convictu. Cùmque aversionis illius amaritudo à penetralibus oriatur, & in penetralibus hæreat, frustrà foris quæruntur & applicantur doloris lenimenta. Hæc cot mitigare non possunt: imò disponunt ut exulceretur ampliùs; siquidem solatium, quod à sæcularium sumitur conversatione, sensim avertit magis ab amica Fratrum confidentiâ, facitque ut eorum officia & servitia vertantur in contemptum. Similes hos dixerim desperato viro, qui conceptis in optimam uxorem odiis, propriam fugit domum, vagaturque per popinas, ad suos obliviscendum dolores, miseramque trahit vitam, sua destruens & semetipsum. Multùm perpendit Antonius de Guevarra, quòd cùm Caino fratricidæ maledixit Deus, pars maledictionis fuerit: *Vagus & profugus eris super terram*, semper & ubique tristis & irrequietus. Simili percutiuntur maledictione isti osores Fratrum, si (quod absit) pauci fortassè tales reperiantur: vagi fiunt & profugi, sibi aliisque molesti, cum nullo quietem invenientes superiore, occasiones vagandi conquirentes inutiliumque negotiationum: si licentia denegetur, omnia complentes lamentis, quasi injustè compedibus in carcere constricti teneantur.

Orat. Relig. cap. 22
Gen. 4. vers. 12.

Misertimæ profectò, vanæ & indignæ sunt prætensiones istæ omnes, ad relinquendum solitudinem, Deique consortium, ac eum in quo collocati sumus Paradisum. Qui verè gustaverunt donum Dei, nihil optabilius habent, longè esse ab hominibus, domi manere, quoad fieri possit, foris existentes domum celerrimè reverti, ubi meliùs tranquillum suum conservent statum, clariùsque percipiant divinæ allocutionis arcanum. Hoc D. Bonav. docuit illum Fratrem Juvenem, qui exquisierat, quomodo posset in sacro Minorum Ordine sinè macula conversari, & ad vitam proficere meliorem: *Finito*, inquit, *officio, vel servitio, aut alterius obedientiæ mandato, sinè aliqua mora regredere ad cellam oculis inclinatis, & ibi recolligas te.* Id satis intelligunt, observantque accuratè omnes illuminati amici Dei. F. Senius Laicus, seu ut vocant Conversus, singularis pietatis & admirandæ recollectionis homo, raro extra cellam videbatur. Tot recipiebat à Deo solitarius in cubiculo consolationes, ut nulla ei major inferri posset molestia, quàm extra illud fieri. Neque calores æstivi, nec frigus brumale, nec occupationes externæ, quas procul faciebat, sufficiebant, ut in apertum prodiret. Dum semel interrogaretur, ut quid semper in cellula hæreret? Respondit, ita ei suum antrulum placere, totque ei à Deo, in eodem præstari beneficia, ut si universus mundus, omnesque in eo contentæ divitiæ, cunctæ hominum & mulierum deliciæ offerrentur, eâ lege ne perseveraret in cella, omnia se rejecturum, potiùsque optaturum abscissis manibus & pedibus in eadem commorari, & humiliter à Deo recipere quod frequenter præstabat; quàm admittere quidquid sub cœlo possit offerri. Sic affecti fuêre omnes qui contemplationis pretium per ejus gustum probavêre. Quia tamen vocationis nostræ sanctitas compellit nos ex suprà adductis rationibus, aliquando prodire in publicum, accingendus est animus ad obvias intrepidè pervadendum difficultates, & ambulandum dignè Deo; servatâ eximiâ, quam F. Joannes Lucensis tradit, Regulâ: *Qui Deum offendere non vult, solitudinem diligit. Non tantùm solitudinem montium, aut recessus nemorum intelligo. Eum enim solitarium reputo, qui intra semetipsum se colligit, sibi vacat, & inter sæculares manens, eorum strepitus & rumores non audit.*

Annal. *Tom. 2. an. 1270. num. 24.*

Annal. *Tom. 6. ann. 1371. num. 43.*

TEXTUS & §. XIX.

Non litigent, neque contendant verbis.

SUMMARIUM.

S. Franciscus Abrahæ comparatus. Cavendæ contentiones propter opiniones Scholasticas, propter proprii status sive Ordinis præcellentiam, propter dicteria aliorum concionatorum, propter impertinentes aliorum narrationes, & obstinatam judicii proprii defensionem. Optimum contra litigia & contentiones remedium, ex D. Bernardo.

Gen. 13. vers. 6. ABram & Lot Ægyptum egressi, sic locupletati sunt, quòd non poterat eos capere terra ut habitarent simul, erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter: unde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. vers. 8. Dixit ergo Abram ad Lot: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: Fratres enim sumus.* Et decidendæ litis causâ atque præcavendarum contentionum, separati sunt ab alterutrùm; Lot ad præsentationem Abram Jordanis fines eligente. Hæc magni Patriarchæ *Hom. 13. in Genes.* celsitudo animi & mansuetudo, tantoperè placuit Domino, teste D. Chrysostomo, ut in illius remunerationem totam ei promiserit terram Palæstinam, atque innumerabilem sui seminis multiplicationem. Pater multarum gentium Franciscus, non minori apparuit animi celsitudine; dum sæculi hominibus, cum quibus maxima solet esse de terrenis possessionibus contentio, non modo partem aliquam terræ, sed substantiam mundi cessit universam. Volens sic radicitùs evertere litium omnium contentionumque seminarium: *Unde,* Jac. 4. vers. 1. inquit Jacobus, *bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? Concupiscitis & non habetis; occiditis & zelatis, & non potestis adipisci. Litigatis & belligeratis, & non habetis.* Ad hanc radicem amaritudinis securim posuit paupertatis, dimittens omnia, ut vivere posset à litigiis contentionibusque expeditus. Sic imple- Matth. 5. vers. 40. vit perfectè Christi consilium: *Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Tentabat pater ipsius carnalis, ducere illum coram Episcopo civitatis Assisii, ut in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet quæ habebat. Ad hoc faciendum, se promptum exhibuit verus paupertatis amator. Perveniensque coram Episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit: sed continuò depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Quo facto, & patri carnis, & sæculi facultatibus renuntiavit universis, quasi dicens mundo: *Ne quæso sit jurgium inter me & te. Ecce universa terra coram te est;* totam tibi remitto, nihil ex illa desiderans in proprietatem possidere: *recede à me, obsecro.* Sicut autem Sanctus opinatur Chrysostomus, in præmium illius magnanimitatis, Abrahæ terram fuisse promissam Palæstinam, seminisque multiplicationem; quidni idipsum de Seraphico nostro censeamus Patriarcha? Certè innumerabilis propè filiorum ejus multiplicatio, ex ipsa patet oculorum inspectione. Sanctæ quoque Palæstinæ terræ ipsi attributa est possessio, dum filii ipsius Minores in locis Sanctis, Christi Domini conversatione consecratis; diversa ædificârunt monasteria, præsertim super glorioso Domini Sepulchro, quæ singulari divinæ benignitatis privilegio, incolunt usque in hodiernum diem, in medio nationis pravæ atque perversæ Mahometicæ, impiè blasphæmantis laudabile nomen Domini, odioque capitali populum insectantis Christianum.

Quia verò S. Pater filios suos non modò à litigiis cum mundo, sed etiam ab iis quæ inter ipsos oriri poterant, voluit esse expeditos, dicens: exhortor Fratres meos, ut quando vadunt per mundum *non litigent neque contendant verbis;* juvabit hic recensere ordinarias alias causas, unde lites oriri solent atque contentiones, ut tela prævisa minùs feriant, similibusque occurrentibus occasionibus, dicamus Fratri: *Ne quæso sit jurgium inter me & te... Fratres enim sumus:* Quod ad aliarum quoque extendere possumus professores Religionum.

Primò, Itaque, incipiunt aliquando à Scholis controversiæ; quæ quamdiu intra formam manent disputationum, utiles sunt ad veritatis investigationem. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Prov. 27. vers. 17. Ideoque jam inde à Generalatu D. Bonaventuræ sub 12. Capitulo Generali statutum est in publicis Patrum Conventibus, solemnes in Ordine nostro haberi disputationes, quæ usque in hodiernum cum Ordinis gloria & Religiosorum utilitate laudabiliter practicantur. Sed quando scholastica illa exercitatio, exit ad improperia, scommata & irrisiones, atque in conatus sese mutuò confundendi, perit litterariæ concertationis splendor, & acerba prodit quandoque animorum commotio.

Cona-

Conatus isti non fiunt zelo statuendæ veritatis, sed fervure exaltandæ propriæ gloriæ, doctrinamque & ingenium ostentandi. *Fratres*, inqnit Apostolus, *si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Addo ego: neque Ordo S. Francisci. Quantâ moderatiooe defendenda sit veritas, & falsitas impugnanda, discamus nos Fraocifcani ex stylo D. Bonaventuræ servato in Opusculis ipsius contra Ordinis & Regulæ nostræ calumniatores. Pius mos S. Bernardini, quo solitus erat pro concionibus salutare nomeo Jesu, aoreis litteris in medio solarium radiorum scriptum, auditoribus demonstrare adorandum, adeo calumniosè, ab æmulis quibusdam acceptus fuit, ut vir sanctissimus apud Martinum V. Summum Pontificem io hæreseos suspicionem duceretur. Sed cùm in ejus vitam & doctrinam fuisset diligentissimè inquisitum, propugnantibus Bernardinum doctissimis Ordinis nostri Theologis, vir sanctus Pontificis sententiâ ab omni liber dictus fuit suspicione. Eminuit autem inter istos innocentiæ defensures B. Joannes Capistranns, cui cùm datus esset disputandi locus, iam dilucidè & efficaciter ostendit facti pietatem & dogmatis veritatem, oullus ut potuerit contradicere. Abstinuit tamen summa cum modestia à tangendis morsibus & aculeis non Christianis adversariorum. Sic omnino expedit susceptâ necessariâ defensione, incidentes æmulorum oostrorum calumnias, quæ punctum controversiæ non tangunt, atque per se suos satis confundunt anctores, silentio prætcrire: Malè collocati sunt labores, tempus & expensæ in edendis contra talia mordacibus replicis & apologiis, è quibus nil aliud scaturit quàm scandalum, & communis admiratio, quòd viri docti & religiosi talibus exorbitent passionibus. *Honor est homini qui separat se à contentionibus. Omnes autem stulti miscentur contumeliis.* Ex duabus corrixaotibus mulierculis illa sapientior habetur, quæ prima tacet atque recedit; quæ ad ungues crinesque prosilit, insipientior. Optimum disceptationum moderamen sanctus tradit Ambrosius; *Ne sit aliqua perturbatio; sed mitis & placidus sit animus benevolentia, & gratia plenus, sinè ulla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio: quæstiones enim excitare inanes, turbationis potiùs quàm utilitatis solet aliquid adferre. Disceptatio sinè ira, suavitas sinè amaritudine sit, monitio sinè asperitate, hortatio sinè offensione.*

1. Cor. 11. vers. 16.

Vita B. Joan. Capistr. cap. 8.

Prov. 20. vers. 3.

Offic. l. 1. cap. 22.

Secnndò, Non raro contiugit, cum aliorum Ordinum professoribus altercari, quis eorum vibeatur esse major in sanctitate, vel exteroâ politiæ, vel Fundatorum prærogativis, aliisque rebus iocertis. Ferventiùs suam urgens sententiam, hoc ipso se prodit inferiorem esse, quo contendit se alteri præëminere. *Cùm sit inter vos*, inquit Apostolus, *zelus & contentio, nonne carnales estis & secundum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat: ego sum Pauli; alius autem: ego sum Apollo; nonne homines estis?* Licèt rationes esse videantur spirituales, verè tamen carnales sunt, ex abundantia propriæ æstimationis ebullientes. Hâc consideratione Clemens Papa IV. cooatus fuit compescere Inquisitores, è Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, inter se dissidentes; quibus scribit in hunc modum; *Quantam sanè concordiam, quantam pacem, quam fundatæ, quàm solita vinculum charitatis esse deceat inter ipsos, & profectò status indicat & salubris propositi sancta conceptio; ejus denique sedula prosecutio, labor insuper & finis operis manifestant: quo fit ut inter eos seminante discordiam hoste publico, colubro tortuoso, miserabilis se committant discriminis, qui procul dubio dæmonum adjuteres accensum ignem eorum studio, tamquam lignis nutrientes injectis, inter eos exorta scandala verbo vel facto consolidant.* Io facto veræ sanctitatis, booæ politiæ, & cujuscumque virtutis, qui judicat nos, Dominus est. Judicat etiam mundus, ex fructibus manifestis. Proprium autem testimonium impertinens est, *Si ego*, inqniebat Christus, *testimonium perhibeo de meipso testimonium meum non est verum;* Quantò minùs illud de quo agimus, quod à proprio dictatur amore? Si autem verum non est, vel suspectum est, inutiliter aliis obtruditur repugnantibus.

1. Cor. 3. vers. 3.

Annal. Tom. 2. an. 1266. num. 8.

Joan. 5. vers. 31.

Tertiò, Turpiùs exilit scandalum ab ore concionatorum; si è cathedris, paci aonuntiandæ atque conservandæ consecratis, suos invadant æmulos, aut invasi, suam prodant impatientiam, malum pro malo reddentes. Non sic tu O Franciscane: *Noli contendere verbis. Ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium;* quorum aliqui unius, alii alterius concionatoris suscipiunt causam, pro suo quisque affectu; alii utrosque tamquam vanos contemnunt & insanos. Verba Dei expectat populus; non satyrica, læsiva charitatis. Est verò licita, etiam è sacro suggestu, justa defensio in calumoia hæreseos, quam verbi divini præconi pati non permittitur. Mansuetissimus agnus Dei, coram tondente se & crucifigente obmutuit, & non aperuit os suum; sed contra arguentes eum de peccato & de blasphæmia, justam soscepit defensionem.

2. Tim. 2. vers. 14.

Quartò, Cavendum sollicitè ne quâ rixa inter Superiores oriatur. Ex ea subditi supra modum scandalizantur, & à debita avertuntur obedientia; vel in alterutram transeuntes partem, scissuram augent atque tuentur. Hujus mali occasio esse potest prætensio auctoritatis Indebitæ, alienæ usurpatio jurisdictioois, vel (quod vilius est) miseræ unius præoccupatio præcedentiæ, aut reverentialis cæremoniæ denegatio. Non sic insulsè quis negligat locum sibi præparandum in cœlo, contendens momentaneam inordinatè præripere præcedentiam. Damnamus meritissimo jure, bella nationis contra nationem, ex puncto hoooris suscitata, & ex eodem inita motivo duella nobilium; & non attendimus nos in similem vulgi fabulam fieri, deprehendentis quòd vermis vermem præcedere laboret in reptando super terram.

Quintò, Alia futilior scintilla, non leves interdum suscitat contentiones. Inter colloquia, mentio fit de præterito aliquo eventu, quod hi volunt taliter accidisse, alius aliter: vel de externa disputatur politia, vel de particularium conditionibus personarum. Materiæ de se nullæ sunt, & ad eos qui colloquuntur oullateous

tenus pertinentes; interim fervor propriè tuendæ sententiæ erumpet qnandoque usque ad contumelias adversæ partis, ignorantiæ improperia, & iras vehementiores. Pro ejusmodi occasione præmonet rectè Sapiens: *De re, qua te non molestat, ne certeris.* (Eccles. 11, vers. 9.) Hoc enim non minor est stultitia, quàm duorum illorum rusticorum, de qnibus fertur, quòd intentissimâ contenderent disputatlone, quid esset Luna? Casens magnns an vero placenta? (Prov. 3. vers. 30.) *Non contendas adversùs hominem frustrà.* Religiosæ vitæ decorem dehonestat pertinacia, nemini cedere assueta, vel delectationem in aliis capiens confundendis. Alio nobis præluxit exemplo concordiæ sectator S Bernardinus, (Annal. Tom. 5. an. 1418. num. 27.) Si quando in judicando quidquam errasset, postea suum erratum manifestâ ratione intelligens, tam facilè cedebat, ut vel penitus conticesceret, vel se etiam errasse, palam fateretur. Ita omnis omnino pervicaciæ expers erat, ita suis ipse sententiis minimè confidere, aut inniti audebat. Commnnis lapis offensionis, discordiarumqne penè omnium fax est, indubitata proprii juris vel veritatis à parte sua stantis, opinio: quæ dum utrimque invaluit, & cerebro infixa est, invicta quoque fit & pertinax utrimque contradictio. Eos justâ percutit censurâ S. Jacobus: (Jacobi 3. vers. 14.) *Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari* vos Religiosos esse, *& mendaces esse adversùs veritatem*, factis existentibus veræ illius status perfectioni difformibus. *Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum.* Qualiter hi spiritum istum contradictionis compescant, ex uno discant Fratre Georgio Albano. (Annal. Tom. 5. an. 1437 num. 59.) Hic uti humana fert imbecillitas, & neophytatum mentium imperfectio, rixatus est cum uno ex consodalibus. Per biduum duravit animi offensi commorio, & à mutuo abstinebant colloqoio. Se victurus accessit Georgius, dixitque magnum hoc esse delictum, sub uno tecto & habito, contrarias militare voluntates: satiùs proinde fore, Superiorem accedere, & commissæ noxæ supplicium, aut veniam reportare. Abierunt, sed suggerente rixæ auctore, & verecundiam incutiente propalandi criminis, coram integro monasticæ disciplinæ Moderatore, licèt humanissimè excepti, tacuerunt. Consilium inierunt ad Patrum Conventualium Superiorem proficiscendi, ab eoque judicium exposcendi. Dum pergerent; *Stultè & pueriliter agimus*, inquit Georgins, *apud alios quærimus, quod in nostra est potestate: etsi in causa propria haud facile æquum feratur judicium; in ista, utrique nostrum non erit operosum justè judicare. Peccavimus in Deum. fraternam violavimus charitatem; ipsa nostra accusatio, criminis est absolutio; dum veniam utrimque petimus, obtinemus.* His dictis in genua provoluti, fusis lachrymis oterque culpam ingeminat, & graviùs se peccasse proclamat, confessionis humilitate delicti gravitatem compensans. Petitâ veniâ & acceptà, ecce horribilis aper ex vicina sepe prosiliit, reconciliati animi unitatem, & fraterni amplexûs vinculum soluturus. Monitus à Deo Georgius sub apri specie diabolum latuisse, signo crucis in nibilum redigit.

Si prætensam non possumus pro amore Christi suscipere, & concoquere injuriam, saltem valeat apud nos D. Bernardi consillum omnibus datum Religiosis: *Tu acceptâ injuriâ,* (Serm. 29. in Cant.) *non continuò more sæcularis, obliquè referire fratrem responsione festines: sed neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto & urenti transfigere audeas animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est: non grunnire quasi increpando; non labiis mussitare, quasi murmurando, non narem contrahere aut cachinnari, quasi subsannando. Sanè commotio tua moriatur, ubi oritur, ut possis dicere:* Turbatus sum, & non sum locutus. (Psalm. 76.) Tunc autem expedit non loqui, quando personæ obstrepunt potentiores & superbæ, vel non intelligentes, vel prurientes ad vexandum alios, vel linguosæ aut pertinaces. Ostium contentionum obstruitur, si objectiones eorum non resumatur, sed gravi tacitè corripiantur silentio. Quòd si pro juribus, privilegiis & famâ Ordinis certandum sit, rationes allegentur apud eos, quorum interest judicare, & sententia suscipiatur quasi ex providentia Dei, pace spiritus nostri semper illibatâ.

TEXTUS & § XX.

Nec alios judicent.

SUMMARIUM.

Constans in quibusdam Sanctis bene de aliis opinandi simplicitas, Est signum prædestinationis. Varia pericula spiritualia, quæ imminent temerè judicantibus. Cavendum à societate & relationibus suspiciosorum. Qualiter reprimendæ calumniatorum delationes, docemur exemplo Francisci & Joannis Eleëmosynarii.

INter alias excellentias Sponsæ, quas divinus deprædicat Sponsus, non modica est oculorum ejus pulchritudo: *Oculi tui*, inquit, *columbarum.* (Cant. 4. vers. 1.) Oculi Sponsæ Christi, Ecclesiæ, Apostoli

Apostoli sunt, vitique Apostolici. De Sanctis Petro & Paulo ait S. Leo Papa: *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum.* (Serm. 1. in Natali Apost. Pet. & Pauli.) Volens autem cœlestis Sponsus hos oculos esse columbarum, missurus Apostolos suos in mundum prædicare, præscribit: *Estote simplices sicut columbæ.* (Matth. 10. vers. 16.) Columbinam desideravit in oculis simplicitatem, ut benigno aspectu omnia proximorum opera contuentes, temerariis nullos perstringant judiciis, aut fastuoso supercilio aspernentur. Apostolicus Franciscus sibi suisque sectatoribus iruris per mundum eamdem statuit normam, *ne alios judicent*; sed sint *simplices sicut columbæ*, oculos habentes columbarum.

Beati P. N. primogenito Fratri Bernardo de Quinta-Valle, tam rectus & simplex oculus fuit, ut eum nulla temerarii præcipitantia umquam inquinarit. Unde de eo talis visio ostensa fuit Beato Fratri Leoni, in loco Portiunculæ graviter infirmanti. Vidit in somnis (Marian. lib. 1. c. 19.) moltitudinem Fratrum processionaliter incedentium, inter quos erat unus à cujus oculis radii quasi solares procedebant, ita ut in faciem ejus prospicere non valeret, præ nimia claritate. Et quærens ab uno illorum Fratrum, quò irent cum tanta solemnitate? Vadimus, inquit, ad excipiendam animam cujusdam Fratris infirmi, brevi morituri. Et ait rursus F. Leo: Et quis est ille, à cujus oculis radii procedunt tantâ claritate fulgentes? Et ille: Ipse est, inquit, F. Bernardus de Quinta-Valle. Et quare, ait rursus F. Leo, oculi ejus tantâ claritate nitescunt? Et Ille: quia semper videndo alios, de se humiliùs, de aliis quod esse poterat meliùs judicabat, & per hanc modum omnem in oculis mundiriam conservabat. Similem bonam mentem sortitus est B. Joannes ab Alverna sive Firmanus. Neminem (Annal. Tom. 2. an. 1272. num. 23.) judicabat, dum omnes se meliores putabat, neque placuerunt ei quidam singulares viri, qui proposito sibi majoris perfectionis & strictioris paupertatis nomine, ceteros condemnabant, vituperabantque excelsas ædes, & templa majora, quæ constructa erant in Sodalitio. Nihil hic videbat, quod non placeret. Ex amplis & instructis monasteriis, Dei laudandi occasionem sumebat, qui dabat servis suis affluenter; inferebatque eorumdem monasteriorum incolas, viros esse religiosos, & probos, erga quos fideles adeò se beneficos exhibebant, ut domos amplas extruxerint, & insuper necessaria quæque adjecerint. In parvis verò cœnobiolis, Spiritum paupertatis, & humilitatis commendabat; neque quidpiam ei potuit offerri, quod in obloquium, aut grave ferendum judicium, æquam & candidam mentem posset attrahere. Nullum vidit honorem, cuiquam hominum, etsi humili minùsque idoneo conferri, quo ille eum abundè dignum non judicaret. Boni viri semper bene judicant; secundùm candidam & piam mentem singula contemplantur, & per bonæ intentionis radium merita illustrant actionis. Oculos habent simplices, propterea corpus eis lucidum est, *quia dum rectè intendunt, per simplicitatem cogitationis bonum opus efficitur, etiamsi minùs bonum esse videatur.* (Greg. lib. Moral. c. 6.)

Noster Andreas Vega, columbinam istam oculi simplicitatem, inter signa recenset animæ (In Conc. Trid. lib. 12. cap. 12.) prædestinatæ. Qui enim omnia, quæ vident, candidè judicant, & quantùm possunt in partem interpretantur meliorem, nulloque sinistro judicio cor, quo videndus est Deus, commaculari permittunt, ii non leve habent suæ prædestinationis argumentum; verissima enim est sententia Salvatoris: *Nolite judicare, & non judicabimini.* (Luc. 6. vers. 37.) Sicut enim reprobórum est, teste D. Gregorio, etiam bona aliorum opera calumniari, unde filios se ostendunt Diaboli, qui dictus est *accusator Fratrum* (Apoc. 12. vers. 10.): ita electi assolent de omnibus bene judicare, & ut nubes à terrenis contagiis semoti, sursum volare per charitatem. Suspiremus igitur cum Regio Propheta: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* (Psal. 54. vers. 7.) Etenim quamdiu mens bene occupata est sursum cum Domino, non poterit facilè ad humanarum actionum descendere judicia, alienamque scrutari malitiam, atque in murmuratoris se cogitationibus inquietare.

Pestifera temerarii judicii tentatio ab occulta plerumque oritur superbia; judicans enim de vitiis alienis, de sua propria præsumit opposita virtute. Quia verò specialiter familiare est imperfectioribus contemplativis, ceteros judicare & contemnere, qui huic non incumbunt studio, salutare eis præscripsit remedium D. Bonaventura. Ut scilicet credant, alios non vacantes contemplationi, jam fortes (Stim. amo. p. 3. c. 1.) factos, & in charitate radicatos, ad laboriosa quæque evocari; se verò tamquam infirmos relinqui in lecti mollitie. Item illos thesaurum suum sub activæ vitæ humilitate abscondere; se verò per contemplativæ vitæ apparentiam obnoxios manere vanitati, & fortassis non nisi ignavo indulgere otio. Insuper Deum subinde permittere illos labi in minimos & manifestos defectus; se verò fortassis in secretis magnisque jacere defectibus. F. Ægidius ad altissimæ contemplationis sublimatus verticem, (Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 9.) hanc tenuit viam. Quidam ei obviam factus Sacerdos, eum hypocritam appellaverat. Valde autem contristatus ille verbis Sacerdotis, flevit sine intermissione. Sciscitanti Fratri, cur sic fleret; respondit se à Sacerdote dictum hypocritam. *Et putas tu*, inquit Frater, *idsta esse, quod ille dixerit?* Ægidius respondit: *Adduci non possum, ut credam Sacerdotes dicere mendacium.* Docet deinde Bonaventura, qualiter contemplativi ex omnibus occurrentiis, piæ alicujus considerationis occasionem aucupentur, ad laudem amoremque Creatoris. Nisi autem illis mediis, proprium conati fuerint deponere tumorem, Deus ipse præsumentes de se & de sua virtute gloriantes humiliabit. Illius autem humiliationis modum exprimit Salvator: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* (Matth. 7. vers. 2.) Non quòd justus judex temerè fit judicaturus eos, qui temerè judicant; aut condemnaturus de illis, quæ in eis non verè reperierit; sed quòd in eadem permissurus sit

labi

labi peccata, quæ in aliis condemnaverint: aut saltem permissurus, ut alii similiter temerè de eis suspicentur, atque mendaciter calumnientur. Imò quid majus insinuat Sapiens; judices scilicet temerarios jam iisdem subjacere peccatis: *In via stultus ambulans*, inquit, *cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Omnis enim affectus habet, ut, in quo insanit ipse, cæteros furere putet, juxta Senecæ observationem.

Eccles. 10. vers. 3.

De vita beata, c. 27.

Qui alibi etiam, sic scribit: *Papulas observatis alienas, obsiti plurimis ulceribus. Hoc tale est, quale, si quis pulcherrimorum corporum navos aut verrucas derideat, quem vera scabies depascitur, &c. Quin potiùs mala vestra circumspicitis, quæ vos ab omni parte confodiunt? Alia grassantia extrinsecùs, alia in visceribus ipsis ardentia.* Ubi Ethnicus homo tam christianè loquitur, ac si divinum legisset Salvatoris monitorium: *Quid vides festucam in oculo Fratris tui; trabem autem, quæ est in oculo tuo, non consideras?*

Luc. 6. vers. 41.

Altera causa corrumpens judicorum sinceritatem, sunt praviæ suspiciosorum relationes de proximis, præsertim dum plures in eamdem conspirant maledicentiam. Contra hoc opportunè consuluit Sapiens: *Cave tibi & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas. Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilabis.* Prudenter & fortiter standum contra prava ejusmodi testimonia, exemplo Sancti Latronis cum Christo crucifixi, qui licèt à Sacerdotibus, Legisperitis, Magistratu, universoque populo suaderetur malè de Christo opinari, stetit tamen firmus in sancta de ipso existimatione. Illum probè imitatus est Sanctus noster Institutor Dum aliquando ad concionem se præpararet, accessit pauperculus infirmus petens per eum auditoribus commendari. Compatiens vir pius & collachrymans, id socio suo indicavit. Ille, vel ut Patris mitigaret dolorem, vel ex tepidiori in pauperea compassione: verum est, inquit, si ad laceram pannosamque attendamus vestem, aliaque exteriora, pauper esse dicetur; sed fortasse si interiora scrutari liceret, non inveniretur in tota hac Provincia alius aut voluntate ditior aut mente superbior. Statim duriùs increpavit temerè judicantem, ostenditque quàm graviter offendisset. Frater compunctus, errati veniam petiit; sed non absque pœnitentia impetravit. Injunxit ei Sanctus Pater, ut exutu habitu nudus ad ipsius pauperis pedes culpam confitens, humiliter sibi ab eo peteret ignosci. Quod cùm fecisset promptissimè, amanter eum ulnis excipiens adjunxit: *Non tam in pauperem, Fili mi, quàm in Christum peccasti. Etenim in paupere Christus tamquam in speculo nobis objicitur. Quotiescumque ergo pauperes aut infirmos vides, inopiam & infirmitates, quas pro nobis dignanter assumpsit, piè considera, & humiliter venerare.* Pia omnino consideratio, quæ omnem excludet mali judicii temeritatem, si in viris pauperibus Christum Dominum, & in fœminis benedictam imaginemur Deiparam. Præsentissimum antidotum contra judicii venenum. Aliud etiam remedium subministrat S. Joannes Eleëmosynarius: *Cùm semel & bis* inquiens; *& sæpè incidissem in fraudem istorum qui criminantur; de cætero apud me constitui, non ampliùs aliquid pronuntiare in quempiam: antequam audissem jus utriusque partis. Et iis qui falsa ad me deferebant, sum minatus, quòd si deinceps fuissent deprehensi inanes nugas ad me deferre per calumniam, easdem daturi essent pœnas, quas qui revera est calumniator. Ab illo itaque tempore excisa fuit omnis calumnia sycophantarum.* Si Superior non fuerit ad quem defertur, adeoque auctoritativâ correctione non potuerit calumniatorem comprimere, poterit saltem ostendere ejusmodi sibi relationem displicere: *Per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.*

Annal. Tom 1. an. 1219. num. 28.

Surius ad 23 Janua. num. 20.

Eccles. 7. vers. 4.

TEXTUS & §. XXI.

Sed sint Mites.

SUMMARIUM.

Formam Mititatis præbuit Christus in omnibus, & in seipso. Officia illius Lenitatis sunt. 1. Lædentes non lædere. 2. non irasci, ubi tractatur incidentale Dubium, an appetenda totalis iræ extinctio. 3. Facilem esse in moribus & conversatione. Præmium Mititatis est tranquillitas mentis. Est etiam signum Prædestinationis.

SAlvator noster destinaturus duodecim Apostolos prædicare quia apropinquavit regnum cœlorum, hanc expressit missionis eorum formulam: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Inermes misit, & ab omnibus humanis præsidiis imparatos. Voluit ut ovium instar mites essent & innocui, sinè asperitate ulla aut malitia, sinè nocendi arte atque libidine, ut dicere possent cum Davide: *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, id est adeo infirmi, & injuriis expositi sumus, ut quicumque velit, possit nos occidere. Seraphicus

noster Institutor, cires filios suos, quorum munus esset ire per mundum, ad perficiendum opus Domini, similem edidit dispositionem: *Sint*, inquit *Mites.* Priusquam in publicum egrediantur, ad ovinæ mititatis formam animum moresque componant, Sic apti erunt ire *in medio luporum*, inter turbulenta se committere mondanorum consortia, cùm in se exhibere potuerint veram internæ tranquillitatis imaginem. Cùm intrepidus Christi Cap. 9. Vita. miles Franciscus iter cœpisset, ut Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam, obvias habuit duas oviculas: quibus visis exhilaratus Vir Sanctus, dixit ad Socium: Confide Frater in Domino, nam in nobis Evangelicum illud impletur: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Cùm ferocientes illæ animæ eaternas soleant dedignari monitiones aut noo capere turbatione durante, hæc sola medela profundè in cor agreste penetrat, quæ est ab aspectu unius mitis viri, in quo viva splendeat hujus pulcherrimæ virtutis imago, atque ad ejusdem illicit amorem, divinâque quadam voce contrarii vitii secretò corripit sanatque turpitudinem.

Hujus perfectissimæ virtutis magisterium, sibi-ipsi divinus Præceptor principaliter reservavit, suoque proprio disci voluit exemplo, Matt. 11. vers. 29. dum ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ab ipso discenda est suavissima illa mentis tranquillitas, quæ ex cælestis charitatis abundantia in Deum fluat, & in omnes ejus filios, consumatque integrè adjuvante spiritu quamlibet amaritudinem, cohibeatque protinùs quoslibet primò ebullientes passionis internæ motus, per generosum illustratæ rationis imperium.

Primum istius lenitatis officium est, *Ledentes non ledere* cùm possis. Hæc una de primis fuit lectionibus, quas cælestis magister è præsepis pulpito tradidit, ingrediens in orbem terrarum, dum pepercit immisericordibus à quibus læsus fuerat Bethleëmitis. Eamque lectionem sic fuit in vitæ decursu prosecutus, ut qua si ad eam solam docendam venisse videretur. Ab Herode quæsitus ad necem, dissimulavit injuriam. Inurbanè acceptus à Samaritanis, sustinuit: imò Discipulos fulminis vindictam eis intentantes compescuit mitissimus Luc. 9. vers. 55. Doctor dicens: *Nescitis cujus spiritus estis. Non venit Filius hominis animas perdere, sed salvare.* Dissimulanter pertulit insidias calumniasque Pharisæorum, proditionem Discipuli: satellites se capturos in horto, retrorsum dejectos, surgere permisit, Petrumque à sui compescuit defensione: imò Patri cælesti & legionibus Angelorum manus quodammodo ligavit, ne condigno tortores illos plectentes supplicio, in infernum præcipitarent. Princeps Apostolorum hoc exemplum commissis sibi ovibus efficaciter inculcat, ut in eamdem supernaturalem transformentur dulce- 1. Petri. 2. vers. 20. dinem: *Si benefacientes*, inquit, *patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè*, Id ipsum prædicavit Doctor Gentium: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Rom. 12. vers. 21. Bona contentio, & salutare certamen, ut sis contra malum boons. Nobile est vincere, nobilius vincere in bono, nobilissimum vincere in bono malum. Unde Isidorus apud S. Bernardinum: *Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es: magna fortitudo, si etiam læsus remittis: magna gloria, si cui potuisti nocere, parcis.* Tom. 3. Serm. 7. art. 2. Hoc difficile apparet: est tamen facile amanti. Videmus quandoque mulieres impotentiùs iratas, ad inconsideratas furiosè rumpere contumelias: mariti tamen quia amant, & maturiùs considerant sexûs illius infirmitatem, tranquilli maneot, imperfectionem miti fronte supportant, compatiuntur atque opportunè medentur turbationi. Quin etiam Leoni inesse ferunt à natura, ut in leænæ suæ furoribus morsibusque non irascatur. Si tantum potest naturalis amor, quid charitas non valeat supernaturalis?

Alterum hujus virtutis officiom est, *non irasci.* Potest enim quis manus à reciproca temperare læsione, qui tamen internam nondum compescuit animi commotionem. De Christo dudum prædixerat Isaias: *Non erit tristis, neque turbulentus.* Isaiæ 42. vers. 4. Quod & in conversatione ejus humana tam evidenter apparuit, ut vix in ulla virtute divinitatis suæ meliùs manifestaverit plenitudinem, quàm in ea mentis immobilitate, quæ nullis potuit casibus aut injuriis commoveri. De quo idem Isaias. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Isaiæ 53. vers. 7. Cujus mansuetudinis imaginem, jam olim præformaverat in amico suo Job, de quo admirabundè dicebatur: *Quis est vir ut Job, qui bibit subsannationem quasi aquam?* Job. 34. vers. 7. id est, ita abundanter & avidè subsannationem suscipit, sicut aqua bibitur à sitibundo. Tantùm abest ut irascatur injuriantibus, quin potiùs injuriis delectabiliter & cum complacentia pascatur. Singularis in hoc Chron. p. 4. lib. 9. cap. 22. Christi imitator extitit B. Paschalis, qui cùm sæpiùs à Superioribus, vel æqualibus, aut ab iratis sæcularibus acriùs objurgaretur, numquam tamen visus est turbatus vel in facto, vel in verbo; sed sic semper in miti apparuit æquanimitate, quasi nihil ei contigisset. Magnus etiam ille thaumaturgus noster F. Salvator ab Horta, Ibid. lib. 5. c. 55. tam parum gravissimis tangebatur injuriis, ut non vereretur eodem instanti ad sacram accedere Synaxim, menteque ac conscientiâ liberrima contemplationi se daret, quasi nihil penitùs ei dictum fuisset aut factum: adeò ut aliquando Fratres eum redditum prorsus insensibilem æstimârint.

Quæret aliquis, num laudanda sit, vel appetenda impatibilitas, iræque totalis extinctio? Absit à nobis ut hoc asseramus. Damnare non possumus Christum flagello ejicientem profanas è templo mercaturas, & acriter corripientem Pharisæorum impietates. Enervare non possumus humanam politiam, quæ absque impulsu alicujus iræ non cohiberet pravas voluntates, boni ordinis inimicas, nec scandala juxta dictamen justitiæ castigaret,

sed

ſed magis bonum commune depopularetur damnabilis peccatorum impunitas. Iram permittimus; ſed illius damnamus abuſum. Legitimum uſum docemur exemplo F. Joannis Lucenſis. *Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 49.* In ferendis injuriis, propriiſque incommodis, videbatur agnus manſuetiſſimus; ſed dum periculum immineret Dei honoris imminuendi, aut proximo injuriam inferendi, ut Leo rugiens ſe opponebat quibuſcumque.

Tertium mitis animi officium docuit Chriſtus, dum ſe lenem facilemque in moribus oſtendit, abſque ulla ſive in verbis & modo loquendi, ſive in factis aſperitate. Dum completæ jam eſſet ætatis, pro Agno fuit habitus, & demonſtratus à Præcurſore, Spiritus Sanctus deſcendit corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. Hæc ſymbola erant agninæ in ipſo manſuetudinis, & columbinæ ſimplicitatis. Harum frequens ſpecimen dedit in familiari cum rudibus Apoſtolis converſatione, quorum interrogationes, mores & imperfectiones, mirabili ſupportavit atque inſtruxit manſuetudine. Cum peccatoribus etiam publicis, ita comiter egit & amicè, ſic acceſſum præbuit, domeſque eorum ſuâ præſentiâ & convictu honoravit, ac ſi amici ſui fuiſſent intimi; quidquid ſuper hoc murmurarent æmuli, eumque avertere molirentur. Hoc modo aucupandas docuit animas ad pœnitentiam, vel in Dei retinendas amore & fidelitate. Talis morum ſermonumque lenitas flectere poteſt animos quantumcumque ferocientes. Commiſsâ Fratri Junipero per S. Franciſcum infirmorum curâ apud S. Mariam de Angelis, omnia eis exhibebat charitatis officia; *Annal. Tom. 2. an. 1258. num. 14.* ſed majora erga diutini languoris unum, quem vires & manducandi appetitus deſtituerant. Hunc dum interrogaret aliquando, quid appeteret? aut quo cibi genere appetitum revocaret? Et ille reſponderet; pernam vel porci pedem aceto coctum ſe concupiſcere: bono juſſit animo ut eſſet, ſeque ſtatim quod cupiebat, faſtidienti ſtomacho præparatum promiſit. Arrepto gladiolo abiit in proximum campum, ubi porci veſcebantur; apprehenſo uni pedem præſcidit, quem mox conditum ægroto miniſtravit. Dominus gregis à ſubulco audiens illatum ſibi à Fratribus damnum, ad monaſterium clamitans acceſſit, conquerens injurioſè de Fratribus, latrones & prædones appellans. Admiratus optimus Inſtitutor Franciſcus ad hominis clamoſas querelas, rogavit ut patienter ferret, & mitiùs ageret, dum quid factum eſſet examinaret; ſi quid verò damni illatum, abſque dubio reſarciendum. His nihilo pacatior factus, abiit querulus, omnia vociferatione replens, obviis quibuſque Fratrum inſolentiam ingerens. Inveſtigat, examinat, diſquirit factum Franciſcus; venitum per indicia ad culpæ auctorem Juniperum. Faſſus ille ſtatim quòd fecerit, acriter reprehenditur, omnibus juſtam hominis commotionem, Fratrum exprobrationem, furti ſcandalum objicientibus. Quibus mirâ ſimplicitate ille reſpondit: *Fratres chariſſimi, ego certè valde admiror, cur hic bonus vir adeò conturbetur, dum ego de bonis Domini, quæ ſublevandis egenis eidem conceſſit, accepi ex tanto pecude, pediolum unum, languenti & miſello fraterculo miniſtrandum. Potiùs eſt quod Deo reddat gratias, qui potuit adeò exigua re tantæ ſuccurrere neceſſitati, per quam Frater noſter meliùs habet, & nauſeam ſuperavit. Vos etiam unde indignemini non video; charitatis enim & miſericordiæ opus eſt miniſtrare infirmis, & ſi quibus egent, undecumque afferre.* Dixit ita candidè, & ſincerè, ut commotos facilè ſedârit, veniam ab Inſtitutore impetrârit; miſſus tamen ad hominem, ut ſcandalo mederetur & damno. Abiit ille confeſtim, genuflexus ſe latronem illum dixit, qui porcum cecidit in moribundi Fratris levamen. Plùs excanduit Vir ad malefactoris præſentiam, cui quidquid in buccam venerat, exponebat injuriæ. Suſtulit omnia patienter Juniperus, nec ampliùs dicenti, ſed verbis verbera addituro ſe humiliter proſtravit, indulgentiam imploravit, addens, quidquid haberet, à Deo datum, ut egenis & miſeris redderet; neque ſcandalizari debere ad opus charitatis, cui omnia temporalia oporteret inſervire. Victus homo patientiâ & manſuetudine, durum cor molliente Domino, in proſtrati coram ſe atque ictus excepturi amplexus irruit, rogans obnixè, ut parceret eò uſque Fratribus maledicenti. Deinde dimiſſo in oſculo pacis humili viro, occidit ipſe læſum pecus, & commodè præparatum Fratribus miſit, deprecatus ut manducarent, & Deum obſecrarent, quatenus eiſdem illatas injurias vellet ignoſcere.

Mirabilem hanc mititatis vim S. Chryſoſtomus obſervavit, dicens: *Solemus fermè cuncti homines ſi obluctantes videamus adverſarios ac contendentes in primum locum aſcendere, non ferre nos inferiores eſſe, neque eis cedere: quos ſi cedere viderimus, & verbis idoneis poteſtatem omnem nobis permittere, quaſi reveremur magnam manſuetudinem, & à contentione deſiſtimus, & versâ vice omnem poteſtatem eis concedimus, &c.* *In 13 Gen. Hom. 33.* Idem alibi allato Chriſti conſilio: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, obverte illi & aliam*, ſic proſequitur: *Annon ideo hoc dixit, quia quantò quis longanimior fuerit, tantò magis & ſeipſum & adverſarium ſuum maximâ utilitate afficiet. Propterea præcepit & aliam obvertere, ut irati ac tumidi deſiderium expleas. Quis enim adeò firmis eſt moribus, qui poſtea non pudefiat? Canes hoc facere dicuntur, ut quando in aliquem latrando eruperint, is verò ſupinum ſe in terram projecerit, nihilque contra fecerit, mox omnem iram hoc pacto extinguat. Itaque ſi illi placantur & quaſi pudore ſuffunduntur, coram eo qui quidvis ab ipſis pati paratus eſt, multò magis iſtud humanum genus majori ratione præditum decet.* *In Epeſ. 4. Hom. 16.*

Videmus ex oppoſito, quàm enervis, inſequidus, omnique carens auctoritate, ſit ſermo eorum, in quibus amara reperitur reſiſtentia. Hos contemnunt & oppugnare incipiunt omnes, ne victi ab eis ullâ ratione videantur. Stramineis repagulis ad maris littus poſitis, miteſcunt illuc alluentes fluctus, nec progrediuntur ulteriùs, quaſi victi palearum mollitie, irâque ſuâ deſtituti: aggerea verò, ex immanibus ſaxis & quaſi integris rupibus congeſti, ſuperbo furioſoque undarum impetu disjecti

complanantur, quia in eis mare indignam sibi reperit resistentiam. Similiter vi bellicorum tormentorum lapidei parietes dissipantur cum plurimorum læsione vicinorum; in saccum autem mollì repletum lanâ, si incidat globus, obtunditur impetus objecti lenitate. Talis est superborum animorum contumacia, adversus eos, in quibus mollitiem non reperiunt mansuetudinis, sed asperitatis duritiem.

Convenienter igitur Christus proponens nobis, ut discamus ab ipso mites esse & humiles
Matth. 11. vers. 29. corde, hanc subjunxit remunerationem: *Et invenietis requiem animabus vestris.* Hæc est desiderabilis requies quam omnes quærunt, & in qua à multis liberantur turbulentiis. Hanc justo librans pondere D. Chrysostomus ait:
In 13. Gen. Hom. 34. *Quid beatius, quàm intestino liberari bello? Nam quamvis plurimâ pace à curis fruamur externis; si intrà nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus & seditio, nihil externa pax nobis proderit. Sicut neque miserabilius est aliquid civitate, quæ licèt præsidiis & muris benè sit munita, intùs tamen cives habeat proditores.* Longiùs autem prospiciens noster Andreas Vega, In Conc. Trid. lib. 12. c. 14.
æternæ beatitudinis quietem mitibus ex divina adstruit promissione: *Eo ipso*, inquit, *quo tranquilli ipsi in se & imperturbati, omnium se moribus accommodant, & per charitatem spiritus omnibus inserviunt, & tam verbis quàm operibus, se morigeros omnibus, obsequentes, tractabiles, amabiles & faciles atque suaves præstant, ejus se filios ostendunt, qui imperturbabilis est, & suprà quàm dici potest dulcissimus: ac cives se eâ re felicissimæ illius civitatis futuros probant, unde omnis aberit perturbatio, & summa erit in omnibus, & cum omnibus suavitas & jucunditas. Et hoc signum nobis innuit Christus*, Matth. 5. vers. 4.
dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

TEXTUS & §. XXII.

Pacifici.

SUMMARIUM.

Christus pacis auctor. Franciscus ejusque sequaces sunt Christi cooperatores in pacificationis negotio. Recensentur aliqui, qui in hoc enituerunt. Non temerè se ingerant huic negotio, qui sentiunt se non aptos. Cavendum à seminandis discordiis inter sæculares. Magis autem inter Fratres. Quàm hoc sit perniciosum. Tales fugiendi.

Colos. 1. vers. 20. UNus è præcipuis honorariis Christi titulis est, quòd vocetur Mediator noster, *pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* justè abalienatum Patrem inobedientibus reconcilians hominibus. Insuper duos populos ab invicem dissidentes, Judæorum atque Gentilium, in unum adducens ovile. *Ipse est*, inquit Apostolus,
Ephes. 2. vers. 14. *pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso* Quòd gratiâ pacis hominibus conciliandæ venerit in mundum, ex eo liquet, quòd mox ipso nato audita fuit multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicen-
Luc. 2. vers. 13. & 14. tium: Gloria in altissimis Deo, & *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et S. Mater Ecclesia, tenens commemorationem illius dulcissimæ noctis, quâ cœlestis Pater Filium suum unigenitum primò introduxit in orbem terrarum, isto tamquam principali eum titulo con-
Antiph. ad Vesperas. salutat: *Rex Pacificus magnificatus est, &c.* Sub hoc summo Imperatore Pacifico, Franciscus filios suos in campum eduxit tamquam milites auxiliarios, & cooperatores Christi, qui omni conatu intenderent destruendis dissidiis hominum, quæ maligni ardeliones infernales per mundum non cessant disseminare.

Contigit Virum Dei aliquando Aretium devenire, cùm tota civitas, intestino bello Vita c. 6. num. 10.
quassata, propinquum sui minabatur excidium, Hospitatus verò in suburbio, vidit supra civitatem exultantes dæmones, ac perturbatos cives ad cædem mutuam succendentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aëreas potestates, Fratrem Sylvestrum columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens: *Vade ante portam civitatis, & ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter.* Accelerat verus obediens Patris jussa perficere, & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam civitatis cœpit clamare valenter: *Ex parte omnipotentis Dei, & jussu servi ejus Francisci, procul hinc discedite dæmones universi.* Redit ad pacem continuò civitas: & civilitatis in se jura cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsâ quippe dæmonum furibundâ superbiâ, quæ civitatem illam velut obsidione vallaverat; superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque salvavit. Alio Annal. Tom. 1.
tempore evenit, ut magnæ excitarentur turbæ an. 1214. num. 33.

Assisii,

Aſſiſi, inter Epiſcopum & Urbis Conſules. Ille interdixit his ſacra, hi interdixerunt omnem cum Epiſcopo paciſcendi rationem, juſſeruntque, ut nihil illi ſuiſve venderetur, aut viciſſim ab eis emeretur. Tanto diſſidio Vir Sanctus compatiens dolebat neminem eſſe, qui de pace ſuperinducenda tractaret. Addens itaque *Cantico Solis* (quod in Dei laudem ipſe compoſuerat) verſiculum hunc: *Lauderis mi Domine propter illos qui pro tuo amore offenſas dimittunt, & patienter ſuſtinent tribulationem, & infirmitatem. Beati illi, qui in pace ſuſtinuerunt, quia à te, Altiſſime, coronabuntur*, juſſit ut Socii confidenter pergerent ad proceres civitatis & ſuo nomine rogarent, ut ad Epiſcopum vellent accedere. Quibus conſtitutis in conſpectu Pontificis, abſque rubore velut Dei præcentores alternis illi canerent choris prædictum Canticum, cum adjuncto verſiculo. Juſſa peregerunt ſocii, conveneruntq; in unum ad Sancti Viri preces (quas non audebant repellere) qui inter ſe diſſidebant, auditiſque ſimplicibus & candidis ejus carminibus, quibus Deus occultam impertiit virtutem, mirabiliter in mutuos irruerunt amplexus, utrimque veniam expoſcentes.

B. Eliſabeth Portugalliæ Regina, S. Franciſci Tertiaria, Tantâ claruit induſtriâ ac diligentiâ in pacificandis inimicis, & tollendis diſcordiis, ut peculiari celebretur elogio, in Oratione inſtituti pro ejus feſtivitate officii Eccleſiaſtici: *Clementiſſime Deus, qui B. Elizabeth Reginam, inter ceteras egregias dotes bellici furoris ſedandi Prærogativâ decoraſti*, &c. Id multis probavit pacificationibus factis inter privatos homines, multis, in locis regni Luſitaniæ; ſed & ampliùs oſtendit in conciliandis adverſis Principum animis, qui in magnam perniciem regnorum, ad bella procedebant. Graviter diſſidebat à Rege Dionyſio ejus Frater Alphonſus, periculoſâ de redditibus
Annal. Tom. 3. an. 1311. num. 18 &c. lite, non ſinè ſanguine dirimendâ: ſuis expenſis Regina amicitiam auro pretioſiorem redemit: Cintram aliaque oppida in Luſitania, & amplos in illis redditus marito lubentiſſimè remittens. Pacis verò conciliandæ amor, extra Luſitaniæ limites longè lateque extendebatur, in reliqua præcipuè Hiſpaniarum regna. Fratrem ſuum Jacobum Arragoniæ Regem, & generum Ferdinandum Caſtellæ Regem diſſidentes, ad veræ pietatis amicitiam reduxit. Dionyſium etiam conjugem, ac Ferdinandum Caſtellæ Regem, ad triſte bellum triſtiaque arma nullum habitura triumphum, jam jam venturos, feliciſſimè ſedavit. Princeps Alphonſus filius ipſius natu maximus, regnum vivente Dionyſio patre affectabat. Exercitu improborum hominum collecto, aciem inſtruxerat, cornua direxerat certus occurrere Regi ſimiliter cum exercitu venienti, extremamque belli fortunam vel per enorme parricidium experiri. Utroque jam exercitu apud Conimbricam dimicante, advolat Regina, armatos femina inermis aggreditur, alloquitur, obſecrat, orat exorat, Patrem filio reconciliat, filium Patri audientem facit & ſupplicem. Concordia firmata jurejurando, brevi diſſoluta eſt ob Alphonſi pertinaciam. Exercitibus iterum inter ſe commiſſis, Eliſabeth tanti mali nuntio perculſa ſinè apparatu, ſinè ſatellitio, ſinè ornatu regio, vix domeſticorum exiguâ ſequente turbâ, celerrimè ad pugnæ locum convolavit: ubi ſpicula, glandes, lapides clamorem militum, ſplendorem colliſionemque armorum, intrepidè conſtanterque contemnens, per medias armatorum pugnantium acies, ac refertiſſimos cuneos ſola penetravit; curſat, recurſat, filium tandem reperit, alloquitur, objurat, increpat, perfidiam condemnat, protervian execratur, reprehendit temeritatem: hortatur ad obedientiam, ad reverentiam, ad amorem Patris ad arma deponenda compellit, ad veniam petendam ſuadet, & perſuadet. Ob hæc omnia, jure merito dicta *Regina Pacifica*. B. Joannes Capiſtranus non verbis ſolùm, ſed mira- Chron. p. 3. lib. 4. cap. 7.
culis etiam atq; oſtentis terribilibus coucutiebat diſſidentes. Aquilæ graves pacificaverat controverſias: voluitque oſtendere populo, quo fuiſſent auctore ſuſcitatæ. Viſus eſt teterrimus canis, per medium excurrens populum, qui ſubitò evanuit ſummo terrore relicto Reate. bellum inteſtinum jam quadringentas abſumpſerat perſonas. Dum ſuaſione Viri ſancti tractatur de conditionibus pacis, pugnâ ſuſcitatâ in plateis, ſic feritur unus, ut cerebrum excuteretur. Accurrit illuc Capiſtranus cerebrum ſuo reponit cranio & colligat, ſubitòque ſanatur læſus. Quo miraculo, ſauciati ſanantur animi, & ad pacem colligantur. Sic alii plures Franciſcani ſive fuſis ad Deum precibus, ſive concionibus ad populum declamatis, inveterata ſæpiùs extinxerunt diſſidia.

Aliquos multùm in hoc opere juvit auctoritas, gradusque ſublimitas, conjuncta cum eloquentia & dexteritate perſuadendi atque tractandi cum Magnatibus: quos ſummi Pontifices, Reges & Principes ad ſedanda ſchiſmata, ſeditiones & bella atrociſſima adhibuerunt: quibus etiam glorioſè finem impoſuêre. Cle- Annal. Tom. 2. an. 1271. num. 1.
mente Quarto Pontifice mortuo, cùm eſſet interpontificium, exitialis fuit trium circiter annorum inter Cardinales diſſenſio de novo Pontifice creando. Diremit eam D. Bonaventura, ſuadens ut per viam compromiſſi in ſex Cardinales facti, Pontifex renunciaretur Thealdus Vice-comes Pacentinus, Archidiaconus Leodienſis, abſens in Syria & extra Collegium Cardinalium. F. Petrus de Fuxo
Cardinalis, Legatus Avinionenſis, à Martino Annal. Tom. 5. an. 1429. num. 2.
V. & Eugenio IV. Summis Pontificibus imploratus fuit, ad tollendum diuturnum & perniciosiſſimum ſchiſma, quo eorum temporibus Eccleſia Dei miſerè divexabatur. Quod feliciter confecit Martini V. tempore. Ibid. an. 1440. num. 2.
Unde hujus ſucceſſor Eugenius IV. denuo volens uti ipſius operâ, ſcripſit ad eumdem graviſſimam Epiſtolam, atque inter alia ait: *Sicut olim in extinctione idoli de Paniſcola ſapienter & viriliter laboraſti, ita & nunc te acturum ſperamus, adverſus eos, qui ſimile idolum erigere, & Eccleſiam unitam ſcindere moliuntur.* Proſperè etiam negotiati ſunt Franciſcus Gonzaga, & Bonaventura à Calatagirona, ſucceſſivè Generales, in extinguendo triſti bello inter Hiſpaniam

paniam & Galliam circa Annum 1597. Novissimè ante pancos annos F. Josephus Bergaigne ex Provincia Germaniæ inferioris Archi-Episcopus & Dux Cameracensis, ac Regis Catholici ad fœdera universalis pacis Legatus plenipotentiarius, afflicto nostro Belgio pacem conciliavit, inter eumdem Catholicum Regem & Ordines Belgii confœderatos. Præclara viri istius in Christianam Rempublicam merita, & eximiæ animi dotes, meruerunt æternam apud omnes bonos memoriam, atque gratitudinem. Iconi ipsum repræsentanti, meritò aliquis brevi hoc, sed comprehensivo subscripsit carmine.

Pontificum baculus, Monachorum norma, Scholarum
Consultor, Pacis nuntius ille fuit.

Ad negotium tam arduum ritè pertractandum, magnâ prudentiâ opus est, propter malignitates eorum, qui mediatorum simplicitate aboti possent, ad expiscandum alterius partis secreta, ad jus suum mendaciis colorandum, causamque suam fallaciter statuendam. Non rarò accidit, negotia talia malè ab imprudentibus incepta & deducta, magis exulcerari in confusionem ignorantium arbitrorum; qni tandem utrique parti diffidenti, contemptibiles redduntur & odiosi. Ideo qui propriæ conscii sunt insufficientiæ, modestè hinc abstineant, agantque solùm ferventibus precibus apud Deum pacis, ut det illis os & sapientiam, qui in hoc negotio occupantur.

Aliud tamen superest studium, in quo nos omnes Franciscani exerceri debeamus, ut juxta S. Patris nostri consilium efficiamur *Pacifici*. Nimirum ne discordias suscitemus; sed vigilemus omni ex parte, ne per dictorum factorumve imprudentiam diffidere faciamus, vel sæculares inter se, vel domus propriæ Religiosos. Latent continuò in insidiis maligni Spiritus, ut ex verbis nostris accendant vel plebem contra Pastores aut Magistratum, vel sæculares contra Ecclesiasticos, vel herom contra famulos, vel contra se mutuò filias spirituales. Indignum esset viros Religiosos audire ut incendiarios, à quibus sive ex malitia, sive ex imprudentia damnabili & incuriâ, dissensionis incendium oriatur. Meritò illi tota indignatur vicinia, ex cujus malè custodito igne, proximi domus flammam concipit. Idem est
Prov. 16. vers. 27. de illo judicium, de quo Sapiens ait: *Vir impius fodit malum, & in labiis ejus ignis ardescit. Homo perversus suscitat lites, & verbosus separat*
Ecclef. 9. vers. 25. *principes*. Unde dicitur in Ecclesiastico: *Terribilis est in civitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo, odibilis erit;* Sic ut quilibet ejus sciens imprudentiam, colloquium ipsius fugiat & consortium.

Scintillæ, ex quibus suscitatur, charitatis conflagratio, sunt, impatientem proximum salsis jocis irritare: sub specie fidelis amicitiæ, in aurem amici insusurrare, quæ ab aliis de ipso dicta sunt; ex quibus tacitè ruminatis odium concipitur, quod dato tempore pariatur; item injuriam aut correptionem palam acceptam, apud amicum ut injustam aut intolerabilem exaggerare, vel correpto insultare cum irrisione; hoc enim pacto animus alioqui patiens provocatur in Superiorem, armaturque ad audaciam justas imposterum propulsandi correctiones: denique novitates aliquas & singularitates, præter legitimam auctoritatem, sub cujusdam colore reformationis obtrudere; has enim dum aliqui tueri volunt, alii pertinaciùs abominantur, triste prorumpit dissidium. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Ecclef. 28. vers. 17. *Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem; civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit; virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis.* Quamdiu communitas aliqua per pacem unita perseverat, invicta est & terribilis diabolo, sicut castrorum acies ordinata, sicut murata civitas beneque munita: mox verò ubi per linguam tertiam facta fuerit discordiæ scissura, illac irrumpit adversarius, omniaque replet desolatione. Ideo secundùm D. Gregorii monitum, *summopere necesse est, ut per charitatem semper uniti atque constricti, numquam interrupti per* Hom. 8. in Ezech. *discordiam inveniamur; quia si qualibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per multum discordiæ locus aperitur in acie; unde ad feriendos, hostis valeat intrare.* Nolite ergo locum dare Diabolo. Solicitudo nostra sit omni circumspectione curare, ne pax publica lædatur, vel privata. Si qui videntur turbulenti esse, monitionibus præveniantur, compescantur auctoritate. *Rogamus vos Fratres*, 1. Thessal. 5. vers. 14. inquit Apostolus, *corripite inquietos*, ne & ipsi in propriam abripiantur perniciem, cererosque Dei servos pace spolient, quam in Ordine quæsierunt. Si tales sint, qui nec monitionibus deliniri, nec auctoritate possint contineri, iterum suggerit Apostolus: *Rogo vos Fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula* Rom. 16. vers. 17. *præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Omnis prudens, ad eos cavet accedere, qui furiis agitati strictum rotant gladium, parati quemcumque à dextris & à sinistris intra gladii terminum accedentem lethaliter vulnerare. Sic *noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne* Prov. 22. vers. 24. *fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* Difficilè servabis cum tumultuoso amicitiam, nisi ejus consentiendo passionibus. Si tamen virtus alicujus ad tantam profecisset firmitatem, ut in veritate sentire posset, & dicere: *Cum his, qui oderunt pacem, eram* Psal. 119. vers. 7. *pacificus:* non ei dissuadenda foret cum talibus imperfectis conversatio: quin imò, sperandum ex illa, quòd similem mansuetudinem, passionum cohibitionem, pacis amorem, melioresque passim mores imbiberent. Pacificus ille, tacitum acquiret super eos passionesque eorum imperium, & dulci quâdam inclinatione in sui similes transformabit.

TEX-

TEXTUS & §. XXIII.

Et Modesti.

SUMMARIUM.

S. Franciscus, Judæ Machabæo comparatus. Pulchritudo modestiæ multùm ædificativa, Reddit nos amabiles. Acquiritur & servatur 1. per apprehensionem Divinæ præsentiæ. 2. per verecundiam. 3. per attentionem ad proprium statum & dignitatem. 4. per seriositatem occupationum. Immodestia excutit gratias internas, & maculat bonum nomen. Inepta dissolutorum excusatio.

STrenuus Dux Judas Machabæus, populum contra impium Nicanorem processurum in prælium, exposito fide digno somnio lætificavit. [2. Machab. 15. vers. 12.] Erat autem hujuscemodi visus: *Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, & modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judæorum.* Viris Religiosis per mundum ituris, cum hominibus sæcularibus conversaturis, imminet *colluctatio, non adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum; contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* [Ephes. 6. vers. 12.] Congressus omnino plenus periculo. Seraphicæ nostræ militiæ ductor Franciscus, commilitones suos in hunc campum processuros armavit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis & exhortationibus: *Consulo*, inquiens, *moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent &c.* Præsenti verò Textu, quasi Oniæ visionem eis exhibet. Modesti hominis proponit ideam: *virum bonum & benignum, verecundum visu, & modestum moribus, &c.* ut ad ipsius exemplar vitam suam studeant moresque componere. Facit disciplinata conversationis externæ per Modestiam compositio, ut vir Religiosus appareat dæmonibus terribilis ut castrorum acies ordinata: fidelibus verò intuentibus, pulchritudo reluceat honestatis, quam æmulentur. *Pretiosum est*, inquit S. Ambrosius: [In Psal. 118. Serm. 8.] *videre virum justum, ut videas eum secundùm imaginem Dei. Justi sanat aspectus, & ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere. Plerisque justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia. Quam pulchrum ergo, ut videaris & prosis.* Talem motum decentiam, religiosamque circumspectionem, in regendo gestus omnes, loquelam, incessum, aspectum, omniumque membrorum motum, in filiis suis requisivit Franciscus, quibus in publicum procedentes, cunctos ædificarent aspicientes.

Adimplendo huic S. Patris desiderio, cor appofuerunt morigeri filii. Observantini Fratres, incolæ Fesulani Conventus, rarissimè prodibant ad populum; eâque modestiâ, ut [Annal. Tom. 4. an. 1399. num. 65.] lectissimæ fœminæ, evocatas in conspectum filias, ab his juberent discere gressus compositos, & oculos modestos. Hâc vitæ disciplinâ universum hominum genus ad se trahebant: multos, qui imitabantur, omnes, qui mirabantur. S. Bernardino adhuc puero tantam apud omnes majestatem conciliaverat nota illius modestia, ut ipso ad alios accedente, [Sedul. c. 4. vita.] omnes levitates, & quæcumque præter decorum erant, cessarent. Aliud modestiæ specimen, Franciscum Sfortiam Mediolanensem ducem, totamque ejus aulam, rapuit in admirationem. Erga Comitia Observantum, [Annal. Tom. 6. an. 1457. num. 57.] quæ Mediolani celebrabantur, ea dilectionis exhibuit indicia, ut convivium eis præparaverit in S. Angeli Cœnobio, stratis in horti nemore mensis, factus ipse conviva: comedente etiam Ducissa Blanca cum multis dominabus, in horti angulo honestissimè sequestratis. Subiit desiderium, uti mos est fœminabus, Fratres omnes discumbentes aspicere, obtentâque licentiâ cum aliquot matronis per singulas mensas transeundi, singuli accedenti assurrexerunt; atqui ex toto cœtu non fuit, qui in faciem aspiceret, sed demisso capite, religiosam præferentes modestiam, oculos à curioso temperarunt aspectu. Perfectam exactamque in omnibus oculorum admirata custodiam, dixit marito, se suo fraudatam desiderio, dum inclinata tantùm vidit capita, ex facie nullum potuit cognoscere, neque ab ullo cognosci. S. Didacus tantam præ se ferebat moderationem, vultusque serenitatem, sim- [Chron. p. 3. lib. 5. cap. 5.] plicitati conjunctam, ut nulli dubium esset, inhabitari & dirigi eum à Spiritu Sancto, & quicumque eum aspiceret, mox in viri raperetur amorem. S. Ludovicus Tolosanus miraculum erat honestatis. [Sedul. c. 18. vita.] Mira inerat amœnitas faciei & pulchritudo: in fronte, in oculis, in toto corpore habitare videbatur humanitas: mel in lingua, in pectore candor & simplicitas. Formæ gratia & honestatis omnium oculos in se convertebat, angelum arbitrantium potiùs quàm hominem.

Pnlchra illa membrotum compositio, purum Dei donum est; motum verò suavitas potest industriâ propriâ & exetcitatione comparari.

Primò, Indefesso studio stando semper in fide & apprehensione Dei præsentis, sub cujus oculis nemo verè timens quid audet committere indecorum. Sentiens Christi servus Franciscus, corpore se peregrinum à Domino, sinè intetmissioue spiritum Deo contendebat exhibere præseutem. Domini præsentia, convenientissimnm est servi directorium. Unde apud Psalmistam Omnipotens pollicetur: [Psalm. 31. vers. 8.] *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via, quâ gradieris; firmabo super te oculos meos.* Hujus timoris & solicitudinis effectus in B. Bernardino Feltrensi abnndavit. [Chron. p. 3. lib. 7. cap. 25.] Huic non solum in publico modestiæ cura erat & honestatis, sed & intra cellæ parietes ita se continebat, qoasi in totius mundi sederet conspectu; nimirum quia ibi Dominum suum sentiebat præsentem, quem magis quàm mondum universum teverebatur.

Secundò, Nec solùm Deum, verùm & nos-ipsos debemus teveteri, tametsi extra conspectum simus aliorum. Inevitabile conscientiæ nostræ testimonium nos quaquaversum comitatur. Neque est acerbius aliquod, quàm ipsius improperium. Modum imponet internum illud monitorium mille casibus, motibus, passionibus, verbis & gestibus; teget que ac præcavebit meliùs, quàm circumspectissimus alius censor ac pædagogus. Qnia tamen magis tarreta solet & fræaum iujicere verecundiæ oculus alieuus, memiuetiut omnes, qnòd juxta vulgare proverbium, *Nemus aures, & campus seu planities oculos habere dicuntur.* Aodiuntur & videutur sæpe-numero, quæ putautur latere. Nullibi ergo committat Religiosus, quod posset Ordini suo dedecus aliquod, vel mali inutere suspicionem.

Tertiò Reges, prælatos, nobiles, senes, matronas honoratas, & quascumque dignioris gradûs persònas, sola sui status memoria intra mores continet suæ conditioui condecentes. Eamdem sibi debent Religiosi sumere magnanimitatem. Ipsi sunt hæredes & reges regni cœlorum, supta vulgus elevari, imò supta terrena omnia; & à quibus mores expectantur Angelici. Multa pueris, militibus, famulis, hominibusque mechanicis permittuntur, qnæ in Sacerdotibus & Religiosis gravitatem profitenribus, forent intoleranda. [Lib. 2. de consid. ad Eug. in fine.] *Nugæ*, ait S. Bernardus: *inter sæculares sunt nugæ; in ore Sacerdotis* aut Religiosi *blasphemiæ.*

Quatrò, Nihil æquè ad matutitatem conducit, decoramqne disciplinam, sicut non interrupta sollicitudo animum rebus magnis atqne seriis occupandi. Non facilè videas viros gravibus immersos Reipublicæ cousiliis, vel cum vitæ periculo duellantes, aut magno se studio ad celebrem patantes concionem, ad nugas effundi, cum hominibus otiosis. Sic & viros cælestibus consecratos theoriis, decet nil nisi grave, virile, ac moderatum ostentare. [Psal. 34. vers. 18.] *In populo gravi*, inqnit Propheta, *laudabo te.* [Vita c. 10. §. 1.] Erat oratio, contemplanti jugiter Francisco, solatium, dum supernarum circuitu mansiouum, Angelorum concivis jam factus, ferventi desiderio quærebat dilectum, à quo solus eum carnis paries disiungebat. Huic seriæ occupationi erat sinè intermissione intentus. Mirabilis fuit seriositas & mentis æqualitas in F. Arehangelo è Provincia Austriæ, qui [Arturus ad 24. Novemb.] nnmquam irasci nec ridere visus est, immotus velut ad omuia, ac semper idem: utpote semper seriis occupatus, Deo videlicet ac divinis jugiter intentus. B. Joannes Hortulanus, foris sic stabat coram Deo, quasi nullam [Chron. p. 3. lib. 8. cap. 3.] videret creaturam, & à nulla videretur. Eamdem normam, regulandis motibus, Seraphicus Pater Fratres docuit claustrum egressuros: *In nomine Domini*, inquit, *ite bini & bini per viam, humiliter & honestè, & maximè cum stricto* [Opusc. S. Franc. Tom. 3. collat. 22.] *silentio, à mane usque post tertium, orantes Dominum in cordibus vestris. Verba otiosa, & inutilia non nominentur in vobis: licèt enim ambuletis, tamen conversatio vestra, sit ita humilis & honesta, sicut si in Eremitorio aut in cella essetis. Nam ubicumque sumus & ambulamus, habemus semper cellam nobiscum. Frater enim Corpus est cella nostra, & Anima est Eremita, quæ moratur in cella, ad orandum Dominum, & meditandum de ipso.*

Hinc timere licet eos, qoos immodestos viderimus, leves & incompositos, spiritu carere devotionis, atque adeò verâ destitutos sapientiâ & virtute, aut brevi destituendos; etenim *ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei* [Eccles. 19. vers. 26.] *cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Hæc enim intus animam vulgarem, levem, incompositam & ad nihil magni natam indicant habitare. Quòd si revera quidpiam in eis sit cœlis & Deo dignum, amissionis exponitur periculo. Propter quod illuminatissimus noster F. Ægidius, vaniloquia, & risus inanes [Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 20.] seriò fugiebat, dicens. *Propter momentaneum & futile delectamentum, sæpiùs amittitur divina consolatio vel retardatur.* Illudque afferebat exemplum: *Qui taxillis ludunt, pro uno puncto perdunt aliquoties ingentem auri vel argenti summam. Sic pro levi peccato, si nescierit homo se custodire, perdet irreparabile animæ lucrum.* Ingerebatque illud sacri Præceptoris Francisci salutare docnmentum: *Cave Frater, ne ridendo amittas, quod plangendo lucratus es.* Urna quiescens & immota, pretiosum sibi concreditum servat liquorem; sed immodestiùs agitata, effundit: sic cum interioribus agitur gratiis, quarum indisciplinatus est prodigus dissipator. Neque internarum tantùm gratiarum jacturam facit; sed bonoris quoque personæ propriæ, suiqne Ordinis, quem suis reddit ineptiis contemptibilem.

Pessimo errore aliqui modestiam reputantes hypocrisim, aulicismum, & singularitatem, ut hilares, recreativi, & non scrupulosi habeantur, cum militibus mores præ se ferunt militares, cnm rusticis modos loquendi & agendi rusticanos, omnemque decentiam & honestatem religiosam studio cacutiunt, ne modestâ præditi gravitate videantur. Politica curialitas, aut morosa gravitas Francisco non placet; sed neque rusticitas & effusa dissolutio.

Est

Horat. *Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Religiosa morum disciplina, triplici componenda est temperamento, secundùm D. Bonaventuram, maturitatis, humilitatis, & benignitatis. (Lib. 2. de profectu Relig. c. 11.) *Humilitas*, inquit, *temperat Gravitatem, ne fastuosa & elata videatur: Benignitas facit, ne austera & dedignabunda putetur. E contrà Maturitas temperat Benignitatem, ne levis & carnaliter blandiens vel adulatoriè applaudens videatur. Temperat Humilitatem, ne nimis abjecta & affectata reputetur. Humilitas reddit imitabilem, benignitas amabilem, maturitas venerabilem disciplinam.*

TEXTUS & §. XXIV.

Mansueti.

SUMMARIUM.

Mansuetudinis officia sunt 1. Docibilem esse à quocumque. 2. Patienter aliorum supportare imperfectiones. 3. Corripere cum modestia. Acerbæ correptiones obsunt potiùs, quàm prosint.

DOctor gentium, in hunc modum perfecti delineat Christiani effigiem: (2. Tim. 2 vers. 24.) *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Ubi tres insinuantur pedissequæ, seu officia mansuetudinis.

Primò, Docibilitas. Tunc dignoscitur scientia non inflare, quando non spernitur arroganti tumore, facienda nobis per alios doctrinæ communicatio. (Vita c. 12. §. 1.) Non erubescebat à minoribus parva quærere verus Minor Franciscus, qui magna didicerat à Magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali viâ, qualique modo Deo posset secundùm ipsius beneplacitum perfectiùs deservire. Hæc summa ejus Philosophia, hoc summum ejus desiderium extitit, quoad vixit: ut quæreret à sapientibus & simplicibus, perfectis & imperfectis, parvulis & grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosiùs pervenire valeret. (Chron. p. 1. lib. 1. cap. 82.) Una dierum in itinere seni cuidam occurrit agricolæ. Qui cùm informatus esset ipsum esse Franciscum, in sua ei dixit simplicitate: Frater, cura ut probus sis, juxta communem de te opinionem Multi confidunt in te. Sic age, ut spei de te conceptæ, tua respondeat conversatio. Sanctam & seriam sic suscepit monitionem, ac si Angelus protulisset: & confestim ab asino descendens, cui tunc insidebat, junctis manibus, ei gratias egit, atque pedes illius osculatus est reverenter. (Ibid. c. 89.) Aliàs dum Interamnis coram Episcopo prædicasset, atque ille in Dei retulisset providentiam, quòd per idiotam, contemptumque hominem suam illustraret Ecclesiam statim cum devoto manuum osculo ei (Jerem. 15. vers. 19.) gratias egit dicens: *Quasi os Domini locutus es, quia separasti pretiosum à vili; Deum prædicans auctorem omnis boni, quod per me inutilem exequitur idiotam.* Simili mansuetudine docibilitatis, magnus ille Doctor Alexander Alensis, ad nutus Fratris Laici verbum, resolvit Ordinem ingredi Franciscanum: & B. Martinus à Valentia unius mulierculæ obedivit monitioni, ut superiùs memoravimus. Vos quoque, O Franciscani reliqui, *in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* (Jacob. 1. vers. 21.) Sive ab idiota laico, sive à muliercula proferatur, quod possit salvare animas; suscipiendum est cum mansuetudine. Cavendum, ne vaniloqui simus, & præsumptuosi disputatores, cum quibuslibet congredi tentantes, constitutum habentes nemini cedere, quâcumque ratione meliora docenti. B. Joannes Lucensis, super hoc, studiosis quibusdam vehementer argumentantibus, dixit: *Veritatem, Filii, mitiùs perquirite. Qui veritatem cupit invenire, non timet vinci. Propria via inveniendi veritatem est, se inclinare occurrenti, & paratum esse ex adverso argumentis veris rationibus acquiescere. In veritate pergite, ut ipsam veritatem inveniatis.* (Annal. Tom. 6. an. 1478. num. 32.) Confutabat & confundebat vehementer eos, qui de se valde præsumebant, (Ibid. 49.) & scientiam suam ostentabant, dicens: *Superbia nostra qualis & quanta est, quæ optimas quasque litteras perdit? Qui superbè sapiunt, nihil sciunt. Potior est ignorantia humilis, quàm scientia superbi.* S. Antonius Paduanus ita utriusque Testamenti paginas memoriæ habebat affixas, (Sedul. Vita cap. 6. & 8.) ut instar Esdræ potuerit, si sic res postulasset, omnes Scripturas divinas in integrum de sua memoria, etiam codicibus omnibus prorsus abolitis, restituere. Propter quod à Summo Pontifice Gregorio IX. *Arca Testamenti* fuit non immeritò appellatus. Neque ei deerat facultas, omnia divina scripta luculenter & multiplici ratione exponendi, & interpretandi. Hanc tamen multiplicem tam solerter occultabat scientiam, ut peritior apud Fratres haberetur abluendorum culinæ utensilium, quàm Scripturæ sanctæ mysteria explicandi.

Secundò, Sequitur in Textu Pauli servum Dei debere esse *Patientem.* Hanc Patientiam quatenus Mansuetudinis officium est, sic ibid: exponit Chrysost. ut tolerantiam imponet tarditatis, imperfectionis, & surditatis auditorum: quæ similis est patientiæ piscatorum & agricolarum. Discipulis mittendis in mundum

Matth. 4. ve f. 19. dixerat Dominus: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Nisi in labore perseveret piscator, nihil proficit. Missi etiam erant tamquam cælestes agricolæ disseminare verbum Dei; *agricola vero expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* Jacob 5. vers. 7. Hæc patientia similiter nobis necessaria est, ut sæcularium, & Fratrum supportemus imperfectiones. Euntibus nobis per mundum, occurrent afflicti, qui alicujus spe levaminis, suas nobis exponent querimonias. Sufficit aliquibus, à nobis se esse auditos, & sinceris occurrisse hominibus, qui eis compatiantur, & suis apud Deum succurrant orationibus: vel qui consilio aliisque modis fatigatos sublevent & delictos. Incidemus in alios, qui cùm de sapientioribus non sint, multa effutient inepta. Alii nescient se à solitis suis recreationibus in nostra continere præsentia. Alii lucris suis & domesticis intenti occupationibus, vix ad nos attendent; quasi tædiosa sit eis nostra præsentia. Alii habebunt allos non gratos mores, & nostra contemnent monita. In his occasionibus monet filios suos Franciscus, ut *Mansueti sint. Patientes igitur estote Fratres, & confirmate corda vestra.* Ibid. vers. 8. Istas piè toleremus imperfectiones, patienter agamus cum omnibus: nostræ mansuetudinis exemplo erudiamus eos, qualiter cum mansuetudine ipsi suscipiant insitum verbum nostræ monitionis. Custodum nostrorum Angelorum patientia, in supportandis ignorantiis & negligentiis nostris, docet nos similiter non conturbati aut nauseare ad ignorantium hominum imperfectiones; sed eorum compati miseriis, qui in luto relicti sunt, unde nos misericordiâ Dei extracti sumus. Compassionem à nobis expectant, & charitatem. Hanc si deogamus, morositate ac impatientiâ eos contristando, similes nos æstimabunt effœratis & furiosis ludimagistris, qui pueros nondum scientes legere, alapis impetunt, vellicant auribus, & tenella clamoribus obtundunt ingenia. Rom. 15. vers. 1. *Debemus*, inquit Apostolus, *nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere.* Verecundum erit, si tam impatientes simus, ut ipsi sæculares & infirmi Fratres, nostras potiùs portare debeant & sustinere imbecillitates. Unusquisque nostrûm eò contendat, ut portet potiùs, quàm portetur. Mansuetudinis officium est, neminem umquam aggredi, contristare vel offendere: aut si subito motu contigerit, mox reconciliari. Cùm Annal. Tom. 1. an. 1219 num. 56. Sanctus Pater noster, in Syriam navigaturus, hæreret per unum atque alterum diem in Cypro insula, evênit, ut, secundùm humanam conditionem, F. Barbarus, verbum aliquod durius in unum ex sociis, præsente & audiente nobili quodam, effutiret. Statim verò in se reversus, considerans malum à se ministratum exemplum, mirabili severitate delictum castigavit. Excrementa asini ore apprehendit, dentibusque comminuit, in ipso commotionis loco, coram Fratribus, & sæculari: *Justum est*, inquiens, *ut stercore repleatur os, quod in Fratrem peccavit.* Quo facto, & Fratri ultra condignum satisfecit, & herois animum ita devicit, ut sua & semetipsum in Fratrum obtulerit obsequium.

Tertiò, Aliud Mansuetudinis officium, ibidem assignat Apostolus: *Cum modestia corripere eos, qui resistunt veritati.* Non licet semper ita patientes, seu potiùs stupidos esse, ut permittamus injustitiam prævalere; sed opportunè debemus malevolis & iniquis nos opponere, modo congruo & discreto. Habebimur justitiæ & veritatis proditores, si molliter nimis patientes simus, in illius subversione. *Non enim possumus aliquid adversùs veritatem, sed pro veritate.* 2. Cor. 13. vers. 8. Attamen correptiones nostræ tali sunt condiendæ modestiâ, ut non à turbato & arroganti spiritu, sed à vero justitiæ zelo, alienæque salutis amore prodire videantur. Inutiles & noxiæ potiùs sunt, quibus immista sunt venena perturbationum, improperiorum, minarum, contemptuum, & diffamationum. Unus de pueris Elisæi, jussus coquere pulmentum filiis Prophetarum, egressus in agrum collegit colocynthidas agri, & reversus concidit in ollam pulmenti, nesciens quid esset. 4. Reg. 4. vers. 40. Infuderunt ergo sociis, ut comederent: cùmque gustassent de coctione, clamaverunt dicentes: *Mors in olla, Vir Dei. Et non potuerunt comedere.* Sic planè contingit, cùm in correptionis pulmentum, sæculi hominibus infundendum, colocynthidæ conciduntur amaritudinis; *Mors in olla, Vir Dei.* Non poterunt comedere. Subditorum Religiosorum stomachi, correptionibus magis assueti, vix digerere valent prodeuntem ab incitato animo monitionem; quantò minùs sæculares, assentationum plùs amantes, quàm salubrium instructionum? Increpationes autem, in quibus charitatis deprehenderint & modestiæ temperamentum, cum gratiarum actione, quasi ab ore Dei suscipient. F. Franscisco Thomasio, suaves, graves, sanctique mores tantam contulerant apud Fratres & sæculares venerationem & auctoritatem, nemo ut esset qui non libentissimè quascumque ab eo susciperet correptiones. Chron. parte 3. lib. 6. c. 31. Quod in omnibus ipsi similibus usu venit. Rationemque reddit D. Basilius: *Gladiis utuntur*, inquiens, *& homicida & medici: verùm illi, ubi ensem corripuerunt, absurdissima faciunt, eos, qui sunt ejusdem generis, interficientes. Hi verò, ubi per rationem ad ensis actionem perveniunt, maximam hinc utilitatem inducunt, periclitantes enim conservant. Sic & qui cum ratione indignari novit. Qui verò ira victus captus est, nihil sani operatur.* Constit. 31

TEXTUS & §. *XXV.*

Et Humiles.

SUMMARIUM.

S. Franciscus Josepho comparatus Patriarchæ. Quatuor Humilitatis internæ gradus. Externæ Humilitatis officia. 1. Recumbere in novissimo loco. 2. Humilibus consentire; nec abjectarum personarum dedignari societatem. 3. Honore invicem prævenire. 4. Non extolli in cogitatione animæ suæ velut taurum.

DIxit Joseph fratribus suis, qui pro emendis frumentis venerant in Ægyptum :
Gen. 44. *Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam* Cùmque, urgente fame, mittere vellet denuo Jacob filios suos in Ægyptum, pro tritici emptione, illi responderunt: *Si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin, illo absente, non audemus videre faciem viri.* Similem statuit fratribus suis legem Franciscus, ut quando vadunt per mundum, quando descensuri sunt in Ægyptum, habeant fratram suum minimum in comitatu. Quis verò est iste Frater noster minimus? Iste est parvulus, humilis Domi-
Cant. 8. vers. 1. nus Jesus. *Quis mihi det te fratrem meum*, inquit ei devota anima, *sugentem ubera matris meæ*? Nisi istum Fratrem parvulum ducamus nobiscum, scilicet sequendo vestigia humilitatis ejus, non videbimus faciem Domini. Iste est puer de Bethleem, qui se statuit in medio
Matth. 18. vers. 3. nostrûm, dicens: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Non alia via est, quâ per mundi Ægyptum peregrinantes, Intremus in aulam cælestem, nisi Humilitas. Frater noster minimus illam nobis præmonstravit; & nos, in ipsius manentes comitatu, per eam deducet:
Epist. ad Dioscorum. *Non aliam*, inquit Augustinus: *tibi capessendam & obtinendam veritatis viam invenies, quàm quæ inventa est ab illo, qui gressuum nostrorum, tamquam Deus, videt infirmitatem,* Nos igitur in hujus vitæ peregrinatione secundum Seraphici Patris monitum descendamus, *Humiles* simus, Fratre nostro minimo descendente nobiscum; sic perveniemus ad videndam faciem illam, in quam desiderant An-
Matth. 18. vers. 4. geli prospicere: *Quicumque* enim *humiliaverit se sicut parvulus est, hic est major in regno cælorum.*

Cùm autem duplex sit Humilitas, una falsa seu larva virtutis, quæ exterior tantùm est, & facilis, ipsis etiam superbis hypocritis admodum familiaris: alia vera, ex interiori abundantia mores informans exteriores; ne falsam amplectamur pro vera, eâque contenti simus, juvabit hîc veræ humilitatis descriptionem ob oculos ponere, ex doctrina, quam il-
Annal. Tom. 2. an. 1270. num. 25. luminatissimus F. Sensus tradidit, Humilitatis gradus quatuor describebat, & ex sacra probabat Scriptura. Primum vocabat descensum, secundum, Ascensum, tertium, volatum, quartum Purgati animi. Gradum Descensus, illum esse dicebat, quando homo profundè se humiliat, vilissimumque reputat, considerans Christi humilitatem, & in perfectissimis quibusque operibus servum se inutilem, juxta Christi judicat consilium. Atque ita de se cogitare viros perfectos asserebat. Quibus exemplum ministravit David, quando eum persequebatur Saul dicens: *Quem persequeris? ca-* 1. Reg. 24.
nem mortuum persequeris & pulicem unum. Ca- vers. 15.
nis enim mortuus nullius est utilitatis, & pulex cujus censetur emolumenti? Secundum gradum Ascensus ita explicabat, quòd homo non solùm se humiliat, verùm etiam summam in eo ponit operam, ut ab aliis vilipendatur, & nihilo æstimetur, gaudetque in opprobriis sibi illatis. Non aliter faciebat David, quando Semei in eum projiciebat lapides, & conviciis lacessebat; prohibens Abisai, ne malum retribueret: *Quid* (inquit, 2. Reg. 16.
mihi & nobis est filii Sarviæ? quasi diceret; vers. 10.
dimittite, ut mihi maledicat, nec tanti occasionem meriti mihi præripiatis, Dominus enim benedicet mihi. In hoc statu incipit homo cognosci, & à Deo, hominibusque honorari, ascenditque ipse in suis opprobriis, plura adjiciens iis, quæ alii extrinsecùs objiciunt. Ita sæpiùs Sancto Francisco & B. Ægidio evenit, qui cùm maledicerentur, ipsi plura in se dicebant; ita ut conviciatores admirati dicerent: Quid hoc? si malum eis dicimus, ipsi adjuvant nos: si vilipendimus, viliores se faciunt; si injuriis afficimus, plures desiderant. Verè superiorem, quàm mundus doceat, inierunt hi vivendi rationem. Atque ita apud homines, & apud Deum excelsiores evadunt, & rectè ascendunt in meritis & æstimatione. Tertium gradum volatus explicabat per Davidem, ante arcam Dei saltantem, & veluti è terra volantem; derisum tamen propterea ab uxore Michol; cui dixit David: Tu 2. Reg. 6.
es filia Saul patris tui superbi, propterea vers. 22.
me derides, qui hoc facio, ut vilior fiam. Neque dissimiliter faciebat F. Juniperus, qui per publicas amentias evadebat populares honores. Et de isto gradu dicebat facilè esse ascensum ad quartum; quando æquali & sedato animo quis audit laudes & opprobria: purgatum enim & defæcatum animum

Vita cap. 6. num. 1. nihil penitus perturbat. Dixit sliquando Franciteus socio suo: Non mihi videor Frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce Prælatus existens Frattum, vado ad Capitulum, prædico, & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me: Non coovenis oobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota & simplex. Tandem ejiclor cum opprobrio vilipensus ab omnibus. Dico tibi: nisi eodem vultu, eâdem mentis lætitiâ, & eodem saoctitatis proposito hæc verba audiero, Frater Minor nequaquam sum. Hæc mentis tranquillitas in S. Elisabeth Seraphici Patris regiâ filiâ luculenter apparuit. Sedul. Vita ejus cap. 15. Per amicos defuncti mariti, exacta propriis ædibus in cauponulam, quæ misellæ primùm offerebatur, unà cum prolibus suis & ancillis divertit, mansitque ibi tantisper, dum noctis medio significari campanæ pulsu divinas laudes in cœnobio Fratrum Minorum audiret. Quò cùm venisset, rogavit obnixè Fratres ut hymnum, quem, *Te Deum laudamus* vocant, decantarent: quo se non patienti modò, verùm & sedato lætoque animo præsentem ferre calamitatem declararet. Firmam. 3. Ord. sub 32. Generali. F. Antooius de Rusconibus, Generalis Minister, volens Sancti Bernardini mentem explorare, tribus vicibus tempore Generalis Capituli eum in mensa coram se vocavit, jamque constitutum Vicarium Generalem, tribus vicibus eum immediatè constitutom confusibiliter absolvit. Ad has depositiones, Vir Sanctus nullam ostendit turbationem, nec excusationem attulit, nec recalcitravit, nec faciem mutavit; sed humiliter assentiens, respondit, talem sibi placere dispositionem. Dicere Thren. 3. vers. 3. poterat cum Jeremia: *Tantùm in me vertit, & convertit manum suam totâ die.* Ut silicem posuit faciem suam, quasi signum ad sagittam.

Ioteriori homine sic constituto, declaremus ulteriùs externæ conversatioois leges, quas primarius Humilitatis Magister præscripsit.

Luc. 14. vers. 10. Primò, *Recumbe in novissimo loco.* Dictum quidem est verbum hoc, occasione impudentis & ambitiosæ præsomptionis Rabbiorum, qui primos præripiebant accubitus in mensis; sed tameo in regulam servit communis civilitatis, ut moneantur omoes primatum cedere aliis, qui licèt judicio nostro inferiores sint, alieno tamen præcedere debent. Quod Prov. 25. vers. 6. etiam aote docuerat Sapiens: *Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius est enim, ut dicatur tibi: Ascende huc; quàm ut humilieris coram Principe.* Cùm igitur nos Minores, omnium reputemur novissimi, turpissimom esset nos ioter externos aliquam attentare præeminentiam. Mirabatur olim Salomon *positum stultum in* Eccles. 10. vers. 6. *dignitate sublimi, & divites sedere deorsum.* Nos stulti propter Christum. Petrus Pectinarius, Franciscanus Tertii Ordinis, interro- Chron. p. 2. lib. 5. cap. 21. gatus quomodo quis posset fieri humilis? respondit: *Contemne teipsum, & omnia, quæ ad te spectant. Neminem asperneris, sed quemlibet meliorem te crede. Gravia reputes tua peccata propria: Tua verò opera, quæ videntur bona, judices pro exiguis. Si quem offenderis, crede noxam esse alteri intolerandam. Si cui benefeceris, nihil esse existima, nec dignum te esse, ut quis pro te obligetur.* Hujusmodi præditus æstimatione, nulli te præferes; omnes tibi.

Secundò, Aliam subindicans legem Sapiens, dicit: *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris.* Et: *Quæ pars divitis ad pauperem?* Eccles. 13. vers. 2. vers. 22. Humilium & abjectarum personarum conversationem dedignari, non permittit humilitas, nec exemplum Christi, qui cum publicanis & peccatoribus manducavit, pauperis fabri se subjecit obedientiæ, longumque sermonem plebeiæ muliereulæ communicavit Samaritanæ. Non nisi nobilium circuite domos, familiaritati se insinuare magnatum, eis solis servire, placere, adulari, quasi inferioris notæ homines nostro non essent digni alloquio, indignos nos cœlo faceret, & cælestium consortio. Rogatus aliquando Seraphicus Pater à Domino Leone Vita ejus c. 6. n. 10. Cardinale Sanctæ Crucis, ut secum aliquantulum moraretur in urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam & amorem. Primâ verò nocte eùm post orationem vellet quiescere, supervenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes. Quem eum diu verberassent ac durè, ad ultimum quasi semineeem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus advenit. Cui cùm Vir Dei rei narrasset eventum, subjungens ait: *Credo frater, quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quantùm providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan me implicari mundanis, efferri honoribus, & deliciis abundare. Ideo meliùs judico, eum, qui ponitur in exemplum, fugere curias, & humiliter inter humiles, in locis conversari humilibus: ut sustinentes penuriam, fortes efficiam, similia sustinendo.* Veniunt ergo manè, & humili excusatione propositâ, valefaciunt Cardinali. Hunc sancti Patris spiritum induit postmodum filius ipsius F. Franciscus de Villar. Martyrol. Franc. 8. maji. Hic cùm esset Ducis Segobricensis primogenitus, & aleretur in Regia Caroli V. Imperatoris atque Hispaniarum Regis, simul cum ejus filio Philippo II. Principe, fugit ex aula, & incognitus io pauperis cujusdam rustici famulatum transiit. Cui cùm vili obsequio per quinque annos continuos, non absque maxima penuria inservisset, acceptâ ab ipso veniâ Franciscanum Hispalensem Conventum petiit; ubi sub pauperrimi rustici specie, proprio semper nomine atque prosapiâ occultis, Minoriticum habitum induit. Cumque in S. Zoili Anthiceræ conventu moraretur, fortèque à panis mendicatione rediret, antiquum morum Magistrum, qui ex Imperatoris mandato eum ubique perquirebat, in Conventûs vestibulo offendit, à quo & agnitus fuit. Cùmque ille juxta Regis præceptum ipsum Regiæ restituere contenderet, rogavit humillimus Vir, ne id inconsulto fieret Provinciali Ministro, qui quadraginta tantùm milliaribus inde distabat. Dumque cursor, qui missus fuerat, revertitur, ipse F. Franciscus specia-

ſpecialiſſimâ Dei providentiâ in acutiſſimam incidit ſebrim, ex qua tandem intra ſexqui diei ſpatium occubuit.

Tertiò, commune Humilitatis officium ex Rom. 12. vers. 10. mente Apoſtoli eſt, ut ſimus *honore invicem prævenientes.* Si teſalotamus & honorem retribuimus honorantibus nos, nonne & bene morati mundaoi hoc faciunt? Ipſi etiam ſuperbi, ne arrogantes videantur, ex curialitate aſſurgunt honorantibus ſe, vicemque reddunt. Si idem dumtaxat nos præſtemus, non aliqua inde vera colligetur humilitas. Hujus humilia Ordinis Religioſum decet, omnes juxta merita cujuſque & conditionem, aliquo prævenire honore: eoque non ficto aut merè ceremoniali, ſed ſincero, qui producatur à juſta noſtræ inferioritatis æſtimatione. Optimè iſto modo præparantur animi, ad inſinuanda eis ſalutis monita, dum fuerit opportunum. Obſervat D. In 1. Tim. 2. Hom. 6. Chryſoſt. quod *expedit hoc illi ante omnia, qui utile aliquid addiſcere vult, ut gratè Magiſtro afficiatur. Niſi enim hoc præſtetur, nihil commodè, nihil utiliter fiet.* Nihil autem ſic obligat homines, quàm honor, ex ſincera redditus humilitate: nec æquè avertit aliquid, quàm ſi contemni ſe videant ab iis, quos reputent inferiores. Honore igitur omnes præveniamus, juxta Philipp. 2 vers. 3. monitum Apoſtoli: *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum.* Vera humilitas hæc eſt; quæ poſſeſſores ſuos exaltans, dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

Quartò, Demum ad veræ humilis converſa- Eccleſ. 6. vers. 2. tionis conſummationem, jubet Sapiens: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Superbum hominem, nonne taurum dixeris rigido collo & affectatâ majeſtate terribilem, de poteſtate nocendi, omneſque ſubjugandi, velut de cornibus præſumentem, occurrenti cuicumque minaciter admugientem, tortis ex contemptu aſpicientem oculis, in ferocitate ſua rigidum ad nemini cedendum, & audacter ubique ſe ingerentem? Unde verò tanta hominis protervia? *Extollit ſe in cogitatione animæ ſuæ,* quaſi quid magnum ſit, doctum, perfectum vel auctoritativum præ cæteris. Et quid tandem? Poteſtas ejus *eliditur* à Deo, qui diſpergit ſuperbos mente cordis ſui. *Folia* ceremonioſæ ſanctitatis, quibus vireſcere putabat & apparere, defluunt atque nigreſcunt: *fructus* meritorum apud Deum, & concionum apud populum, quos producere cœperat, perduntur ob ſcandalum ab ipſius natum arrogantia. Tandemque eum omnes velut taurum fugiunt furioſum: & relinquitur velut *lignum aridum*; non uſui alicui aptum, ſed igni. Eligamus igitur humiliari in paupertate, magis, quàm pompaticum conciliare nomen Ordini, per doctrinæ faſtum vel eloquentiæ. Neque ab ea nos reſolutione dimoveat ſpes temporalis commodi, per celebres obventuri conciones, aut per contractam cum ſæculi potentibus familiaritatem; attendentes quòd *melius eſt humiliari cum mitibus, quàm dividere ſpolia cum* Prov. 16. vers. 19. *ſuperbis.* Et quòd etiam temporalia ſpectando, *qui humilis eſt animo & dulcis eloquio, majora* vers. 21. *percipiet.*

TEXTUS & §. *XXVI.*

Honeſtè loquentes.

SUMMARIUM.

Magna ori adhibenda cuſtodia, ut convenienter aperiatur. Quàm utile loqui inter ſæculares de rebus piis. Unde piorum colloquiorum diſſuetudo. Lædunt religioſam loquendi honeſtatem. 1. Verba futilia, & irriſiones. 2. Scurrilitates. 3. Mentiendi temeritas, & vanitas promittendi. 4. Curioſa rerum ad nos non pertinentium indagatio.

GRande momentum, quod in uſu linguæ, atque in locutionis poſitum eſt directione, pium expreſſit Eccleſiaſtico ſuſpirium: Eccleſ. 22. vers. 33. *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam in ipſis, & lingua mea perdat me?* Multi ſpirituales præſentaneum perpendentes lapſus linguæ periculum, & impoſſibile judicantes, cum hominibus agere, ac divinis perfrui colloquiis, elongarunt ſe à mundo fugientes, atque in ſolitudine recluſi, perpetuum ſibi indixerunt ſilentium. Franciſcanis id non permittitur. Vocatio eorum eſt, non ſibi ſolis vivere, ſed & aliis proficere; & propter hoc in publicum prodire debent, ut exemplis poſſint & verbis proximos ædificare. Debet eis *tempus eſſe tacendi, & tempus loquendi. Tempus* Eccleſ. 3. vers. 7. *ſpargendi lapides, & tempus colligendi.* Quæ in orationis ſilentio, & ſolitudine colligimus ſtudiorum, ſpargenda ſunt, & communicanda locis & temporibus opportunis, *Argentum ele-* Prov. 10. *ctum lingua juſti.* Et: *Labia juſti erudiunt plurimos.* vers. 20. Niſi eſſent qui ſalutaria loquerentur, in tenebris, erroribus atque mœroribus, mundus vers. 21.

jaceret

jaceret oniversus. Nobis incumbit ista charitatis exercitatio. Ne verò contiogat nos in lingua eaderc, apponit ei sanctus Institutor signaculum certum; monens, ot quando ibimus per mundum, simus *honestè loquentes omnibus*, &c.

Inter sæculares vix alius vertitur sermo, nisi de mercaturis suis, de bellis, de regimine publico, de negotiis domesticis, de damnis eorum atqne miseriis, è quibus non colligunt nisi spiritus afflictiones. Si quid adducatur promovens amorem Dei vel proximi instructionem, à timoratis animabus cnm maxima excipietur aviditate. Audient fortè aliqui eum tædio, quia pro tunc non sapit eis; inter omnes tamen aliquis erit, qui in corde bono & optimo audiens verbum, retineat, & fructum afferat in patientia. Non expedit quidem importunnm esse, oec margaritas mittere ante porcos, nec spiritualia ebriis, vel ad suas effusis recreationes, vel, dum turbata est aut occupata familia, profundere: monet enim

Eccles. 32. vers. 6. Sapiens: *Ubi non est auditus, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua.* Sed dum permitiit quies, suâque auditnres atteotione quasi invitant ad loquendum, & maximè dum verbum aliquod magni facere incipiunt, tunc liberaliter de bono cordis thesauro est aliquid boni depromendum.

Prov. 25. vers. 11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Lecti argentei, sunt humiles avidique bonarum instructionum auditores. Mala aurea, doctrinæ sunt, opportunè traditæ, ac bono susceptæ aoimo. Noo rarò devotus nnius idiotæ Fratris discursus, juxta domesticorum propositus capacitatem, afficit magis, quàm elaborata eximii prædicatoris concio; quam audiunt multi, non ut sibi, sed ut aliis convenientem. Pium sanctissimi nostri Didaci eloquium sic rapiebat audientes, ut numquam eo satiarentur. Observatum est, quòd dum Romam pro solemnitate jubilæi, & canonizationis S. Bernardini proficiscebatur, ubicumque hospitaretur in itinere, ægrè ab iis dimittebatur, qui devotis ipsins hand poterant satiari colloquiis. Non legerat io libris, quæ diceret, instar concionatorum; sed fiebat in illo, quod

Prov. 16. vers. 23. dictum est à Salomone: *Cor sapientis erudiet os ejus: & labiis ejus addet gratiam.* Quibus autem cor devotione vacunm est, non mirum, si non eructat verbum bonum. Nil potest sterilis cogitatio parturire.

Jac. 3. vers. 12. *Non potest salsa*, inquit D. Jacobus, *dulcem facere aquam.* Et expressiùs Salvator in Evangelio: *Nun-*

Matth. 7. vers. 16. *quid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?* Cor ipsorum, aqua salsa est & amara; proinde non potest dulcem facere sermonem. Spinetum est, adeoque nil mirum, si inde uvæ non prodeant aut ficus, quæ sitientes recreent animas. Aliam innuit rationem D. Am-

Offic. l. 1. c. 10. brosius, dicens; *Quomodo sinè exercitio doctrina, vel sinè usu profectus?* Quod ostendit à disciplina bellandi, luctandi, jaculandi, naves regendi, canendi & loquendi in infantibus. Unde concludit: *Omnis enim res propriis & domesticis exercitiis augetur.* Hinc inferimus: qui in monasterio sanctis non assuescunt colloquiis, sed terrena dumtaxat ioter se miscent, fieri non potest, ut spiritualia foris instituant colloqnia, quorum usum domesticis oon comparaverint exercitiis. Deficientibus verò spiritualibus, sermonum subrogaotur corruptelæ, quas devotus Thomas

à Kempis enumerat: *Verbum otiosum, jocosum, elatum, durum, indignabundum, dissolutum, adulatorium, seductorium, vani-gloriosum, præsumptuosum, defensorium, detractorium, mendosum, inhonestum, nocivum, exprobratorium, illusorium, superfluum, improvisum, intempestivum, illicitum, aut alio quolibet genere vitiosum.* Opusc. de Silentio l. 1. c. 19. Hæc turpiter conversationem maculant Religiosi, vilemque reddunt & onerosam.

Primò, Caveodus abusus detinendi sæculares futilibus narrationibus. Putant aliqui novis & inaudòis fabellis aodientium levare fastidia; non attendentes pronuntiatum Sapientis: *Narratio fatui quasi sarcina in via.* Eccles. 21. vers. 19. Oneri fiunt cordatis hominibus, dum conantur eos ridiculis ejusmodi sermonibus sublevare. Quàm etiam displiceant Deo & Angelis, hujusmodi verborum inutilinm levitates, sub uno accipiamus exemplo. Confabulantibus ad ignem quibusdam ex Fratribus, de rebus sæculi, vidit F. Joannes de Monte S. Mariæ, diabolum exultantem super tectum: quibus admonitis, Annal. Tom. 2. an. 1259. num. 23. dum de rebus divinis factus est sermo, fugit malus, & accessit Angelus bonus. Magna fuit ad instructionem oostram virtus F. Antonii Segoviensis, è cujus ore non modò Chron. p. 2. l. 4. c. 18. §. 1. nullum est auditum verbum otiosnm; verùm & si ab aliis in ejus efferretur præsentia, industriosâ quadam applicatione, ad spiritualem seosum, vel morum convertebar instructionem, subtili gratiosâqoe dexteritate verbum utile faciens de otioso. *Locus Sapphiri lapides ejus*, inquit S. Job, *& gleba illius aurum.* Job 28. vers. 6. Nil vilius lapidibus communibus, glebisque terræ; sed lapidum in Sapphiros conversio, & glebarum in aurum, omnium alchymistarum superat industriam. Hoc itaque nostrum sit studium, ut terrenos transformemus discursus in cælestis aurum sapientiæ. Sic eliciamus mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Multùm ab ista sancta iodustria absunt, qui ingenio suo in adversum omnino abutuntur effectum, qui è quibuslibet datis, occasionem arripinot irridendi, & jocandi, cnm loqnentinm confusione. Quæcumqne pia in risum convertunt, & seria in jocos. Insipida est ista recreatio, atque irrisis amata. Nullo telo citiùs læditur charitas, quàm per subsannationes. *Mittens lapidem in volatilia dejiciet illa; sic qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam.* Eccles. 22. vers. 25. In tantùm, ut qnandoque decernat amicus, eum à suo deinceps penitus separare consortio; juxta datam à Sapiente cautelam: *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.* Prov. 22. vers. 10.

Secundò, Majori adhnc circumspectione à scorrilibus cavendum sermonibus, quæ vel turpitudinem aliqnam in mente denotant loquentis, vel effingere possunt in animis audien-

Ephes. 5. vers. 3. & 4.

audientium. *Omnis immunditia.... aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet..... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Hoc verbum Apostolus communibus inculcabat Christianis. Quid ipse viris diceret Religiosis? Sanctus item Chrysost. vulgari prædicans populo, ait:

In Ephes. 5. Hom. 17.

Exterminate, obsecro, ex animis vestris ingratam istam gratiam, stultiloquiorum & scurrilitatum, quæ ad rem non pertinent. *Parasitorum est res ista, mimorum, saltatorum, fornicantium mulierum. Procul à mente libera, ab ingenuo, procul etiam à servis. Si quisquam est ignobilis, si quisquam turpis & obscænus, iste sit & urbanè facetus. Multis ista etiam virtus videtur; & hoc ipsum luctu dignum est.*

Surius ad 27. Januarii, num. 14.

Quod hic sanctissimus Doctor aliis dissuasit verbo, hoc ipso facto fuit in se religiosiùs exercitus. Fertur enim numquam jurasse, nulli detraxisse, numquam mentitus fuisse, nulli malè precatus, numquam faceta locutus aut scurrilia, neque alium sustinuisse loquentem.

Tertiò, Alium humanæ conversationis nævum, arguit Sapiens:

Eccles. 20. vers. 26. & 28.

Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Mores hominum mendacium, sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. Indecens planè quorumdam est consuetudo, ut dum res narrant ab adstantibus numquam visas vel auditas, nescio quæ futilia affingant, ad ornatum historiæ. Hinc proditur latens intentio fallendi, vel temeritas affirmandi, quæ ignorant. Cùm verò Sacerdotes, præsertim Religiosi, electi sint ad referendum verbum Dei & gesta Sanctorum, & ab iis tamquam certissimis testibus, sinceram expectet populus veritatem, placeat unicum eorum consilium Ecclesiastici: *In his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera, verbum verax præcedat te.*

Ecclesi. 37. vers. 19. & 20.

Si, quod absit, apud auditores mendax habeatur, quænam deinceps ipsius erit dictorum fides? *Ex ore fatui reprobabitur parabola.*

Ecclesi. 20. vers. 22.

Et: *Quomodo claudus pulchras frustrà habet tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola;*

Prov. 26. vers. 7.

quæ licèt magnâ ornetur facundiâ, multisque fulciatur testimoniis; claudicat tamen, quia ab ore suspectæ fidei hominis egreditur. Huic abusui fermè vicini sunt, qui gloriosè multa sæcularibus promittunt, quæ nec præstare possunt, nec à superioribus implere permittuntur, unde Ordinis confusio, & querelæ consequuntur promissariorum.

Curiosâ etiam indagatione status, vel œconomiæ familiarum, aliorumque ad nos minimè pertinentium, & quàmplurimis aliis indiscretionibus, læditur in humana conversatione loquendi honestas, religiosaque auctoritas, quæ omnes per se quasi naturæ lumine dignoscuntur. Non errabimus facilè, si ad trutinam candoris, sinceritatis, charitatis, & humilitatis verba fuerint librata, brevitate semper servatâ & seriositate. Tunc erit *Odor oris tui sicut malorum, Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiis & dentibus illius ad ruminandum.*

Cant. 7. vers. 9.

Verba spirabunt odorem affectos recreantem, guttur vinum depromet divini amoris, cor hominis lætificaturum. Et quidquid probatum fuerit, dignum erit sui oratione & recogitatione ruminari, ut præstans virtutis alimentum.

TEXTUS & §. *XXVII.*

Omnibus sicut decet.

SUMMARIUM.

Quænā conferant ad discretionem loquendi. Mira quoad hoc gratia pollebat F. Massæus Sancti Francisci socius. Qualiter agendum cum Magnatibus, Pauperibus, Amicis, Inimicis, Peccatoribus, Devotis personis, Rusticis, Mulieribus honestis vel leviusculis, Infirmis, Fratribus. Regula generalis pro conversatione inter quoscumque homines.

Colos. 4. vers. 5. & 6.

D. Paulus impensè commendabat suis fidelibus Colossensibus: *In Sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes*, ne illud in nugis, contentionibus, vel inutilibus teratur congressibus. *Sermo vester semper sit in gratia, sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.* Multum salis prudentiæ requiritur, ut congruis cuique statui & conditioni sermonibus, possimus mentes condire fidelium. Multos aphorismos, regulas, atque remedia, Hypocrates & Galenus regendis, conservandis, curandisque præscripsere corporibus: non pauciora fovendia desiderantur ingeniis, quæ diversissimis & occultissimis laborant affectibus. Mirum, si in aliquo inveniatur, ut *omnibus* loqui possit, *sicut decet*. Præter alias causas, propter eam specialiter Sanctissimus Pater noster mirificè diligebat Fratrem Massæum, quòd omni præditus esset humanitate, & miram ostenderet erga quoscumque externos advenientes urbanitatem. Si quis erat, qui Seraphicum Fundatorem altioribus intentum, vel contemplatione rerum cælestium ab-

Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 31.

* Dernoye Medulla S. Evangelis.

sorptum, aliisque occupatum alloqui vellent, singulari suâ gratiâ in dicendo, urbanâ conversatione, sic detinebat, & suo suspendebat eloquio, ut nec moras Francisci adventantis sentirent, nec si aliquando sui copiam non faceret, conquererentur, plenam à Masseo adepti satisfactionem & consolationem. Hoc religioso more, Sanctum Patrem à multis sæcularium liberabat molestiis. Quâ de causâ, perquam libenter Franciscus eum sibi assumebat socium, cùm ad aliquod solitudinis eremitorium spiritui vacaturus pergebat. Ad hanc omnibus satisfaciendi gratiam, conducit plurimùm, cum prudentiâ naturalis eloquendi facilitas. Plùs ad eam facit spiritus humilitatis, junctus simplicitati; quæ facit excusabile, quidquid alioqui extra limites dictum videretur. Insuper opus est generali proposito, quemlibet juxta debitum honorandi. Multas quoque præcavet indiscretiones, non præcipitare responsa, sed eorum, deliberatione sufficienti, librare sequelam. Denique juvaret nosse ingenia, inclinationes, officia, status, aliasque singularium personarum circumstantias. Cùm verò horum notitia convenienter à Religiosis omnibus comparari non possit, saltem observandæ erunt cautelæ, pro certis quibusdam hominum conditionibus decenter conveniendis.

Primò, Magnates nolunt cum arrogantia tractari: cùm enim honorati sint, & pro talibus haberi velint, contemptum (quem spirat arrogantia) minimè patiuntur. Neque adulatoriè cum ipsis agendum est: siquidem cùm viri isti in technis mundanis detriti sint, confestim istam subodorantur, & aspernantur vilitatem. Cùm generosi sint, viris delectantur generosis, qui intrepidè, sicut decet servos summi Regis, negotium ejus agunt, defensionemque justitiæ. Ab his facilè correptiones & monitiones, tamquam ea officio datas, suscipiunt: dummodo fiant absque status sui & personarum contemptu. Si quæ verò personæ noscuntur adulationibus delectari (quod vanis ut plurimùm contingit dominabus) illicitè eis administratur istud salutis nocumentum. Enimvero, sicut non potest impurum effutiri verbum ad placendum carnalibus; sic neque nova superbiæ materia dari potest iis, qui sciuntur hujusmodi pasci stultitiis. Cavendum Religiosis viris, ne ad illorum descendant colluviem, qui sunt describente Sancto Juda:
vers. 16. *mirantes personas, quæstûs causâ.* De quibus ulterius Paulus Apostolus pronuntiat: *Hujuscemodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri,*
Rom. 16 vers. 18. cui pascendo, venantur adulationum retibus: *& per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.*

Secundò, Pauperibus loquamur ut æqualibus; juxta præscriptum à Sapiente modum:
Eccles. 4. vers. 7. *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Tametsi quandoque importuni sint, suarumque impatientes miseriarum, aut in Religiosos murmurent, tamquam in suarum raptores eleëmosynarum, aut quid aliud simile exprimat eis molestia paupertatis: ne des afflicto novam durioribus verbis afflictionem; sed *responde pauperi pacifica in mansuetudine.* Ibid. vers. 8. Tempore Sancti Francisci, leprosus erat, infirmitatis adeo impatiens, ut infestiores sibi Fratres Minores, multis afficeret injuriis; pugnis aliquando peteret, & calcibus, & contra ipsum Creatorem plurimas effunderet blasphemias. Annal. Tom. 1. an. 1212. num. 51. Rem retulerunt fratres Sancto Patri Ipse tantæ compatiens miseriæ, languido se obtulit in obsequium. Quo impatienter dicente: Quid tu mihi plùs ceteris tuis sociis poteris præstare? Deus mei oblitus est à tot mensibus, quibus crucior hâc diuturnâ & intolerabili infirmitate. Job. 7. vers. 16. *Desperavi, nequaquam ultrà jam vivam.* Neque tu, neque alius quisquam, tanto meo malo præbere poterit lenimen. Cognovit Sanctus Vir hominem malo spiritu agitatum, qui per infirmitatem corporis infirmiorem reddidit mentem, ut de Dei misericordia desperaret, & tamquam in crudelem & immisericordem impias effutiret blasphemias. Retraxit ergo se paulisper in abditum locum, intensèque pro misero oratione factâ, rediens ad eumdem, rogavit ut patienter ferret Deum, sua delicta castigantem, & ne meriti causam verteret in peccatum. Quem dulcibus & placidis verbis emollescentem, interrogavit sanctus Pater, quod potius sibi præstare vellet obsequium. Respondit, nil sibi gratius fore totius corporis lotione; ita enim, inquit, computrui, & fœteo inter hæc putrida stramenta, ut in sterquilinio mihi videar jacere, neque meipsum valeam ob horridum sufferre fœtorem. Cui statim Vir Sanctus fecit calefieri cum herbis aromatariis aquam, quam desuper infundente uno ex sociis, ipse sacris suis manibus, à capite lavans deorsum, ita ulcera lavit exteriùs, ut Deus animam abstergeret interiùs, & corpus, quòcumque perveniebat manus, vegetum redderet & sanum. Integræ mox restitutus sanitati coram omnibus clamavit plenam deprecans peccatorum remissionem, suam confitens in Deum ingratitudinem, qui benignè corripientem, citra multitudinem iniquitatis parcinè plectentem, quotidiano murmure, & blasphemâ offenderit querimoniâ. Pœnituit eum verè per multos dies transacti reatûs, quem multo fletu, & variâ in corpus suum animadversione, plenè meruit dimitti. Post menses aliquot decedens ex hac vita, Sancto Francisco oranti appatuit, gratiasque egit, quòd illius meritis & beneficio, post leve purgatorium, gloriosus transierit ad patriam.

Tertiò, Modum agendi cum amicis, quo pro affectu Ordinem prosequuntur & colunt, præscribit Petrus Blesensis: *ut sit in sermone nostro jucunditas, hilaritas in vultu, in moribus suavitas, & in ipso aspectu quadam favorabilis & grata jucunditas. Sit de rebus honestis crebra collatio, communio arcanorum, & in alterutris voluntatibus mutua obsequela.* Lib. de amicit. cap. 9. Cavendum à temeraria confidentia, quâ præsumunt aliqui, crescente familiaritate, improperiis pungere amicum, atque conviciis. *Qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam.* Si in aperta lapsus fuerit

fuerit delicta, juxta S. Ambrosii doctrinam : *occultè corripiatis, & objurgetis : non jactantia studio, sed affectu charitatis, neque monitio aspera sit, neque objurgatio contumeliosa.* Expera debet esse amicitia, tam insolentiæ, quàm adulationis. Sinceritatem quoque à nobis expetunt amici: nam *homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.* Quod cùm deprehendunt amici, aut quoquo modo suspicantur, desperant apud simulatum hominem consilium in necessitatibus suis reperire aut subsidium, ideoque cautè pedem ab ejus retrahunt familiaritate, videntes se apud eum fidem non invenire & sinceritatem. Si amici ex confidentia de defectibus commoneant; periculisque incurrendi confusionem, lux amicitiæ, simulque humilitatis vetat præfractè contradicere, impatientiam indignabundis ostendere redargutionibus, quasi intolerabile foret à laico Ecclesiasticum admoneri, à sæculari religiosum. Gratiæ potiùs agendæ, pro exhibito in commonitione beneficio, vultus hilaritate testanda mutuæ contionatio amicitiæ, & pollicenda emendatio. Hoc pacto nova adjicitur ad similes occurrentias confidentia. Hâc etiam mansuetudine docebimus eos, quali patientiâ vicissim debeant à nobis salutares excipere correptiones.

Eccles. 22. vers. 25. Lib. 3. de Offic. cap. 16.

Prov. 29. vers. 5.

Quartò, Cum adversariis aut minùs faventibus, ingenti opus est linguæ temperantiâ. Ante congressum cum eis, fortis præcedat passionum & doloris interni compressio, compositus ad tranquillitatem animus, levis injuriarum æstimatio; humilitas cuicumque parata cedere, nemini præferri; denique spes emolliendi istos, sive in personam vestram, sive in Ordinem exacerbatos. *Fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat injuriam, callidus est.* Si alienis sciantur incitati susurriis, Religiosus humiliter rogabit audiri ad dandam satisfactionem, & declarandam innocentiæ veritatem. Si amaricati, nec sui compotes erumpant in querimonias, dolores, reprehensiones verasque objectiones; dabit locum iræ: *Ira furor brevis est, currenti cede furori.* Non ferveat ad obstrependum dicenti; quia tunc nullus est ad veritatem auditus. Digestâ passione, erit tempus loquendi. Vel si causa tantæ turbationis levis fuerit, solo evanescet silentio. In ceteris necessariis negotiis, sedatè & modestè cum eis tractetur; idque tam cautè & indifferenter, nemo ut conjicere possit alieno vos esse animo, vel eorum alienum animum advertisse. Mirabilis fuit candor & confidentia S. Hugonis Linconiensis erga Richardum Angliæ Regem, infensissimum sibi, ad exilium usque & mortem. Accessit ad eum sub Missæ sacrificio, dicens in simplicitate: *Rex da mihi osculum.* Ille torvè respiciens, ait: *Tu non mereris.* Episcopus trahens eum per pallium, replicat: *Imò verò ego mereor, quia de longe venio. Da mihi osculum.* Victus Rex candore hominis, subridens, oblitusque furiarum, dedit osculum, cunctis, qui videbant, obstupescentibus, ac deinde mitigato animo, non modò negotia auscultavit, sed & correptionis, virique laudavit integritatem. Sic ali- quando furor apparet invincibilis; sed *responsio mollis frangit iram.*

Prov. 12. vers. 16.

Surius ad 27. Novemb. n. 19

Prov. 15. vers. 1.

Quintò, Cù peccatoribus acturi manifestis, primum quidem nosmetipsos agnoscamus similiter peccatores, & seriò propter propria ingemiscamus peccata. Arrogantiam & asperitatem nimiam hæc temperabit cogitatio. Dum illi perceperint se non contemni, sed animæ suæ quæri salutem, faciliorem præbebunt auditum. Dura increpatio in principio, quæ furorem indicat corripientis, contemptibilis redditur, & obfirmat potiùs in malo. Quod natura posuit in lingua canum, ut lambendo sanent ulcera, hoc sancta ponit charitas in linguis nostris, dum deprecamur peccatores, ut convertantur à via sua prava ad Deum vivum & verum. Magis verò prodest forma cum eis congrediendi, quam Christus Dominus præmonstravit, quando in terris visus & cum publicanis & peccatoribus conversatus est. Familiariter eis pericula ipsorum ostendebat spiritualia, modò per parabolas, modò per præcedentium exempla judiciorum, modò per certam futurorum expectationem, modò per inexpectatam beneficentiam, verbis adjunctam monitoriis. Prophetaverat de ipso David: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Quod verum esse patuit, inquit Titelmannus, dum efficaciter peccatores suo Patri reconciliando, gratiam eis conciliavit sanctificantem; quod fecit præcellenti loquendi suavitate.

Psalm. 44. vers. 3.

Sextò, Devotæ personæ inveniant in nobis, quod exoptant, fomentum scilicet suæ per pia colloquia devotionis. Vix reperiunt in mundo, quibuscum confidenter de Deo, rebusque animæ suæ pertractent; quia hæc fermè vertuntur in derisum. Nostrûm est discursus incipere, quos prosequi delectet. Placet eis audire, quæ timorem Dei amoremque promoveant, ejus magnalia, & miracula bonitatis; heroicos Sanctorum fervores, & qualiter testatus sit Deus eos sibi placere. Placet eis, & ipsi quoque Christo Domino, simplex de rebus hujusmodi sermocinatio. B. Petrus Pectinarius, duobus Novitiis F. Guidoni de Bolsena & F. Minnio Altimanni suaserat, ut de Deo invicem colloquerentur, fidejubens Christum in medio eorum affuturum, juxta illud Evangelicum: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Quare summo mane pergentes ambo in hortulum secretum Novitiorum, certò credentes Christum affuturum; præparaverunt, quo potuerunt modo, in medio sui scamnum, quo Christus sederet, mundo superposito linteamine, & in circuitu dispersis herbis odoriferis. Dicebant enim non decere, ut cum ipsis humi sederet. Deinde cœperunt piè & fervidè de Christo loqui; qui mox adfuit in forma pulcherrimi pueruli, & in scamno sedit, infundens eis, quid ore dicerent, & corde sentirent. Tam potenter eos consolatus est, ut circa divina mysteria degustanda absorberentur interiùs, nec quidquam sentirent, quod ageretur exteriùs. Præteriit itaque tempus, horam tertiam, & quæ subsequuntur divini officii partes, in choro decantandi; elapsum item tempus prandendi, neque movebantur, brevissimum putan-

Annal. Tom. 2. an. 1290. num. 15.

Matth. 18. vers. 20.

putantes, quo tantis fruebantur delitiis. Omnia è secreto angulo observabat Petrus Pectinarius, qui Magistrum tyronum videns accedentem ne reprehenderet, & puniret, quod functionibus defuissent statutis, accurrit moniturus de omnibus quæ acciderunt, rogavitque, ut iram deponeret, & veluti charos Christi discipulos amanter tractaret. Ita fecit Instructor, & peculiari curâ educavit, quos ultra omnes vidit proficere. Credamus nobis idem invisibiliter eventurum, si tam foris quàm domi similibus Christum alliciamus colloquiis.

Septimò, Cum rusticis & agrestibus personis agendum communiter auctoritativè. Crerentes, quibus præpositus erat Titus in Episcopū indolis erant agrestioris, propter quod eum Paulus monet: *Hac loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* Hoc est, sic age, ut nemo ex remisso timidoque agendi modo occasionem sumat te tuaque verba contemnendi. Genus istud hominum vix intelligit æterna, atque ideo nec timet: & quia vilis sunt conditionis, non adeò ad illicita verecundantur. Hoc solùm habent aptæ dispositionis, quòd aliquam conceperint de nostra super alios homines virtute & scientia opinionem. Juxta hanc loqui expedit & agere ad eorum salutem: eo fermè modo, quo S. Joannes Baptista, grossiores homines, ad se in deserto venientes, cum auctoritate percellebat & gravitate, ut ad fidem compunctionemqua humiliarentur.

Tit. 2. vers. 15.

Octavò, Cum mulieribus Religiosis, vel Matronis honestis præcipua servis Dei est servanda circumspectio. Propter reverentiam sacratissimæ Virginis & Christi Domini, qui sexum illum suâ dignatus est maternitate, feminæ contemnendæ non sunt, dum Christum quærunt. Quòd si à nobis tamquam confidentioribus Dei famulis, in suis expetant necessitatibus, ignorantiis, & angustiis auxilium, erit eis misericorditer impendendum. Eâ tamen circumspectione, quâ spinam è pede cania extraheres: cui si quid inferas doloris, non intelligens subventionis beneficium, irascetur subitò, eumque lædet, qui ipsius incumbit curationi. Offenduntur citò mulieres, si miserias ipsarum, quas magni faciunt, dedignamur auscultare: si irrideantur ut nugatoriæ: si non detur eis ad interrogata responsio: si quis ostendat se malè de ipsis suspicari, vel dura in eas effutiat & contemptibilia. Graviùs offender prudentes & timoratas, quæ ab alio quàm à Deo timent amari, si ea affectuosis & mollioribus verbis, aliquem ipsarum ambire gratiam potuerint suspicari. Ideo discursus nostri cum illis tales sint, ex quibus facilè conjiciant, nos mulieribus næniis supereminere, nec ampliùs de terra, sed de cœlis esse; neq; nisi seria proponere vel admittere. Quòd si jocis arrideant, & ridiculis pasci desiderent narrationibus, indignæ nostro æstimantur colloquio, & rebus seriis succinctè expeditis, opportunâ fugâ castigandæ sunt, quantumvis nobiles vel religiosæ videantur. Cùm ignorent, qualiter cum viris sit conversandum religiosis, nostra erunt praxi erudiendæ.

Nonò, infirmi, cùm non corpore solùm, sed communiter etiam animi tristitiâ aliisque passionibus affliguntur, variis egent cordia medicamentis. Dum enarrant corporis dolores, solerter etiam conjici poterit ex eorum lamentis, quid affligat etiam animam, & quibus possint leniri solariis. Impatientia suavibus verbis curatur, & compassionis ostensione. Territi ob mortis timorem, non semper spe valetudinis; sed rationibus ad resignationem confortantibus dirigendi sunt. Dum periculum est vitæ, nec de negotiis animæ cogitant, aut de conscientiæ securitate, nec audire volunt: quod non audent amici, nos audere debemus, & seriò Sacramentorum declarare necessitatem, pudoremque discretè excutere, quem à timore sibi fingunt & pusillanimitate. Si enim corporis medicus pharmaca sua ingerit etiam repugnanti; cur non idipsum curator præstet animarum circa necessaria salutis? qui tranquillioris sunt spiritus, sunt in propria humiliatione, Deique dilectione adjuvandi. Communiter omnes gaudent de serena charitate, de compassione non fictâ, de verbulo aliquo, quod recreare possit, da sollicitudine levandæ valetudinis corporalis. Supra modum verò offenduntur, si in miseriis suis irrideantur, contemnantur ipsorum querimoniæ, si ut pusillanimes objurgentur, nimiùmque impatientes, si advertant aliquem prædam magis testamenti vel legati alicujus, quàm salutem eorum aucupari.

Decimò, Cum Fratribus, tenendus est reverentialis loquendi modus; nec oblivioni tradendus ob domesticam cohabitationem. Mutuus servetur respectus, & congressus fiant religiosè ceremoniosi. Melior forma præscribi non potest, quàm ea, quâ usi sumus ad primum monasterii ingressum. Religiosos omnes velut Angelos suspiciebamus, cum omni coram ais comparentes & loquentes reverentiâ. Quòd ab hac modestiæ forma defleximus, non ex eo factum est, quòd illi nunc sint viliores; sed quia nos à primæva ista excidimus simplicitate. Optamus Ordinem nostrum honoratum & in pretio esse, nos ipsi illum in propriis honoremus Fratribus, ut habeant modum sæculares, quem valeant imitari. Si hoc præstiterimus, fiet id, quod dicebat S. Bernardus, suadens Archi-Episcopum aliquem honorari: *Quò magis honorabitis eum, eò plus honorabitur Deus per illum, & in illo.* Epist. 184 Ad Eugen.

Modus agendi Superiorum cum subditis, & vice versâ, tradetur inferiùs ad Caput 10.

Cùm igitur præcipuus externæ nostræ conversationis scopus sit, omnibus Dei timorem amoremque ingerere, idque modiis ac mediis convenientissimis; jugiter sit nobis præ oculis regula, quam D. Paulus, dux & exemplar omnium hoc officium exercentium, præscripsit: *Habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus*, in ista administratione & promotione pœnitentiæ, timoris, amorisque Dei; *sed abdicamus occulta dedecoris*, & quæcumque possent personas, ministerium, Ordinemque Religiosum dehonestare. *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatione* 2. Cor. 4. vers. 1.

tione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo, sic loquentes hominibus omnibus sicut decet, quasi vidente ipso Deo & audiente. Ita satisfacimus eis, ut in conscientia sua, & non fictè vel dubitanter, judicent nos commendabiles & fideles servos Dei, dignosque, quibus credatur, & quos tutò sequi possint præcedentes. Hæc fuit omnium insignum Ordinis Franciscani operariorum sollicitudo; quorum eloquia, non pro suggestu solùm, sed in privatis quoque congressibus, casta fuerunt & examinata, sicut *gemmula carbunculi in ornamento auri, & sicut in fabricatione auri signum est smaragdi*, incrustando, suisque locis appositè lapides collocando pretiosos: ita illi in animabus suam desiderantibus salutem, pro ipsarum capacitate, gemmas infixerunt instructionum, hortationum, exemplorumque totius honestatis, cuilibet inserendo, quod esset opportunum. Inter innumerabiles, industrius in hoc visus est B. Paschalis, qui verba pro datis occasionibus, cujuscumque intellectui & necessitati attemperabat. Si ageret eum deditis immodico lusui, exponebat eis damna, quæ incurrerent, non modò fortunarum, verùm & animarum. Adolescentes ad temperantiam hortabatur, ad frequentiam Sacramentorum, ad dissolutiorum fugam societatum, usque se divinæ commendarent protectioni. Senibus patientiam instillabat, & ad bona monebat exempla danda junioribus. Neophytis fratribus persuadebat austeritatem, pœnitentiam, sobrietatem, curamque munia omnia suæ vocationis exequendi; tantâque gratiâ, singulis sua differebat, ut verbum in intima descenderet cordium penetralia, faciliterque fructificaret.

Eccles. 32. vers. 7. & 8.

Chron. Parte 4. lib. 9 c. 37.

TEXTUS & §. *XXVIII.*

Et non debeant equitare, nisi manifestâ necessitate vel infirmitate cogantur.

SUMMARIUM.

Rex David figura Christi, quoad humilem egressum ex Hierusalem. Servus Christi Franciscus fuit eam humilitatem fideliter consectatus. Abusus Fratris Heliæ in equitando. Recensentur aliquot Franciscanorum præclara humilitatis exempla in pedestri incessu. Remuneratio eorum apud Deum. Causæ equitationem excusantes.

Absalom conciliato sibi populi favore, adversùs David Patrem suum conjuravit in
2. Reg. 15. vers. 16. & 30. Hebron. *Egressus est ergo Rex, & universa domus ejus pedibus suis.* Transgressus autem torrentem Cedron, *ascendebat clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Hæc in figura contigerunt, ad præsignandum, quid posterioribus fieret temporibus, benedicto filio David, Domino JEsu Christo. Siquidem ipse, conjurante contra se Judaico populo, & appropinquante tempore, quo decreverat pro nostra totiusque mundi salute in mortem tradere animam suam,
Joan. 18. vers. 1. *Egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron*, humillimo incessu, nudisque
Marc. 14. pedibus, *& exierunt in montem olivarum.* Legimus autem in præmemorata Regum Historia, quòd fidelis quidam servus David, Ethai Gethæus, dixit Regi, sic egredienti:
Loc. cit. vers. 21. *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Similis fuit Francisci erga Redemptorem nostrum fidelitas, ut cum voluerit quocumque, sive in morte, sive in vita, imitatione comitari. Neque ipse solùm æmulati desideravit humilem Christi egredientis pedibus suis incessum, sed idem quoque universæ filiorum suorum præscripsit Familiæ: *Non debeant*, inquiens, *equitare*, &c. Ista est constitutio pro domo Regis, pro collegio Minorum perfectè Christum imitantium; ut sic pariter egrediatur *Rex & universa domus ejus, pedibus suis.* Sic etiam à pompis recedimus mundanorum, qui se in curribus splendidè instructis, & in equis ostentant phaleratis:
Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini, & ipsius imitatione pedestres incedimus & nudipedes. Psal. 19.

Monstruosum est Fratrem Minorem incedere more nobilis elevatum. Hinc totius Ordinis abominatio fuit F. Helias, qui ex collectâ undique pro structura Basilicæ pecuniâ, in suos usus abundanter profundens, lautè vivere, famulos & equum bene habitum alere, in cubiculo vitam splendidam agere cœpit, id sibi ex necessitate licere, & ad regiminis auctoritatem conducere prætendens. Lepidè
verò, sed sincerè abusus illos redarguebat Bernardus à Quinta-Valle, primus à Francisco Minorita; cùm enim obviaret Heliæ equitanti, aut equo insilienti, insufflabat vel exsibilabat, dicens: *Bene curas equum tuum Frater Helia, pinguis & nitidus est.* Atque hæc

Annal. Tom. 1. an. 1230. num. 9.

repetens, ulnas palmâ terebat, & ad agasonis modum pauperculo palliolo tergebat. Inter deplorandas mundi miserias, lugebat Sapiens.
Eccl. 10. vers. 7. *Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.* Helias iste, servus vanitatis & vilissimum mundi mancipium, in equis conspiciebatur, Franciscus verò, Bernardus, aliique paupertatis sectatores, qui Principes sunt, & Reges regni cælorum, quasi viles servi ambulantes super terram. Non convenit bene ista commoditas & superbia cum ea, quam Domino vovimus, Paupertate; quoniam pro conducendis curribus, equisque alendis, opus est ad pecunias recurrere, & in vanum expendi eleëmosynas datas pro veris necessitatibus, & pro superfluis usibus inquietari benefactores. Sed etsi amici has ultro offerrent commoditates, non tamen ideo magis licitum eas citra necessitatem acceptare, quàm comedere in diebus jejuniorum cibum vetitum ultro subministratum, vel condescendere invitanti excessivâ potatione ad ebrietatem.

Alio planè sensu fuerunt genuini Francisci filii, qui pedestri incessu sanctæ conluluerunt paupertati, & labore itinerum occasionem captarunt exercendæ & fatigandæ sensualitatis.
Chron. p. 2. lib. 1. cap. 3. B. Joannes Parmensis licèt frequenter rogatus, induci numquam potuit, ut in longinquis per totum Ordinem visitationibus, & extraordinariis, quas pro Pontificibus obivit, legationibus aliquo uteretur jumento.
Annal. Tom. 2. an. 1288. num. 28 S. Ludovicus adhuc sæcularis, equi lapsu, cui insidebat, in præsens vitæ discrimen adductus, sed miraculosè liberatus, ruminans illud Regii Prophetæ;
Psal. 32. vers. 17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* Et:
Psal. 146. vers. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.* Toto corde ad Deum conversus, spernere incepit mundi pompam, statuitque ex illa hora, nullo post tempore equitare in equo; quod ipsum, quoad vixit, diligenter observavit. Nam etiam Episcopus, semper memor humilis Pontificis, & pauperis Regis Domini nostri Jesu Christi, asello olim vecti in urbem Hierusalem, numquam in equo, sed vulgari mulo equitare voluit. Præclara res & amabilis modestia & humilitas: in paupere grata, in potente meritò gloriosa prædicatur.
Chron. p. 4. lib. 2. cap. 5. F. Joannes Zumaraga Mexicanus Archi-Episcopus, licèt ob status dignitatem, laborumque Episcopalium difficultatem, posset currûs admittere subsidium, præsertim senectute, adversâque gravatus valetudine; numquam tamen induci potuit, allegatâ ratione: *Quia ego ipse jumentum sum, & alii servi Dei pedites sua obierunt munia. Illos me decet æmulari.* Optimè intelligebat se Apostolicam elegisse vitam in Ordinis ingressu, nec ab ea recedendum esse propter officium Episcopale: quinimo arctiùs ideo eidem insistendum. Quod quantùm afferret ædificationis, nobilis cujusdam Mexicani probavit admiratio, qui videns virum hunc modestissimum euntem ad Conventum Fratrum, ut confiteretur, petiit à suis, quis esset iste tam humiliter incedens Fraterculus? Cùmque intelligeret Episcopum esse Mexicanum, exclamavit: *O beata civitas, quæ tam sanctum habere meruit Antistitem, tam altè humanos vanosque fastus superexcedentem!*

Neque solùm apud homines ea modestia habet admirationem, sed condignam etiam apud Altissimum remunerationem. Vidit pius *Chron. p. 2. lib. 4. cap. 8 §. 2.* aliquis Frater in extasi, agmen insignium personatum, & equum cum eis magnificè instructum. Ipsi interroganti, quid hæc sibi vellent, responsum fuit: missos esse à Rege cælorum, ad unum ex suis quærendum aulicis, qui, eo quod pro ipsius amore, pedes semper incessisset, jam volebat ut equitem nobilem in suam deduci aulam. Paulò post vidit Fratrem unum Minorem magnificè deduci in cœlum, comperitque defunctum eâdem horâ fuisse, simplicem quemdam Fratrem in Conventu Parisiensi. Ne putetis, Fratres, in oblivione esse apud Deum fatigationes, frigora, pedum lacerationes, aliaque, quæ subire necesse est, ex obedientia, & exercendæ gratiâ charitatis. Non est inanis labor vester in Domino. Si labores isti quandoque molesti videntur, recogitate eum, qui majorem sustinuit molestiam in ascensu montis Calvariæ, dum præter ascendendi laborem, exhaustis jam viribus, insuper immani crucis pondere gravaretur. Dicere solebat B. Petrus de Alcantara, *Marian. de Reform. lib. 4. cap. 4.* consuetudinem solam afferre mollimentum meticulosis ad peditandum, neque præstantes aliquos reddi corporis viribus, sed uno Dei amore: & ita difficilia videri multis, quod talia inexpertis putentur, aut charitate frigentibus.

Excusabilem tamen facit equitationem causa salutis proximi, quæ moram aliquando non patitur. Certè Philippus unus ex septem primis Diaconis, audivit à Spiritu: *Accede & adjunge te ad currum istum*, *Actor. 8. vers. 29.* quo Æthiops Eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum vehebatur. Rogante autem Eunucho, ascendit Philippus, & sedit cum eo, & evangelizavit illi Jesum. Joannes quoque Evangelista, equo conscenso legitur latronem prosecutus fuisse, *Ribad. Rosvveid.* & assecutus, convertisse. Simili charitate apostolicus Vir Franciscus, quoniam propter *Vita c. 14. num. 4.* excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, faciebat corpus emortuum per civitates & castra circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam homines animaret. Excusabiles etiam facit Fratres, ægritudinis aut senectutis imbecillitas, quæ superat vel exæquat molestias itinerandi. Atque ideo sanctus Institutor addidit limitationem: *Nisi manifestâ necessitate vel infirmitate cogantur.*

TEX-

TEXTUS & §. *XXIX.*

In quamcumque domum intraverint, primùm dicant: Pax huic domui.

SUMMARIUM.

Franciscus filios suos emittit adinstar columbæ Noë, portantis ramum olivæ pacis in ore suo. Domus, cui pacem debeamus apprecari, est sextuplex. 1. Ecclesia universalis & particularis sive templum. 2. Regio, præsertim hæresibus lacerata. 3. Civitas qualibet. 4. Domus vulgares. 5. Monasterium & Cella Religiosi. 6. Domus infirmorum.

Gen. 8. vers. 11. EMissa ex arca columba, *venit* ad Noë *ad vesperam, portans ramum olivæ, virentibus foliis, in ore suo*; unde intellexit Patriarcha, quòd jam cessassent aquæ diluvii super faciem terræ. Inundante novissimis his diebus peccatorum diluvio, abundante iniquitate & refrigescente charitate multorum, arcam Pœnitentiæ fabricavit Seraphicus Patriarcha Franciscus, Ordinem scilicet Fratrum Minorum, ad salvandum in eo animas à diluvio peccatorum, & à morte infetorom. Præsenti Regulæ præscripto, columbam emitit, apportaroram ramum olivæ, seu signum pacis in ore suo. Filii mei, inquiens, emittendi ea cœnobii claustro, & ituri per mundum, *in quacumque domum intraverint, primùm dicant: Pax huic domui.* Salvator noster in hujus mundi domum ingrediens, hac voce primâ hospites suos per os salutavit Angelicum: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Idem post Resurrectionem Discipulis apparens, ipsius timentes indignationem, oblatione pacis erexit, dicens: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* (Luc. 24. vers. 36.) Voluit etiam, ut Apostoli hospites suos omnesque sibi occurrentes, pacis recrearent apprecatione. Hanc eamdem salutationem, Dominus Francisco revelavit, ut diceret: *Dominus det tibi pacem.* Eumdem olivæ ramum à Christo acceptum, in ore dilectorum suorum posuit discipulorum: *Pacem*, inquiens, *annuntiate omnibus dicentes: Dominus det tibi pacem. Sed sicut pacem annuntiatis ore, sic in cordibus vestris pacem & vos ampliùs habeatis. Nullus per vos provocetur ad iram vel scandalum, sed omnes per mansuetudinem vestram, ad pacem, benignitatem & concordiam provocentur. Nam ad hoc vocati sumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos, & erroneos revocemus. Multi enim videntur vobis esse membra Diaboli, qui adhuc discipuli Christi erunt.* (Opusc. Tom. 3. collat. 22.) Instruxerat nos superiùs, qualiter, quibusque mediis concordiam procuraremus, & duras hominum evinceremus voluntates; hîc monet nos non solùm de apertis bellis componendis sollicitos esse, sed de secretis quoque, & illis ipsis, quorum nondum conscii sumus, quæ interim miseros torquent homines, & consumunt. Porrò sextuplex est domus, cui debemus pacem ex Francisci voto apprecari.

Primò, Ecclesia universalis, quæ multis undique bellis & contradictioonibus fatigatur, à quibus orat Dominum per pacem liberari, dicens: *Deus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem: ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublatâ formidine, tempora sint tuâ protectione tranquilla.* Eccles. Pax item necessaria est particulari Ecclesiæ, quæ domus Domini est, sive locus orationis & sacrificii æstimatur. In hanc pessimi irrepunt internæ pacis turbarores, qui mille curarum distractionibus, isti loco non coovenientibus, orantes convellunt & sacrificantes. Illuc intrantes, pacem exoptemus, tum nobis-ipsis, tum fidelibus aliis Deo vacare contendentibus, ut in tranquillitate omnium dirigatur oratio, sicut incensum in conspectu Domini, & ascendat sicut virgula fumi, recta in cœlum, nullis dissipata distractionibus. Et sicut altare, firmiter, solidè, & immobiliter stat; sic & omnium quietè consistant corda, à quibus velut animatis altaribus spiritalia ascendant sacrificia.

Secundò, Integra regio, quasi domus quædam est. Huic periculum imminet à seditiosis consiliariis, & diabolicorum machinationibus ministrorum. Tunc verò maximum in eis invenitur dissidium, dum oppositæ coluntur Religiones. Quandoquidem unus Christus per fidem cognitus, unoque adoratus ritu, sit pax nostra; turbulentum reperiri dissidium necesse est, ubi discessio permittitur, schisma, hæresis & atheismus. Ibi fervet zelus pugnandi pro erroribus, novitatibus, & libertinatu; aliis interim contra nitentibus pro religione, pietate, legibus & antiquitate. Hinc bella civilia, rebelliones, diffidentiæ, & contumeliæ mutuæ. Itaque ad regni vel regionis ingressum, eam precemur pacem, *ut renatis fonte baptismatis, una sit fides mentium & pietas actionum.* Eccles.

Tertiò, Civitas quælibet domus est, obnoxia communiter litibus apertis, secretis odiis, clancula-

clanculariis seditinnibus & rebellionibus. Pro horum eradicatione, supplicandus Deus, & tutelares Sancti, quorum reliquiæ in dissidente eivitare requiescuut. Si cura patrum-familias, se solet ad hæredes & nepotes eatendere; quis dubitet Sanctos in tutelam suos accipere concives, quos Dnmino collegerunt in hæreduatem? Studium ipsorum & charitas est, eam, quam in cœlis gustant pacem, terris quoque communicare, qooad permittit hujus exilii status, gaudentque se à nobis in tam optato sollicitari & interponi negotio. Incessanter orabunt ad Dominum: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Propter Fratres meos & proximos meos*, clamantes ad me de terra, *loquor pacem de te*, & à te, O Deus! deprecor. Laborante novemdecim annis urbe Patavinâ sub intolerabili tyrannide Ezzelini de Romanis, sævissimi viri, Nerone & si quo alio inmanu monstro crudelioris, B. Lucas Relludinus, S. Antonii de Padua olim socius, & Bartholomæus Coradinus monasterii Præfectus, seu Guardianus, sacras agentes excubias apud Divi sepulchrum, profusisque lachrymis orantes, ut patriam suam (uterque erat ea primoribus urbis) libertati & pristino redderet nitori, ex intimo sepulchro responsum aceeperunt, id concedendum eo ipso anno, sub sui natalitii die octavo. Neque inane fuit Oraculum, quippe eo anno, qui Christi fuit 1256. mensis Junii die 19. Octavianus Ubaldinus Cardinalis, Sedis Apostolicæ legatus, adhibitâ manu Ecclesiæ confœderatorū, superatis Ezzelini sequscibus, urbem obtinuit.

Psal. 121. vers. 7.

Annal. Tom. 2. an. 1263. num. 8.

Quartò, Domus vulgares sunt, in quibus singulæ inhabitant familiæ, rixis frequenter divisæ intestinis; quæ eò videntur amariores, quòd intra unius habitaculi coarctatæ parietes, sinè spe vivant corporalis separationis, per quam isti possent dolores evaporari. Quid misella patiatur mulier à viro crudeli, ebrioso & suspicioso; quid item vir à muliere litigiosa, prodiga, contumaci & insolente; quid famuli & ancillæ ab heris, & è contrà; quid à protervis prolibus parentes, quotidiana docet experientia. Dum illas domos ingredimini, Fratres, primùm dicite: *Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis*, cui propter conscientiam, Deique offensam istæ domesticæ displicent dissensiones, *requiescet super eum pax vestra*, quam illi estis impertiti: Si autem in malo obdurati, nolint quidquam intelligere pacificum, proponantque nemini cedere, *ad vos revertetur* pax vestra; nec est quòd turbemini, nihil vestras profecisse exhortationes.

Luc. 10. vers. 6.

Quintò, Monasterium quoque, & cella, quam inhabitat Religiosus, domus est; minimè nostrâ frustrāda salutatione. Etsi solitarius quis sedeat, non tamen à molestissimis immunis est turbatoribus. Sicut enim lemures & maligni spiritus vacuas aliquando domos strepitibus & horrendis implent apparitionibus: sic nec solitarios præteribunt, quin importunis infestent tentationibus. Monet ergo fraternæ sollicitudo charitatis, istis etiam domibus pacem inferre, ac salutatione istâ quasi exorcismo quodam communes hostes à Fratrum habitaculis effugare, & deprecari, ut Dei Domus careat omni discordia, liberetur à noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aers corrumpens, discedant omnes insidiæ latentis inimici, nec permittat Dominus domum aut famulos suos scandalis vel criminibus confundi, aut incendio, aliove gravari infortunio. Dabit Dominus voci nostræ virtutem, ut à religiosa domo, cunctæ spirituales nequitiæ, & noxia quæque repellantur. B. Amadæus aliquando armario ligneo candelam affixerat incensam, multisque occupatus diverticulis, dum regredi moratur, videt undique flammas erumpere, & omnia incendiis patere. Nolens Fratres altæ noctis silentio perturbare, ipse interim flammis coërcendis impotens, Virginis Deiparæ imploravit auxilium. Clausis ostiis, videt duos adesse juvenes, qui aquam copiosè infundentes, incendium cohibuerunt, omnia mundarunt, & ex oculis disparentes, nullum depascentis ignis vestigium reliquerunt.

Annal. Tom. 6. an. 1464. num. 32.

Sextò, Domus infirmorum, supra omnes alias pace indiget, in atroci bello, quòd ibi patiuntur ægroti, in quo Deum ipsum, invictum antagonistam prælantem sustinent, & graviter vulnerantem. *Sagittæ Domini in me sunt*, inquit afflictus Job, *quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me*. Et alibi exponens eidem querelam, ait: *Reversus mirabiliter me crucias, & instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam adversum me, & pœnæ militant contra me*. Quid hic optabilius pace, ut castigare desinat misericors Pater? Quòd si insanabilis videatur morbus, & mortis subesse periculum, pacem infirmo apprecemur, quæ in eodem Libro Job suggeritur: *Acquiesce ei, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos*, nempe per demissam in manus Domini resignationem; quæ facit, ut nullatenus turbetur mens dolorum procellis, futuræque mortis expectatione. Hæc est pax illa, quæ exuperat omnem sensum, custodiens corda & intelligentias, & à turbationibus præservans impatientiæ.

Job. 6. vers. 4.

Job. 10. vers. 16.

Job. 22. vers. 21.

Horum, & ampliorum bonorum annuntiatores, filios suos Franciscus constituit: ut essent *homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis*. Per ipsos voluit longè latèque deferri pacis amabile verbum, juxta vaticinium Isaiæ: *Quàm pulchri sunt super montes pedes annuntiantis & prædicantes pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem!*

Eccles. 44. vers. 6.

Isaiæ 52. vers. 7.

TEX-

TEXTUS & §. XXX.

Et secundùm Sanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

SUMMARIUM.

Apostolis & Franciscanis de omnibus cibis edendi data licentia. 1. Ne forent hospitibus suis onerosi. 2. Ad cavendam singularitatis opinionem. 3. Quia servatâ moderatione, in omni genere ciborum, exerceri potest temperantia; Imò magis elucescit ex quorumcumque degustatione. Obsistendum constanter sollicitantibus ad excessum. Qui in hoc se fragiles sentiunt, vitent occasiones. Non fugiendæ mensæ pauperum.

APostolos ituros in mundum prædicare, liberavit benignus Redemptor à legis veteris obligatione, quâ plures cibi Judæis prohibebantur, indulgens, ut de mensis gentilium, ad quos contingeret divertere, sine conscientiæ scrupulo manducarent: *In quamcumque*, inquit, *civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.* Quam licentiam Christi Domini, tam generaliter interpretatus est Apostolus, ut ad cibos extenderet idolis immolatos dicens: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare.* Vestigiorum Christi insectator Franciscus, eidem Evangelicæ insistens indulgentiæ, permittit discipulis suis per mundum ituris, ut, *secundum sanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.* Attentavit aliquando F. Helias, carnium esum omnibus interdicere Franciscanis. Verùm displicuit Domino præsumpta novitas, dixitque ad eum Angelum, qui in forma adolescentis, dubium aliquod conscientiæ proposituri, duplici Heliam redarguit interrogatione. *Quæro à te,* inquit, *utrùm Evangelii observatoribus, liceat de omnibus, quæ apponuntur eis, prout Christus tradidit, manducare? Deinde rogo, ut mihi dicas, an alicui liceat eisdem Evangelii observatoribus, contraria Evangelicæ indulgentiæ præcipere?* Quam Angelicam reprehensionem intelligens in spiritu Franciscus (qui tunc cælestibus contemplationibus tenebatur in solitudine) postea rediens ad Conventum Fratrum, statutum illud, à suo imprudenter latum Vicario, penitus annullavit. Optimis autem movebatur Vir Sanctus rationibus ad Evangelicam illam licentiam suis indulgendam sequacibus.

Luc. 10. vers. 8.

1. Cor. 10. vers. 25.

Annals Tom. 1. an. 1220. num. 21.

Primò, Ne onerosi suis fierent hospitibus, quibus non semper integrum est cibos offerre jejunantibus congruentes. Non conveniebat benefactores, ad quorum mensas ex misericordia admittimur, onere isto gravari.

Secundò, Ut sæcularium, quibuscum vescimur, consuleretur verecundiæ, qui edentes cibos, à quibus nos abstineremus, tacitè confunderentur. Præclarum discretionis exemplum exhibuit nobis Supremus perfectionis Magister. Quadraginta diebus & quadraginta noctibus in deserto rigore jejunaverat insolito: paulò post vocatus ad nuptias, in quibus lautiora solent apponi, non dedignatus est considere ceteris, & convesci. Plùs egit, dum divitum mensas, ipsorum etiam peccatorum & publicanorum non subterfugit; quorum convivia & fercula non legitur condemnasse.

Tertiò, Removeri voluit scandalosam singularitatis aut ostentationis vanæ suspicionem. Ne ansa daretur sæcularibus, nos ut hypocritas judicandi, similes judaizantibus quibusdam & dicentibus: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis.* Quos reprehendit Apostolus, dicens: *Quæ sunt omnia in interitum ipsorum, secundùm præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione & humilitate,* sivè vilitate, *& non ad parcendum corpori, & non in honore aliquo ad saturitatem carnis,* substrahentes, quæ justè corpori debentur ad sustentationem, & adinstar Pharisæorum exterminantes facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.

Coloss. 2. vers. 21.

Quartò, Nullus rationabiliter poterit offendi, quòd cibis utamur delicatioribus; dummodo esus ornetur honestate sobrietatis. Quin etsi improbus aliquis libertatem istam voluerit perperam interpretari, Dominus erit nostræ defensor innocentiæ. Accidit, ut S. Francisco assidenti mensæ divitis amici, carnes apponerentur. Sub refectione, audita est ad ostium vox pauperis stipem mendicantis. Hanc ferre non sustinens egenorum amicus, piâ confidentiâ acceptam è mensa carnis particulam, ei erogavit. Ingratus mendicus, pium opus in malam partem interpretatus, carnem illam

Chron. p. 1. lib. 1. cap. 30.

populo ostentavit, ut publicæ virum Dei, tamquam carnalem & glutonem, exponeret confusioni. Verùm protexit eum Dominus à calumniatore, faciens, ut carnis particula, pisciculus appareret. 1. Tim. 4 vers. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Mensis opiparis assidentes, adhibeamus sobrietatis temperamentum, & piæ intentionis condimentum; quod commendabat Apostolus, dicens: 1. Cor. 10. vers. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* B. Bernardo de Quinia-Valle nulla sapiebant terrena, Annal. Tom. 1. an. 1414. num. 3. præ dulcore supernarum illuminationum, quas adeo frequentes experiebatur, ut famem numquam in mensa expleverit; quamquam & hoc virtutis & disciplinæ speciale ei fieret exercitium: eam enim vir sui exosus & voluptatis contemptor apposuit sensui custodiam, ut non tam superfluis quàm necessariis abstinuerit. Quidquid tamen apponebatur, juxta verbum Domini leviter gustabat, asserens in iis, quæ gustum afficiunt, fieri abstinentiam, quæ potissimùm in pugna adversùs delectationem & appetitum versatur; qui prælibatis condimentis velut irritati experimento, vires accessione capescunt: quibus sedandis novum virtutis opus coæscitur. Fortiùs ergo judicavit prægustatis abstinere, quàm intacta præterire. Nobilior insuper sobrietatis victoria est, resistere posse amicorum importunitati, ad largiores haustus comestionesque invitantium. Qui videntes nostram in temperantia constantiam, non poterunt non admirari apud semetipsos, atque laudare, & de illa imitanda cogitare.

Pro quo Notandum ulteriùs, hoc verbo Regulæ: *Secundùm sanctum Evangelium*, non solùm licentiam dari ad omnium ciborum usum, virtute concessionis factæ in Evangelio; sed modum quoque utendi designari, ut videlicet eâ utamur licentiâ secundùm formam, mediocritatem & temperamentum in Evangelio præscriptum. In illo autem legimus; Luc. 21. vers. 34. *Attendite, ne fortè graventur corda vestra, crapulâ & ebrietate.* Exhibetur nobis in eodem, homo dives & immisericors, qui *epulabatur* Luc. 16. vers. 19. *quotidie splendidè*, qui *mortuus est*, *& sepultus in inferno.* Moderationem evangelicam de omnibus manducandi rectè consectatus est F. Joannes Pecchanus Archi-Episcopus. Juslm. in ejus Vita. Mensa ejus omnigenis abundabat dapibus, pro sui statûs hospitumque adventantium conditione, Sibi tamen ipse præcipiebat inter epulas esurire, & inter plenas carnium delitias, cibos manducare insipidos. Sic severus suiipsius pædagogus, simul & ventris appetitum, & humanos vincebat respectus; qui potentissimi sunt ad laxandam abstinentiæ moderationem.

Quibus tanta non est virtus, sed suæ conscii sunt fragilitatis, prudenter domos declinant opulentiores, ut servandæ mediocritatis occasionem, cum mediocribus habeant & pauperibus. Apostolus cùm probasset multis, licitum sibi esse corporalia metere, ubi spiritualia seminasset, addit: 1 Cor. 9. vers. 12. *Sed non usi sumus hac potestate; sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Sic Franciscanus, tametsi dapes opiparas, per Evangelicos sit prometitus labores; meritoriè tamen declinabit, ne quod offendiculum præbeat Evangelio Christi, & impediatur Evangelicam tenere moderationem. S. noster Institutor, Vitæ 7. num. 7. quamvis contra ejusmodi satis præmunitus offendiculum, si quando invitatus à Magnis Personis, mensis esset profusioribus honorandus, priùs per propinquas vicinorum domos, panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopiâ, discumbebat. Et cùm aliquando id fecisset, invitatus à Domino Hostiensi, qui pauperem Christi præcipuo complexabatur amore; conquerenti Episcopo, quòd suo derogasset honori: utpote qui in ejus comesturus domo, pro eleëmosynis isset, servus Dei respondit: *Magnum, mi Domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi; siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, & eâ maximè, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est.* Frater Thomas Florentinus, Annal. Tom. 5. an. 1251. num. 19. perrecturus in Calabriam, amicè exceptus est à Comite S. Floræ; cùmque videret lautissimum parari prandium, clam obtentis duobus panibus, secretò se dapibus subduxit. Ita plerumque aliorum heroum erga se studium elusit, nolens totis repleri, & domi esurire.

His exemplis docentur Evangelici Viri non præterire fastidio pauperum casas, & divitum investigare hospitia, ubi lautioribus epulis reficiantur. Quod & Christus eis tradidit, illo ipso loco, quo licentiam concedit quælibet apposita manducandi, dicens: Luc. 10. vers. 7. *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt.* Item: *Nolite transire de domo in domum.* B. Angelus de Pax cum aliis in hunc locum, hinc colligit instructionem nobis oppidò necessariam. *Per hoc*, inquit, *vetat illos requirere hoc vel illud; sed cibo & potu oblato oportere eos esse contentos: ne in cibo vel potu judicarentur gulosi vel ebriosi, vel crapulatores & turpes.* B. noster Bernardinus Feltrensis, tantùm abest quòd ditiorum quæreret benefactorum hospitia, ut quantùm posset, potiùs divertaret ad pauperculos. Primùm quidem, ad eorum solatium, sciens divitibus nec consolatores deesse, nec media juvandi semetipsos; omnia verò deesse pauperibus, nec eorum quemquam meminisse. Deinde, ut veram apud eos inveniret paupertatem, testatumque faceret mundo, se non, quæ sua sunt, quærere, sed quæ Jesu Christi. Sapiens in hoc erat ipsius Filii Dei æmulator, qui veniens in mundum, non ad splendidam aliquam & opulentam divertit familiam; sed pauperem tunc & obscuram, in qua tenuem inveniens victum, in altissima degeret paupertate. Admirationi fuit aliquando Urbi Co- Surius ad 16. Martii num. 31. loniensi nunc verò toti mundo, mitis condescensio S. Heriberti Archi-Episcopi, qui cùm pauperis cujusdam prolem è fonte levasset baptismi, semelque ante illius transiret tugurium; simplex iste pauperculus, alacri usus confidentiâ, in plateam prorupit, corripiensque frænum equi, Episcopum ad suum tenue prandium tamquam compatrem invitavit. Acquievit illico pius & humilis Princeps, descendensque, panis frustulum cum parvulo obsonio, tenuique cerevisiâ sumpsit, nec

confidentis

confidentis paupertatem amici dedignatus est. 1. Reg. 17. Elias Propheta, ad pauperculam divertit viduam Sarephtanam, quæ de modica sibi restante farinula, ei panem parvulum præparavit subcinericium; *& comedit ipse, & illa, & domus ejus: & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lechytus olei non est imminutus.* Quin etiam ad Prophetæ deprecationem, defuncti pueri viduæ *anima reversa est intra eum, & revixit.* Quis scit, si non similer disposnarit Deus, pauperculatum quarumdam familiarum animabus & œconomiæ benedicere, ad nostræ humilitatis ingressum? Certè ista videtur esse multorum tenuioris fortunæ hominum æstimatio, dum ægrè videmus eos affici, si in communibus eleëmosynarum mendicationibus, pauperculæ ipsorum casæ prætereantur.

CAPUT QUARTUM.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

PRæcipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis per amicos spirituales, Ministri tantùm & Custodes sollicitam curam gerant, secundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper salvo, quòd, ut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

TEXTUS & §. I.

Præcipio firmiter Fratribus universis.

SUMMARIUM.

S. Franciscus comparatus Joseph Patriarchæ, Fratrem suum Simeon liganti. Cur ita firmiter quædam in Regula præceperit etiam sub peccato? Quæ incommoda secuta fuissent, si fuissent solùm pœnalia? Quòd in horum observatione testari debeamus, quantùm illum ut Patrem honoremus.

INter alia stratagemata, quibus usus est Joseph Patriarcha, ut posset senem parentem suum Jacob & uterinum Fratrem Benjamin educere de terra Ghanaan (quæ famis angustiâ vehementer premebatur) universamque Patris familiam salvare in Ægypto, & magnificare; hoc etiam inivit consilium, ut diceret Fratribus suis: *Si Pacifici estis, Frater* Gen. 42. vers. 19. & 25. *vester unus ligetur in carcere; vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis, in domos vestras...... Tollensque Simeon, ligavit illis præsentibus.* Eoque medio coëgit eos, primùm quidem adducere Benjamin in Ægyptum, ac deinde patrem suum Jacob universamque domum ejus, ubi eis ostendit universam gloriam suam, & fecit frumento bonisque omnibus abundare. Seraphicus noster Patriarcha, salvationem animarum viscerosâ zelans pietate, desiderabat universitatem familiæ Christi, eductam ex valle miseriarum & egestatis hujus sæculi, in terram introducere sui Regis cælestis, ubi satiarentur æternaliter ab ubertate domûs Dei. Hoc fine, Fratrem suum, Minoriticæ Regulæ sectatorem ligari voluit in carcere, in claustro scilicet religioso. *Tollensque Simeon, ligavit* eum. *Simeon* qui interpretatur *Audiens,* signare potest eum, qui divinæ audiens vocationis inspirationem, statum amplectitur religiosum & Franciscanum. Hunc tollens Franciscus, ligavit diversorum funibus præceptorum, quibus ultra trium principalium votorum observantiam, obstrictos esse voluit sui instituti professores. Unde præsenti textu: *Præcipio*, inquit, *firmiter Fratribus universis.* Noluit eos ignorantiæ propriæ atque instabilitati committere; sed Fundatoris usus auctoritate præcipuorum & fundamentalium articulorum Regulæ immobilitatem, præcepti

statuit firmitate. Istis locis adstrictos tenere voluit, ut sic compellerentur certiùs ad evangelicæ perfectionis rectitudinem festinare; eâdemque ratione meliùs dispositi forent, ad reliquos homines è mondi vanitatibus io regnum Christi & Dei introducendos. Si S.Pater doctrinam suam sub monitionibus dumtaxat & liberis reliquisset consiliis, non sufficienti efficaciâ in animos omnium influxisset filiorum. Siquidem juxta Angelicam D. Thomæ doctrinam: *Homines quidem bene dispositi, meliùs inducuntur ad virtutem monitionibus voluntariis, quàm coactione; sed quidam malè dispositi, non ducuntur ad virtutem, nisi cogantur.*

1. 2. q. 95. art. 1. ad 1.

Non ignorabat Vir Dei in hoc suo Instituto futuros duces aliquos tepiditatis, pravosque consiliatios, qui relaxationem suaderent, & discipulos suos à rigoris abducerent austeritate. E quibus fuit F. Helias, vir doctus, & potens ad persuadendum, singularis ferus, qui electam Domini vineam depascebatur. Hic dum Franciscus in Oriente suam mosriplicaret familiam, in Occidente relictus, ab eo Ordinis Vicarius, Fratres à commendato sibi tramite divertebat, novum regiminis modum in Ordinem iotroducens. Dicebat in collationibus & exhortationibus monasticis, non omnibus concessam illam puritatem & sanctitatem sui Institutoris, vitamque ejus potiùs laudandam quàm imitandam; quædam etiam eum statuisse & velle, quæ humanas superant vires, saltem quæ secundùm homanam prudentiam & discretam tetum providentiam, videbantur observatu difficillima; imò & fermè impossibilia: atque ita ex prudeotum arbitrio molta ex eis moderanda tollêda alia; & plura, non adeo strictæ observantiæ, secundùm fragilem hominum conditionem, & corrupti temporis mores, esse tolcranda. Quâ ratione & fucatis persuasionibus plures post se traxit, etiam ex Provinciarum Ministris, ita ut Francisci simplicitatem, sinceritatem, arctumque vivendi modum condemnarent, & imprudentiam reputarent. Quo factum est, ut intentarent quædam à Regula esse abradenda, & sui Instituti rigorem mitigandum. Ut hujusmodi molitionibus Sanctus Fundator obviaret, caperetque vulpes parvulas vineam suam demolientes, præcipuos articulos vitam Minoriticam constituentes, firmiter præcipiendos judicavit Fratribus universis: ut quicumque hujus vellent Ordinis societate, beneficiisque gaudere, ad eos obligarentur: & quicumque aliter docere attentaret, aut permittere, apertus esse Francisci adversarius nosceretur.

Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 2.

Alii Religiosi Ordines, præter tria vota, statutis teguntur non obligantibus in conscientia; sed regolares tantùm puniriones infligunt transgredientibus. Hoc Seraphico Francisci zelo minimè sufficiebat: tom quòd probe sciret superiores non adeo oculatos esse posse, quin plurimæ transgressiones possint eorom fugere notitiam, atque adeò castigationem: tom quòd etsi eis perspectæ essent, timeri poterat, ne remissiis agentibus atque dissimulantibus superioribus, humano aliquo respectu, inventom abiret sancti Patris intentio: tum deniqne ne superioribus ipsis aperta relinqueretur traosgressionis janua, dum procul à Generalibus, & ferè extra correctionis periculum constituti, auderent tutò prævaricari mandata, majusque inferrent pietati publicæ præjudicium. His de causis, satius esse judicavit, per impositionem firmissimi præcepti sub colpa obligantis, ponere universos sob oculis conscientiæ propriæ, atque ipsius Dei, quos fugere nemo potest, & qui nesciunt in veris dissimulare delictis. Isto Dei timore, conservandam putavit & confirmandam eam sanctitatem, quam per manus ipsius Divinas tradidit Legislator. Optabilius quidem est duci amore Dei, quàm timore; qnia tamen non omnium est agi spiritu dilectionis, timor fuit ad stimulom subjiciendus. *Principatus sensati, stabilis erit.* Sive, ut Litanus noster legit aut explicat: *Terribilis erit*; quippe qui vindex in iram est ei, qui malum agit. Ideo fundamentales Regulæ articulos, voluit Franciscus, timore culpæ, diviniqne supplicii, firmiter in perpetuum stabilire. Eccles. 10. vers. 1.

Studeamus itaqoe tamqoam legitimi filii satisfacere Seraphici Patris voluntatibos. Non aliud agnoscit ipse sinceræ filiationis symbolum, qoàm suorum observantiam mandatorum. Appositè dixit D. Bernardus, agens de S. Malachia: *In hoc veros vos esse filios probabitis, si paterna viriliter instituta servetis.* Quod usque adeo verum est, ut tametsi aliqui rigorem Regulæ formidantes, obrinerent Pootificiâ dispensatione tolli præceptorum obligationes & conscientiæ gravamen; voluntates tamen Francisci in Regula expressæ, firmæ manerent & immobiles, atque in hoc cognoscerentur legitimi filii, spiritûs ipsius participes, si sanctas istas revereantur voluntates, & cum mentis gaudio ad litteram exequantur, sicut ipse Vir Sanctus ejusque fideliores fecerunt discipuli. Itaque *in omni opere, & sermone, & omni patientiâ honora Parentem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.* Hæc est præcordialis, immobilis atque æterna Francisci benedictio super omnes, qui ex amore custodiunt præcepta Regulæ, ut pariter cum ipso ad participationem regni assumantur, quod Evangelicis pauperibus repromisit Dominus Jesus Christus. Serm. 2. Eccles. 3. vers. 9.

TEX-

TEXTUS & § *II.*

Ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se.

SUMMARIUM.

Pecuniæ impediunt introitum in Regnum Dei. Franciscus Fratribus suis illas prohibuit. 1. Ut liberaret eos ab illarum concupiscentia. 2. Ut exerceret in confidentia ad Deum. 3. Ne per eas laberentur in oblivionem cæli. 4. Ut amota esset materia luxûs. 5. Ne intraret Diabolus in corda eorum, sicut in Judam proditorem.

CUm Principi cuidam, multas habenti possessiones, perfectionis consilium instillaret Salvator, omnibus renuntiandi facultatibus, atque ille contristatus in verbo, abiret mœrens; *circumspiciens Jesus dixit discipulis suis: Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* (Marci 10. vers. 23.) Audito hoc mundi paradoxo, apud quem divitiæ in præcipua sunt æstimatione, & sinè quibus vitam reputant homines minimè posse conservari, *Discipuli obstupescebant in verbis ejus.* Nihilominus in sententia perstitit sapientissimus Doctor: *Filioli*, inquiens, *quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Qui magis mirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri? Juxta communem sensum visa est hæc doctrina admirabilis, timueruntque discipuli se salvari non posse, attentâ pecuniarum necessitate. Quos intuens Jesus, ait: *Apud homines impossibile est, sed non apud Deum.* Quod explicando dixit, nempe impossibile videri apud homines vitam mortalem transigere sine pecuniis, & ad immortalem pervenire; sed non judicari impossibile apud Deum, qui aliis mille modis potest & vult providere iis, qui confidenter jactantes cogitatum in providentia Patris, pecunias omnimodè recusarent. His verbis simpliciter credens Franciscus, cœpit pecunias alacriter aspernari, & audacter omnibus sibi adhærentibus earum prohibuit retentionem vel receptionem. Sicut autem sufficit ipsi æternæ Sapientiæ & Veritatis verbum ad plenam confidentiam, ita speravit & nobis sufficere ad refellendum timidas rationes, quæ à carne objiciuntur & sanguine pro pecuniarum retentione, atque ad confirmandam in mentibus nostris paupertatis hujus immobilem observantiam. Neque desunt rationes humanæ, quæ contemptum valent suadere pecuniarum.

Primò, Evidens est, quantam tyrannidem in toto exerceat humano genere concupiscentia pecuniarum, à qua immunem evadere non mediocris felicitas est; illi autem subjacere, servitus, tormentum, & molestissima est inquietudo, stimulusque ad atrocissima quæque facinora. *Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis, qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.* (Eccles. 31. vers. 6.) Hinc pauperes audaces ad furta, mechanici duram & incessabilem servitutem cum labore subeunt & anxietate. Hinc mercatores se totos ad curas abjiciunt, ad pericula maris & terræ, ad mendacia, fraudes, usuras, & politicismum: eò usque ut vel obliviscantur interdum, vel pudeat eos suæ Catholicæ Religionis: quam & abnegare exteriùs non verentur, ut liberior ipsis contingat, securiorque negotiatio. Milites concupiscentiâ nummorum rabidi evadunt, & feroces instar harpyarum, terribiles ad rapinas, prædas, homicidia, omnemque malitiam,

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Quæ technæ in usu sint apud justitiæ civilis administratores, & Curiarum officiarios: quibus artibus norint, per secretos meatus, litigantium pecunias ad se derivare; quis enarrabit? Quot lites à quocumque statuum genere suscitantur ex pecuniarum cupiditate? quanto cum ardore & pertinacia promoventur? quàm turpibus modis corrumpuntur judices, & testes emuntur? quantis cum anxietatibus expectantur sententiæ? Regibus, nobiliumque catervis tantò periculosiùs hæc tyrannica dominatur concupiscentia, quò fortiori armata est potestate ad deglubendum populum proprium, ad regiones invadendum alienas, ad arrogandam sibi subditorum substantiam, ad ipsa expilandum Ecclesias, & pauperum patrimonium. Hi sunt fetus sordidæ concupiscentiæ hominum mundanorum. Utinam vel ipsæ familiæ Christi, hoc est Ecclesiasticorum ac Religiosorum congregationes, evadant hujus leænæ, hujus, inquam, nummariæ concupiscentiæ morsus! Utinam non inveniantur simoniæ, nundinationes Sacramentorum, thesaurizationes superfluæ, turpes quæstus, & hypocriticæ venationes pin-

gnium legatorum. In immensum crescunt peccata in Deum & proximum commissa, miserorum calamitates, & mundi turbationes universi, ex hoc pestilentissimo cupiditatis fonte, miseris oppressis inconsolabiliter gementibus. Quis igitur non æstimet cælestem illam gratiam, quâ Franciscus venenatum istud malum à suorum cordibus depulit filiorum? Depulit sanè, quando eos ne pecuniam umquam haberent, solemni religioso voto, & irrevocabili adstrinxit obligatione. Sic egit; atque hoc stratagemate, ipse, omnesque sui in dulcissimam asserti sunt libertatem: & extra omnem positi turbulentiam, invidiam, timorem, mundanamque vilitatem, cum inenarrabili spiritûs tranquillitate.

Secundò, Eximiæ fidei effectus est, indubitata in Deum confidentia, circa necessariorum provisionem; modicæ verò fidei signum, timida diffidentia. Hæc potiorem mundi partem concutit trepidatione, faciens in solis stravi pecuniis confidentiam. Unde tutiùs ille agere reputatur humano judicio, qui plures potuit pecunias congregare, Maximus tamen error est. Siquidem Sapientis sententiâ:
Prov. 11. vers. 28. *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Ne isto nos pariter involveremur errore, pecunias excussit Franciscus è manibus nostris, & severâ absterruit prohibitione, ne illas umquam acciperemus; sat superque certificatus sufficere fidelem istam Domini providentiam, quam in Evangelio tot stabilivit promissis, & signis sequentibus confirmavit. Interrogabat aliquando dilectos suos Apostolos:
Luc. 22. vers. 35. *Quando misi vos sinè sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.* Direxerat eos in omnem terram sinè mundi crepundiis, & arido pecuniarum adminiculo, dicens:
Matth. 10. vers. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Resolutè tamen protestantur nihil sibi defuisse necessariorum. Si paupertatis amicus Franciscus, Ordinem suum universum, Regulæ constanter insistentem, simili compellaret interrogatione: *Quando misi vos sinè sacculo, & pera, & calceamentis, sinè auro & argento & pecuniâ in zonis, numquid aliquid defuit vobis?* Omnes voce responderemus unanimi: *Nihil*; imò omnia abundasse Unde autem sufficientia & abundantia tanta, nisi ex fide in verbum Christi, sacculum & peram dissuadentis?
Psal. 21. vers. 27. *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum* in angustiis suis & necessitatibus. Expertus est S. Didacus, execrator pecuniæ ab adolescentia sua, misericordem Dominum tunc suæ non deesse promissioni. Quodam tempore, cum socio, viro similiter religioso, in viam se dederat, nullo secum sumpto viatico. Cùmque è Con-
Sedul. vita S. Didaci. cap. 10. ventu Cerrajæ, unde discedebant, longum iter esset usque ad Sanctum Lucam Barrameda, quò ire contendebant; de via fessi & fame languescentes ad pagum pervenerunt, quem Hispanicè *Los palacios* vulgò vocant. Eò loci eleëmosynam quæsitarunt; qui daret tamen, invenerunt neminem. Jejuni igitur iterum se itineri committunt, Quærenti autem socio, quid tandem cibi eo die caperent, respondit ille; Deum utique provisurum. Aliquot millia passuum inde progressi, cùm iter leucarum quatuor reliquum esset, in solitudine quadam magna, panem, pisces duos recèns coctos, & pomum citreum (quæ omnia mantili mundo involuta erant) super herbam quamdam conspexerunt: vasculumque vini plenum proximè erat. Ibi cùm neminem oculis in planitie aspexissent (quæ tamen omnis in prospectu erat) cibum divinitus missum sumpserunt. Interea socio Didacus ostendit, quàm mirâ providentiâ Deus victui utriusque prospexisset: ita scilicet, ut olim in deserto filios Israël paverat. Cibo recreati gratias Deo egerunt: & quidquid superfuit reliquerunt. F. Alberto Sartianensi, amandato Annal. Tom. 5.
per Eugenium IV. ut ad unionem Ecclesiæ an. 1439.
Æthiopes allicerer aliasque nationes, conti- num. 38.
git, cùm à Sancta Civitate descenderet in Ægyptum, ut in terra inaquosa, loco horroris, & vastæ solitudinis deficeret potus & cibus, & præ bidui penuriâ langueret. Ad aridi stipitis umbram cum sociis sedens, queri cœpit, & promissionis Deum admonere, qui per servum suum Franciscum pollicitus erat victui necessaria filiis ejus non defutura. *En*, inquit, *jam morior, Vicarii tui præcepta peragere non potero, neque pereuntes animas ad tuæ veritatis agnitionem reducere, Domine miserere.* Non priùs dixit, quàm viderit propè se juvenem pulcherrimum, linguâ Italicâ salutantem, mox cibos afferentem. Cum gaudio & admiratione manducanti, inquit Juvenis: *Non est, cur de divina diffidas misericordia & providentia. Ego sum, qui Francisco servo meo promisi subsidium opportunum; neque tu vidisti hucusque in Religione hac justum derelictum, aut Fratrem aliquem fame periisse.* Quibus dictis disparuit. B. Joanni Parmensi Ordinis Generali, noctè superveniente, in loco deserto omni humana ope destituto, subvenit Dominus per ipsos etiam dæmones, coactos ad necessaria Christi pauperibus subministranda, prout superiùs commemoravimus. Extantque hujusmodi plurima exempla de aliis Franciscanis nostrorum majoribus, quibus abundè Divina providit Clementia in necessitate constitutis. Quàm verò infirmum sit pecuniarum præsidium in necessitatibus, Deus aliquando mirabiliter comprobavit. Accidit enim, ut infir- Legenda c. 7. n. 9.
mitate gravatus Franciscus in loco Noceriæ, reduceretur Assisium per solemnes nuntios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quamdam devenerunt pauperculam, nomine Satthianum: ubi cùm fames & hora cibum expeterent, euntes & nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos Vir Sanctus: *Ideo nihil invenistis, quia plùs in muscis vestris, quàm in Domino confiditis.* Muscas nempe denarios vocavit. *Sed revertimini*, ait, *per domos, quas circuistis, & amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleëmosynam postulate: Nec falsâ id æstimatione verecundum putetis aut vile: quoniam universa in eleëmosyna, post peccatum, dignis & indignis, eleëmosynarius ille magnus, largissimâ pietate concessit.* Deponunt erubescentiam milites, & aleëmosynam sponte petentes, plu-

ra

ra pro Dei amore, quàm deoariis emont. Siquidem divioo nutu, corde compuncti pauperes incolæ, non solùm sua, sed & seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, ut inopiam, quam pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret.

Tertiò, Familiare est divitibus, ad cælestem non aspirare beatitudinem, quia terrena eis sufficiat felicitas, quam cæco errore spetant non sibi defuturam. (Isaiæ 57. vers. 10.) *In multitudine viæ tuæ*, inquit Propheta, *laborasti: non dixisti: Quiescam. Vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata.* Hâc oblivione, & contemptu veri finis, oullum deterius malum est. Ab hoc studuit nos Vir S. pecuniarum prohibitione liberare, ut soli Deo memoria libera, affectusque tranquillus relinquatur.

Quartò, Speravit hâc prohibitione præcipuam removere materiam luxûs, commessationum, sumptoosarum mensarum, aliarumque corporalium voluptatum, quæ illis emuntur, & ad quas frequentiùs pelliciontur pecuolosi. Hunc aditum obstruere voluit, per quem viderat luxum istum atque intemperantiam in multas religiosas inundasse familias, simulque bonam ipsarum famam ac pietatem obrnisse.

Quintò, Horruit avaritiæ atque invidiæ pestem, ne ordinem suum depasceret familiaritate nommorum. Nemo est, qui eam non detestetur io uno infelici Apostolo, cui cùm Dominus (infirmitati condescendens imperfectiorum) permisisset pecuniarum administrationem, in pauperum sublevamen, earum contrectatione ita depravatus est, ut in extremam evaserit impietatem, ac in plenam (Thren. 4. vers. 1.) Diaboli traosierit potestatem. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Avaritia captivavit comitem Christi. Quâ verò occasione? (Joan. 12. vers. 6) *Quia loculos habens; ea, quæ mittebantur, portabat.* Si eum infatuarunt pecuniæ, qui quotidiano fruebatur aspectu & convictu Filii Dei, mirabilia ipsius indies contemplabatur, & nil nisi sanctum audiebat, virtutisque magister factus, cum ceteris Apostolis insignitus erat miraculorum potestate; quid mirum, si infirmioribus Fratribus suis timuit Franciscus, eosque ab illo voluit contagio elongatos, quòd ipsum Dei domesticum ad horrendum traxit patricidium, ad laqueum, & ad ipsam inferni voraginem? Certè pecuoia Fratri Minori Diabolus est, à quo possideatur, & ad ipsius captivus ducatur voluntatem. Miraculoso ostento id voluit Dominus demonstrare. Transiens quodam tempore Seraphicus Pater cum suo socio per Apuliam, juxta Barium, invenit in via bursam magnam, (Legenda c. 7. n. 5.) quasi pleoa esset denariis, tumescentem. Monetur à socio paoper Christi, & instanter inducitur, ut bursa tollatur è terra, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore Diaboli in bursa inventa: & Fratrem non suadere rem meriti, sed peccati; aliena scilicet surripere ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit Frater, vacuâ pietate delusus, Virum Dei molestans, quasi qui de relevandâ pauperum penuriâ oon curaret. Acquievit tandem vir mitis, redire ad locum; non ut Fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus est ergo ad bursam cum Fratre, & juvene quodam, qui erat in via. Oratione præmissâ, jubet socio illam levare. Tremefactus Frater obstupuit, Diabolicum jam præsentiens monstrum: propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subitò evanescens, diabolicam deceptionem Fratri monstravit. Hostilis itaque versutiæ deprehensâ fallaciâ, dixit Vir Sanctus ad socium: *Pecunia servis Dei, ô Frater! nihil aliud est, quàm Diabolus & coluber venenosus.*

TEXTUS & §. III.

Vel per interpositam personam.

SUMMARIUM.

Cavendum à receptione pecuniarum per interpositam personam. Quantum periculum in usu Bursariorum per itinera. Non licent Franciscanis cippi & trunci in Ecclesiis, ordinati ad offerentium pecunias reponendas. Neque auctoritativa dispositio circa Syndicos Pontificios, & depositarios pecuniarum. Consultum, etiam à materiali pecuniæ contrectatione abstinere.

PRotoplastus generis nostri eludere putavit divinum mandatum non comedendi de ligno scientiæ boni & mali, si noo ipse per se tulisset de fructu illius, & comedisset, sed per vitæ suæ sociam accepisset. Unde excusationem prætendens peccato, ait: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* (Gen. 3. vers. 12.) Eam verò non acceptans justus Judex: *Quia*, inquit, *audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti* (vers. 17.) *de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta*

maledicta terra, &c. De omni ligno paradisi ei permiserat comedere, caveret autem comestionem de fructu ligni, quod erat in medio paradisi, sive per ipsum Adamum, sive per intermediam personam decerperetur. Divinorum operum æmulator Franciscus, Minoritis in suæ Religionis Paradiso collocatis, licentiam fecit manducandi de omnibus cibis, qui apponuntur eis, & uti cum sua benedictione omnibus creaturis ad corporis sustentationem necessariis. De pecunia verò disposuit, sicut Dominus de ligno scientiæ boni & mali:
Gen. 2. vers. 17. *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Sic etiam ipse, *denarios*, inquit, *vel pecuniam non recipiant.* Et ut effugium occluderet primi prævaricatoris: addidit præceptum suum sic intelligi debere, ut neque per se reciperent Fratres, neque *per interpositam personam.* Sciebat infernalem serpentem interdictam suasurum receptionem, & visuros esse filios suos, quòd auri & argenti fructus sit pulcher visu, & ad recipiendum suavis, oculosque & appetitum vehementer alliciens: atque ideo subtiles fore ad inveniendos modos gaudendi nummorum usu & commoditate. Inter quos unus occurrere poterat non recipiendi pecunias per seipsos, sed per fidelem aliquam interpositam personam, quæ nomine Fratrum reciperet illas, eorumque expenderet imperio. Contra fucatum istum paupertatis modum, interdixit eis penitus pecuniæ receptionem, *per se, vel per interpositam personam*, ut eos ita contra serpentis astutiam in possessione paradisi Religionis perpetuâ stabiliret felicitate.

Sinceris omnibus Franciscanæ professionis cultoribus, admodum semper suspectus fuit usus *Bursarii*, qui per itinera comitaretur, pecuniis necessaria procuraret, sive alimenta, sive vecturas, sive medicamenta, aliaque præcisè necessaria, absque fortuitâ quotidianâ mendicatione. Doctiores hanc praxim examinarunt, & licitam pronuntiarunt, certis additis conditionibus, quas videre est apud litterarios Regulæ Commentatores. Quia tamen magnam præ se fert speciem personæ interpositæ, pecunias Fratrum nomine recipientis & expendentis, ac propter conscientiarum peri-
V Paupertas. cula, quæ commonstrat Compendium Privilegiorum; malunt timorati Fratres, istis non uti subsidiis, seque periculo committere non inveniendi tam commoda itineris solatia, quàm ad scrupulum approximare prominen-
Martyr. Francisc. ad 18. Novemb. rem, cum metu naufragii regularis. B. Jacobus à Marchia tribus vicibus ablegatus est Commissarius Apostolicus in exteras Provincias: nempe ab Eugenio IV. Nicolao V. & Calixto III, quorum auctoritate Italiam, Sclavoniam, Dalmatiam, Austriam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam, Saxoniam, Prussiam, Russiam, Daniam, Norvegiam, Phrygiam, Germaniam, Daciam, Bosniam, Croatiam, &c. peragravit. In his vastissimis regionibus, quarum non callebat idioma, videbatur esse necessitas evidens habendi Bursarios, qui nomine benefactorum ipsi providerent; præsertim dum corpore esset labor bus morbisque debilitato: noluit tamen hoc admittere, sed

confidentiâ in Deum dives, spe suâ frustratus non est, miraculosasque frequenter est expertus providentias. Viris talibus, Franciscus ipse Bursarius est, & Angeli sancti provisores. Chron. p. 3. lib. 6. cap. 4.

Cavendum etiam ab alia cupiditatis adinventione, quâ vellent Paupertatis altissimæ professores, non quidem hominem aliquem, sed Deum ipsum ejusque templum pro persona adhibere interposita; admittendo in Ecclesiis ipsorum pecuniarias oblationes, quarum nullus præter ipsos sibi arrogaret administrationem. Pia quidem est praxis fidelium sua Deo offerendi donaria, qui etiam ea sibi oblata acceptet atque remuneret, tandemque in commodum & usum suorum transeant servorum: prout Canonicis, Monasteriis, aliisque locis piis cedunt redditus, prædia, pecuniæ, aliæque donationes. Quibus eleëmosynis, nos etiam tamquam Domini servi gaudemus; pecuniis exceptis, quarum incapaces facti sumus, sanctâ nostrâ professione. Temporibus Chron. F. Bonagratia Generalis Ministri, plurimæ p. 2. lib. 4. fiebant in templo Portiunculæ oblationes, ut cap. 25. periculum esset, ne malevoli nos avaritiæ insimularent, aut simoniæ; quasi solemnem istam indulgentiam à Sede procurassemus Apostolica recipiendarum intuitu eleëmosynarum. Prudens Generalis volens illi sinistræ occurrere opinioni, inviolatamque servare sanctam Paupertatem, prohibuit, ne deinceps acceptarentur; neque jam acceptatæ, Fratrum commodis applicarentur. Cùm autem mandatum istud exolevisset eo tempore, quo regularis surgebat observantia, isque Conventus auctoritate Apostolica reformatis fuisset Fratribus assignatus, Eugenius Papa IV. Annal. ordinavit, ut donaria quidem omnia, oblatio- Tom. 5. nes, & si quæ alia inferebantur sacello B. Vir- an. 1445. ginis, ipsis incolis remanerent; pecuniarias num. 21. verò eleemosinas, sibi colligerent Patres Conventuales, cœnobii magni Assisiatis. Et ante ipsum Clemens V. illicitum esse eum mo- Clement. dum declarat in hæc verba: *Quæstus omnis* Exivi. c. 4. *pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio, in Ecclesiis vel alibi, cippi seu trunci ordinati ad offerentium seu donationum pecunias reponendas, sunt Minoribus penitus interdicta.* Tueri volebant aliqui abusum istum exemplo veterum sacerdotum & levitarum, quibus dederat Deus oblatas sibi hostias, & contendebant pari modo licere nunc personis Deo dicatis, de quotidianis victitare oblationibus; non advertentes, quòd Deus passim victimas aliquas vel victimarum partes reservaret, non comedendas à Ministris, sed consumendas igni. Simili modo nobis Franciscanis multa Levit. 4. permittuntur usu consumenda; pecuniis tamen vers. 11. & exceptis, quas adinstar sanguinis immolato- 6. vers. 9. & rum animalium, per sacram paupertatis pro- 8. vers. 17. fessionem, effudimus in circuitu altaris, & pe- & 10. vers. nitus in perpetuum à nobis abdicavimus. *Volens* 15. *Dominus*, inquit Bonaventura, *per servum su-* Bonav. in *um Franciscum avaritiæ radicem penitus exclu-* cap. 4. Reg. *dere ab horto concluso & fonte signato*, Ordine ad mutum scilicet Minorum, *præcepit, ne recipiant denarios vel pecuniam.* Occasione pecuniarum, Religiosi quàmplurimi, salutis suæ involuti oblivione,

oblivione, in fœdam delapsi sint apostasiam. Haud secus eis accidit, quàm infelicissimis sagis, quas ut in servitutem suam & idololatriam polliciat dæmon, pecunias ostentat, sibique taliter obligat: quæ tandem in vilium stercorum formam revertuntur, è quibus per artem fascinantem cusæ fuerant; & serò nimis fatuæ istæ malignai agnoscunt illusionem. Depuratiori oculo sordes istas aspexit, & vero de illis censuit judicio Franciscus cum Apostolo dicens: *Propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Accidit, ut postquam Vir Sanctus sæpiùs contemnendam, imò & fugiendam, nec ullatenus tangendam moneret pecuniam, nec pluris æstimandam terrâ vel luto doceret, devotus quispiam viator Ecclesiam orationis gratiâ ingressus, unum vel alterum nummum ad pedes Christi crucifixi in altari offerret; & Frater quidam simplex illam indè sublatam in abaco vel angulo quodam Ecclesiæ reponeret. Accusatur criminis apud Virum Sanctum, quòd pecuniam contrectaverit. Coram vocatus, & rem omnem humiliter confessus, ad aliorum terrorem & instructionem acriùs ob tactum arguitur denarium, & in erroris pœnam jubetur, ut quam manu suscepit, ore de terra relumat, & extra cœnobioli sepem longiùs asportet, sociis ocularibus testibus ex ore super stercus asini evomat, & postea pedibus conculcet. Quod dum Frater ille humiliter ad magistri præceptum perficeret, repleti sunt omnes timore & stupore ad tantam Patris de tactâ pecunia indignationem, didiceruntque nummos perfectè contemnere, quos ipso facto viderunt asini sordibus comparari.

Philipp. 3. vers. 8.
Annal. Tom. 1. an. 1211. num. 4.

Alia timenda est interposita persona tantò magis suspecta, quantò eminentiori fulta videtur auctoritate. Syndicos conventuum intelligo, qui ex Apostolica commissione instituti sunt, ad superflua nostra unius speciei vendendum, pretiumque in commoda Conventûs erogandum, & ad alia peragenda quæ Pontifices eis commiserunt ad subsidium nostrum, in puta Regulæ observatione. Legitimos modos utendi eorum interventu, Sedes Apostolica & Regulæ expositores præscripserunt. Minimè negligendæ sunt instructiones ab illis datæ ad avertendam à nobis auctoritativam pecuniarum dispositionem, quâ inveniremur in Dei judicio per interpositam personam in animo pecuniam recepisse, vel expendisse. Cavendum à nimia de istis intromissione. Ad quid tam propè ignem accedere, ut periculum sit adustionis? Præstat remotiùs stare, & securum esse. Hoc docemur unius benedicti pueruli exemplo. In Thorouth, oppido Flandriæ, puer Achas, annorum quinque honestis valde parentibus oriundus fuit; qui primùm visis Minoribus Fratribus, à parentibus suis, lachrymis multis obtinuit, ut ipsorum habitu vestiretur. Sed cùm hoc illi primùm, quasi puerile judicatum, crederentque secundùm quod in aliis pueris videri solet, oblivione temporis in illo similiter aboleri, animadverterunt parentes, & vicini eorum omnes, quòd seriosè puer cœpit consuetudines Ordinis modis omnibus observare, incedere nudipes, nodatâ & durâ chordâ præcingi. Argentum & aurum summopere vitabat attingere. Et in hoc articulo casus accidit mirus valde. Negotiatores quidam ad hospitium patris ejus, hospitandi gratiâ declinârant, qui viso in tali puero habitu, mirati sunt; & cùm intellexissent puerum omnem vitare pecuniam, nummum in fundo vasis, quo bibebant, latenter immittunt, & cum modico vini puero poculum porrexerunt. Qui ubi exhausto vino nummum vidit; exclamans horrificè vas projecit, jactisque in cœlum oculis & manibus, cum lachrymis dixit: *Tu nosti Deus omnipotens, quòd inscius Ordinem meum violavi.* Hinc tremebundus expalluit, & quasi ad mortem tendens, nigredo ejus faciem occupavit. Quod videns ejus pater, expavit, & currens properè Sacerdotem adduxit, qui puero absoluto manum imponens, eum à dolore, & pœnitudine mitigavit. B. Nicolaus Factor, quantùm fuisset in vita sua pecunias abominatus, mirabili Deus prodigio post ejus mortem demonstravit. Reliquias ipsius filia quædam penes se gestabat, quibus casu nummus argenteus admistus est; quem dum extraheret, niger instar picis apparuit: quâ fœditate testatum voluit Sanctus, indignum esse panniculos & ossa Fratris Minoris à pecuniis contingi. Portento isto instruimur non modò à civili abstinere nummorum contrectatione; sed etiam à naturali, qua cum voluptate revolventes illos, attentiùs contemplemur, ne fortè animus eorum specie ad concupiscendum illiciatur; prudenter monente nos Ecclesiastico, quòd *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Molanus ad 11. Julii.
Chron. p. 3. lib. 8. cap. 46.
Eccles. 13. vers. 1.

TEXTVS & §. IV.

Tamen pro necessitatibus infirmorum.

SVMMARIVM.

Samaritani Evangelico exemplo Franciscus curam habuit infirmorum. Iniqui prætextus sunt, quibus aliqui curam excutiunt infirmorum. 1. Quòd inutiles sint infirmi. 2. Impedimentum, contemplationis per illa servitia. 3. Quod allegatur Ordinis austeritatem debere etiam ab infirmis servari. 4. Quòd fingunt aliqui se in hoc studere Paupertati. Infirmi Fratres sunt Conventuum benedictio.

SAmaritanus quidam videns in itinere hominem ex plagis impositis semivivum relictum (Luc. 10. vers. 33. & seqq.) *misericordiâ motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit. Et alterâ die protulit duos denarios, & dedit Stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi.* Simili motus fuit misericordiâ Franciscus, ad providendum necessitatibus infirmorum. Cùm nondum esset (Vita c. 1. num. 5.) habitu vel convictu sequestratus à mundo, equitans quâdam die per planitiem, quæ subjacet civitati Assisii, leprosum quemdam habuit obvium; cujus inopinatus occursus, ei non parvum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente jam conceptæ propositum, & recolens quòd seipsum oporteret primùm devincere, si vellet effici Christi miles: ad deosculandum eum, equo lapsus accurrit. Cui cùm manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet, pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, & se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum (Num. 6.) illum minimè vidit. Et deinceps humilitatis & humanitatis obsequia, leprosis beneficâ præstitit pietate. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleëmosynas erogabat, & cum multo compassionis affectu, manus eorum osculabatur & ora. Postea verò congregatâ religiosâ familia eamdem majoremque misericordiam suis infirmis impendebat Fratribus, memor illius Apostolicæ sen- (1. Tim. 5 vers. 8.) tiæ: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior.* Hinc maximâ studuit sollicitudine quoad vixit, infirmis filiis suis quos in Christo genuit & qui Dei amore temporalibus omnibus renunciaverant, de necessariis providere. Sicut autem Christus moriturus, Petro & discipulis mandatum dereliquit, pascendi, qui in ipsis erat gregem Dei: sic & Franciscus dedit operam, ut post obitum suum, eadem impenderetur infirmis Fratribus miseratio, decernens præcepto Regulæ; ut tametsi Prælatis Ordinis penitùs interdicta sit receptio peculatum: *Tamen pro necessitatibus infirmorum* sollicitam curam gerant, eleëmosynarum procuratione, congrua eis providendo subsidia. Cavenda sunt omnino motiva, quæ possent Prælatorum animos ab hujus sollicitudinis procuratione aliquatenus retardare.

Primò, Incidere posset alicui cogitatio, hominem qui infirmatur inutilem esse, qui nihil commodi sit Ordini vel populo allaturus, & è cujus morte nulla sit timenda jactura. Hæc consideratio movere nullatenus debet. Sufficit Fratrem esse infirmum & Religiosum, Christi servitio consecratum, ut ipsi præstita subventio meritum habeat & retributionem. Fidelis est & verax qui dixit: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus* (Matth. 25. vers. 40. & 45.) *meis minimis, mihi fecistis.* Et: *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* In se suscipiet Dominus solutionem laboris & expensarum, quas in servos suos erogabitis. Nihil sperabat Evangelicus Samaritanus reddendum à misero & derelicto sauciato, & nihilominus fecit in eum misericordiam. Episcopus Assisiensis, Domina Jacoba de Septem soliis, aliique benefactores, infirmanti Francisco, necessaria sedulò ministrabant; non quòd humanâ aliquâ se ipsi obstrictos agnoscerent obligatione, vel mercedem expectarent temporalem; sed quia pauperculum ipsum, Dei servum agnoscebant, & Domino placere spêrabant, si servo benefecissent. Dicebat Salvator cuidam, qui se invitaverat: *Cùm facis* (Luc. 14. vers. 13.) *convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in retributione justorum.* Licèt fortè infirmus dotibus careat, quibus Ordini posset utilia retribuere obsequia; tamen oportet te misereri conservi tui, sicut & Dominus tui misertus est. Ipse certè cœlestis Samaritanus misericordiâ motus super te vinum sui pretiosi sanguinis infudit animæ tuæ vulneribus, oleumque gratiæ; nihil interim à te expectans reciprocè sibi impendendæ utilitatis. *Vade, & tu fac similiter.* Tepuerat fortassis ægroti istius animus in religiosis functionibus, (Luc. 10. vers. 37.) ex apprehensa inaniter Superiorum aversione.

Visâ

Visâ nunc in contrarium hilaritate ipsorum ac promptitudine ad succurrendum, sanabitur exulceratus animus, cogetur ad redamandum, præteritas io se damnabit suspiciones, & firmiorem concipiet confidentiam. Apoc. 3. His charitatis operibus emitur aurum ignitum à Deo, quo non modò Prælatorum animæ, sed subditorum etiam locupletantur, & firmantur ad patientiam, & in patientia ad augmentum disponuntur meritorum.

Secundò, Alii fortè pro excusatione prætendent majorem ad contemplationis exercitium quietem, quasi illam turbaret necessaria pro infirmiorum necessitatibus sollicitudo. Præpostera planè contemplatio, & ab universis proscripta vitæ spiritualis directoribus, quæ in præjudicium vergit charitatis. Sub una vulgari proponamus similitudine talium hominum fatuitatem. Sit famulus aliquis, cujus herus podagrâ miserè cruciatus, pro cibo clamet ac potu: ipse verò totum se occupet in concinnanda eleganti oratione, horâque prandii cum exclamationibus, gestibus & omni arte rhetoricâ declamet præclara familiæ heri sui facinora, stemmatum ostendat antiquitatem, divitias illius magnificet, &c. Hisque dictis abeat, putans se magnam meruisse gratiam & gloriam apud Dominum, cùm nihil necessariorum podagrico ministraverit; quis non ridebit insignem hominis vecordiam? Similis est præsumptuosa illorum amentia, qui solâ volunt Dei laude atque admiratione suspendi, & membra ipsius infirmantia in suis derelinquunt necessitatibus. Clarè Dominus hanc stultitiam redarguit, dum coarratis variis Judæorum cæremoniis & cultibus, ait:
Isaiæ 1. vers. 12. *Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi: Neomeniam, & Sabbatum, & Festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri, &c.* Et tandem explicans, quæ velit à cultoribus suis, inter
vers. 17. alia ait: *Subvenite oppresso.* Apostolus etiam ad correctionem talis erroris, dum perfecti hominis opera recenset, atque inter hæc studium orationis, mox subjungit misericordiam in Fratres, tamquam individuam comitem & immediatam:
Rom. 12. vers. 12. *Orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes.* Ea quippe est orationis perfectio, si misericordiæ meritis ornetur, prout sanctè docet Augustinus:
Lib. 19. civit. Dei cap. 19. *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Hæc autem Superioribus imposita est sarcina per Regulæ præceptum.

Tertiò, Non minor foret error, si quis hanc erga infirmos crudelitatem censeret nomine austeritatis regularis, eoque prætextu gloriaretur. Bona & necessaria est austeritas, carnem crucifigens propriam;
Jac. 1. vers. 27. *religio verò munda & immaculata hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione.* Licèt S. P. N. Franciscus ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tantâ disciplinæ rigiditate sensuales arceret appetitus, ut vix necessaria sumeret necessitati naturæ; non tamen ei placebat districtionis severitas, quæ erga alios, afflictos præsertim, non induit viscera pietatis. Intempestiva est austeritatis exercitatio, quando corpus satis atterit ægritudine. Quoddam percussionis genus est miseris non compati, quos percussit manus Domini & humiliavit. Super quo Propheta lamentatur:
Psal. 68. vers. 21. *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.* Et describens illius immisericordiæ qualitatem, subjungit:
vers. 27. *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et iterum alias:
Psalm. 37. vers. 9. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Unde verò, & quare? Quia
vers. 12. *amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt; & qui juxta me erant, de longe steterunt.*

Quartò, Nec audiendi sunt, qui suam sanctificare contenderent inhumanitatem obligatione paupertatis, cui æquè obnoxios dicunt infirmos ægritudinis tempore ac sanitatis. Verum hoc quidem. Sed aliud est paupertatis exercitium, aliud crudelitatis in pauperes. Illud præceptum est à Francisco; hoc prohibitum. Quinam autem sunt veriores pauperes, quàm qui destituti sunt thesauro sanitatis? & quænam major crudelitas, quàm his necessaria denegare? Molestior est eis morbi afflictio, cujuscumque rei temporalis indigentiâ. Placeat ergo tibi Sapientis consilium:
Eccles. 4. vers. 1. *Fili eleëmosynam pauperis ne fraudes, & oculos tuos ne transvertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris, & ne exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, & ne avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, & ne relinquas quærentibus tibi retrò maledicere. Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem qui fecit illum.* Exemplum illius habemus in duriori aliquo Guardiano.
Chron. p. 1. lib. 1. cap. 22. Hic cùm afflictum aliquem fratrem ad ignem reperisset, pedes suos podagricos medicantem, abegit, & ad cellam ire præcepit. Vix inde discesserat ægrotus, & ecce inclemens Prælatus eisdem cœpit doloribus lancinari; eoque judicio, indulgere didicit egenti subdito, quidquid ad illius proderat curationem. Non deerit Conventui unde subditis subveniatur, si non desit in Superioribus diligentia conquirendi. Misericors Dominus qui morbum immisit, benefactores quoque præparavit qui proportionatè succurrant. Hoc si credatur, non urgebitur impatienter morbidorum Fratrum dimissio, quasi ex eorum cohabitatione periculum immineret Conventui intolerandæ egestatis.
Martyr. Franc. ad 28 Decem. F. Petrus à S. Magdalena, Guardianus Toletanus, ex charitate, quâ erga infirmos æstuabat, sæpè suum rogabat Provincialem, ut sibi mitteret quotquot haberet per Provinciam valetudinarios: accepturus omnes liberaliter, & curaturus. Optimè intelligebat Vir prudens benedictionem Conventûs esse semper cum infirmis, nec umquam deserendum à Deo locum, in quo Fratres habitant Christum in

corporibus suis ferentes : qui etiam bene valentibus fratribus, occasionem præbent exercendi præclara charitatis opera, & misericordiæ. Nec Inutiliter : opimus enim rependunt ministris suis fructus meritorum, quos è patientia sua metunt abundanter ; ita ut jure
1. Cor. 9. vers. 11. dicere possint cum Apostolo : *Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* Seminant quippe ægroti sancta patientiæ & humiliationis exempla, benedicunt ex corde ministrantibus sibi Fratribus ! & quod summum est, dum contingit eos ex hac vita in cœlum emigrare, singularibus apud Deum suffragiis pro ipsis id solvunt ad quod obligabantur. Si enim Stephani Martyris oratio Saulum salvavit neci ejus consentientem, & Martyres alii tortoribus suis post mortem gratias impetrârunt singulares ; quis dubitet beatas illas animas meminisse in cœlo eorum, à quibus expertæ sunt misericordiam, & quibus in hac vita vicissitudinem retribuere permissum non fuit?

TEXTVS & §. V.

Et aliis Fratribus induendis.

SVMMARIVM.

Tabitha munificentia in pauperibus vestiendis. Eam æmulatus Franciscus. Peccant graviter Superiores negligentes necessitates suorum, & pro se solis solliciti. Sedulus quidam Sartor Minorita eximiè in cœlo remuneratus. Beneficentiæ commendatio, sententiâ D. Bernardi & Pauli Apostoli.

DIscipula quædam Apostolorum, Tabitha nomine, sive Dorcas, defuncta in Joppe, hoc præclaro honoratur laudis testimonio, quòd cùm ad cadaver ipsius adductus esset D.
Actor. 9. Petrus. *Circumsteterunt illum omnes viduæ flen-*
vers. 39. *tes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* Et divino pronuntiatur e-
vers. 36. logio : *plena operibus bonis, & eleëmosynis quas faciebat.* Pauperum Patriarcha Franciscus, haud dissimiliter virum se exhibuit misericordiæ ; quem intelligi potest circumstare paupercula Minorum familia, ostendens tunicas & vestes quas illi faciebat, paternâ disponens providentiâ, ut Ministri & Custodes, non modò curam vel sollicitudinem, sed & *sollicitam curam gerant pro Fratribus induendis.* Noluit servus Dei, in sanctis occupatos exercitiis, carere illis, quæ honesta exigit vitæ sustentatio, ut tantò diutiùs perdurare possint in laboribus, & alacriùs obedientiam adimplere. Milites suis aucti stipendiis, gaudenter & intrepidè belli subeunt pericula : mancipia ipsa hilariter sua præstant servitia, dum vident vitæ suæ atque sanitatis haberi rationem : quin & bestiæ ipsæ, nisi necessario refocillentur pabulo, languent ad labores ; sic & Religiosi subditi, si à suis negligantur Superioribus. Insuper scinditur charitas, inæquali laborum communium distributione. Accidit hoc in primitiva Ecclesia, quando
Actor. 6. religiosæ vitæ norma præmonstrabatur. *Cres-*
vers. 1. *cente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum,* arbitrantium non justam sibi dari quemadmodum Hebræis portionem. Absit murmur tale seu potiùs talis murmurandi occasio à nostra fraternitate.

De sæcularibus Principibus pronuntiat
Sapiens : *Leo rugiens, & ursus esuriens, Prin-* Prov. 28.
ceps impius super populum. Suis omnia tribuit vers. 15.
commoditatibus, recreationibus, & luxui, subditisque subtrahit, quæ in bonum erant Reipublicæ destinata. Quod & Isaias de Re-
gibus deplorat Judæorum : *Principes tui in-* Isaiæ 1.
fideles, socii furum. Quibus comminatur Do- vers. 23.
minus apud Ezechielem : *Væ pastoribus Israel,* Ezech. 34.
qui pascebant semetipsos. Nonnè greges à pastori- vers. 2.
bus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis ; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, &c.
Tandem multis aliis exprobratis addit : *Vivo* vers. 8.
ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quòd non esset pastor : neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. Propterea pastores, audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. Absit ut tale fulmen super capita Ecclesiasticorum veniat vel Regularium
Prælatorum. Non veniat anima eorum in 1. Reg. 25.
consilio viri istius iniqui Nabal, qui Davidi indigenti modicum negavit subsidium. Grave est Communitati talem pati dispensatorem, superbum, tristem, inexorabilem, rerumque communium quasi proprietarium. Hunc si contingat postea justè pro meritis confundi, dicent de eo Fratres reliqui, quod de duro isto Na-
bal pronuntiabat David : *Benedictus Deus, qui* vers. 39.
judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, & servum suum custodivit à malo, & malitiam

Nabal

Nabal reddidit in caput ejus. Impendite charitativè, quo nudi servorum Dei humeri vestiantur. In memoriam coram Deo, vestra veniet beneficentia. Refert S. Antoninus, quòd

3. p. Histor. tit. 24. c. 9. §. 2.

F. Bonagratia Generalis Minister narraverit aliquando, quòd tempore Generalatûs D. Bonaventuræ, quædam mulier magnæ sanctitatis, orans vidit triginta Fratres mortuos Parisiis, è quibus quinque ad purgatorium deferebantur; vigintiquinque ad gloriam evolabant: quorum ultimum vidit in ordine Seraphim collocari. Fuitque illi revelatum, quòd iste ultimus erat quidem Frater Laicus, nomine Venantius, cujus officium erat in Conventu Parisiensi vestes habitusque aliorum Religiosorum consuère ac resarcire; quia verò hoc præstitit cum eximia charitate, meruit ob ingentia merita cæteris altiùs in cœlo sublimari; non enim secundùm gradum vel scientiam, sed secundùm latitudinem charitatis præmium mensuratur.

Audiamus quantùm æstimet benefaciendi promptitudinem D. Bernardus quàmque affectuosè commendet: *Quicumque*, inquit, *in hac vita se ita benevolos atque beneficos præbuerunt, ita inter homines humanè vivere studuerunt, quatenus omnem quam visi sunt habuisse gratiam, non sibi tenerent, sed in commune deducerent: æstimantes se amicis pariter & inimicis, sapientibus & insipientibus debitores; cùmque fuissent utiles omnibus, humiles in omnibus, & præ omnibus extiterunt dilecti à Deo & ab hominibus, quorum fragrantia in benedictione est. Quotquot, inquam, tales præcesserunt, fragrarunt suis temporibus, fragrant & hodie unguentis optimis. Tu quoque, si donum quod desuper accepisti, nobis contubernalibus tuis libenter impertiaris, si exhibeas te ubique inter nos officiosum, si affectuosum, si gratum, si tractabilem, si humilem; testimonium habebis ab omnibus quod fragres & ipse unguentis optimis. Omnis in vobis qui fraternas infirmitates tam corporum quàm animorum non solùm patienter supportat, sed insuper si licet & valet; juvat obsequiis, confortat alloquiis, consiliis informat, balsamũ in ore est hujuscemodi Frater in congregatione.*

Serm. 12. in Cant.

Hinc patet, ex mente Bernardi, ab officiis charitatis nec illos excludendos, qui malè morati videntur, onerosi, & Superioribus suis aliisque Conventûs Officiariis obstrepentes. Primùm quidem, quòd in hujusmodi defectuum suspicionibus facilè cadat error. Deinde tametsi manifestè mali sint & onerosi; numquid licet pejores facere denegatione necessariorum? Itaque *si esurierit tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Quis scit si carbones beneficientiæ congerens super caput ejus non facies oculos ejus aperiri ad meliora. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Benefacite his qui oderunt vos: ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* Nulla sit apud nos personarum acceptio, sed taliter agamus, ut Seraphicus noster Institutor, idem de Prælatis Ordinis sui sentire possit & dicere, quod Apostolus de Philemone, cui scribit in hæc verba: *Gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes sanctos, ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. Gaudium enim magnum habui in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te.* Commendans deinde Onesimum servum Philemonis, addit: *Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis, quem remisi tibi. Tu illum ut viscera mea suscipe.* Et: *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.* Eodem affectu, Franciscanum suscipiant Prælati, quo Franciscum. Errare possunt in deneganda charitate; numquam verò errabunt in exhibenda, ingratissimis licèt, indignissimis, eâque abutentibus: quia ad Patrem derivatur, quod cumcumque impenditur filio. Eò laudabilior erit magisque apud Deum meritoria beneficientia, quò minorem recipietis à subditis agnitionem. Hoc enim argumento probatur, non ab humanis enatam esse respectibus, sed à dilectione illius, qui gregem suum pascendum vobis tradidit atque curandum.

Rom. 12. vers. 20.

vers. 21. Matth. 5. vers. 45.

ad Philem. vers. 4. & 5. 7.

vers. 11.

vers. 17.

TEXTUS & §. VI.

Per amicos spirituales.

SUMMARIUM.

Elisæi exemplo debent Franciscani sanctâ conversatione excitare benevolentiam spiritualium amicorum. Fœda est erga benefactores ingratitudo. Temporale beneficium singulare suo Medico Franciscus exhibuit. Item spiritualia, suis Fratrumque suorum hospitibus. Mirabile beneficium desperatæ redditum benefactrici.

TRanseunte per Sunam Elisæo, mulier quædam tenuit eum ut comederet panem: cùmque frequenter illac transiret, divertebat ad eam ut comederet panem. *Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quòd Vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter. Faciamus* 4. Reg. 4. vers. 9.

ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. Ista est liberalis Dei providentia, quâ servis suis, de necessariis vitæ humanæ, per amicos providet spirituales. Ad hanc munificentissimam Domini manum, quæ aperitur indies & implet omne animal benedictione, respiciens Franciscus, à se filiisque suis omnem penitùs ablegavit usum pecuniarum, confidens quòd benignissimus Deus, qui viduæ præcepit ut
3. Reg. 17. pasceret Eliam, & mulierem aliam maritumque ipsius disposuit ut necessaria emerent Elisæo utensilia; suis quoque pauperculis Franciscanis faciet *per amicos spirituales*, de necessariis cunctis provideri; ne nos eorum emendorum curâ distracti, à sanctis aliquatenus turbemur aut retardemur exercitiis, sed uni soli Deo vacantes, ipsius maneamus jugiter officiis occupati. Magnum sanè spiritualis amicitiæ argumentum, quando sic ipsorum obsequiis liberamur à cura terrenorum, & ad sola reservamur spiritualia Angelicorum ordinum ministeria.

Nostri muneris est tam honestâ, devotâ, & humili inter amicos istos degere conversatione, ut veraciter possint de unoquoque nostrûm dicere: *Animadverto quòd Vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.* Hæc animadversio vehemens incentivum est illarum bonarum voluntatum in benefactoribus, ut non tantùm eâ ratione ducantur compassione indigentiæ nostræ, quâ erga alios pauperes; sed excitentur quoque reverentiâ virtutis religiosæ, quæ vehementer evincere solet ipsorum animos, atque liberalitatem: sicut in Sunamitide apparuit, inde concludente: *Faciamus ergo, &c.* Non tamen, quòd eo fine virtutem colere debeamus: tunc enim
Matth. 6 vers. 2. 5. 16. non esset vera virtus, sed quæstuaria hypocrisis, totam suam mercedem in istis recipiens temporalibus.

Eximia quoque exigitur à nobis erga benefactores gratitudo. Ne similes fiamus porcis, qui glandes è terra colligentes, numquam sursum aspiciunt ad excutientem, vel ad arborem unde excutiuntur. Arbor unde nobis eleëmosynæ decutiuntur, divina est liberali-
Dan. 4. vers. 8. tas: *Magna arbor & fortis, proceritas ejus contingens cœlum: aspectus illius usque ad terminos universæ terræ: & esca universorum in ea.* Hinc edent pauperes & saturabuntur, excutientibus ea ex arbore eleëmosynas benefactoribus. Erigamus igitur corda & animos ad laudandum Dominum, & benefactoribus gratificandum. Beneficiis ingratus exhibitis, indignus efficitur exhibendis. Vicissitudinem in temporalibus non expectant. Confidunt per nos remissionem impetrare de præteritis peccatis; & à futuris præservationem: ut ita nostris intercessionibus & meritis in æterna recipiantur tabernacula. Sperant etiam per nos temporalia à Domino
4. Reg. 4. vers. 17. & 35. consequi beneficia. Sic benefica mulier Sunamitis filium impetravit precibus Elisæi; & ipsius postea defuncti resuscitationem. Seraphico etiam Francisco pro benefactoribus apud Dominum interpellante, mirum est quàm promptè & liberaliter in plurimis subvenerit
occurrentiis. Tempore quo Vir Dei infirmus Leg. cap. 7. num. 10.
jacebat in eremitorio prope Reate; medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam: liberalissimus Deus, ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium ejus obsequium, hoc novo beneficio, vice pauperis compensavit. Hujus enim Medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro de novo construxerat, parietum patulâ scissione, à summo usque deorsum, adeo de proximo minabatur ruinam, quòd non videbatur per humanæ artis industriam possibile ipsius casui obviare. Ipse verò de Sancti Viri meritis plenè confidens, cum magnæ fidei devotione petivit à sociis ejus aliquid sibi concedi, quod idem Vir Dei manibus contrectasset. Cùm igitur modicum de capillis ipsius, multâ precum obtentum instantiâ, posuisset de serò intra muri scissuram, manè consurgens, tantâ invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec prioris scissuræ vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut qui ruinoso corpusculo Servi Dei sedulè ministrârat, ruituræ domûs propriæ periculo præcaveret. Alia corporalia subsidia, Dominum ipsius Sancti meritis retribuisse illius benefactoribus, recenset D. Bonaventura in eadem Legenda c. 7. n. 11. & cap. 12. n. 8. & 16. Item cap. 16. §. 3. n. 1.

Præstant verò beneficia, animabus bene- Leg. c. 11. num. 4.
factorum collata, in perpetuam earumdem salutem. Quodam tempore, cùm Franciscus post reversionem de ultra mare, Celanum prædicaturus accederet: miles quidam supplici cum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum: omnisque familia pauperum hospitum cautavit ingressu. Antè verò quàm cibum sumerent, juxta solitum morem Vir mente devotus, offerens Deo preces & laudes, oculis stabat elevatis in cœlum. Oratione completâ, benignum hospitem familiariter advocatum in partem, sic allocutus est: *Ecce Frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi. Meis nunc citò monitis acquiesce; quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, vera pœnitentia dolore contritus; nec in te remaneat quidquam quod veridicâ confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tantâ devotione suos pauperes suscepisti.* Acquievit continuò vir ille sermonibus Sancti: socioque ipsius universa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam; & ad mortem suscipiendam se quantùm valuit præparavit. Intraverunt tandem ad mensam; & incipientibus aliis manducare, hospes subitò spiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei, repentinâ morte sublatus. Sicque factum est, hospitalitatis gratiâ promerente, ut (juxta verbum Veritatis) *Prophetam reci-* Matth. vers. 41
piens, mercedem prophetæ acciperet: dum per sancti Viri prænuntiationem propheticam, miles ille devotus, sibi contra mortis subitationem providit; quatenus armis pœnitentiæ præmu-

præmunitus perpetuam damnationem evaderet, & æterna tabernacula introiret. In principatu Cataloniæ apud Sancti Celoni oppidum inter Barcinonam & Gerundam decerpserat Viri Dei socius ea obvia vinea, racemum unum aut alterum, ad famem sitimque temperandam: pro eo tenui beneficio Franciscus Domino vineæ comiter gratias habuit, initoque cum eo placido & longiusculo de rebus cælestibus sermone, adeo eum sui juris reddidit, ut promitteret se hospitio excepturum omnes imposterum Fratres Minores illuc appellentes, & quantùm liceret necessaria ministraturum. Franciscus è ragione ut beneficium rependeret, in partem eum admisit bonorum operum, quæ in suo fierent sodalitio, & Patris Fratrum Minorum nomine donavit. Optimè deinceps dum vixit Vir bonus promissum adimplavit, nec erat ullus ex Fratribus advenis, qui non haberet unde hominem dignè laudaret. Longævus demum vitam meliori mutavit; sed dum justa solverentur clero convocato, neque adveniante ex Fratribus ullo, qui jin locis & civitatibus vicinis jam habebant domicilia, exortum est murmur in populo, quo taxabantur de ingratitudine. Subitò ad valvas Ecclesiæ in quam delatum cadaver, apparuerunt viginti duo Minores, qui alternis choris piè & devotè pro Ecclesiæ more defuncti animæ parentarunt. Expletis funeralibus à consanguineis vocantur ad prandium, sed templum egressi ex omnium oculis mirabiliter evanuerunt: quo facto non immeritò universus judicavit populus angelos vel sanctos Fratres è cœlo huc missos fuisse, precibus & meritis S. Francisci, in obsequium & honorem optimi sui benefactoris.

Annal. Tom. 1. an. 1214. num. 31.

Admirabilius est quod posterioribus contigit temporibus B. Petro de Regalada. In oppido quondam ad ripam fluminis Durianisito, mulier erat dives isti Viro Dei valde addicta, & erga Fratres benefica. Hæc fragilitate fœmineâ in maritum deliquit, & detecto crimine mortis pœnam timuit se daturam. In desperationem ab eo, qui adulterium inspiravit, redacta, se præcipitavit in flumen. Causam hanc inflictæ mortis meliores referunt scriptores: alii honestiorem scribunt tuendæ pudicitiæ. Post biduum extractam Vir ligneo inclusit loculo, atque his verbis inscriptis: *Nullus contingat, corpus inest desperatæ mulieris, quæ sibi intulit necem*; denuò projecit in flumen. Qui supernatantem videbant capsam, avidè in terram trahere conabantur; at lectâ inscriptione dimittebant. Apparuit nocte sequenti Angelus Domini Viro Sancto, matutinas laudes concinenti, & totius rei seriem aperuit, atque ut loculo propè decurrenti occurreret, & corpus Ecclesiasticâ donaret sepulturâ, præmonuit. Etsi enim, inquit, desperans aquis se præcipitaverit, attamen Dei miserantis peculiari dono pœnituit, & potentissimâ gratiâ inter ipsas aquas, & mortis pœnas, ita suæ animæ curas egit, ut pereunte corpore solius commissi reatus & secuti præcipitii dolore vexaretur. Plurimùm debet tuis tuorumque orationibus, propter beneficia recepta repensis: hâc singulari venia delictorum voluit Dominus illius compensare munera; & vestras preces illustrare. Absoluto divino officio rem omnem Regalatus Fratribus narravit, & protinùs cum omnibus præeunte cruce & reliquis de more sacris, ad ripam fluminis accessit; ubi inhærentem loculum invenit, detectumque corpus agnovit, & in cœnobium humeris allatum honestâ donavit sepulturâ.

Annal. Tom. 5. an. 1448. num. 15.

Tametsi non omnibus datum sit tam illustribus & apparentibus miraculis compensare spiritualium amicorum liberalitatem; concessum tamen est universis, intercedere apud Deum, ut ab infortuniis præserventur, ut pia eorum vota citiùs exaudiantur, ut internis Spiritûs Sancti gratiis confortentur, utque tandem ad cæli transferantur possessionem.

TEXTUS & §. VII.

Ministri tantùm & Custodes sollicitam curam gerant.

SUMMARIUM.

Superiorum officium est, ut præsint in sollicitudine. Eleëmosynas non absumant inutiliter, in superfluis ædificationibus, aut templorum ornatibus. Inconvenientia multa inde oriuntur, quòd non provideatur congruè necessitatibus subditorum. Superiores non retardentur ab ea cura per desiderium internæ quietis, vel propter ingratitudinem subditorum.

Salvator noster tribuens Superioribus sui formam officii, ad Apostolos ait: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator.* Prælatorum munus est ministrare, subditisq; sedulâ curâ prospicere de necessariis. Hujus exemplum præbuit semetipsum

Luc. 22. vers. 26.

Princeps

vers. 27. Princeps pastorum: *Ego*, inquiens, *in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Et transiturus ipse ex hoc mundo ad Patrem, eamdem
Joan. 21. vers. 15. curam suo commisit Vicario, dicens: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas.* Atque ex his Christi factis & verbis, nata est universalis per Apo-
Rom. 12. vers. 8. stolum edita constitutio, ut sit *qui praeest in sollicitudine*. Translato curarum temporalium onere à subditis in humores Superiorum, congregatio subditorum sine sollicitudine est, cogi-
Isaiæ 32. vers. 18. tans solùm quæ Domini sunt. *Sedebit populus meus*, inquit Dominus, *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Aberit ab eis sollicitudinis bellum, curarumque conflictatio; si duciamque habentes in Domino, qui dat escam omni carni, requiem possidebunt, omnibus opulentorum divitiis feliciorem. Huc collimavit Seraphicus Franciscus, Ut multitudinem filiorum suorum, in hujus pacis & requiei pulchritudine faceret considere, omnem temporalium sollicitudinem in paucos derivavit Superiores, dicens: *Ministri tantùm & Custodes sollicitam curam gerant.*

His itaque cavendum est, ne supervacaneo pruritu ædificandi, pretiosa comparandi templorum ornamenta, Bibliothecas curiosè instruendi; aliisque similibus, eleëmosynas expensæ absumant non necessariis. Vivorum potiùs lapidum habeatur ratio, ex quibus construenda est urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio. Laudabile est, quòd dicere quis possit,
Psal. 25. vers. 8. & sentire: *Domine dilexi decorem domus tua.* Verùm id minimè excusat, quòd sic Ecclesiarum ornentur parietes, ut corpora negligantur subditorum, quæ templa sunt Spiritûs San-
Eccles. 34. vers. 21. cti; ipso Domino serenè sententiam: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non beneplacita subsannationes injustorum*, quas irridet Deus atque contemnit. *Qui offert sacrifi-*
vers. 24. *cium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Non honor, sed tormentum affertur Patri carnali, in cujus præsentia filius jugulatur. Præcipuus Domini
Matth. 14. honor est servis ipsius studiosè benefacere. Sic enim interpretatur ipse Christus mandatum de parentibus honorandis, scitè Pharisæis exprobrans crudelitatem, eò quòd docerent offerre in templo munera relictis interim parentibus in necessitate; quam iniquam religionem militare ostendit contra præcep-
Leg. c. 7. num. 4. tum Dei, legemque charitatis. Franciscus item, malebat altare Virginis gloriosæ de Portiuncula nudari, cùm Fratrum id requireret necessitas; quàm contra paupertatis votum & observantiam Evangelii, aliquid vel modicum attentari. A fortiori nollet ornari altaria, cum præjudicio charitatis erga ministros altaris, & cum evidenti disciplinæ regularis detrimento.

Incredibile porrò est, quantum istis bonis stragem inferat neglecta Prælatorum sollicitudo, pro necessitatibus subditorum. Hinc invidia succrescit, murmur, atque scissuræ, similes iis quas commemorat Apostolus, ortas occasione inæqualitatis inter primos Chri-
1. Cor. 11. vers. 20. stianos: *Convenientibus vobis in unum*, inquit, *jam non est dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*; propter quod ditiores haud æquo animo à pauperioribus ferebantur. In hoc quoque casu similium imminent inconvenientium pericula. Subditi passim adjiciunt animum ad conciliandos sibi amicos & amicitias importunas, easque fovebunt modis servitiisque parum congruentibus, cum solitudinis studiorumque tam litteralium quàm spiritualium detrimento, & immeosâ segere distractionum. Conquisitisque eo medio necessariis, timeodus erit proprietatis affectus, & irresignatio ad liberam Superiorum dispositionem. Apprehendent injuriam sibi fieri, si priventur iis quæ proprio comparârunt labore vel in solum suum usum à parentibus impetrârunt vel benefactoribus. Ad hæc, superabundanter sibi prospicient in diem malum de libris, vestimentis, supellectili & curiositatibus innumeris, contra paupertatis formam, religiosæque honestatis. Verendum quoque ne destinatas pro communitate eleëmosynas, studeant aliqui subtiliter in propria derivare emolumenta. Rarò etiam prompti invenientur ad laborandum pro communitate, quando viderint comparata suis laboribus, in communes necessitates non fideliter dispensari. Illi etiam quibus non ita suppetunt benefactores vel modi acquirendi, cruciabuntur cùm alios ejusdem secum status existentes viderint abondare. Contabuit Cain invidiâ con- Gen. 4.
tra Fratrem, amplioribus à Deo benedictionibus locupletatum; quid mirum, si aliqui amaricentur Religiosi contra alios præter statum proprium abundantes? Ut his malis omnibus aditus præcludatur, Religiosi Superiores sollicitam curam gerant pro suorum necessitatibus filiorum. *Non debent filii*, religiosi, 2. Cor. 12.
sibi-ipsis vel *parentibus thesaurizare; sed parentes filiis.* Multùm acceptabile est æterno Patri vers. 14.
& Francisco subditorum affectus ad amorem emolliri, simulque auctoritatem confirmari quidliber præcipiendi, dum à Superioribus omnia susceperint necessaria. Deficiente stipendiorum solutione, ac sufficienti annonæ provisione, animus adimitur militibus & alacritas, nec ita confidenter in campum educuntur, nec de suis castigari possunt insolentiis; secus si eis omnia præsto sint necessaria. Antiochus Rex volens ingentia cum militibus suis aggredi negotia, *aperuit ærarium suum, &* 1. Mach. 3.
dedit stipendia exercitus in annum: & mandavit vers. 28.
illis ut essent parati ad omnia. Sic prompta vigebit Religiosorum obedientia, jussa capessent & correptiones, eruntque parati ad omnia, si viderint, pro eleëmosynarum quantitate, communibus charitativè necessitatibus ministrari.

Traditores sunt aliqui in hac sollicitudine, quòd toti in exercitiis internis esse cupiant, & procul à strepitu curarum. Sed numquid vult Deus sabbata nostra, dum impositis ab ipso intendendum est operibus charitatis? Fragrantissima devotio est, relictâ quiete propriâ, divinas propensiùs exequi voluntates. Mellifluum super hoc consulamus Bernardum: Epist. 8. ad Abb.
Fortè inquit, *provocat quietis & otii gustus suavior.* *Sed* S. Joan.

Sed enervatur dispendio pacis. Libenter carebo etiam quantolibet spirituali gustu, qui non possit acquiri sine scandalo: ubi enim est scandalum, ibi est charitatis detrimentum: ubi autem est diminutio charitatis, miror quod vel quale possit spiritualis exercitii sperari lucrum. Denique si propriam quisque quietem communi prætulerit utilitati; quis jam veraciter dicere poterit: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum? *Ubi erit quod iterum dicit Apostolus*: Nemo sibi vivit, nemo sibi moritur? *Et*: Non quod mihi utile est, sed quod multis. *Et*: Qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est? Fateor D. Bernardum respexisse magis ad culturam subditorum in spiritualibus, quàm ad corporum fomenta. Tamen, quis dubitet hoc etiam opus esse spirituale, si cum humilitate, piâque exerceatur intentione? Hâc ratione fit, subditos elevare puriores ad Deum manus, eumque corde laudare ferventiori, & voce efficaciori prædicare Dei magnalia, & peccantium intendere conversioni. Horumque meritorum affluenter participes fiunt Superiores, qui domesticâ tenentur sollicitudine. *Sicut illius occupatio*, inquit S. Prosper, *omnium suorum facta est fructuosa vacatio, ita omnium discipulorum perfectio gloriosa, Magistri honor habetur & gloria.*

Philipp. 1. vers. 21. Rom. 14. vers. 7. 1. Cor. 10. vers. 33. 2. Cor. 5. vers. 15. De vita Contempl. lib. 2. c. 16.

Fastidium ingerit aliquando ingratitudinis subditorum consideratio, qui non modò non agnoscunt sollicitudinis beneficium, sed querimoniis insuper & judiciis iniquis impetunt & murmurationibus. Contra hanc tentationem providè Superiorem instruit B. Joannes Lucensis dicens: *Prælatus dum omnia egerit, à subditis non speret remunerari, sed à Deo; illi enim frequenter multiplex Superioris beneficium, insigni compensant ingratitudine.* Plerumque permittit Deus subditos obliviosos esse beneficiorum, ne Ministri sui quidquam remunerationis in hoc accipiant tempore; sed integrum eis præmium pro beata reservetur æternitate. *Non est enim injustus Deus*, inquit Apostolus: *ut obliviscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ejus, qui ministrastis sanctis & ministratis. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem, ad expletionem spei usque in finem: ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabunt promissiones.*

Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 47. Hebr. 6. vers. 10.

TEXTUS & §. *VIII.*

Secundùm loca & tempora & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire.

SUMMARIUM.

Magna sapientia Prælato necessaria, ut in actibus regiminis discernat pro circumstantiarum varietate. Scrupulosi subditi sunt præveniendi, ut acceptent necessaria. Prælati sic temperent curam corporalium, ut animæ propriæ non obliviscantur. Studium subditis complacendi non adigat eos ad agendum præter justum & æquum. Nimia condescendentia quantùm noceat Ordini.

SAlomoni sedenti super thronum David patris sui facta est à Domino per somnium optio, ut postularet quodcumque voluisset. Considerans autem se parvulum, & ignorantem, atque constitutum in medio populi infiniti, qui numerari non poterat præ multitudine, oravit dicens: *Domine Deus, dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Deditque ei Dominus cor sapiens & intelligens ad faciendum judicium. Similes optavit numerosissimæ familiæ suæ Rectores Franciscus, in quibus esset sapientia Dei ad judicandum circa subditos, pro circumstantiarum varietate, atque discernendum inter bonum & malum, necessarium & superfluum, *secundùm loca & tempora & frigidas regiones*: neque enim una & eadem regendi ratio pro populo Franciscano quasi infinito per totum terrarum orbem diffuso potuit observari. Magnâ igitur sapientiâ & discretione opus habent, ad providendum singulis *sicut necessitati viderint expedire.*

3. Reg. 3. vers. 9.

Subditorum imperitiam, qui ex scrupulorum anxietate non audent admittere necessaria, corrigere debent, & discretè prævenire. Neque enim expectandum est cum aliquibus, donec postulent ipsi aut conquerantur de miseriis suis, dum jam fortè inutiles vel multùm fracti fuerint; sed nocumentum indiscretionum auctoritativâ prævertendum est ebaritate. Tametsi ferri videantur zelo honorandi Deum, qui nostrâ delectatur alacritate, in crucis deportatione; tamen *honor Regis judicium diligit*: quo judicio & discretione in præcipitatis subditis deficiente, supplere debent directores; quibus non solùm calcaria ad

Psalm. 95. vers. 7.

urgendum, sed fræna quoque data sunt ad periculosè currentes cohibendum. Meminisse debent, se medicos esse, præfectosque infirmorum, inter quos reperiuntur aliqui adeò non sanæ mentis, ut debiles cùm sint, validos se existiment & fortes, cibos respuant meliores, de remediis audire nolint, atque in summo delirio, sapientissimi sint apud semetipsos. Credere talibus, est eos perdere, & cum ipsis delirare. Dicunt se studere perfectioni; pro cujus adeptione, necessaria sit mortificatio. Modum huic studio imponit Sapiens: *Noli esse* (Eccles. 7. vers. 17.) *justus multùm*, id est nimiùm, *neque plùs sapiens quàm necesse est, obstupescas.* Hunc modum adhibeant maturi Rectores, non solùm propter conservationem sanitatis corporalis; verùm & maximè propter uniformis custodiam disciplinæ, quæ per indiscretiones potissimùm labefactatur, & tandem effeta, perit citò atque destruitur. Indubitatum est enim moderata durare; excessiva collabi. Imprudens est auriga, suique ac vectorum destructor, qui currentibus proprio impetu equis laxat habenas, & per prærupta avolare permittit. Non modò *fidelis* debet esse *servus* (Matth 24. vers. 45.) *quem constituit Dominus super familiam suam,* verùm *& prudens, ut det illis cibum in tempore,* nempe necessitatis, prout Liranus noster exponit; non solùm denegans intemperantibus, sed dum tempus est, etiam ingerens scrupulosis. *Curam illorum habe*, ait Ecclesiasti- (Eccles. 32. vers. 2.) cus, *& sic conside, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, &c.* Hâc discretâ Prælati benignitate, non modò corpora subditorum præservantur à sanitatis nocumento; sed animi quoque disponuntur ad suscipiendum promptiùs monita salutis, dicente D. Gregorio: *Egentis mentem sermo doctrinæ non penetrat, si hunc apud animum manus misericordiæ non commendat. Tum autem verbi & monitionum paternarum semen facilè germinat, si hoc in audientis pectore pietas rigat. Unde Rectori necesse est, ut interiora possit infundere, etiam exteriora providere. Nam quasi jure à percipiendis præceptis animus gregis frangitur, si cura exterioris subsidii à pastore negligatur.*

Altera tamen ex parte, cavendum est Ministris, ne nimiâ curandorum temporalium sollicitudine elongentur ipsi à Deo, simulque animas negligant sibi concreditas, dum curâ excessivâ pro pascendis occupantur corporibus. *Sæpè enim*, inquit D. Greg. *velut obliti, quòd Fra-* (Pastoral. p. 2. cap. 7.) *tribus animarum causâ Prælati sunt, toto cordis adnisu sæcularibus curis inserviunt; has, cùm adsunt, se agere exultant: ad has etiam condescendunt; diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant. Cùmque ab his cessante forsitan opportunitate quieti sunt, ipsâ deteriùs suâ quiete fatigantur: Voluptatem quippè censent, si actionibus deprimantur; laborem deputant, si in terrenis negotiis non laborant. Sicque fit, ut dum urgeri mundanis tumultibus gaudeant, interna quæ alios docere debuerant, ignorent. Unde subjectorum quoque procul dubio vita torpescit; quia cùm proficere spiritualiter appetit, in exemplo ejus sibi Prælatus est, quasi in obstaculo itineris offendit. Quâ autem mente animarum præsul pastoralis honore inter cæteros utitur, si in terrenis negotiis, quæ reprehendere in aliis debuit & ipse versatur: Secularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, numquam verò ex amore requirenda: ne cùm mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere de cælestibus ad ima demergant.* Rapiuntur aliquando ad excessivam ejusmodi sollicitudinem, studio subditis complacendi, non pensantes quod scriptum est. *Qui hominibus placent*, hoc est homi- (Psal. 52. vers. 9.) num gratiam appetunt, tamquam suorum mercedem factorum, *confusi sunt: quoniam Deus sprevit illos*, vilesque eorum intentiones, & humanorum respectuum prætensiones, quas indignis illis complacendi modis aucupantur. Et justo Dei judicio vanis suis spebus excidunt cum confusione, juxta intentatam à Davide sententiam: *Linguis suis dolosè age-* (Psal. 5. vers. 10.) *bant, judica illos Deus. Decidant à cogitationibus suis.*

Neque probandi sunt pusillanimes isti, qui passim subditis cedunt quidlibet importunè postulantibus, neque continere audent intra limites necessitatis. Non id præcipitur præsenti regulæ mandato, neque constituti sunt Ministri prodigorum mancipia subditorum; quinimò ejusdem jure regulæ debent superflua denegare, atque sollicitam dumtaxat erogandorum curam gerere, *sicut necessitati viderint expedire.* Subditi, in causâ propriâ subditi sunt; necessitatis judicium Superioribus committitur. Hi Rectores constituuntur & Patres congregationis, indiscretionum correctores, atque infracti vindices paupertatis, quibus incumbat omnem arcere superfluitatem. Obsecro, ut numquam deflectant considerationem à pronuntiatâ per B. Joannem (Annal. Tom. 6. an. 1471. num. 47.) Lucensem sententiâ: *Si Prælatus*, inquiebat, *ut subditis condescendat, à recto tramite recedat, malum duplicabitur; nam Deum offendet, & subdito non satisfaciet.* Importunitas sollicitantis, constanti frangetur auctoritate, & fracta conquiescet: alioquin si se viderit prævalere, insatiabilis manebit atque intolerabilis; semperque cedere oportebit tamquam juri acquisito ad consimiles superfluitates, & fiet onus importabile Prælatorum, totiusque sequetur interitus disciplinæ. Non parùm no- (Annal. Tom. 2. an. 1289. num. 23.) cuit Ordini regimen Mathæi Aquaspartani Ministri Generalis, non quòd ipse malus fuerit, aut malè præceperit; sed quòd eo mitiùs & laxiùs agente, paulatim attenuata sit regularis observantia. Compatiebatur omnibus, nullum querulum, sed cunctis satisfactum volebat, omnium condescendebat votis, absque prævio examine, an expediret. Auxit malum, quòd Cardinalis factus, non ut oportuit, attendere potuit ad Ordinis gubernium: nec est ausus ad arctiora cogere, dum suaviorem ipse Principis post Cardinalatum vivendi formam præferret; & sic ab ejus exemplo Provinciales mitiores facti; ab his Guardiani, non ampliùs pro necessitate, sed pro cujuspiam cupiditate omnia permissa sunt, ut sic pacem iniquam cum subditis turpiter emerent. Eo respectu confusus est Ordo, & passus est à tepido Familiæ suæ Rectore Franciscus, quod scripsit Sapiens:

Qui

Prov. 28. vers. 7. *Qui commessatores pascit, confundit patrem suum.* Tametsi Prælatus avaritiæ infametur, & inhumanitatis, non deflectat ideo à lege veris dumtaxat satisfaciendi necessitatibus, certus quòd *qui custodit legem filius sapiens est*, Ibid. paupertatis & parcimoniæ, cumulandus multiplici Patris Seraphici benedictione.

TEXTUS & §. IX.

Eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

SUMMARIUM.

Franciscus Moysi, vitulum aureum comminuenti, comparatus. Quantæ contradictiones suscitatæ contra prohibitionem pecuniarum. Temeritas Gerardi Odonis conantis eradere ex Regula hoc præceptum. Generosi pecuniarum contemptores, etiam in temporalibus benedicuntur à Domino. Et confidentes in pecuniis, penuriâ puniuntur.

Vitulum aureum conflatilem, quem fecerant, sibique adorandum erexerant Filii Israël in deserto *arripiens Moyses, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam* torentis, de monte Sinai descendentis, *& dedit ex eo potum filiis Israel.* (Exod. 32. vers. 20.) Quod fecit Moyses ex zelo, ut idolum suum vorarent apostatæ, & ut contemnere discerent quod in secessum projici viderent, ait S. Hier. ad Fabiolam. Simile bellum Franciscus avaritiæ indixit, servituti idolorum. Vitulum aureum pecuniarum, inquam, idolum, quod apud homines reliquos summâ colitur æstimatione, *combussit* ipse in camino paupertatis, *& contrivit usque ad pulverem*, vilia reputans aurum & argentum ut pulverem terræ; imò ut univarsi excrementa, quæ digna sint ut in sterquilinum egerantur. Solemni regulæ præcepto sibi suisque usum interdixit pecuniarum. Et ne contingeret ullo umquam tempore denuò erigi vitulum istum aureum, atque adorari, *contrivit usque ad pulverem*, cavens iteratâ prohibitione, ne ullius prætextu necessitatis pecuniam Franciscani recipiant. Videri potuisset, pro necessitatibus infirmorum vel vestiendorum Fratrum (quibus sedulò mandaverat provideri) ejusmodi licitam esse receptionem. Hinc esse poterat occasio, ex qua rursus egrederetur hic vitulus, & pecuniarium idolum coleretur. Seraphicus Ductor Minoritici populi, volens huic occurrere periculo, expressit disertè, ut pro Fratrum necessitatibus Ministri & Custodes sollicitam curam gerant; *eo tamen semper salvo, ut sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.* Sic *arripiens* Franciscus Vitulum, *combussit* igne zeli paupertatis, penitùsque *contrivit usque ad pulverem.*

Non ignorabat Vir Sanctus, quanto conatu foret hæc constitutio pseudo-filios suos instigante Diabolo impugnanda; ideo studuit eam tantâ sollicitudine præmunire. Vehementer ei contradictum fuit à Fratre Helia Vicario Generali & asseclis eius, contendentibus prohibitionem hanc indiscretam esse, noxiam animabus, incompossibilem regimini tantæ multitudinis Fratrum, adversamque bono studiorum, orationi & quieti publicæ. Tempore Generalatûs F. Matthæi Aquaspartani, multipliciter peccatum est in sanctam paupertatem, impensiùs à sancto Patre commendatam. (Annal. Tom. 2. an. 1289. num. 25.) Admissæ oblationes pecuniarum in missis primis novorum Sacerdotum; appositi cippi vel gazophilacia in templis, conventiones initæ de celebrandis missis propter stipendia pecuniaria: tunc ire cœptum ad anniversaria, statuto pretio, more presbyterorum sæcularium; constituti pueruli ad valvas Ecclesiarum, qui à transeuntibus pecuniam emendicarent; cereolos, subtilesve lychnos ad sanctorum memorias, uti moris est, accendendos in disco offerrent emendos. Sed & ipsi Fratres multis in locis publicū exercebant quæstum pecuniarum, in compitis platearū & foris, circumductis pueris, qui denarios acciperent & expenderent. Pii quique Viri sui Instituti aemulatores, quorum copiosa series numquam defuit in Ordine, ad tot manifestas regulæ transgressiones vehementer affligebantur, & aliqui apertè contradicebant. Exortâ temporibus Joannis XXII gravi controversiâ de Paupertate Christi inter Pontificem & Ordinem, quidam F. Gerardus Odonis facinus temerarium excogitavit, & statuere speravit per summi Pontificis (cui familiaris erat) auctoritatem. (Annal. Tom. 3. an. 1325. num. 9.) Primò proposuit inter alia in Capitulo Lugdunensi ann. 1325. ut præceptum de non recipienda ullatenus pecunia, per se vel per interpositam personam, abraderetur è regula, ut hâc ratione, inquiebat, caveretur conscientiis Fratrum, qui difficilè hoc observant, & tollerentur tot scandala & contentiones, quæ circa paupertatis observantiam inter Fratres excitabantur. Sa-

cram & intactam voluerunt constantissimè alii Patres normam vivendi à sancto Instituto-re præscriptam, & indignabundè tulerunt Gerardi conatum. Non tamen destitit à colorata sua impietate: nam factus Minister Generalis, dum Perpiniani Comitia generalia celebraret, omni astu & conatu nisus est, ut vel abraderetur ex formula instituti à S. Francisco præscriptâ, præceptum de non recipienda pecunia, vel pontificiâ evacuaretur dispensatione, ita ut liceret singulis Fratribus, pro suæ voluntatis arbitrio, saltem per interpositam personam denarios recipere & habere. Eam ipsam prætexuit in hoc capitulo quam in Lugdunensi causam, videlicet ut caveretur populorum scandalo, & Fratrum conscientiæ, dum contra manifestum præceptum manifestè peccabant. Restiterunt tamen animosè optimi quique Fratres huic temerario & irreverenti conamini, neque quidquam communibus suffragiis potuit stabilire; Imò peculiari constituto decretum est, ne Minister Generalis, aut alius Superior, possit privilegium aliquod impetrare, quod Regulæ puritati derogaret. Vocavit itaque Gerardus in partes suæ factionis Provinciales Ministros quatuordecim, quorum aliquos minis & terroribus, alios promissis bonorum incrementis allexit, & horum syngraphis sigillisque munitum supplicem conscripsit libellum, cui suum etiam sigillum & nomen adjunxit, & Pontifici porrexit, ut scribit Alvarus Pelagius. In quo tria expostulabat: Primum ut tollerentur è medio omnes Pontificum declarationes super Regulam, quas dicebat contrarias voluntati S. Francisci in suo testamento manifestè, & magis inservire ad illaqueandum Fratrum conscientias, quàm ad dubia explananda. Secundum, quòd illa verba Regulæ: *Ubicumque sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere; Ministri verò charitativè & benignè eos recipiant, &c.* placeret suæ Sanctitati explicare, & declarare fuisse voluntatem S. Francisci, ut Ministri potuissent in præceptis Regulæ dispensare, quâ ratione faciliùs Fratrum conscientiis possent mederi. Tertium, ut declararet in illis verbis: *Fratres nullo modo recipiant pecuniam per se vel per interpositam personam: tamen pro necessitatibus infirmorum & aliis Fratribus induendis per amicos spirituales Ministri tantùm & Custodes sollicitam curam gerant, &c.* Non voluisse eumdem Legislatorem prohibere, ne saltem per interpositam personam reciperent pecuniam pro infirmorum necessitatibus, & Fratribus induendis. Per *infirmitates* verò & *necessitates* intelligi voluerunt quamcumque necessitatem vel indigentiam corporalem: quæ secundùm eos dicebatur *infirmitas*; per quæ latissimum aperiebant ostium violandæ paupertatis. Non dubitavit Gerardus hæc placitura Joanni Pontifici, quem ex controversia paupertatis judicavit alienum animum ab humili & religioso Minorum vivendi Instituto induisse. Magnâ itaque fiduciâ, quibusdam ex prædictis associatus Ministris, accessit, & in præsentia multorum Cardinalium, libellum quindecim appensis sigillis honorificentiùs commendatum, Joanni porrexit. Displicuit valde Pontifici hominis temeritas, & impium in sanctam Regulam conamen, dixitque indignanter, glossas illas & interpretationes duorum Regulæ articulorum, violentas esse, & perperam extortas contra apertum ipsius Regulæ sensum: neque credimus, inquit, quòd de mille ipsius Ordinis Fratribus, unus tecum in hujusmodi intellectu concordabit, Cardinales etiam idipsum dixerunt, atque inter semetipsos hominem deriserunt, scientes hæc omnia ab ambitionis spiritu, quòd ad Pontificis gratiam & Cardinalatum aspirabat, processisse. Unusque ex Cardinalibus postmodum alicui dixit amico: *Verè hodie nobiscum fuit S. Franciscus, cùm assideremus Pontifici, videlicet ad defendendam suam Regulam & Institutum.* Ipse de cœlis prospiciens super conatus impiorum, combussit & contrivit penitus vitulum aureum peciniarum, quem illi erigere moliebantur, & confusos retrocedere coëgit temerarios Regulæ supplantatores. Implebatur in eis vaticinium Isaiæ: *Sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet: abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemaverunt;* impossibilia dicens ejus consilia, nec sperandam securitatem in divinarum confidentia promissionum. Acribus eos invectivis perstringit noster Alvarus Pelagius, vocans *filios Belial, pseudo-fratres Minores, inimicos Dei & Beati Francisci, Evangelii Christi & Regulæ, Ordinisque sceleratissimos proditores & destructores, quærentes quæ sua sunt, ponentes os in cœlum, ventribus gradientes super terram, impios, qui malè à dæmonio torquebantur.*

Ex adverso, pauperum Patriarcha Franciscus, terrenarum semper divitiarum abrenuntiationem, & contemptum, constantissimè verbo docuit, & exemplo firmavit. Cùm in Syria degeret, occupatus infidelium conversione, Soldanus Babyloniæ obtulit ei multa munera pretiosa; quæ Vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus autem videns Virum Sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Cùmque rogaret devotè famulum Christi, ut prædicta susciperet pro saluto ipsius Christianis pauperibus vel Ecclesiis eroganda: ipse quia pondus fugiebat pecuniæ, nullatenùs acquievit. Eodem ducebantur spiritu genuini ipsius filii. Cùm aliqui ex illis ad partes infidelium pervenissent, contigit ut Saracenus quidam pietate commotus, pecuniam eis offerret, pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere, admiratus est homo, cernens quòd inopes essent. Intellecto tandem, quòd pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant: tantâ est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu sibi facultatum aliquid superesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis! cujus mirandâ

virtute

Marginal notes: an. 1311. num. 10. — Lib. 2. de planct. Eccles. cap. 67. — Reg. c. 10. — Reg. c. 4. — Isaiæ 5. vers. 24. — Loco cit. — Leg. cap. 9. num. 7. — Ibid. c. 4. num. 7.

virtute mens feritatis barbaricæ, raotam miserationis est immutata dulcedinem! Sic Deus optimus maximus Franciscanis, timoratis regulæ suæ cultoribus, iutatis hostibus mammonæ iniquitatis, ministrari facit necessaria etiam per Saracenos Christiani nominis inimicos. Ample datur eis desuper benedictio; domus verò relaxatorum miserendâ pessim plecti conspiciuntur egestate, sicut scriptum est: *Egestas a Domino in domo impii; habitacula autem justorum benedicentur.* (Prov. 3. vers. 33.) Exempla plurima miraculosarum eis factarum provisionum in Annalibus promiscuè occurrunt: quorum aliqua superius ad §. 2. recensuimus. Benignissima Mater Jesu, pauperibus compatiens, tantummodò dixit filio: *Vinum non habent*, (Joan. 2. vers. 3.) eoque solo verbo mox liberalitatis ejus aperuit promptuarium. Eâdem confidentiâ Franciscus dicet Christo de nobis: *Panes non habent*; & minimè dubitandum de inexhausto Dei nobis provisum iri thesauro. Vigilemus dumtaxat ex omni parte, ne blandus ille dæmon pecuniarum, in nostrem irrepat reformationem; ne timidus aliquis Guardianus, avaritiâ præventus, ei ostium aperiat, & super nos inducat maledictionis Francisci, desertionisque periculum. Quantâ vigilantiê mulieres quæcumque à nostrorum arcentur ingressu monasteriorum, ne castitatem nostrem vel minimâ contingat maculari suspicione. Pari cautelâ excludendum est dæmonium pecuniarum, cùm stragem perniciosiorem nostræ sit illaturum paupertati. Ubi illud irrupetit, pariter inundabit plurimorum malorum diluvium, damnabile otium, ventris intemperantia &c. secundùm Evangelici stulti propositum: *Anima mea, habes multa bona, posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare.* (Luc. 12. vers. 19.)

CAPUT QUINTUM.

De Modo Laborandi.

FRatres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita quòd excluso otio, animæ inimico sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire. De mercede verò laboris, pro se & suis Fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam: & hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

TEXTUS & §. I.

Fratres illi quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent.

SUMMARIUM.

Homo in paradiso positus, & Religiosus in Religione, ut operetur. Labor corporalis ipsis Apostolis probrosus non fuit. Manualis labor Religiosorum bene adificat divites, pauperes, mechanicos, benefactores, hæreticos ipsos, & generaliter mundanos quoscumque. Discretè cuilibet à Superioribus suum opus assignandum.

CReator universi, postquam formaverat hominem de limo terræ, & plantaverat paradisum voluptatis à principio, *tulit hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* (Gen. 2. vers. 15.) Non incongruè doctissimus scriptor idemque sanctissimus Antoninus, statum Religiosum terrestri comparavit paradiso, qui locus erat totus gaudii & voluptatis ac deliciarum: ipsius Dei, tanti tamque sapientis artificis manu consitus, ut in eo vita egeretur felicissima. Simili modo Dei inventum ac donum est religiosa vivendi (3. p. tit. 16. c. 10. §. 12.)

vivendi ratio, tam sancta tamque salubris: ab eo & in universum hoc vororum consilium, & deinde in unoquoque animus ac desiderium hujus disciplinæ; ab eodem perseverantia & victoria in tentationibus: ab ipso etiam regulæ & instituta: denique ab illo omnia. Ex quo illud etiam apparet, quàm perfectum atque absolutum omnique bonorum copiâ affluens esse oporteat illud opus, quod à tantæ sapientiæ tantæque bonitatis fontibus fluxit. *Tulit ergo Deus* supernæ vocationis gratiâ *hominem* à vana sæcularis vitæ conversatione, *& posuit eum in* Religionis *paradiso, ut operaretur* &c. Non ignarus hujus divinæ intentionis Franciscus, voluit Filiis suis in seraphico collocatis paradiso, præsenti textu illius memoriam refricare: *Fratres illi*, inquiens, *quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent.*

Vile reputat mundus corporali obnoxium esse laboritio. Verùm errorem illum ipse Christus elisit, dum discipulos mechanicos ad gloriosissimum evexit Apostolatûs officium; prout observat noster B. Angelus de Pax. *In Marcù,* *Horum vivendi institutum*, inquit, *habitum est vilissimum. Nihil tamen homini nocere potuit, qui non ab externis, sed ab internis laudem promeretur: neque Deo quidquam vile esse præter peccatum insinuat Evangelista, piscatores in sæculo nominans, quos Deus in cœlo videt & judicat dignos se. Is est, qui gloriâ & honore coronat, ac tantò majore, quantò magis ad se appropinquare hominem jubet, ac suorum participem efficit. Nec obstat utroque pede claudum Miphiboseth, hoc est ignominiosum, sive ignobilem penes mortales videri, vel arte vel genere; dummodo panem de mensa Regis comedat.* Neque dedecorosa potest esse sors, quæ in mundi exordio ab ipsius Dei manavit ordinatione, siquidem hominem adhuc innocentem in paradiso posuit ut operaretur, non quidem cum difficultate, ad comparandum victum; sed recreativo labore, ad exercitium atque otii fugam: post lapsum verò, duro labori adstrinxit, atque difficili: *Gen. 3. vers. 17.* *Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo. In laboribus tuis comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Et: *Ibid. vers. 19.* *In sudore vultûs tui vescêris pane tuo.* Quod jam quasi in naturalem transivit ordinem, ut sic nascatur homo ad laborem sicut avis ad volatum. *Job. 5. vers. 7.* Unde monet unumquemque sapiens: *Eccles. 7. vers. 16.* *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo.*

Seraphicus Pater noster, in suo Testamento, duas recenset rationes, cur se suosque Franciscanos labori addixerit manuali: *Ego*, *Testam. S. Francisci.* inquit, *manibus meis laboravi, & volo laborare: & omnes Fratres mei volo quòd laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant; non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter exemplum, & ad expellendam otiositatem.*

Ubi prima ratio statuitur bonum *exemplum*, quòd totus mundus inde sumit in ædificationem. 1. Divites inde discunt non otiari; & proni aliàs ad inertiam, lusus noxios, & curiosas divagationes, atque ad mala ea his consequentia, animantur ad opus aliquod honestum; tametsi lucro non indigeant vel mercede. 2. Pauperes & mechanici, quos adigit necessitas ad laborem, non mediocriter confortantur, seque Deo in suis resignant oneribus, dum viros vident olim opulentos, nullâque constrictos necessitate, ad sortem descendisse operariorum, & Dei amore eisdem humeros suos oneribus supposuisse. Familiare est trivialibus egenis murmur contra Ecclesiasticos & Nobiles, quòd immunes sint à fatigationibus & sudoribus, quibus ipsi absque spe relaxationis opprimuntur. Quin & ipsi Deo in cogitationibus suis notam appingunt indiscretæ gubernationis, quòd ita inæqualiter labores distribuerit atque quietem. Iniquè & ex errore murmurant & dolent. Sed errorem corrigit, doloremque mitigat aliqualiter, nostræ æqualitas paupertatis & laboris, nostrumque exemplum, dum tacitè docentur, non adeò contemptibilem esse statum suum; neque dedecorosum esse laborare, sed honorabile potiùs, atque insuper conducibile ad salutem: quandoquidem Religiosi, qui nil aliud quàm æternam vitam quærere præsumuntur, hunc modum cum mentis gaudio amplectantur. 3. Benefactores, dum vident nos magno studio conari ad non gravandum populum mendicationibus importunis, sed acquirere necessaria quo possumus laboritio, eò libentiùs suas conferunt eleëmosynas; dum vident pretium laboris, nostris non sufficere necessitatibus. 4. Monachismi osores, hæretici præsertim plurimi, plerumque insectati sunt Religiosos, & instirerunt, ut tamquam validi mendicantes, & indigni stipe fidelium, vigore legum civilium procul profligarentur. Neque cessant apud plebem multis nos diffamare argumentis, ut persuadeant rem esse conscientiæ, in sordida nos fovere mendicatione atque ignaviâ, esseque unum de officio Magistratuum, compellere Religiosos ad lucrum necessarium. Est quidem ista maligna calumnia, & zelus invidiosus; tamen ut obstruatur os loquentium iniqua, & errores isti efficaciter refutentur, ostendendum est ipso facto, statum nostrum non declinare penitùs laborem manualem. Experimento compertum est, nonnullos Calvinistas optimè fuisse ædificatos, dum Fratres conspicerent strenuè laborantes, in servitiis conventûs, aliorumve externorum; eoque exemplo in suspicionem mendacii adduxerunt perversos Ministros seu Prædicantes, à quibus audierant Mnnachns omnes esse inertes nebulones, solique ventri servientes. Quod dum falsum esse discerent experimento, reliqua etiam maledicorum istorum doctrina suspecta reddita est. 5. Deniq; generaliter compunctionem in mundanis hominibus nata est suscitare alacritas ista & assiduitas in abjectis occupationibus; præsertim, dum illi qui his exercentur, vitam duxerunt in sæculo commodam, atque honoratam. Innumeros tales Ordo habuit Franciscanus, qui statum elegerunt laicalem, ut liberiùs vilibus manciparentur servitiis; quorum humilis exercitatio, non mediocriter compungit sociorum corda, in sæculo remanentium. Cùm Fratrem Polidorum (qui priùs Doctor legum, Senator Romanus, ac in *Chron. p. 3. lib. 2*
variis *cap. 43.*

variis Italiæ civitatibus summâ cum laude Judex; dein laicus sub magistro laico) inviterent viri honorati, aspicerentque tam attentè, alacriter & seriò curantem unum asellum, & stercora in hortum deferentem, aliisque obsequiis inserviens pauperculo Fratri laico, ac si honoratissimum obiret officium: ostenderetque se penitùs oblitum præcedentis eminentiæ sæcularis; revertebantur percutientes pectora sua, & gementes, quòd hactenus tantoperè mundi æstimassent vanitatem, cujus generosum contemptum ab hoc Jesu Christi imitatore adeò luculenter didicerent. Obstupuit quoque Brabantia, dum ante annos circiter octo & quinquaginta F. Joannes Charles Juris utriusque Doctor, consiliarius supremi Senatûs Belgii (cui etiam aliquot annis cum laude præfuit) humilem laicorum vitam, locum ac vilia exercitia, mundi despectâ vanitate, in Conventu Mechliniensi praelegit; ibique singulari humilitate, aliisque virtutibus enituit. Quid putamus hujus aliorumque similium virorum sic uxorem acuisse, ut adeo seipsos abjicerent, pondus ferrent diei, æstumque & frigora? Hæc procul dubio sententia: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Non utique temporalem, quam à se dudum abjecerant, sed æternæ felicitatis denarium, qui securè acquiritur humilitate. Per hanc desideravit Franciscus nos in istam ingredi requiem.

Matth. 20. vers. 8.

Noluit tamen Seraphicus legislator, omnibus impositum esse onus manualiter laborandi, sed iis tantùm, *quibus dedit Dominus gratiam laborandi.* Non enim omnibus Deus sufficientes dedit vires corporales, nec omnes aliquam callent artem mechanicam; quorumdam etiam opera in aliis rebus, negotiis, studiisque utilior est: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius verò sic.* Si quibus data est ingenii vivacitas, vel honestæ & ædificatoriæ conversationis externæ gratia, vel ad aliqua misericordiæ opera specialis aptitudo & inclinatio, aut aliud aliquod talentum, ad promovendam Dei gloriam, meliùs quàm per humilia opera mechanica, noluit Franciscus cælestes turbare dispositiones, operumque utiliorum distributionem. Omnes sumus unius corporis membra, quæ omnia non eumdem actum habent, sed habemus donationes, secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes, *sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Tunc perfectæ pacis & sanitatis indicium est, dum quodlibet membrum juxta datam sibi cælitùs donationem operatur. Superiorum autem erit, cujuscumque aptitudines & vires considerare; istisque applicare functionibus, quas sperant rectè per illum administrandas. *Prælatus*, inquit D. Bonaventura: *gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut cùm alia membra dedita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus provideat, præsidendo quasi omnium sensuum capax & omnia regens, sensum motumque omnibus transmittens, per jussiones vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorumdam compaginatione nervorum. Unde & caput singulari actione non occupatur, ut vacare possit omnium membrorum provisioni.* Discretè igitur sua singulis pensa distribuat: fortioribus graviora: infirmis facilia: indoctis corporalia: doctis spiritualia: simplicibus simplicia: expertis magis periculosa. Alioquin, si non capacitates singulorum, sed ipsorum attendantur desideria, vel si ex abrupto imponat primò occurrenti quæ ipsi impossibilia, alteri verò facilia forent; nil utilitatis communitati, vel ipsis consequetur laborantibus: evenietque sicut artifici, qui malleo velit dolare asseres, clavos infigere dolabrâ, regulâ secare, & acu trabem perforare; destruet enim instrumenta, nec fabricam ullatenus promovebit. Quia tamen communiter quis bene facit quod facit libenter: exploratis inclinationibus istis, non abs re erit, ea subditis præscribere ad quæ inclinantur, si ad ea industrii sint. Hanc discretionem S. Basilius graviter Præfectis commendavit, simulque subditos monuit, ut non occultent corporis vires, quas eis Dominus ad communem concessit utilitatem. Quibus autem opera injunguntur, ad quæ vires eis non suppetunt & industriæ, aggrediantur sicut possunt, quod injunctum est propter obedientiæ reverentiam, confidentes gratiam à Domino subministrandam. Ad cap. 8. §. 5. & 6. exempla varia referemus eorum, qui in ejusmodi operum obedientiæ executione mirabiliter adjuti sunt.

1. Cor. 7. vers. 7.

Rom. 12. vers. 7.

De 6. alis Seraph. c. 7.

Constit. exercit. cap. 31.

Alteram rationem exercendi laboritii corporalis scilicet *ad vitandam otiositatem*, inferiùs expendemus §. 4. & 5.

TEX-

TEXTVS & § II.

Fideliter.

SVMMARIVM.

Exemplar fidelitatis in operando est Jacob Patriarcha. Fidelis servi officia sunt. 1. Tam pro absente quàm præsente Domino operari. 2. Res sibi commissas fideliter conservare ac dispensare. 3. Secretum servare Domini sui. 4. Non absque causa se operi subducere. Religiosi non evulgent sui monasterii secreta, neque ex pravis motivis se subtrahant à communibus laboribus.

JAcob Patriarcha, avunculo suo Laban per annos viginti eâ servivit fidelitate, ut veraciter dicere potuerit uxoribus suis Liæ & Racheli: *Nostis quòd totis viribus meis servierim patri vestro.* (Gen. 31. vers. 6. & 40.) Et ipsi Laban; *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* In cujus fidelitatis remuneratione, Deus ipsum abundanti cumulavit bonorum temporalium benedictione: *Ditatusque est homo ultra modum, & habuit greges multos, ancillas, & servos, camelos, & asinos.* (Gen. 30. vers. 43.) Incomparabiliter præstantiori donabuntur præmio, qui non homini alicui servierint, sed in ipsius Domini Sabaoth vineâ laboraverint fideliter; qui in manualibus operibus religiosæ obedientiæ fidelem Christi membris, in eadem nobiscum incorporatis congregatione, navaverint operam. Ejusmodi servi labor, non temporali dumtaxat compensabitur mercede; sed bonis Domini sui sempiternis; quando completo hujus vitæ laboritio auditurus est: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* (Matth. 25. vers. 21.) Ad hoc præmium æternæ felicitatis emerendum, invitans Fratres suos Franciscus, dicit: *Laborent fideliter.*

Primò, Fidelitatis officium est, æquè absenti & ignoranti servire, ejusque promovere utilitatem, ac si præsens foret; ad differentiam eorum, qui coram parati sunt ad quælibet obsequia, sed absentium res negligunt, quasi nullam reportaturi gratiam. Apostolus scribens Colossensibus, docuit servos, qualiter laborent fideliter; *non ad oculum*, inquit, (Coloss. 3. vers. 22.) *servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.* Sic cogitent jugiter laborantes Religiosi, se non Prælato congregationis vel communitati confratrum servire, sed ipsi Domino Christo, ejusque membris, atque ab illo Domino indesinenter conspici opera manuum suarum, & ab illo esse remuneranda: non servient ad oculum humanum quasi hominibus placituri. Æqualiter inclinat fidelitas ad promovendum negotia absentis domini vel amici, quàm præsentis. Eminuit fides Mardochæi in Assuerum absentem, (Hester. 2.) in cujus caput duo conspiraverant Eunuchi, portis palatii præsidentes; quod periculum cùm reginæ detulisset, regem liberavit. Eadem fuit sollicitudo Jonathæ, pro amico suo David, dum immineret ei à Saule periculum. (2. Reg. 21.) Cui David vice versâ fidem etiam servavit, de non delendo ipsius genere; dudum enim defuncto Jonatha, non permisit David, ut Miphiboseth filius ejus Gabaonitis traderetur cum cæteris nepotibus Saul crucifigendus. Decet eâdem pietate absentes tueri amicos, qui propter absentiam nequeunt defendere semetipsos. Alioqui rei erimus sententiæ per D. Prosperum pronuntiatæ: *Quodammodo*, inquit, *nos opprimimus, quando oppressos defendere ab oppressione contemnimus, dum possumus. Nec mihi aliquid prodest, quòd non circumvenio aliquem nec decipio, si decipi aut circumveniri permitto.* (De vita contempl. l. 3. c. 23.)

Secundò, Officium fidelitatis est, tamquam propria custodire, quæ in fidem nostram suscepimus, nec illa in utilitates ususque proprios detorquere, vel in alios privatos inutiliter prodigere; sed bona communia in communem derivare utilitatem. Summâ dignus laude fuit Joseph Salvator Ægypti, (Gen. 47.) quòd cùm frumenta venderet populo tempore famis, pretium omne in regis induceret ærarium, & tandem pecora & personas ipsas in plenam illius redigeret potestatem: nihil sibi penitùs tribuens nisi de Domini sui beneplacito. Hinc discere possunt religiosi illi, quibus cura aliquarum rerum communitatis demandata est, vel commissum regimen communium conventûs officinarum, sic omnia fideliter administrare ac dispensare, sicut Fratrum exigit necessitas, & religiosæ dictat parcimonia paupertatis: neque communia bona propriis vendicare commodis, sed communibus assignare. Debentque officiales monasterii, non imperiosè cum consodalibus agere, sed amicabiliter & fraternè, ut etiam, dum ea postulantur ab illis quæ præstare non possunt, non repellant petitionem cum amaritudine; sed quoad fieri potest, verbis satisfaciant postulanti, quando

Eccl. 18. vers. 16. quando factis non possint. *Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum?* Et

vers. 18. è converso: *Stultus acriter improperabit: & datus indisciplinati tabescere facit oculos.* Unde alibi Sapiens ejusmodi servum indisciplinatum fumo comparat, lachrymas ea oculis excutienti, & aceto stuporem causanti dentibus:

Prov. 10. vers. 26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt illum.* Prælatis, qui ipsum præfecerunt illi ministerio, continuas facit molestias, propter eas, quas causat querimonias subditorum.

Tertiò, Servus fidelis esse debet non tantùm in opere sibi injuncto, sed in sermone quoque ac silentio, ut sileat arcana heri, vel quæ herus sileri vult. Unde officium boni servi esse, ut sit *mutus & elinguis* asserit Nemesius apud Stobæum Serm. 45. Et Plautus in Milite Glorios. *Plus*, ait, *oportet servum scire, quam loqui.* Secretum à servis reposcunt & amicis, maximè ubi periculum est alicujus nocumenti, irrisionis, aut impedimenti in negotiis suis ex propalatione consiliorum & mutuorum congressuum. Sacram istam amicitiæ legem, docet Sapiens: *Qui fidelis est animi, celat amici com-*

Prov. 11. vers. 13. Eccles. 27. ver. 23. *missum. Denudare autem amici mysteria, desperatio est infelicis animæ.* Hujus legis meminerint religiosi, qui aliquando à curiosis & subdolis examinantur hospitibus, ad expiscandum quid agant in monasteriis. Iniqui sunt & infideles, qui proprii Ordinis vel conventûs secreta evulgant, magno cum ipsius ludibrio. Parum putant interesse, quòd Superiorum ordinationes sciantur à sæcularibus, à quibus tamen facilè in suspicionem devenitur monasticarum imperfectionum: quia plerumque illæ nonnisi in medelam communium defectuum constituuntur. Multò magis vult Ordo, secretas esse singularium Fratrum correptiones, vel vitia eorumdem, moresque incompositos: qui licèt exigui videantur momenti; tamen magni à sæcularibus æstimantur. Ex eo etiam, quòd imprudentes aliqui, parentibus suis, sororibus, benefactoribus, filiabus confessionis proderent congregationis imperfectiones, mater eorum Religio vilem nata est contrahere æstimationem. Hinc rumores, hinc cantilenæ in religiosorum contemptum, hinc suspiciones de hoc & illo quòd ista evulgaverit, hinc Ordinis contemptus, cum scandalo diffidentiâque irreparabili. Meminerint infideles isti filii maledictionis vi-

Gen. 9. bratæ in Cham filium Noë, qui Patrem suum riserat inebriatum, aliisque monstraverat deridendum. Quo judicio percellendus sit ejusmodi violator fidelitatis, exprimit Sapiens:

Prov. 20. vers. 19. *Et qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Indignus quippe est proborum virorum societate, qui se in re tam desiderata & facili exhibuit infidelem. Unde expediret eum à loco amoveri quem diffamavit, vel domi cohiberi, ab omni externorum alloquio sequestratum, à religiosis cæteris evitari, nec quidquam ei communicari, quod non omnino publicum esse possit.

Prov. 25. vers. 9. Prudenter monet Sapiens: *Secretum extraneo non reveles, ne fortè insultet tibi cùm audierit, & exprobrare non cesset.*

Quartò, Ad fidelem servum pertinet non se absque legitima causâ operi subducere. Prætexunt aliqui excusationem, quòd timeant suam lædere complexionem, vitamque abbreviare, laboris nimietate. *Dicit piger: Leo est foris,* Prov. 22.
in medio platearum occidendus sum. Ex eadem vers. 13.
certè materia compacti sunt isti, ex qua viri cæteri, qui in mari, in terra, in agris, in urbibus, & ubique locorum gravibus incumbunt laboribus, & tamen sani, robusti, vegeti, & integri perseverant. Viro itaque nervoso, & florentis ætatis, placeat consilium Sapientis: *Noli citatus esse in lingua tua* ad excu- Eccles. 4.
sandum te à labore, *& inutilis & remissus in o-* vers. 34.
peribus tuis. Magis verò indignum foret viris religiosis, retrahi ab opere ex indignatione in Superiorem conceptâ, putando se aliquam hoc modo irrogare ultionem, si cogant eum suâ tergiversatione alios quærere adjutores, ostendendo palam se illius commoda dedignari, quasi solis Superioribus, & non potiùs sibi metipsis subditi laborarent. Hâc pervicaciâ parvum irrogatur conventui damnum temporale; ingens verò spirituale subditis ipsis taliter involuntariis, nempe jactura meriti obedientiæ, charitatis, humilitatis, & patientiæ; quod solis reservatur operariis. *Egestatem operata est manus remissa, manus* Prov. 10.
autem fortium divitias parat. Eam sibi egesta- vers. 4.
tem operatur, quâ fame pereat æternâ. Quanta autem insania, potiùs fame confici, quàm labore panem acquirere, unde etiam Frater reficiatur? Alii laborem fastidiunt ex impatientia vilitatis officii, cui applicantur, dum arbitrantur se natos ad majora, præclaras dotes in se inutiles remanere, se posse in aliis occupationibus majorem conferre utilitatem &c. Multis similibus seipsos opinionibus attollentes, nonnisi perfunctoriè & dedignabundè perficiunt ea, quæ sui sunt officii. Horum infirmitati, pharmacum Christus in Evangelio præparavit, dicens: *Cùm feceritis omnia quæ* Luc. 17.
præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. vers. 10.
Alii contrariis opinionibus in opere languent, dejecti à pusillanimitate spiritûs, putantes se nihil boni præstare, & quidquid agant, omnibus displicere: maximè si interdum ob operis exiguitatem vitiumque imbecillitatem à motione aliquo derideantur. Horum imbecillitatem Apostolus forti erigit exhortatione: *Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobi-* 1. Cor. 15.
les: abundantes in opere Domini semper, scien- vers. 58.
tes quod labor vester non est inanis in Domino. Si non est inanis in Domino; quid hominum curatis judicia, divinam accepturi retributionem? De vidua paupercula, quæ miserat in gazophylacium æra minuta duo, veritas pronuntiavit: *Amen dico vobis, quoniam vi-* Marci. 12.
dua hæc pauper plus omnibus misit: Licèt alio- vers. 43.
qui parva fuisset de tantilla oblatione hominum existimatio. Viri etiam piscatores, qui humano judicio rudes videbantur & contemptibiles, & quibus nullius rei magnæ aliquid veniret in mentem, ad Apostolatum assumpti, & induti virtute ex alto, eximios in horrea Domini fructus retulerunt. Exemplis talibus convenit pusillanimes istos ad operandum viriliter animari.

TEXTVS & § II.

Fideliter.

SVMMARIVM.

Exemplar fidelitatis in operando est Jacob Patriarcha. Fidelis servi officia sunt. 1. Tam pro absente quàm præsente Domino operari. 2. Res sibi commissas fideliter conservare ac dispensare. 3. Secretum servare Domini sui. 4. Non absque causa se operi subducere. Religiosi non evulgent sui monasterii secreta, neque ex pravis motivis se subtrahant à communibus laboribus.

JAcob Patriarcha, avunculo suo Laban per annos viginti eâ servivit fidelitate, ut veraciter dicere potuerit uxoribus suis Liæ & Racheli: Gen. 31. vers. 6. & 40. *Nostis quòd totis viribus meis servierim patri vestro.* Et ipsi Laban: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* In cujus fidelitatis remuneratione, Deus ipsum abundanti cumulavit bonorum temporalium benedictione: Gen. 30. vers. 43. *Ditatusque est homo ultra modum, & habuit greges multos, ancillas, & servos, camelos, & asinos.* Incomparabiliter præstantiori donabuntur præmio, qui non homini alicui servierint, sed in ipsius Domini Sabaoth vineâ laboraverint fideliter; qui in manualibus operibus religiosæ obedientiæ fidelem Christi membris, in eadem nobiscum incorporatis congregatione, navaverint operam. Ejusmodi servi labor, non temporali dumtaxat compensabitur mercede; sed bonis Domini sui sempiternis; quando Math. 25. vers. 21. completo hujus vitæ laboritio auditurus est: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Ad hoc præmium æternæ felicitatis emerendum, invitans Fratres suos Franciscus, dicit: *Laborent fideliter.*

Primò, Fidelitatis officium est, æquè absenti & ignoranti servire, ejusque promovere utilitatem, ac si præsens foret; ad differentiam eorum, qui coram parati sunt ad quælibet obsequia, sed absentium res negligunt, quasi nullam reportaturi gratiam. Apostolus scribens Colossensibus, docuit servos, qualiter Coloss. 3. vers. 22. laborent fideliter: *non ad oculum*, inquit, *servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.* Sic cogitent jugiter laborantes Religiosi, se non Prælato congregationis vel communitati confratrum servire, sed ipsi Domino Christo, ejusque membris, atque ab illo Domino indesinenter conspici opera manuum suarum, & ab illo esse remuneranda: non servient ad oculum humanum quasi hominibus placituri. Æqualiter inclinat fidelitas ad promovendum negotia absentis domini vel amici, quàm præsentis. Eminuit fides Mar- Hester. 2. dochæi in Assuerum absentem, in cujus caput duo conspiraverant Eunuchi, portis palatii præsidentes: quod periculum cùm reginæ detulisset, regem liberavit. Eadem fuit sollicitudo Jonathæ, pro amico suo David, dum immineret ei à Saule periculum. Cui David 2. Reg. 21. vice versâ fidem etiam servavit, de non delendo ipsius genere; dudum enim defuncto Jonatha, non permisit David, ut Miphiboseth filius ejus Gabaonitis traderetur cum cæteris nepotibus Saul crucifigendus. Decet eâdem pietate absentes tueri amicos, qui propter absentiam nequeunt defendere semetipsos. Alioqui rei erimus sententiæ per D. Prosperum pronuntiatæ: *Quodammodo*, inquit, *nos opprimi-* De vita *mus, quando oppressos defendere ab oppressione* contempl. *contemnimus, dum possumus. Nec mihi aliquid* l. 3. c. 23. *prodest, quòd non circumvenio aliquem nec decipio, si decipi aut circumveniri permitto.*

Secundò, Officium fidelitatis est, tamquam propria custodire, quæ in fidem nostram suscepimus, nec illa in utilitates usulque proprios detorquere, vel in alios privatos inutiliter prodigere; sed bona communia in communem derivare utilitatem. Summâ dignus laude fu- Gen. 47. it Joseph Salvator Ægypti, quòd cùm frumenta venderet populo tempore famis, pretium omne in regis induceret ærarium, & tandem pecora & personas ipsas in plenam illius redigeret potestatem: nihil sibi penitùs tribuens nisi de Domini sui beneplacito. Hinc discere possunt religiosi illi, quibus cura aliquarum rerum communitatis demandata est, vel commissum regimen communium conventûs officinarum, sic omnia fideliter administrare ac dispensare, sicut Fratrum exigit necessitas, & religiosæ dictat parcimonia paupertatis: neque communia bona propriis vendicare commodis, sed communibus assignare. Debentque officiales monasterii, non imperiosè cum consodalibus agere, sed amicabiliter & fraternè, ut etiam, dum ea postulantur ab illis quæ præstare non possunt, non repellant petitionem cum amaritudine; sed quoad fieri potest, verbis satisfaciant postulanti,

quando

Eccl. 18. vers. 16. quando factis non possunt. *Nonne ardorem*
refrigerabit ros? Sic & verbum melius quam da-
tum. Nonne ecce verbum super datum bonum? Et
vers. 18. e converso: *Stultus acriter improperabit: &*
datus indisciplinati tabescere facit oculos. Unde
alibi Sapiens ejusmodi servum indisciplinatum
fumo comparat, lachrymas ea oculis excuti-
Prov. 10. vers. 26. enti, & aceto stuporem causanti dentibus: *Si-*
cut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger
his qui miserunt illum. Prælatis, qui ipsum præ-
fecerunt illi ministerio, continuas facit mo-
lestias, propter eas, quas causat querimonias
subditorum.

Tertiò, Servus fidelis esse debet non tan-
tùm in opere sibi injuncto, sed in sermone
quoque ac silentio, ut sileat arcana heri, vel
quæ herus sileri vult. Unde officium boni ser-
vi esse, ut sit *mutus & elinguis* asserit Nemesius
apud Stobæum Serm. 41. Et Plautus in Milite
Glorios. *Plus*, ait, *oportet servum scire, quam lo-*
qui. Secretum à servis reposcitur & amicis,
maximè ubi periculum est alicujus nocumenti,
irrisionis, aut impedimenti in negotiis suis ea
propalatione consiliorum & mutuorum con-
gressuum. Sacram istam amicitiæ legem, docet
Prov. 11. vers. 13. Sapiens: *Qui fidelis est animi, celat amici com-*
missum. Denudare autem amici mysteria, despera-
Eccles. 27. ver. 23. *tio est infelicis animæ.* Hujus legis meminerint
religiosi, qui aliquando à curiosis & subdolis
examinantur hospitibus, ad expiscandum quid
agatur in monasteriis. Iniqui sunt & infideles,
qui proprii Ordinis vel conventûs secreta evul-
gant, magno cum ipsius ludibrio. Parum pu-
tant interesse, quòd Superiorum ordinationes
sciantur à sæcularibus, à quibus tamen facilè in
suspicionem devenitur monasticarum imper-
fectionum: quia plerumque illæ nonnisi in
medelam communium defectuum constitu-
untur. Multò magis vult Ordo, secretas esse
singularium Fratrum correptiones, vel vitia eo-
rumdem, moresque incompositos: qui licèt ex-
igui videantur momenti; tamen magni à sæcu-
laribus æstimantur. Ex eo etiam, quòd impru-
dentes aliqui, parentibus suis, sororibus, bene-
factoribus, filiabus confessionis proderent con-
gregationis imperfectiones, mater eorum Re-
ligio vilem nata est contrahere æstimationem.
Hinc tumores, hinc cantilenæ in religiosorum
contemptum, hinc suspiciones de hoc & illo
quòd ista evulgaverit, hinc Ordinis contemp-
tus, cum scandalo diffidentiâque irreparabili.
Meminerint infideles isti filii maledictionis vi-
Gen. 9. bratæ in Cham filium Noë, qui Patrem suum
riserat inebriatum, aliisque monstraverat de-
ridendum. Quo judicio percellendus sit ejus-
modi violator fidelitatis, exprimit Sapiens:
Prov. 20. vers. 19. *Et qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter,*
& dilatat labia sua, ne commiscearis. Indignus
quippe est proborum virorum societate, cui se
in re tam desiderata & facili exhibuit infide-
lem. Unde expediret eum à loco amoveri
quem diffamavit, vel domi cohiberi, ab omni
externorum alloquio sequestratum, à religio-
sis cæteris evitari, nec quidquam ei commu-
nicari, quod non omnino publicum esse possit.
Prov. 25. vers. 9. Prudenter monet Sapiens: *Secretum extraneo*
non reveles, ne fortè insultet tibi cùm audierit, &
exprobrare non cesset.

Quartò, Ad fidelem servum pertinet non se
absque legitima causâ operi subducere. Præ-
texunt aliqui excusationem, quòd timeant suam
lædere complexionem, vitamque abbreviare,
labotis nimietate. *Dicit piger: Leo est foris,* Prov. 22.
in medio platearum occidendus sum. Ex eadem vers. 13.
certè materia compacti sunt isti, ex qua vi-
ri cæteri, qui in mari, in terra, in agris,
in urbibus, & ubique locorum gravibus in-
cumbunt laboribus, & tamen sani, robusti,
vegeti, & integri perseverant. Viro itaque
nervoso, & florentis ætatis, placeat consilium
Sapientis: *Noli citatus esse in lingua tua* ad excu- Eccles. 4.
sandum te à labore, *& inutilis & remissus in o-* vers. 34.
peribus tuis. Magis verò indignum foret viris
religiosis, retrahi ab opere ea indignatione
in Superiorem conceptâ, putando se aliquam
hoc modo irrogare ultionem, si cogant eum
suâ tergiversatione alios quærere adjutores,
ostendendo palam se illius commoda dedigna-
ri, quasi solis Superioribus, & non potiùs
sibi metipsis subditi laborarent. Hâc pervi-
caciâ parvum irrogatur conventui damnum
temporale; ingens verò spirituale subditis
ipsis taliter involuntatiis, nempe jactura me-
riti obedientiæ, charitatis, humilitatis, &
patientiæ; quod solis reservatur opera-
riis. *Egestatem operata est manus remissa, manus* Prov. 10.
autem fortium divitias parat. Eam sibi egesta- vers. 4.
tem operatur, quâ fame pereat æternâ. Quan-
ta autem insania, potiùs fame confici, quàm
labore panem acquirere, unde etiam Frater
reficiatur: Alii laborem fastidiunt ex impati-
entia vilitatis officii, cui applicantur, dum ar-
bitrantur se natos ad majora, præclaras dotes
in se inutiles remanere, se posse in aliis occu-
pationibus majorem conferre utilitatem &c.
Multis similibus seipsos opinionibus attollen-
tes, nonnisi perfunctoriè & dedignabundè
perficiunt ea, quæ sui sunt officii. Horum infir-
mitati, pharmacum Christus in Evangelio
præparavit, dicens: *Cùm feceritis omnia quæ* Luc. 17.
præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. vers. 10.
Alii contrariis opinionibus in opere languent,
dejecti à pusillanimitate spiritûs, putantes se
nihil boni præstare, & quidquid agant, omni-
bus displicere: maximè si interdum ob ope-
ris exiguitatem viriumque imbecillitatem à
motione aliquo derideantur. Horum imbe-
cillitatem Apostolus forti erigit exhortatione:
Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobi- 1. Cor. 15.
les: abundantes in opere Domini semper, scien- vers. 58.
tes quod labor vester non est inanis in Domino.
Si non est inanis in Domino; quid homi-
num curatis judicia, divinam accepturi retri-
butionem? De vidua paupercula, quæ mise-
rat in gazophylacium æra minuta duo, veritas
pronuntiavit: *Amen dico vobis, quoniam vi-* Marci. 12.
dua hæc pauper plus omnibus misit: Licèt alio- vers. 43.
qui parva fuisset de tantilla oblatione homi-
num existimatio. Viri etiam piscatores, qui
humano judicio rudes videbantur & con-
temptibiles, & quibus nullius rei magnæ ali-
quid veniret in mentem, ad Apostolatum as-
sumpti, & induti virtute ex alto, eximios in
horrea Domini fructus intulerunt. Exemplis
talibus convenit pusillanimes istos ad operan-
dum viriliter animari.

TEXTVS & §. III.

Et devotè.

SVMMARIVM.

Exerceri poteſt devotio, etiam ſub laboritio manuali. Pro hujus praxi ſerviet, 1. Præmittere ſanctam intentionem. 2. Vti orationibus jaculatoriis. 3. Abſtinere à fabulando cum hominibus. Inſtructio religioſorum laicorum quorumcumque, qualiter ſub opere quocumque habere poſſint contemplationis materiam. Poſt laborem, opus erit Deo offerendum.

CUm filii Iſraël opprimerentur ab Ægiptiis & affligerentur, atque ad amaritudinem perduceretur vita eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur, *ingemiſcentes, propter opera vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Exod. 2. verſ. 23. Si populus ille, licèt intolerabili vexatus ſervitute, quâ datâ operâ per Ægyptios opprimebatur, tempus tamen occaſionemque invenit clamandi ad Dominum, à duris iſtis, quibus vexabatur operibus; quidni Chriſtianus populus, & in eo præſertim cœtus religioſorum, ſub moderato & rationabiliter regulato manualium operum laboritio modos adinveniat, animumque applicet ſtudio exercendæ pariter devotionis? Illud exoptans Seraphicus Vir Franciſcus, Fratribus ſuis quibus Dominus dedit gratiam laborandi, normam illius præbuit, dicens, ut non modò fideliter laborent, verùm *& devotè.* Ut ſimul & Ægypticâ terrenorum operum, & cœleſti teneantur orationis occupatione; ut pariter & opera ſub manibus ſint, & *aſcendat clamor* mentis *eorum ad Deum ab operibus.* Pro cujus praxi.

Primò, Sancta præmittatur intentio. Ordinarius finis à ſæcularibus intentus operariis, eſt, ſuis ſuorumque providere neceſſitatibus, fugere mendicitatem, & aliquid in ea congregare tempora, quibus ablata fuerit lucrandi copia. Huic ſcopo ſe facilè avaritia immiſcet, & exceſſus quidam concupiſcentiæ ſollicitudiniſque temporalium. Alios ad laborem trahit ſtudium valetudinis, quæ conſervatur exercitatione, & roboratur, quin & tetricum foret eis ac triſte manere otioſos. Alios allicit mentis aliqua recreatio, dum in ſuis ſibi complacent artefactis, & ſufficiens eis præmium eſt, egregium aliquid elaboraſſe. Sic Magnates aliquos in mechanicis detinuit exercitiis, curioſitas videndi & experiendi ſuæ artis effectus, aut deſiderium eamdem perfectiùs addiſcendi. Ad ſublimiora vocatur manualis religioſorum exercitatio. Sæculares operantur ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Scopus laboris noſtri ipſe Deus eſt, ad quem actiones noſtræ prudenti intentione veniunt dirigendæ. Itaque nobis curæ ſit, non ex abrupto, vel ſinè intellectu, aſinorum more noſtros ſubire labores, ſed rationabile faciamus obſequium noſtrum, & quod corporale tantùm eſt in ſæcularibus & inconſideratis hominibus, ſpirituale per religioſam reddamus intentionem, unde non modò corporum commoda, ſed ſalutem quoque reportemus animarum. Profectò in hoc vanitas eſt, & afflictio peſſima, fraudare animam ſuam bonis, & corporis ſolius bonis intendere. *Operamini*, monet Salvator, *non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Joan. 6. verſ. 27. Nimis vilis eſt cibus qui perit, & merces quæcumque temporalis, ut pro ea noſtram impendamus operam. Pretioſiora ſunt merita operum ſanctificatorum, quibus vita repoſita eſt ſempiterna. Porrò corporalis exercitatio, ſpirituali ſanctificatur intentione. Hujuſmodi intentionea ſunt, fuga otioſitatis; ſtudium humilitatis, cujus affectu ſe ad infima redigit ſervitia religioſus, quæ viris nobilibua honoratiſque probroſa viderentur; item paupertatis amor, ut hoc modo ſe de pauperum eſſe ſorte proteſtetur, ſimulque affectu religioſæ parcimoniæ, proprio labore ſumptus præcaveat, qui faciendi eſſent, in conducendis externorum operariorum miniſteriis. Sanctum quoque fit laboritium, animo domandæ carnis ſuſceptum: quæ inſigniter atteritur, dum illud continuum eſt, utcumque vehemens & afflictum. Sanctificant ipſum etiam, reſpectus exhibendæ obedientiæ, vel fraternæ charitatis: quarum virtutum materia numquam deeſt, ob quotidianorum occurrentiam mandatorum, & ob commodum quod ex ea diligentia cæteris Fratribus noſcitur provenire.

Secundò, Magis augebitur laborum ſanctitas, ſi piâ mentis devotione, & jaculatoriis condiantur orationibus. In mediis etiam negotiis, in mediis miniſteriis mentem poſſumus ad Dominum elevare; & ſi non ore, corde ſaltem dicere: *Domine adjuva me, &c. Diligam te Domine*, vel quid ſimile. Satagebat Martha circa frequens miniſterium, ſed noverat vel per tranſitum occaſionem captare paucis verbis Dominum alloquendi. Opinandum non eſt, hujuſmodi mulieribus quæ oppidis præërant,

præerant, defuisse qui opem ferrent ac domesticis levarent laboribus, ac propterea Marcham auxilio indignusse Magdalenæ. Neque livore malo de sorore conquerebatur. Quid igitur
Luc. 10. sibi volunt verba illa: *Domine, non est tibi curæ, &c.* Inter corporalis laboria exercitationem, sanctâ utebatur arte (quâ omnes pariter occupati uti possunt ac debent) velut in transitu cum Christo colloquendi. Non omnes diu possunt ad pedes Domini considere; possunt autem breviter saltem aliquid ad Deum in suis loqui occupationibus. Sic egit Martha, Christum allocuta, ut ei licou per frequentiam ministerii: idemque in nostra est
D. Greg. in 1. Reg. potestate. Quod D. Gregorius illa verba: *Quæ stetit & ait*, moraliter exponnens, annotavit: *Quo profectò exemplo*, inquiens, *instruimur, ut qui Fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad Redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam moram saltem ei assistere debeamus. Sed bene ei assistimus, si transeundo & serviendo videamus. Quid est enim transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsum cordis dirigere intentionem. Transimus enim, quando huc illuc discurrendo in membris suis Domino ministramus. Sed transeundo Dominum cernimus, si per omne quod agimus, præsentem nobis ipsum cui placere cupimus, contemplamur.* Hoc in cunctis actionibus suis, & circa quarumcumque occurrentiam creaturarum Se-
Leg. cap. 9. num. 1. raphicus noster practicabat Patriarcha. Ut ex omnibus ad divinum excitaretur amorem, exultabat in cunctis operibus manuum Domini; & per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem & causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique Dilectum: de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditæ namq; devotionis affectu, fontalē illam bonitatē in creaturis singulis, tamquam in rivulis degustabat.

Tertiò Aliud tuendæ devotionis præsidium, in labore manuum desudantibus, præbet
2. Thess. 3. vers. 11. Apostolus, dum ait: *Audivimus quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes; sed curiosè agentes. Illis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus & oramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Nemo est qui ignoret, quantum sit in silentio momentum, quantaque ex ejus neglectu scaturiant devotionis impedimenta. Silentium intelligo, futiles, mundanas & curiosas rescindere narrationes, nec autem præbere narrantibus. S. Pater noster comperiens quemdam verbis assuetum inanibus, acriter redarguit,
Opusc. Tom. 3. Apophth. 16. dicens: *Taciturnitas modesta, & puri cordis est firma custodia, & inter virtutes magnas non modica: mors enim & vita sunt in manu linguæ, non tam ratione gustûs quam ratione loquelæ.* Nimia laboratorium garrulitas, & tetardat expeditionem operis, & spiritum extinguit devotionis: ideoque specialiter vitanda laico Franciscano, qui *fideliter* laborare præcipitur *&*
Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 9. *devotè.* Audiens aliquando B. noster Ægidius Dominum vineæ, quæ erat propinqua habitationi ejus, vinitores suos objurgantem, iisque dicendum: *Fate, fate; & non parlate*, *Dernoye Medulla S. Evangelii.*

id est: operamini, operamini & verba facessant, ferè illud Concionatoribus illis applicabat, qui dicunt & non faciunt. Si his temporibus viveret Ægidius, & congregationibus laborantium interesset laicorum, non dubito, quin & ipsorum aliquibus inculcaret: *Fate, fate, & non parlate.* Querulantur ipsorum aliqui quòd orationibus vacare non possint quemadmodum Clerici, nec divinis æqualiter interesse, ob manualium operum impedimenta. Certè tamen non ex opere provenit impedimentum, sed ex defectu operantis. Opus non impedit à colloquio cum astantibus, quos audiunt, quibusque respondent appositè absque operis, quod præ manibus est, detrimento; cur non æquè colloquium cum Deo institui possit præsente atque attentissimo cordium inspectore? Inde igitur illorum oritur indevotio, quòd non sic animum divino applicent colloquio, sicut fabulis humanis, quòdque cogitationibus suis vagis laxent habenas, atque indiscriminatim objecta omnia suscipiant occurrentia, iisque spontè inhæreant, quia eisdem delectantur. Alius erat spiritus Sanctorum. F. Angelus de Spechio in horti cultura orationem & familiaria cum Deo colloquia, tanto continuabat fervore, ut visus sit aliquando sub labore, flexis genibus, à terra elevatus, in mentis positus excessu. F. Christophorus Crivelli, in quocumque esset loco, & in quibuscumque occupationibus, tam attentâ rapiebatur in Deum contemplatione, ut alienatus omnino à sensibus videretur. Quos occupavit Dei amor, hæret eis profunde in cordium medullis, nullâ difficultate de eo cogitant atque loquuntur quem amant. Tametsi civitatem circumeant, & circumsepti sint personarum negotiorumque multitudine, per vicos etiam & plateas quærunt quem diligit anima sua. Ab omnibus occurrentibus occupationibus sciscitantur: *Num quem diligit anima mea vidistis?* In cunctis laboribus audire sibi videntur amicabilem dilecti invitationem: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ad ipsum venire, propriè est ipsum mentis oculis intueri; à quo procul est, qui per mondum oniversum imaginationibus divagatur. Hæc Dei præsentis apprehensio, non modò fatigationem sublevabit, verùm & prælatas suggeret ad ipsum conversiones, sumptis ex ipso exteroo opere occasionibus.
Chron. p. 3. lib. 5. cap. 37.
Chron. p. 3. lib. 5. cap. 17.
Cant. 3. vers. 3.
Matth. 11. vers. 28.

B. Philippus Aquilanus, ex omnibus quæ agebat vel videbat, materiam sumebat altiora contemplandi. In chori concentu cælestis curiæ suavissimam harmoniam; in oratione confratrum, sanctorum communionem, pìamque pro nobis intercessionem; eunitum iturus, mortis imaginem & angustam sepulturam, in vermiculis è corpore prodeuntibus & molestè mordentibus, horribilia sepulturæ germina; in religiosa mendicitate, Christi voluntariam paupertatem; in igne, glacie, tenebris, fœtore, inferni tormenta potius tamquam præsentia contemplabatur. Simili modo quæcumque laborantium operatio suppeditare potest piæ materiam meditationis. Lavantibus Fratrum vestimenta, insidere
Annal. Tom. 6. an. 1456. num. 234.

poteſt ingens Chriſti amor, ſanguine proprio lachrymiſque noſtra abluentis inquinamenta. Hottum colentibus, in promptu eſt memoria immenſæ illius fecunditatis, quam Deus terræ tribuit, ut plurimum reddat pro modico accepto ſemine: docens eamdem eſſe Dei benignitatem augentis incrementa frugum juſtitiæ noſtræ. Vel occaſionem ſumant lugendi ſuarum ſterilitatem animarum, quæ poſt accepta doctrinæ ſemina, ſanctorumque irrigationes exemplorum, & calorem gratiæ per ſolem juſtitiæ, nil aliud Domino reddiderint adeo laborioſè excolenti, quàm ſpinas & tribulos ac lolia peccatorum. Qui conſuëndis occupantur veſtimentis, modò contemplari poſſunt Deum primis noſtris parentibus parantem tunicas pelliceas: modò Chriſtum propriis exutum veſtibus, intima cum verecundia & dolore: modò ſanctos gloriâ indutos & charitate: modò patrem miſericorditer reddentem pœnitenti filio ſtolam primam, priſtinumque ornatum. Qui fabrilibus incumbunt operibus, mente aſcendant ad domum non manufactam in cœlis, & per ſingulas ejus obambulent manſiones. Vel in corde ſuo templum fabricent Domino, illudque ei offerant inhabitandum. Vel admirentur laudentque mundi opificem, qui ſolo verbo abſque labore cœlum terramque conſtruxit. Vel judicem timeant venturum, qui non relinquet lapidem ſuper lapidem; ſed univerſum deſtruet opus vanitatis: atque electis ſuis meliora præparabit habitacula, quæ umbratìcè deſcribit Apocalypſis cap. 21. à num. 10. ubi ampliſſimum proponitur contemplationis objectum. Qui ornatui templi & altarium ſunt deputati, proximiorem habent Dei præſentiam, ipſumque opus ſuum, terribilis eos admonet majeſtatis æterni Regis, cujus diſponunt palatium, thronum erigunt, decoremque curantes domûs Dei, devotam populi promovent reverentiam, quam offerre poſſunt Domino, ſperantes omnium ibidem adorantium participare meritis, & gaudentes de religioſis omnibus obſequiis quæ ſummo Regi in templo ſuo exhibebuntur. Qui eleëmoſynas foris conquirunt, amplas habent materias admirandi atque laudandi paternam Dei providentiam, tam abundè ſervis ſuis promiſſam ſubminiſtrantis annonam: eique piam commendandi benefactorum charitatem, & gratias agendi ſanctis Angelis, qui eam ipſis inſpiraverunt pietatem. Illis qui curam gerunt infirmorum ampliſſimam dabimus meditandi materiam inferiùs ad Cap. 6. § 18.

Denique in quolibet officio, quantumvis
vili & ſervili, occaſionem nanciſcetur prudens
anima, vel moralis alicujus inſtructionis,
puta humiliationis exercendæ aut accendendæ
charitatis; vel anagogiæ ſublimioris. Mille
lumina parata habet Spiritûs Sanctus, ſuis in-
fundenda operariis; dummodo adſint purè
quærentes Deum animæ, quæ recipiant. Sic Joan. 4.
Chriſtus Samaritanæ aquam haurienti, deſi- Marci. 1. verſ. 17.
derium ingeſſit aquæ vivæ: diſcipulis inten- Joan. 6.
tis capturæ piſcium, ſpem præbuit homines Marci. 16.
piſcandi: de pane corporali ſollicitis, virtutem verſ. 1.
explicuit veritatemque panis cœleſtia; mulie-
ribus aromata ferentibus ut ungerent Jeſum,
ſpiritualia reddidit aromata viſionis angelicæ,
& conſolationis de Dominica Reſurrectione.
Eâdem benignitate cum ſuis aget operariis: in-
ſtruet, recreabit, accendet; dummodo manua-
li operi, cordis apponant attentionem, ut au-
diant quid loquatur in eis Dominus Deus.
Dum autem ſenſibiliùs tetigerit cor, ſuaſerim Thren. 3.
quieſcere paulisper. *Bonum eſt præſtolari cum* verſ. 26.
ſilentio ſalutare Dei. Elias Propheta cùm ſibi-
lum audiſſet auræ tenuis, *operuit vultum ſuum* 3. Reg. 19.
pallio, omnem ſollicitudinem cordis appo- verſ. 13.
nens, ut ſenſus animumque à divagatione ad
exteriora revocaret; atque tunc divino digna-
tus eſt colloquio. Exemplar vitæ noſtræ Fran- *Leg. cap. 10. num. 1.*
ciſcus, ſolitus erat nullam ſpiritus viſitatio-
nem cum negligentia præterire. Siquidem
cùm offerebatur, ſequebatur eam: & quam-
diu Dominus concedebat, dulcedine frueba-
tur oblatâ. Cùm autem intentus itineri, di-
vini ſpiritus aliquos ſentiret afflatus, ſociis
præcedentibus, gradum figebat; novamque
inſpirationem ad fruitionem convertens, gra-
tiam non recipiebat in vacuum. Et hæc qui-
dem devotè practicanda erunt ſub labore.

Poſt laborem verò, membris ita defatiga-
tis ut ulteriorem vix valeant ſuſtinere, in me-
moriam redeat Jeſus fatigatus ex itinere & Joan. 4.
ſedens ſupra fontem, itemque patientia ipſi-
us & fatigatio in amara ejus paſſione, ut pro-
priâ conjiciamus experientiâ, quid ob noſtri
tolerârit amorem; atque hinc ad intimas tran-
ſiliamus gratiarum actiones, adjunctâ etiam
piâ Davidis precatione: *Vide Domine humi-* Pſalm. 24.
litatem meam, & laborem meum, & dimit- verſ. 18.
te omnia delicta mea. Convenienter humilitas
jungitur cum labore, tamquam duo ſcalæ la-
tera, juxta D. Bernardum, quibus deinceps *Super illud:* Ecce nos
internæ virtutis & gratiæ gradus firmiter in- reliq. omn.
ſerantur; niſi enim per humilitatem extermi-
netur gloriæ vanitas, quidquid corporalis ex-
ercitationis foris oſtenditur, intus à mercede
evacuatur.

TEX-

TEXTUS & §. *IV.*

Ita quòd excluſo Otio,

SUMMARIUM.

Otii tyrannidem tollit ſedula auctuoſitas. Otioſorum aliqui nihil penitùs agunt, & quàm perículoſa iſta ignavia. Aliqui ea ſolùm agunt quæ delectant. Aliqui non operantur juxta dotes ſibi à Domino collatas. Alii officiis ſe ingerunt alienis; propria negligentes. Aliqui majora ſe meditantes, & illa non præſtant, & minora negligunt. Oratio devota pro Otii fuga.

POſtquam ſervierant filii Iſraël Eglon regi Moab decem & octo aonis, clamaverunt ad Dominum: *qui ſuſcitavit eis Salvatorem, vocabulo Aod, qui utrâque manu pro dextera utebatur.* (Judic. 3. verſ. 15.) Hic facto ſibi ancipiti gladio, accinctus eſt eo ſubter ſagum. Et miſſus à populo pro ferendis tyranno muneribus, *extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femoro ſuo, infixitque eam in ventro ejus tam validè, ut capulus ſequeretur ferrum in vulnere,* & percuſſus moreretur. Atque hoc pacto excuſſit à filiis Iſraël jugum Moabitarum, atque infamem regis Egloo à finibus eorum excluſit tyrannidem. Per *Eglon* qui *Vitulus* interpretatur, deſcribiturque *Craſſus nimis,* & ſedens *in æſtivo cœnaculo ſolus*, poteſt non incongruè Otium deſignari; *Vitulus* ſiquidem nulli intendit labori, ſed in pratis laſciviens, id ſolùm agit, ut iocraſſetur, dilaterut & impinguetur. Item homo acedioſus, non ſtans invenitur, aut diſcurrens cum aliis in opere: ſed *ſedens & ſolus in cœnaculo*, iu refectiools loco & commoditatis; non in officina laboris. Hjus vitii tyrannide, quàm plurimi de populo Dei opprimuntur. Ut liberari poſſint, ſuſcitendus eſt eis Aod Salvator, *qui utrâque manu pro dextera* utatur; Spiritus, inquam, ſedulitatis & diligentiæ in operando, qui utramque exhibet manum pro laboribus expeditam. Iſte ſegoem percutiendo Acediam atque Otium, fidelium animas ab ipſius infami eruet ſervitute. Providus Dei famulus Franciſcus, ſollicitus pro ſuorum liberatione filiorum, præſenti textu mandat eis laborare, *ita quòd excluſo Otio*, in libertatem aſſerantur Dei filiorum. Sunt autem diverſa otioſorum genera.

Primum, Eorum qui nihil penitùs agunt, ſed complicatis jacent manibus, velut trunci aut paralytici, vel potiùs ut mortua cadavera, quæ nonniſi onus afferunt viventibus atque putorem. Horum vita ſomnus continuus eſt, ſeu ſpiritualis ſenſuum ligatio, ſinè motu ullo aut ſenſu præteritarum rerum vel futurarum. Hebetes ſunt, inverecundi, emortui, ac planè inutiles. (Opuſc. Tom. 3. Apopht. 15.) Fratrem talem otioſum, offendens aliquando Franciſcus, huc illucque vagantem, aliorumque labores manducantem, à conſortio fratrum expulit, dicens: *Vade viam tuam, frater muſca, quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum, & otiari in operibus Dei, ſicut fucus, apis otioſa & ſterilis, quæ non operatur nec laborat, ſed comedit laborem & lucrum bonarum apum.* Nec modò indignus eſt talis, fratribus cohabitare laborantibus, ſed neque meretur in Dei computari creaturis; quæ juxta inſtinctus, & naturales ſemper operantur potentias, & prout fuerint applicatæ cæteris ſerviunt creaturis. Ex qua conſideratione B. Bartholomæus Salutius exclamabat: *O Domine, Domine, numquid formica, numquid vermiculi terræ me vincent, qui continuò laborant, continuò operantur? Ne permitte, obſecro Dulciſſime Jeſu, amor meus, præſidium meum.* (Schol. amoris cap. 40.) Et magnis proſequitur fervoribus, Dei poſtulans amorem; qui totus auctuoſus, vehementer excitat animam ad operandum. Hic erat ſpiritus Franciſci, qui dicebat aliquando: *Volo Fratres meos laborare & exercitari, ne otio deditis, per illicita corde aut linguâ vagentur.* (Leg. cap. 5. num. 5.)

Hunc ſancti Patris ſpiritum, Sanctus Ludovicus Toloſanus filius ejus hereditavit. (Sedul. c. 7. Vita.) Fructuoſiſſimè occupabat ſingula temporis momenta: ne pectoris ager ceſſante manu, malarum cogitationum ſentibus premeretur. Quotidiè cùm ſacrificaſſet, uſque ad prandium, totum ſe dabat lectioni. A prandio non vanos miſcere ſermones, quod vulgus ſolet; ſed cum viris doctis & religioſis communicare, conferre, diſputare de ſeriis & fructuoſis. Deinde cantum addiſcere Eccleſiaſticum. Poſtea brevem in cella aliqua capere ſomnum. Demum à conſpectu hominum prorſus ſecedere: in receſſu ſtudioſiſſimè ſacram perlegere Scripturam & Patrum monimenta; maximè verò Meditiones D. Bernardi; cujus Librum de Conſideratione equitans quoque in ſinu gerebat, cum Epiſtolis & aliis aliquot ejus Opuſculis. Fatigatus autem multâ lectione, corporis exercendi gratiâ, hortum colebat, ſolum invertens, lolia extirpans, & jaciens bonam ſementem, externo cultu ſubmonens ſe quî animum coleret. Semper aliquid faciebat boni, ſemper inveniebatur occupatus. Itaque duæ res, quæ languorem adferunt cæteris, illum acuebant, Otium & Solitudo.

Numquam minùs otiosus aut solus, quàm cùm solus esset aut otiosus. Similem legimus

Chron. p. 3. lib. 4. c. 4. & lib. 5. cap. 45.

in laboribus gravissimis infatigabilitatem de B. Joanne Capistrano, & magno illo Francisco Ximenio, omnium regnorum Hispaniæ pro Carolo V. moderatore, atque de aliis innumeris Franciscanis. Et semper illa fuit mens magnorum omnium ingeniorum, ut mors eis esset otiari, & in recreationem verteretur boni aliquid agere: eòque majorem, quò utiliùs operarentur, etsi gravi cum labore, magnisque fatigationibus. Accendebat illos spes indubitata regni cœlorum, & denarii illius diurni, quem paterfamilias suis promisit operariis. Hoc stimulo Galatas suos excitabat

Gal. 6. vers. 9.

Apostolus: *Bonum*, inquiens, *facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Veniet certè nox mortis, quando nemo poterit operari. Nunc tempus laboris est, tunc erit quietia, dicente spiritu illis, qui in Domino moriuntur, ut requiescant à laboribus suis. B. Simon Lipnicius, Polonus præ-

Annal. Tom. 7. an. 1483. num. 8.

ter exemplum suæ diligentiæ, insigne tradidit in hanc rem documentum. Nullum umquam vel minimum temporis spatium transegit, in quo vel orationi meditationi, lectioni vel humilitatis exercitiis aut charitatis operibus non vacaret. Suadentibus, ut lasso corpusculo paululũ concederet quietis, respondebat: *In sepulchro requiem dabo diuturnam; nunc verò vel minimum temporis momentum Dei famulum sinè fructu transire, nefas est.*

Secundum, Quia verò multi nolunt cum nihil agentibus computari, imò se penitùs ab hoc vitio immunes esse gloriantur, qui tamen cum otiosis judicabuntur à Domino, juvabit eos aliquo hîc instructionis verbulo commonefacere. Eorum aliqui sunt, qui se totos ad ea solùm applicant, quibus delectantur, vel pascunt curiositatem, vel suas proprias adimplent voluntates, quas animo prurienti conceperunt, vel à quibus laudem sperant & admirationem aliquam ingenii, vel industriæ, vel artis, aut roboris præcellentis. Noster Angelus de Paz scribit de illis in hunc modum: *Pusillos & magnos legimus mortuos: &*

In cap. 8. Marci 2 cap. 2.

quidem in otio viventes; tam qui præsunt & in magnis se occupant absque fructu; quam qui obsequuntur, & in pusillis, quæ nullius sunt momenti, vitam degunt animalem, mortuos ego clamito. Videre est eos ardentes, attentos & constantes in opere incepto, nec tempori parcere nec labori, nec expensis aut difficultatibus, donec sui capitis expleverint conceptum; etsi exiguum aut nullum sit inde secuturum alicui emolumentum. Videntur sibi egregiè Otium excutere; sed reverà, dum aliud agunt quàm quod eis incumbit, veniunt cum otiosis computandi. Quis non rideret agricolam, diebus integris intentum plantandis excolendisque floribus, pro visus recreatione; qui interim tempora præteriret arandi & seminandi, nec de futura messe ullatenùs cogitaret? Quam etiam mercedem expectare possit, qui jussus in vineam ire laboratum, ad venationem curreret magno cum labore, quia magis isto delectatur exercitio? Vocatis ad recipiendam mercedem operariis, isti cum otiosis relinquẽtur foris, quia non egerunt utilia quæ desiderabantur. Hujusmodi hominum fatuitatem condemnabat B. Franciscus Patavinus, di-

Chron. p. 3. lib. 3. cap. 46.

cens: *Fratres, Fratres, non sumus à Deo vocati in domum suam, ut tempus teramus in vanitatibus.*

Tertium genus est otiosorum, qui præclaras à Deo acceptas dotes, non in ipsius honorem & in proximorum conferunt salutem. Nota est districtio, quam futuram, significat Salvator in reddenda ratione, sub parabola hominis nobilis, qui peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua, ut cum eis dum rediret, negotiarentur. Quorum unus *abiens fodit in terram* quod acceperat, *&*

Matth. 25. vers. 18.

abscondit pecuniam Domini sui. Redeunte autem Domino, & rationem cum illis ponente, durâ illum perstrinxit sententiâ: *Inutilem servum*

vers. 30.

ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. Talentum quod nobis Filius Dei abiens in regionem longinquam, ascendens in cœlorum sublimia, commisit, est divina gratia cum naturæ dotibus: cum his vult nos negotiari, dum ad diem redeat districti judicii, & reddendæ rationis acceptorum. Acquiescamus igitur Apostoli monito,

Hebr. 12. vers. 15.

contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. Qui etiam ipso facto se præbens in exemplum diligentiæ, ait: *Gratia ejus in me vacua non fuit;*

1. Cor. 15. vers. 10.

sed abundantiùs illis omnibus laboravi. Quidam cæcâ pusillanimitate non agnoscunt quid possint, nec seipsos tentare volunt: imò occasiones subterfugiunt præclari quidpiam exequendi: quibus forsan feliciter succederet, si vires suas secretas satagerent experiri. Munus est Superiorum eas gratias incultas non relinquere & evanidas. Tametsi parvæ videantur, nullius tamen opera contemnenda est. Permittit sapiens donorum distributor, per Fratres exiguos majora non posse geri negotia, ut per eos minora perficiantur, quæ animas eminentiores à majoribus impedirent functionibus. Omnium interim opera utilis est, & quisque mercedem accipiet secundùm suum laborem. Ideo paucioribus dotati, minimè dimittantur otiosi. Imprudenter regeret civitatem, qui majoribus tantùm intenderet justitiæ militiæque ministris; negligens interim inferioris notæ personas, quæ portis claudendis sunt destinatæ. Vilissimum est in navi officium sentinam exhauriendi: quid tamen non sequitur incommodi, si negligatur? Sic relinquendi non sunt, quorum opera reputatur exigua: neque ipsi subtrahant semetipsos. Unicum tantùm acceperat talentum, qui gravi plectebatur punitione. Esuriens Jesus, & videns fici arborem, venit ad eam, si quid fortè inveniret in ea: & nihil inveniens in ea nisi folia, dixit illi: *Numquam ex te fructus nascatur in*

Matth. 21. vers. 19.

sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea. Mirabilis certè sententia; sed ex eo quod à S. Marco additur, mirabilior: *non erat tempus fico-*

Marci 11. vers. 13.

rum. Non igitur in arborem principaliter intendebatur vindicta, sed comminationis signum pro animabus erat infructuosis, quæ sibi reputant vires non adesse fructificandi, tempus non esse ficorum; cùm tamen non sit eis certum tempus definitum, neque certa potentiæ

meta

meta ad fructus aliquos proferendum. Hi maledictionem sibi sciant imminere, otiosi atque inutiles inveniantur.

Quantò, Non minùs otiosi sunt, qui se alienis ingerunt officiis non vocati, eaque videntur agere diligentissimè. Quid gratiæ referret musicus, ad recreationem vocatus convivarum, qui se conferens ad hortum, magnâ diligentiâ terram foderet, labore se conficiens, in eo opere quod non jubetur? Similis est inquietorum istorum stultitia, qui proprias fastidiunt officinas, indefessos autem in illis se ostendunt, quæ ab aliis optimè sinè illorum opera perficiuntur. Taceo turbationem, quam bono inferunt ordini, & exiguum quod ex intempestivis præsumptuosisque illorum negotiis colligitur emolumentum; imò contrà, magnum quandoque detrimentum atque confusio. Displicet eis quidquid ab aliis geritur, ideoque se intromittunt ad corrigendum: aut saltem pro variis displicentiis quæ occurrunt, diversi officii in sua phantasia personam induunt, ad negotia singula prudentiùs peragendum. *Sicut parturientis*,
Ecclesi. 34. vers. 6. inquit Sapiens, *cor tuum phantasias patitur. Nisi ab altissimo emissa fuerit visitatio, ne dederis illis cor tuum*

Quintò, Aliud otii genus ex illo Sapientis
Prov. 21. vers. 25. verbo colligimus, quo dicit: *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Totâ die concupiscit & desiderat.* Hæc sententia eos percutit, qui minora fastidientes opera, de sublimioribus cogitant, suavioribus atque gloriosis, vires eorum excedentibus; sedentque interim otiosi, manum ad nihil applicantes. Timendum, ne dum minora præsumptuosè fastidiunt, eis etiam gratia hæc ipsa perficiendi subtrahatur. Comminationem Domini legimus apud Isaiam: *Abscondi à te* Isaiæ 57.
faciem meam, & indignatus sum: & abiit vagus vers. 17.
in via cordis sui. Rectè consulebat B. Ægidius:
Si bona agitis quæ nostis, etiam ad ea bona pertingetis, quæ non novistis. Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 5. Notissimum est, humilia, vulgaria, facilia & simplicia opera, gradum ad heroicas facere virtutes, contemplationes, gustumque Dei sapidiorem.

Ut has omnes otiositatis voragines valeamus Dei gratiâ evitare, cum B. Bartholomæo Salutio clamemus ad Dominum: *Adjuva me Deus,* Schol. amoris cap. 40.
quia otiosus, quia somnolentus ampliùs esse non possum. Succurre mihi Amor, succurre velociter, & cordis mei possessionem ingredere: quod tibi jam dono, consecro, & vendo. Tu ergo id accende, ut continuò te dulcissimum Jesum cogitet, te suspiret, te appellet, atque imploret. O Jesu, amor meus, spes mea, Jesu vita mea; quid ego sinè te facere possum? Tu enim dixisti, & verum est: Sinè Joan. 15.
me nihil potestis facere. *Tu mihi voluntatem* vers. 5.
bene agendi, & ardentissimum amorem tui te quærendi elargire, Amen.

TEXTUS & §. V.

Animæ inimico.

SUMMARIUM.

Otium inimicitias exercet in animam. 1. Tollit inspirationes bonas, & motiones ad Deum, 2. Noxias ingerit cogitationes. 3. Pruritum causat evagandi. 4. Vana inducit colloquia. 5. Accendit libidinem.

VEnientes filii Remmon Berothitæ Rechab & Baana, ingressi sunt domum Isboseth, *qui dormiebat super stratum suum meridie. Et*
2. Reg. 4. vers. 5. *ostiaria domus purgans triticum obdormivit.* Cùm autem ingressi fuissent domum, *ille dormiebat super lectum suum, in conclavi; & percutientes interfecerunt eum.* Somnus Isboseth atque ostiariæ, occasionem dedit inimicis intrandi sinè obstaculo, atque stertentem hominem obtruncandi. Cordis domus, ostiariam habet sanctam vigilantiam. Hâc obdormiscente, *adversarius noster Diabolus*, qui *circuit quærens quem devoret*, occasionem non prætermittit ingrediendi, atque in torpentem animam dormientemque otio suam exercendi crudelitatem. Sic locus datur Diabolo, & patent omnia confusioni, atque Isboseth, qui latinè *vir confusionis* dicitur, miserabiliter obtruncatur; hoc est, otiosi hominis anima (per dormientem super statum suum in meridie non inconvenienter significata) percutitur peccati spiculo, & interimitur. Juratus Satanæ adversarius Franciscus, hic monet nos illius præcavere insidias, & cordis aditum, excluso otio *animæ inimico*, assiduâ custodire operandi sedulitate. Rectè verò nominavit Vir Sanctus otium *animæ inimicum*; siquidem multiplicem in ipsam exercet hostilitatem.

Primò, Bonas tollit Sancti Spiritûs inspirationes, motionesque ad Deum reddit inefficaces. Docuit aliquando Dominus, mentem hominis agrum suum esse, hortum sponsi, terramque fecundam cælestium seminum susceptibilem, ad quam exiit Dei Filius seminare semen suum, verbum suum secretum, internasque inspirationes. Dum verò desidiâ torpentes homines, neglexerunt divinum semen, cordis mandare visceribus, *volucres cœli*, ex- Luc. 8.
pulsæ de cœlo aëreæ potestates, *comederunt illud.* Siquidem venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Contra malum hoc, Apostolus suum monebat Timotheum: *Bonum depositum custodi, per* 2. Tim. 1.
Spiritum Sanctum qui habitat in nobis. Depo- vers. 14.
situm

situm illud divina gratia est. Qualiter autem
2. Cor. 6. custodiendum? *Hortamur vos*, inquit alibi,
vers. 1. *ne in vacuum*, in cor otio vacuos, *gratiam Dei recipiatis*, auferuntur ab illo dona Dei, qui collatis non rectè utitur, sed gratiam cælitus
Moral. 15. acceptam repositam tenet in sudario. *Sæpe eve-*
cap. 16. *nit*, inquit Greg. *ut divina admonitionis eloquia, etiamsi rectè hypocrita intelligat, quia in opere nequaquam servat, hac etiam priusquam præsentis vita cursum finiat, amittat: ut perdat scien-*
Job. 20. *re, quod sciendo noluit agere. Unde dicitur:* Di-
vers. 15. vitias quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. *Vult hypocrita scire divina eloquia, nec tamen facere. Vult doctè loqui; nec vivere. Pro eo ergo quod non agit, quæ novit, etiam quod novit, amittit: ut quia scientia sua puram operationem non sociat, contemptâ puritate boni operis, & scientiam perdat: ne præcepta Dei saltem in lingua teneat, qua non servavit in vita. Etenim parum est Deo eloquia illius expostia tenere in lingua; sed gratum est in corde ab-*
Moral. 22. *scondere & amare.* Hinc proposito applicat a-
cap. 5. libi lamentationem unius de filiis Prophetarum, qui cædendo ligna, ferrum perdiderat
4. Reg. 6 securis, & exclamabat: *Heu, heu, heu, Domi-*
vers. 5. *ne mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.* Hanc, inquam lamentationem, moraliter exponit in hunc modum: *Ferrum istud spirituáliter est intelligentia donum in corde, quæ tunc perditur, quando ex dissoluto opere fatuatur. Et ideo meritò conturbatur, quia perdidit quod ex gratia Conditoris acceperat, ut illud per bona opera redderet ei, à quo mutuum acceperat donum.*

Secundò, Exclusis per otiositatem sanctis utilibusque cogitationibus, consequens est,
Matth. 13. ut noxiæ succedant; sicut scriptum est: *Cum*
vers. 25. *dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit Zizania in medio tritici, & abiit.* Postquam Deus ob Adæ peccatum, suam abstulit à terra benedictionem & fecunditatem, eamque in propria sua reliquit sterilitate; simul prædixit spinas & tribulos germinaturam. Similiter mentibus contingit humanis; ut quando divinæ gratiæ ooluerint uti fecundi-
Prov. 24. tate, spinis tribulisque repleantur. *Per a-*
vers. 30. *grum hominis pigri transivi*, ait Dominus, *& per viam viri stulti: & ecce totum repleverant urticæ; operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Sic à sollicitudinibus sæculi suffocantur, ut ad cælestia nequeant aspirare, ac præ desidiæ somno in remotissimam abducuntur æternorum oblivionem, nihil penitùs de mortis cogitantes instantia, reddendisque factorum rationibus.
Judith. 13. Sic *Holofernes jacebat in lecto, nimiâ ebrietate*
vers. 3. *sopitus*, ignorans pugionem proprium suis ità propinquè cervicibus imminere. Frustraneæ sunt dormitabundis istis otiosis monitiones omnes, minæ atque increpationes; non aliter ab eis accipiuntur, quàm uxoris iratæ convitia & clamores, à sepulto ebrietate
Eccles. 22. marito. *Cum dormiente loquitur, qui enarrat*
vers. 9. *stulto sapientiam.* Hinc sequitur mentis hebetudo, ut neque intelligantur neque curentur salutis propriæ pericula. Prudens verò, excusso otio, satagit, ut per bona opera certum faciat vocationem suam & electionem; atque cum timore & tremore salutem suam operatur, juxta dictum Ecclesiastici; *Homo sa-* Eccles. 18.
piens in omnibus metuet, & in diebus delictorum, vers. 27.
in præsentis vitæ periculoso & peccatis obnoxio tempore, *attendet ab inertia.*

Tertiò, Nascitur ab otio pruritus evagandi; scribit enim de junioribus viduis Paulus
Apostolus: *Simul autem & otiosa discunt circui-* 1. Tim. 5.
re domos. Idem observari potest in otiosis qui- vers. 13.
busdam religiosis. Illis dum otium ipsum in fastidium versum est, satisfieri non potest in discursibus & divagationibus ad recreationem quæsitis, & tristis spiritûs levamen. Infelix aviditas, quæ quò longiùs peregrinatur, eò magis egreditur à facie Domini, difficilioremque facit regressum ad mentis quietem, veramque pietatem. Hâc otii infamiâ, pessimi laborabant Fratticelli, de quibus fusè noster Alvarus Pelagius: Vitam inquit, pingu- De Planctu
em volunt vivere sinè labore & cum liberta- Eccl. l. 2.
te, dediti somno & vagationi perpetuæ, & pro art. 51.
levi suborta commotione, loca in quibus habitant dimittunt, & sicut passeres insolentes de monte in montem transmigrant: ac tepore lethæo tepefacti, cum curtis & repetitis capitis discurrunt per mundum. Recedente primo igne (forsitan divino) pejores quàm si frigidi essent in sæculo, tepidi facti ab ore dominico evomuntur. Suâ hypocrisi seipsos & mundum decipiunt. Nam eorum prima abstinentia in gastrimargiam vertitur, paupertas in peculium, vigiliæ in somnolentiam, silentium in multiloquium (maximè sub specie loquendi de Deo) simplicitas in malitiam, solitudo in sæcularium & mulierum familiaritatem. Eorum aliqui à sæcularibus de die in diem convivia suscipiunt, legationes faciunt & referunt; de animarum colluquiis præsumptuosi idiotæ se intromittunt. De peregrinatione in peregrinationem discurrunt; quia acedia eos expellit de cella, quam sic credunt excludere specie boni; sed ampliùs eam nutriunt; quia numquam acedia pellitur nisi per cellæ continuationem, factamque sibi violentiam. Et si corpus ad horam sentit solatium exeundo, paulò post redit acedia fortior, more febricitantis, qui frigidam biberit aquam. Hæc Alvarus, de scelestissimis istis hæreticis. Pruritus iste pedum compescitur, oscitabundus istos acediosos operum laboribus exercendo. Cùm populus Israël instaret apud Pharaonem pro licentia eundi viam trium dierum in solitudinem, ad sacrificandum Domino, majoribus eos gravavit operibus: *Vacant enim*, dicebat, *& ideir-* Exod. 5
co vociferantur dicentes: Eamus & sacrificemus vers. 8.
Deo nostro. Opprimantur operibus, & expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus. Errabat quidem in subjecto; sed non in modo compescendi otium, & inde consequens desiderium evagandi.

Quartò, Alterum vitium, quod in junioribus viduis notat Apostolus, est, quòd *non solùm* 1. Tim. 5.
otiosæ sint; *sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ* vers. 13.
non oportet. Otio consectarium est ad nihil aliud vacare (more Atheniensium, teste S. Luca) Actor. 17.
nisi aut dicere aut audire aliquid novi, facta vers. 21.
judicare aliena, irridere, murmurare, ac linguam

linguam ad omnia laxare vitia, huic membro familiaria. Franciscus Fratres aliquos videns otiantes, alios languidè laborantes, & verba defluentes inutilia, *Pisan. l. 1. confor. 12.* dicebat: *Tepidi, nec se familiariter & humiliter labori applicantes, de ore Dei citò evomentur. Fratres ergo omnes laborare volo, & exercitari humiliter in operibus bonis: ut simus populo minùs onerosi, & cordis ac lingua malis obviemus, ne per malos cogitatus, aut aliorum famam evagentur.* Itaque hic modus erit, Sancti Petri judicio, tollendi è communitatibus murmurationes, curiosas actionum alienarum indagationes, temeraria gubernationis Superiorum judicia, rixas mutuas, similesque turbationes, si subditi omnes, convenientibus unicuique applicentur exercitiis, atque otium malorum omnium sentina penitùs extermínetur. *Eccl. 33. vers. 25.* *Servo malevolo, tortura & compedes. Mitte illum in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue illum; sic enim condecet.*

Quintò, Aperit etiam locum alteri pesti maledicta otiositas, quam fermè omnes experiuntur; pauci sanant. Ipsa est turpis concupiscentia, & carnis contumacia adversus spiritum; tunc maximè insolescens, dum corpus animusque ab opere vacant & labore. Optimam illius tegendæ atque domandæ rationem Sapiens explicuit in regulis mancipium dirigendi: *Cibaria*, inquit, *& virga & onus asino. Panis & disciplina & opus servo. Operatur in disciplina & quærit requiescere. Laxa manus illi, & quærit libertatem. Jugum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ.* Exemplo docebat, castitatis speculum Franciscus, *Leg. cap. 5. num. 5.* rebellem carnem & pigram, disciplinis continuis & fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum Fratrem asinum appellabat; tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Si asinus lasciviat ad venerem, videmus agasonem vehementibus scuticæ verberibus belluinas istas jumenti frangere petulantias; easque evanescere omnino, si urgeatur per vias difficiles procedere, cum illis, quibus gravatur oneribus. Simili modo in occulta illa, quam patimur lucta evadere poterimus superiores: *Otia si tollas, periêre cupidinis arcus.* *Ovid.* Optimè in eumdem finem scripsit Seneca: *Ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos malè habet inertia sui impatiens. Magni Imperatores, cùm malè parêre vident militem, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent. Numquam vacat lascivire districtis; nihilque tam certum est, quàm otii vitia, negotio discuti.* *Epist. 87.*

TEXTUS & §. VI.

Sanctæ orationis ac devotionis spiritum, &c.

SUMMARIUM.

Ventus sive spiritus Devotionis fertilitatem confert horto Seraphicæ Religionis. Quid sit Devotio? Media ipsam acquirendi sunt. 1. Cordis sensuumque custodia, ab inutili cogitatione & inordinatis affectibus. 2. Solitudo. 3. Piorum librorum lectio. Ubi traditur Methodus Seraphici studii. 4. Perseverantia in bonis exercitiis. 5. Colloquia de rebus divinis.

SAcra Dei Sponsa, in divino expostulat Cantico: *Surge Aquilo, & veni Auster, perflua hortum meum, & fluant aromata ejus.* *Cant. 4. vers. 16.* Spiritum requirit sive ventum, qui horto suo abundantem conferat fertilitatem. Spiritualis hortus est Minorum Fratrum, per almum Christi confessorem Franciscum fundata Religio. Huic exoptat præsenti Textu *sancta orationis & devotionis spiritum*: tamquam ventum, quo hortus suus Seraphicus possit omnium spiritualium aromatum abundantiâ fecundari. Frigidus ventus Aquilo, rigore suo atque austeritate aëris tollit corruptionem, & quasi scoparum officio, sordes evertit venenorum, hærentium in Superioribus. Auster verò, suâ lenitate mollificat terram, atque impinguat, & quasi obstetricante manu, plantarum educit è solo germina. Haud absimili ratione venenatus pravorum nostrorum affectuū aër, expurgatur spiritu orationis; nec non in terra cordis nostri producuntur spiritualium fructus gratiarum. Hinc Vir Dei Franciscus, *Leg. cap. 10. num. 1.* Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sinè ipsa in Dei prosperari servitio, modis quibus poterat fratres suos ad ejus studium excitabat. Nam ambulans & sedens, intus & foris, laborans & vacans, Orationi adeo erat intentus, ut illi videretur non solùm quidquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis ac temporis dedicasse. Plurimos Devotionis effectus, tam quoad malorum repulsionem, quàm bonorum acquisitionem, recenset luculenter exercitatissimus Orationis magister & coltor B. Petrus de Alcantara: *Proprium Devotionis officium est, difficultatem in Oratione & meditatione occurrentem submovere, tepiditatem pellere, alacritatem in divinis* *De Devot. p. 2. cap. 1.*

Dernoye Medulla S. Evangelii.

obsequiis coferre, Intellectum instruere, voluntatem robrare, divinum amorem in corde succendere, flammas illicitarum cupiditatum restinguere, fastidium humanarum rerum, atque odium peccati ingenerare, atque ei quem possederit ac repleverit, novum fervorem, novum spiritum, novum animum, nova desideria bene agendi infundere. Etenim sicuti Sampson longis capillis praditus, fortitudine mortales omnes antecibat; eisdem verò spoliatus vires amittebat, caterisque hominibus imbecillitate similis erat: sic anima cujuslibet Christiani, hàc Devotione adjuta, fortis & robusta est; eàdem verò privata, debilis & infirma. Prastantissima verò laus illius est, quòd omnium caterarum virtutum stimulus sit. Non autem vera Devotio est teneritudo cordis, cum aliqua delectationis affluentia, qua interdum in Oratione sentitur, nisi sit adjuncta alacritas ad praclaras actiones obeundas, & Dei voluntates sequendas; prasertim inspiratas & cognitas, in Oratione. In hoc enim summam hujus Virtutis positam esse credendum est. Hæc Beatus ille pietatia Magister. Nequid autem discipulis deesset, hoc donum concupiscentibus adipisci, media quædam opportuna proponit ad illius acquisitionem, atque necessaria.

Primum, est cordis sensuumque custodia, ab omni vana & inutili cogitatione, ab affectibus amoribusque peregrinis, à turbulentis motibus & concitatis. Poscit enim hæc virtus quietum cor, & ab omni inordinata liberum affectione. Ut Orationis harmonia suavia valeat in aures Domini Sabaoth introiae, optima requiritur potentiarum animæ tamquam nervorum cytharæ concordantia. Sic

Leg. c. 10. & 9.

Franciscus, cùm jam ad terrena foris desideria per Christi Charitatem totus esset insensibilis factus, sinè intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Terrenis eminentior affectibus, & Angelorum concivis jam factus, supernarum circuitu mansionum ferventi Orationis desiderio quærebat dilectum, à quo solus eum carnis paties disjungebat. Atque ob concordem istam omnium animi passionum in ipso tranquillitatem, ad solum amoris Domini auditum, excitabatur subitò, afficiebatur, inflammabatur: quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur. Beatus etiam filius ipsius Ægi-

Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 17.

dius, postquam strennè vitam excoluerat activam, conferre se cupiens ad contemplarivam, totum se accommodavit comparandæ perfectæ pectoris sui tranquillitati & serenitati, sustulitque eum omnipotens Deus ad eam contemplationis sublimitatem, ad quam eâ tempestate via alium quemquam. Cùm in eremitorio ageret Fabrianensi, nocte quâdam, piis vacantem precibus, adeo Deus suavitate & consolatione replevit, ut animam putaret è corpore migraturam. Sensit enim mori corpus: primò pedes, ac deinde membra cætera, donec anima excessit è corpore. Egressa verò à corpore, mirè delectabatur ingentis suæ pulchritudinis contemplatione. Rapta est inde ad cælestia contemplanda arcana, quæ tamen nulli voluit umquam expresè revelare. Contemplationis dulcedine taliter liquefiebat anima ejus, ut nil ampliùs de rebus corporis curaret. Unde vocatus à socio ut manducaret: *Fili*, inquiebat, *non est cur amplius de cibo cogitem aut potu; indicibilem inveni thesaurum, & ingentes delicias. Cibus nullus, delicia nulla, consolatio corporis nulla hic thesauris praferenda.* Num. 24.

Dum ei diceretur aliquando, S. Franciscum vehementer expetiisse martyrium, ait: *Ego potius contemplatione, quàm martyrio vellem obire.* Ne quis autem erroneè sibi persuaderet propriis posse viribus & exercitiis istum devotionis spiritum comparari, Fratri Num. 28.

cuidam conquerenti, non se eum potuisse post multos labores adipisci, dixit: *Ille cujus ditione omnia continentur, quod hodie non confert, cras fortasse largietur. Tu igitur hoc unum dumtaxat cures, ut Domino fideliter servias. Nam etsi quis à primis mundi initiis usque ad supremum ejus diem vivat, faciatque quidquid potest boni, non tamen posset ex se minimam promereri bonitatem.* Hoc tantum expectat à nobis Deus, ut dum eam largitur, leviter non repudiemus.

Secundum, Solitudo non modicam tribuit Devotionis exercendæ commoditatem. Siquidem non modò causas tollit distractionum; sed iuvitat etiam vehementer loci opportunitas, ad confidentiorem cum Deo conversationem, dum ea talis est, ut orans non solùm neminem videre possit, sed neque videri. Promisit etiam ipse Dominus per Prophetam: *Ducam eam*, devotam animam, *in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Experientiâ Oseæ 2. vers. 14.

multiplici perceperat in Oratione Franciscus, Spiritûs Sancti desideratam præsentiam, tantò Leg. c. 10. n. 2. & 8.

familiariùs se offerre precantibus, quantò plùs invenit elongatos à strepitu mundanorum; ideoque loca solitaria quærens amica mœroribus, ad solitudines & Ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat. Ibi solus remanens & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lachrymis, pectora manu tundebat; & quasi occultius secretarium nactus confabulatur cum Domino suo. Ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico. Ibi quoque à fratribus ipsum piè observantibus, aliquoties auditus est clamosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellere clementiam: deplorare etiam altâ voce quasi coram se positam Dominicam Passionem. Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus à terrâ, & nubeculâ quadam fulgente circumdatus: ut illustrationis mirabilis intrà mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam, sicut cert est comprobatum indiciis, incerta sibi & occulta divinæ sapientiæ pandebantur. B. Joannes Parmensis, à Generalatûs ministerio Annal. Tom. 2. an. 1256. num. 17.

absolutus, abiit ad devotissimum Græcii eremitorium. Per triginta duos annos in illo delituit tugoriolo, secutum amplexus solitudinis recessum, & opportunum humilitatis refugigium, vitam ducens angelicam potiùs, quàm humanam: divinis assiduè usque ad vitæ finem intentus meditationibus. Sic & alii præcellentes contemplativi se elongârunt fugientes, & in solitudinibus manserunt montium, nemorum & antrorum; non à sæcularibus modò, verùm & à fratribus sequestrari:

quia

quia ipsum videri ab hominibus, sentiebat libertatis esse diminutionem.

Tertiùm, Nutrit vehementer Devotionem piorum librorum lectio, eò quòd materiam subministrent considerationum, mentemque sic afficiant, ut iis libenter inhæreat cogitandis, quæ lectione gustaverit.

Leg. cap. 11. num. 1.

Legebat quandoque Franciscus in libris sacris; & quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ: quia non frustrà mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ Devotionis ruminabat affectu.

Sedul. Vita c. 6. n. 3.

Seraphicus quoque Bonaventura, quæcumque legeret vel subtiliter cogitaret, aut ad scribendum pararet, ne doctrinis tepesceret Oratio, vertebat in formam modumque piæ precationis. Hinc est quòd in devotionis quæ conscripsit Opusculis *ardentia verba proferens* (verba sunt Trithemii)

Trithem. de Scriptor. Eccles.

non minùs affectum legentis in Christi amore accendit, quam Intellectum doctrinis sanctis illuminat. Omnes enim sui temporis Doctores utilitate operum facile antecellit; si spiritum divini amoris, & christianæ Devotionis in eo loquentem attendas. Profundus est, non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; flammantia, non inflantia verba proferens: unde & securiùs legitur, utiliùs frequentatur, dulciùs & fructuosiùs retinetur. Multi doctrinam proferunt, Devotionem prædicant multi; pauci, scribendo libros docuerunt utrumque. Bonaventura autem & multos superavit & paucos: dum ejus doctrina Devotionem, Devotio instruit doctrinam. Si ergo doctus vis esse & devotus, illius Opusculis esto intentus. Omnis ipsius lectio & scriptio in officina formabatur Devotionis: & ideo nil mirum, si corda inflammet legentium.

Annal. Tom. 2. an. 1260. num. 20.

S. Thomas Aquinas admiratus in operibus ejus doctrinam & eruditionem, petiit aliquando ab eo libros sibi ostendi, è quibus tam multiplicem, atque adeo magnam hauriret eruditionis ubertatem. Is verò Christi Domini cruci affixi imaginem demonstravit: è quo fonte uberrimo se accipere professus est, quidquid vel legeret vel scriberet.

Annal. Tom. 3. an. 1304. num. 23.

Doctor Subtilis, Joannes Scotus, puerulus (uti refert traditio) dum litteris incumbit, non tamen sine labore & tædio, ob mentis stuporem, & ingenii hebetudinem, quadam die, dum sub arbore solitarius Virginem sacratissimam Dei genitricem, multis lachrymis & precibus orat, ut intellectum illuminare, vivum & vegetum, & ad capessendas scientias facilem efformare dignanter. Cui mox somno correpto Deipara dignatur apparet, scientiarum copiam & multam in eisdem addiscendis exprimendisque facilitatem promittit; eo tamen imposito onere, adhibitâque conditione, ut sibi per eadem, ubi occasio tulerit, studeat inservire. Expergefactus, summam concepit de tanta apparitione & illuminato intellectu lætitiam, crescente eo quotidiè sapientiâ, & ad doctrinæ mensuram erga Virginem sacratissimam Devotione. Illam testantur ubique ejus Opera, præsertim quæ in ejus Innocentiæ ab Originali peccato conscripsit defensionem.

Eodem Tom. an. 1308. n. 42

Æstuantes alto corde amoris flammas jaculabatur in nocte Nativitatis Christi Parisiis, dum cunas Salvatoris tenerrimâ celebraret Devotione, & profundâ meditaretur contemplatione. Namque supra se raptus, & in se postea reversus, Dei erga nos dignitatem, quâ Frater noster per assumptam humanitatem fieri voluit, dignè considerans, saucio corde ingeminabat illa Sponsæ suspiria: *Quis mihi det te Fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris & deosculer te?*

Cant. 8. vers. 1.

amatoriique verbis petebat Christum sibi dari, non solùm tamquam Deum in anima; sed & visibilem, tamquam fratrem in gremio ad ubera ejus pendentem. Ad cujus ferventes & repetitas preces, ei Christus apparuit in pueri forma, deditque se in brachia & amplexus devoti servi contrectandum. Disparente autem visione, ad altiora se accingens, & in virtute proficiens, propter devotionem dulcissimi Puetuli & sanctissimæ Genetricis, deinceps carnibus abstinuit, nudis pedibus, abjectis etiam sandaliis, incessit, & pannosâ tunicâ, novam admittere nolens, humilis & abjectus incessit. In hunc modum subtilissimus ille Doctor, sublimis Theologorum Aquila, ex lectione studioque scholastico, materiam sibi concinnabat pietatis, fovebatque charitatis incendia. Studium verè seraphicum, & cælestibus dignum spiritibus! Tale requirebat Franciscus à cunctis Minoribus, qui litterariis intenderent exercitiis.

Annal. Tom. 1. an. 1222. num. 32.

Cùm S. Antonius Paduanus instantissimè rogaretur à Fratribus, ut quam ipse abundanter hauserat doctrinam, aliis communicaret, noluit ipse Magistrum agere nec cæteros docere, inconsulto suo Institutore. Scripsit itaque & explicuit Fratrum desiderium; cui ita responsum:

CHARISSIMO MEO F. ANTONIO F. FRANCISCUS IN CHRISTO. S.

Placet mihi quòd Sanctæ Theologiæ litteras fratribus interpreteris: ita tamen, ut neque in te, neque in cæteris (quod vehementer cupio) extinguatur sanctæ Orationis spiritus, juxta Regulam, quam profitemur. Vale. Placuit S. Patri studium, quod pietati materiam præberet; & cui vicissim pietas, formam tribueret divinæ charitatis.

Quartum, Plurimùm prodest ad devotionis promotionem indefessa in bonis exercitiis perseverantia, ut stato tempore, nocturno præsertim & matutino, serventur æqualiter. Variis occasionibus interrumpi solet orantis perseverantia, vel suapte tepiditate, vel importunâ turbâ temporalium occupationum, vel corporalium molestiis infirmitatum. Solidiores animas nisus est dæmon terroribus variis spectrisque ab Orationis continuatione disturbare. Inter hæc aliqui forti animo perseverantes, invictæ nobis præbuerunt exemplum constantiæ.

Leg. c. 10. num. 2.

Pater noster Seraphicus, horribiles frequenter sustinuit pugnas dæmonum, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse verò armis munitus cœlestibus, quantò vehementiùs impetebatur ab hostibus, tantò fortior in virtute, & ferventior reddebatur in prece; fidenter dicens ad Christum: *Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum*

Psalm. 16. vers. 8.

rum qui me afflixerunt. Ad dæmones autem: *Facite quidquid in me valetis maligni spiritus & fallaces, Non enim potestis, nisi quantùm vos manus superna relaxat: & ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreverit paratus assisto.* Quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes, abscedebant confusi. F. Jacobus Camertes, laicus, (Annal. Tom. 5. an. 1417. num. 36.) sanctæ Orationi addictissimus, consodales suos semper in Ecclesia præveniebat, antequam ad matutinum convenirent, & longâ prece, Sanctæ Ecclesiæ proximorumque necessitates Deo ferventer commendabat. Humani generis hostis ejus invidens virtuti, multas inferebat molestias, & sæpè in altum elevatum gravi ictu collidebat in terram; virtute tamen divinâ semper protectus, irridebat malum genium: eòque ferventiùs orabat, quò dæmon ægriùs ferebat.

Quintum, Fovetur familiaribus simplicibusque colloquiis, quæ de rebus divinis instituuntur. Hujusmodi collationum spiritualium sufflatorio, mirum est quantoperè interior Devotionis ignis accendatur. B. Simon de Assisio (Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 40.) semper inter fratres divinis se colloquiis occupabat. Quamvis esset Vir simplex & illiteratus, talia & tam sublimia de Christi amore loquebatur, ut non tam ex studio humano, quàm ex spirituali experientia, & supra naturalem captum verba ejus prolata viderentur. Quandoque sub horam vespertinam perrexit cum F. Jacobo de Massa ad vicinum nemus, ut de rebus divinis liberiùs agerent, & per totam noctem usque ad sequentis auroræ crepusculum, adeo dulciter de divino tractatum est amore, ut Jacobo videretur post tot horas nec unam consumpsisse. Sub his aliisque exercitiis multâ gratiâ & benedictionis dulcedine prævênit eum Dominus, & ad tantam evexit mentis elevationem, ut vita ejus magis cælestis judicaretur, quàm humana, fieretque aliis speculum virtutis & sanctitatis. De aliis mediis comparandæ devotionis videatur B. Petrus Alcantara loco cit.

TEXTUS & §. VII.

Non extinguant.

SUMMARIUM.

Ignis devotionis in altari cordis indesinenter nutriendus, & sollicitè conservandus. Destructiva Devotionis sunt. 1. Acceptarum gratiarum ostentatio. 2 Sollicitudines nimiæ, in quocumque negotio admissæ. 3. Peccata, & conscientiæ remorsus. Voluptates quoque sensuum, & levis spiritualium exercitiorum intermissio.

INter alias leges circa altare Domini sollicitè custodiendas, hanc etiam locutus est Dominus ad Moysen: (Levit. 6. vers. 12. & 13.) *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies. ... Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Quemdam devotionis ignem in divino legimus eloquio, quoniam scriptum est: (Psalm. 38 vers. 4.) *In meditatione mea exardescet ignis.* Hunc desideravit Salvator noster in cordis altari semper ardere, subjectâque nutriri materiâ, & vehementer accendi, perpetuumque esse; qui numquam deficiat: *Oportet*, inquit, (Luc. 18. vers. 1.) *semper orare & numquam deficere.* Eamdem pro filiis suis dispositionem Seraphicus tulit legislator, ut *sanctæ devotionis & orationis spiritum non extinguant.* Sanctissimi quique viri, tantam habuerunt hujus spiritûs custodiendi sollicitudinem, quantam spiritûs oris sui, sive respirationis, à cujus continuatione vita dependet corporalis. (Psal. 118. vers. 131.) *Os meum aperui*, inquit Propheta, *& attraxi spiritum.* Hâc attractione spiritûs, & respiratione deficiente, vitam quoque spiritualem desinere, necesse est. Videns pius aliquis frater Ægidium (Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 10.) ex divino raptu mirabiliter immutatum, & novo spiritu gratiæ exultantem, timens ne amitti contingeret donum acceptum, dixit ei: *Frater charissime, sustine suaviter, & porta dulciter Dei Filium.* Studuitque Ægidius quâ potuit sollicitudine, acceptam gratiam custodire, illudque ei frequens verbum: *Super omnes gratias, & virtutes hæc summa est perfectio, acceptas humiliter conservare.* Addebatque post accepta dona Spiritûs Sancti millies gravius subiisse omnes, quàm antea senserint, ut possent resistere tentationibus & tribulationibus, atque collatam sibi gratiam custodire.

Non minor est virtus quàm quærere, parta tueri. (Ovid.)

Imò major est negligentiæ culpa, quâ contigerit acquisitum per incuriam amitti. Cavendæ igitur modis omnibus, occasiones, quibus acceptum possemus spiritum extinguere. Muniendus est animus, ut à fortitudinis constantiâ teneat Dilectum, quòd non dimittat. Quidam ex B. Ægidio quæsivit, (Annal. Tom. 1. an. 1253. num. 16.) quamobrem S. Joannes adhuc puer eremum petiisset, tamque severiter illic vixisset, cùm esset intra matris viscera sanctificatus? Respondit autem ei Ægidius, hâc adhibitâ similitudine: *Quanam causâ sale aspergitur caro recens mactati bovis?* Illo dicente, id eò fieri, ut caro conserve-

conservetur Vir Dei ait: *Ita & Joannes pœnitentia sale conditus est, ut ejus sanctitas diutiùs & meliùs servaretur.* Proportionaliter simili diligentiâ conservanda est gratia devotionis, tum per auctoritatem in universo Religioso Ordine, & per exempla bona, aliaque media: tum in personis singulis ne perefluat, pereatque balsamum istud pretiosum, & vita Spiritûs penitùs evanescat. Qui verè gustarunt donum Dei, non illius facilè obliviscuntur, desiderare nesciunt nisi Jesum quem diligunt. Audiamus Seraphicâ incensum devotione Bo- *Stim. amor. p. 3. c. 3.* naventuram: *Multùm mirari debemus, quomodo homo Deum semel degustans & ejus dulcedinem, potest ab eo aliquatenus separari, & quomodo non obliviscitur omnia ex ebrietate nimia, & comedere, & bibere, & dormire, & si quid aliud ante ipsum ponatur. Quomodo potest sibi aliud quàm suum Dominum intueri, & in eo summâ dulcedine delectari; cum in omnibus sciat eum esse. O quantâ amaritudine debet aliquis repleri, qui etiam ad momentum ab ista sequestraretur dulcedine!* Videmus tamen aliquos ab ista discedere divina familiaritate, devotionisque gratiam, si non extinguere planè, plurimùm saltem minuere vitio proprio, atque incuriâ.

Primò, Mirum in modum nocet temerè secretas gratias evulgare. Perinde siquidem est, ac si balsamum in vas infuderis perforatum. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem* *Eccl. 21. vers. 17.* *sapientiam non tenebit.* Quod ex vanitate foris venditur, intùs à mercede evacuatur. Fatua- *Matth. 25.* rum Virginum querela est, *quia lampades nostræ extinguuntur.* Hujus extinctionis ratio- *Hom. 12. in Evang.* nem Divus assignat Gregorius: *Quia dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.* Sapiens gratiæ conservator Franciscus, quando à privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summoperè studebat se cæteris *Leg. cap. 10. num. 4.* conformare. Cùm in publico subitò afficeretur, visitatus à Domino, semper aliquid objiciebat astantibus, ne sponsi familiares attactus forinsecùs vulgarentur. Excreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus, orans inter fratres evitabat omninò: sive quia diligebat secretum, sive quia ad interiora reintrans, totus ferebatur in Deum. Sæpè talia familiaribus dixit: *Quando servus Dei orans visitatur divinitùs, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori & indigno de cœlo misisti Domine, & ego illam tua commisso custodia: quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum & peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus.* Docuit etiam ali- *Opusc. Tom. 1. in Admonit. c. 27.* quando tyrones suos hujus secreti necessitatem, dicens: *Beatus servus qui thesaurizat in cœlo bona quæ sibi Dominus ostendit, & sub spe mercedis non cupit ea manifestare hominibus: quia ipse Altissimus ea manifestabit, quibuscumque ei placuerit. Beatus servus qui secreta Domini observat in corde suo.* Hoc dictum voluit omnibus, debilioribus præsertim in virtute humilitatis. Solidioribus tamen permittit Deus, & jubet aliquando, ad gloriam suam, prodire in publicum ad lucem, ut manifestentur opera eorum, quia in Deo sunt facta. Sic actum singulariter cum B. Joanne Lucen- *Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 32.* si, qui extraordinaria edebat aliquando sanctitatis indicia. Ita Dei amore incalescebat, ut visu, verbis, gestibus, & universis actibus latentem ignem evaporaret. Vidit eum Perusii B. Franciscus Ticinensis, consideratisque peregrinis sanctitatis indiciis, maximo advenientium fratrum concursu, dum interrogaretur, quid de homine suspicaretur, respondit: Magnum & pretiosum inesse vasi fictili & contemptibili thesaurum; deprædari tamen facilè posse, qui in manibus publicè gestatur. Hæc referenti dixit Joannes: *Qui cum bono Domino manet, nihil potest amittere.*

Secundò, Sollicitudines nimiæ, in quocumque negotio admissæ, mentem ita tyrannizant, ut æternis non permittant immorari, nec incepta prosequi exercitia. Extimulat enim timor, ne non bene succedant prætensiones, & rei propositæ concupiscentia, totum incessanter occupat animum ad excogitanda illius adipiscendæ media. Nimia quoque in externo labore vehementia, affectus & assiduitas inimicatur recollectioni, veræque devotioni. Non tamen probantur Francisco ignavi isti contemplativi, qui clamitant per corporale laborem extingui vel impediri devotionem: eâque ratione in otium se projiciunt, quasi cum majori quiete cælestem intraturi contemplationem. Oppositum tenuit Vir Sanctus, certò sciens otiositatem non matrem esse devotionis, sed destructricem, pessimumque Diaboli instrumentum. Segregant aliqui semetipsos à sanctæ communitatis consortio atque laboribus, omnem seponere volunt actionem, & sedentes ignaviter oscitabundi, sperant omnem sibi gratiam desuper illapsuram, & confestim choris sociandos esse Angelorum. Lepidum quid narrabat de se- *Chron. p. 4. lib. 8. cap. 62.* ipso B. Paschalis, ad informationem novitii cujusdam, ad solitudinem aspirantis. Aliquis prædicator conventûs, cum libris suis ad speluncam iverat, contemplationis gratiâ. Brevi visitavit eum dæmon, & igne in capucium immisso, ita terruit hominem, ut protinùs fugeret, libris inibi derelictis. Ego, inquit Paschalis, eò missus ad libros requirendum, tentare volui quid esset vita contemplativa. Igitur concedens me pauxillæ quieti sub spe surgendi & contemplandi, dormivi suaviter usque ad solis ortum, & ab hoste maligno egregiè illusus discessi, agnoscens corporis otium januam esse ad otium mentis, turpemque somnolentiam. Mirabili quoque dispositione correxit Deus errorem istum in quodam F. Jacobo, qui cùm curandæ culinæ *Chron. p. 1. lib. 10. cap. 19.* præpositus esset, in qua cum Martha sollicitum esse oportebat circa plurima, nihilominus partem etiam habebat cum Maria, suaves sentiens à Deo visitationes, sub quibus in mentis quandoque rapiebatur excessum. Putans autem se meliùs Deo vacaturum, si à laborioso illo liberaretur officio, & otio majori relinqueretur; id à suo postulavit Guardiano, & impetravit. Sed spe suâ frustratus est. Evanuerunt enim pristinæ gratiæ. Ad se igitur reversus prima repetiit humilitatis exercitia & labores, redditaque sunt ei lumina priora,

gustusque contemplationis. *Non segnitia prætextum*, inquit S. Basil. *nec laborum fugam pie-*
Quæst. fus. disput. 37. *tatis scopum ducere oportet; sed occasionem certandi & laborum graviorum, & patientiæ in afflictionibus, &c.* Dumque fusiùs ostendisset manualibus instandum labotibus: ne hæc in præjudicium intelligerentur orationis, commendat
1. Thess. 5 vers. 17. eamdem & præcipit, atque infert: *Si non hunc habuerint modum, quomodo possunt mutuò inter se contingere ea quæ ab Apostolo dicta sunt; nempe indesinenter orare*, & hoc: *Nocte & Die*
2. Thess. 3. vers. 9. *operantes?* Otium istud, dæmon in perniciosam vertit distractionum occasionem, ad mille vanas depingendum phantasias, eòque fortiùs imprimendum, quò mentem reperit ab
Surius ad 14. Maji. cap. 9. aliis studiis cutisque liberiorem. S. Palæmon juniorem discipulum suum Pacbominm advertens somnolentiorem, mox eum educebat ab oratorio, & arenam in corbes injiciebant, de loco in locum transferebant & ejicirbant, ut eo labore somnum excuterent devotionis inimicum, & diabolicas antevertetent illusiones.

Tertiò, Aliæ verè devotionis tineæ, sunt peccata. Mortalia quidem, cùm tollant omninò charitatem, indignos reddunt homines divinâ visitatione. In hujusmodi peccatrices animas cadit ista Davidis maledictio: *Montes*
2. Reg. 1. vers. 21. *Gelboe nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum*, quia ibi ceciderunt fortes Israël. Perturbat mentem conscientiæ remorsus, tollitque divinæ familiaritatis confidentiam, adinstar Cain fugere cogit à facie Domini, neque durante isto animi tormento cor dulcescere valet ad devotionem. Venialia, tametsi non tollant charitatem, minnunt tamen ejus fervorem, adeoque devotionem extenuant. Pulveres sunt, qui licèt non frangant speculum, attamen aspersione suâ pulverulentâ et assoque vapore, taliter offuscant, ut reddatur inutile. Omnis item amaritudo, ex quâcumque causâ concepta, & animo insidens, quasi absynthium est & venenum, immutans omninò devotionis dulcedinem, & dissipans spirituale gaudium mentis. Voluptates quoque & solatia sensuum, insipidas reddunt spirituales exercitationes. B. Rogerius Chron. p. 2. lib. 4. cap. 54.
Christo colloquens dicebat: *Domine, æstimavi temporales suavitates tantò amariores, quantò periculosiores sunt. Tantùm denegavi carni, quantùm adversas esse spiritui cognovi. Repuli eas procul a me, quia vidi eas mihi impedimento esse, ne tibi unirer, &c.* Hinc rescindenda est sensuum & intellectûs curiositas, cujusmodi est velle audire, videre & scire nova, quibus tempus teritur & animus perturbatur, dum postea etiam nolenti redeunt in memoriam. Aliquâ rumorum parte auditâ, non quiescitur, donec rel quum plenè intelligatur, incitaturque qui audivit ad ea similiter aliis enarranda. Hinc languet cursus orationis, dum non habetur cor sursùm ad Dominum, sed rebus infimis occupatur. Plus omnibus officit inordinata cibi potûsque delectatio. Repleto nimis corpore, minùs liberè potest spiritus ferri in sublime. Debent igitur orationis cultores, à vaporibus istis & gravantibus siliquis, se immunes servare, ut semper parati sint occurrere Domino, eumque serenâ mente audire. Denique levis exercitiorum solitorum intermissio, absque justa necessitate, solet gratiam in periculum adducere. Tenellæ arbores, si diutiùs, quàm oportet, relinquantur absque irrigatione, exsiccantur facilè, ac pereunt. Cor irrigatur meditatione divinorum. Ipsa est panis cor hominis confirmans. Unde mirum non est arescere, quod oblitum fuerit comedere panem suum.

TEXTVS & §. VIII.

Cui debent cætera temporalia deservire.

SVMMARIVM.

Salomonis exemplo docetur, temporalia omnia servire debere spiritui & exercitio orationis. Qualiter potentiæ rationales, & sensus corporales ei debeant deservire. Item occurrentia omnes humanam vitam circumstantes. Exercitia etiam religiosa & vita activa. Reformationes Ordinum sinè devotione, nullæ sunt. Devoti supportandi ab aliis. Quando ipsi Angeli ministeria eorum suppleverint.

CUm rex Salomon cogitasset ædificare templum Domini Dei sui, rogavit Hiram regem Tyri, ut præciperet servis suis, præcidere Cedros de Libano, pro domûs Dei ædificatione. Qui promptum se exhibens re-
3. Reg. 5. vers. 8. sp[o]ndit: *Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam, in lignis cedrinis, & abiegnis. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: ego componam ea in ratibus in mari, usque ad locum quem significaveris mihi; & applicabo ea ibi, & tu tolles ea.* Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina & ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus. *Elegitque rex* vers. 13.
Salomon operarios de omni Israël, & erat indictio triginta millia virorum, quos mittebat ad Libanum, decem millia per menses singulos

verſ. 15. gulos viciſſim. *Fueruntque Salomoni ſeptuaginta millia, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte: abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo, & his qui faciebant opus. Præcepitque rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos. Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, & cæmentarii Hiram: porrò Giblii præparaverunt ligna & lapides ad ædificandam domum.* Aurum quoque & argentum multum nimis, inſumptum eſt in varia & ſumptuoſiſſima templi ſuppellectile. Et cuncta pretioſa regni, cunctorumque artificum induſtriæ deſervierunt ad fabricandam hanc domum orationis, in qua deprecaretur Dominum populus Iſraël, & de excelſo Dei ſolio exaudiretur. Sic omnia creata contulit ſapientiſſimus rex, ad oratorii orationiſque obſequium. Idem nobis faciendum judicavit, pientiſſima ſapientia pauperis Franciſci, ſub tanta valoris ſublimitate proponens nobis & commendans ſanctæ devotionis & orationis ſpiritum ut *ei debeant cætera temporalia deſervire.* Quidquid rerum habemus vel operarum, quidquid virium vel ingenii, conſerri convenit ad devotionis promotionem: omnes nervi corporis & animæ, ſunt ad ſalutiferum

Prov. 3. verſ. 9. illud orationis exercitium intendendi. *Honora Dominum*, inquit Sapiens, *de tua ſubſtantia.* Non modò temporalia bona, quæ in ſacrificium offerebantur, ſed propriam quoque corporis & animæ ſubſtantiam, eorumque congruum uſum, exigit à nobis Deus, tamquam fidelibus bonorum uſufructuariis. Intellectus apprehendat credatque divinas veritates, & ea omnia, quæ in objectum ſanctæ ſpeculationis, prima Veritas revelavit. Memoria firmiter ea repræſentet, ad continuandam eorum contemplationem, atque Dilecti potiſſimùm præſantiam. Voluntas per amorem inhæreat revelatæ juſtitiæ, atque iſti bonitati, quam guſtandam offert fides, & ſuper omnia diligentiam. Lamentabatur aliquando Bernardus, ſcribens ad Gualterum:

Epiſt. 104. *Vide quid tibi ante tribunal terrificum reſpondendum ſit, de eo quod acceperis in vano animam tuam, & animam talem: ſi tamen inveniaris nil egiſſe ampliùs de immortali & rationali ſpiritu tuo, quam quodvis pecus de ſuo, dum nil ſpirituale & æternum elaboraveris, ſed adinſtar belluini ſpiritus, qui ut à corpore, ita cum corpore diſſolvitur, ſolis fueris contentus corporalibus bonis.*

Quæ per ſenſus corporales ingrediuntur in animam, fiant in doctrinam bonæ operationis, in ſtimulum & fomentum ſancti vigoris, laudiſque divinæ. Imaginativa ſolùm admittat ſerverque omnes divinarum perfectionum imagines, quas in ſeipſa ſanctiſſima Chriſti delineavit humanitas. Æſtimativa, ex bonis omnibus maliſque occurrentibus conjiciat arte comparationis ingenioſæ, quantum ſit ſummum bonum, & quantum ſit ſummum peccati malum, quod nunc committit peccator, & quid poſtea paſſurus eſt. Paſſionibus natalibus moderamen imponant, ut non impetu proprio, ſed juxta dictamen amoris divini agant & agantur abſque ulla perturbatione interiori. Dotes etiam naturales in aliquibus præëminentes, ut ſunt facilitas & acumen ingenii, felix memoriæ tenacitas, tranquillitas affectuum, judicii diſcretio, generoſitas animi, & his ſimilia dona, ſpiritui devotionis, taliter à prudentioribus dedicantur, ut non in alium finem accepta eſſe videantur. Sic *Pietas* vera, quæ ſecundùm Apoſtolum *ad omnia utilis eſt*, adeo cor Franciſci repleverat ac penetraverat, ut totum videretur Virum Dei, in ſuum dominium vendicaſſe. 1. Tim. 4. verſ. 8.

E cæteris quoque omnibus, humanam vitam circumſtantibus, occaſionem ſumit ſpiritus devotionis in Deum aſſurgendi. In publicis privatiſque proſperitatibus paternam agnoſcit providentiam, in ejuſque novas extenditur admirationes. In afflictionibus communibus, ſive propriis anguſtiis, Deum laudat percutientem, quòd eâ ratione compellat aberrantes redire filios, peccatorumque tollat rubiginem. Cùm honore afficitur, magnificat anima ſua Dominum, quia fecit ei magna qui potens eſt. Ingruente contemptu, humiliatur ſub potenti manu Dei, & cæleſtem adorat juſtitiam, quæ retribuit ei quod ſua vilitas merebatur. Si poteſtatem habet in alios, utitur ſua libertate ad vacandum frequentiùs Deo, & confidenter agendum pro grege ſibi commiſſo. Si ſubditus ſit, curiſque gravioribus expeditus, occupat eam tranquillitatem, ad liberiores mentis elevationes, & guſtus intimiores. Dum ſanus eſt, ſuam ad Deum cuſtodit fortitudinem, quâ cibum operetur qui non perit, ſed permanet in vitam æternam. Morbus & afflictio quælibet, ipſi calcar eſt, quo urgetur ad Deum tamquam medicum protectoremque feſtinare, atque ſe in ejus manibus per miram reponere reſignationem. Sic *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Rom. 8. verſ. 28.

Neque ſolùm temporalia, ſed ipſa etiam religioſæ vitæ exercitia, paupertatis, pœnitentiæ, humilitatis, jejuniorum, & quæcumque complectitur juſtitiæ perfectio, debent ſpiritui devotionis deſervire. Modum verò quo activa vita tranſire poſſit in contemplativæ ſamulatum, devotus edocet Bonaventura: *Qui vult*, inquit, *cum activa vita contemplativam habere, ut ſuum Dominum in omnibus contempletur, videtur quòd hæc via ſit brevis & bona; videlicet, ut ſe totum recolligens intret in cor ſuum, ſe reſolvat in Deum, ut nihil nec videat, nec ſentiat niſi Deum; & tunc aliquo modo ſic deificatus & transformatus in eum ad quodcumque ſe vertet, nihil niſi Deum conſiderabit; & quidquid operis faciet, non homini ſed ſoli Deo facere exiſtimabit. Dum hanc formam tenebit in labore activo, contemplativâ fruetur. Et ſi fortè contingat: imò quia continget eum ab hac nobili forma diſcedere, ad ipſam nitatur ſtatim redire, & hæc toties faciat, quod quaſi in habitum ducat, & hoc magis divinâ largitate quàm aliquâ induſtriâ impetrare credat.* Stim. amor. p. 2. cap. 7. Alibi progrediens ulteriùs, ad inſtructionem ſpiritualium, qui activâ vitâ contenti, non aſpirant ad eminentiora, docet ex D. Bern. activam vitam (quæ nil aliud eſt quàm praxis virtutum moralium) debere contemplativam præcedere, quæ In Medit. vita Chriſti cap. 46.

praxis

praxis est devotionis, ut huic illa deserviant, Marthaque in labore serviat, ut possit Christo quietè frui Magdalena. Cùm igitur tota religiosæ vitæ politia, sit mera sanctarum virtutum praxis, in eum finem observari debet & dirigi, ut ferventior evadat spiritus devotionis, atque liberior. Hinc Religionum Fundatores suarum præscripta Regularum in eum scopum collimârunt. Reformationes etiam Ordinum, hunc finem principaliter sibi præfigere debent, & prosequi, ut stabiles sint & fructuosæ. Quæ in solis extrinsecis sistunt cæremoniis vestimentorum & similium, non spectantes nisi sanctum sæculare ut videantur ab hominibus, negligentes interioris hominis cultum intimamque devotionem, protinùs languescent & collabentur. Qui animâ carent religiosi hominis, hoc est spiritu devotionis, & in regularibus exercitiis sinè attentione persistunt, sinè gustu, sinè fervore, sinè Dei memoria, non plùs æstimandi sunt quàm Sanctorum statuæ, quæ die ac nocte in templis stant; sed ibidem absque anima sunt, absque motu, absque merito: quarum aliquæ flexis genibus oculisque in cœlum erectis orare videntur: aliæ Christi amplexibus occupari: aliæ terribilia pati martyria; quorum tamen nihil fit in veritate. Videant qui beneficio reformati religiosi statûs, & singularibus dotibus, commoditatibus, instructionibus & adjumentis ditati sunt in hunc sanctum finem; qualiter vorantis & donantis Dei respondeant intentioni, ne cogantur aliquando terrificum audire improperium: *Ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt ut essent absque jugo.* Sicut ante Ordinis reformationem vixerunt sinè jugo, sinè obedientia, sinè devotione, assueti suæ libertati & impatientiæ, reversi sunt ad antiquam proterviam & tepiditatem, ut neminem agnoscerent sibi dominantem, bonisque Domini sui abuterentur. Quid eis eventurum sit, idem Propheta significat alibi. *Hæc* Congregatio *nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei & aurum, quæ fecerunt Baal*, iisque abusi sunt in malum. *Idcirco convertar & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebat ignominiam ejus.* Quod nimis veraciter Ordinibus accidit devotione destitutis, & secretò malè viventibus, operientibus ignominiam pravæ conversationis, sanctarum cæremoniarum virtutumque supernaturalium tegumentis; quibus sublatis, justo Dei judicio fœtur & ignominia eorum in publicam erupit confusionem.

Osee 7. vers. 15.

Osee 2. vers. 8.

Mirabilis tamen & amabilis Dei providentia est, ut numquam Ordines, Provincias vel Conventus ita destitui permittat, quin derelinquat semper viros aliquos devotos, quorum genua non sint incurvata ante Baal, & qui per indesinentem orationem, intimâ fruantur Domini familiaritate. Hi fovendi sunt, tum à Superioribus tum à fratribus aliis; nec ita temporalibus obruendi occupationibus, quin libertate gaudeant sufficienti ad vacandum suis exercitiis, dum verus in eis deprehenditur spiritus devotionis, cui cedere debent cæteræ temporales occupationes, per discretam Superiorum dispensationem. Hanc discretionem ut eos doceret Dominus, fratres aliquos laicos, domesticis destinatos oneribus, sed ad ipsius attractos familiaritatem, sublevavit, Angelis è cœlo missis, qui ipsorum onera sublerent temporalia. De F. Martino Martini hoc memorabile fertur, cùm coquinæ in conventu præesset, quodam die, orationis dulcedine extra se raptum, injuncti ministerii curam planè ipsi excidisse, usque ad tempus refectionis. Superveniens autem Guardianus invênit culinam clausam, nihil apparatum. Quæritur hinc inde F. Martinus; increpatur de negligentia, qui ne ignem quidem accendit. Vel eò maximè turbatur Guardianus, quòd quidam sæculares viri pii fuerint ad refectionem admissi. Ille securus & humilis, respondit: *Confide Pater, Deus non deerit servis suis.* Occluso ostio culinæ solus remansit, atque in oratione prostratus, à Deo opem imploravit. Adsunt protinùs Angeli, ignem accendunt, omniaque apparant quasi in momento. Mox F. Martinus ab oratione surgens, vocavit Guardianum; omniaque jam præparata ostendit. Ille cum reliquis viso tantæ virtutis ostento, Deum laudavit in servo suo. F. Regioaldus de Orlaia eidem mancipatus officio, raro admodum videbatur externis occupatus, præ orationis atque servitii Missarum assiduitate; ita ut fratres plerumque quererentur, nihil se in refectorio reperturos, præter *Missas & Pater noster.* Ad ignem numquam apparebat nisi olla parva; tamen tot cibaria pro fratribus octodecim multisque hospitibus depromebat, ut satiarentur omnes affluenter. Tam mirabilibus obsequiis angelici spiritus honorandam duxerunt & fovendam devotionem simplicium servorum Dei, velut tenellorum Regis cælestis filiorum. Contra talium contemptores ajebat B. Jacoponus: *Ne miretur quis, rationem contemplationi deditam minùs in aliis exercere, nec ideo contemnat; etsi enim minùs præstare videtur, majorem tamen parit fiduciam, & ad divinum amorem accessionem facit, & inde quoque merita illi accrescunt uberiora.* Idcirco grave non videatur fratribus aliis, ipsorum externa opera in se suscipere, pro quibus sublevandis, suum præbuit angelica creatura servitium.

Annal. *Tom. 1. an. 1249. num. 8.*

Chron. *p. 3. lib. 1. cap. 28.*

Annal. *Tom. 3. an. 1306. num. 23.*

TEX-

TEXTUS & §. *IX.*

De mercede verò laboris corporis necessaria recipiant pro se.

SUMMARIUM.

Ministri Evangelii *pro laboribus spiritualibus sustentationem accipiant, S. Paulus insuper operi manuali institit.* 1. Ad *Exemplum.* 2, *Ne quem gravaret.* 3, Ad *servandam suam libertatem.* 4. *Ne daret offendiculum* Evangelio. *Quàm accuratè secuti exemplum ejus aliqui Franciscani. Solùm necessaria acceptanda in mercedem. Diabolus quandoque procuravit Ordini nostro superfluorum oblationem, in ruinam paupertatis.*

Divinus legislator, sapientissimam tulit in Deuteronomio constitutionem: *Non ligabis os bovis terentis in area fruges suas.* (Deut. 25. vers. 4.) Solebant in Palæstina per boves, qui circumacti ungulis pedum suorum segetes terebant, grana excutere. Quia verò par est ut laborantia animalia comedant, vetat Deus claudi capistro ora boum triturantium, ne de sua comedant tritura. Per hos boves allegoricè (1. Cor. 9. vers. 9. & 1. Tim. 5. vers. 18.) pastores intelligit Apostolus, qui ut boves laborant in area Domini, valido scilicet ac vehementi labore, qualis est triturantium, præsertim boum: ac consequenter edicit æquum esse, ut de hoc suo labore & triturâ, vivant ac sustententur. *Accipiant Pastores*, inquit magnus Augustinus, (Serm. de Pastoribus cap. 2.) *sustentationem necessitatis suæ à populo; mercedem verò dispensationis à Domino.* His adnumerandi veniunt Franciscani, Pastorum coadjutores in vinea Domini excolenda, in triturando frumento Christi, quod in cœlorum granaria disponitur inferendum. Seraphicus ipsorum Patriarcha, divinis inhærens & apostolicis constitutionibus, disponit præsenti textu, ora boum horum triturantium non alligari, dicens: *De mercede laboris, corporis necessaria recipiant pro se.* Neque enim Minores, proprietatem omnium abdicantes, sic seipsos divinæ committunt providentiæ in vivendo, ut viam contemnant provisionis humanæ: quin vel de his quæ offeruntur liberaliter: vel de his quæ mendicantur humiliter: vel de his quæ conquiruntur per laboritium, sustententur.

Quidam spiritum habentes hujus mundi, judicant probrosum esse personis religiosis, vel omnino impossibile prædicatoribus, hoc posteriori modo, scilicet laboritii corporalis, necessaria comparare. Hi validè redarguuntur à S. Paulo Apostolo, cujus dignitas cùm emineret in Ecclesia, & in prædicatione verbi Dei, ac sollicitudine omnium Ecclesiarum nullum sibi parem haberet; magno tamen animo sibi necessaria parabat laboritio, prout variis in locis testatur, assignans simul, sui facti rationes.

Primam sic scribit Thessalonicensibus: *Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non fuimus inquieti inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* (2. Thessal 3. vers. 7.) Cùm enim videret otiosos aliquos, discurrentes inquietè, more parasitorum, ne se illius tutarentur exemplo, quem per totum mundum discurrere conspiciebant, uni se arti mechanicæ applicuit, ut modicum illud, quo indigebat honestè lucraretur: sperans exemplo suo præsentes & futuros errones cohibere, ab impudenti alienarum venatione mensarum, quâ se à corporali subducerent laboritio.

Aliam etiam insinuat in verbis prædictis rationem: *Ne quem vestrûm gravaremus*: Discipulis ejus indubiè gravamen non fuisset ipsum reficere; imò solatium potiùs & honor, virum tantum excipere cum reverentia. Timebat tamen nobilis simulque humilis animus, ne populo fieret oneri. Eamdem quoque laboritii sui rationem in alia insinuat Epistola dicens: *Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè & justè & sinè querela vobis, qui credidistis, fuimus.* (1. Thessal. 2. vers. 10.) In hoc quidem *sanctè*, quòd nudam & solam Christi gloriam quæreret, suarumque ovium salutem. *Justè*, quòd pretio justo, absque cujusquam injuriâ, sibi necessaria compararet. *Sinè querela* aliorum pauperum, qui murmurare forsan potuissent, quòd sibi-met deberent subtrahere corporalia, ad suum alendum concionatorem: vel qui invidere potuissent, ei fuisse liberaliùs quàm cæteris indigentibus ministratum. Intolerabile est cordato viro, sibi quid simile improperari: imò ex minimis colligere signis, tale aliquid de se cogitari. *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.* (Eccles. 28. vers. 21.) Tantum incutit dolorem, ac si cuipiam viventi ossa ferreis comminuerentur vectibus. Ideoque Apostolus, ne in talis improperii incideret

confusionem, maluit die ac nocte laborare :
1. Cor. 9. vers. 15. *Bonum mihi est magis mors, quàm ut gloriam meam quis evacuet.*

Tertiam sui laboritii rationem, assignat A-
1. Cor. 6. vers. 12. postolus suam libertatem. *Omnia*, inquit, *mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia*
1. Cor. 9. vers. 4. *mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Quæ autem ipsi licerent in feriùs explicans dicit: *Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & Fratres Domini & Cephas? Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hac operandi?* Tandem post luculentas probatio-
vers. 12. nes quòd hæc ipsi licerent, concludit; *Sed non usi sumus hâc potestate.* Quare verò non est usus? Nimirum, ut probaret id quod dixerat
vers. 1. antè : *Non sum liber?* Accipiendo enim ab amicis necessaria, suam videretur vendidisse libertatem, & sub alicujus redactus esse potestate. Quod abhorrere solet generosus animus, soli Deo servans semetipsum.

vers. 12. Quarta ratio tangitur his verbis : *Omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Quod quæso offendiculum? Certè non exiguum. Potuisset enim malignus aliquis calumniari, eum incumbere prædicationi, & per hoc sibi victum acquirere ad evitandas laboritii corporalis molestias per quam calumniam, fides fuisset diminuta concionum. Potuisset etiã ei alius improperare cupiditatem & avaritiam in recipiendo plus quàm foret necessarium; cùm tamen inter cæteras Evangelii præceptiones, commendaret auditoribus, juxta Christi verbum, omnium renuntiationem possessionum, & paupertatis amorem. Alteri quoque improperio & scandalo voluit occurrere, quod ipsi à malevolis impingi potuisset, scilicet partem potiorem collectarum pro pauperibus eleëmosynarum, & pretia rerum à fidelibus venditarum projecta ad pedes Apostolorum, communibus subtraxisse necessitatibus, & in commoda propria convertisse. Infamem hanc suspicionem, longissimè à se repulsam voluit. Nullo autem convenientiori modo id potuit, quàm palàm labore manuum suis providendo necessitatibus. Apostolicam hanc providentiam, normamque laboritii manualis, præclarè sunt æmulati quàm plurimi Franciscani.

Annal. Tom 2. an. 1262. num. 4. Singulariter verò B. Ægydius enituit. Cùm à S. Francisco missus esset Romam, ut illic habitaret, quotidiè sacrificio audito, ad quatuor milliaria exibat extra urbem, in sylvam quamdam, atque illic putata ligna apportabat Romam, labore suo alimoniam sibi comparans. Vindemiarum tempore colligebat botros & calcabat, atque exprimebat, nihil pro labore nisi necessaria recipiens. Cùm aliquando decussisset nuces ab arbore, & tanta ei nucum copia data esset, ut non posset omnes condere in sinum suum, exuens se cucullo, ligatis manicis & capitio implevit ea nucibus, sicque penè nudus ad Urbem rediens, nuces pauperibus distribuit. In monasterio quatuor Coronatorum, quod est apud Ædem S. Joanis Lateranen. solebat expurgare farinam, dabantque ei de figulis quartariis panes septem. Ibat etiam milliari uno ad fontem S. Sixti, haustam indè aquam afferens, quam bibebant Monachi, & quâ panes pinsebantur : laboris pretium erat panis : cujus reliquias dabat egenis. Cùm esset quandoque apud Cardinalem & Episcopum Tusculanum, colligeretque olivas, & alia officia exhiberet, panem suis laboribus partum afferebat ad ejus Cardinalis ædes, dicentique Cardinali, ut cum aliis pauperibus vesceretur pane domûs suæ, ille propheticum istud respondebat :
Labores manuum tuarum quia manducabis, bea- Psal. 127. vers. 3.
tus es & bene tibi erit. Impeditus aliquando fuit vi imbrium, ne extra Cardinalis ædes posset exire ad labores suos : tum verò Cardinalis exhilaratus; *Jam*, inquit, *vesceris cibis meis.* Sed Ægidius nihil ei respondit, aliud secum meditans. Contulit autem se ad culinam, dixitque Coquo : *Quid ita pateris sordidam esse culinam?* Dicente illo, neminem se in præsens habere, qui eam purgaret, Ægidius ait: *Da mihi pro labore meo quod edam, & ego sordes everram.* Quod cùm utrimque factum esset, Ægidius ad Cardinalis mensam iturus, duos secum panes attulit, quos labore suo acquisierat. Itaque Cardinalis mirabatur, tam eum sui propositi tenacem esse. Sed perseverante etiam postridiè pluviâ, cùm nemo vellet uti Ægidii operâ conductitiâ, Cardinalis gratulabundus ait ad eum : *Profectò nunc meos edes panes.* At Ægidius tacitùs officinas perlustrabat, inveniensque duos rubiginosos cultros, illos accuratè repurgavit. Accepit autem pro labore panes duos, quos ad Cardinalis mensam intulit, qui se dolebat semper frustrari spe & expectatione suâ.

Notandum verò soletter, hoc Textu indultum esse, ut sola *corporis necessaria* recipiantur; non autem superflua. Tametsi ob artis raritatem, vel simul junctas multorum laborantium operas, vel ex conducentium benevolentia ampliores offerrentur mercedes; cavendum tamen est à superfluitate, quæ sæcularem potiùs cupiditatem, quàm Franciscanam redolet parcimoniam. Cùm aliquando fœminæ Annal.
cuidam B. Ægidius vendidisset ligna, & illa Tom. 2.
tamquam homini pio & religioso plus dare an. 1262.
vellet quàm initio pacta erat, ipse recipere no- num. 4.
luit, sed medio prætio illi remisso, *Nolo*, inquit, *vinci ab avaritia.* Certè sub omnibus lucrandi modis, insidias ponit inimicus. Ma- Chron.
lignus spiritus, assumptâ quandoque formâ p. 1. lib. 10.
humanâ, petiit ad conventum Alanquerianum cap 14.
admitti. Admissus, reliquis videbatur religiosis sanctitate præëminere. Nullus eo obsequiosior apparebat, nullus devotior; eo dumtaxat excepto, quòd ad sacrum numquam accederet Synaxim. Dum autem medicum ageret, & omnes undequaque illuc pro remediis confluerent, in mercedem etiam infinitas congregabant eleëmolynas, ita ut evanesceret paupertas, & Fratrum quies plurimùm turbaretur. Suspecta facta est Fratribus hæc novitas. Orans autem Deum P. Guardianus pro remedio, didicit novitium hunc dæmonem esse, qui frequentibus his obsequiis & mercedibus ruinam sanctæ pararet paupertati. Caveamus igitur

tur

tur ab aggregatione superfluitatem, memores divinæ comminationis per Prophetam: *Væ qui congregat avaritiam, malam domui suæ*: non sibi solùm, sed & *domui suæ*, toti pauperum religiosorum congregationi.

TEXTUS & §. X.

Et suis Fratribus.

SUMMARIUM.

Franciscus comparatus Isai, patri Davidis. Sanctum est laborare pro sublevandis pauperibus, & recensentur Sancti qui in hac charitate excelluerunt. Angelis comparantur. Solatium eorum qui vilioribus operibus sunt destinati. In eos qui nimiùm æstimant pauca emolumenta quæ procurârunt.

1. Reg. 17. vers. 17. DIxit Isai ad David filinm suum: *Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, & decem has formellas casei deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant.* Quod dicitur in Cantico universalis fidelium congregatio *terribilis* esse *ut castrorum acies ordinata*, *Cant. 6. vers. 9.* particularibus quoque religiosorum conventibus accommodari potest, qui in suorum consistunt monasteriorum stationibus, dirigentes aciem ad pugnandum contra Philisthiim infernalem. *D. Bonav. in Prol. Leg.* Per *Isai* qui *Munus* interpretatur, Franciscus intelligi potest, quem Evangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque præconem effectum, in lucem *dedit* Deus credentium, ut testimonium perhibendo de lumine, viam lucis & pacis, corda fidelium Domino præpararet. Hic filiis suis, in acie contra dæmonem consistentibus, volens paternâ providentiâ de victualium necessariis prospicere, ad eos dirigit præscoti textu filium suum *David*, qui dicitur *manu fortis*, *Incognit. in in Psalm. 2.* hoc est, fratrem cui Dominus dedit manuum fortitudinem, & gratiam laborandi. Hunc, inquam, destinat ut de mercede laboris manuum suarum, *suis* etiam *Fratribus* deferat corporis necessaria, quasi dicens ei cum Isai: *Accipe fratribus tuis ephi polentæ & decem panes istos, &c.* volens eum ampliorem assumere laborem, pro reliquis fratribus sustentandis.

Hanc instructionem Franciscus à beatissimo didicit Apostolo, qui ad eam discipulos suos hortatur charitatem, ut velint manibus suis non sibi solis, sed aliis quoque indigentibus necessaria suppeditare. *Ephes. 4. vers. 27.* *Nolite*, inquit, *locum dare Diabolo: qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Cui doctrinæ insistens Basilius, *Reg. 42.* in Regulis fusiùs disputatis, ait: *In suscipiendis laboribus, illud spectare unusquisque debet, ut per ipsum, qui in egestate sunt, subleventur; non autem ut commodis ipse provideat suis: siquidem hoc modo, & crimen seipsum immodicè amantis effugiet, & fraternæ benedictionem charitatis à Domino inveniet, qui sic dixit: Quatenus fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis.* *Matth. 25. v. 40.*

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Juxta hanc regulam, insignes multi servi Dei diligenter operabantur. Illustre dedit hujus charitatis specimen B. Thomas de Scarlino. *Annal. Tom. 5. an. 1447. num. 14.* Dum unà cum duobus sociis captus esset à Saracenis, ipsi facultatem fecerunt per urbem discurrendi & sociis providendi; eâ tamen adjectâ conditione, ut sub vesperam rediret ad carcerem: Mirâ charitate, magnoque labore, per varias artes, sibi commendatisque sociis victum providebat. Humeros sarcinis supponebat, arva colebat, greges pascebat, armenta ducebat, & servilia quæque opera inter Saracenorum injurias, & puerorum ludibria, absque delectu subibat; ut Christi confessores, fidei probatissimos testes, sustentaret. Annum integrum in his ærumnis transegit, sociis interim in carceris solitudine, salutem patientiamque procuratori suo à Domino impetrantibus. F. Antonius de Stronconio, *Annal. Tom. 6. an. 1471. num. 15.* etsi erga se summos exerceret rigores, erga alios erat humanissimus, & quibus poterat modis fratrum indigentiis occurrebat. Hortabatur socios, ut de appositis & à se mendicatis cibis manducarent.

Hi beati viri, rectè cum S. Jobo dicere poterant: *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea.* *Job. 31. vers. 17.* Angelis etiam illis possumus eos conferre, de quibus Christus Nathanaëli, admiranti spiritum ipsius propheticum, dixit: *Quia dixi tibi vidi te sub ficu, credis: majus his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.* *Joan. 1. vers. 50.* Inter hos angelos recensendi sunt simplices religiosi, qui ad thronum Dei per sublimem ascendunt contemplationem: ac deinde propter amorem & imitationem Filii Dei, ad vilia descendunt hominum servitia; ut dicere possint cum Propheta: *Ut jumentum factus sum apud te*, *Psalm. 72.* in tuorum obsequiis membrorum, in terris degentium & indigentium: *& ego semper tecum*, suavissimis fruens contemplationum deliciis. Sic mos erat angelico viro Francisco *Leg. c. 13.* numquam otiari à bono: quin potiùs instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad

meritum dividere sic prudenter didicerat, ut aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Cant. 5. vers. 11. & 14. *Caput* cœlestis Sponsi dicitur *aurum optimum*; & nihilò minùs *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*. Intellectuales seraphici viri speculationes per *caput* designatæ, sunt de *auro optimo* divinæ charitatis. *Manus* denotant opera, quorum illæ præcipuum sunt instrumentum. Hæc quidem in primis *tornatiles* sunt, dum affectus animi facilè divertuntur ad quaslibet operationes: *aureæ* sunt, de charitate proximi, cujus incumbunt obsequiis: *plenæ hyacinthis*, dum æstuant amore & desiderio cælestis patriæ. Sic Angelus Dei est Franciscus, ascendens & descendens supra filium hominis. Tam sublimem hunc ascensum, & descensum tam profundum, pluris æstimandum censet Dominus spiritu prophetico, vel alio quolibet dono, magnificentiori in apparentia. Licèt illa manuum opera videantur infimæ sortis; appensa tamen, & æstimata ad libram charitatis, cum qua fiunt, multò pretiosiora sunt pomposis & in specie spiritualibus, quæ non tantâ ornantur charitate. Celebres multi Patres, qui in summo erant coram hominibus splendore, procul erant distantes à sanctitate simplicium fratrum laicorum. Luc. 22. vers. 27. *Quis major est*, inquiebat Salvator, *qui recumbit, an qui ministrat, Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Licèt ministrum ageret; numquid sanctitate, sapientiâ & potentiâ, discipulis præminebat recumbentibus? Similem sperare possumus perfectionis gradum, cum sanctis illis quibus ministramus.

Monendi tamen sunt aliqui, ne merita, quæ thesaurizare possunt in cœlis, stultâ disperdant præsumptione. Ne adjutoria & cummoda, quæ in sanctam conferunt communitatem, insipida reddant & odiosa per improperium, per magnam serviciorum suorum æstimationem, vel per importunas libertatis & recreationum exactiones. De hujusmodi servitio scribit Ecclesiasticus: *Datus insipientis non erit utilis tibi; oculi enim illius septemplices sunt*, Eccles. 20. vers. 14. septuplo plus sperantes quàm præstitum valeat obsequium. *Exigua dabit, & multa improperabit.* vers. 15. Hujus abusus meminit S. Bonaventura: De prof. Relig. lib. 2. cap. 14. *Servi sæculares, nec præ frigore, vel labore, vel inopiâ, vel difficultate pigritantur dominis suis, pro parva mercede, per longa terrarum spatia, etiam in periculo mortis obedire: gratum habentes, si pro gratiarum actione cùm roderint, non magnas alapas, & vituperia à dominis receperint, nihil de incommodis infirmitatis, vel domus, vel hospitii cogitantes. Claustrales verò servi, delicati sunt & elati. Parum volunt laborare, & bene procurari: & cùm illi dominos suos devote honorent: ipsi volunt dominis suis in omnibus esse quasi æquales, voluntate propriâ quasi lege viventes.* Ut nam qui hujusmodi sunt, cordis aurem apponant Salvatoris monitioni: Luc. 17. vers. 10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus.*

TEXTVS & §. XI.

Præter denarios vel pecuniam.

SVMMARIVM.

Apostolica vivendi forma est, argentum & aurum non concupiscere. Non faciendæ Franciscanis collectæ pecuniariæ pro concionibus. Corripiuntur per D. Hieronymum Confessarii testamentis inhiantes. Qualiter licitè deponantur apud Sindicos Minorum stipendia pecuniaria intuitu missarum celebratarum. Quæ artes laboritiæ Franciscanis permissæ.

PAulus mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ, & inter alia salutis monita, quæ disserebat eis pro valedictione, sollicitè à se removit avaritiæ atque cupiditatis improperium, dicens: Actor. 20. vers. 33. *Argentum & aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Beatus certè Vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Eadem est Franciscanorum professio, ut apostolicæ rectitudinis normâ *argentum & aurum aut vestem* nullius concupiscamus; 1 Tim. 6. vers. 8. sed *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Ut ea quæ Francisco opus sunt, & his qui cum ipso sunt, ministrent manus istæ, *præter denarios* tamen *vel pecuniam*, quorum Vir sanctus extitit semper præcipuus execrator.

Portò ad hunc articulum de acquirendis per laboritium necessariis, reducuntur etiam alii modi per spirituales functiones usitati. *Nescitis*, inquit Apostolus, 1. Cor. 9. vers. 13. *quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Dixit enim aliquando missis ad prædicandum discipulis: Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Virtute hujus Evangelici & Apostolici canonis, fundata sunt Ecclesiastica beneficia & monasteriorũ redditus,

&

& præbentur ministris spiritualibus à populo stipendia quotidiana. Neque Minoritæ sunt horum quotidianorum incapaces, dum ad mensuram in Regula præscriptam recipiuntur. Cavendus semper sinister oculus circa receptorum qualitatem vel quantitatem, ne offendiculum aliquod ponatur Evangelio. Sufficientem operis sui mercedem existimabat Apostolus, si bene populum ædificaret suâ paupertate, & avaritiæ fugâ suos non gravando discipulos: *Quæ est ergo*, inquit, *merces mea? Ut Evangelium prædicans sinè sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate meâ in Evangelio.* *1.Cor.9. vers. 18.* Bonam hanc ædificationem, suam dicebat esse mercedem, imò & gloriam: quam in tantùm æstimabat, ut adderet: *Bonum est mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet*, *vers. 15.* mihi munera conferendo, ex quibus videri possem turpis lucri gratiâ prædicasse. Tametsi in conscientia licitæ fiunt collectæ pro labore prædicationis, sic tamen munus illud obeundum est, ut neutiquam opinetur mundus tam vili nos contentos esse stipendio, & prædicare ut manducemus. *Sanè interest tuæ perfectionis*, scribit Bernardus Eugenio Papæ) *& malas res & malas species pariter devitare. In altero conscientiæ, in altero bonæ famæ consulis. Puta tibi non licere (etsi alias fortasse liceat) quidquid malè fuerit coloratum.* *Lib 3. de consid.* Et iterum: *Etsi constet in christiana philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet; non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit.*

Cavendum etiam iis qui confessionibus incumbunt audiendis, ne divites artibus venentur indecoris, statumque religiosum indecentibus. Aliquorum sui temporis abusum D. Hieronymus reprehendit, scribens: *Audio in senes & anus quorumdam turpe servitium.* *Epist. ad Nepot. D. vita cleric.* *Ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi & phlegmata pulmonis manu propriâ suscipiunt. Pavent ad introitum medici, trementibusque labiis an commodiùs habeant, sciscitantur: & si paululum senex vegetior fuerit, periclitantur, simulatâque lætitiâ mens intrinsecùs avara torquetur. Timent enim ne perdant ministerium, & vivacem senem annis Mathusalem comparant. O quanta apud Deum merces, si in præsenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur? Minori labore margaritum Christi emi poterat.* Hæc Hieron. de antiquis pinguium testamentorum venatoribus, qui sæcularium infirmorum servitia, pauculas de pietate monitiones, vigilias adulatorias, aridaque sua suffragia quasi venalia obtrudebant, erantque, sicut S. Judas descripsit, *Judæ. vers. 16.* *mirantes personas quæstûs causâ.* Utinam vilitas illa cum antiquioribus sepulta sit, & in nullorum vivat animis modernorum!

Circa stipendium Missarum, dum in peconiis redduntur, adhibendæ sunt cautelæ, quæ ab Expositoribus Regulæ præscribuntur, ad vitandum cafeosum aliqualem in receptione pecuniarum. Meminisse oportet illius sententiæ Ecclesiastici: *Lignum offensionis est aurum sacrificantium. Væ illis qui sectantur illud: & omnis imprudens deperiet in illo.* *Eccles. 31. vers. 7.* Hoc tunc fieret, quando Superiores allecti stipendiorum cupiditate gravarent subditos nimiâ Missarum multitudine, ita ut cogerentur minùs bene dispositâ mente celebrare: vel quando defuncti fratres, ob hoc debitis fraudarentur suffragiis, non suppetente spatio pro eis celebrandi: vel quando non sufficiens haberetur ratio applicationis intentionum, pro voluntate postulantium; vel denique cùm ex eo modo tanta inundaret abundantia, quæ faciem tolleret paupertatis. Sed hæc omnia inconvenientia congruis possunt mediis præcaveri; prout caventur de facto apud Observantes Franciscanos in Belgio & alibi, ubi Missæ admittuntur pro stipendio. Et hoc modo acquirendi necessaria, cavetur alia necessitas frequenter pro eleëmosynis excurrendi, & benefactores importunis gravandi mendicationibus. Porrò quando contingit Missarum lectarum vel legendarum intuitu, pecunias pro nostris necessitatibus expendendas, deponi apud Sindicos conventuum, id intelligendum est fieri ad eum modum quo aliæ eleëmosynæ pecuniariæ apud eos deponuntur, remanente juxta declarationem Nicolai III. apud deponentes dominio talis pecuniæ, quousque conversa fuerit in rem fratribus necessariam. *c. Exiit De verb. sign. in 6.* Tametsi vero contingeret, simplices aliquos sic errare speculativè, ut putarent dominium earum pecuniarum translatum esse in fratres, neque ad se amplius pertinere; præsumitur tamen principalis & prædominans eorum intentio esse, pecunias illas fratrum necessitatibus applicari modo eorum statui convenienti. *Non enim est verosimile*, inquit Nicolaus loco cit: *aliquem eleemosynam sua sinè expressione modum illum velle præfigere, per quem & donant merito, vel illi quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi providere vel effectu doni vel suæ conscientiæ puritate fraudentur.* *Art. 4. fin.*

Plures alii sunt modi, etiam honesti inter s[æc]ulares, quibus convictus humanus ad lucra solet uti temporalia, qui tamen dedecent religiosos, & ipsi statui clericali interdicti sunt. Hos à Minoribus suis ablegavit Franciscus, illo verbo sui Testamenti: *Et omnes Fratres mei firmiter volo, quòd laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem.* Ita ut non solùm receptionem pecuniariæ mercedis rescissam voluerit; sed & labores eos, sive mentis sive corporis, qui vel nimiam afferrant nobis aliisve inquietudinem, aut propter indecentiam, minuerent nostram apud populos auctoritatem. S. Basilius discretam de his præscribit regulam. *Ut eæ artes exerceantur, quæ vitæ nostræ quietem & tranquillitatem conservent: similiter illæ omnes per quas neque virorum neque mulierum indecori congressus nobis conciliantur & noxii.* *Quæst. fusius disput. 38.* *Siquidem omnibus in rebus illud peculiariter spectare debemus, ut simplicitatem & frugalitatem teneamus; & illud summoperè fugiamus, ne inserviamus stultis ac planè noxiis hominum cupiditatibus, iis efficiendis quæ in vano studio apud eos esse animadvertimus. Item quandocumque aut quietem nostram perturbare, aut fratrum vitæ conjunctionem videbuntur distrahere, dum necessario à nobis declinari debent. Majoreque in pretio habenda sunt artes illæ,*

quarum exercitatio ejusmodi sit, qua neque nos distrabat, nequo impedimento sit, quò minùs Deo assiduè cohæreamus; & qua neque à temporibus psalmodia, orationisve, aut reliqua disciplinæ constantiâ, eos avocent, qui studio pietatis dant operam

TEXTVS & § XII.

Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei.

SVMMARIVM.

Humilitas Davidis in postulando mercedem præstita operâ à Nabal. Licitum esse Franciscanis, provisionem aliquam necessariorum facere certis temporibus, docet D. Bonaventura. Humiliter petemus mercedem laboris, si cogitabimus nos esse servos Dei. Officia & conditiones servorum Dei juxta D. Paulum. Signa servorum Dei ex revelatione S. Francisci. Alia, quæ ex verbo Dei scripto elicit D. Bernardinus. Quàm sit turpis Avaritia in casu laboritii corporalis. Merces à Domino dabitur, si non ab hominibus.

DAvid fugitivus à facie Saul, & laborans victûs penuriâ, cùm audisset quòd tonderent pastores Nabal gregem ejus in Carmelo, misit de sociis suis decem juvenes qui salutarent Nabal pacificè, atque narratis obsequiis tutelæ, quæ in pastores ipsius, contulerant (quoniam servaverunt omnia quæ illius erant in deserto, nec periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant) proponerent denique subsidii postulationem, dicentes: *Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in* [1. Reg. 25. vers. 8.] *oculis tuis: in die enim bona venimus, quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.* Humillima planè supplicatio, quæ ab uncto Rege super Israël, ad agrestem rusticum dirigebatur; & quidem pro exhibiti mercede obsequii. Similem occasionem diei bonæ, pauperes observant Franciscani. Pro mercede curarum atque laborum, quos in servando & fovendo fidelium grege posuerunt; corporis necessaria petituri, veniunt dum tondentur oves, dum lana, vel frumenta vel alia, quorum urget facienda pro fratribus provisio, sub manibus sunt benefactorum. Quod quidem licitè fieri ac rationabiliter, olim efficaciter probavit D. Bonaventura contra quosdam Ordinis nostri calumniatores, qui contendebant omnem Franciscanis interdictam esse provisionem in crastinum. [Quæst. 10. in Regulam Minorum.] *Sunt*, inquit, *aliqua, quæ nisi colligamus certo tempore, quando est copia quando inter manus communiter habentur à populo, postmodum nec pro infirmis, nec pro hospitibus, nec pro aliis sinè magna difficultate vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maximè illo tempore solent necessaria petere quo sciunt ea promptiùs à dantibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi. Sic & Dominus* [Exod. 16.] *populo præcepit, certo tempore Manna alimoniam colligere; qui non omni tempore in agro, etiamsi quærerent, invenirent. Et ait de ipso Psalmista:* Tu das illis escam in tempore opportuno. [vers. 14.] *In hoc enim non tam nobis, quam illis, à quibus petimus, providemus, quando tali tempore petimus, quo ipsi faciliùs dare possunt, & magis sunt voluntarii ad eleëmosynam largiendam.* Alterum quod ex narrato Davidis facto æmulari debeamus, & quod nobis præsenti Textu commendat Franciscus, est humilitas in necessariorum petitione. *Inveniant*, inquit Rex ad inurbanum Nabal, *pueri tui gratiam in oculis tuis, quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.*

Sic vult seraphicus Pater humiliter petere atque recipere. Addensque inspiciendum exemplar secundùm quod faciamus, ait: *Humiliter, sicut decet servos Dei.* Similem ipse Christus Dominus aliquando discipulis suis proposuit formulam humilitatis, dicens: *Quis* [Luc. 17. vers. 7.] *vestrûm habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe; & non dicat ei: Para quòd cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec comedam & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? Non puto.* Dirigitur hic principaliter Salvatoris intentio, ut probet non obligari Deum pro nostris operibus quibuscumque, præcisè in se consideratis: in ipsa tamen humani domini & servi comparatione supponit, nullam fieri servo injustitiam, si post labores ejus, nulla ipsi referatur à domino gratia singularis. Servorum superbia in ea versatur persuasione, quòd reputent obsequia sua mercedis ingentis habere condignitatem. Inde cum angaria petitur merces, & cum fastidio acceptatur. Humilitas servorum, ex contraria gignitur opinione. Cùm ergo constet, nullum opus servorum Dei ex se condignum esse cœlesti remuneratione, laboris mercedem recipiemus humiliter, si recipiemus

sicut

sicut decet servos Dei : si reputabimus servitia nostra fidelibus præstita, sic indigna esse humano quocumque præmio, sicut divino.

Certe Paulus eximius servus Jesu Christi, postquam ingenti labore sollicitudinem portaverat omnium Ecclesiarum, afflictionibus in hac vita cumulatus fuit loco præmiorum. Et ad earumdem tolerantiam, studiaque virtutum suos exhortans fideles, ait : *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros,* (2.Cor.6. vers.4.) *in multa patientia* , *in tribulationibus* , quæ propter fidem & virtutem ex hominum persecutionibus inferuntur : *in necessitatibus* , ex defectu rerum victui necessariarum , si fortè talem servis suis permitteret Deus : *in angustiis* cum evadendi difficultate , quasi Dominus eos tradidisset oblivioni : *in carceribus* , quos ad annos plurimos subire maluerunt , quàm fidem abnegare divinam : *in seditionibus* , quas per concives , domesticos , falsos fratres suscitat aliquando malignus : *in laboribus* , tum manualibus , tum spiritualibus , juxta taxam præfixam à Domino : *in vigiliis* , quas tantoperè commendat Deus , ad expectandum eum velut patrem familias , donec revertatur à nuptiis & orandum ne intrent in tentationem : *in jejuniis* , etiam voluntariè assumptis, ad sereniorem spiritûs libertatem , aliaque vitæ spiritualis adjutoria : *in castitate* , quoniam *qui in carne sunt , Deo placere non possunt:* (Rom. 8. vers. 8.) & sanctus Dominus multò minùs servos in familia sua patietur impuros, quàm honestus Vir lenonem in domo sua vel meretricem : *in scientia* , sive discretione peragendi omnia prout sciverint expetere dominum ; non autem sicut fatui , qui ex abrupto sua peragunt & inconsideratè : *in longanimitate* , ne fatigati diutinâ mercedis expectatione , & desperantes, inceptum abjiciant ministerium : *in suavitate,* non cum querimoniis & amarulentia ; sed cum gaudio mentis : eò vel maximè , quòd confidant à Domino suum conspici servitium , eique placere , quantumvis exiguum videatur & simplex : *in Spiritu Sancto* , quem ut servis omnibus præsidentem auscultant , docentem & dirigentem, & punctualiter obtemperant : *in charitate non ficta* , ex intimo animo Domini facientes voluntatem , non ex timore servili : *in verbo veritatis* , curam habentes sinceritatis, omni remotâ hypocrisi , fallaciâ & mendacio

Pergit Apostolus istorum Dei domesticorum constantem explicare fidelitatem , quâ nec ad dexteram deflectunt nec ad sinistram : eâdem mentis constantiâ incedentes *per gloriam & ignobilitatem* , sive nimirum ut Viri Sancti habeantur & præclari , sive ut abjecta viliaque mancipia : *per infamiam & bonam famam* ; si pro sceleratis habeantur & idololatris , non ideo fidem suam abnegantes, aut statum erubescentes; si pro viris probis & innoxiis , prudenter eâ famâ ad profectum utentes animarum*: ut seductores & veraces* , viam non deserentes veritatis propter impactam sibi calumniam , quam & Christus pati dignatus est , in solatium servorum suorum , quando vocantur seductores : *sicut qui ignoti & cogniti.* Sic accidit Francisco, ut apud familiares antiquos post initam paupertatis viam pro ignoto haberetur ; qui eum postea signis illustrem , denuò ut bene cognitum conveniebant. Hac in vicissitudine , parum ei erat ignotum haberi vel cognitum , negligi ab hominibus vel amari : *Quasi morientes , & ecce vivimus* , licèt enim vitâ fruantur in hoc mundo , negligunt tamen eam , quasi transeuntes ad æternitatem , desiderantes eam quâ præsentes fiant ad Dominum : *ut castigati & non mortificati.* licèt enim ob sua castigentur peccata ; non moritur tamen spes illorum in Domino : quin potiùs vividior fit , & securior expectatio misericordiæ : *quasi tristes ; semper autem gaudentes* , siquidem extinctâ temporalis vanitate lætitiæ , in continuo videntur esse mœrore ; cùm tamen interiori hilarescant gaudio ex conscientiæ serenitate : *sicut egentes , multos autem locupletantes* , qui licèt bonis videantur egere temporalibus , verè tamen non egent , quia paucis contenti , plura non concupiscunt ; sicque suo exemplo plures ad eamdem animi adducentes satietatem , thesaurum eis conferunt omni auro pretiosiorem : *tamquam nihil habentes & omnia possidentes* , cùm enim eis veluti servis nihil juris permissum sit, omnia Domino acquirunt : quia tamen per amorem possident eum qui est omnia in omnibus ; quidquid amati est , in potestatem venit amantium. His explicavit Apostolus nobilitatem perfectionemque servorum Dei , & conditiones ad quas vitam suam studeant efformare.

Dignitatem illam servorum Regis altissimi altè perpendit Seraphicus Franciscus , & tria didicit à Domino indicia verum Dei servum agnoscendi. Unde dixit filiis suis aliquando : *Heu quàm bonum est , Fratres , Deo servire! Melior est Dei servitus , quam mundi principatus. Sed quis est , qui certò cognoscit se esse servum Dei ? Nihil melius est , quàm esse servum Dei ; nihil tamen difficilius est homini certò cognoscere , quàm si est Dei servus , vel amicus. Ego vobis confiteor , quod rogavi Dominum ut mihi dignaretur ostendere , quando sum servus Dei , & quando non. Ipse autem Dominus benignissimus suâ dignatione respondit mihi : Servum meum veraciter te esse cognosce , cùm sancta cogitas , loqueris & operaris. Ideo vobis prædicta insinuavi , ut vos etiam sciatis , quando Dei servi estis , & eò placetis : & ut ego coram vobis possim verecundari, quando videbitis me deficere in his omnibus , vel aliquo prædictorum.* (Opusc. Tom. 3. Collat. 13.)

S. Bernardus , ex scripto Dei verbo aliquot colligit verorum Dei servorum indicia. 1. Ex humilitate: Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis , dicite : Servi inutiles sumus.* (In Apoc. c.7. vers.3) Si pleni sint charitate: *Inveni David servum meum* , ait Dominus , *oleo sancto meo unxi eum.* (Psal. 89.) 3. Si sint in Domini correptionibus patientes, sicut Judith Dei famula dicens : *Reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse , flagella Domini quibus quasi servi corripimur , ad emendationem & non ad perditionem nostram evenisse credamus.* (Judith.8. vers. 27.) 4. Si procul sint à temporalium bonorum cupiditate ; his enim irretiti , Dei servi esse non possunt , sicut scriptum est : *Non potestis Deo servire , & mammonæ.* (Matth. 6. vers. 24.) 5. Si diligentes sint & exacti in iis,

quæ

Luc. 12. vers. 37. quæ Domini sunt: *Beati sunt servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* 6. Si Rom. 6. vers. 18. casti sint & continentes: *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ.* 7. Demum perseverantia in Deut. 13. vers. 4. bono, servi Dei complet perfectionem. *Ipsum timete*, monet Moyses, *& mandata illius custodite, & audite vocem ejus; ipsi servietis, & ipsi adhærebitis.* Parum esset eum sequi ad momentum, & non in omnibus, usque in finem adhærere.

Non mediocriter honoravit nos Dominus vocatione suâ sanctâ, magnamque nobis contulit gloriam ut servi ejus essemus atque domestici. Maculam turpissimam ponemus in hac gloria nostra, bonis inhiando si temporalibus, tradamus oblivioni cœlestia, nec honestatem Lib. 1 offic. cap. 9. attendamus Dei servis convenientem. *Nihil deformius*, ait D. Ambrosius, *quàm nullum habere amorem honestatis, & usu quodam degeneris mercaturæ quæstu sollicitari ignobili, avaro æstuare corde, diebus ac noctibus inhiare in alieni detrimenta patrimonii, non elevare animum ad honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulchritudinem. Hinc nascuntur aucupia quæsita hæreditatis, continentiæ & gravitatis simulatione captata; quod abhorret à proposito christiani viri;* Multò magis religiosi, qui verbis profitetur servire Deo; factis autem mammonæ servus esse dignoscitur. Hinc contingit justo Dei judicio, ut contemnatur, repellatur & impediatur ab aucupiis suis & concupiscentiis, juxta Prophetæ sententiam: *Intraverunt ad Beelphegor*, id est idolum hiatus, *& abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Osee 9. vers. 10. Abominationem avaritiæ satis indicavit Apostolus, quando eam cum immunditia composuit & fornicatione, dicens: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Ephes. 5. vers. 3. Omnium judicio infamis est in servis Dei fornicatio & immunditia, solo etiam nomine eis asperis; infamiâ consimili avaritia fœtet, ac insatiabilis sibi providendi cupiditas; ex liberalitatis providentiæque Domini, cujus servi habentur, diffidentiâ. Si homines, quibus servierimus, suæ defuerint obligationi, non deerit Christus, si fuerimus servi Dei. Fidejussor ille & promissio ejus sufficiat, qui suis dixit discipulis: *Quia præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis;* Luc. 12. vers. 37. Quod quidem de futuræ vitæ intelligitur convivio; nil tamen prohibet intelligi quoque de præsentis vitæ necessariorum providentiâ. In isto Christi verbo, Franciscus & primitivi ejus socii, eam tenebant animi tranquillitatem, ut quando non daretur eis pretium laboris, sicut servi Dei recurrerent ad mensam Domini, petendo eleëmosynam ostiatim.

TEXTVS & §. XIII.

Et Paupertatis sanctissimæ sectatores.

SVMMARIVM.

Deus docuit Filios Israël Paupertatis parcimoniam in Manna collectione. Quomodo amor Evangelicæ Paupertatis inditus Francisco, & cura eam servandi perpetuò in suo Ordine. Quàm solliciti in hoc ejus successores. Franciscanus Ordo, ex Christi promissione, stabit usque in finem sæculi. Quantam Paupertatis curam habuerint aliarum Religionum Fundatores.

QUando filiis Israël Manna dabat Dominus ad manducandum, legem quoque tulit de moderata & non superabundanti ipsius Exod. 16. vers. 16. & 21. collectione: *Colligat*, inquit, *unusquisque ex eo quantùm sufficit ad vescendum.* Secundùm quod, illi obediebant voci Domini *colligebant manè singuli quantum sufficere poterat ad vescendum.* Prohibuitque colligi & reservari in sequentem diem: *Nullus relinquat ex eo in manè.* Et cùm quidam non audissent Moysen, & dimisissent de Manna usque manè *scatere cœpit vermibus, & computruit.* Sic Dominus Hebraico populo umbram exhibuit illius sanctissimæ Paupertatis, cujus veritatem & perfectionem in lege gratiæ decreverat pleniùs & planiùs edocere. In hac siquidem, benedictus Filius ejus, qui olim per Moysen loquebatur, ipse aperiens os suum, dixit: Matth. 6. vers. 19. & 34. *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra ubi ærugo & tinea demolitur.* Item *Nolite solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi-ipsi, sufficit diei malitia sua.* Quod quia temerarium videri poterat humano sensui, per exempla nos docere voluit perfectionis Magister ab exiguis desumpta creaturis, quibus, cùm thesaurizare non didicerint, victus tamen suppetit necessarius; ut his instantiis nostra convinceretur pusillanimitas. *Respicite*, inquit, *volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos, modicæ fidei?* vers. 26. Clarum & emphaticum verbum, fortisque tam admirabilis consilii probatio; cui

cui non credere, fidei modicæ indicium est, & non leve homini Christiano improperium.

Magnum illud Christi consilium, profundè illapsum est in docile cor Seraphici Francisci. Leg. cap. 7. Inter cætera namque charismatum dona, quæ à largo datore obtinuit, prærogativâ quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissimæ Paupertatis amorem. Hanc Filio Dei Vir Sanctus familiarem attendens, & jam quasi toto orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetuâ, quòd non solùm pro ea patrem matremque reliquit, verùm etiam quæ habere Matth. 13. vers. 45. potuit universa dispersit. Nemo tam auri, quàm ipse cupidus Paupertatis: nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quàm iste hujus Evangelicæ margaritæ. Ingressus aliquando templum quoddam cum Fratre Masseo, oratione instirit apud Deum, ut sibi & suis sanctæ Paupertatis amorem inspiraret, idque tanto fervore, ut ex facie ignis emicare videretur. (Annal. Tom. 1. an. 1216. num. 11. & 12.)

Itaque hoc divino ardore incitatus, movit se versùs Massæum brachiis apertis, eumque magnâ voce ad se evocavit. Qui cùm admirans & stupens in S. Patris brachia se immisisset, tantus fuit Francisci æstus interior, ut anhelitu solo per oris hiatum erumpente, multis illum cubitis in sublime ejaculatus sit. In quo ascensu, is postea sæpiùs narravit tantâ se dulcedine delibutum, quantam antea numquam in sua vita gustasset. Tum Franciscus: Eamus, inquit, Romam ad Sanctos Apostolos Petrum & Paulum exorandos, ut nos doceant tam præclarum Paupertatis thesaurum rectè & fructuosè possidere: is enim ita præstans, itaque divinus est; nos autem ita viles & abjecti, ut indigni simus, qui eum in talibus vasibus teneamus. *Hæc enim est virtus de cœlo in nos influens, quæ nos ita instituit & informat; ut terrena cuncta ultro conculcemus, quæque obices omnes è medio tollit, quo humana mens cum Domino Deo suo liberrimè atque expeditissimè conjungatur. Hæc est, quæ animam adhuc in terris positam, facit in cœlis cum Angelis conversari. Hæc est, quæ Christum in cruce associat, cum ipso in tumulo absconditur, cum ipso resurgit, & cum ipso in cœlum ascendit. Hæc est, quæ dotem agilitatis supra cœlum volandi animabus ipsam amantibus etiam in hac vita concedit, cùm vera humilitatis & charitatis alas se amantibus impertiat.* Eamus proinde rogatum Apostolos sanctissimos, ut hanc gratiam nobis impetrent à Domino Jesu Christo, ut ipse Paupertatis forma & observator præcipuus, eam nobis donare dignetur.

Cùm ergo Romam pervenissent, intraverunt Ecclesiam S. Petri in Vaticano, & in distinctis sacellis orantes, quâ poterant efficaciâ rogabant Apostolos, ut eos dignarentur instruere, quatenus sanctam Paupertatis virtutem perfectè possent acquirere; atque suis meritis à Domino impetrarent, quatenus vitam Apostolicam addiscere possent & sectari. In pia hac sua petitione, cum devotione & lachrymis perseveranti Francisco, apparuerunt magna cum claritate Petrus & Paulus Apostoli, piâ benignitate eum amplexantes, & dicentes: *Frater Francisce, exauditæ sunt in conspectu Dei orationes tuæ, & uberes lachrimæ quas effundis, pro acquirenda sancta Paupertate, quam Christus magister noster ejusque sanctissima Genitrix amplexi sunt, & nos ipsius Apostoli sumus sectati. Misit proinde nos ad te Dominus Jesus Christus, ut annuntiemus tibi, quod feliciter exorasti: & concessus tibi tuisque est thesaurus sanctissimæ Paupertatis, quam qui verè possederint, & perfectè professi fuerint, ipsorum erit regnum cœlorum.* Quibus dictis disparuerunt, infusâ Francisco summâ animi consolatione.

Hujus orationis virtute, non modò ipsi Seraphico Patriarchæ, verùm & Religioni per ipsum fundatæ sic concessa est altissimæ Paupertatis prærogativa, ut nedum particulares Religiosi nihil habeant proprium (quod aliis quoque competit Ordinibus) sed nec Universitas hujus fraternitatis rei cujuscumque dignoscatur habere proprietatem. Neque permisit exoratus à Francisco Dominus, ullo umquam tempore istam ab hoc Ordine Paupertatem eliminari: quin excedentibus è vita fervidis ejus zelatoribus, suscitavit novos sanctorum Patrum æmulatores, & generosos reformatores, qui exulantes in aliquibus locis & religionibus hujus Ordinis Minoritici gloriam infracto constantique animo revocarent. Hi variis censentur nominibus. Cæsariani, à Beato Cæsario Francisci discipulo. Clareni, quorum ductor extitit fervens iste F. Angelus de Cingulò. Deinde illi quos sibi Ubertinus de Casali ad regulæ paupertatisque defensionem aggregavit, qui suâ magnanimi contra relaxatos resistentiâ Clementi V. occasionem dederunt, salubrem illam & pacativam conscientiarum edendi Regulæ declarationem, quam hactenus observat totus Ordo & reverenter exosculatur. Observantes postea è parvulo eruperunt tugurio, operâ humilis unius Fratris laici Paulutii de Trincis, aliorumque hominum simplicissimorum, qui tandem in gentem crevêre tam magnam & illustrem, ut per eos videretur primæva Religionis nostræ sanctitas revixisse. Reformati, sub F. Francisco Lichero Generali Ministro Circa an. 1518.
Paupertatis vexillum secuti sunt, præeunte B. F. Stephano Molina in Italia. Hos secuti sunt in Hispania & Galliis Recollecti, favente F. Francisco de Angelis, aliisque Generalibus Ministris. Fratres etiam Capucini sub patrocinio Clementis VIII. magna contulerunt Circa an. 1525.
Paupertatis incrementa. Hinc de Franciscana Religione dici potest, quod aliquando de S. Ecclesia vaticinatus est Isaias: *Vocabuntur in ea fortes justitia, plantatio Domini ad glorificandum.* Isaiæ 61. vers. 3. *Et ædificabunt deserta à sæculis, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt civitates desertas, dissipatas, in generationem & generationem.* Deinde *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus* vers. 8.
perpetuum feriam eis. Quodnam est fœdus istud perpetuum? Illud quod cum sancto Patre pepigit Dominus, de Ordine ipsius usque ad mundi finem non defecturo. Cùm semel malis suorum exemplis turbatus Franciscus anxio spiritu Dominum precaretur pro filiis, promissionem hujusmodi ab ipso reportavit: *Ego servabo Religionem meam, & pascam,* Leg. Antiq.

& aliis excidentibus alios ſubrogabo: ita ut ſi nati non fuerint, faciam illos naſci. Et quantiſcumque fuerit impulſibus paupercula hæc concuſſa Religio, ſalva ſemper meo munere permanebit. Numquam igitur in Ordine Minoritico deficiet ſemen cui benedixit Dominus, ſectatores ſcilicet benedictæ & Sanctiſſimæ Paupertatis.

Neque ſoli Franciſco, ejuſque Religioni, magna fuit de voluntaria Paupertate opinio; ſed aliorum quoque Ordinum Patriarchis. S. Baſilius agens de bonorum renuntiatione: *Ipſa eſt,* inquit, *ſimilitudinis quam cum Chriſto habere debemus initium, qui ipſe cùm dives eſſet, egenus factus eſt propter nos: quam ſinè controverſia niſi priùs conſequamur, numquam vivendi ex Evangelio Chriſti inſtitutum poterimus attingere. Quando enim aut cordis contritio aut proprii ſenſus humilis demiſſio; aut iracundia, mœrorisve ac ſollicitudinum, neque conciſiùs abſolvam, omnium peſtilentium animi perturbationum liberatio, in divitiis & vita hujus angoribus, intemperantique ad res iſtiuſmodi mentis applicatione poterit obtineri?* Chriſtum ſequi non poſſumus niſi omnia relinquamus, quia exultat ut gigas ad currendam viam, & currentem ſequi non poſſumus onerati. Meritò relinquit omnia, qui ſequitur eum qui eſt ſuper omnia, quoniam ſufficientia noſtra ex eo eſt, & erit Deus omnia in omnibus. D. S. Bernardo dicit Eccleſia: *Chriſtianam paupertatem colens, quaſi cæleſtem vitam agebat in terris, ab omni caducarum rerum cura & cupiditate alienum.* Similem Paupertatis zelum & renuntiationis perfectionem de ſanctis Patribus Antonio, Auguſtino, Norberto atque Brunone legimus. In Comitiis Generalibus Ordinis noſtri, quæ Franciſcus Aſſiſii indixerat, ultra quinque millia Fratrum convenerunt. His omnibus ſeverè interdixit Vir Dei, ne de rebus ad corpus pertinentibus ſolliciti eſſent, ex illa Pſalmi ſententia, quam ſæpè in ore habebat: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Aderat huic Franciſci edicto ſummus Prædicatorum Fratrum Patriarcha Dominicus, eique hoc nimium viſum eſt, cùm vereretur, ne quodammodo Deus tentari videretur, ſi non tantæ multitudini alimenta pararentur; ſed non multò poſt, ecce ex omnibus finitimis urbibus & pagis concurſus hominum ac jumentorum omnem omnis generis commeatum, ſuppellectilem, & vaſa deferentium: quæ res ita Dominicum permovit, ut ab eo tempore conſtituerit redditus omnes à ſuo quoque Ordine, qui tum naſcebatur, removere, divino fretus præſidio, cujus tam inſigne indicium oculis ſuis viderat. Quod & fecit anno ſequenti, in Synodo Generali Bononiæ collectâ, & ad ultimum vitæ terminum ſuam & Dei maledictionem imprecatus eſt eis, qui poſſeſſiones in Ordinem introducerent; cùm tamen Honorius III. primo ſui Pontificatûs anno eumdem Ordinem ita confirmaverit, ut caſtella, prædia multa, & alia, quæcumque tunc Prædicatores poſſidebant, retinerent. Præclaræ Societatis Jeſu anteſignanus S. Ignatius, eodem uſus inſtructore nudo Jeſu Chriſto, ſanctam Paupertatem quoad vixit mirabiliter ſectatus eſt. Primùm ſacco ſe operuit, deinde tunicis cinereis coloris: mendicatò vivebat, divertebat ad hoſpitalia: primiſque ſuis ſociis ita integram ſuaſit omnium abdicationem, ut nihil niſi humilis ſupereſſet mendicatio. Denique nullus reperiri poteſt altioris animi Dei ſervus, qui non toto pectore dilexerit, coluerit atque ſervârit altiſſimam Paupertatem, fulcrum decuſque ſanctitatis. Ut mirum proinde non ſit, quòd filios ſuos Franciſcus tam ſtrictis alligaverit vinculis, & ad eam redegerit ſortem, ut divites fieri numquam poſſent, nec deſiderata tantopere Paupertas, ex Ordine ſuo valeret ullatenus eliminari.

Marginal notes: *99. fuſius diſput. 8.* — *In Brevia.* — *Ann. 1219* — *Pſalm. 54. verſ. 23.* — *Hier. Plat. de bono ſtat. Relig. l. 2. c. 33.* — *Antonin. p. 3 t. 23 c. 4. §. 13.* — *Ribaden. in vita.*

C A P U T   S E X T U M.

Quod Fratres nihil ſibi approprient: & de Eleëmoſyna petenda: & de fratribus infirmis.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: ſed tamquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleëmoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos, hæredes & Reges regni cœlorum inſtituit, pauperes rebus

bus fecit, virtutibus ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimi Fratres, totaliter inhærentes nihil aliud pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis. Et ubicumque ſunt Fratres, & ſe invenerint, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam. Quia ſi mater nutrit & diligit filium ſuum carnalem; quantò diligentiùs debet quis diligere & nutrire fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent illi ſervire, ſicut vellent ſibi ſerviri.

TEXTVS & §. I.

Fratres nihil ſibi approprient.

SVMMARIVM.

Spolia Jericho, ſive mundi bona, non ſibi appropriari, ſed Domino conſecrari, Franciſcus exemplo verboque docuit. Actus proprietatis duodecim ex D. Bernardini ſententiâ. Quàm noxia Religioſo Proprietas. Quàm acriter punita in Juda proditore, in Anania ejuſque conjuge, & in Achan, qui de prohibitis ſpoliis Jericho ſuſtulerat.

JOſue funditus everſurus urbem Jericho, decrevit ipſam & omnia, quæ in ea erant, eſſe anathema Domino: *Quidquid*, inquit, [*Joſue 6. verſ. 19.*] *auri vel argenti fuerit & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris ejus.* Omne autem vivens percutiatur in ore gladii, exceptâ ſolâ Rahab meretrice, & omni domo ejus. De reſervatis autem, auro, argento, ære, ac ferro, cavit ſtrictiſſimo præcepto, ne ſibi quiſquam aliquid appropriaret. [*verſ. 18.*] *Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei.* Seraphici exercitûs ductor Franciſcus, omnem in eo poſuit operam, ut funditus everteret urbem Jericho, hoc eſt, regnum mundi & ſæculi vanitatem. *Jericho* ſiquidem expoſitione D. Gregorii Papæ *Luna* interpretatur, po- [*Homil. 2. in Evang.*] teſtque adeo inconſtantem atque mutabilem mundi vanitatem convenienter deſignare. Porrò Joſue, qui hanc Jericho ibat extirpatum, Franeiſeus erat. *Fuit enim miles & vexillifer ipſius Chriſti*, inquit præclarus ſcriptor Ordinis S. Auguſtini, *& ideo præceſſit aciem* [*Henr. ab Vrimaria Serm. 3. de S. Franc.*] *expeditorum militum, Fratrum ſcilicet, ſuam vitam & regulam ſequentium, portans vexillum ſummi Regis, (nimirum ſtigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti in corpore ſuo) quo poteſtates aereæ fugantur, & Chriſti milites in actibus bellicis confirmantur.* Ut autem commilitones ſuos magis redderet expeditos, voluit eos abjicere omnem temporalium ſubſtantiam; cunctaque terrena per altiſſimæ votum Paupertatis in perpetuum Domino conſecrari, quaſi dicens: *Quidquid auri vel argenti fuerit &c. Domino conſecretur, repoſitum in theſauris* [*Leg. cap. 2. num. 4.*] *ejus.* Hoc ipſe in ſe fuit executus, quando paternis renuntians facultatibus, cunctiſque rejectis, dicebat: *Apud Patrem noſtrum, qui* [*Leg. cap. 7. num. 3.*] *eſt in cælis, omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocavi.* Nec alios ad ſuum admittebat ſodalitium, niſi expropriatos, & nihil penitus retinentes; unde & docebat ſacræ Religionis ingreſſum ab illo fore inchoandum Evangelico verbo: *Si vis perfectus eſſe,* [*Matth. 19. verſ. 21.*] *vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et quia interior terrenarum rerum concupiſcentia, non ſemper planè extinguitur per primas victorias in Novitiatu reportatas, nec per ipſum expropriationis votum; ſed repullulat aliquando fecundiùs, & periculoſiùs reviviſcit, cum æternæ damno ſalutis, ipſoſque ſenes & decrepitos vivaciùs aliquando inſana illa vexat tentatio; voluit iteratò timorem conſcientiis ſuorum injicere filiorum, refricando præſenti textu contractæ obligationis memoriam, dicens: *Fratres nihil ſibi approprient.* Ubi quaſi Iſraëlitici populi ductorem audimus pugnatores Dominici exercitûs commonentem: *Vos cavete, ne de his* bonis temporalibus, *quæ præcepta ſunt*, à vobis toto vitæ tempore relinqui, *quippiam contingatis*, animo quidquam juris in eis prætendendi, *& ſitis prævaricationis rei.*

Ne quem verò contingeret ob ignorantiæ tenebras in foveam cadere vitii Proprietatis, facem nobis prætulit *S. Bernardinus*, actus [*Tom. 3. ſub finem.*]

proponens & modos, quibus contra sanctitatem peccatur expropriationis. Graviores & rariores de pecuniarum, domorum & redditnum receptione, inferiùs propriis locis convellemus. Hic referimus ex ipso vulgatiores. 1. Aliquid *suum* dicere; non intelligendo *suum* esse usu simplicis facti, sed possessionis aut jurisdictionis. 2. Scienter & in fraudem Prælatorum, secum deferre clavem cellæ, quando exitur è Conventu, & putatur longior futura absentia. 3. Secretæ alicujus capsæ clavem abscondere, absque consensu Prælati. 4. Requisitum nolle concedere librum aliamve rem, quâ non utitur, nec sibi necessaria est; neque concessio illius sibi prohibita est auctoritate superiori. 5. Cùm ab inferiori Prælato aufertur aliquid, impatienter facere majori Prælato querimonias, illudque suâ sibi auctoritate repetere. Hoc agens, irrationabiliter adhærendo rei vilissimæ, non desinit in corde suo coram Deo proprietarius reputari. 6. Rem datam pro una causa, suo nomine atque auctoritate in aliam commutare. Quia tamen hoc aliquando ad Conventûs expedit utilitatem, & facilè præsumi potest de donantis ratihabitione, attendendæ erunt Declarationes & Constitutiones, quæ tradunt, quid & quantum in his liceat, & secundùm hoc agendum; nisi fortè concedens servatâ sibi rerum concessarum proprietate mentem suam absolutè declarasset immobilem. Ubi hoc ulteriùs notandum, quòd si restrictio illa benefactoris irrationabilis foret, puta usum præscribens nobis illicitum, vel usum contrahens ad fratrem particularem, independenter à licentia & dispositione Superiorum, tunc conditio illa turpis foret, & pro non adjecta haberetur. 7. Superfluas res, sive mobiles sive immobiles recipere, v. g. libros nimos, vel nimis curiosos &c. In Conventu Massiliensi decesserunt uno eodemque anno Custos & Lector Cœnobii, quorum uterque magnos habebat cumulos librorum. De his duobus, quidam pius frater ad D. Ludovici sepulchrum noctu orans, visionem habuit relatione condignam. Ducebantur ad judicium prædicti Custos & Lector, manibus post tergum ligatis, præcedentibus mulis duobus libris onustis. Interrogati cujus fuerint Instituti? responderunt, Francifcani. Deinde Christus Franciscó: Tui, inquit, fuerunt, tibi remittimus judicandos. At ille reverenter in se causâ susceptâ: quæsivit, quid sibi vellent tot libri? Nostro, inquiunt, inserviebant usui. Quibus ille secundò: Fecistis, quod hi docebant codices? Trementes responderunt: Non. Tulit Franciscus sententiam: Quia ad pompam & vanitatem aggregastis contra sanctam Paupertatem, nec quod Dominus, in cujus statis conspectu, præcepit aut hortatus est in his libris, fecistis, & degeneres vos probastis filios, vos vestrique liberi æternis deputantor carceribus. Quibus prolatis, magno hiatu aperta est terra, & deglutivit homines atque jumenta; dissolutoque judicio cælites evanuerunt.

Annal. Tom. 3. an. 1340. num. 14.

Octavò, Proprietatis usus est, disponere de rebus per laborem suum acquisitis, aut in suum datis favorem, vel expendi facere in usum aliorum, aut quomodocumque dare, sinè habita vel rationabiliter præsumpta licentia Superiorum. Cavenda quoque damnabilis liberalitas (aliquibus temerariis parum æstimata) erogandi titulo pietatis vel gratitudinis imaginea, aliave devotionalia munuscula excessivè pretiosa. Non sic venemur mundanam gratiam, ut amittamus divinam. Imò & ipsa sæcularium gratia fugit sæpè persequentes, dum & sibi scandalizantur per pretiosa & curiosa munera, quæ ipsorummet judicio sanctam excedunt Paupertatem. Satiùs dicemus benefactori: accipe *Exiguum munus quod dat tibi pauper amicus.* Certè homines isti affectum nostrum & præces respiciunt; non manum, quam sciunt rerum omnium esse indigentem. B. Gerardum Paoormitanum, ex infirmitate decumbentem, accessit Dominus Raynucius, Frederici Regis Siciliæ Magister, petiitque ut sibi relinqueret rosarium, vel aliquid suæ pauperia supellectilis, in sui memoriam. Cui perfectus Evangelicæ Paupertatis amator respondit, sibi nihil esse commune cum mundo, nudum ex utero matris egressum, nudumque in terræ uterum velle redire: neque in suum tosarium, neque in pauperem quam gerebat lacernam sibi quidquam juris inesse; agendum proinde cum Patre Guardiano, penes quem dumdaxat esset potestas etiam de his minutis disponendi. Annal. Tom. 3. an. 1348. num. 27.

Nonò, Manifesta proprietas est, res oblatas sive per testamentum, sive alio modo, sibi acquirere velle, vel defendere, aut exigere nomine suo & auctoritate. 10 Res aliquas apud sæculares deponere, sinè scitu Prælatorum; imò ut non sciant Prælati, & meliùs ibi ad ipsorum custodiantur voluntatem. 11. Vendere, aut aliam quemlibet civilem contractum facere, cum data & accepta obligatione. 12. Dum per obedientiam migrandum est ad alium Conventum, furtim deferre secum farcinas, & vasa plena supellectili, aut vestimentis, præter mentem Superiorum, aliisque quæ possunt alibi æquè bene reperiri. Quæ spolia non fiunt absque scandalo Ordinis, qui tales provisiones & proprietates detestatur: neque absque turbatione Fratrum, qui sunt loca ab istis defetta inhabitaturi, eaque necessariis invenient utensibilibus destituta.

Has Proprietatis foveas universi caveant Religiosi; maximè vero Franciscani. *Fratres nihil sibi approprient.* Nemo sibi blandiatur, qualicumque eminens titulo, & quantàcumque præfulgens scientiâ vel dignitate. Tametsi hæc à punitionibus sæpè possint eximere humanis, non tamen facultatem præbent divinas infringendi conventiones, & vota Domino nuncupata. Cogitet unusquisque in hoc negotio rem sibi cum Deo esse, apud quem non est acceptio personarum, *qui dicit Regi, Apostata: qui vocat Duces, impios.* Sacri fœderis infractores, quicumque illi sint, Dei inimici constituuntur. *Breve pallium Paupertatis*, inquit S. Anton. Paduanus *utrumque, id est proprietarium, & spiritu pauperculum, venens.* Job 34. vers. 18. Serm. Dom. 4. Ad

lum, operire non potest. Quæ enim conventio Christi ad Belial? Quæ conventio pauperculi & proprietarii, qui est quasi Belial inter filios Dei? Judas collega erat Apostolorum, & Christi Domini commensalis: sed quia officium gerens portandi loculos, & communes Aposto-
Joan. 12. vers. 6. lici collegii eleëmosynas, *fur erat* infamis, & proprietarius; nulla potuit esse conventio cum isto filio Belial & cum Filio Dei, ejusque pauperibus discipulis; verùm datus est Diabolo in prædam: *introivit in eum Satanas.* Et hoc instigante, in horrendam incidit aposta-
Matth. 27. vers. 5. siam. *& abiens laqueo se suspendit.* Similem ruinam concupiscentia in proprietariis omnibus operatur: *Propietas est*, inquit noster B.
In cap. 1. Marci. Angelus de Paz, *quæ religionem dissolvit, ole-astrum efficit Dei servum, Clodium in cœna, Demetrium Antigoni in cubilibus, in regimine Vespasianum. Dicamne? Judam & Simonem magum; qui non semel, sed infinities (ut ita dicam) cum sene, qui à novitiatu proprietatem amavit, gratiam Spiritûs Sancti & sacra emere tentat & vendere. Postea autem quid? Nihil fieri in æternum. Prô dolor! Veneras sequi Christum, ut in perpetuas fieres æternitates, & abis in exterminium, illecebris ejus qui dixit:* Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4. vers. 9. *Cadis enim à statu aureo, & auream statuam adoras, cum qua in favillam resolvitur miser, qui inter primores regni speraverat consedere.* Horrendum apparuit D. Petri judicium in Actor. 5. primos Ecclesiæ Christianæ proprietarios Ananiam & Saphiram, quos vitâ censuit indignos, quia præter communem Christianorum usum sibi viles mundi reservaverant quisquilias. Pro scelere Achan, qui contra Josue 7. Domini & Josuë præceptum, de spoliis Jericho pallium coccineum, ducentos argenti siclos, regulamque auream sibi appropriaverat, privatus est populus Israël ordinario Dei auxilio, & ipse Achan à Josuë contignam tulit sacrilegæ Proprietatis sententiam: *Quia turbasti nos,* vers. 25. *exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel: & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.* Hoc itaque barathrum fugiamus.

TEXTUS & §. II.

Nec domum.

SUMMARIUM.

Franciscus comparatus Jonadab filio Rechab. Sapienter providit, ne domorum nostrorum habeamus proprietatem. Abusus eorum, qui sibi cellas & conventus per pravum affectum appropriant: & unde talis affectus proveniat? Humilitas ædificiorum, conducit ad humilitatem inhabitantium. Quantùm Franciscus & alii Sancti detestati sint superflua & curiosa ædificia. Horrenda Dei judicia in curiosos ædificatores. Diluitur aliquorum excusatio.

JOnadab filius Rechab præcepit filiis suis, dicens: *Domum non ædificabitis, & sementem*
Jerem. 37. vers. 7. *non seretis, & vineas non plantabitis nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* Jonadab, qui interpretatur *Spontaneus* vel *Vovens*, seraphicum signat Franciscum, pro eo quòd spontaneâ oblatione semetipsum Domino in sacram perpetuò devovit servitutem. Hic filiis suis ingerebat Evangelicum illud: *Vulpes foveas*
Leg. cap. 7. num. 2. Matth. 8. vers. 20. *habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Propter quod docebat eos, ut pauperum more pauperculas casas erigerent, quas non inhabitarent ut proprias; sed sicut peregrini & advenæ alienas. Et præsenti Textu Regulæ, cavet strictissimè, ut *Fratres nec domum sibi appropriant.* Atque in Testamento, extremam suam
Testam. & immobilem declarans voluntatem: *Caveant sibi Fratres*, inquit, *ut Ecclesias & habitacula, & omnia alia quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes tamquam advenæ & peregrini.* Ecce Jonadab noster, præcipiens Filiis suis: *Domum non ædificabitis.....sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.....super faciem terræ, in qua vos peregrinamini:* Voluit ut pauperum more peregrinorum, non proprias haberemus ædes; verùm sub tecto colligeremur alieno. Hinc Præsul Sedis Apostolicæ, qui est C. Exiit. generalis omnium Ecclesiæ pauperum provi- De verb. sor, specialiter nostri Ordinis curam habens, Signif. in 6. sibi proprietatem assumpsit domorum, quæ pro Bonav. q. nostra construuntur inhabitatione (exceptis 16. in Reg. iis quarum dominium sibi conferentes retinuerunt) & nobis solùm usum concedit earumdem, ut semper alieno tecto absq; proprietatis jure ex ipsius utamur concessione. Sicut familia patrisfamilias, quæ domo rebusque aliis domini sui, tam in absentia quàm in ejus præsentia corporali, secundùm ipsius utitur dispositionem.

Neque ſolùm pauperum Patriarcha filios ſuos hanc omnimodam expropriationem verbo docuit, verùm & exemplo. Piſan. conform. fruc. 28. Ædiculam Portiunculæ, ſive Sacellum Sanctæ Mariæ de Angelis, & fundum adjacentem prece impetraverat ab Abbate S. Benedicti ad montem Subaſum. Erat autem omnium ædicularum, quas habebat Abbas, minima. Quamobrem ſanctus Vir, paupertatis Evangelicæ perfectus amator, lætabatur Portiunculâ terrenâ exiguâ contentus, ut cum Propheta dicere poſſet: *Portio mea in terra viventium.* Pſal. 141. verſ. 6. Portiunculam pro ſe & ſuis de mundo elegit; niſi enim de mundo aliquid haberet, Chriſto ſervire non poſſet. Quamvis autem Abbas ille devotus, locum hunc S. Franciſco ceſſerit; ſolum tamen uſum ejus accepit Vir Beatus, non poſſeſſionem. Atque ejus rei ergò, Abbati pendebat in ſingulos annos caniſtrum piſciculis plenum: nullius rei, ne dicam domûs aut fundi proprietatem & dominium, ſibi ſuiſque umquam ſe permiſſurum hoc exemplo ſignificans. Hoc inſigniter æmulati ſunt dilecti filii ipſius Diſcalceati Provinciæ S. Joannis Baptiſtæ in Hiſpania, qui ſemel in anno deferebant Chron. p. 4. lib. 8. cap. 61. claves Conventûs ad Conſules & Magiſtratum loci, ſub quo habitabant, gratias agêres, quòd ipſis eo anno Conventum permiſiſſent inhabitare, & ſupplicantes humiliter, ut pro Dei amore ipſum ad uſum concederent ulteriorem; aliàs ita diſpoſiti, quòd ſi Conventus datus fuiſſet in perpetuum, potiùs eum planè deſeruiſſent.

Hæc quidem ſanctè & religiosè, quantùm ad immunitatem à proprietate, & jure externo in communi. Sed particularium Fratrum mentes non mediocris quandoque turbare poſſet tentatio, qui tametſi in conventus aut cellas ſingulares jus nullum audeant prætendere, tamen dejiciuntur triſtitiâ, & querulantur, ſi migrare oporteat, ac ſi è domo propria pellerentur. Quæ quidem tentatio eouſque creſcere poſſet, ut vilem animum cujuſpiam impelleret ad procurandum etiam per amicos & commendatitias apud Prælatos, ne inde amandetur. Si radicem hujus (qui procul abſit) inquiramus affectûs; vel erit ſingularis cum quibuſdam ſæcularibus amicitia, à quibus carnalia percipiuntur ſolaria, quæ alibi timentur non obtinenda: vel quia ob diutinas ibi habitas conciones, aut adminiſtrata officia, ibi in ampliori habentur honore & æſtimatione: vel quia loci amœnitate, magnificentiâ aliquâ exteriori, aliiſque puerilibus reſpectibus detinentur. Rumpenda ſunt vincula iſta, ut à terrenis affectibus expediti, faciliùs cæleſtia capiamus. Non eſt idoneus ſectator Chriſti, qui habet quidquam in mundo, quo ſemetipſum oblectet, aut in quo conquieſcat. Fingant iſti ſe dumorum proprietarios non eſſe, nec ſua eſſe illa habitacula; ſi tamen illis animo alligati ſunt, ac ſi verè ſua ſint: in quo vertitur ſpiritualis profectûs perfectioniſque deſtructio. Non ſubſtantia mundialium rerum; ſed concupiſcentia nocet: venit autem in hunc mundum Redemptor noſter, ut nos doceret iſtud Jerem. 14. verſ. 8. vitare documentum. *Quare* enim, O bone Jeſu, *quaſi colonus futurus eras in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* Quare in beſtiarum naſcebaris ſtabulo, eoque alieno? Provectior factus non habebas, ubi caput reclinares? Defunctus, non in proprio, ſed in alieno tumulabaris ſepulchro? nihil horum feciſti propter te Domine; ſed omnia propter electos. Utique ut dictis & factis nos inſtrueres, quia *non habemus hic* propriam & *manentem civitatem; ſed futuram inquirimus.* Hebr. 13. verſ. 14. Quam donec invenirent ſancti Dei amici, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti; in ſolitudinibus errantes,* Hebr. 11. verſ. 37. *in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Horum imitatione diſcamus affectum noſtrum non in certis terræ figere manſionibus, *ut inter* Orat. Eccleſ. *mundanas varietates ibi* ſolùm *noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.*

Vult etiam ſanctus Inſtitutor, ut habitacula, quæ ad uſum recepturi ſumus, ſint *ſicut decet ſanctam Paupertatem, &c.* Quid putabimus cauſæ fuiſſe, cur magni amici Dei, parva elegerint & humilia tuguria, caſaſque pauperculas? num ſancti eſſe non poterant in magnis, pictis & laqueatis domibus, caſtriſque ſpatioſis? Poterant certè. Sed è pauperculis tuguriis quoddam ſpiritûs adjutorium experiebantur, minimè contemnendum. Sentimus omnes, affici nos interiùs, prout externa ſe habent objecta, & à circumſtantiis locorum, ſocietatum, dictorum, factorumque præſentium, & caſuum occurrentium, proſperitatis & adverſitatis. His enim movetur animus ad gaudium vel triſtitiam, amorem vel odium, arrogantiam vel humiliationem, aut alium quemlibet affectum. Famulitia, reverentiæ, veſtes pretioſæ, habitatio magnifica, faſtum aliquem animo imprimunt, etiam non cogitanti. Sic ex oppoſito, paupertas, ſolitudo & vilitas externa, mirabiliter deprimit animum; & ad humilitatem commovet, luctum atque serioſitatem. Cùm autem hæc ſint pars vocationis noſtræ, cur non adhibeamus ea, quæ ad ſanctos hos motus provocant, & quibus uſi ſunt Franciſci ſequaces omnes quærentes Deum in veritate? B. Petrus de Alcantara tam anguſtam habebat cellulam, ut in ea nec ſe in pedes erigere, nec in longum extendere poſſet. B. Coleta, illuſtris paupertatis noſtræ reſtauratrix, cellulas ità arctas in Annal. Tom. 5. an 1406. num. 87. conventibus, quos ad fundandum vel reformandum accedebat, ſibi conſtrui faciebat, ut carceres potiùs vel ſepulchra quàm cellæ viderentur, cùm ſe vix poſſet intra illas erigere, aut aliò vertere: quemadmodum in multis videre licet cœnobiis, maximè Viviacenſi, ubi cellam habuit ſex pedes longam, quatuor latam. Quando cogebatur exire ad viſitanda monaſteria, aut alias ob cauſas, poſtquam ad hoſpitia perveniebat, in anguſtum ſe recipiebat angulum, pannis appenſis concluſum: nec inde prodibat, donec eſſet recedendum. Anguſtiis ſimilibus & exiguitate contenti fuere atque delectati, qui toto animo ad domum aſpexerunt & aſpirarunt non manufactam in cælis, mentis greſſibus in civitatis ſupernæ latiſſimis plateis obambulantes.

Abſit, ut Fratres Minores, altiſſimam profeſſi pauper-

paupertatem, gloriam suam ponant in splendidis curiosisque fabricis erigendis. Titillare posset aliquos, vana industriæ suæ in fabricando complacentia: vel inanis aliorum Ordinum æmulatio, quos æquare contendant in magnificentia, vel superare: aut eodem fortè ducerentur motivo quo vani ædificatores
Gen. 11. turris Babel qui manum operi admoverunt, ut celebrarent nomen suum, antequam dividerentur in universas terras. Hoc sibi Dominus ostendit displicere, linguarum confusione, ad consilium illud opusque vanissimum dissipandum. Simili paupertatis zelo Franciscus mandabat dirui aliquando domos erectas, aut Fratres exinde amoveri, si
Leg. cap. 7. num. 2. aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Evangelicæ paupertati. Acerrimâ quoque sententiâ percellebat hujus obligationis transgressores. In Provincia Tusciæ Guardianus
Annal. Tom. 1. an. 1243. num. 13. quidam bonæ alioquin conversationis, sibique austerus, Diaboli astutiâ in tantùm seductus est, ut cogitaret paupertatis angustias aliquantolum extendere, commodo plurium adolescentum nobilium, de sæculo ad Religionem confugientium. Destructâ igitur priori humili fabricâ, aliam denuò ædificavit, porticus in aulas protendit, & aliquam mundanæ vanitatis magnificentiam specie necessitatis intulit; non amplitudini modò studens, sed etiam curiositati. In somnis ipsi apparens S. Franciscus, vultu severo, ad minas & ultionem inclinante, eum vocavit, mandavitque ut protinùs sequeretur. Pergit ad ruinas destructi conventûs. Monitus à Guardiano, ibi ampliùs Fratres non habitare, invitatur ad novum. Respondit subiratus Franciscus, se non agnoscere novum pro sui Ordinis conventu. pergit ad locum refectorii, ibique vocatis fratribus, velut ad castigandas culpas, prout moris est, sedit. Qui carnis aut inobedientiæ infirmitatibus subjacebant, mitiùs & in compassionis visceribus curabantur; eos verò, qui in paupertatem impingebant, rigorosissimè ulciscebatur. Admiratus Guardianus illi assistens, interrogavit, cur ea peccata quæ graviora videbantur parciùs; contra Paupertatem commissa atrociter vindicabat? Respondit: *Frater, Ordo meus rigidè & severè punit impudicos & carnales; Prælati autem id etiam cura habent, ut subditi promptè sibi obediant. In his ergo mea opera supervacanea est. Verùm sanctissima paupertas, majoribus & minoribus nunc est obnoxia. Hic ergo manum apponere mihi necessum est. Tu proinde*, conversus ad Fratrem, *maledicte, qui hospitium status & simplicitati nostræ congruum destruxisti, & mundo studere volens, palatium ædificare tentasti, judicium Dei & meum nequaquam effugies.* Dum Pisis construeretur claustrum, sumptuosiore opere, quàm quod pauperes deceret, B. Barthol. Pisanus domum implebat querelis, & vociferans dicebat: *Heu sancta paupertas, ita*
Annal. Tom. 4. an. 1399. num. 8. *nos dereliquisti! Quò recessisti à nobis, ut te persequar? Structura ista à tuis regulis longè recedit. Qui prævaricantur abs te, in suam moliuntur perniciem.* Hæc toties repetiit, tantùmque egit apud Superiores, ut oportuerit opus intermitti. F. Christoph. Varisius tanto in his scrupulo tenebatur, ut ex quatuor malis, à quibus Ordinis ruinam verebatur, unum hoc esse assereret: *Paupertatis contemptum, & curiosas structuras; dum refectoria Ecclesiis, & cœnobia palatiis possunt comparari.* Annal. Tom. 7. an. 1491. num. 5.

Videri fortè cuipiam posset in templorum amplitudine, curiositate & ornatu nullum subesse periculum nec ullum posse fieri excessum, cùm hæc ad majorem Dei (cui debentur omnia) reverentiam ordinentur. Audiamus igitur super hoc negotio vocem Patris nostri: *Ecclesias etiam*, inquit, *strictiores ædificare debent. Nec enim sermonum ergo, aut alia quâcumque occasione, Ecclesias aut templa spaciosa, aut magnæ capacitatis, vel molis ædificare debent. Majorem enim humilitatem, & melius exemplum populo præbebunt, dum in aliis Ecclesiis prædicaverint. Et si aliquando Prælati vel clerici & sæculares ad loca ipsorum venerint, domus pauperculæ & cellæ angustæ eis prædicabunt, & animas adventantium magis quàm verba composita ædificabunt.* Opusc. t. 3. Colloq. 16. Graviter etiam corripiens D. Bernardus profanos templorum structores, cùm retulisset, cur Episcopos & Pastores deceat externum domûs Dei decorem procurare, subjungit, quid pauperes deceat Religiosos: *Nos qui jam de populo exivimus, qui mundo quæque pretiosa pro Christo reliquimus; qui omnia pulchrè lucentia, canorè mulcentia, cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati sumus ut stercora; quorum quæso in his devotionem excitare intendimus? quem ex his fructum requiremus? Stultorum admirationem, an simplicium oblectationem?* In Apolog. ad Guil. Abbatem. In omnibus igitur, quæ ad nos quoquo modo pertinent, humilitas reluceat & simplicitas paupertatis. Non ædificemus permanentia scandala, nec congeramus lapides offensionis, de quibus dicatur: Hæccine est structura pauperum Evangelicorum? Maximè verò cavendum, ne communes eleëmosynæ, sic in superfluas insumantur curiositates, ut non satisfiat personalibus Fratrum necessitatibus. Abusum illum suo tempore deplorans Bernardus exclamabat: *O vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior! Fulget Ecclesia in* Loco citato. *parietibus, & in pauperibus eget: suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit: de sumptibus egenorum servitur oculis divitum; inveniunt curiosi quo delectentur, & non inveniunt miseri quo sustententur.*

Legitimi pauperis Francisci filii qui non erigunt monumenta vanitatis, sed puræ necessitatis habitacula, pro ea ad sanctum Patrem obedientia, multiplici per ipsum cumulabuntur benedictione; quemadmodum Jeremias Dei vice domui promisit Rechabitarum: *Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris ve-* Jerem. 35. vers. 18. *stri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: non deficiet Vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

TEX-

TEXTVS & s. III.

Nec locum.

SVMMARIVM.

Franciscus nil voluit de immobilibus mundi bonis in proprietatem habere, sed ad solum usum: ad quod illustris figura Scripturæ applicatur. Ab Ordine suo, cujuscumque rei temporalis dominium penitùs abdicavit. Illi omnimodæ expropriationi, contradictum. 1. A quibusdam Cardinalibus. 2. Ab Episcopo Assisiensi. 3. A Fratre Elia & Ministris quibusdam Provincialibus. Sed contra omnes Viri sancti propositum fuit divinis oraculis comprobatum. Idem Paupertatis sanctæ institutum, à D. Bonaventura defensum contra calumniatores.

POpulus Israël, veniens ex Ægypto, longo deserti itinere, & jam non longè constitutus à terra Promissionis, desiderans in eam ingredi, misit Nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens, *Obsecro te, ut transire mihi liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros & in vineas, non bibemus aquas ex puteis. Viâ regiâ gradiemur, donec transeamus terminos tuos.* (Numer. 21. vers. 22.) Præseos sæculum nequam, & mundi rectores, principes tenebrarum, sub nomine regni Amorrhæorum, & regis Sehon rectè intelliguntur figurari. Amorrhæus, *amarus* interpretatur, & *rebellis*: Sehon *eradicatio*. Porrò quis eradicavit plantationem paradisi, primos nostros parentes Adamum & Evam, atque ex horto ejecit voluptatis, nisi Satan, serpens infernalis? Ipse etiam, usque hodie, omnem bonam plantationem Patris cælestis nititur eradicare. Mundum *amarum* esse & amaricantem, ipsius dilectores, tunc, cum è vita migrandum est, experiuntur. Est etiam *rebellis* contra Dominum, sicut scriptum est: *Nescitis, quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* (Jacob. 4. vers. 4.) Per hoc tamen regnum Amorrhæorum, per hunc mundum rebellem, transeundum nobis est, priusquam ad cælestem promissionis terram pervenire valeamus. Quid autem postulat ab Amorrhæo isto, electus Dei populus, sub Seraphico Ductore Francisco ad terram contendens promissionis? *Obsecro te, ut transire mihi liceat per terram tuam.* Transitum petit ac transmigrationem; non quietem & commorationem. *Non declinabimus in agros & in vineas.* Minimè desideramus sive in particulari, sive pro totius seraphicæ Congregationis communitate proprietatem & possessionem agrorum & vinearum, redditaum, villarum, vivariorum, decimarum, similiumque immobilium mundi præsidiorum. *Non bibemus aquas ex puteis.* Aquas, inquam, carnalium delectationum ex puteis concupiscentiæ. *Nunc enim quid tibi vis*, Francisci & Franciscane, *in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* (Jerem. 2. vers. 18.) Bonum est magis nos sitire nunc & esurire justitiam, & haurire aquas gratiarum in gaudio de fontibus Salvatoris, donec Deus ipse fiat in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam. *Viâ regiâ gradiemur.* Viâ paupertatis, quâ Christus Dominus ambulavit, *qui habet in vestimento & in femore suo scriptum. Rex Regum & Dominus dominantium.* (Apoc. 19. vers. 16.) Franciscus Christi Jesu paupertatem & Matris, frequenter cum lachrymis revocabit ad mentem: (Leg. cap. 7. num. 2.) inde, hanc virtutum asserens esse reginam, quia in Rege regum & in Regina Matre ipsius tam præstanter effulsit. Hæc igitur est *via regia*, Franciscus & exercitus ejus dicunt mundo: Hâc gradiemur, *donec transeamus per terminos tuos.* Mundialis vitæ termini sunt, nativitas & mors. Hi duo termini, nudam nobis exhibent paupertatem: *Nihil enim intulimus in mundum: haud dubium quòd nec auferre quidquam possumus:* (1. Tim. 6. vers. 7.) sed sicut nudi egressi sumus ex utero matris, & nudi illuc revertemur. Horum terminorum paupertatem considerans Franciscus, voluit transitum vitæ inter eos intermedium, illis in altissimâ penuriâ per omnia conformari. Propter quod & in principio conversionis suæ, nudus remansit coram Antistite: & in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire. (Leg. c. 14. n. 3. & 4.) Siquidem in hora illa extrema, quâ erat redditurus spiritum vitæ, ut veritatis exemplo monstraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam gravi, quæ omnem languorem conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritûs fervore prostravit, Christum suum magnificans, pro eo quòd exoneratus ab omnibus liber vadit ad ipsum. Pauperculum quoque modum transeundi per mundi vitæque terminos sodalibus suis præscripsit, dicens: *Fratres,*

nec

nec locum sibi approprient. Quasi volens pro se, & juncto sibi Minoritico populo, mundi regno denuntiare; Tantùm *transire mihi liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros & vinea,* possidendo illa vel concupiscendo. *Viâ regia* paupertatis Christi *gradiemur; donec* felici hujus vitæ cum cœlesti commutatione *transeamus terminos tuos.* Orantes quotidiè Patrem misericordiarum & Deum totius Orat. Eccl. consolationis, ut ipso *rectore ac duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.*

Magnum fuit hoc Francisci attentatum, renuntiantis possessionem & proprietatem, non modò domûs, verùm & omnis loci totius mundi, ex quo temporalem aliquam colligere posset provisionem. Ab aliquibus etiam minùs discretum, & à simplicitatis excessu prodiisse reputabatur. Dei tamen adjutorio consilium Viri Dei stabilitum est. Cùm humiliter & instanter peteret ab Innocentio Leg. cap. 3. n. 7. & 8. III. istam sibi vivendi formulam approbari, distulit Pontifex perficere, quod Christi postulabat pauperculus, pro eo quòd aliquibus de Cardinalibus novum aliquid & supra vires humanas arduum videretur. Aderat autem inter Cardinales Vir venerandus D. Joannes à sancto Paulo, Episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, & adjutor pauperum Christi, qui divino spiritu inflammatus, summo Pontifici dixit & Fratribus suis: *Si petitionem pauperis hujus, tamquam nimis arduam, novamque refellimus, cùm petat confirmari sibi formam Evangelicæ vitæ, cavendum est nobis, ne in Christi Evangelium offendamus. Nam si quis intrà Evangelicæ perfectionis observantiam & votum ipsius, dicat contineri aliquid novum aut irrationabile, vel impossibile ad servandum, contra Christum Evangelii auctorem blasphemare convincitur.* Quibus propositis, successor Apostoli Petri conversus ad pauperem Christi, dixit: Ora, Fili, ad Christum ut suam nobis per te voluntatem ostendat, quâ certiùs cognitâ, tuis piis desideriis securiùs annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus totum se conferens ad orandum, precibus devotis obtinuit, & quod exteriùs ipse proferret, & quid interiùs Papa sentiret. Nam Parabola insignis. cùm parabolam de divite Rege, cum muliere formosa & paupere contrahente gratanter, & de prole suscepta præferente generantis Regis imaginem; ac per hoc educandà de mensa ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset, ex illius interpretatione subjunxit: *Non est formidandum, quòd fame pereant æterni Regis filii & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritûs Sancti virtutem de paupere matre nati, & ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis,* Matth. 19. vers. 28. *regnum promittit æternum: quantò magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis & malis?* Hanc ergo parabolam & intellectum ipsius, Christi Vicarius cùm diligenter audisset, miratus est valde, & indubitanter Christum locutum in homine recognovit. Inde præcipuâ devotione repletus, petitioni ejus se per omnia inclinavit, postulata concessit, & Regulam approbavit, ac Christi famulum deinceps speciali semper amore dilexit.

Dum aliquando Vir Sanctus hilariter retulisset optimo Viro Guidoni civitatis Assisiensis Episcopo, quæ in mendicitatis præludiis novi perpessi sint tyrones, amicus dixit Antistes: *Durum & molestum mihi videtur, Frater Francisce, tuum istud vitæ genus absque omni prorsus terrena possessione.* Cui Franciscus respondit: *Imò molestum & asperum mihi videtur possessiones admittere, pro quibus defendendis & conservandis multâ sollicitudine & curâ opus esset; sed & ad sedandas dissensiones & lites, quæ ex eis oriuntur, arma oporteret in promptu habere; per quæ dum itur in pugnam, soli & Dei & proximi amor extinguit. Securius ergo & tolerabilius judico, vitam pauperem agere, quàm possessionibus locupletari.* Placuit satis Episcopo, sancti & cordati Viri responsio, & se, quod antea sæpiùs præstiterat, firmiter promisit ei in omnibus adfuturum. Annal. Tom. 1. an 1209. num. 23.

Illud ipsum porrò, quod ibi dicebat S. Pater, per carentiam possessionum evitari dissensiones, lites, & pugnas contra invasores, per quæ Dei proximique extinguitur charitas; probè etiam intellexit B. Ægidius. Contigit, ut duo ex Religiosis nostris, propter susceptam Pontificis defensionem, à Frederico Imperatore in exilium acti, Perusium venirent, conquererenturque apud Ægidium se à terra sua per inhumanem impiumque Fredericum ejectos. Loquelæ formulam taxavit Vir Sanctus, dicens, eos injustè de Frederico queri, neque enim à sua terra Minores potuit ejicere, qui terram nullam suam habent in terra; *Veri*, inquit, *Fratres Minores extra sæculum facti, ubi vivant in sæculo, non curant, neque locum ullum suum possunt appellare. Ubique Fratri Minori patria est, qui propriam nullam habet in mundo. Peccastis itaque Fratres in magnum peccatorem Fredericum mentiendo; plus enim vobis contulit, quam abstulit: meriti causam addidit, patriam non subtraxit.* Annal. Tom. 2. an. 1238. num. 1.

In majorem agoniam compulit Franciscum Fratris Heliæ Vicarii Generalis, & quorumdam Ministrorum Provincialium contra hunc vivendi modum resistentia. Degente Viro Dei in montis solitudine ad Regulam Minoriticam ex divino dictamine conscribendam, F. Helias suo & aliorum nomine eum adiens dixit: Audierunt Ministri novam sibi efformari Regulam, humanis viribus superiorem, induxeruntque me huc, ut pro Vicarii ratione, de temperando agerem Instituto, neque enim duriori se volunt adstringere. Turbatus spiritu Franciscus infremuit, vultumque oculosque ad cœlum convertens, vehementi affectu dixit: *Domine, nonné prædixi hos mihi non credituros? Ut quid in vanum me laborare coëgisti? Ego Institutum hoc cum pauperculis meis sociis ad mortem usque servabo; nolentes hos & durè resistentes, compellere nequibo.* Dictu mirum: statim in nube lucida apparuit super hominem Christus Dominus, qui, audientibus cunctis, dixit ei: *Homuncio quid turbaris: quasi tuum hoc opus esset? Tune legislator? Tune hujus vitæ præceptor? Nonné omnia Regulæ præcepta à me præscripta? Nonné* Annal. Tom. 2. an. 1221. num. 10.

*ha tabulæ à me formatæ? Tu dumtaxat tenue hu-
jus operis instrumentum & calamus scribentis.
Novi ego quid dictaverim, novi quid velim præ-
cipere. Vires humanæ mihi comperta: Scio quid
possint, & quantum valeo & volo præstare sub-
sidium. Volo proinde ut hæc Regula observetur
ad litteram, ad litteram, ad litteram: sinè
glossa, sinè glossa, sinà glossa. Si ergo nolunt
isti observare, deturbatis tamquam discolis &
rebellibus ax hac Sodalitate, illorum loca alios
substituam: & si opus fuerit, noviter nasci &
artri faciam, atque de lapidibus istis sinceros
hujus Instituti sectatores suscitabo.* Ad hæc ver-
ba, trementes & confusi atque contriti
obmutuerunt, cecideruntque in facies suas,
& timuerunt valde. Tunc benignus Pater de
scissura petræ descendens in areolam, accedens
ad filios, pièque confortans, singulos appre-
hendit, dicens: *Surgite & nolite timere; sed
velut milites Christi accipite armaturam Dei, &
induimini arma lucis, ut possitis in die malo re-
sistere dæmonis insidiis, quas absque dubio vobis
sternet in hac via quà ambulatis.* Conditâ porrò
& absolutâ Regula, volut alter Moyses, por-
rans tabulas legis descendit de monte, facie
ignitâ & corruscanti, ut iis, qui aderant in
vicino tuguriolo ostenderet acceptam à Chri-
sto vitæ normam, eamque transmitteret per
præcipuas Ordinis Provincias, ut unusquis-
que quid sibi videretur exponeret. Præsen-
tibus id visum, ut juxta cæterarum Religio-
num consuetudinem, saltem quidquam in
communi eis liceter habere; brevi enim tem-
pore adeo crevisse allegabant Sodalitium, ut
verosimile sit ante plures annos tot consoda-
les futuros, ut intra strictæ paupertatis metas
non possint contineri. Ille ad locum unde ve-
nit reversus; cum vero legislatore & magi-
stro iniit consilium, à quo ita responsum:
*Ego pars & hæreditas eorum era, nolo ut immisce-
antur terrenis curandis. Omnibus hujus vita virorum
ago me constituo œconomum: nec permittam ut
quidquam ex necessariis vita elementis eis defici-
at, dum illi curaverint hanc Regulam observare.
Quo major eorum numerus, eo major videbitur
mea providentia. Dum in me jactaverint cogita-
tum suum, eutriam eas, neque in æternum daba
fluctuationem justis.* Cunctis per ordinem rela-
tis acquierunt Ministri divinæ voluntati & sa-
lutaribus Francisci consiliis.

Neque minùs contra hoc sanctæ pauper-
tatis institutum, exortæ sunt foris pugnæ,
quàm intus timores. Desiderius Longobar-
dus, Guilielmus de Sancto Amore, Gi-
raldus de Abbatis Villa, omne virus su-
um collegerunt, ut Religionem nostram, ex-
propriatam totaliter in communi, convel-
lerent & condemnarent. Opposuit se ipsis
murum pro domo Dei Seraphicus Bonaven-
tura, qui impietates eorum egregiè confu-
dit, abrenuntiationemque possessionum tam
in communi quàm in particulari ita firmiter
Dei verbo, veterumque Doctorum sensu
& rationibus confirmavit, nemo ut pos-
sit solidiùs, prout videre est in Opusculo
de Paupertate Christi contra M. Guiliel-
mum art. 1. & in *Apologia Pauperum* Respons.
3. & 4. præsertim cap. 2. In cujus Capituli
calce, ad Sanctam conversus Ecclesiam Ro-
manam, quæ hujus vitæ & paupertatis formam
iteratis vicibus approbavit & confirmavit,
eam pie invocat, ut judicet causam, non
tam nostram, quam suam, & procul exturbet
calumnias malignorum. Elevans deinde ocu-
los ad sacratissimam cœli Reginam, quæ no-
bis cum Filio suo benedicto exemplum præ-
buit paupertatis, supplicat ut filios suos, qui de-
siderio, professione, signaculo habitûs,
& observantiæ, ipsi satagunt conformari
per omnium temporalium abdicationem,
à venenatis protegat atque defendat decep-
tionibus; ne scilicet hæresis illa venenata in
mentes irrepat simplicium, in perniciem ani-
marum.

Succedentibus etiam temporibus, inimi-
co homine superseminante zizania in medio
tritici, timor pusillanimitatis & temporalium
sollicitudo sic Ordinem invasit, ut circa an-
num Domini 1300. plurimi Conventus an-
nuos haberent proventus. Irrepserant sub spe-
cie obituum & anniversariorum pro defunctis,
& per subreptiones privilegiorum seu dispen-
sationum, & sub titulo necessitatis urgentis,
ita ut transgressionis illius conscientia in mul-
tis planè videretur extincta, atque in totalem
devenisse oblivionem & ignorantiam hoc pau-
pertatis firmamentum. Pii plerique Genera-
les Ministri decretis, exemplis, hortationi-
bus, pœnis, variis conatibus laborarunt ad resti-
tuendam hujus sancti præcepti cognitionem &
reverentiam: sed malum ita obstinatè inhæ-
rebat, ut necessaria fuerit Sanctæ Dei Ecclesiæ
providentia. Hæc enim pia Mater, videns ar- *Vid. Rudulph. l. 2. Hist. Seraph. pag. 151.*
ticulum hunc imperfectis istis cedere in laque-
um, permisit ut imposterum liceret hanc Re-
gulam profiteri exclusâ hâc obligatione, &
aliis aliquot præceptis (juxta sensum huma-
num) difficilibus. Quam resolutionem fir-
mavit S. Concil. Trid. concedens *omnibus* *ss. 25. c. 3. De Regular.*
*monasteriis & domibus tam virorum quàm mu-
lierum, etiam Mendicantium, exceptis domibus
Fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum,
qui Minorum de observantia vocantur, ut dein-
ceps bona immobilia eis possidere liceat.* Ubi Pa-
tres Conventuales cum cæteris Ordinibus pos-
sidentibus complectitur.

Nos igitur, Observantes & Capucini, il-
lustrior portio Franciscani gregis, curemus
sollicitè, ut perseveret apud nos incorrupta
paupertatis hæreditas. Elegimus excipi à ge-
nerali ista Ecclesiæ licentia, & sub antiquo
manere vinculo totalis expropriationis, etiam
in communi. Fideles simus in facto, sicut in
sancto fuimus proposito. Caveamus, ne cujus-
cumque specie discretionis, permittamus nos
abduci ad acceptandos reditus, fundationes
perpetuas, villas, hortos superfluos exteris elo-
candos, aliaque illicita subsidia, quæ gloriosè
repudiavimus. Sapientissimè aliquando pro-
nuntiavit Martinus Navarrus: se malle Con- *Apud Rodrig. qq. Regul. tom. 3. q. 3. a. 4.*
ventualē esse, servando Regulam Sancti Fran-
cisci relaxatam auctoritate Apostolicâ, quàm
Fratrem de Observantia non servando illam in-
tegram, quam tamen integram vovit. Surgent
in judicio Fratres nostri Conventuales contra
nos, improperantes quòd cum Ordinis contur-
batione

batione ſeperaverimus nos abſis; ſi pejùs quàm ipſi fuerimus operati. Ingerent nobis illud, quod olim Alvarus Pelagius quibuſdam Regulæ relaxatoribus: *Vos pauperes ſinè defectu, ſimplices cum multa malitia, pauperes delicati, pauperes mathematici, in apparentia, non in exiſtentia, pauperes ſpiritu, id eſt, ſinè ſpiritu paupertatis: quorum promptuaria, theca, libri, tunica, loculi, & ſupellectilia cruſtantia, ex hoc in illud, dabunt ſufficiens teſtimonium, quales ſitis.*

De Planctu Eccl. l. 2. c. 64.

TEXTUS & §. IV.

Nec aliquam rem.

SUMMARIUM.

Franciſcus & Franciſcani comparati Gedeoni ejuſque commilitonibus. Tamquàm mortui mundo nullam ſibi rem approprient. Eliditur excuſatio eorum, qui ſecus faciunt prætextu corporalium infirmitatum. Item eorum, qui retinent quædam devotionis inſtrumenta, prætextu fovendæ pietatis. Eorum denique, qui æſtimant nullius eſſe periculi res modicas cum affectu aſſervare. Horribilis punitio cujuſdam proprietarii.

MAndavit Dominus Gedeoni, populum qui cum eo progreſſurus erat ad bellum contra Madian, probari ad aquas. Cùmque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: *Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerant aquas trecenti Viri: omnis autem reliqua multitudo, flexo poplite biberat.* Et ait Dominus ad Gedeon: *in trecentis Viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian*; reliqua multitudo dimittatur in locum ſuum. *Madian* qui interpretatur *Litigans*, ſignare poteſt affectum Avaritiæ, & Concupiſcentiam terreoorum. Siquidem *Meum* & *Tuum*, frigidum illud verbum, lirigia, & bella, & quidquid eſt malorum in vitam noſtram invehit. *Unde*, inquit Jacobus, *bella & lites in vobis? Nonnè hinc? ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris?* Contra hunc Madian, *Gedeon* deſtinatur, qui latinè *Conterens* dicitur. Ut per hunc intelligere poſſimus Seraphicum Franciſcum, facit S. Dei Eccleſia, dum de ipſo in divino canit officio.

Judic. 7. verſ. 5.

Jac. 4. verſ. 1.

Carnem mundumque conterens,
Hoſtes malignos proterens,
Auream victor meruit, &c.

In Offic. propr. Or. Minorum Hymno ad Laud.

Hic Gedeon, ad bellum progreſſurus contra Madian, & Avaritiam debellaturus, tales ſeligit commilitones qui *manu ad os projiciente*, pro neceſſitatibus corporis lambant aquas terrenorum ſubſidiorum, *utentes hoc mundo quaſi non utantur.* Quinam porrò ſunt qui curvatis bibunt genibus? Qui operam dant Avaritiæ idolorum ſervituti, qui poplitem flectunt idolo pecuniarum, qui cor apponunt divitiis, & ventre gradiuntur ſuper terram, & quaſi fruentes ntendis, tenent jugiter affectum animi ad terrena incurvatum.

1. Cor. 7. verſ. 31.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

O curva in terras animæ, & cœleſtium inanes!

Tales inidonei reputantur Seraphicæ Franciſci Militiæ; ſed viros requirit, qui nobile pectus non incurvent, nec affingant vilibus creaturis, quibus dicit: *Fratres nullam rem ſibi approprient.*

Vos Religioſi, & ſpecialiter vos Franciſcani, *mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Quid mortuis cum hujus mundi rebus à quibus ſemel avulſi ſunt? Sufficit eis cœli beatitudo. Paupertatem elegimus, quæ initium eſt & prægustus cœleſtis felicitatis, ubi nihil terrenum concupiſcitur, nec habetur. *Semper dives eſt chriſtiana Paupertas*, inquit D. Leo, *quia plus eſt quod habet, quàm quod non habet. Nec pavet in iſto mundo indigentiâ laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere.* Emigravimus ex hoc mundo, ſpirituali morte ſacræ profeſſionis religioſæ; non igitur velut horrifici lemures revertamur aliquid de mundo tollere. Nihil penitùs nobis appropriemus.

Coloſſ. 3. verſ. 3.

Serm. 4. in Quadr.

Abuſus contingere poſſet circa electuaria in cellis aſſervanda ad confortationem & per modum medicinalium remediorum contra ordinarias infirmitates. Neceſſaria quidem non recuſantur remedia; ſed proprietaria eorum abſconſio & reſervatio interdicitur, vel uſus eorum non neceſſarius. Ferculis ejuſmodi Diabolum delectari, oſtenſum fuit aliquando dalicarulo cuidam F. Didaco Hernandez. Habebat hic in cubiculo ſuo varia electuaria, aliaque eſculenta, & vini genera. Cùm in lecto quieſceret, vidit ſerpentem horribilem ab uno vaſculo repentem in aliud, lambentemque delicata iſta, & in ſingula veneni aliquid evomentem. Quo facto, veniebat etiam ad decumbentem. Conjicere licet quanto concuteretur terrore. Profuit autem homini terror iſte ad vitæ emendationem.

Chron. p. 4. lib. 3. c. 33.

Utinam & prosit Religiosis omnibus, ne simili cupediarum, saccaratorum, distillati vini, & rariorum fructuum reservatione ac proprietate contaminent semetipsos. Credant hæc serpenti antiquo amica, ipsiusque secreto infecta veneno ad perdendas animas.

Sed neque excusabilis est proprietas, quâ vellent aliqui libellos pios, imagines & similia sibi solis servare ad fovendam (ut dicitur) devotionem. Displicet Deo oratio, devotio, & spiritualitas quæcumque, quam quis mediis vult fovere prohibitis. Quidam

Annal. Tom. 1. an. 1243. num. 15.

Frater, alioquin devotus & perfectionis tenax, dum conventum ex mandato Prælati mutaret, Regulam seu instituti sui scriptam formulam, quam frequenti lectione terebat, oblitus, plùs æquo afflictus est. Apparens S. P. Franciscus eumdem de pusillanimitate vehementer reprehendit, quòd rei temporalis studium usque adeò cordi inhæreret, ut ejus amissio tantam molestiam & turbationem inveheret. Alter se humiliter excusans, respondit, non libelli dispendium qualecumque doluisse, sed spiritualis consolationis, quam ex ejus frequenti lectione carpebat, subtractionem: allegat insuper officium prædicationis fratribus ex Regula incumbere, quòd sinè libris nequit exerceri. Respondit Sanctus: nullum fratrem possedisse libros, quin in hora mortis facti pœnituerit. Intelligendus, inquit Marianus, de iis, qui sibi libros appropriant; nam, ut interpretatus est F. Leo, intentio tam Regulæ quàm sancti Patris fuit, ut libri in communi haberentur.

Quosdam fascinat opinio sat vulgaris, nullius esse periculi res exiguas cum affectu retinere, etiam præter consensum Superiorum. E plurimorum Sanctorum censuris, qui hanc levem pondetant proprietatem, unum audiamus Petrum Damianum.

Opusc. 12. de contemp. sæc. cap. 7.

Cui tota, inquit, *rei cujuslibet universitas intercluditur, excusationis aufugium de minutiis non lucratur: & cui totum cessit, pars procul dubio non remansit; præsertim cùm hæc sit mentis humanæ natura, ut ita occupetur circa minima, si sit indigens, sicut erga multa, si dives. Sive enim sumptuosâ divitiarum inundatione circumfluas, sive tenuissima te rei familiaris angustia premat, sententia illa mutari non potest*: Ubi thesaurus

Matth. 6. vers. 21.

tuus, ibi est & cor tuum. *Porro si exiguus mus vel quodcumque reptantium in quamlibet capacissimam tunnam decidat, numquid non protinus cum securibus hinc inde concutitur, totum quidquid illud erat effunditur, cunctisque creantibus vomitum nutante stomacho nauseatur? Si tenuissima veneni stilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, esculentius licèt editum, prorsus abominabile judicatur? Si ergo perexigua mala largissima sæpiùs bona corrumpunt, quo pacto te de lenocinante conscientia jactas, quia minimum est, quod contra professionis tuæ propositum privatâ proprietate possideas? Nam juxta Apostolum*: Modicum fer-

1. Cor. 5. vers. 6.

mentum totam massam corrumpit. *Neque enim parentes nostri ex illo prohibito pomo frequentibus sunt conviviis crapulati, cujus unâ tantùm leguntur infaustâ perceptione corrupti.* Hæc Damianus, & rectè. Si res forent alicujus pretii, aliqua videretur ratio eas concupiscendi; sed cùm eò faciliùs contemni possint, quò sunt minores; quid hoc judicat, nisi dementiam stulti illius similem, qui cùm tenui esset constrictus filo, hærebat immobilis? Aggravatur communiter sacrilega Judæ proditio, quòd Dominum non pro trecentis aut pluribus vendiderit argenteis, sed vilissimo pretio, quo cor ejus illaqueatum est, & seipsum Diabolo in perpetuam vendidit servitutem. Miratur summoperè Collat. 1.

Cassianus, quin & mundus universus, quosdam Apostolico animo amplis renuntiasse possessionibus, & postea puerorum instar sic affici rei vilissimæ, ut in ejulatus erumpant & lachrymas, dum denegatur vel aufertur. Vesanus ab omnibus judicabitur mercator, qui lapidem pretiosum, quem decem millibus emerit aureorum (quia verè tanti erat valoris) decem obolis revendat. Studuerant aliquando Viri isti religiosi pretiosissimam Evangelicæ Paupertatis margaritam venditis bonis omnibus comparare, quam tamen postea pro re vilissima abjiciunt, cui etiam cum jactura propriæ animæ afficiuntur.

Communis est proprietariorum excusatio, providendum esse tempestivè pro necessitatibus eventuris, maximè, cùm sinè cujusquam dispendio fieri potest; & oblatis occasionibus utendum ad colligendas eleëmosynas, ne, dum supervenerit necessitas, nec occurrerint eleëmosynæ, in multas abripiantur inquietudines. Hæc est raucida omnium avarorum & de Deo diffidentium cantilena. Eamdem olim cecinerunt Hebræi, de quibus S. Scriptura conqueritur: *Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt* Psalm. 77. vers. 17.

Excelsum in inaquoso. Quo modo peccaverunt, aut quale peccatum? *Malè locuti sunt de* vers. 19.

Deo, dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? Dura certè infidelitas & diffidentia de Deo, hominum istorum, qui, cùm experti fuissent tam apertam mirabilemque illius providentiam, adhuc tamen diffidebant, & lamentabantur, quasi fuisset eis aliquid defuturum. *Ideo audivit Dominus, &* vers. 21.

distulit, eos introducere in terram promissionis, *& ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel, quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.*

Vultis videre accensum ignem divinæ vindictæ in hujusmodi diffidentem proprietarium Religiosum? In Provincia Siciliæ obiit unus, Annal. Tom. 5. an. 1330. num. 14.

qui sæpiùs ad munia honorifica, & Fratrum regimen evectus, avidè cumulavit libros, vestes superfluas, & pecunias. Corpus sub noctem in feretro fertur ad Ecclesiam, ut die sequenti funus curetur. Adhibitis, ut solet, duobus Fratribus, qui cadaveri advigilent, ecce SS. Franciscus, Antonius & Ludovicus apparent. Loculo adstantes interrogant defunctum cujus fuerit instituti? Medio elevato corpore, in S. Franciscum aspiciens: *Tui*, inquit, *Ordinis, sanctissime Pater.* Indignatus S. Institutor, Noli, ait, me vocare

Patrem,

Patrem, qui filium te probasti degenerem, & præter alias Regulæ præcepta turpiter violasti sanctam Paupertatem, Statimque amovit ab habitu obstupescentis capitium, deinde ductis ex cella pecuniis, totâque suppellectile quam absconderat, positisque super cadavere, S. Franciscus ignem apposuit, quo omnia exarserunt. Disparente visione, accedunt tremuli duo fratres custodes, qui à longè hæc prospiciebant, & omnia inveniunt in favillam & cineres redacta. Deinde monentes Guardianum pergunt ad defuncti cubiculum clavibus obseratum, in quo nihil ex eâ, quam pridie recensuerunt suppellectile, licuit conspicere. Sic impleta est in misero illo divina per Prophetam expressa comminatio : *Argentum eorum & aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum & aurum non valebit eos liberare in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factus est.* (Ezech. 7. vers. 19.) Item: *Aurum & argentum vestrum æruginavit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* (Jacob. 5. vers. 3.)

TEXTUS & §. V.

Sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo in paupertate.

SUMMARIUM.

Peregrinatio est hominis vita. Corporalis peregrinatio est obnoxia paupertati. Nos etiam tamquam spirituales peregrinos, convenit. 1. Uti alieno tecto. 2. Seponere curam domorum ædificandarum. 3. Aspirare continuò ad patriam. 4. Non detineri occurrentibus delectabilibus, sed ea pertransire. 5. Excutere sarcinas deprimentes. 6. Frugaliter expendere viaticum. 7. Uti alienis utensilibus. 8. In Christo tamquam peregrinationis nostræ termino quiescere.

POstquam in primis parentibus ejecti sumus de paradiso, vita nostra peregrinatio est, & quasi via, quâ ad patriam pergimus. Unde Jacob interrogatus de diebus annorum vitæ suæ, *dies*, inquit, *peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt.* (Gen. 47. vers. 9.) Et S. David Domino confitetur : *Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* (Psal. 38. vers. 13.) Cùm verò peregrini pauperes esse soleant atque egentes, eos Franciscus filiis suis in formam æmulandæ paupertatis proposuit, dicens, ut sint *tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo in paupertate.*

Primò, Lex peregrinorum est, in sua peregrinatione nullam habere mansionem. Sic *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* (Hebr. 13.) Natura dedit hic nobis non habitandi domicilium, sed peregrinandi diversorium. Præposterum erit, si peregrinus sollicitus sit altam sibi solidamque domum ædificare; siquidem debet tamquam mox migraturus habitare: *Surgite*, inquit Dominus, *& ite, quia non habetis hic requiem.* (Mich. 2. vers. 10.) Si fatuâ occupatione tempus teramus in itinere, ad ædificandum pro futuris succedentibus hospitibus, in fundo alieno, retardabitur iter, ut non valeamus tempestivè in cœlestem, ad quam tendimus patriam pervenire. Non sit nobis molestum alieno recipi hospitio; cùm videamus etiam divites peregrinos, tectis alienis tuguriisque contentari. In hoc utcumque sortem æmulabimur Angelorum, nullam agnoscentium domum propriam, dum in terris conversantur. Hujus amore paupertatis, quærebat F. Sebastianus à Casis, posse ab uno hospitali in aliud omninò incognitus divertere.

Secundò, Aliam peregrinorum legem proponit S. Paulus Apostulus, simulque exempla insignium aliquot itinerantium, de quibus sic loquitur : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repr[●]missionibus; sed à longè eas aspicientes, & salutantes; & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem.* (Hebr. 11. vers. 13.) Ad illam civitatem, Jerusalem cœlestem, tendunt omnia sanctorum suspiria, qui se advenas agnoscunt in terra & peregrinos. (Chron. p. 2. lib. 4. cap. 50.) Eamdem & nos à longè aspicientes, sinè intermissione ardentibus prosequamur desideriis. Ut corde liberiori ad illam aspiraremus terram viventium, exivimus de terra nostra, & cognatione nostra, & de domo patris nostri. B. noster Rogerius edoctus, quàm amœna, secura, & delectabilis esset illa regio, sic illius æstuabat desiderio, ut facie oculisque quasi flammeis, esset in cœlum semper inten-

intentus, currensque huc atque illuc, lachrymosis suspiriis ingeminaret: Psal. 119. *Quot sunt dies vitæ meæ. Ad quid tam diu hærere? Ad quid tam diu hic vivere? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*

Tertiò, Peregrinus accensus hoc patriæ desiderio, pertransit & contemnit quidquid pulchri, delectabilis, curiosi, & admirabilis, occurrit in via. Non dignatur sistere gradum ad ludicras comœdias, ad lustrandos hortos omni florum genere splendentes, ad tripudia puellarum, vel ad earum conciliandam gratiam. Si in quolibet pulchro prato sisteret, si in quolibet pulchro umbraculo quiesceret, si in quolibet pulchro hospitio remaneret, numquam integram faceret dietam, & sic tardè vel numquam ad terminum perveniret. Debet itaque omnia delectabilia videns non videre, & cum generali contemptu prætərire; imò nec invitatus, & quasi coactus, in istis terere tempus. Eâ consideratione Dux gregis Christiani magno clamat affectu, nobis præsertim Religiosis. 1. Petri. 2. vers. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes ejus annuntietis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non misericordiam consecuti, nunc autem misericordiam consecuti. Charissimi, obsecro vos tamquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis.*

Quartò, Peregrinus non se inutilibus onerat sarcinis, quæ fatigationem augerent, & pergendi impedirent alacritatem. Litteraliter sic instruxit Dominus discipulos suos ituros per mundum, præscribens paupertatis conditiones: Luc. 9. vers. 3. *Nihil tuleritis in via.* Excutite sacculum, peram, & alia quæ occurrentibus fluviis enatandis, mergere vos possent in profundum. Plùs in tali occasione nuditas prodest, quàm arcæ auro, argento, vestimentis aliisque repletæ utensilibus. Sub oratione, Annal. Tom. 5. an. 1226. num. 18. actus aliquando in extasim F. Leo, vidit flumen altum & latum, quod plures tentabant Fratres Minores transvadare. Quidam magis onusti sarcinis, statim ad oram submergebantur, alii ulteriùs procedebant, alii ad fluminis alveum perveniebant, priùs vel posteriùs, citiùs aut tardiùs à fluminis absorpti voragine, juxta majus minusque pondus sarcinarum quas ferebant. Alios vidit exoneratos, quam citissimè & sinè periculo transfretasse. Gemens autem & dolens in ipsa extasi, ad periculum & submersionem cæterorum, ad se reversus interrogatur à sancto P. Francisco, quid viderit? Retulit humiliter totius rei seriem; quam ita Vir Sanctus exposuit. *Quæ vidisti vera sunt, nam flumen est mundus; Fratres onusti sunt illi qui rebus inhiant terrenis, professionem suam negligentes & Evangelicam violantes paupertatem: hi demerguntur in hoc mundo, curâ & sollicitudine bonorum temporalium, & in inferno pœnas condignas patientur. Qui sinè periculo transierunt, illi sunt, qui nihil commune volunt cum mundo, contenti tenui victu & vestitu, nudum Christum nudi sequentes, portantes jugum Domini suave & onus leve.* Nihil magis impedit perventionem ad peregrinationis nostræ felicem terminum, quàm pondus bonorum temporalium, dicente Salvatore, quia Matth. 19. vers. 23. *dives difficilè intrabit in regnum cælorum*; & iterum dicente; *Faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Portans thesaurum in via, metuit latrociniorum pericula; secùs rebus omnibus exoneratus. *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Libertatem illam & immunitatem à latronibus, partam nobis beneficio paupertatis, quotidie experimur. Gen. 39. Per pallium arreptus ab inimica muliere pudicus Joseph, eo dimisso liber evasit. Adolescens quidam sequebatur Jesum, à satellitibus captivatum, amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. Marci 14. *At ille rejectâ sindone, nudus profugit ab eis.* Nequit inimicus tenere eos, quos nullâ videt rerum terrenarum cupiditate irretitos, nec pertinaciter possessa retinentes: Isaiæ 24. vers. 17. solummodo *formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ*, id est secundùm Ambrosium, Lib. 2. de Abra. c. 7. super eos qui de vera non cogitantes patria, habitationem suam in terra, terrenisque constituunt, in iisque manent per affectum, quibus & illud Apocalypsis competit; Apoc. 8. vers. 13. *Væ, væ, væ habitantibus in terra.*

Quintò, Qui aliàs domi suæ prodigi sunt, in longo itinere circumspectè suo utuntur viatico, nec plus expendunt quàm solvere possint, ideoque si conscii sibi sunt quòd parum possint, parvo contenti sunt, ne pro debitis detineantur; quemadmodum sapienter Ecclesiasticus monuit: Eccles. 29. vers. 30. *Minimum pro magno placeat tibi; & improperium peregrinationis non audies.* Servis suis concedit Dominus suarum usum creaturarum. Non putandum tamen concedi gratis. Computum infallibiliter faciet, eritque solvendum quod expenderimus.

Sextò, Peregrinus alienis contentus est utensilibus, quæ tametsi ad ipsum non pertineant, pro isto tamen die æquè suam habet ex eis commoditatem, ac si foret eorum Dominus. Caret solùm istâ visûs recreatione, quâ Dominus propriorum superfluitate utensilium, suam videt ornari domum, ostentatque divitias. Eccles. 5. vers. 10. *Quid* enim *prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis?*

Septimò denique peregrini solatium est quiescere in fine sui molesti itineris, cessare timorem periculorum, laborem & fatigationem, & esse in termino, quem dudum desideraverat. Hic finis & quies ipse Christus est, quem quærere debemus donec inveniamus. Apposité hanc quietem designat Augustinus ex Serm. 128. De Temp. consideratione facti Judæorum, qui ex pretio, quod retulerat Judas proditor, emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum: corporalem quidem; sed quam ipse ad mysticam transfert, dicens: *Quibus non est in mundo possessio, his in Christo sit sepultura. Istos peregrinos quos esse dicimus, nisi devotissimos Christianos, qui renuntiantes sæculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt; Christianus enim qui mundum non possidet, totum possidet Salvatorem. Sepultura autem Christi quid est aliud, nisi requies Christiani? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Beati, & in æternum beati, peregrini isti, Domine, qui

in

Pfalm. 88. verf. 17. *in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in justitia tua exaltabuntur, quoniam gratia virtutis eorum tu es.*

TEXTUS & §. VI.

Et Humilitate.

SUMMARIUM.

Humilitas necessariò jungenda paupertati. Humilitatis officia desumpta à similitudine peregrini. 1. Transit ignotus. 2. Gloria dotium ipsius est solùm momentanea. 3. Præterit otiosos irrisores. 4. Neminem provocat. 5. Si parum injurietur, non hæret ad contra litigandum. 6. Cavet irasci. 7. Non verecundatur à quocumque doceri rectam viam. 8. Non contemnit præmonentes pericula. 9. Comiter agit cum comitibus.

S. Antonius Paduanus subtili explicatione hujus sententiæ: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, &c?* (Cant. 8. verf. 1.) ostendit necessariam Humilitatis cum Paupertate conjunctionem, dicens; *Soror est Paupertas, frater est spiritus Humilitatis. Dicit ergo Soror, id est ipsa Paupertas: Quis mihi det te Fratrem meum, Spiritum Humilitatis, ut cum aviditate sugas ubera matris meæ Pœnitentiæ? Ecce frater & soror, Joseph & Maria, Sponsus & Sponsa, Paupertas & Humilitas. Qui habet sponsam, sponsus est. Beatus ille pauper, qui sponsam sibi ducit Humilitatem.* (Serm. Domin. infra 8. Nativ.) Hanc beatitudinem optans filiis suis Seraphicus Patriarcha, præscribit ut sint tamquam peregrini & advenæ, non modò in paupertate; verùm & *in Humilitate.* Et verò vi quadam naturali solet paupertas tumorem mentis humiliare: & ipsa destituta comite Humilitatis, non est commendabilis: imò odibilis atque detestabilis; sicut scriptum est: *Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum: pauperem superbam, &c.* (Ecclef. 25. verf. 3.) Humilitas lux sancta est atque serena, quâ illustrati absque periculo per desertum pergimus paupertatis. *Filii Israel*, inquit S. Anton. Paduanus, (In Exod. cap. 14.) *quos splendor ignis illuminavit, pœnitentes & pauperes spiritu significant, quos splendor Humilitatis illuminavit, qui sicco vestigio transierunt mare hujus mundi, cujus aquæ mundantes amaræ, sunt eis pro muro, id est ipsos muniunt & defendunt à dextris prosperitatis, & à sinistris adversitatis, ne favor popularis eos elevet, & ne tentatio carnis præcipitet.* Porrò videamus, quas nobis Humilitatis leges advenarum status præscribit & peregrinorum.

Primò, Viator, tametsi Doctor sit, magni ingenii, nobilis, aliisque præclaris insignitus dotibus, dum tamen per alienas transit regiones, habetur pro uno de cæteris hominibus. Unde Moysi dicebatur: *ut advena ingressus es, numquid ut judices?* (Gen. 19. verf. 9.) q. d. non decet advenam & peregrinum judicaturas quærere, nec ad mundi fastigia aspirare. Neque Peregrinus ex eo quòd honor sibi non deferatur judicaturæ vel alterius eminentiæ, injuriam sibi fieri reputat, nec dolet, aut turbatur. Quin imo apud plerosque in usu est, ut dissimulato habitu statum suum celent, quò modestiùs & securiùs transire permittantur. Cùm David fugiens à facie Saul venisset ad Achis (1. Reg. 21. verf. 11.) regem Geth, dixerunt servi Achis ad eum, cùm vidissent David: *Numquid non iste est David rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia?* Quid verò agit sapiens rex, ne ex sui honorabilis status agnitione aliquod sibi periculum generaretur? *Immutavit os suum* (verf. 13.) *coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam.* Et per hanc stultitiæ simulationem, liberatus est. Similis est praxis humilium animarum, quarum studium est ignorari, & facta sua præclara cautissimè abscondere. *Beatus servus*, inquiebat humilis Franciscus, (Opusc. Tom. 1. Admonit. 27.) *qui thesaurizat in cœlo bona quæ sibi Dominus ostendit, & super spe mercedis non cupit ea manifestare hominibus; quia ipse Altissimus manifestabit opera ejus, quibuscumque placuerit. Beatus servus, qui secreta Domini observat in corde suo.*

Secundò, Si quid singulare in viatore emineat quoad vestimenta, pulchritudinem, incessûs celeritatem, vel quid aliud, vident id quidem ad momentum occurrentes, sed mox etiam obliviscuntur, vel quia aliis occurrunt alterius sortis viatores, vel quia aliis detinentur cogitationibus, quæ non permittunt conditionum unius peregrini meminisse. Eadem est vitæ nostræ sors, in qua si quid appareat admirabile, evanescit in momento admiratio, aliis occurrentibus multò rarioribus, & memoriam excutientibus præcedentium. Quòd licèt non intelligant vanitatis amatores adhuc peregrinantes, fateri tamen cogentur, ubi ad vitæ terminum pervenerint; quoniam *spes impii sit tamquam memoria hospitis* (Sap. 5. verf. 15.)

piùs unius diei prætereuntis, qui in ſtultitia ſua putavit quid magnum eſſe in ore & memoria hominum. Prudens verò viator, intelligens mundanæ famæ labilitatem, dedignabitur apud ſe gloriari, aut complacere de tranſeuntium oculis, nec ſe ipſum fumo iſto paſcet protinùs evaneſcenti.

Tertiò, Si Peregrinus regionem ingrediatur alienam, ubi habitus diſſonus ſit à ſuo, & cujus idioma non perfectè pronunciat, ac propterea derideatur à pueris, parum id curat. Moraliter, idioma mundi eſt de terrenis rebus, & caducis, ſicut ſcriptum eſt: *Qui de terra eſt, de terra loquitur.* [Joan. 3. verſ. 31.] Loquentes inter mundanos, de divinis & cœleſtibus, velut balbi, muti, & ignari eorum, quæ mundi ſunt, traducuntur. *Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo, qui infami graditur viâ.* [Prov. 14. verſ. 2.] A pompoſis ſæcularibus, contemnitur humilis religioſus, in vili pertranſiens habitu. Sed ſi hic ſuam mutare vellet ſimplicitatem, ut mundo ſe attemperet ac placeat; perindè egerit ac ſtultus aliquis viator, qui ad cujuslibet regionis ingreſſum veſtes ſibi pararet inibi uſitatas. Contemnendus igitur eſt ille contemptus. [Sedul. in Vita S. Bernard. c. 20.] Eunte quandoque Sancto Bernardino cum Fratre per plateas urbis Senenſis, petulantes pueri à tergo illudebant ei, & in ejus nudos calcaneos lapillos jactabant; nudis enim ingrediebatur pedibus, & tunica non attingebat tibias, ut plus ex frigore moleſtiæ caperet. At ille ne ſemel quidem reſpiciens, nec quidquam omnino commotus, pergebat itinere ſuo, perinde ac ſi ſurdus & inſenſibilis eſſet. Socius verò id indignè ferens: Non advertis, inquit, quid iſti inſolentes pueri faciant? Reſpondit Vir Sanctus: *Faciant illi quidquid libitum erit eis, materiam nobis exhibent, unde ſempiterna gloria coronas nobis texamus.*

Quartò, cavet Peregrinus quantùm poteſt, ne cuiquam indigenæ injuriam inferat, provocet, ac in ſe concitet, cum periculo coram judice comparendi, & hærendi in carceribus Eadem eſt lex Humilitatis, nemini moleſtum eſſe, ſalutare comiter omnes occurrentes, aliena non ſcrutari nec impedire negotia, pacificè pertranſire. Quin imò advena pro data occaſione indigenas (quamvis antea ſibi ignotos) ſatagit obſequiis obligare. [Exod. 2. verſ. 16. & 17.] Sic Moſes defendit filias Raguel Madianitæ, & adaquavit oves earum, repulſis paſtoribus, qui eas impedire conabantur: eâque humanitate patrem earum ſibi optimè devinxit.

Quintò, Quòd ſi quâ levi convellatur injuriâ peregrinus, aut dicteria aliqua ſedentium in pontibus & compitis audiat, non ita ſtultus eſt, ut loci judicem adeat, proceſſum contra moriones iſtos inſtituat, & comparere compellat, ad reſpondendum de injuria ſive contumelia, reſarciendumque honorem. Sed ad redimendum tempus tamquam ſurdus pertranſit, ſciens eluendam ſatis hanc parvam contumeliam ipſo tempore & oblivione: quòdque ideo non minùs honoratus erit, dum in propriam venerit civitatem. Tametſi [1. Reg. 21.] David apud Achis & aulicos ejus pro inſano habitus & irriſus fuerit, non ideo deſiit apud ſuos rex haberi & honorari. Ipſe Christus æſtimatus & judicatus ut latro, præſumtuoſus, & ſacrilegus, ut mutus hæc audivit, & non aperuit os ſuum: nec idcirco deceſſit aliquid de majeſtate illius poſt reſurrectionem, & aſcenſionem in regnum ſuum. Super hoc appoſitè monet Didacus Stella: *Appropinqua Deo, & ſubſiſte ſemitis juſtitiæ & perſeveres in bono incepto, nec cures dicta hominum otioſorum, qui ſolent perperam interpretari intentiones & opera proximorum.* [De Contemp. Mundi l. 1. c. 8.] Pergit equus vias ſuas, quidquid parvuli allatrent canes, qui poſt imbelles latratus domum revertuntur: ſic contemnere debemus momentaneos ignorantium hominum latratus, quaſi non unico dignos aſpectu. Silentium eis imponitur, non per reſiſtentiam; ſed per contemptum.

Sextò, Huc etiam pertinet lex, quam Joſeph Patriarcha fratribus ſuis à ſe recedentibus in terram Chanaan, præſcripſit, dicens: *Ne iraſcamini in via.* [Gen. 45. verſ. 24.] Inter viarum faſtidia & fatigationes, variæ occurrunt irarum atque impatientiæ occaſiones: ſed tunc maximè dum neceſſaria deſunt, & quos ſperabamus fidentiores, experimur inhumaniores. Humilitas ſola cohibebit impetum iracundiæ, & dolorem temperabit. Facilè componet ſe viator ad manſuetudinem, ſi nihil ſibi credat deberi, imò & juſtè, quod exoptat, denegari. Item ſi Deum agnoſcat ſic diſpenſantem, & ſublimiores præter expectationem præparantem conſolationes. Sacratiſſimæ Virgini Mariæ, & Joſepho ejus Sponſo, dum advenæ eſſent in Bethlëem, negatus fuerat locus in diverſorio, erantque ad commune ſtabulum relegati; quia verò beneficio humilitatis ſervaverunt animas ſuas, ne murmurarent, aut iraſcerentur in tanta derelictione, ſubſtituit è cœlo ſolatium Deus multò jucundius, dum natus eſt eis Salvator mundi, lætantibus Paſtoribus & jubilantibus Angelis. *Omne gaudium exiſtimate fratres*, monet D. Jacobus, *cùm in tentationes varias incideritis.* [Jacobi 1. verſ. 2.] Temporalium tribulationum patiens humiliſque perpeſſio, ſignum eſt atque diſpoſitio inſtantis cœleſtis conſolationis. Sanctus noſter Patriarcha, cùm docuiſſet aliquando perfectam Fratris Minoris lætitiam, neque in dono prophetiæ, neque miraculorum, neque linguarum, neque in aliis ſimilibus prærogativis conſiſtere, ſed in humili afflictionum perferentiâ, exemplificat in hunc modum: *Quando venimus ad locum S. Mariæ de Angelis ſic balneati pluviâ, & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & ad portam loci pulſabimus, & veniet portarius iratus dicens: Qui eſtis vos? Et nos dicemus: Sumus duo de Fratribus veſtris. Et ille contrariò diceret: Imò eſtis duo ribaldi, qui itis circumquaque per mundum, pauperum eleëmoſynas rapiendo; & non aperiret nobis, ſed faceret nos ſtare ad nivem & aquam, in frigore & fame, uſque ad mortem: tunc ſi nos tot repulſas & injurias ſinè murmuratione & turbatione toleraverimus patienter, & cogitaverimus humiliter & charitativè, quòd ille portarius veraciter nos cognoſcit, & quòd Deus excitat linguam ejus contra nos; ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia. Et ſi nos in pulſando perſeveraverimus, &* [Opuſc. Tom. 1. Opuſculo de vera & perfecta Lætitia FF. Minorum.]

ille

ille portarius tamquam contra importunos exeat contra nos, & durissimè nos afficiat alapis, dicens: Recedite hinc poltrones vilissimi, & ite ad hospitale. Qui enim estis vos? Hic penitus non manducabitis. Et si nos patienter hæc portabimus, & injurias cum amore pepercerimus toto corde; scribe, quia ibi est perfecta lætitia. Et si nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante pulsabimus & clamabimus, fletu instabimus, ut aperiat nobis; & ille inde stimulatas dixerit: Isti sunt homines procacissimi & protervi. Ego pacabo eos. Et exiens cum uno fuste nodoso, & capiens nos per capucium, ad terram super lutum & nives projiciet, & taliter nos verberabit cum fuste prædicto quod undique nos plagis implebit; si tot mala, tot injurias & verbera cum gaudio toleramus, considerantes quòd pœnas Christi benedicti tolerare & portare debemus; scribe & nota diligenter, quod ibi est perfecta lætitia.

Septimò, Si viator ignarus sit viarum vel dubius, non eum pudet discere à mendicis opilionibus, & rusticis obviis, quà sit eundum. Aliàs si dedignetur interrogare, aut credere docentibus, quia se magnum æstimat philosophum, & turpiter interim deviet, magnæ præbet stultitiæ argumentum. *Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audiet consilia.* (Prov. 12. vers. 15.) Si quis sapienti viatori erranti viam monstraverit, tantùm abest ut ei irascatur, quin potiùs gratiam reddit, laudatque benevolentiam. Idem est officium & ingenium Humilitatis, de sua non verecundari ignorantiâ, & quoscumque interrogare peritos & à quibuscumque discere vias rectas. Non erubescebat à minoribus parva quærere verus Minor Franciscus, (Leg. cap. 12. num. 1.) qui magna didicerat à Magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali viâ, qualique modo, Deo posset secundùm ipsius beneplacitum perfectiùs deservire. Hæc summa ejus philosophia, hoc summum ejus desiderium exstitit quoad vixit, ut quæreret à sapientibus & simplicibus, perfectis & imperfectis, parvulis & grandævis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosiùs pervenire valeret.

Octavò, Majorem habet gratiam viator præmonentibus de latronum insidiis, & modum docentibus periculum declinandi; nec ei probro vertetur, si juxta monitum declinet, & se suaque diligenter abscondat. Humilis, infirmitatis suæ conscius, declinat lapsuum occasiones, quibus posset divinâ gratiâ spoliari. Satiùs arbitratur fugere, quàm præsumptuosè tentationes adire; sciens verissimum esse illud: *In itinere contemptorum vorago*, (Prov. 13. vers. 15.) eorum scilicet qui salubrium contemptores sunt monitionum, & se omnia præsumunt posse superare. At verò: *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.* (Prov. 15. vers. 24.) Et iterum: *Sapiens declinat à malo; stultus transilit & confidit*, (Prov. 14. vers. 16.) & tandem serò nimis se propriâ deceptum sentit superbiâ, in non credendo bene monentibus.

Nonò, Si viator comites nanciscatur fidos, honestos, & alacres, eòdem tendentes, rogat in eorum admitti consortium, levandi laboris gratiâ ex suavi confabulatione; ad majorem etiam securitatem, quæ ab aliorum societate sperari possit. Hoc est humilis animæ solatium, de suis solitariis diffidentis viribus, alienum quærere subsidium, aut saltem aliorum alacritate ad pergendum æquè alacriter animari. Quæ S. Tobias expertus est ab Angelo Raphaële, (Tob 5. vers. 6.7.8. 9.&c.) eadem experitur confidens & humilis anima, à comitibus ejusdem spiritus & devotionis. Superbus comites dedignatur, Invidus vellet solus esse, solus videri, & alieno tabescit consortio: si quos præcedere videt, frendet & dolet. Aliter humilis, si quos præcedere conspicit, laudat alacritatem, & ad assequendum stimulatur: si præcesserit, subsistens expectat infirmiores, eorumque se contemperat passibus, ne fortior videatur, aliosque confundat, & ut expectando, societatis perfruatur jucunditate. Hac (Luc. 24.) suavitate capti duo discipuli pergentes in Emmaus, ægrè à Christi secum ambulantis consortio divellebantur, & tandem amicæ istius familiaritatis fructum lætissimum perceperunt.

Hæc sunt status nostri officia strictim descripta, ad quæ nos invitat memoria illius, in qua positi sumus, peregrinationis. Videmus ferocientes filios & protervos, in exteras aliquando mitti regiones, ut sub alienis dominiis, & indigentiæ periculis sensim mitescere incipiant, addiscantque sapientiam. Coguntur apud externos solitas deponere insolentias, quas exercuerant domi, & ipsa eis peregrinatio fit schola disciplinæ. Certè adolescentior filius peregrè profectus in regionem longinquam, & in villa positus ut pasceret porcos, sic pœnitentiâ motus est super pristinis nequitiis, ut diceret: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam: ei Pater peccavi in cœlum & coram te.* (Luc. 15. vers. 18.) Ipse etiam Deus, dum populum suum rebellem corripere vellet, & ad mentem reducere meliorem, pro usitato habuit remedio, ut eos in captivitatem abduci permitteret ad exteras regiones, ubi discerent sub potenti manu ipsius humiliari. Credamus nos eodem judicio expulsos è patria nostra, & ut placatiorem reddamus Dominum, studeamus supradictas observare peregrinantium præceptiones, donec experiamur, quod ipse luculenter per Jeremiam promisit: *Cùm evulsero eos, convertar, & miserebor eorum: & reducam eos, virum ad hæreditatem suam, & virum in terram suam.* (Jerem. 12. vers. 15.)

TEXTUS & §. VII.

Domino famulantes.

SUMMARIUM.

Domini famulitium præcellit Regum dominatum. Famulitia particularia quasi peregrinantium cum Christo Domino. 1. Sequi eum ad militiam spiritualem. 2. Legatione fungi pro ipso, atque ad cœlestes nuptias invitare. 3. Filios Dei sibi commissos ab hostibus protegere. 4. Quærere & reducere oves errantes. 5. Portare crucem cum Domino patiente. 6. Triumphantem Christum comitari cum laudibus.

VIdens regina Saba omnem sapientiam Salamonis, & habitacula servorum ejus, & ordines ministrantium &c. dixit ad regem : *Beati viri tui, & beati servi tui qui stant coram se semper, & audiunt sapientiam tuam.* (3. Reg. 10. vers. 8.) Si hoc sapientissima regina de servis regis mortalis dicere potuit, quid nos de iis censebimus, qui sunt Regi sæculorum immortali & invisibili, atque universorum Domino famulantes? Siquidem servorum Dei conditio eminentior est omni gloriâ regum terrenorum; prout verissimè S. Agatha pronuntiavit dicens : *Multò præstantior est Christiana humilitas & servitus, regum opibus & superbiâ.* (In Officio divino 5. Febr.) Ipsius increatæ Sapientiæ testimonio, est beatitudo Dei servorum stabilita. *Beatus* inquit, *homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino.* (Prov. 8. vers. 34.) Volens Seraphicus Patriarcha filios suos ad eam indefectibilem viam, salutemque perpetuam destinare, monet eos, ut sint *Domino famulantes.* Quorumdam Ordinum professores, iis præcipuè videntur mancipati famulitiis, quæ domi exercentur, atque ad propriam dumtaxat utilitatem; *Sanctus verò Franciscus prævius orationum studiis, quid faciat instructus, non sibi soli vivere, sed & aliis proficere vult Dei zelo ductus.* (Ecclesia in Offic. de S. Francisco ad Laudes.) Voluit item sui sectatores instituti, ad illud opus procurandæ salutis proximorum semper accinctos esse, imperterritos, infatigabiles, & patientes laborum, tempestatum, famis & sitis, & innumerabilium molestiarum, ut tamquam Christi cooperatores, forti constantique animo ea exequantur, quæ fieri exteriùs congruit circa salutem proximorum.

Primò, Præcipuum Christi munus fuit, contra Patris hostes bellum gerere, militiamque instituere. Hujus ducis magnificentiam atque victorias passim divinæ commemorant Scripturæ; luculentiùs autem sacra Apocalipsis, in qua D. Joannes ait : *Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur Fidelis & Verax, & cum justitia judicat & pugnat. Oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa.* (Apoc. 19. vers. 11.) Et postea militum ejus habitum describens, pergit : *Exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.* (vers. 14.) Sequebantur, juxta S. Bernardini intellectum, per viam Humilitatis, Paupertatis, & Castitatis, & *in equis albis*, id est cordibus mundis. (In Apoc. ibid.) *Vestiti byssino albo & mundo*, id est Justitiâ, quæ facit mentem albam per Innocentiam, & mundam per operum evidentiam. Sat noti sunt hostes gloriæ Dei, contra quos divini exercitus in prælium educuntur. Quanto autem animo molestias militares, pugnæ laborem, impetumque adversariorum sustinere oporteat & ducem sequi, docent nos mundanæ militiæ sequaces, qui pro regis sui gloriâ regnique commodis, infinita pericula, incommoda, vulnera, mortemque ipsam suscipiunt. Duos accipiamus in magnanimitatis exemplum; ducem unum, alterum subjectum ipsi militem; Joab & Uriam. De Joab dicebat Urias : *Arca Dei & Israël & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent.* (2. Reg. 11. vers. 11.) De se autem subjungit : *& ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam* (ò Rex!) *& per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Sicque ad portam palatii regii cum excubitoribus pernoctavit. Videmus hîc paupertatem rigoremque ducis nostri in Joab adumbratam, atque militis æmulationem delicias omnes respuentem, qui postea etiam in civitatis oppugnatione obedientem se præbuit usque ad mortem. Hæc sit gloria nostra, semper habere præ manibus *arma militiæ nostræ, non carnalia; sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei; & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia.* (2. Cor. 10. vers. 4.) Inter hostes Christi præcipuos numeratur Anti-christus, cui vix aliqui audebunt obsistere. Ominatur tamen Alvarus Pelagius, veros Fratres Minores futuros præcipuos ejus oppugnatores: (De Planctu Eccl. l. 1. art. 67.) quorum cooperatione usurus est Christus, ad periclitantes animas erigendum.

Secundò,

Secundò, Aliud obſequium Chriſto præſtandum per longas peregrinationes exigit à nobis Deus, in obeunda legatione pro Rege cœleſti, in perferendis Nuntiis ejus, in tractandis conſiliis pacis, aliiſque regni negotiis. Hoc non committitur niſi nobiliſſimis, atque fideliſſimis ſervis, eſtque ſupremus honor apud ſervos Regis. Hoc fuit proprium
2. Cor. 5. verſ. 20. munus Apoſtolorum. *Pro Chriſto*, inquiebat Paulus, *legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos.* De cujus miſſione, ut dubitari non poſſet, ſed tamquam ab ipſo Deo miſſus excipi, dicit: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis & prodigiis, & virtutibus.* Eadem commiſſa nobis eſt cura, eodemque debemus eſſe uncti ſpiritu, quo ipſe Dominus Jeſus ad Evangelizandum pauperibus, ad ſanandum contritos corde, ad prædicandum captivis remiſſionem, clauſis apertionem, ad prædicandum annum acceptabilem Domino, & diem retributionis. Verùm delicatus nimis, & ſordidus eſt legatus ille, qui proficiſci detrectat ad opus Domini, niſi ſuas certas habeat ubique commoditates, qui nihil pati poſſit; imò nil quod diſpliceat, audire. Altioris animi erat
Ibid. c. 11. verſ. 23. ille Chriſti legatus, qui dicebat: *Miniſtri Chriſti ſunt, (ut minùs ſapiens dico) plùs ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* Et enumeratis variis paſſionibus periculiſque,
verſ. 27. ſuam etiam ſpecificat paupertatem: *In fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Minima erat ei neceſſitatum corporalium cura: ſufficiebat ei poſſe ubique terrarum notum facere nomen Domini Jeſu Chriſti. Non defuerunt in Ordine Franciſcano alacres ſervi Dei, qui poſthabitis quibuſcumque incommodis excurrerunt ad extrema terræ, ut functi pro Deo legatione, Hæreticos, Schiſmaticos, Tartaros, Turcas, Indos occidentales & orien-
Matth. 22. tales, Judæos alioſque infideles ad nuptias Chriſtianæ fidei, gregiſque dominici unitatem invitarent: quorum aliquos tenuerunt, & contumeliis affectos occiderunt. De his loquendi amplior dabitur occaſio ad Caput 12.

Tertiò, Judas Patriarcha dum profecturus eſſet cum cæteris fratribus in Ægyptum, & ægrè permitteret Pater Jacob ſuum Benja-
Gen. 43. verſ. 9. min abduci, ipſe pollicitus eſt Patri: *Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illum; niſi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* Abduxit, protexit, & fideliter reduxit, nec veritus eſt perpetuæ periculum ſervitutis, dummodo puer ſuo patri redderetur. Similem exhibuit fidelitatem S. Joſeph Sponſus Deiparæ, quam cum puero Jeſu duxit in Ægyptum, ſervavit, atque
Hebr. 13. reduxit. Eadem demandata eſt cura Superioribus, ut pervigilent, quaſi rationem pro animabus ſibi concreditis reddituri. Quo in officio, Dei Filio famulantur, qui tamquam fidelis ſibi commiſſorum cuſtos ſub vitæ finem
Joan. 17. verſ. 12. ita reddebat Patri rationem: *Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos, in nomine tuo. Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Animæ Superioribus commiſſæ, & ad Patris cœleſtis gremium perducendæ, pretium ſunt ſanguinis Jeſu Chriſti, adeoque ingenti curâ contra dæmonis inſidias cuſtodiendæ. Hoc conſiderans D. Bernardus, exclamat: *Quid ego infelix? Quò me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi* Serm. 3. de Adventu.
Chriſtus ſanguine proprio pretioſius judicavit, contigerit negligentiùs cuſtodire? Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque depoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpiùs oporteret; quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? Et certè id ſervandum accepi pro quo mercator non inſipiens (ipſa utique Sapientia) ſanguinem illum dedit.

Quartò, Alterius officii Salvatoris noſtri meminit Iſaias, de ipſo dicens: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Et: *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* Et iterum: *Cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Iſa. 53. verſ. 4. verſ. 6. verſ. 12.
Qualiter ipſi cooperandum ſit in ſanctiſſimo hoc officio, erudiunt nos magnæ quædam animæ è noſtro Sodalitio. Inter multas revelationes, quas divinitus habuit pater celeberrimus, profeſſione Dominicanus, Magiſter Vincentius, etiam illa fuit, quâ Coletam vidit in ſpiritu genua flectentem humiliter, & ferventer rogantem Deum pro peccatis miſerrimæ plebis ſuæ. Cui ille ſic reſpondere videbatur: *Quid me vis facere filia? Ego quotidianis illorum injuriis & contumeliis afficior. quotidie illi me lacerant & diſcerpunt contemnentes præcepta mea, meque blaſphemantes & abnegantes.* Annal. Tom. 5. an. 1406. num. 54.
Alio tempore, orante ferventer Coletâ beatiſſimam Dei Genitricem, ut apud Filium ſuum pro miſerrimo populo Chriſtiano intercederet, oblatus fuit ei diſcus quidam plenus particulis carnis, tamquam infantis in fruſta conciſi, dictumque eſt illi: *Quo pacto ego deprecabor Filium meum, pro his qui quotidie peccatis & horrendis ſceleribus ſuis, quantùm quidem in eis eſt, etiam in minores eum diſcindunt & dilaniant particulas, quàm hæ ſint quas cernis.* In oppido Petri-cagii in Corſica, magno miraculo quadam nocte auditæ ſunt in aëre voces duæ, altera his verbis: *Claude, dele & diſſipa.* Annal. Tom. 4. an. 1354. num. 11.
Altera ita reſpondens: *Non poſſum, duobus fratribus diſcalceatis mihi validiſſimè reſiſtentibus;* (vacabant fortè tunc temporis duo fratres laici orationi, miſeræ oppidanorum diſcordiæ, quâ furebant, condolentes, & pacem deprecantes) qua de cauſa crevit erga fratres populi devotio, ut nihil non libenter eiſdem impertiant.

Quintò, Aliud famulitium impenſum legimus Chriſto Domino, cùm duceretur ad crucifigendum. *Cùm* enim *ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem, venientem de villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum.* Quod ille coactè fecit, poteſt ingenti cum fructu fieri à nobis voluntariè. Luc. 23. verſ. 26.
Et nunc quidem Chriſtus Dominus illo non eget obſequio, ſed alium quemdam indicat modum, ad eumque invitat dicens: *Qui vult venire poſt me, &c. tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hæc crux ſunt labores, auſteritates, contradictiones, morbi & moleſtia charitatis vel obedientiæ opera; quæ abjicere, Matth. 16. verſ. 24.

Chriſtom conremoere eſt. Aliæ qooque ſnnt ſarcinæ ſpirituales, à quibus nemo ſe poteſt (Gal. 6. verſ. 2.) honeſtè excnſare, de quibus Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Hæ ſunt imperfectiones, tarditates, & miſeriæ conſodalium, quas humiliter patienterque ſupportare amabile Chriſti obſequium eſt. Gratom matri præſtat ancilla obſequium, ſi plorantem deducens filiolum, oon à ſe repellat, ſed conſoletur, aoimet ac ſubinde ferat in brachiis, nec importunâ pueri impatientiâ ſatigerur, ſed agat modis omnibus, ut perduci poſſit ad hoſpitium. Similem reddimus Jeſu Chriſto ejuſque Matri benedictæ ſatisfactionem, ſi fratres infirmiores, io via virtotis ſatigatos, ac lamentantes, ita eum charitate recreemus, ot tandem poſſint nobilcum ad cæleſtem, quò tendimus, Jeroſalem perveoire.

Sextò, Sub ingreſſu triumphali Salvatoris in Jeruſalem, *multi veſtimenta ſua ſtraverunt in via*, laudeſque ejus clarâ voce cecinerunt. (Marci. 11. verſ. 8.) Hoc etiam ipſi præſtemus obſequium. *Quid ſunt terrena omnia*, inquit D. Greg. (Hom. 32. in Evang.) *niſi quadam corporis indumenta?* Hæc ſternenda ſunt pedibus Domini & conculcanda, per omnimodam omnium abrenuntiationem. Cantemus etiam jugiter in viis Domioi, quooiam magna eſt gloria Domioi.

TEXTVS & §. VIII.

Vadant pro Eleemoſyna.

SVMMARIVM.

Dei erga pauperes ſervos ſuos providentia. Quintuplex eſt mendicitas, 1. Calamitoſa. 2. Rapax. 3. Ignava. 4. Induſtrioſa. 5. Sancta. Hac poſtrema, Franciſco amabilis fuit, ejuſque diſcipulis commendata. Cur Sancti quidam à magnis peccatoribus mendicaverint? Leviuſcula objectiones aliquorum politicorum catholicorum, contra religioſam mendicitatem diluuntur.

FActus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbiten, dicens: Surge & vade in Sarephta (3. Reg. 17. verſ. 8., &c.) Sidoniorum, & manebis ibi: *pracepi enim ibi mulieri vidua, ut paſcat te.* Surrexit & abilt io Sarephta. Cùmque veniſſet ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: *Da mihi paululum aqua in vaſe, ut bibam.* Cùmqne illa pergeret ot afferret, clamavit poſt tergum ejus, dicens: *Affer mihi, obſecro, & buccellam panis in manu tua.* Sic diſpoſuit Dominus, Prophetam ſuum dilectum de pane vivere mendicato; quò & ipſius poſcentis humilitas, & largientis viduæ liberalitas exerceretur. Pauperculus Chriſti Franciſcus, qui, ut ait D. Bonav. (Prologo Legenda) rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu & virtute Eliæ, ſimili humilitatis formâ directus fuit in mundum. Hinc propter ſanctæ paupertatis amorem, quæſitis oſtiatim utebatur eleëmoſynis. Et Fratres ſuos ad petendum eleëmoſynam bortans verbis utebatur hujuſmodi: (Leg. cap 7. n. 7. & 8.) *Ite, quoniam hàc noviſſimâ horâ Fratres Minores commodati ſunt mundo, ut electi in eis impleant, unde à Judice commendentur, illud audientes ſuaviſſimum verbum*: (Matth 25 verſ. 40.) *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Jucundum proinde dicebat, ſub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione juſtorum, Evangelicæ veritatis magiſter, ore ſuo tam ſignanter expreſſit. Atque ideo volens omnipotentis Dei famulus, largitores eleëmoſyoarum divinis repleri benedictionibus, & filios ſoos humilitate & paupertate exercitari, hos admonet præſenti textu, dicens: *Vadant pro eleemoſyna.*

Hanc mendicitatem, amaro inſultu hæretici impugnarunt, & qoidam male-feriati catholici, quorum cooatibus per invictam doctrioam ſe Doctor Seraphicus oppoſuit, in Opuſc. *de Paupertate Chriſti* Art. 2 Utqoe aſſertionem veritatis, & refutationem falſitatis redderet dilucidiorem, quintuplicem ponit (In Apol. Pauperum Reſp. 4. art. 2.) mendicitatem, origioe, modo, & efficaciâ ab invicem diſparatam.

Prima eſt quam parit calamitas, & hæc eſt in perſonis miſerabilibus & egeois, annexum babens pœoalem cruciatum, cum merito, quando ſit cum patientia; qualis fuit mendicitas Lazari ulceroſi, & pauperis, jacentis ante januam divitis epulonis: vel cnm peccato, ſi ſit cum impatientia, & hanc in pœnam peccati Propheta imprecabatur, dicens: *Nutantes transferantur filii ejus & mendicent.* (Pſal. 108. verſ. 10.) Hanc etiam abhorrebat Sapiens, qui orabat Dominum: *Mendicitatem,..... ne dederis mihi*, timens per egeſtatem involuntariam compelli ad (Prov. 30. verſ. 8.) impatientiam; unde ſubdit: *Ne egeſtate compulſus, furer, & perjurem nomen Dei mei.* (verſ. 9.) Et hæc eſt propriè dicta mendicitas, juxta qood dicit Iſid. *Mendicus* dictus eſt quaſi *minus habens unde degat*, vel quaſi *manu dicens* neceſ- (Ethim. lib. 10.) ſitatem ſuam.

Secunda eſt quam parit cupiditas. Et hæc eſt in pauperibus ſimulatis, habeos annexum cruciatum

cruciatum culpabilem, quo torquentur omnes avari & cupidi, non tam fame corporalis inediæ, quàm ſpiritualis nequitiæ, per inſatiabilem avaritiæ voracitatem. Hanc diſſuadet
1. Theſ. 4. Apoſtolus, dicens: *Nullius aliquid deſideretis.*
verſ. 12. Gloſſa addit *nedum rogetis vel tollatis*, in quo deſiderium prohibet cupiditatis alienæ, & petitionem ex ipſa venientem Hane etiam abhortebat paupertum Patriarha Franciſcus: quoniam in petendis eleëmoſynis non quæſtûs agebatur cupidine, ſed ſpiritûs libertate, eamdemque ſuis commendans diſcipulis, dice-
Leg. cap. 7. bat aliquando: *Petite tantùm victus & veſti-*
num. 9. *tûs neceſſaria. Ego de me fateor, & gratias ago*
Alvar. Pelagius. *Deo meo, quòd numquam ſui fur aut latro elee-*
lib. 2. art. 64. *moſynarum. Semper enim minus accepi quàm me contingeret, ne alii pauperes ſuâ ſorte fraudarentur, quia contrarium facere, ſemper furtum reputavi.* Ejuſdem opinionis fuit obſervantiſſimus Viri Sancti filius, Doctor Subtilis, condemnans eos tamquam injuſtos rei alienæ deſeotores, qui nullum ponentes cupiditatis ſuæ limitem, corradunt eleëmoſynas ultra neceſſi-
In 4. d. 15. tatem; *quia*, inquit, *non eſt in donante volunta-*
q. 2. *tium, propter conditionis ignorantium, quum reſpicit in donando*, ſcilicet indigentiam, quam reſpicit donans, & quæ tamen in petente verè non exiſtit. Æquiſſimâ item cenſurâ hos ferit noſter Alvarus Pelagius lib. 2. art. 51. Eleëmoſynæ fidelium, menſa Domini magna ſunt, unde omnes pauperes refocillantur. De qua
Eccleſ. 35. noo incongruè dixerim illud Sapientis: *Non*
verſ. 13. *dicas ſic: Multa ſunt quæ ſuper illam ſunt. memento quoniam malus eſt oculus nequam*, inſectus concupiſcentiâ oculorum, qui libenter omnia ſibi taperet, aliis invidens pauperibus, ſi quid
verſ. 19. de eadem menſa accipiant. Hinc *utere quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne cùm manducas multum, odio habearis* Et alibi ſuadens
Prov. 23. idem verbis aliis, ait: *Noli laborare ut diteris,*
verſ. 4. *ſed prudentiæ tuæ pone modum.* Prudentia eſt modo ſibi licitò providere; ſed prudentiæ iſti modum non ponit, qui plura mendicat quàm ſibi ſuiſque neceſſarium ſit juxta temporum conditionem

Tertia eſt quam parit pigritia. Et hæc eſt in pauperibus mendicantibus validis & otioſis, habens annexum cum cruciatu ſolatium; vitioſum tamen atque phantaſticum. Studioſum, enim refugientes laborem & otioſam appetentes vacationem, fructuoſam quietem perdunt, & perniſioſam fatigationem incurrunt,
Prov. 21. ſecundùm illud Sapientis: *Deſideria occidant*
verſ. 25. *pigrum; noluerunt enim quidquam manus ejus*
Prov. 20. *operari.* Et iterum: *Propter frigus piger arare*
verſ. 4. *noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.* Et hæc mendicitas non ſolùm lege divinâ, ſed etiam lege civili prohibetur.

Quarta eſt quam parit induſtria. Hæc eſt in pauperibus ſtudioſis circa diſciplinam ſcholaſticam occupatis, habens annexum cum cruciatu penuriæ ſolatium veritatis inventæ: quod adeo mentes generoſas oblectat, ut multi dica ærumnis & laboribus pleni, jucundi videantur, & pauci, præ magnitudine dilectionis: malunque ea cum rubore mendicando diſcere, quàm delicatè viveodo ignorare. Quod in pluribus vidimus, qui cùm mendicando didicerint, poſtea magnum
Lib. de Opere Monach. locum in Dei Eccleſia tenuerunt. Et talibus Aug. dicit, quòd eis ſubſidia fidelium in ſupplendis neceſſariis deeſſe non debent, cùm ad erudiendum animum ita vacant, ut corporalia hujuſmodi opera ab ipſis geri non poſſint.

Quinta mendicitas eſt quam parit juſtitia. Et hæc eſt in pauperibus voluntariis, immunibus ab amore temporalis lucri, & torpore corporalis quietis, annexum habens cum cruciatu ſolatium virtuoſum & verum, pro eo quòd ſic mendicantes ſolius moventur amore paupertatis Evangelicæ; quam ideo amplectuntur, ut liberiùs ſapientiæ vacent, & efficaciùs ad culmen virtutis attingant, quatenus in camino paupertatis electi, ipſius penuriâ purgentur à crimine, ipſius eruſceſcentiâ humilientur in corde, ipſius parſimoniâ caſtificentur in carne; ipſius devotâ gratitudine concilientur ad proximum, ipſius condeſcenſivâ benignitate configurentur ad Chriſtum, ipſius ſublimi celſitudine ſurſum agantur in Deum. Hæc eſt quam nobis Franciſcanus Chriſti pauperculus commendat, dicens: *Vadant pro eleemoſyna.* Hæc liberat ſoblimes animas, nudum ſequentes crucifixum, à tyrannide cupiditatis, & curarum innumerabilium, quæ graviſſimo ſuo detrimento
Job. 36. hujus ſæculi divites experiuntur. *Eripiet de an-*
verſ. 15. & 16. *guſtia ſuâ pauperem*, inquit S. Job, *& revelabit in tribulatione aurem ejus. Salvabit te de ore anguſto latiſſimè, non habente fundamentum ſubter ſe: requies autem menſæ tuæ erit plena pinguedine*, veræ pacis pinguedine, veri gaudii atque confidentiæ. Feliciter ſalvat voluntarium pauperem de ore anguſto, ſive faucibus Diaboli, eum inviantis ad ſe adorandum; quando ex oppoſito Deus paternam ſuam oſtendit liberalitatem, quâ modus ille vivendi dulciſſimus ipſi fit atque ſecutus; ut canere meritò poſſit: *Pa-*
Pſalm. 22. *raſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos qui*
verſ. 5. *tribulant me*, cupiditatis, ſcilicet, diffidentiæ, ac impatientiæ tentationibus.

Eſt quoque mendicitas illa non modò rete magnum, quo neceſſitates colligimus corporales, verùm & benefactorum animas, quas eo modo quaſi arte mirabili videmus frequenter extrahi è Diaboli poteſtate. Ava-
Annal. Tom. 1. rus quidam erat Spoleti, qui nullam vole-
an. 1213. bat ex abundanti ſua facultate pauperibus
num. 9. Franciſcanis largiri eleëmoſynam. Quod cùm F. Andreas è tenis, qui ſtipem colligebat, Viro Dei Franciſco narraret, juſſit ut quâcumque honeſtâ arte vel unum ei extorquerent Fratres panem, & ad ſe deferrent. Ita factum; & avari panem accipiens in menſa Franciſcus, benedixit diviſitque inter ſingulos Fratres, jubens, ut antequam ſuum unuſquiſque fruſtum comederet, pro largitore precaretur, ter repetitâ oratione Dominicâ & ſalutatione angelicâ. Exaudivit piorum orationes Dominus, hominemque adeo emollivit & flexit, ut antequam è prandio ſurgerent Fratres, jam præ foribus pulſaret, ſuæ duritiei veniam petiturus, quem omni benignitate admiſſum & à ſancto Viro de ſuo Inſtituto (de quo ille humiliùs & indigniùs ſenſerat) inſtructum, præcipuum haberunt deinceps Fratres bene-

Surius ad 23. Junii num. 14. factorem. B. Christina Mirabilis, Virgo Leodiensis, dicebat se ea de causa compelli divinitùs ad petendas sceleratorum hominum eleëmosynas, ut illi per eas ad peccati horrorem agendamque perducerentur pœnitentiam. Hinc die quodam, siti vexatâ intolerabili, Deo instigante ad sceleratissimi cujusdam hominis mensam accurrit, potum postulans ab eodem. Ille præter morem insolitâ permotus humanitate, vinum ei obrulit, unde illa parum bibit. Eâ de causâ, contra omnium opinionem, qui virum noverant, affirmavit Christina, eum in morte ad contritionis gratiâ pervenisse.

Quin imò, non modò particulares homines, sed integras etiam hominum communitates, legimus quandoque merito eleëmosynarum in Christi pauperes collatarum, à gravissimis præservatas esse periculis. Cùm aliquando in urbem Assisiatem hostilis Saracenorum furor irrueret, S. Clara pro suis filiabus Dominum deprecata, vocem quasi pueruli audivir, de gratiæ divinæ propitiatorio suis antibus insonantem: *Ego vos semper custodiam.* Cui illa supplicans, ulteriùs ait: *Mi Domine, & hanc si placet protege civitatem, quæ nos pro tuo amore sustentat.* Et Dominus ad eam: *Gravamina sustinebit; sed meo munimine defendetur.* Nec mora: statim canum illorum repressa protervia audacia, & per muros quos ascenderant, celeriter exeuntes, oratoris virtute deturbati sunt. Simili ope B. Marci Hungari, oppidani Castri Coneclaoi à barbarorum direptione liberati sunt. Cùm enim in mœnibus hostilia signa inimici penè firmarent, videntes Fratres quemdam viri veste accinctum, sed magnâ claritate in supremis mœnibus splendentem, territi recesserunt.

(Sedul. Vita S. Claræ cap. 14.) (Annal. Tom. 4. an. 1372. num. 44.)

Eant nunc cæcutientes quidam filii hujus sæculi, qui politicâ turgentes prudentiâ, vociferantur mendicitatem Religiosorum in gravamen introductam Ecclesiæ, populique christiani. In quo eos falli Sapiens testatur, dum ait: *Inventus est Vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam, & nullus recordatus est deinceps hominis illius pauperis.* Eccles. 9. vers. 15. Urbis communitatisque liberationem testatur exempla allegata, & alia plurima. Consiliis etiam & hortationibus suis Religiosi pauperes populum intrà limites modestiæ, obedientiæ, pacisque civilis continent: à rebellionibus, latrociniis, & proditionibus cohibent afflictos consolantur, confortant pro republica laborantes; multisque modis aliis, etiam politicam, promovent felicitatem. Criminantur alii, nos eleëmosynas rapere, quibus deberent invalidi pauperes sustentari, inmorquenterque illud Ecclesiastici: *Panis egentium, vita pauperis est; qui defraudat eum, homo sanguinis est.* Eccles. 34. vers. 25. Quibus respondendum est, non homicidas, sed benefactores esse pauperum, Religiosos illos pauperes, qui nihil sibi reservantes, studuerunt omnia sua pauperibus erogare.

TEXTVS & § IX.

Confidenter.

SVMMARIVM.

Franciscani sunt Dei commensales, ideoque confidenter petere possunt eleëmosynam. Quanta fuerit S. Francisci in Deum confidentia: Quàm certa sint divina promissiones in anima confidentes. Vienaum tamen mediis laboritii vel mendicationis. Quanta sit Dei in Ordinem D. Francisci beneficentia, item in Franciscanos aliquos singulares.

Nter alia mandata, quæ moriturus rex David à filio suo dedit Salomoni, illud etiam erat: *Et filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi quando fugi à facie Absalom fratris tui.* (3. Reg. 2. vers. 7.) Siquidem David fugiente, Betzellai Galaadites, Vir dives nimis, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, & præbuit alimenta regi, cùm moraretur in castris; (2. Reg. 19 vers. 31. & 32.) & pro eo beneficio, sic remunerati sunt filii ejus, ut comederent totâ vitâ suâ panem de mensa Salomonis. Per *Berzellai*, qui *filius contemptus*, vel *despectus* interpretatur, possumus Franciscum intelligere, pro eo, quòd jugiter studebat, tanquam Christi discipulus, in oculis suis & aliorum vilescere, despici atque contemni. Hic exiens de terra sua, & de cognatione sua & de domo patris sui, cunctasque sæculi dimittens commoditates, occurrit Regi cœlesti, eique in pauperibus suis indigentiam patienti, necessaria sedulò ministravit, sicut scriptum est: *quod fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis.* (Matth. 25. vers. 40.) Quid verò huic Viro misericordiæ pro eo rependitur beneficio? Rex cœlestis filio suo Domino Jesu Christo ait: *Filiis Berzellai Galaaditis*, Minoribus Francisci filiis, *reddes gratiam.* Quàm porrò gratiam? *Erunt comedentes in mensa tua.* In mensa eleëmosynarum, quam Dominus in eorum paravit conspectu. Ad hanc proinde mensam, *confidenter* occurrere possunt Franciscus ejusque filii, ut ipsorum provideatur necessitatibus, sicut ipse S. Pater à se suisque scribit practicatum: *Quando non dabatur nobis pratium laboris,* Testam. recurrebamus

S. P. N. Francisci. *recurrebamus ad mensam Domini petendo eleëmosynam ostiatim.*

Opusc. S. Franc. Apoph. 25. Honorio III. Pontifici Maximo, Beatum Patrem ut possessiones & hæreditates acciperet suadenti, multasque ærumnas passurum, si solùm de eleëmosynis viveret, prædicenti, ait: *Confido in domino Jesu, quod qui nobis in cœlo promisit, & vitam & gloriam sempiternam, non subtrahet nobis in terra illa modica, quæ corporis victui & vestitui sunt omninò necessaria.* Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 50. Dicebat etiam aliis aliquando: *Quantùm Fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis, & quærent & non invenient. Si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum & Fratres; debent enim ipsi mundo bonum exemplum; debet eis mundus provisionem necessitatum: Quando autem ipsi retraxerint bonum exemplum, fide mentitâ, retrahet mundus manum justâ censurâ.* Quamdiu igitur vixerimus conformiter Regulæ nostræ institutis, non est formidandum, quòd fame pereant æterni Regis filii & hæredes, qui ad imaginem Regis Christi, per Spiritûs Sancti virtutem, de paupere matre nati, & qui per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula enutriendi. Minimè revocanda est in dubium divinarum veritas promissionum, tot vocalium oraculorum, atque scripturarum stipulata testimoniis.

Consolatorium edidit aliquando vaticinium Isaias: Isaiæ 54. vers. 30. *Pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Qui sunt pauperes isti, & qui ipsorum primogeniti? Veri pauperes fuêre Apostoli, nil penitus in hoc mundo possidentes. Qui verò primogeniti eorum, sive principales & naturalissimi filii? Certè Fratres Minores, qui proximè ad Apostolicam accedunt paupertatem. Hi pascentur & fiducialiter in Patris requiescent promissionibus. Eminentissimus Dominicani Ordinis Cardinalis, Jacobus à Vitrico, de ipsis scribit in hunc modum: In Histor. Occident. cap 32. *Alios omnes amplitudine Religionis suæ tantò confidentiùs absque ulla contradictionis molestiâ suscipiunt, quantò divinæ munificentiæ & providentiæ sese committentes, unde eos sustentare Dominus debeat, non formidant. Ipsi enim funiculum cum tunica venientibus ad se largientes, quod reliquum est supernæ procurationi relinquunt.*

Fidelis est Dominus in omnibus verbis suis. Ipse autem dixit per os David ad pauperem: Psal. 54. vers. 23. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet; non dabit in æternum fluctuationem justo.* Quod & S. Petrus clarè confirmavit: 1. Petri. 5. vers. 7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Sed luculentiùs ipse-met Christus, in amplo illo apud Matthæum discursu, quo, sumpto à volucribus cœli & liliis agri argumento, fidem spemque divinæ providentiæ, firmiter in nostris studet cordibus stabilire. Illumque discursum concludit in hunc modum: Matth. 6. vers. 31. *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Hæc sunt verba, quæ claustra Monachis replent, deserta Anachoretis, hæc voluntariam per totum mundum piis persuaserunt hominibus paupertatem, ut non jam ampliùs propriis viverent redditibus, sed paternæ seipsos committerent Dei providentiæ. Inter hos D. Aug. Lib. de Eleem. *Volucres*, inquit, *Deus pascit, & quibus nullus est divinæ rei sensus, nec cibus nec potus deest. Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo charo aliquid existimas defuturum? An putas, quia qui Christum pascit, à Christo iste non pascetur? Aut eis terrena deerunt, quibus divina & cœlestia tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio? Unde impia ista & sacrilega meditatio?* Meritò igitur sufficit verbum Christi Francisco & Franciscanis, ad sæcularem omnem & gentilitiam tollendam sollicitudinem, ad plenamque spiritus libertatem, & ut crederent numquam sibi Patrem cœlestem defuturum, si eum duntaxat modicum adhiberent laborem, quem status requirit humanus, sive opus manuale, sive humilem mendicationem.

Neque enim Christi pauperes discrimini Bonav. in Apol. Resp. 4. cap. 5. se committunt (ut quidam olim calumniabantur) ut per hoc sui-ipsorum homicidæ sint, Deique tentatores. Verùm sic recusant possessionis dominium, quòd sustentationis necessariæ non abjiciant usum: sic se divinæ committunt providentiæ, ut viam non spernant provisionis humanæ; quò minùs sustentari valeant, vel de his quæ gratis offeruntur, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ per laboritium conquiruntur. Is enim est divinæ ordo gubernationis, ut non otiosè miraculosas expectemus de cœlo provisiones, sed ut petamus ad minùs panem nostrum quotidianum: sicut & pro donis quibuscumque obtinendis rogari vult, distributurus tamen per eos, quos ministros suæ instituit liberalitatis. Sicut autem arrogantia foret, velle ab eo immediatè illustrari & sanctificari, atque dedignari ministros Ecclesiæ ad spiritualia dona distribuenda constitutos: sic & superbia esset, velle de manu ipsius Domini accipere temporalia, ejusque contemnere œconomos, quibus eorumdem commisit distributionem. Oeconomi ipsius sunt divites hujus mundi, quos constituit super familiam suam, ut dent illis in tempore tritici mensuram. Ex his numquam deerunt parati ad largiendum petentibus, Deo ipsos secretis commovente inspirationibus. Sic exponebat S. P. N. propheticum illud: Psalm. 77. vers. 25. *Panem Angelorum manducavit homo*, ut diceret panem Leg. cap 7. num. 8. illum verè Angelicum esse, quem pro Dei petitum amore, & beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius charitate largitum, sancta paupertas colligit ostiatim. Et hunc promisit Dominus, pauperibus suis filiis numquam defuturum.

D. Bonaventura opponens se calumniatoribus, In Apolog. Loco citato. clamantibus nos esse Dei tentatores, opponit experientiam, dicens: *His modis* (laboritii & mendicationis) *vixerunt hactenus hujusmodi pauperes in magna multitudine sexaginta annis & ampliùs per operis exhibitionem adeò in eis divino impleto promisso, quod nullus*

eorum,

eorum, cujus ad nos fama pervênit, ob defectum vestium vel victus mortis incurrit periculum. Nunc verò habemus multò fortiùs comprobatas divinas promissiones per experientiam quadringentorum & quinquaginta propè annorum in millenis & millenis domibus, & fratribus conversantibus non modò inter benevolos Christianos, verùm & inter Hæreticos, Turcas, Barbaros, & agrestes Indorum populos: quibus opportunè suppeditata fuêre necessaria, tum conventibus integris, tum personis particularibus ad mensam Domini recurrentibus. In regionibus Germaniæ, aliisque bellorum calamitate exhaustis atque derelictis, multos audivimos fame interiisse sæculares; nullos verò Franciscanos. Sic impletur Isaiæ prædictio, quòd *Pascentur primogeniti pauperum &c.* Mirabile est quod B. Thomæ de Scarlino contigit. Cùm Romam unà cum socio proficisceretur, in quodam vico præ foribus pauperculi agricolæ frustulum panis pro amore Dei peterent. Responsum fuit in generali annonæ caritate magnâ se etiam fame divexari, & per integrum mensem neque buccellam vidisse panis, sed herbis & rapis familiam sustentari. Rogavit Vir Dei, ut videret, an panis aliquod fragmentum lateret in arca. Cui ille: neque à longo tempore aperuimus inanem. Nos esurimus, & putas undique conquirentibus panem superesse? At Thomas: Abi, inquit, & vide si fortè sit spes; quid scis, si Deus vestri & nostri misereatur? Nonnè & panem poterit dare, & parare mensam populo suo? Confide in Domino, non est impossibile apud Deum omne verbum. Abiit, aperuit, arcam panibus plenam cooperit, in Dei laudes erupit, & vicinos advocavit, qui notissimum miraculum agnoscerent. Thomas verò, acceptis duobus panibus, quàm citissimè recessit, timens quidquam sibi honoris inde deferri. Alia similia multa divinæ providentiæ exempla superiùs suis locis recensuimus.

Isaiæ 14. vers. 30. Annal. Tom. 5. an. 1447. num. 10.

TEXTVS & §. X.

Nec oportet eos verecundari.

SVMMARIVM.

Christus mendicans potum à Samaritana, ostendit mendicitatem voluntariam non esse ex genere eorum de quibus debeamus verecundari. Quàm animosè Franciscus mendicandi verecundiam superârit. Suos etiam exhortans suaviter, ad illud mittit exercitium. F. Adolphi Comitis Holsatiæ generositas in eo pudore calcando. Quanta imperfectio, ad bona opera erubescere. Cavendum ex altera parte, ab importunitate in mendicando. Referuntur aliquorum in hoc exempla modestiæ, & S. Patris Francisci monitio.

Joan. 4. vers. 7.

CUm Dominus Jesus fatigatus ex itinere sederet supra fontem, venit mulier de Samaria haurire aquam. *Et dicit ei Jesus: Da mihi bibere.* Mira sanè dignatio, quòd cœli terræque Dominus, in cujus manu universa sunt posita, non erubuerit à paupercula muliere, aquæ potum emendicare. Hoc modo confundit superbiam nostram, quæ perperam judicat, dedecens esse ac vile, ab alio in temporalibus dependere, ac mediis omnibus evadere contendit probrum paupertatis, æstimatamque mendicitatis vilitatem. Hunc mundi errorem, S. Bonaventura dilucidè manifestavit, dicens: *Licèt avaris sit molestia penuria, & superbis erubescentia, & lascivis frugalitas, & indevotis actio gratiarum, & infidelibus conformitas ad Christum, & desperatis elevatio mentis in Deum; verè tamen pauperibus solatium est penuriam pati, humilibus despici, continentibus castificari, charitativis conciliari beneficio, credentibus configurari Christo, sperantibus sequestrari à mundo, & jungi Deo æterno. Ad quorum omnium confirmationem hoc sufficit, quod dicit Gregorius I. Dialog. sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles suâ despectione gratulantur, cùmque se in alienis oculis vilescere sentiunt, idcirco gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se & ipsi habuerunt.* Idem Seraphicus Doctor, solidis demonstrat rationibus, mendicitatem, eam præsertim, quæ voluntariè assumpta est, non esse de genere inhonestorum, de quibus sit rationabiliter verecundandum. Sicut nec infamiæ vel verecundiæ materia est, si quis per tortorem pro fide & veritate interficiatur, tametsi infame sit latronem propter delicta suspendi.

In Apol. Paup. Resp. 4. cap. 3.

Dum sæcularis adhuc existens Franciscus, hoc mundano dementatus errore ingentem sentiret in suæ conversionis primordiis à paupertate verecundiam, viriliter cogitavit hac in re abnegare seipsum, & accinxit se primò ad mendicationem lapidum pro reparatione Ecclesiæ Sancti Damiani, contemptâ civium suorum irrisione, & quotidianâ mendi- Annal. Tom. 1. in Appara. 1. § 5. nu. 6 & 11.

mendicitate multâ se superabat victoriâ. Quotiescumque etenim ad alicujus noti vel amici occursum mundano adhuc suffundebatur rubore, seipsum reprehendebat, magisque dejiciebat, prutinusque profunda cum humilitate eleëmosynam sibi fieri exposcebat; ut humiliori officio omnem reprimeret mentis tumorem. Reparatâ prædictâ S. Damiani Ecclesiâ, curabat ut coram sacra effigie Christi crucifixi, quæ eum allocuta est, lampades duæ semper arderent; sed cùm oleum mendicaret, evênit, ut quamdam ingrederetur domum, ubi multi convenerant ad ludendum. Subitâ percussus verecundiâ ad tot concivium conspectû, pedem retraxit; deinde quid fecerit, foris expendens, carpsit se vehementer, regressusque ad publicam ludi aulam, suam mentis infirmitatem omnibus detexit, culpamque confessus magno cum fervore & fiducia, gallico idiomate, ad majorem sui contemptum eleëmosynam petivit, pro fovendis Ecclesiæ luminatibus.

Hinc ex seipso conjecit, quanta deberet esse lucta, in animis virorum istorum honoratorum, qui seipsius addixerant disciplinæ, cum in eadem civitate, in qua notissimi erant, hanc subire debebant verecundiam. Quibus ut parceret, diu solus ibat mendicatum ostiatim, timens ne illi quibusdam adhuc sæculi respectibus detinerentur. Dum autem non posset ampliùs ob corporis debilitatem hoc onus sustinere, coactus est eos in partem vocare humilis illius ministerii, animans eos

Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 45.

subinde his verbis: *Charissimi Fratres & filioli mei, nolite verecundari ire pro eleemosyna. Si pro amore Christi elegimus viam paupertatis, non debemus confundi pro eleëmosynis ire. Arrham cœlestis hereditatis erubescere, nequaquam convenit regni cœlorum heredibus. Hæc est enim hereditas nostra, quam acquisivit nobis Dominus Jesus Christus & omnibus qui suo exemplo volunt vivere in sanctissima paupertate. In veritate dico vobis, quòd multi ex nobilioribus hujus sæculi venient, & pro magno honore & gratia habebunt, ire pro eleemosyna. Vos ergo qui estis illorum primitia, gaudete, nec renuatis facere, quod sanctis aliis faciendum transmittitis.*

Quibus perceptis verbis humiles discipuli ad Patris nutum lætantes ibant per vicina loca & castra pro amore Dei petentes quæ judebantur, hilarioresque in reditu coram sancto Patre conveniebant, jactantes alterntrùm, se plus aliis pro amore Dei collegisse. Ad quorum sanctam & simplicem æmulationem summoperè lætabatur B. Pater, videns suos tam libenter voluntariam amplexos pau-

Ibid. n. 46.

pertatem. Contigit semel, ut unum ex iis qui è stipe redierant, peram seu manticam panis frustulis refertam humeris gestans domum intraret lætus, alacri & altiori voce laudans Deum, summum benefactorem. Cui S. Pater occurrens, ascoperam ex humeris ejus in suos transferens, osculansque locum vel humerum in quo à fratre portabatur, interiora domûs ingressus, dixit ad cæteros: *Sic ego volo quòd frater meus vadat, & revertatur cum eleëmosyna, latabundus, Deum glorificans in suis beneficiis.*

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Porrò unus ex hujus sæculi nobilioribus, quos B. Pater ad nostræ humilitatis consortium venturos prædixit, fuit F. Adolphus de Schouvenberg, Holsatiæ Comes, insignis illius in mendicando erubescentiæ, humanorumque respectuum triumphator. Cùm semel lac mendicaret in hydriam, ut haberent operarii & fratres, qui ædificabant monasterium in oppido Kyl, quo inter laborandum per æstum reficerentur, venit ad Conventum, hydriam bajulans lacte plenam. Et cùm in media platea, à qua declinare iter non poterat, obvios habuisset filios sublimes in equis Comitum more sæcularium, passus est humani aliquid in animo, ut rubore cœperit perfundi: sed ille se excutiens, confortatur, & robur mentis advocans, cùm adhuc in conspectu essent filii, hydriam levatam super caput evertit, seque totum à vertice lacte persudit, dixitque sibi: *Infelix, erubuisti Christi pauperiem, bajulare lac in manibus, nunc vel in capite ostende quid portaveris.*

Annal. Tom. 1. an 1244. num. 13.

Intelligebat magnus ille Vir, aliique nobiliores Dei servi, nihil æquè animum à rebus magnis solidâque virtute retrahere, quàm timidum pudorem irrisionum, & respectuum mundanorum; prout sentiunt qui inter helluones non audent sobrii esse, nec inter detractores famam tueri alienam, nec inter mundi pompas humiliter agere; de quibus in Levitico dicitur: *Terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium. Cadent nullo persequente.* Levit. 26. vers. 36.
Nil aliud est respectus mundanus, quàm sonitus folii in arbore hærentis, nec lædere valentis: quo sonitu territi illi pudibundi, non audent Christo pauperi & humiliato adhærere, sed fugiunt, viliùs eum, quàm Petrus in domo Caiphæ, abnegantes. B. Rogerius in nullo actu, qui ad Dei cultum vel proximi spectabat utilitatem, verecundabatur, dicebatque *eum verum amorem non esse, qui omnem non expelleret inanem verecundiam.* Solâ pudoris imaginatione constricti timidi angustiantur, nec erumpere valent ad boni executionem propositi; non attendentes ad illud comminatorium Christi verbum: *Qui erubuerit me & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in majestate sua, & Patris & sanctorum Angelorum* hoc fulmen avertere volens Franciscus à suorum capitibus filiorum, monet quòd in Evangelica mendicitate *non oportet eos verecundari.* Quod exequendo boni Franciscani, nunc eò usquè mundum vicerunt, ut eis ostiaria mendicatio, non jam ampliùs vertatur dedecori, sed majorem eis comparet venerationem apud illos qui pretium voluntariæ intelligunt paupertatis, tantamque sui ipsius victoriam admirantur.

Annal. Tom. 2. an. 1287. num. 12.

Luc. 9. vers. 26.

Curandum verò nobis est, ne dum hortatu Francisci stultam vitare conamur in mendicando verecundiam; in alterum declinemus extremum, vitiosam scilicet impudentiam & importunitatem. Petendæ sunt eleëmosynæ, non exigendæ, & quasi cum violentia ab invitis extorquendæ. Insignis enituit in hoc discretio Marci Bononiensis Vicarii Generalis, aliorumque ipsi subditorum Franciscanorum. Rex Bosniæ conversus ab eis ad fidem,

Annal. Tom. 6. an 1453. num. 16.

accepti beneficii lucis Evangelicæ suis magistris præmium redditurus, facrilque operariis necessaria ministraturus, decreverat in suo regno, ut Fratribus alimenta darentur & qui nollent, ad præstandum cogerentur. Displicuit Religiosis, maximè Marco hoc edictum, & Dei providentiæ populique benevolentiæ, potiùs quàm violentæ regiæ provisioni volebant initi. Scripsit itaque Marcus Epistolam Regi, quâ significabat, hoc statui Minorum nullatenus convenire, futurumque id Fratribus acerbissimum, cùm ipsi facere nollent, quod ab aliis factum reprehenderent, eosque malle initi divinæ providentiæ, & liberæ populi benevolentiæ, quàm violentæ regiæ provisioni.

Plùs etiam proficit simplex atque modesta necessitatis nostræ declaratio, quàm instantiæ multæ, quæ sæculares homines sæpè magis indurant. Desiderabat piissima mater misericordiæ, subventum esse pauperibus in Cana Galileæ. Ut impetraret, simpliciter, breviter & humiliter eorum exposuit necessitatem, dicendo: *Vinum non habent*, Sufficeitque verbulum istud apud benevolum Dominum. Nec potuit etiam ille brevius humiliùsque sanitatem postulare, qui dicebat: *Domine, si vis potes me mundare.* Sic & alii, qui Christum flexerunt ad misericordiam. Eodem stylo cum nostris agamus benefactoribus, qui si spiritu

Joan. 2. vers. 3.

Matth. 8. vers. 2.

Dei aguntur, nolunt multa verba; paucula sufficiunt, quibus ad misericordiam liberoterque misereodum flectantur. In humilitate modestiaque nostra ædificantur, & gaudent agi secum in timore & reverentia, verecundâque apprehensione gravaminis inferendi.

Demùm, quia contingit quotidie nostris non satisfieri votis, memoriâ retinendum erit, quòd aliquando filios suos B. Pater N. monuit: *Qui eleëmosynas petit, aequales Deo solvat gratias, quando ei misericorditer tribuitur, & quando crudeliter denegatur. Quando tribuitur, quia à Deo mittitur, ut nuditatem corporis contegat, & esuriem ventres reficiat; quando negatur, quia occasio offertur meriti & patientia.* Certè si aliàs S. Patriacha monuit, ut stipendium pro laboritio præstito reciperemus *humiliter sicut decet servos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores*, non remurmurando si fortè justum denegaretur stipendium: quantò magis cum iis sæcularibus nos decet humiliter agere, qui nullâ nobis ratione obligantur, & à quibus non possumus justè denegatæ eleëmosynæ postulare rationem? Erat peccatum puerorum Heli grande nimis coram Domino, quòd præter præscriptum sacrificiorum ritum, extorquerent ab immolante offerenda, dicentes: *Nunc dabis, alioquin tollam vi.* Non veniat anima nostra in consilium eorum.

Opusc. Tom. 3. Serm. 3. in fine.

Cap. 5. Reg.

1. Reg. 2. vers. 16. & 17.

TEXTUS & § XI.

Quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.

SUMMARIUM.

Christi Domini mendicitas luculentiùs comprobata. Illius exemplum discipulis suis proposuit Franciscus, & studuit ipse accuratissimè æmulari. Christi multiplex paupertas ostenditur. 1. rerum temporalium. 2. amicorum. 3. per eam expoliavit semetipsum quodammodo seipso; suâ potentiâ, suâ sapientiâ, suâ famâ, & suo dominatu.

CUm remansisset duodennis Jesus in Jerusalem, non invenientes eum inter cognatos & notos Maria & Joseph, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum, *Et factum est, post triduum invenerunt illum, &c.* Divinam hanc historiam perpendens Mellifluos Bernardus, devotam proponit quæstionem: *Per illud triduum ubi eras bone Jesu? Quis cibum aut potum ministravit?* Et per piam resolvit opinionem: *Ut te Domine Jesu per omnia nostræ conformares paupertati, & in te humana naturæ calamitates susciperes; quasi unus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum sic mendicatarum participem fieri, vel saltem divini illius edulii reliquiis saginari?* Eidem sententiæ Seraphicus inhærens Bonaventura, dicit: *Conspice Jesum in illo triduo attentè, quomodo se reducit ad aliquod hospitale*

Luc. 2.

Homil. super illum Textum.

In Medit. vitæ Christi cap. 14.

pauperum; & cum verecundia petit hospitari, & ibidem comedit & hospitabatur cum pauperibus, Jesus pauper. Sic Dominus noster propter nos egenus factus est cùm esset dives, ut illius inopiâ nos divites essemus. Numquid fortè ut temporalibus ditaret, quæ repudiaverat ipse, ut auro impleret atque argento? Minimè; sed ut inopiâ contemptuque terrenorum, maxima & pretiosa nobis donaret promissa gratiarum, per quæ efficiamur divinæ consortes naturæ, *fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.* Voluit hic esse mendicus, ut in patria illa cœlesti reipsum abundantibus divitiis ditaret. Ut nobis humilitatis præberet exemplum, nostramque domaret superbiam; mendicavit locum ubi cum discipulis Pascha erat celebraturus. Mendicavit asellum cùm Jerusalem voluit ingredi.

2. Petri. 1. vers. 4.

Luc. 22

Matth. 21

Mendica-

Mendicavit hospitium in domo Zacchæi : à muliere Samaritana potum : *Mulier da mihi bibere.* Victum à mulieribus ipsi ministrantibus
Joan. 19. mendicavit; & in cruce ait : *Sitio.*

Pudeat sub hoc paupere atque mendico cœlorum Principe, servum fieri sæculi divitiis turgidum & elevatum Inter alia mala quæ vidit
Eccl. 10. vers. 7. Sapiens sub sole : *Vidi*, Inquit, *servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.* Est mundi mos, ut equitantes dominos, pedestres famuli subsequantur: Christus verò Dominus volens discipulos suos cum amore tractare atque honore, æqualitatem
Matth. 10. vers. 24. eis proposuit, dicens ; *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super dominum suum Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servo sit ut dominus ejus.* Conditio sanè à nullo famulo rationabiliter detrectanda. Nullus nisi planè ignavus miles eum refugit laborem, ad quem primus manum admoverit exercitûs imperator. Hinc volens Franciscus suis persuadere sequacibus, non verecundari in mendicatione eleëmosynarum : aptissimo fuit usus argumento : *Quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* Ex expressiùs alibi :
Opusculo Tom. 1. Serm. 30. *De eleemosynis ipse Dominus vixit. Si ergo vilis faciat creatura, quod priùs viderit Creatorem fecisse omnipotentem, non dedecori, sed honori ; non ignominiæ, sed decori vertendum omnes judicabunt.*

Ipsi etiam christianissimo Viro, solùm paupertatis Christi exemplum sufficiebat, ut ipsum satageret modis omnibus æmulari, omnemque cordis sollicitudinem apponeret, qualiter præeuntis Salvatoris posset vestigiis inhærere.
Chron. p. 2. lib. 5. cap. 10. Revelatum id fuit aliquando B. Petro Pectinario sive Tecelano, Tertiario Franciscano, ad magnam suæ animæ consolationem. Cùm enim oraret in Senensi Ecclesia Cathedrali, vidit Angelos cinerem spargentes in pavimento, thronosque in summo altari collocantes : Christum deinde introeuntem, ac Matrem discipulosque subindè sequentes, qui pedem rectè in Christi vestigiis ponebant. Post sequebantur alii plurimi ; sed non ita rectè assequebantur sacra illa vestigia : sic ut propter prævenientes & subsequentes, vix illa possent ampliùs deprehendi. Videbat tandem Franciscum etiam cum suis ingredientem, magnoque labore investigantem passus Christi, & demum deprehendentem, in quibus etiam appositè suos ponebat pedes, donec ad Christum perveniret, ejusque societatem.

Porrò ut nos paupertatis Christi vestigia perfectiùs cognoscere valeamus & invenire, audiamus B. Angelam de Fulginen, ea simplici stylo, sed contemplatione sublimi describentem.

B. Angela c. 59. Vitæ. „ Primò, inquit, Jesus Christus voluit esse pauper omnium rerum temporalium ; ita „ quòd non haberet terram, nec vineam, nec „ possessionem aliquam, nec pecuniam : nec „ recipere voluit de rebus hujus mundi, nisi „ ad sublevandam extremam indigentiam vitæ suæ corporalis ; cum fame & siti, penuriâ, frigore & calore, cum multo labore & „ duritiâ ; nec de cibis delicatis recipere voluit, „ sed de rebus grossis & communibus, quæ „ secundùm loca & tempus inveniebantur in „ ista provincia, in qua sinè domo & habitaculo mendicans vivebat.

„ Secunda paupertas Christi fuit, quia voluit esse pauper amicorum & consanguineorum, & omnis familiaritatis magnorum & „ potentum ; ita quòd nec aliquem habuit, nec „ ex parte matris nec patris putativi, nec ex „ parte discipulorum, propter quem sibi dimissa fuisset una alapa, nec unus ictus martelli, nec flagelli, nec unum verbum injuriosum. „ Et nasci voluit de matre pauperrima & humillima, & educari sub patre putativo paupere carpentario Et se expoliavit amore & „ familiaritate regum, pontificum, scribarum „ & omnium amicorum : ita quòd nec pro „ matre, nec pro consanguineo, nec pro quocumque dimittere voluisset aliquid quod placeret vel placere posset sui Patris voluntati.

„ Tertia paupertas & summa fuit, quòd „ expoliavit semetipsum seipso, cùm se ostendit pauperem in Potentia ; voluit enim apparere & vivere sicut impotens, Infirmus & „ debilis homo. Ipse enim præter miserias humanas, puerilem infantiam, &c. debilis apparuit, fatigatus ex itinoribus, aliisque laboribus ; & quod plùs est, non solùm homines peccatores in eum potestatem acceperunt, imò & omnia elementa sibi afflictionem inferendi potestatem habuerunt, „ & ipse tamquam impotens non resistebat. „ Dedit potestatem spinis, vinculis, flagellis, „ clavis, cruci, & acetu & felli, & lanceæ, ut „ effunderent sanguinem suum super terram. „ Dedit potestatem crucifixoribus, Judæis, aliisque nequissimis, ut eum judicarent, blasphemarent, irriderent & interficerent. Et „ quod ampliùs est, dedit potestatem Diabolo super se, ut eum tentaret & circumduceret, & cum membris suis, pessimis hominibus, ipsum persequeretur. 2. Expoliavit „ seipsum, & pauperem se fecit suâ propriâ „ Sapientiâ ; quia apparere voluit ut simplex „ homo, ignorans, & insipiens, & fatuus inter omnes homines mundi, & non ut philosophus, vel doctor verbosus, aut disputator ampullosus, vel in sapientia gloriosus ; „ sed in veritate humili conversando, & in „ simplicitate ac summa mansuetudine viam „ veritatis ostendebat. 3. Expoliavit se seipso „ & pauperem fecit suâ famâ sanctitatis & bonitatis, & Innocentiæ, quod mirabilissimum est : quòd ab omnibus non solùm non „ haberetur ut sanctus, sed ut peccator & peccatorum amicus, & sicut proditor & seductor „ patriæ, conspirator & blasphemus, voluit inter latrones condemnari & numerari. 4. Expoliavit semet-ipsum seipso, suo videlicet „ imperio, & principatu omnium rerum, & dominationum, quas habebat. Voluit enim esse „ sicut servus dejectus, venditus & emptitius ; „ neque cùm eum vellent facere regem, Rex esse „ voluit, sed regibus impiissimis semper usque „ ad mortem subjectus ; & non solùm regibus, sed etiam vilissimis servis & ministris „ eorum, usque ad verbera & mortem crucis. „ Nec inter discipulos, quos paucos, ignobi-

„les, & paupertimos elegit, ut dominus esse „voluit; sed asseruit, quòd venetat ministrare „& non mioistrari: quin imò iis pauperrimia „discipulis, in miseriis eaput & magister ex„istens, primus esuriebat & tribulabatur; non „enim fuit magister eorum, quatenùs prima„rum inter eos quæretet, sed ut primus Intet „eos afflictionem & dejectionem sustineret. „Quibus & io mensa ministravit, & pedas lavit.

„Pauper fuit re, voluntate, & spiritu, su„per omnem creaturæ æstimationem, propter „infinitissimum & dulcissimum amorem, quo „dilexit oos. Pauper, inquam, inops & men„dicus, in rebus temporalibus, pauper in ami„cis, io potentia, in sapientia mundana, in fa„ma sanctitatis, in statu dignitatis. Pauper in „omnibus existens, paupertatem prædicavit, „& pauperes beatos esse asseruit, & mundi „judices futuros. Divites condemnavit, & a„bundantias esse condemnandas, re, verbo, „cooversatione, & exemplo totis viribos præ„dicavit.

Hæc paulò latiùs beata ista & sanctissima Tertiaria, quæ tandem pro suo dolore ob neglectum Christi exemplum sua sic effundit la„menta: Sed heu! prò dolor! heu prò dolor! „hæc paupertas spiritûs est expulsa & bodie „quasi ab omoibus fugata, & (quod detesta„bilius est) ab illis, qui lo hoc libro vitæ le„gont & intelligunt, & haoc paupertatem „prædicant & glorificant, re, voluotate, sto„dio, & facto totaliter expugnatur. Heu me! „heu me! scimus, audimus, firmiter tene„mus, qualiter Filius Dei, magister & illu„minator, nobis exemplum factus, quali ci„bo & potu satiatus, qualiter indutus, qua„libus cameris & palatiis hospitatus, &c. & „tameo Christiaoos nos esse dicimus, & post „Christum paupetes nullatenus de facto esse „volentes, neque sibi assimilari desiderantes, „quamquam verbis dicamus, & ejus statum „& paupertatem beatificaotes; re autem & „facto Christi statum & paupertatis perfectio„nem detestantes. Væ nobis, qui post tantum „exemplum, tantam salutem expellimus, & „sumus errantes post abuodantias temporales, „& vacui finaliter remaoentes. Beatus & verè „beatus est, & erit, qui paupertatem omnium „prædictarum rerum diligit, qui de facto & „& oon solùm verbo pauper esse vult in rebus „temporalibus, in amicitiis, in delectatione, „vanâ scientiâ & curiositatibus, io fama sancti„tatis & prælationis. Quòd si quis noo potest „totaliter à prædictis se spoliare, saltem depo„nat affectiones rerum prædictarum. Et qui „contrarium de facto fecerit, quidquid ver„bo sermocinatus fuerit, infelix & maledictus „est; quoniam Ipsius est extrema paupertas & „perpetua esuries domorum inferorum, ubi „perpetua fames & sitis, & ubi cruciabitur in „perpetua sæcula sæculorum.

Hæc io spiritu fervoris B. Aogela, quæ utinam in cordium nostrorum desceodant penetralia!

TEXTUS & §. XII.

Hæc est illa celsitudo altissimæ Paupertatis.

SUMMARIUM.

Quò plura terrena humanus animus per contemptum suppeditat, eò sublimiùs elevatur. Tres gradus Paupertatis. Thronis Angelicis nos sancta Paupertas assimilat. Minimè despicabilis est: imò apud intelligentes homines gloriosa reputatur. Quàm honorata circa F. Franciscum Solanum, in Regno Peruano.

Gen. 7. vers. 17. FActo quadraginta diebus diluvio super terram, *multiplicata sunt aquæ, & elevaverunt arcam*, à Noë Patriarcha fabricatam, *in sublime à terra.* Et deleverunt aquæ omnem substaoriam, quæ erat super terram, animalia cuncta, quæ super eam remanserant, fastuosa palatia, aurum & argentum, & pretiosa quæque, in vastissima diluvii abysso subacta atque sepulta sunt. Quaotò autem aquæ multiplicabantur ampliùs, & plura de terrenis substantiis subigebant, tantò supernatans arca altiùs elevabatur. Arcam esse Seraphicam Religionem, quam fabricavit Patriarcha Seraphicus, ut in ea sæculi hujus homines à diluvio peccatorum & à morte inferorum præservaret, alibi ex mente D. Aotonini asseruimus. Hæc omnes mundi divitias subjiciens sibi per contemptum, & per Evangelicam cunctis renuntians paupertatem, eò magis elevatur à terra, cœloque appropinquat. *Hæc est*, inquit S. Pater, *illa celsitudo altissima Paupertatis.*

Tres gradus inveniuntur in Paupertate, ut ona dici possit alta, secunda altior, altissima tertia; prout S. Bonaveotura subtiliter eam distribuit, qui post enarratas aliquot ejus gradationes, hanc addit: *In alto gradu est, qui nihil habet proprium in speciali, sicut multi Religiosi. In altiori, qui nihil habet proprium in communi ad annum vel ad longum tempus, sicut pauci Religiosi. In altissimo est, qui nihil habet proprium in communi, nec ad septimanam, nec ad diem, ut Fratres Minores.* Alibi hanc eamdem coosiderans virtutem, sanctosque magnificans ea præditos, comparat Angelis tertii ordiois, Tom. 7. lib. de grad. virt. c. 8.

quos

quos sanctos Thronos nominamus, propter Paupertatis altissimæ professionem: *Nam*, inquit, *reputamus illud altius, quod est à centro remotius. Tales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum, qui cum terrenis nihil omnino possident, & ideo superiorem in cælestibus locum habent, sicut dicit Apostolus: Altissima eorum Paupertas abundavit in divitias simplicitatis eorum. Alta quidem est Paupertas quæ tollit superflua: altior quæ distribuit licita & permissa: altissima subtrahit sibi necessaria.* Eamdem angelicam similitudinem, congruentiamque similitudinis S. Bernardinus tribuit Paupertati, asserens non minùs hanc, quàm virginitatem aliquid habere commune cum Angelis. Nam velut Angeli liberi sunt à carne, hoc in eis faciente naturâ, sic & homines à carnis concupiscentia, operante divinâ gratiâ. Et si Angeli terrena concupiscere, iisque uti nequeunt; homines tamen possunt, sed nolunt: & hoc confert hominibus voluntariè assumpta beata Paupertas, quod illis creata contulit natura: quia nihil extitit eis ex creatione privatum sive proprium; omnia enim communia facta sunt. Qui verò sibi placuerunt in propriis, irremediabiliter corruerunt.

Lib. de Eccles. hierarch. p. 1 cap. 3.

2 Cor. 8. vers. 2.

Tom. 3. serm. 5.

Ad veram altissimæ Paupertatis celsitudinem oculus mundi pertingere nequit. Tamen rectè sentientium judicio non modò in genere virtutis altissima est, sed in genere quoque rerum honorabilium. *Nobilis revera titulus Paupertatis*, inquit D. Bernardus, *quam ipse Deus commendans ore prophetico: Ego sum, ait, Vir videns paupertatem meam. Super omnes regios thesauros hic vos titulus nobilitat amplius & reddit illustres.* Dejiciuntur simplices aliqui, dum alios Ordines pollentes divitiis, à Principibus vident honorari, frequentari à Nobilibus, exercere imperium in castra & oppida, in publicis præsidere comitiis; cum pompa, splendidoque incedere famulitio, Episcopis æquari; timeri ab omnibus, mundum regere universum, nec ab aliquo dependere; Fratres verò Minores in suis relinqui tuguriis, sinè gloria, sinè respectu, extra mundi totius memoriam, quasi indignos humano alloquio, consilio, aut loco aliquo inter homines: censeri pro ignaris, sordidis & obscuris. Sic quidem humiliatis sors nostra est, beatusque fuerit qui in his gaudebit. Non tamen arbitremur despicientiam nobis irrogari occasione Paupertatis, quam etiam Ethnici quidam spe gloriæ suor consectari.

Epist. 13. Thren. 3. vers. 1.

Memoriâ dignum est, quod dixit fecitque aliquando Aristides. Dum enim Calliæ pecuniosissimo ipsius consobrino, objectaretur, quòd inopi non succurreret Aristidi; hic in excusationem Calliæ, judicibus respondit, se munera ipsius sæpè respuisse, sibique plùs gloriandum egestatis causâ quàm pecuniæ, quippe multos ostendi posse qui copiis bene & malè utantur, Paupertatem qui egregiè ferret, ejus rarum esse exemplum; erubescere autem Paupertatem illos, qui inviti egeant. Et hæc quidem sapientis Viri sententia fuit omnium judicio probata. Certiorem tamen gloriam promittit & reddit veræ auctor gloriæ Deus, dum pauperculæ dicit Religioni: *Pro eò quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem.* Sublimitatem autem & magnificentiam quam admiratur mundus, mentis nimirum arrogantiam, ubi eam repererit, sic damnat: *Incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Et certè ex nunc eam conculcârunt Franciscani, & conculcant, dum in primo perseverant terrenorum omnium contemptu, eòque ascendunt altiùs, quò altiora sunt quæ contemnunt, quasi pedibus suis eadem supponentes. Hæc est enim voluntariæ sanctæque Paupertatis gloria, iis omnibus quæ contemnit, ipsam supereminere. Hanc dignitatem intelligunt satis quilibet cordati, prout passim ubique locorum experimur.

Plutarchus in Aristid.

Isaiæ 60. vers. 15.

Isaiæ 26. vers. 5. & 6.

Unicum dumtaxat commemorabimus, quod tamquam memoriâ dignissimum refert Alvarus de Paz, agens de centuplo pauperibus promisso, enucleatimque refert honores delatos nostro F. Francisco Solano, defuncto in Lima Occidentalis Indiæ, pauperrimo & humili Fratri: quantâ scilicet reverentiâ Archiepiscopus, Prorex, infinitus populus, & ipsemet devotus P. Alvarus celebrârint ejus sepulturam: quam & ipse Deus multis honorabat mirabilibus.

Tom. 2. lib. 5. p. 1. cap. 14.

TEXTUS & §. XIII.

Quæ vos charissimos fratres meos.

SUMMARIUM.

Charissimi Francisco Fratres sunt, qui altissimam ipsius sectantur paupertatem. Benedictionem eorum revelavit B. Angelæ Fulginati. Alia Benedictio, quam moriturus, F. Bernardo Quintavallensi impertiit. Discrimen verorum ejus filiorum à falsis.

Singulari charitatis affectu misericordiam apprecatur Apostolus Onesiphoro cuidam dicens: *Det illi Dominus, invenire misericordiam*, quia fideliter ipsi ad- fuit

2. Tim. 1. vers. 18.

vers. 16. fuit in necessitatibus, *& catenam meam*, inquit *non erubuit*; nec enim dedignatus est, Viri pauperis, atque captivi servus, discipulusque reputari. Simili quoque Franciscus eos complectitur affectu, qui sanctam ipsius non erubuerunt paupertatem; sed eidem velut catenæ ferreæ, sub sacra Religionis professione manus inseruerunt, atque eâ vinculati perseverant. Impensè semper amavit Vir Sanctus primos hujus Ordinis fundatores, ad quorum aspectum exultabat in spiritu, & omne diffugiebat tristitiæ nubilum, atque benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulabat, quos videbat per Dei gratiam ad illud elevatos fastigium, quod mundanus spiritus ne intellectu quidem attingere potest, & per quos suscitatum cernebat Evangelicum regnum voluntariæ paupertatis. Hinc adinstar Christi Domini gratias agentis pro discipulorum illuminatione, elevatis aliquando in cœlum oculis exclamabat:

Matth. 11. vers. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis* Fratribus his. *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, quia secretum istud non ex sapientia propria, vel humana aliqua apprehenderunt persuasione, sed ex solo tuæ gratiæ beneplacito. Certè, si Vir Dei aviculas bono aspexit oculo, quia in exemplum non serendi, nec metendi, nec in horrea congregandi nobis à Salvatore datæ sunt; si pauperes sæculares à fortuna humiliatos dilexit in tantùm & honoravit, ut inter eos sedere summa ipsi foret recreatio; quomodo non ampliùs diligeret eos, qui ex Dei amore paupertatem amplexi voluntariam, omni seipsos recreatione spoliârunt, ac proprietate temporali, ad conformandum se nudo crucifixo.

In Vita B. Angelæ cap. 49. Apparit aliquando dilectæ filiæ suæ Tertiariæ, Angelæ Fulginati, eique pacem apprecatus Altissimi, laudavit plurimùm suorum propositum filiorum, Fratrum scilicet Minorum, ardentium zelo observandæ paupertatis, eisque tam amorosè benedixit, ut totus videretur eviscerari amore super ipsos, dicens: *Benedictio æterna, completa & abundans, quam habui ab æterno Deo, veniat super capita horum dilectissimorum filiorum meorum; & dicas eis, quod veniant sequendo viam Christi per opera manifestando & per verba, & non timeant, quia sum cum eis, & æternus Deus adjutor eorum est.*

Dum instante morte, isti Filii ipsius essent in hoc exilio relinquendi, circumstantibus illis atque collachrymantibus pro subtractione tanti Patris, tamque solliciti Pastoris, ait

Opusc. S. F. Franc. Tom. 1. Benedict. 6. ad eos: *Ubi est primogenitus meus, Frater Bernardus?* Cui accedenti: *Veni*, inquit, *Fili mi, ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* Sed Bernardus, pro sua humilitate, ne sibi videretur assumere, quod pro officii dignitate & præfecturæ eminentiâ putabat debere Fratri Eliæ, tunc Generali Ordinis Vicario, & putativo Beati Viri successori, suggessit eidem ut ad dexteram morientis accederet, & oblatam reciperet benedictionem. Quo ante Dei Virum prostrato, ille, etsi præ lachrymarum assuetudine cæcutiret, plenus tamen Prophetico spiritu, manus super caput ejus imposuit, & dixit: *Hoc non est caput mei primogeniti Fratris Bernardi*; & cancellatis in modum crucis manibus, velut alter Patriarcha Jacob, dexteram ponens supra caput Fratris Bernardi, qui ad lævam, utroque flexo poplite, Patri assidebat, eum benedixit his verbis: *Benedicat te Pater Domini nostri Jesu Christi, in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Sicut primus es electus in Ordine isto, ad dandum bonum exemplum Evangelicum, & ad imitandum Christum in Evangelica paupertate, cui non solùm tua liberaliter obtulisti, sed & temetipsum in odorem suavitatis contulisti; ita benedictus sis à Domino Jesu Christo, & à me suo paupercolo servo, benedictionibus sempiternis, ingrediens & egrediens, vigilans & dormiens, vivens & moriens.* Et horâ sui transitûs propinquante, fecit pauperum Patriarcha alios omnes Fratres in Conventu S. Mariæ Angelorum existentes ad se vocari, eisque & absentibus omnibus in Crucifixi virtute ac nomine benedixit. Hæc erant viscerosa intimæ erga bonos ejus filios charitatis argumenta.

Sic etiam qui Religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam: *A te Domine*, inquit, *sanctissime, & à tota cœlesti curia, & à me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt & destruunt, quod per sanctos fratres Ordinis hujus ædificasti, & ædificare non cessas.* Leg. cap. 8. num. 2. Non eos pro suis agnoscit filiis, qui habitu induuntur delicato & pretioso, vel libros aliave possident superflua, vel alia gerunt Regulæ suæ contraria, quantumvis nomine glorientur Franciscano. Annal. Tom. 5. an. 1243 num. 15. Gloriantibus olim Judæis: *Pater noster Abraham est*, replicabat Christus: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Joan. 8. vers. 39. Idem exigitur & à nobis, ut si filii Francisci sumus, opera Francisci faciamus. Dicere nobis ipse potest, quod Judæis aliquando dixit Salvator: *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* vers. 31. Si fidelis amor paupertatis nos liberaverit, tunc verè liberi erimus; *omnis verò qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum*, vers. 34. tametsi ad tempus in domo & Religione Francisci maneat; *filius autem manet in æternum.*

TEX-

TEXTUS & §. *XIV.*

Heredes Regni cœlorum.

SUMMARIUM.

Paupertas eſt ſcala per quam in cœlum conſcenditur. Franciſcani aliqui ſingulares paupertatis zelatores. Angelis comparati per ſcalam Jacob aſcendentibus & deſcendentibus. Quale ſit promiſſum eis Regnum cœlorum & quantum, juxta æſtimationem S. Bernardini. Item D. Bonaventuræ remisſivè. Panis de Regno Dei, ſapit meliùs, poſt egeſtatis eſuriem.

JAcob Patriarcha recedens à parentibus ſolis, & tranſiens in Meſopotamiam, nec jumentum aliquod nec famulum habuiſſe legitur; ſed in baculo ſuo tranſivit Jordanem. Cùmque vellet aliquando requieſcere, poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco. *Gen. 28. verſ. 12.* *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & dominum innixum ſcalæ*, ingentes ſibi facientem promiſſiones. Nomen *Jacob* quod latinè *Supplantator* dicitur, poteſt non inconvenienter Religioſo Viro adaptari; quoniam ipſe recedens à parentibus, cunctas mundi ſupplantat facultates atque voluptates. Sinè jumentorum vadit famulorumque adminiculo; & per vitæ auſteritatem carnem ſuam crucifigit cum vitiis & concupiſcentiis: ſicut de Beato Patre Noſtro Seraphicus ſcribit Bonaventura, *Leg. c. 5. num. 1.* quòd *nuda humus, ut frequentiùs, lectus erat laſſato corpuſculo: & ſæpiùs ſedens ligno vel lapide ad caput poſito dormiebat.* Tali paupertatis auſteritatiſque cultori, ſcala exhibetur, cum cacumine cœlum tangente, & Dominus innixus ſummitati ſcalæ, atque promitens: *Matth. 5. verſ. 3.* *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Sic terrena ſpernentibus paupertas ſcala eſt, per quam ad cœleſtia conſcendant; ut meritò pronuntiaverit Franciſcus, hanc eſſe quæ chariſſimos Fratres ſuos *hæredes Regni cælorum inſtituit.*

Hinc eſt quòd quàm plurimi Viri Dei ex Franciſcano pauperum cœtu, mentem tenuerunt inceſſanter cœleſti gloriæ intentam. *Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 18.* B. Ægidius toties rapiebatur in Deum, quoties aliquid audiret vel de Deo, vel de gloria cœleſti, aut paradiſi amœnitate; manebatque eodem loco immotus. Itaque pueri & opiliones ab aliis docti, cùm eum viderent, clamabant: *Paradiſus.* Id verò ille audiens, mox ſurſum rapiebatur. Quam ob cauſam Fratres cum illo collocuturi, cavebant ne paradiſi mentionem facerent, veriti ne ejus colloquio privarentur. *Annal. Tom. 1. an. 1232. num. 27.* B. Juniperus dum inter ſacra audienda raperetur, factus ſui compos exclamavit: *O quàm ſpecioſum & amplum eſt Domini Regnum, in quo cum Chriſto gaudent Angeli! O quàm parum aut nihil pro eo lucrando operamur! Quis etiam ex primis orbis proceribus, non ferret libenter quidquam moleſtum, aut ſtatus indecorum, ſi regnum aliquod offerretur terrenum? Et pro cœleſti, æterno, ſummè delectabili, moleſtiæ modicum, verecundiæ nihil pati velimus?* F. Angelus ſeu Angeluccius laicus hortulanus, *Annal. Tom. 6. an. 1460. num. 31.* olim S. Bernardini ſocius, dum aulam Comitis cujuſdam ingreditur, & varios audit muſicæ concentus, Comitem recreandi causâ ab aulicis excogitatos, divina recogitans, & cœleſtium choros contemplans, quaſi vellet etiam corpore illuc aſcendere ubi fixerat cogitatum, ad ſummum uſque faſtigium in ictu oculi evolavit, hærenſque parumper placidè deſcendit. Ecce Angelos Dei de Ordine ſeraphico per ſcalam Jacob aſcendentes & deſcendentes. Per ſpiritum, inquam paupertatis, qui mentem facit à terrenorum ſarcinis exoneratam.

Quia tamen non cuicumque lux iſta, guſtuſque cœleſtis nectaris modis iſtis infunditur extraordinariis, juvabit auſcultare, quid familiares aliqui amici Dei de Regno iſto cœlorum pronuntiaverint: atque docuerint. *Tom. 4. Serm. 1. de temp. art. 1. cap. 3.* D. Bernardinus, ſimplici ſed ſucculento ſtylo, hæc ait: Regnum iſtud glorioſum, ſpecioſum & delicioſum eſt: & hoc propter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Propter Patrem, qui eſt celſitudo gloriæ. Propter Filium, qui eſt pulchritudo ſapientiæ. Propter Spiritum Sanctum, qui eſt dulcedo benevolentiæ. Hinc *gloriam Regni tui dicent*, *Pſal. 144. verſ. 11.* quando Spiritus glorificati, quidquid boni habent, reſolvunt in primum principium: & eo modo Angeli in continua glorificatione ſunt. Unde anima, quantò illa quæ accipit ſuo principio attribuit, tantò eſt cœleſti gloriæ propinquior. Gloria verò Regni æterni eſt, quando ſpiritus glorificati Dominum noſtrum Formatorem, Reformatorem, Gubernatorem & Glorificatorem laudant. Eſt etiam Regnum Dei ſpecioſum, juxta illud: *Accipient Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini;* *Sap. 5. verſ. 17.* quod nihil aliud eſt, quàm videre pulchritudinem ſenſibilium, & inſenſibilium rationalium & irrationalium, humanitatis Chriſti & Dei Unius ac Trini.

Eſt

Luc. 14. verf. 15.
Sap. 16. verf. 20.

Eſt iterum Regnum iſtud delitioſum. Hinc *Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei.* iſte panis ſufficiet, quia eſt panis Angelorum, de quo dicitur: *Panem de cœlo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis saporis ſuavitatem.* Si ergo delectantur homines in pane materiali, eò quòd vitam cootinuat mortalem, quanta erit delectatio in pane illo, qui eſt Vita per eſſentiam? De nullo poteſt anima ſatiari, quàm de iſto pane, qui eſt ſolus intimus, & intrans animam per eſſentiam; & ideo ſolus reficere poteſt: alia verò omnia non, quia intrant ſolùm per ſimilitudinem. Solùs etiam eſt convenientiſſimus; cùm ad ejus ſimilitudinem ipſa anima facta ſit: ideo delectat, cùm delectatio ſit conjunctio convenientis, cum cooveniente. Item eſt ſolus ſufficiens, quia ſolus implet animam. Item ſolus abundantiſſimus, qoia excedit ipſius aoimæ capacitatem, cùm infinitus ſit.

Sequitur videre, quantum ſit illud Regnum. Hic deficit ſeoſus, imaginatio, ratio & intelligeotia. Eſt enim magnum, longitudine æternitatis ioterminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celſitodine ſublimitatis incomprehenſibilis. Quòd longum, ſic

Pſal. 144. verf. 13.
Dan. 7. verf. 14.

dictat Siritus ſanctus: *Regnum tuum Regnum omnium ſaeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Et: *Poteſtas ejus poteſtas aeterna, qua non auferetur, & Regnum quod non corrumpetur.* Ideo S. Petros vocat illud *gloriam immarceſſibilem*, non habeos corruptibile intrà ſe, neque ſupra ſe, neque infra ſe, neque juxta ſe. Hinc nihil ita valet ad ſpernendam præſeotem vanitatem, quàm cogitare jugiter æternitatem ad quam tendimus, cui comparatum quidquid hic eſt, vanitas eſt. Eſt etiam capacitatis inooarctabilis: tametſi e-

Apoc. 7. verf. 9.

nim ibi ſint *ex omni tribu, lingua & natione*, nihil tamen propter hoc anguſtabitur, ſed magis ampliabitur, quia inde cuilibet gloria creſcet ope charitatis, quæ tantùm gaudet de bono proximi ac de proprio: quò plures autem ſunt proximi, & plura booa poſſideot, eò plura ſunt gaudia diligentis. Eſt etiam magnum celſitudine ſublimitatis iocomprehcoſibilis; quis enim poſſit altitudioem potentiæ, ſapientiæ, dulcedinis & juſtitiæ ejus comprehendere? Ideo magoi erunt, qui regnum iſtud obtinebunt, vel in illud admittentur, & ii majores qui plùs de magnitudine Dei, ſupremi Regis comprehendent. Hucuſque devotiſſimus & doctiſſimus noſter Bernardinus, immenſum aperiens campum exſpatiandi in regui iſtius contemplatione.

S. quoque Bonaveotura, eximius Eccleſiæ Doctor, conſiderans Regnum illud ut præmium eſt bonorum operum, explicat clarè juſtitiam Domini, pro quo ſervi laborant, & quotidie vocantur ad opus in ſpem tanti præmii atque ſtipeodii. Cùm diſcurſus ejus loogior ſit, ad ipſum remittimus, *Breviloquii p. 7. c. ult.* His igitur animemur ad ſanctæ paupertatis aliarumque religioſæ vitæ moleſtiarum tolerantiam, ſcientes quòd altiſſimæ paupertatis celſitudo, ſcala Jacob nobis eſt, per quam aſcendamus de virtute in virtutem ad videndum Deum deorum in Sioo. Quærit devotus Bernardus: *Vis obtinere cœlum, quod perdidit ſuperbiens angelus, qui confiſus eſt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit.* Terram calcaſti? Cœlum viciſti. Divitias ſpernis? Gloriam acquiris. Hæc uoa cogitatio impaſſibiles quodammodo fecit ſanctos Martyres, lunganimes fecit in labotibus, ærumnis, & aſperitatibus, invictos illos Dei ſervos; in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis & cavernis terræ: quoniam ſufficiebat illis unum Iſaiæ verbum: *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur ruinas ejus, & ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini. Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Ad has gloriæ divitias tantò ſuſpirant ardeotiùs, quantò ſtrictioribus io hac vita premuntur anguſtiis egeſtatis. Vehementior eſt edendi appetitus poſt eſuriem. Hinc F. Philippus Aquilanus, magno æſtuans Chriſtum videndi ardore, viginti annis Deum rogavit, ut è corporis ergaſtulo ſuſpirantem animam placeret educere. Sæpiſſimè repetebat illud Apoſtoli: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Addebatqoe valde ſe iis invidere, qui ad Chriſtum præceſſerant. B. Jacobus de Falerone pluriinùm exhilaratus de morte appropinqaote, cum jubilo exclamabat: *O in pace! O in idipſum obdormiam! O requieſcam!* Et his dictis expiravit.

Serm. 1. de Omnib. Sanctis.
Iſa. 51. verf. 3.
Annal. Tom. 6. an. 1456. num. 240.
Philipp. 1. verf. 23.
Martyrol. Franc. 25. Julii.

TEX-

TEXTUS & § *XV.*

Et Reges.

SUMMARIUM.

Rex pauper Christus, & qui pauperes sunt ejus imitatione, Reges regni cœlestis. Per paupertatem ipse Christus regnum illud adivit, actusque exercuit regiæ majestatis. 1. Conculcando omnia terrena. 2. Auctoritativè de templo ejiciendo avaritiæ studiosos. 3. Labores omnes amplectendo pro suo populo. 4. Nullius potentis vultum expavescendo. 5. Per regiam munificentiam. 6. Per exercitium judiciariæ potestatis. Similia concessa sunt, eum in paupertate sequentibus.

PRævidens Zacharias Propheta gloriosum humilemque ingressum Christi Domini in
Zachar. 9. vers. 9. Jerusalem, exclamat: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem.* ECCE REX TUUS *veniet tibi, justus, & salvator: ipse pauper &c.* Planè quidem apparet exultandum esse & jubilandum, quia Rex iste *justus* sit, ad suum rectè judicandum populum; itemque quia *Salvator* sit, ad protegendum; sed unde exultandum quia *ipse pauper*? Multum per omnem modum. Quid est, quod conturbat regna atque in infinitas propè conjicit angustias? Ut plurimùm, quia Rex dives esse vult, & juxta insatiabilem suam cupiditatem, excoriat subditos, atque exsugit usque ad internecionem. Non tale Regnum elegit Dominus: *Regnum meum*, inquit, *non est de hoc mundo.* Ecce Rex tuus *venit tibi*, O Christiane, tuæ saluti, tuæ utilitati; non sibi, terrenas coacervaturus divitias, sed *ipse pauper.* Ad hoc Regnum paupertatis ipse dilectos suos invitavit & assumpsit discipulos, dum ait:
Matth. 19. vers. 28. *Amen amen dico vobis, quòd vos qui* reliquistia omnia & *secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Per sequelam ipsius in paupertate, Apostolos eorumque sequaces Religiosos consedere facit in cœlestibus, & Reges fieri Regni illius, quòd oramus quotidie ut nobis adveniat. Unde vidit Joannes in Apocalypsi, quòd essent super thronos seden-
Apoc. 4. vers. 4. tes, *& in capitibus eorum corona aurea.* Et prostratos coram Agno audivit gratias ei agentes:
Apoc. 5. vers. 10. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.* In suo proprio regali solio collocaturus est generosos avaritiæ concupiscentiæque triumphatores, disertè promittens:
Apoc. 3. vers. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & consedi cum Patre meo in throno ejus.* Hoc probè intelligens Franciscus, filios suos ad sanctæ Christi paupertatis æmulationem excitat, dicens, quòd ipsa *Reges Regni cœlorum instituit.* Hîc igitur Regis nostri pauperis Christi functiones, & omnia scrutemur, ut valeamus imitari.

Primò, Tantùm abest quòd concupierit mundi quisquilias, aut sibi tyrannicè corraserit, ut conculcaverit potiùs. In solemni suo ingressu in Jerusalem, sedit super asellum;
plurima autem turba straverunt vestimenta sua Matth. 21. vers. 8.
in via. Hæc hominum tegumenta & ornamenta, quibus magna mundi vanitas exercetur, ita propriis indigna pedibus judicavit, ut permiserit pedibus illius, cui insidebat animalis, viliter conculcari. Hæc est prima regalis animi dos, ut tapetia, aliaque in magno pretio à vulgaribus habita, ipsorum Regum pedibus subjiciantur, ac proterantur. Regis nostri pauperis imitatione, per Religiosam paupertatis professionem, calcavimus terræ divitias, velut lutum platearum, & corde nostro oculisque indignum. Cavendum, ne ab hac excelsi animi generositate umqoam degeneremus, & quos solvimus tunc atque dimisimus fasciculos deprimentes, rursum capitibus nostris imponamus, per altam de illis existimationem, vel cupiditatem.

Secundò, Alterum animi regii munus est, hostes regni atque palatii eliminare procul, & exterminare. In iis Dei hostibus imprimis censendi sunt avari, ipsis idolorum cultoribus comparati. Hos cùm invenisset Rex noster in sui Patris palatio, Indutus zelo regio, ejecit eos dicens: *Nolite facere domum Patris*
mei domum negotiationis. *Domus mea domus o-* Joan. 2. vers. 16.
rationis vocabitur; vos autem fecistis eam spe- Luc. 19.
luncam latronum. Beatum profectò regnum, vers. 46.
quod ab avaritia, avaris, latronibusque omninò expurgatum fuerit ac immune, cœlestis regni referens imaginem, à quo longissimè abest cupiditas terrenorum. Nos quoque divitiarum concupiscentiam, ut capitalem virtutis hostem, conatu præcipuo, & animo regali studeamus procul à nobis eliminare. Excutiamus aurea & argentea vincula, quæ plerique homines sibi gaudent imponi, quibusque cupiunt alligari. Hinc orietur nobilis ab omnibus creaturis independentia, & supra easdem

eminentia; ut nullis valeamus divitiarum promissis, nullo jacturæ timore à sanctis propositis dimoveri. Hanc splendidam animi libertatem, vehementer in sancto Francisco demiratus est Babyloniæ Soldanus, dum oblata sibi à Soldano multa munera pretiosa, sprevit omnia tamquam lutum. Videns enim barbarus homo Virum Sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, majorem erga ipsum concepit devotionem, eumque tamquam sublimiorem terrenis regibus tractavit, atque reveritus est.

Leg. cap. 9. num. 7.

Tertiò Imperatorum & Regum summa gloria est nullos expavescere labores, aut incommoditates, nec adversa quælibet, ad salvandum populum suum, & assecurandum; isque summus est amoris ac reverentiæ erga Regem stimulus, dum non parcit sibi-metipsi, ut subditis parcat sibi commissis. Quid non egit, quid non toleravit Rex noster, ut liberaret ac salvum faceret populum suum à peccatis eorum? In summa natus est paupertate, in laboribus à juventute sua, fame vexatus & siti, captivatus deinde, flagellatus, dilaceratus, morte denique turpissimâ condemnatus, & in crucem actus, tradidit in mortem animam suam, ut nos à peccatorum nostrorum punitione præservaret. Generosi animi est, impertrritum esse ad inopiam panis, lecti mollioris, cæterarumque civicæ mollitiei commoditatum; non ab aridis recedere castris, nec à latere Imperatoris miscitias easdem tolerantis. Hæc fidelitas urget Imperatorem, ut consortes laborum, consortes etiam faciat honorum. *Communicantes Christi passionibus*, inquit B. Petrus, *gaudete, ut & in revelatione gloria ejus gaudeatis exultantes* Regium est, magnos aggredi pro honestate labores. Quid verò ad hoc meliùs adjuvat, quàm amor paupertatis? Hæc cùm per se laboriosa sit, multarumque ferax incommodorum, indurat corpus animumq; ad sufferendum quidquid acciderit.

1. Petri 4. vers. 13.

Quartò, Docet animi regii celsitudo, neminem vereri, nemini velle viliter placere, serviliter non descendere ad ea quæ præter majestatis viderentur dignitatem. Hâc generositate Rex noster totius Judaici Senatûs præsentiam furoremque non expavit, quando fatendum ipsi fuit Filium Dei se esse. Nec ad Pilati capavit potentiam, dum se Regem plùs quàm mundanum esse asseruit. Dedignatus est colloquium cum Herode, ne viliter aucupari videretur ejus benevolentiam, ad nugatoria respondendo interrogata. Procul fuit è vulgari omnium ferè hominum abjectione, qui potentes adorant & divites, à quibus aliquid expectant terreni. Degeneres quidem, & copidi pauperes, ac diffidentes egeni, omnium timent offensam, dependent ab omnibus, serviunt & adulantur, quò necessaria consequantur: pauperes verò nihil concupiscentes neminem timent, neminem serviliter adorant. Eminentiorem sunt mentem consecuti, qualem describit Chrysostomus: *Cum constituerimus mentem nostram perfectam, & ostenderimus quoniam contemnimus res terrenas, tunc nobis etiam terrena donantur; antè autem nequaquam, ne accipiendo, qui jam colligati eramus terrenis rebus, ampliùs illigemur. Solve teipsum primo servitute, & tunc accipe; ne sicut servus accipias, sed sicut dominus. Contemne divitias, & eris locuples contemne gloriam, & eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, & tunc ea obtinebis: contemne remissionem & quietem, & tunc eam accipies, ut cùm eam acceperis, non ligatus accipias, neque sicut servus, sed sicut liber. Deus cùm viderit nos jam non concupiscere ea quæ terrena sunt, tunc jam ipsa nobis ad utendum largitur. Tum enim sicut liberi & Viri ea possidebimus, non sicut pueri.* Enituit ea mentis sublimitas in S. N. Bernardino. Concionabatur aliquando Mediolani, præsente Duce, in ejusque arrogantiam severè & fidenter admodum invehebatur. Dux gravissimè id sentiens, cùm non valuisset mortis comminatione Virum Dei permovere, ut ab ejusmodi sermonibus abstineret, statuit hoc astu concionum ejus auctoritatem enervare. Misit ei poculum, in quo inerant aurei nummi (quos ducatos vocant) quingenti: ut si acceptaret, populo dicere posset, docere Bernardinum amplectendam paupertatem, opesque contemnendas; sed illum tamen id non præstare, quippe qui multam ab ipso receperit pecuniam. Allatam à nuntiis Ducis pecuniam, cùm semel & iterum Vir Sanctus respuisset; ajunt illi: Quid ergo his faciemus, quando Princeps jussit ne ad ipsum illas reportemus? Tum Bernardinus: *Si ita*, inquit, *se res habet, & mihi pecuniâ hâc licet uti pro meo arbitratu, sequimini me præeuntem.* ducit ergo eos ad carceres Senenses, quibus tenebantur pressi ære alieno. Rogat ea singulis quantum, debeant jubetque tantumdem illis ex Ducis pecunia numerari. Quo facto, omnes liberati sunt; demptis duobus, ad quos redimendos pecunia non sufficiebat. Qui etiam populi misericordiâ (hoc factum intelligentis) è custodia dimissi sunt. Nuntii autem cùm revertissent, ut Duci referrent quo pacto illi antei à Bernardino expensi essent, mundi contemptorem & laudavit egregiè, & majori deinceps est reverentiâ prosecutus.

Hom. 25. in Epist. ad Hebr.

Sedul. c. 59. Vita Bernardini.

Quintò, Liberalis erga indigos munificentia, exornat Regem, atque commendat. Licèt in temporalibus pauperrimus esset Rex noster Christus, donativa tamen dispersit in subditos, pecuniis multò pretiosiora. Ægrotis contulit sanitatem, possessis à dæmone liberationem, peccatoribus indulgentiam delictorum. Eleëmosynas pecuniarias, reliquit habentibus pecunias, tamquam popularem liberalitatem, & ordinis inferioris: majorum donorum distributionem sibi velut Regi reservavit, & secundùm altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam. Si regiam requiris in Religiosis liberalitatem, en supremam & plusquam regiam. Vadunt, vendunt omnia sua, dant pauperibus. Quæ munificentia nulli contingit sæculari. Porrò præter temporalia subsidia, quæ etiam deinceps ex ampliori benefactorum liberalitate communicant egenis, sublimiorem habet animadvertit Bernardus in eis beneficientiæ materiam, dicens: *Pauperum amicitia, regnum amicos constituit, amor paupertatis, Reges.* Epist. 103.

Illorum

Illorum est regnum cœlorum, & regia potestatis beare pro voluntate amicos. Hæc potestas ex eo liquet verbo Salvatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (Luc. 16. vers. 9.) Quid luculentius expectari potest ab amico quàm regnum cæleste, quod ad pauperum supplicam retribui promittitur? Alia insuper nullo pretio æstimabilia, gratis per manus pauperum distribuuntur; ut sunt peccatorum remissiones, interioræ gratiæ, miraculosæ sanitates, protectiones à malignis spiritibus, doctrinæ salubres, aliaque eximia beneficia, quæ tum integris populis, tum personis particularibus per hotum pauperum munificentiam erogantur.

Sextò, Regis officium est suum judicare populum; sed ita incorruptè; nullis ut ab æquitate muneribus abducatur. Hoc gaudium & jubilus populi est, si talem nactus sit Regem, qui nec pauperes despiciat, nec suspiciat divites, tamquam sperans aliquid ab eis. Hinc ardens illa oratio: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis, judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.* (Psal. 71. vers. 1.) Tali Christus æquitate pauperculam judicavit viduam in gazophilacio, Magdalenam in convivio, adulteram inter manus accusatorum, latronem in patibulo, nihil expectans ab eis temporale, sed solâ suâ dives paupertate. Religiosis pauperculis decretam esse in altera vita judicandi potestatem, in Evangelio legimus supra-memorato, ubi dicit eis Christus: *Sedebitis & vos judicantes &c.* (Matth. 19.) In præsenti autem vita judicandi magis videntur, quàm judicaturi, juxta illud: *Injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides.* (Luc. 21. vers. 12.) Qualiter tamen etiam nunc competat pauperibus munus redarguendi potentes sæculi judiciariâ potestate atque condemnandi, ex uno accipiamus exemplo. Tyrannicum imperium apud Veronenses occupante immanissimo illo Ecelino Romano, cùm didicisset B. Antonius Paduanus multam cum hominum cædem per summam crudelitatem Veronæ fecisse, intrepidus eum accessit, atque his verbis compellavit: (Sedul. Vita S. Anton. Padua. cap. 11.) *Imminet cervicibus tuis, Tyranne sævissime, & rabide canis, horrenda sententia Dei. Quousque non temperabis tibi à fundendo insontium hominum sanguine?* Pleraque his similia voce liberrimâ in faciem ei dixit. Qui verò aderant, nihil expectabant aliud, nisi illum more suo jussurum, ut trucidarent; sed secus evênit: nam omni positâ feritate, instar ovis, ad collum suspensâ zonâ coram Viro Dei humi prostratus, culpam suam humiliter edixit, omnemque pro illius arbitrio promisit emendationem, adjecitque: Viri commilitones, non mirum vobis istud videatur, nam revera divinum quemdam vidi fulgorem ex hujus vultu vibrari, qui adeo me perterruit, ut me repentè in tartarum demersum iri vererer.

Ex his agnoscite, Fratres mei, status vestri dignitatem, & satagire ut per bona opera, & purissimum sanctæ paupertatis cultum, certam vestram vocationem & electionem faciatis. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi.* (2. Petri 1. vers. 11.)

TEXTUS §. XVI.

Instituit:

SUMMARIUM.

Instituitur hæres ordinariè. 1. Per successionem; ut filius, sponsa vel frater. 2. Per donationem: quæ diversis vicibus facta est pauperibus. 3. Per emptionem: dando sua omnia Deo, nec ea repetendo. 4. Per violationem: extorquendo precibus, vel perfringendo hostes interpositos, carceres & catenas, id est, per fortem mortificationem.

NOster B. Oliverius Maillardus, in suo Quadragesimali, (Quadrag. Serm. 24.) rectè observavit ex usitato more temporalem adeundi hæreditatem, quadruplicem esse modum acquirendi cœlestem: ex quibus ostendi potest paupertatem quadruplici jure sibi cœlestem vendicare hæreditatem.

Primò, Per successionem. Communis usus habet, ut hæredes sint, etiam ab intestato, Filii, sponsæ & Fratres. Hos igitur titulos pauperibus Francisci sequacibus asseramus. Quòd Filii sint Regis cœlestis, S. Pater Noster eleganti parabolâ persuasit Innocentio III. Pontifici. (Opusc. Tom. 3. Parabola 1.) Virgo quædam pauper, inquiebat, sed speciosa nimis in solitario & deserto loco degebat; quam ut illius regionis Rex vidit, ejus egregiam pulchritudinem admiratus, in suam duxit uxorem. Cum qua per annos aliquot in deserto commoratus, quosdam ex ea habuit filios, & matris præ se ferentes venustam speciem, & naturalia quædam delineamenta Regis habentes. Quos coutriens plamater, Regi ad suam curiam transmisit; qui statim sua in eis agnovit indicia, & matris pulchritudinem & venustatem, eisque placidè ait: Ego verè meos vos cognosco natos, & ut

prolem regiam vos educabo. Matrem vestram ego vehementer diligo, ejusque filios omnes, quos ex me susceperit, ad mensam meam sedere faciam, & in curia mea alendos providebo. Hanc autem subjunxit parabolæ interpretationem. Rex iste Christus est, cœli terræque Dominus: speciosa virgo Paupertas; quæ in deserto hujus mundi ab hominibus repulsa & contempta, in solitariis locis degebat. Hujus pulchritudinem Rex regum è cœlo descendens adamavit, & mundum ingrediens eam sibi statim in præsepio desponsavit. Plures ex ea in hoc deserto filios procreavit, Apostolos, Anachoretas, Monachos, ac alios quàm plures, voluntariam profitentes paupertatem, quos videns Christus signa suæ regiæ paupertatis & humilitatis gestantes, pro suis agnovit filiis, regnique hæredibus.

Matth. 19. vers. 14. Cum oblatos Salvatori parvulos increparent discipuli, Jesus ait eis: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim Regnum cœlorum.* Quonam credemus parvulis similes esse? Primùm, afflatos spiritu paupertatis, qui nullâ tenentur temporalium sollicitudine, sed maternis divinæ providentiæ contenti sunt uberibus; curam necessariorum patribus permittunt: reluctari nesciunt, nec dolere, si pecuniæ, suppellectilia, prædiaque auferantur; tum gaudent maximè, dum extra cunas & ligaturas infantiles nudi esse permittuntur: cum nummis aureis velut cum lapillis ludunt aut fragmentis tegularum, nihilque æstimant ex iis, quæ attollit mundus atque miratur. Talium, tamquam filiorum Regis pauperis, est Regnum cœlorum.

Chron. p. 1. lib. 1. cap. 58 & sequentibus. Sponsæ titulus æquè pauperibus competit. Parabolicè describit B. Joannes Parmensis confœderationem solemnem factam inter Franciscum, sanctamque paupertatem. Qualiter primò data fuerit in sociam nudis primis parentibus, sed exulanscum ipsis è paradiso, nullibi suscepta est voluntariè, donec veniret ipse Dei Filius, qui eam adamavit, eique adhæsit usque ad mortem, relinquendam verò viduam suis commendavit discipulis; tandemque, cùm hinc inde pelleretur, nec inveniret à quo reciperetur, fidelem ejus amorem Francisco suo Christus inspiravit, qui charitate sic eam studuit desponsare perpetuâ, quòd non solùm pro ea patrem matremque reliquit, verùm etiam quæ habere potuit universa dispersit, solemni eam sacræ professionis ritu

Matth. 22. sibi in sponsam assumens inseparabilem. Implicati villis & negotiationibus hurrent ad has regales nuptias accedere. Franciscus autem,

Gen. 2. vers. 24. ejusque verus filius Franciscanus *relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Sub qua verò dote? Altissimam stipulatur fidelis

Marci 10. vers. 29. Dominus: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Jus Fratrum authenticis Evangelii tabulis per Christum pauperibus tribuitur. Pronuntians enim sententiam, quam dictatus sit iis, qui opera exercuerint misericordiæ, ait: *Quamdiu*

Matth. 5. vers. 3. *fecistis uni ex his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Si non confunditur fratres vocare eos qui necessitate nudi sunt, captivi, sitibundi atque famelici; quis dubitet eos in societatem venire fraternitatis & consequenter hæreditatis, qui ipsius amore atque exemplo voluntariam amplexi sunt paupertatem?

Secundò, Alter modus adipiscendæ hæreditatis est, per liberalem donationem, sive testamentariam institutionem. Apud Matthæum testator suam expressit circa pauperes voluntatem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Specialiter etiam Matth. 5. vers. 3. Francisco ejusque Minoribus fratribus eamdem fecit promissionem. Cùm Vir Sanctus apud Castrum Sancti Urbani in specu cujusdam eremi ferventiùs orans, familiam suam Domino commendaret, apparuit Angelus, qui exauditum in cœlis dixit, & quæ sequuntur adjecit: *Frater Francisce felix es tu, & felices tui, qui Apostolicam renovatis & præfertis formam, quam qui fideliter & usque in finem observaverit, ad cœlum recta transibit, & lucidus cum Christi discipulis mansiones accipiet.* Prudentes virgines quæ acceperunt oleum in lampadibus suis, permissæ sunt ad Sponsi nuptias intrare. Ut per eas lampades sanctam intelligamus paupertatem, præbet occasionem S. Job, qui de justi simplicitate, qualis erat ipse in summa sua paupertate, ait: *Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum,* quando scilicet nocte mediâ clamor fiet: *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Quid contemptibilius quàm paupertas apud cogitationes divitum, quæ totæ sunt circa conquirendas possessiones? Sentient interim advenientenocte mortis, splendorem hunc divitiarum extingui, nec prodesse ad ingressum nuptiarum; prodesse verò ad hoc contemptam lampadem paupertatis. Exemplo sint dives Epulo, & pauper Lazarus. *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Quod sic noster Philippus Diez interpretatur: *Factum est*, id est domus æternitatis, etsi magno cum labore, tandem tamen perfecta est, *ut moreretur mendicus*, Mortua est mendicitas, fames, paupertas; sed non ipse Lazarus. O felices labores, qui morte finiuntur, & prælucente paupertatis lampade in æternæ lucis introducunt tabernacula! *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.*

Annal. Tom. 1. an. 1213. num. 15.

Job. 12. vers. 5.

Matth. 25. vers. 6.

Luc. 16. vers. 22.

Ad Fer. 2. Dom. 2. Quadrag.

Tertiò, Modus capessendæ hæreditatis est emptio legalis. Tametsi nulla res sub cœlo inveniri possit, quæ condignum sit pretium pro Regno cœlorum, benignâ tamen Dei liberalitate, actiones nostras supra condignum acceptantis, venale proponitur. *Simile est*, inquit, *Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est Regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Pretium vero quo thesaurus ille & margarita comparari possit, exprimit alibi dicens: *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Pro ista enim expropriatione & tam solemni largitione, *habebis thesaurum in cœlo.* Quærunt omnes beatitudinem; sed veram minimè assequuntur, dum aliqui

Matth. 13. vers. 44.

Matth. 19. vers. 21.

aliqui dant quidquid habent pro voluptate, alii pro honorum vanitate, alii dant pretiosa quæque pro panibus, alii venalem exponunt

Leg. c. 8. num. 4.

animam suam pro pecuniis. Cùm relictâ sæculari mercaturâ, flamma desiderii cœlestis in Francisco vehementer increscerets & jam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negotiator margaritam inventam excogitabat venditis omnibus comparare. Cùm quondam tem-

Annal. Tom. 1. an. 1241. num. 2.

pore, B. Bernardo Francisci primogenito, in contemplationis excessu illius cœlestis marmaritæ pulchritudo ostenderetur, in Deum totus absorptus, immotis exteriùs oculis, immotoque corpore, ad ea quæ fiebant insensibilis, fixo intuitu permansit ab hora matutina in vespertinam usque: mox ad se rediens: & totus in stuporem actus, ad suos regressus, in hæc verba ter exclamat: *O Fratres! O Fratres! O Fratres! nullus est tanta nobilitatis & excellentia in hoc tractu, cui saccus fimo plenus leve non foret pondus, palatio auro pleno, seu laboris eidem promissâ mercede.* Nos hujus sanctæ Regulæ professores, in hujusmodi convenimus negotiationis societatem, & aliqui pauca, aliqui multa, omnes omnia nostra reliquimus propter Regnum cœlorum. Fidelis est Deus cum quo convenimus, reddet cum fœnore promissum nobis in hora professionis præmium, tot augmentis multiplicatum, quot momentis fuerit dilata solutio. Tantùm stemus initio contractui, nec per iniquam nobis retrahamus proprietatem, quod semel Deo sponte consignavimus.

Quartò, Modum hæreditatis consequendæ

Math. 11. vers. 12.

Dominus exprimit, dicens: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Numquid vim poterit aliquis Deo vel angelicis inferre exercitibus, ut in Jerusalem illam cælestem ipsis ascendat repugnantibus? Sicut ad emptionis contractum placuit Domino descendere nobiscum ad quamdam æqualitatem ex gratuita sua bonitate; sic ad permittendam nobis gloriam victoriæ alicujus super se, placuit ei ad voluntariam aliquam descendere imbecillitatem. Ad eum ferè modum, quo pater pomum tenet compressâ manu, quod puer concupiscens, parvulis suis digitis, magno labore tentat patris manum aperire; quo viso conatu, ridens pater modò unum laxat digitum, modò alterum. Videns autem parvulus se omnes digitos evincere non posse, in ejulatus erumpit, iterumque resumens animum, aggreditur manum lachrymis precibusque puerilibus jam emollitam, quam tandem laxat pater ceditque parvulo victori-

Gen. 32.

am. Sic Jacob cum Deo per noctem integram luctabatur. Cujus lactæ formam Oseas expli-

Oseæ 12. vers. 4.

cat dicens: *Invaluit ad Angelum, & confortatus est: flevit, & rogavit eum.* Hoc modo videtur à Deo beatitudinem extorsisse F. Jacobus à Ca-

Martyrol. Franc. ad 29. Decem.

niana, qui dum in Conventu Maceratensi vitam ageret, ad ultimum repertus est ibidem flexis genibus manibusque junctis inter orandum spiritum Deo reddidisse.

Alius prœliandi modus indicatur in eo, quòd S. Joannes scribere jubetur Angelo sive Episcopo Smyrnæ: *Scio tribulationem tuam &*

Apoc. 2. vers. 9.

paupertatem tuam: sed dives es: & blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Hoc plurimis contigit invictis viris, qui per viam paupertatis & observantiæ regularis in cœlestem ingredi tentârunt civitatem, viamque eamdem aliis aperire; sed quibus se variis modis objecit Satanas, & quosdam crudeliter incarceravit, aliaque gravia pati coëgit. Tales fuerunt B. Cæsarius, B. Gerardus socius B. Joannis Parmensis, B. Albertus Sartianus & alii multi, qui pro manu tenenda vel reformanda Franciscanæ Regulæ observantia plurimas exantlâtunt difficultates, & passi sunt persecutiones; sed per eas ad culmen pervenerunt invictæ virtutis, & violenter rapuerunt Regnum cœlorum. Experti sunt verissimum esse illud: *Patientia pauperum non peribit in finem.*

Psalm. 9. vers. 19.

Quam sententiam rumians S. Aug. ait: *Dicitur labor non perisse; non quia perpetuus, sed quia non est inaniter fusus. Sic & patientia pau-*

Tom. 4. lib. de patient. c. ult.

perum Christi, sed ditandorum heredum Christi non peribit in æternum: non quia & illic patienter ferre jubebimur, sed quia pro his quæ hic patienter pertulimus, æterna beatitudine perfruemur. Non dabit finem sempiternæ felicitati, qui donat temporalem patientiam voluntati, quia utrumque munus donatæ convenit charitati. Vi-

Annal. Tom. 5. an. 1450. num. 12.

dit. B. Joannes Capistranus animam quamdam in cœlos ascendentem, dum in Conventu Burgi Sancti Sepulchri fratribus plerisque in mensa assideret. Erectâ enim hilari & radianti in cœlum facie, jucundâ voce exclamare cœpit: *O me, Fratres, video animam cujusdam Fratris nostri in cælum evolare. en speciosa vadit; en properat pulcherrima.* Idque fixo in altum obtutu sæpè repetebat. Inde ad orationem profectus cœlitùs percepit animam fuisse Alberti Sartiani, tunc ab ergastulo corporis solutam. Sic rapuit iste noster commilito Regnum cœlorum per vim altissimæ paupertatis. Qui corporale quidpiam rapere aggreditur, quidquid in manibus habet, abjicit, ut liberæ sint; nec ad illud redit quamdiu in manibus est quod tanto rapuit labore. Sic quoque nobis agendum est.

Aliâ item occasione, violentiam ad capessendum regnum necessariam indicant captivorum aliquorum & catenatorum lamentationes, quorum unus gemit in hunc mo-

Thren. 3. vers. 7.

dum: *Circumædificavit adversùm me ut non egrediar: aggravavit compedem meum.* Et: *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.* Qui sunt carceres isti & compedes, & ardua pergendi ad regnum cœleste impedimenta? Nulli certè majores quàm cupiditates amoresque creatorum. Dirumpamus ergo vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum. In hac vi præcellens & fortissimus fuit Christi præcursor S. Joannes, cujus paupertatem, in corpus proprium severitatem, concupiscentiæ omnis mortificationem, & animi magnitudinem, cum Salvator deprædicasset

ad

Matth. 11. vers. 12. ad turbas, adjecit: *A diebus Joannis Baptistæ Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quasi diceret, primus prædicator Regni cœlorum, ejusque prosecutor est S. Joannes, qui faciendæ sibimet-ipsi violentiæ, & acris pœnitentiæ illustria præbuit in seipso exempla. Si vultis illud similiter assequi, imitamini magnanimitatem, frangite cupiditatum vincula, & carceres antiquos, in quibus detenti estis à principe tenebrarum, ut in vobis verum fiat quod Sapiens observavit: *Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum.* Eccles. 4. vers. 14.

TEXTUS & §. XVII.

Pauperes rebus fecit.

SVMMARIVM.

Vsus pauper rerum terrenarum, ditat rebus cœlestibus. Ille indictus Fratribus Minoribus. Quomodo eum Franciscus practicaverit. Quid de eo senserint alii perfectionis Magistri. Quid censendum de iis, qui cùm nomen pauperum jactitent, rerum omnium profusum & abundantem quærunt usum. Vnius talis notabilis punitio.

Tobias cùm se brevi putaret moriturum, filio piissimâ inculcabat salutis monita, & inter alia: *Noli*, inquit, *timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum & recesserimus à malo, & fecerimus bene.* In eumdem modum S. noster Institutor commendavit filiis suis altissimâ paupertate: *hac est*, inquit, *quæ vos pauperes rebus fecit*, non modò quoad expropriationem, verum etiam quoad usum pauperem, ad quem nos esse voluit obligatos, prout communiter Regulæ nostræ censent interpretes, & expressè declaravit Clemens Papa V. dicens: *quod Fratres Minores ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos usus seu pauperes qui in ipsorum Regula continentur: & eo obligationis modo, sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus.* Quod etiam ante editam istam Declarationem omnibus ingenii nervis defendit F. Petrus Joannis Olivi, quem strenuè secuti sunt F. Ubertinus de Casali. F. Raymundus Ganfredi postea Generalis Minister, aliique multi zelosi Patres.

Tob. 4. vers. 23.

Clement. Exivi de paradiso cap. 11.

Annal. Tom. 1. an. 1297. num. 33.

Cùm autem res plurimæ se offerant, quarum usus in Regula non est circumscriptus, & de quibus proinde non determinat Clementina, videamus quid de illis Franciscus docuerit, aliique perfectionis Magistri. Ipse S. Pater horrebatur Fratres multoties, ut inanes discursus & nimias sollicitudines in acquirendis vel colligendis eleëmosynis vitarent, & omnino quæstus superfluos abhorrerent, dicens: *Fratres, petite tantùm victus & vestitus necessaria. Ego de me fateor, & gratias ago Deo, quod numquam fui fur aut latro eleemosynarum; semper enim minùs accepi, quàm me contingeret, ne alii pauperes suâ sorte frandarentur; quia contrarium facere, semper furtum reputavi.* Ita parcus erat in usu necessariorum, sicut avari isti, qui vel in ipsius aquæ usu timent nimietatem sibique vix aliquid indulgent; sed hi quidem tenacitatis vitio: ille studio paupertatis.

Opuscula Tom. 3. Apophteg. 41.

Excipiamus reverenter doctrinam devoti istius spiritualis instructoris Jacobi Alvarez de Paz: Paupertas, inquit, indigentia vocatur, eò quòd pauperem aliquibus indigere facit. Qui autem curat solùm superflua resecare, & omnibus necessariis vult abundare, & nullâ re neque minimâ indigere, is falsò sibi nomen pauperis arrogat, & de hujus perfectione virtutis gloriatur. Audeo dicere, neque Reges sæculi hoc habent ut nullo egeant, & ad statum suum omnia necessaria possideant. Delicata satis, imò & ridicula erit hujus Religiosi paupertas, qui nullo velit indigere: qui si cibus bene paratus non sit, murmurat: si vestis illi data aliquantulum detrita, conqueritur: si in libris, in suppellectili aliquid desit, tristatur. Is secundùm mundum istum ditior est divitibus hujus sæculi; nam illi talem paupertatem non aversarentur, quâ nihil ipsis deficeret, & quidquid illis in mentem veniret, haberent. Quòd si nobis omnia tribuantur abundanter, nostrum erit ea cum rubore suscipere, nosque ipsos tamquam fictos pauperes arguere, & aliqua præ amore paupertatis à nobis spontè subtrahere. Sic Apostoli dum spicas vellerent præ fame: sic Paulus in fame & siti, in frigore & nuditate paupertatem servarunt, sic ipse met Christus, &c.

Tom. 2. lib. 5. p. 1. cap. 8.

His explicatis, monitionem concludit prædictus Auctor verbis S. Vincentii Fererii: *Oportet primitus, ut qui vult sanctus esse, & animabus prodesse, omnia terrena contemnat & velut stercora reputet, & soli Deo districtissimè ad necessitatem de ipsis recipiat. Quam necessitatem in pauco colligat, sufferendo etiam quædam incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait; Scio quod laudabile non est pauperem esse, sed in paupertate, paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere.*

Tract. de Vita spirit. cap. 1.

sustinere. Prô dolor! Multi de paupertatis solo nomine gloriantur. Sed quo pacto? ut eis nihil desit. Dicunt se amicos paupertatis, & sodales ejus fugiunt pro posse, famem, sitim, contemptum, despectionem. Hæc ex S. Vincentio. Demum in supradicta Disputatione idem P. Alvarez c. 14. ad rem nostram propiùs accedens, addit: *Ita in omnibus te geras ut pauperem decet, & paupertatem quam colis, in usu rerum exteriorum ostende: comede ut pauperes solent, cibos communes & viles: bibe vinum modicum & bene lymphatum, & in usum totius communitatis emptum: in cella ea solùm sine quibus commodè vivere non possis, habeas; vestes detritas diligas: & tandem omnia tua paupertatem redoleant, & te pauperem patefaciant.*

Familiariùs unus è nostris B. Angelus de Paz in Marcum scribens, idem ad nostrum propositum tradit, his verbis: *Victum simplicem absque sollicitudine, & pauperrimum quærere didicerunt sancti, ut divitias contemplationis, & quæ in regno opulenta delectis parantur, impetrarent. Quorum studium si nos professores institutt. sanctis prosequeremur, absque dubio Christi divitias, quas patribus communicavit largiter, communes nobis faceret. Esurimus tamen, eò quòd abundemus* (temporaliter) *vel quòd* Equi senectam *fortis simus*) qui videlicet non ampliùs labori aptus est, sed tantummodò comestioni) *vel quòd res in foro nostro ponderemus. Utinam in manu Dei ac Christi nos sæpè scriptos esse, ac nos ab ejus statera pendere animadverteremus omnes, ut si non pauperem, saltem moderatum victum observaremus, & qualem cujusque statum decet!* Multa fingit humana mollities necessaria sibi esse, quæ talia non esse docet superveniens aliquando impossibilitas ea sibi comparandi, prout videre est

In Marcum lib. 2. c. 23.

Proverb.

in commorantibus per agros, silvas, locaque deserta, in gregariis militibus, quibus exquisita deest supellex, & frequenter panis ipse vel aqua. Ab his discere possumus nos Religiosi, quid paupertas, quid superfluitas, & quàm falsò quandoque necessarium clamemus, quòd à majori mundi parte superfluum reputatur. Securissimum censeo sequi spiritum S. Gregorii Nazianzeni, qui dicebat: *Utinam exuere me possem panniculis istis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent & revocant pergentes ad Deum.* Apol. 1. 2.

Væ impatientibus istis, qui nolunt religiosæ paupertatis, quam voverunt, simplicitatisque limitibus contineri. Sic de eis censet B. Anselmus: *Qui in proposití sui norma, quam professi sunt, stare recusant, nisi cuncta sibi ad votum habeant, nec hinc propter Deum, cujuslibet rei penuriam, nec hanc Regulæ disciplinam pati volunt: quibus obsecro rationibus juvabuntur, ne sæcularium similes habeantur? In omni quippe opere suo mercedem priùs exigunt, quam cui merces debetur ministerii munus exolvant. Et hi tales regni cœlestis hæredes erunt? Fidenter dico: Nequaquam, si non pœnituerint se tales fuisse.* In Capitulo Generali Neapolitano Fratrum Observantûm familiæ Ultramontanæ convenerant fermè octingenti fratres, quorum plurimos paupertatis zelus stimulabat; sed qui cibos condiebat cocus, inter ollas superbiens, & in humili ministerio vanæ gloriæ auram captans, supra modum in ferculorum numero & qualitate excedebat. Acriter reprehenso, nec à vanitate sua desistenti, B. Jacobus à Marcia, eo quo fervebat vitæ regularis ardore, maledixit: pauloque post è Sodalitio recedens, quod vates prædixit, miserè periit.

Annals Tom. 6. an. 1475. num. 16.

TEXTUS & §. *XVIII.*

Virtutibus sublimavit.

SUMMARIUM.

Virtutum diversarum incrementum acquiritur Paupertate. Hæc enim præbet exercitium Pœnitentiæ, Prudentiæ, Patientiæ, Humilitatis, Mansuetudinis, & Pacis Charitatisque fraternæ, Orationis, Puritatis cordis, &c.

CUm natus esset Josepho Patriarchæ secundus filius in Ægypto, appellavit nomen illius Ephrem, dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Super quo commentatur S. Antonius Paduanus in hunc modum: *In terra paupertatis, non abundantiæ. In illa datur crescere, in ista decrescere. Unde dicitur 2. Reg. 3. quòd David erat proficiens & semper in seipso robustior: domus autem Saul decrescens quotidie. David, inquam, qui dicit:* Ego autem mendicus sum & pauper, *quasi lux resplendens proficit & crescit &c. Domus autem Saul, qui interpretatur Abutens, id est divitum hujus mundi, qui abutuntur bonis & donis Domini in*

Gen. 41. vers. 52.

Serm. Domin. infra 8. Nativ.

Psal. 62.

voluntate & voluptate sui corporis, decrescit quotidie. Unde Moyses ait: Percutiat te Deus egestate. *Permittit enim Dominus, hujus mundi divitem percuti* Egestate, *quia semper eget.* Febre, *quia de alterius torquetur felicitate.* Frigore, *id est timore, ne perdat acquisita.* Ardore, *ut non habita acquirat.* Æstu *gulæ,* Rubigine *luxuriæ. Ecce qualiter decrescit domus Saul: domus verò David, mendici & pauperis, crescit de virtute in virtutem, in terra paupertatis ejus.* Virtutes veræ divitiæ sunt, quibus est homo in Deum dives, has post obitum deportat secum conscientia: de terrenis vero opibus, *homo cùm interierit non sumet omnia, neque descendet*

Deut. 28. vers. 52.

Psal. 48. vers. 18.

cum

cum eo gloria ejus. Ideoque Franciscus solidam adducturus Paupertatis altissimæ commendationem, meritò allegavit, quòd ipsa possessores suos, paoperes quidem rebus fecit, *virtutibus* autem *sublimavit.*

Primo, Pœnitentiam parit. Unde Princeps pœnitentium David inter conscientiæ suæ angustias exclamat:

Psal. 30. vers. 11.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni in gemitibus. Infirmata est in Paupertate virtus mea. Id est: dolui, flevi, gemui propter peccata mea præterita; sed potestas atque voluntas ad committeoda futura, est iofirmata in Paopertate. Ea siquidem est ars Domini spiritum i·jiciendi compunctionis, & eruginatam expurgandi conscientiam:

Isaiæ 48. vers. 10.

Ecce excoxi te sed non quasi argentum; elegi te in camino Paupertatis. Sic oobilis iste pœnitens B. Contadus Placentinus satagebat præcedentia expiate crimina, in perpetuo scilicet exilio, summâque rerum omnium iodigentiâ.

Annal. Tom. 9. an. 1315. num. 11.

Secundò, Prudentia docet, post recuperatum divinæ gratiæ beneficiom, occasionem rescindere lapsuum olteriorum. Constat autem quòd radix malorum omnium sit cupiditas, & divitiarum affluentia peccandi offerat commoditatem.

1. Tim. 6. vers. 9.

Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum. Quæ dum Paupertatis amator cautè declinat, non mediocris exhibet specimen Prudentiæ. Aliud Prudentiæ opus est oon cuilibet fidere, sed amicum rectè probare. Modum verò probationis, acotè docet Seneca.

Epist. 20.

Quod beneficio tuo nou potes scire, Paupertatis beneficio scies. Illa veros certosque amicos retinebit. Discedet, quisquis non te, sed aliud sequebatur. Quod & sapiens observavit: *Sodalis amico circumdatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit.*

Eccles. 37. vers. 4.

Sis pauper, sive à fortuoa, sive à coosilio proprio, subtrahit se qoi fictus erat, nec agnoscet te. Atque hioc disces unam ex principalibus Prudentiæ regolis:

Psal. 145. vers. 2.

Nolite confidere in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus.

Tertiò, Paupertas Patientiæ subministrat materiam. Cujus iocommoda voluntariè pati censemur, dum in eas nos conjicimus angustias, ut noo ampliùs regressus ad abnegatas pateat commoditates. Hanc pretiosam à Domino gratiam acceperant ii, de quibus Apostolus:

Hebr. 10. vers. 34.

Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos meliorem & manentem habere substantiam. Io quo tamen filii hujus sæculi dolent ordinariè inconsolabiliter; sed voluntaria paupertas prævenit cor, ne ipsum inveniat imparatum.

Seneca Epist. 85.

Ad Paupertatem suâ sponte descendere, est fortuna prælia prævenire. Dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium ubique horrenda: cùm ad sapientem pervenêre, mansueta sunt. Longanimis efficitur pauper, dum credit firmiter, quòd ipse

1. Reg. 2. vers. 7.

Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem.

Quartò, Egestas, quæ propter Dominum est, generat Humilitatem, quæ est bonorum omnium initium. Ea videtur esse mundi persuasio, ut liberum sit contemnere, confundere & pessumdare pauperem; cui nec se tueri liceat, aut ab injuriis declinare.

Eccles. 13. vers. 4.

Dives injustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit, quasi indignus foret suam allegare innocentiam, vel quasi ei credendum non esset, dum allegaverit.

vers. 25.

Dives commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cùm ceciderit, expelletur & à notis. Diviti decepto multi recuperatores: locutus est superba, & justificaverunt illum. Humilis deceptus est, insuper & arguetur: locutus est sensatè, & non est datus ei locus. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? Gratias agamus æterno Deo, qui Paupertatis clypeo nos ab adulatoriis protexit sagittis, ab arrogantia, vanaque gloria; & vel nolentes in salutari continet abjectioue. Si divitum atque potentum premamur injoriis, hoc nos soletur, quòd

Prov. 22. vers. 23.

judicabit Dominus causam egeni, & configet eos qui confixerunt animam ejus.

Quintò, Hioc summa mentis Pax & Mansuetudinis nascitur tranquillitas.

Chrysost. hom. 14. in 1. ad Cor.

Paupertas securum asylum, portus tranquillus, vitæ timoris & turbationum nescia. Cùm ex adverso diviti homini

Job 15. vers. 21.

sonitus terroris semper in auribus ejus, & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Admirabundus B. Laureotius Justinianus tantam cootemplans Pacem, ait:

Lign. Vitæ Tract. de Paup. c. 4.

Quid Paupertate melius? quid securius? quid jucundius? Tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi; hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum cœleste præstolatur possidere in cœlo; ideo nihil habet, quod possit amittere in terra. Hinc quies ista interior, cœlestis æternæque beatitudinis præludium. Hinc exterior quoque Pax cum hominibus, nescia litigare, pugnare, resistere: quam Christus Domious lege firmavit mirabili, dicens:

Matth. 5. vers. 40.

Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Aoimo sic constituto, quod bellum imminere potest? qoi processus inquietare? quis raptor perterrefacere? quod damnom contristare? Canit paoperculus in mentis tranquillitate:

Psalm. 38. vers. 7.

In imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus? & substantia mea apud te est. Scit se sub tutoribus & actoribus esse usque ad præfinitum tempus à Patre, ideoque non festinat petere portionem substantiæ suæ, ne contingat eam ante tempus dilapidare.

Sextò, Orationis magistram optimam esse Paupertatem, discimus à cæcis, claudis aliisque malè affectis, qui in compitis & vestibulis templorum atque palatiorum, clamant, orant & instant, ut ab hominibus aliquid accipiant, & moostraot, quâ instantiâ & humilitate agendum sit cum Deo. Dum omnia prospera oobis arrident, divitiæ affluunt, favor se offert humanus, facilè Dei obrepit oblivio.

Jerem. 22. vers. 21.

Locutus sum ad te, Dominus, *in abundantia tua, & dixisti: Non audiam. Hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam.* Dum verò longæ siccitates minantur annonæ caritatem & famem, dum bellorum furiæ

à longè

à longè prospectantur prodromi paupertatis, tunc ad litanias recurritur, ad processiones, ad preces quadraginta horarum: apud indevotissimos quoque redit devotio: *Clamaverunt ad*
Psal. 106. vers. 6. *Dominum cùm tribularentur.* Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Egestas urget ad rogandum amicum; estque utilis stans egestatis ut exaudiamur, sicut scriptum est:
Psal. 10. vers. 16. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Septimò, Ad obtinendam cordis Puritatem maximè necessaria est Paupertas. Enimvero si Dei servis temporalia cuncta stercora sunt, quomodo non iis inquinabitur, qui in cor illa demiserit? & quomodo mundus erit, si non
Eccles. 31. vers. 8. ea penitùs ejecerit? *Beatus vir, qui inventus est sinè macula*, quod, quasi explicando Sapiens addit: *Et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris.* Neque solum cordis, verùm & corporis munditiam promo-
Eccl. 20. vers. 23. vet Paupertas: *est enim qui vetatur peccare præ inopia: & in requie sua stimulabitur.* Plurimi dum Paupertate premuntur, lascivere prohibentur: qui si beneficio divitiarum quieti se darent atque otio, protinus ad illicita stimularentur; paupertatis autem beneficio extinguitur fomes: auferuntur ligna succensionis, aqua injicitur corporalis afflictionis, corpusque carnalibus exuitur affectionibus. Sic adolescentior filius acceptâ portione substantiæ suæ, *peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Sed postquam consummasset omnia, *facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.* Tunc dante vexatione intellectum, *in se reversus dixit: Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum & coram te.* Multos mediante egestate ad saniorem mentem revocat Deus, qui in suis computrescerent fæcibus, nisi Paupertatis stimulo urgerentur emergere. Luc. 15.

His aliisque virtutibus (quas alibi sparsim à paupertate ostendimus provenire) nos Rex æternus sublimavit. Ambitio hujus sublimitatis, non vitium est; sed voluntas Dei beneplacens, ab eodem procedens spiritu, quo afflatus erat ille, qui dixit: *Proposui hanc* Sap. 8.
adducere mihi ad convivendum sciens quoniam vers. 9.
mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædii mei: Habebo propter hanc claritatem ad turbas &c. Quæ quidem aspirationes erant ad Sapientiam; sed ad Evangelicam Paupertatem, velut quamdam Sapientiæ speciem, non incongruè referuntur.

TEXTUS & § XIX.

Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium.

SUMMARIUM.

Occisis divitibus vel in Babylonem abductis, permisit Nabuzardan pauperes in terra Juda remanere. Si pauperum Christi portio est terra viventium. Quæ sit portio peccatorum, quæ mundanorum, quæ carnalium. Pauper nil appetit nisi Deum, & ipse totus est Dei. Paupertas nos assimilat Christo morienti, & ad talem perducit vitam, qualem duxit Christus post Resurrectionem. Vbi de dotibus agitur, aliisque perfectionibus Beatorum.

JErusalem à Rege Babylonis captâ, Rex Sedecias fugiens, captus fuit unà cum principibus; cujus filii in conspectu ipsius trucidati cum Nobilibus, ipseque exoculatus ac vinctus in Babylonem abductus: subverso autem muro Jerusalem, & palatio aliisque domibus igne succensis, pars vulgi translata in Baby-
Jerem. 39. vers. 10. lonem; *sed de plebe pauperum qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Juda: & dedit eis vineas, & cisternas in die illa.* Sic pauperibus parcitum est, ut in terra Juda vivere permitterentur, dum principes neci darentur, & vulgi divites in miserabilem abducerentur servitutem. Igitur si nos desideramus plagas evadere Babylonis, mortemque perpetuam, & non agi in longinquum exilium extra terram Juda & Jerusalem cœlestem, sanctam incessanter manuteneamus Paupertatem. *Hæc sit portio, vestra*, inquit S. P. N. *quæ perducit in terram viventium.*

Solent temporalia bona quæ Ministris Ecclesiæ distributa sunt, Portiones vocari. Quia ergo nos quoque de Ecclesiasticis sumus Dei ministris, decuit & nobis portionem assignari, quæ sublevandis nostris sufficeret necessitatibus. Nullam aliam pinguiorem & certiorem excogitare potuit Franciscus, quàm voluntariam perpetuamque Paupertatem. Felicissima sanè portio, comparatione aliarum, quas Deus justo decreto peccatoribus &

reprobis, itemque mundanis & carnalibus assignavit.

Psalm. 10. vers. 7. De Peccatoribus scripsit Psalmista: *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Amara sors, lugubris portio.
Job. 20. vers. 24. *Fugiet reprobus arma ferrea, & irruet in arcum æreum. Eductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua; vadent & venient super eum horribiles. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: Devorabit eum ignis qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo &c.*
vers. 29. *Hæc est pars hominis impii à Deo & hæreditas verborum ejus à Domino.*

Mundanis, ad sola aspirantibus temporalia, terra data est; sed terra morientium, cujus possessores morituri sunt eamque per mortem relicturi.
Psal. 113. vers. 16. *Cælum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* Suspectum donum & portio periculosa. *Si qui estis*, inquit D. Gregorius
Hom. 40. in Evang. *qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum, ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis; ne vobis pro quorumdam vestrorum actuum compensatione sit datum: ne judex qui hic bona exteriora restituit, a retributione boni intimi repellat: ne honor hic vel divitiæ, non adjumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris. Mala Lazari purgavit ignis inopiæ; & bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ.* Misera certè portio, quæ bellis continuis & invidiis obnoxia est: nec sibi à vicinis tuta, nec à fratribus, nec à prolibus ipsis; quæ qualiscumque sit, morte tamen est finienda;
Psalm. 48. vers. 18. *quoniam cùm interierit homo non sumet omnia*, sive nihil de omnibus, *neque descendet cum eo gloria ejus. Quia anima ejus in vita ipsius* dumtaxat *benedicetur*, & non ulteriùs.
Psalm. 75. vers. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Voluptuosorum est æquè miserabilis portio, quam Sapiens indicat, dicens:
Eccles. 5. vers. 17. *Hoc visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitiâ ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius.* Quid eis tandem est eventurum? Sententiam tulit ipse Judex
Luc. 6. vers. 25. Christus: *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis*; eamdemque præconizavit Apostolus.
1. Cor. 6. vers. 13. *Esca ventri & venter escis; Deum autem & hunc & has destruet.*

Sic variis distrahitur cor humanum concupiscentiis, ut portione substantiæ suæ in malum abutatur vel vanitatem, adeo ut rarus inveniatur, qui corde veraciter exprimat:
Psal. 118. vers. 57. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.* Super quo latè discurrens Ambrosius:
Serm 12. *Rarus est*, inquit, *qui potest dicere Deo: Tuus sum. Ille enim dicit: qui adhæret Deo totis sensibus: qui aliud cogitare non novit, qui potest dicere Deo:*
Joan. 14. vers. 9. Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. *Numquid hâc voce utitur avidus pecuniæ, honoris & potestatis? Multis non est satis Deum scire, & quidem pluribus. Tanti populi, tanti divites, egestatem putant Domino servire, & qui supra omnes est, illis exiguus est. Illis non est satis Dei Filius, in quo sunt omnia. Denique dives*
Matth. 19. vers. 21. *ille cui dictum est*: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, *Deum sibi sufficere non judicavit*; & contristatus est, *quasi quod pluris esset, relinquere juberetur, quod minus esset, eligere. Ille ergo dicit: Tuus sum, qui potest dicere*: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth. 19. vers. 27.
Apostolorum itaque vox est; non tamen omnium: nam & Judas Apostolus fuit, & dicebat ipse Christo: Tuus sum; sed voce, non corde: cum esset servus Diaboli per denariorum cupiditatem.

Tandem post multas enumeratas servitutes à veris Dei servis alienas, ostendit quænam verissima sit atque beatissima: *Rectè Propheta dixit*: Tuus sum, *qui semper in Deo mansit.* Psal. 118. vers. 94.
Et quâ ratione dixerit: Tuus sum, *addidit*: Justificationes tuas exquisivi, *hoc est: nihil aliorum quæsivi, sed id solum quod tuum est desideravi. Alii quærunt monilia pretiosa, alii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli possint habitare in terra hac, & elementum volunt occupare commune. Alii possessiones aeris ipsius vendicare. Mihi in justificationibus tuis patrimonium est. Nescio possidere nisi quod tui juris est. In tuis eloquiis mihi spiritualis cura refulsit argenti: Mihi portio Deus est. Tuus sum ego, quia pars mihi hæreditatis, non in auro, non in argento est; sed in Christo Jesu.*

Longiusculum Ambrosii discursum, compendio complexus est Sapiens: *Omnis labor* Eccl. 6 vers. 7.
hominis in ore ejus, consumentis cum in cibo & potu. *Quid habet amplius sapiens à stulto? Et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita?* Ad portionem pergat de terra viventium. Quibus porrò passibus, cujus comitatu? Ipsiusmet Christi Domini, qui dux est pauperum omnium spontaneorum. Per mortem ipse ad portionem vitæ transiit immortalis. Itaque
si complantati facti sumus similitudinis mortis e- Rom. 6. vers. 5.
jus, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus, ut destruatur corpus peccati; & ultrà non serviamus peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul cum eo vivemus. Moriturus Christus, primò suis vestibus omnibus spoliatus, deinde sic ambæ manus confixæ cruci, ut nihil penitùs potuerit acceptare, neque vestes proprias reinduere, neque potum applicare ori sitienti: moriens denique factus est impotens (more humano loquendo) ad usum terrenorum omnium atque possessionem. Ad similem nos statum sancta adduxit Paupertas. In summa nos posuit rerum omnium nuditate: manusque nostras ita confixit votorum clavis, ut neque pecunias valeamus neque possessiones aliquas acceptare: imò quæ ad corporis victum pertinent atque vestitum, manibus quodammodo applicari debeant alienis. Denique jus omne tollit atque potentiam ad bona quæcumque temporalia; haud aliter quàm si è vivis excessissemus: unde & ante professionem testamentum condimus, quemadmodum alii corporaliter morituri. Hæc est beata mors; quæ cùm nos Christo configuret morienti, idoneos quoque facit ad resurgendum cum ipso, ut in novitate vitæ ipsius immortalis, quam à resurrectione duxit super terram, ambulemus.

Aptissimè notavit D. Bernardinus, Paupertatis beneficio conferri quodam modo Tom. 3. Serm. 5. art. 3. c.
Christi pauperibus dotes corporum beatorum.

Primò

Primò siquidem impassibiles facit, quia non dolent, imò gaudent de temporalium amissione, sicut scriptum est. (Hebr. 10. vers. 14.) *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* 2 Agiles facit ad Christi sequelam: (Matth. 19 vers. 27.) *Ecce*, inquit Petrus, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Nimirum quia Dei filius exultavit ut gigas ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. 3. Subtiles facit & graciles ad intradum regnum cœlorum; cum vice versâ (Matth. 19 vers. 24.) *facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* 4. Dotem quoque tribuit claritatis & beatitudinis complementum: (Chrysost. Hom. 47. in Joan.) *Anima inopis fulget ut aurum, splendet velut margarita fulgens, florescit ut rosa sicut Angelus conversatur. Vis hujus animæ pulchritudinem videre? Vis inopiæ divitias addiscere? Non subjacet dæmonibus: non assistit regi, sed Deo: non militat cum hominibus sed cum Angelis: non habet arcas duas vel tres, vel decem; sed talem abundantiam, ut hunc mundum universum nihil existimet: non habet thesaurum, sed cœlum ipsum: non indiget servis, sed habet magis servas passiones & cogitationes, quæ regum dominantur: regnum autem & aurum & omnia talia quemadmodum puerorum ludibria deridet: non habet equos & currus. Quid autem ei opus est, qui supra nubes vehi debet, & esse cum Christo?* Beata portio, miseris oblata hominibus, ut suarum obliviscantur miseriarum.

(Sedul. c. 10. Vita.) Regius adolescens S. Ludovicus Episcopus Tolosanus, dum Franciscanum amplexus institutum, divitiis delitiisque regalibus renunciasset, ex animo pronunciabat illud Regii Prophetæ: (Psal. 15. vers. 5.) *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Non aliam voluit respicere possessionem vel hæreditatem, quàm ipsum-met Dominum; cùm animus humanus nullâ valeat creaturâ satiari. Subtiliter observavit noster (In Dom 12. post Pentec. ser. 2.) Philippus Diez, quòd creaverit Deus hominem postquam jam in singulis orbis partibus aliquos collocasset possessores: aves in aëre: in aqua pisces: in terra bestias; in inferno Diabolum & angelos ejus. Dum ergo cuncta forent occupata, nihilque superesset ad dandum nisi Deus ipse, insinuavit se solum hominis esse hæreditatem, centrum, atque possessionem. Idcirco dum jubemur diligere Deum, additur in præcepto: *Deum tuum*; quia noster factus est, nobisque dedit semetipsum.

Hæc igitur sit sufficientissima nobis portio mediante Paupertate; prout nos sperare jubet qui dicit: (Isaiæ 29. vers. 19.) *Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt.* Eâ tamen lege, quam Sanctus tradit Hieronymus: (Epist. 2. ad Nepotianum.) *Qui vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit:* Pars mea Dominus, (Thren. 3. vers. 24.) *nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam aliud habuerit, pars ejus non erit Dominus: v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur.*

TEXTUS & §. XX.

Cui dilectissimi Fratres totaliter inhærentes.

SUMMARIUM.

Forma fidelitatis ad Paupertatem, in Ruth erga Noëmi, adumbrata. Machinamenta Diaboli contra Paupertatem, per Fratrem Adversarium, Regulæ destructorem. Sunt etiam Paupertatis inimici. 1. Nimia Superiorum liberalitas. 2. Eleëmosynarum nimia affluentia. 3. Scioli disputatores. Quàm constanter Ordo Seraphicus adhæserit Paupertati.

RUth nurus Noëmi, socru suæ de Regione Moabitide in Bethleem revertenti, tam constanter adhæsit, ut, tametsi depauperata esset socrus, reditumque ad suos filiæ vehementer suaderet, Ipsa tamen dixerit: (Ruth. vers. 16.) *Ne adverseris mihi, ut relinquam te, & abeam. Quocumque enim perrexeris, pergam, & ubi morata fueris, & ego pariter morabor: populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus: quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.* Insigne profectò fidelitatis amorisque specimen, matri totaliter adhærentis. Cujus consideratione victa Noëmi dixit: (Cap. 3. vers. 1.) *Filia mea quæram tibi requiem, & providebo ut bene sit tibi.* Booz etiam vir ditissimus auditâ famâ istius fidelitatis peregrinæ mulieris, adamavit eam. (Cap. 2. vers. 11.) *Nunciata sunt*, inquit, *mihi omnia quæ feceris socrui tuæ..... & quòd reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum quam antea nesciebas. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas.* Sancta Paupertas vocari potest *Noemi*, hoc est *pulchra*; derelicta tamen est vidua, vacua, exul & humiliata. Nihilominus sacra Francisci Religio velut altera Ruth parentibus propriis & patriâ relictis, ei amore inhæret inseparabili, jurans in sacra professione: *Hæc*

faciat mihi dominus, & hæc addat, si non sola mors me à te separaverit. Potestne in oblivionem ire tanta fidelitas, Potestne malè esse inhærentibus totaliter mariti Paupertati? Minimè. Promittit ipsa in primis: *Quæram tibi requiem, & providebo ut bene sit tibi.* Qualiter illi promissioni satisfecerit, sæpè superiùs declaravimus. Deinde Deus ipse, tamquam ditissimus Booz, concedit pauperculæ Religioni metere ex agro suo vel colligere, convesci servis suis, ac denique in sponsam sibi eam assumit, suorumque omnium bonorum participem facit; si tamen non iterum ad terram suam mundanasque commoditates revertatur, adinstar infidelis sponsæ atque adulteræ ad opulentiam declinans paupertatis inimicam. Quod cavens Religionis hujus Patriarcha, monet ut sui *dilectissimi Fratres* sint Paupertati *totaliter inhærentes.*

Multæ sunt machinationes, quibus conatur dæmon infernalis Franciscanæ Regulæ professores à sanctâ separare Paupertate, & abducere post se. Unam accipiamus S. Birgittæ cœlitùs revelatam.

Revelat. lib. 7 c. 10.

Insipitavit aliquando dæmon clerico cuidam Ordinem ingredi Franciscanum, ibique tantam fingere humilitatem, ut reputaretur sanctus; secretò verò cum sociis vacare commessationibus, pecunias habere apud amicum aliquem, quibus ad suam uteretur voluntatem; studere diligenter, ut eo meliùs aliquos in Ordine assequeretur honores, eo modo haberet equos, vasa argentea, vestes pulchras, ornamenta pretiosa, sub specie honorem Ordinis promovendi: qui etiam speraret & desideraret Episcopus fieri, ad fruendum suâ libertate, omnibusque corporis commoditatibus. Hunc Fratrem *Adversarium* (sic eum nominabat Deus, ex eo quòd Regulæ Francisci adversarius sit) ita Diabolus instruxit, ut plures secum in eamdem abduxerit corruptelam: intantùm ut multi non Regulam Francisci, sed Fratris Adversarii Regulam opere, voluntate & desiderio consectarentur. *Scias tamen*, ajebat Dominus dilectæ suæ Birgittæ, *quòd quamvis isti Fratres, scilicet Francisci & Fratris Adversarii commixti sunt quamdiu vivunt in mundo, attamen ego separabo eos post mortem, quia judex eorum sum, & judicabo Fratres Regulæ Francisci ad permanendum mecum, simul cum Francisco in æterno gaudio. Illi autem qui sunt de Regula Fratris Adversarii, judicabuntur ad pœnas infernales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere, & humiliter emendare.*

Alterum periculum esse posset à Superioribus, si blandi nimis forent, liberales, prodigi, atque magnifici. Per hos alii improvidi potentiùs à Paupertatis abducerentur rigore, per recreationes profusas, largitiones prodigas, & superabundantem desideriorum omnium concessionem. Gravissima hinc oritur infirmioribus tentatio; qui licèt paucioribus possent esse contenti, oblatâ tamen abundantiâ, seipsos vincere non possunt, sed utuntur oblatis & abutuntur. Quasi cæcis oculis graditur vulgaris turba post vestigia Prælatorum, querulante de eis S. Jeremiâ:

Jerem. 9. vers. 13

Dereliquerunt legem meam quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea: & abierunt post pravitatem cordis sui, & post Baalim: quod didicerunt a patribus suis. Pessimi exempli res est, quando de abusibus auditur in religiosa communitate: Patres sic permittunt, Patres sic faciunt, Patres non faciunt in his scrupulum. Apud justum Judicem, nullus istâ liberabitur excusatione. Unde subdit ipse apud Prophetam: *Ecce ego cibabo* *vers. 15.* *populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis, & dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi & patres eorum, & mittam post eos gladium, donec consumantur.* In Provinciis verò & conventibus, ubi subditi zelosos nacti sunt Superiores, á quibus nulla permittitur scandalosa relaxatio, caveant Religiosi Paupertatis impatientiam, paucis contenti vivant, parcimonia delectentur. Exterminati sunt antiqui Hebræi, qui contra Moysen & Dominum murmurabant & tumultuabantur, quòd in deserto carere cogerentur ollis Ægypti. *Num. 11. vers. 33.* Nos tamquam dilectissimi Fratres Francisci totaliter inhæreamus paupertati. *Totaliter inhæret paupertati*, ait Pisanus, *qui eam usu servat, & corde diligit.* *Lib. 1. conform. conf. 9.* Enituit in hoc Conventus Fæsularum prope Florentiam, Franciscani illius incolæ, paupertatis ultrà quàm dici possint studiosi, angustos statuerunt vitæ transigendæ limites: habitum rudem segmentitium, panem arctum & aquam brevem. *Annal. Tom. 4. an. 1399 num. 65.* Soli senes vinum delibabant, jubente Guardiano: sufficiebatque universis per dies quindecim phiala una, dum paucissimi gustare vellent, nullus libare.

Impetus alius ab extrinseco contra sanctam fieri posset Paupertatem, per amicos & benefactores, dum ultra necessitatem superabundantes offerunt eleemosynas. Non admittendum superfluum, quod fiat nobis lapis offensionis & petra scandali. Peccatum Adami occasionem ex eo sumpsit, quod postea ipse respondit incusanti Domino: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* *Gen. 3. vers. 12.* Pusillanimis vir non ausus erat contemnere suasionem mulieris & oblationem. Erigat nos magnanimitas S. Antonii Paduani, recusantis munera Ezelini tyranni, & S. Bernardini pecunias à Duce Mediolanensi oblatas non admittentis, ut superiùs ad §. 15. retulimus. Accedens tentator nostro dixit Redemptori: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; *Matth. 4. vers. 9.* sed acrem tulit repulsam. Sanè sciendum est dona benefactorum, tametsi ab eis optimâ offerantur intentione, tamen quandoque hostili dolo minimè carere. Prudens erat cautela eorum, qui monebant de exitiali equo Trojano:

Creditis avectos hostes? aut ulla putatis *Virg. lib. 2. Æneid.*
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulysses.
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.
Quidquid id est; timeo Danaos, & dona ferentes.

In Conventu Scarnini res contigit memorabilis. Dæmon assumptâ humanâ specie, se ingessit Domini Popiloniensis, erga Fratres summè benefici, domesticis obsequiis. Paulò post, *Annal. Tom. 5. an. 1420. num. 12.* mise-

misericordiæ & pietatis titulo suggerere cœpit hero, ut pauperculos fratres malè habentes, perpetuò esurientes, abundantiùs pasceret, & missis carnibus aliquando nimiam abstinentiam temperaret. Jussit Heros, ut ille ferendarum in se curam assumeret, talemque callidus insidiator suscepit, ut sæpius & abundantiùs quàm suspicaretur dominus aut Fratres cuperent, asportaret. Insurrexit inter Fratres murmur relaxatæ abstinentiæ, & enervatæ abstinentiæ, ad crebram frequentem carnium manducatione; oportuitque ut Guardianus ad Heroëm iret, & latentis fraudis quam subodorabat, suspicionem exponeret. Vocatus fictus famulus, interrogatusque cujas aut cujus filius esset? impatienter respondit, morosum se habere herum, qui patriam progeniemque ultrò vellet extorquere. Cui Guardianus: Propterea interrogamus, quia suspicamur te non ex his nostris sed ex infernis esse regionibus. Tunc dæmon ad dominum conversus, maximo furore, ait: Benefac his ingratis, qui probra atque iojurias ob recepta referunt beneficia; & mox ingenti strepitu & fragore ex eorum evanuit conspectu.

Caveodum quoque à vulpeculis, quæ possent Domini vineam demoliri. Per eas intelligendi veniunt magistri scioli & temerarii, qui ostendere conarentur nullam aut levem saltem esse in his materiis paupertatis obligatiooem, dispensationes licentiasque laxiorum Superiorum tutas esse, & meritorias, si serventur pacis communis intentione, demùm perfectionem religiosam sitam noo esse in temporalium penuria, sed in Dei charitate. Verum id quidem est nudè acceptum; perperam tamen assumitur pro formandis consequentiis malis ad protectionem abusuum, deceptionemque simpliciorum, qui per Regulæ prævaricationes Dei gratiâ & charitate spoliantur. Simili modo tales Ordinem corrumpunt Religiosum, sicut hæreticus homo Ecclesiam Dei suis glossis, sophismatibus & inani philosophiâ depravat: de quo dicit Apostolus, quòd sit *superbus, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem.* 1. Tim. 6. vers. 4. Nos non circumferamur omni vento doctrinæ, sed persistamus in firmitate sanctissimæ paupertatis: imò nec contra eam Pontificias acceptemus dispensationes.

Summoperè placuit Deo & Francisco, quod constanter prussella est integra Observantia coram Leone Papa X. dum proponeret generalem in Ordine nostro unionem tam Conventualium quàm Observantum, Amadæorum, Coletanorum, Clarenorum, & aliorum, si qui erant Francisci Regulam profitentes; responderunt enim Observantes se in illam consensuros unionem, dummodo Regulæ observantia nihil pateretur detrimenti, & Fratres Conventuales cuicumque proprietati tam in generali quàm in particulari, ac quibuscumque redditibus annuis, Pontificisque privilegiis in manibus suæ Sanctitatis revera & efficaciter renuntiarent. *Gonzaga de Sept. Generali Capit. pag. 29.* Dum etiam in sacro Tridentino Concilio ageretur de permittendo bona immobilia omnibus per orbem universum Ordinibus Religiosis, enituit acceptissima cœlo constantia Fratrum Observantum & Capucinorum, totaliter suæ Paupertati inhærentium, & petentium excipi à generali ista concessione: quod & factum est Sessiooe 25. cap. 3. De Regularibus. Sic viri isti zelosi tantoperè necessariam judicârunt Ordini observantiam Paupertatis, sicut animam corpori, quâ recedente, corpus in fœtorem abire necesse est atque corruptionem.

TEXTUS & §. XXI.

Nihil aliud, pro nomine Domini nostri Jesu Christi, in perpetuum sub cœlo habere velitis.

SUMMARIUM.

Franciscana Religio in cœlestibus fundata, nihil eorum quæ sub cœlo sunt appetit habere. Cuncta quæ sub cœlo concupisci possunt, obtinentur modo eminentiori Paupertatis beneficio. Hoc declaratur enumeratione eorum bonorum. 1. Est terra. 2. Corporis sanitas. 3. Humana gloria. 4. Amicorum fidelium contubernium. Bona omnia quæ sub cœlo reputantur, vana esse docet Sapiens, sub aptissimus similitudinibus. Imò verissima mala sunt. Solam igitur sub cœlo velimus Paupertatem: idque pro nomine Domini Jesu.

DEprædicans Isaïas futuræ Christi Ecclesiæ magnalia, miseratorem Dominum inducit sic ei inter alia loquentem: *Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione.* Isaiæ 54. vers. 11.

Barchor. Reduct. Moral. lib 11. cap. 118. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris*, &c. Sapphirus lapis est ceruleus, cœlo sereno simillimus in colore, cæteros excellit specie & valore: ideo Gemma gemmarum in Lapidario appellatur; stellam habet relucentem, & aliquando pulveres quosdam aureos intermixtos. In hujusmodi sapphiris se fundaturum Ecclesiam Dominus repromittit. Simili dignitatis fastigio sublimanda est, per almum Christi confessorem Franciscum instituta Religio. Ipsa quidem *paupercula* est, *tempestate* persecutionum ac pœnitentialium operum *convulsa, absque ulla* terrena *consolatione*. Fundamentum tamen ipsi promissum est in sapphiris cœlestium protectionum, spondente Christo Domino: Leg. S. N. P. Francisci cap. 8. n. 2. *Quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hac concussa Religio, salva semper meo munere permanebit*. Cunctis supereminens terrenis, taliter in cœlorum fundata est sapphiris, ut dicere possit cum Apostolo: Philipp. 3. vers. 20. *Nostra conversatio in cœlis est*. Pulveres aureos divitiarum non in terra habet, sed in cœlo; sicut pulveres aurei in sapphiro cœli colorem referente visuntur intermixti. *Pater noster*, inquiebat Luc. 12. 34. ipsius institutor *est in cœlis, apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocavi*. Ad hunc vocat præsenti Textu suorum desideria filiorum, dicens: *Nihil aliud* præter altissimam paupertatem, *pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis*. Quasi dicat: cùm per altissimam paupertatem sublevati sitis supra terram, & supra omne quod sub cœlo est, & in ipsis cœlorum fundati sapphiris, non vos decet in eam degenerare vilitatem, ut aliquid eorum, quæ sub cœlo sunt, habere velitis. Omnia illa nihil sunt, in Paupertatis Evangelicæ comparatione. Quod potest singulorum enumeratione convenienter declarari, & ostendi omnia, quæ sub cœlo sunt, deputari beneficio sanctæ Paupertatis, ut ea omnia pro Dei amore relinquentes, modo magis elevato singula recuperemus.

Primò, Amplissimum quod sub cœlo videtur, terra est & lutum, pro cujus particula ad sanguinem usque à mortalibus depugnatur. Cùmque plenum illius obtinuerint dominium, impedire minimè possunt, quin eam belluæ perambulent, quin aves fructus depascant, quin per tempestates agri sterilescant, vel per diluvia involvantur: denique quin ab ipsa-met terra possessores ejus post mortem devorentur. Per voluntariam autem Paupertatem, terram relinquentes, terrena quæque cum amplissimo recipiunt fœnore. Siquidem promisit Christus: Matth. 19 vers. 29. *Centuplum recipietis*. Quòd cùm varii variis intelligant modis, sic accipiendum docet Cassianus: Collat. 24. cap. 26. *Pro uno tot invenies Fratres, Patresque, ferventiore ac præstantiore sibi affectione devinctos. Multiplicatá etiam domorum atque agrorum possessione, ditabitur quisquis unâ domo pro Christi dilectione rejectâ, innumera monasteriorum habitacula tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in sua domus jure succedens. Quomodo enim non centuplum, &, si Domini nostri sententiæ superadjici aliquid fas est, plùs quàm centuplum recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida, & coactiva derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribus matribusque ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratresque innumeres, domos quoque & agros, servosque fidelissimos absque ullo sollicitudinis labore conquiritis, qui vos ut proprios dominos, summis suscipiunt, amplectuntur, fovent, venerantur officiis.*

Secundò, Sub cœlo corpus habemus de limo compactum, innumeris obnoxium morbis, vulneribus, fatigationibus, ac tandem amaræ morti, non minùs quàm irrationabilia animalia. *Unus est interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur* Eccles. 3 vers. 19.
homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet jumento amplius: cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter revertantur. Præcipuum corporis bonum sanitas est: ad quam tuendam mille artes necessariæ sunt, & continua sollicitudo. Nullum verò est aptius illius conservandæ remedium, quàm victus pauper & moderatus. *Somnus sanitatis in* Eccl. 31. vers. 24.
homine parco. Dormiet usque in mane, & anima illius cum ipso delectabitur. Dulcis est somnus o- Eccles. 5. vers. 11.
peranti, sive parum sive multùm comedat: saturitas autem divitis, non sinit eum dormire. Hinc laboriosos pauperes, ut plurimùm fortes videmus & vegetos; eos verò divites qui mollibus vestiuntur & deliciosè comedunt, vacantque otio, debiles communiter esse, delicatos, podagricos, multisque modis aliis valetudinarios.

Tertiò, Cùm nihil sic appetat homo sub cœlo quàm gloriam, undequaque ex seipso materiam ebullit verecundiæ atque dedecoris. Ex corpore tam turpia, ut non patiatur honestus animus ea dici, scribi, audiri vel videri. Defectus animi tam naturæ quàm morum tantam suffundunt verecundiam, ut ab ipso Deo nos-ipsos libenter absconderemus, si fieri posset, tam est illud intolerabile tormentum. Contemnitur quidem à veris pauperibus mundi gloria tamquam fumus & nihil; miro tamen Dei judicio sequitur fugientes: eòque solidior, quò magis contempta. Mellifluum audiamus Bernardum: *Vera illa & indubita-* Epist. 24.
ta sapientia est, quæ turpia lucra contemnit, & indignum sibi judicat eodem cum idolorum servitute contubernio frui. Non magnum fuit M. Gilbertum Episcopum fieri; sed Episcopum Londonensem pauperem vivere, id plane magnificum. Nec enim tanto nomini quidquam augere potuit sublimitas dignitatis; auxit autem plurimùm humilitas paupertatis. Paupertatem æquo animo ferre, virtus patientiæ est; sponte appetere, sapientiæ laus est. Laudatur denique & admirabilis Eccles. 31.
prædicatur, qui post aurum non abiit; qui verò & abjecit, plùs nil merebitur?

Quartò, Expetibile est sub cœlo familiare alicujus amici contubernium, & confidens consiliorum communicatio. Monet autem Propheta: *Unusquisque se à proximo suo custo-* Jerem. 9.
diat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: vers. 4.
quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis

amicus

amicus fraudulenter incedit. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur. Amicus itaque verus & fidelis requirendus est.
Eccles. 25. vers. 12. *Beatus qui invenit amicum verum.* Paupertas autem veros & non fictos conciliat amicos: cùm enim amici pauperum nec spe temporalis alicujus adducantur emolumenti, nec potentioris auctoritatis timore; solus eos conciliat Christi amor, qui sanctum, solidum atque honestum est amicitiæ fundamentum, summæque occasio jucunditatis.
Ezech. 6. vers. 14. *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum &c.* Amicitia etiam fundata in Dei charitate, durabilis est sicut *Charitas*
1. Cor. 13. vers. 8. *numquam excidit.* Humana verò amicitia in humanis fundata respectibus, morte interiet vel alio sæpè casu: sicut reliqua mundi desiderabilia transitoria sunt, & cum tempore peritura.

Quintò, Vanitatem eorum quæ in hoc sæculo æstimantur, egregiè Sapiens variis depinxit comparationibus.
Sap. 5. vers. 9. *Transierunt*, inquit, *omnia illa tamquam umbra & tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam avis quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris &c. aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius.* Ad has Metaphoras reducamus ea bona, quæ sub cœlo videntur delectare. Unum est gloria sanctitatis, quam venantur hypocritæ. Quid illa est nisi *umbra*, quæ sole divini judicii adveniente protinus evanescit? *Nuntius percurrens*, Prædicator est, sibi in applausu complacens auditorii, & proprium pulverem aliquem excitans cogitationum; sed nullius valoris. *Navis pertransiens* est, vir multis oneratus divitiis, transiens usque ad portum mortis, ubi omnibus exoneratur; nec in mari ullum deinceps apparet vestigium sive navis vehentis, sive vectarum divitiarum. *Avis* est, stultus præclaris indutus vestibus velut plumis variegatis, & per compita volans ad apparendum. *Sagitta emissa* est bellicosus, ad nocendum doctus, & gloriam sibi ex arte conquirens militari; vel vanus in mundanis scientiis disputator, qui supremam putat esse gloriam, dum scitè, subtiliter atque velociter confoderit antagonistas. Adveniente morte, nihil de illis invenietur stabiliter permansurum; sed dici tantùm poterit: *Transierunt omnia illa &c.*

Sextò, Neque solùm nulla sunt sub cœlo vera bona; sed plurima quoque verissima
Eccles. 4. vers. 1. mala. *Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos.* Et iterum
Cap. 5. vers. 7. Sapiens ait: *Si videris calumnias egenorum & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio.* De alio dicit:
Ibid. vers. 16. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & ærumnâ atque tristitiâ.* Quid remedii ad evadendum hæc mala, calumnias & injustitias quæ sub sole geruntur? Opportunissimum suggerit D. Gregorius:

Magna est securitas cordis nil concupiscentia habere sæcularis. nam si ad terrena concupiscenda Lib. 22. moral. c. 14 & 15
cor inhiat, tranquillum nullatenus esse potest. Quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut accepta metuit ne amittat. Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quasi fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Si vero semel in appetitione patriæ supernæ forti stabilitate animus figitur; minùs rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe motibus externis eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum secessum petit, ibique incommutabiliter inhærens, & mutabilia cuncta transcendens, ipsâ jam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est. Excedit profectò ima omnia intentione summorum, & cunctis rebus quas non appetit, libertate quadam se superesse sentit; nec tempestatem rerum temporalium tantus sustinet quantum foris intuetur: quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subterjacent; sitque ut dum semper stantem appetit æternitatem, infra se sit ei omne quod transit. Ecce qualiter sanctæ paupertatis spiritus medium est, mala omnia quæ sub sole geruntur securiùs evitandi, & bonum omne quod sub cœlo est eminentiori modo consequendi.

Itaque nihil aliud in perpetuum sub cœlo habere velimus; idque *pro amore Domini nostri Jesu Christi.* Ipse est sponsus animarum nostrarum, cujus amor per incommoda paupertatis quæritur & invenitur. Sic quæsivit eum sponsa, à vulnerationibus imperterrita & spo-
liationibus. *Invenerunt me*, loquit, *custodes* Cant. 5. vers. 7.
qui circumeunt civitatem: percusserunt me & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Et quia sic spoliata non destitit quærere, contigit ut inveniret. *Inveni*, inquit, *quem diligit anima mea.* Æquè ardens amoris studium in sponsa quadam sæculari nostris apparuit temporibus. Filia erat nobilis, quæ in matrimonium consenserat viri pauperrimi, pro quo induendo, monilia vendidit vestesque pretiosas, passa est se exhæredari & ad extremam est redacta inopiam; atque ut mariti parceret verecundiæ, ibat ipsamet pro illo mendicatum. Dum in morbum incidisset sub alieno tecto, nec lectum haberet in quo decumberet, nec sedem in qua sederet, in cæterisque omnibus extrema appareret inopia, interrogata est à quodam è nostris (qui visitabat infirmam) quam teneret in tanta egestate cum marito tam miserabili patientiam? Respondit hilariter: *Malo tantam cum ipso pati paupertatem, quàm sine ipso in paterna domo bonis omnibus abundare.* Tam fervens sit nobis paupertatis studium *pro amore Domini nostri Jesu Christi.*

Seraphicus vir B. Bartholomæus Salutius ad hoc fuit aliquando verbis ferventissimis nos omnes Franciscanos adhortatus: *Obsecro,*
inquit, *& contestor vos, dilectissimi Fratres &* In Epist. præfixa Convivio spirit.
Patres, per viscera misericordiæ Dei nostri, & ad vestra genua provolutus iterum atque iterum contestor & obsecro, ut sanctissimam Paupertatem totis amplectamini visceribus: ipsa siquidem est Regulæ nostræ præcipuum & totale fundamen-

fundamentum. Et argumentum subjungens aptum ad permovendum: *Velim*, inquit, *Fratres mei, ut paupertatem Domini nostri Jesu Christi semper ante oculos habeatis; de quo*
1. Cor. 8. vers. 9. *ait Apostolus*: Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. Ipse quoque pauperculæ Congregationis nostræ Patriarcha pro nobis ad Patrem orans misericordiarum, ait: *Consigna illos hoc privilegio Paupertatis dita illos* Opuscula Tom. 1. Orat. pro Paupert.
hoc thesauro. Postulo ut ipsis in æternùm sit proprium, pauperrime Jesu, propter nomen tuum nihil posse sub cœlo proprium habere, & alienis rebus semper cum usu penuriâ, dum vivit caro misera, sustentari.

TEXTUS & §. XXII.

Et ubicumque sunt, & se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se.

SUMMARIUM.

D. Pauli affectus erga baptizatum à se Onesimum. Similem discipulis suis Franciscus exhibuit, & voluit ab invicem exhiberi. A Diabolo est mutua hominum diffidentia. Turpiter eâ peccant. 1. Zelantes solam Provinciam vel nationem propriam. 2. Reformati in non Reformatos, & contrà. 3. Nescientes pati defectus consodalium. Exemplum Christi Judam proditorem tolerantis.

CUm Paulus Romæ vinctus, Onesimum fugitivum Philemonis servum, Ecclesiæ Christi per sacrum aggregasset Baptismum, protinùs egit scriptâ Epistolâ, ut Philemoni reconciliatus, denuò in domesticam ejus admitteretur familiam, atque in curam ipsius susciperetur, fraternamque dilectionem. De qua dilectione aliis exhibita in primis eum
Ad Philem. vers. 7. collandans, ait: *Gaudium magnum habui & consolationem in charitate tua; quia viscera sanctorum requieverunt, per te, frater. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet &c. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo Forsitan ideo ad horam discessit à te, ut æternùm illum reciperes: jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem.* Et propter hunc fraternitatis titulum Baptismo acquisitum, petit illum ut domesticum admitti atque tractari: *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.* Et si in aliquo nocuit tibi, *ego reddam; ut non dicam tibi, quòd & teipsum mihi debes. Ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino.* Eodem stylo eodemque affectu filiis suis loquitur Franciscus, quos mediante sacrâ professione in minoriticam adunavit societatem: *Ubicumque sunt*, inquiens, *& se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se.* Quasi cum Apostolo dicere velit: Si habetis me Patrem, suscipite invicem, sicut me. Reficite viscera mea in Domino. Ostendant se fratres domesticos invicem inter se. Ut mutuò inter se & erga quem-
Expositio sanctorum Patrum Ordinis in hunc locum. libet mutua exerceant charitatis officia, *tantâ familiaritate sub modis honestis & sanctis, quod quilibet Fratrum in signis extrinsecis & intrinseco affectu, sic se ostendat Confratri domesticum, quòd quilibet Frater meritò possit in corde suo concipere tantam confidentiam, ut faciliter & securè velit illi manifestare suam necessitatem.* Hæc est vera fraternitas, quæ vero fundatur affectu, & ultra roboratur operibus.

Verum adversarius noster Diabolus, sciens beatam esse hanc confidentem humanæ vitæ societatem, statim à mundi initio eam statuit odiis mutuis atque diffidentiis perturbare. Impium Cain sic ad invidiam incitavit & odium, ut homicidas manus in proprium injiceret fratrem. Qui interrogatus à Deo: *Ubi* Gen. 4 vers. 9.
est Abel frater tuus? Respondit: nescio: Num custos fratris mei sum ego? quasi diceret: Quid ad me pertinet homo iste? Nolo eum nosse. Nihil mihi cum ipso commune. Hæc diffidentia; quin & apertæ inimicitiæ perseverârunt in Ismael, in Esau, in filiis Jacob, in filiis David, & in aliis deinceps multis, quorum consanguinei potuerint conqueri cum Psal- Psal. 68.
mista: *Extraneus factus sum fratribus meis, &* vers. 9.
peregrinus filiis matris meæ. Tametsi verò multi, fratribus, filiis atque domesticis suis agnoscant se obligatos; cæteris tamen non plùs communicant, quàm canibus in platea vagantibus. Hujus neglectûs ac feritatis turpitudinē, depictam habemus in Evangelio. Homo quidam des- Luc. 10.
cenderat ab Jerusalem in Jericho, & inciderat vers. 30.
in latrones, qui etiã despoliaverant eum semi- & 31.
vivo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eâdem viâ: *& viso illo præterivit. Similiter & Levita cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit*; quasi cogitantes intra se: Nulla nobis cum homine isto intercedit obligatio; extraneus est, nec habet, unde expensas solvat, quas pro eo erogaverimus.

In Religiosis Ordinibus ex triplici capite oriri

oriri posset hujusmodi inter Religiosos diffidentia & alienatio 1. Ex zelo provinciæ propriæ, vel propriæ nationis. Vulgaris est nationum omnium superbia, & propria super alias omnes æstimatio, ut pudeat eas alteri cedere vel ipsam honorare. Hæc sæcularis animositas, aliquando in viris quoque inveniri posset religiosis, sed imperfectis, ut ex æmulatione contemnant aliarum provinciarum Fratres, atque dedignentur. Sæpè etiam intra unius Provinciæ vel conventûs limites, diversarum nationum homines contra se invicem committit, cum ingenti charitatis, Religionisque detrimento. Ut inordinatum hunc superes affectum, exi de terra & de natione tua. Lex Dei est, communis patris omnium

Levit. 19. vers. 33. nationum: *Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos quasi indigena, non exprobretis ei*, nec scommatibus vel amaris cumuletis agnominibus; *sed sit inter vos quasi indigena, & diligetis eum quasi vosmetipsos.* Sicut non est personarum acceptor Deus, sic & Ecclesiam suam ex omni gente per spiritum in fidei congregavit unitate. In ipsius quoque

Apoc. 7. vers. 9. cœlesti regno vidit S. Joannes *turbam magnam..... ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.* Ad hujus regni formam & leges, noster est Ordo congregatus; proindè de nostro regno non esse probantur, qui à terra terrenisque sibi partem constituunt, & in partialitate sua fulcirant & tuentur schismata, & diffidentias, domesticæ charitati fratrum inimicas.

Itaque in visceribus charitatis amplectamur indifferenter omnes, cujuscumque nationis, quos in unam nobiscum Religionem congregavit Christi amor. Neque pudeat nos ab iis regi, & salubria audire consilia, qui in aliena terra nati sunt. Fatuum est, malle carere penitùs bono ab alienigenis allato, quàm ab iis accepisse. Quis sapiens repudiet aurum, quia non è propriis montibus erutum sit? nolit bibere vinum, quia aliunde allatum? nolit fluvium in propriam admittere regionem, quia procul inde scaturiat? Numquid & Romanum aliquis detrectabit Pontificem, quia non sit de sua natione? Numquid eâdem ratione quispiam insanus suum Ministrum Generalem repudiabit? Numquid fortè ipsum S. Patrem nostrum Franciscum quisquam explodet, eò quòd fuerit Italus? Consequenter tales & Apostolos, Virginem Deiparam, & Christum ipsum nihili facerent, quia linguâ ipsorum locuti non fuerint, sed eis extranei fuerint.

Secundò, Alteram quod impedit, ne Fratres ostendant se domesticos invicem inter se, est in aliquibus Reformationum studium, & in aliis Reformationum detestatio. Nam cùm tales utrimque nimis creduli sint ad suscipiendas pravas de altera parte impressiones, facilè sequitur animorum aversio: dum hi credunt reformatos & reformatores hypocritas esse, & præsumptuosos, turbulentos & contemptores communitatis: illi verò existimant alios nullius esse conscientiæ, suum ignorantes statum, carnales, libertinos, duces cæcos, &

Dernoye Medulla S. Evangelii.

pietatis inimicos. Stantibus his opinionibus mirum non foret, si, diabolo enoperante, non domesticam sibi mutuò exhibeant confidentiam & charitatem, sed scandalosa provenirent inconvenientia; sicut occasione Reformationis diversorum Ordinum, nostris temporibus vidimus aliquando. Dum S. Bernardi tempore Cisterciensis cresceret Reformatio, de ea graves ferebantur querimoniæ, quasi contemptibiliter, inurbanè, & acerbè agerent cum non reformatis. Super quo S. Abbas sic in eos invehitur, si fortè veræ essent querimoniæ: *Itane sub vestimentis ovium, non quidem lupi rapaces, sed pulices mordaces, imò tineæ demolientes bonorum vitam, quia palam non audemus, in occulto corrodimus, nec saltem clamorem invectionis, sed susurrium detractionis emittimus? Si hoc ita est, ut quid sine causa mortificamur totâ die, æstimari sumus sicut oves occisionis? Si ita, inquam, pharisaicâ jactantiâ cæteros homines, & (quod superbius est) nobis meliores despicimus; quid nobis prodest tanta in nostro victu parcitas & asperitas, in vestitu notabilis illa vilitas ac diversitas, in opere manuum quotidiana desudatio, in jejuniis & vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitæ nostræ singularis quadam atque austerior conversatio?..... Tales laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant. Sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non sequuntur. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in patria..... Quid facit superbia sub pannis humilitatis Jesu? Numquid non habet quo palliet humana malitia, nisi unde involuta est infantia Salvatoris? Et quomodo intra præsepium Domini simulatrix arrogantia se coarctat, ac pro vagitibus innocentiæ malum sibi detractionis immurmurat? ..... Quis magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is, qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?* Et post multa dicta non Reformatis, sermonem denuo ad suos convertens Reformatos, ait: *Quid ad vos de alienis servis? Suo domino stant, aut cadunt. Quis vos constituit judices super eos? Deinde, si ita, ut dicitur, de Ordine vestro præsumitis; qualis ordo est, ut antequam de suo quisquam trabem ejiciat, in fratrum oculis tam curiosè festucas perquirat? qui in Regula gloriamini, cur contra Regulam detrahitis? Cur contra Evangelium ante tempus, & contra Apostolum alienos servos judicatis? An Regula non concordat Evangelio vel Apostolo? Audite & discite ordinem, qui contra ordinem aliis derogatis Ordinibus.* Hypocrita, *inquit*, ejice primùm trabem de oculo tuo, & sic videbis ejicere festucam de oculo Fratris tui. *Quæris quam trabem? An non gravis & grossa trabs est superbia, quâ te putas esse aliquid, cùm nihil sis? Insanissimè tibi tamquam sanus exultas, & altius vanissimè trabem portans de festucis insultas.* Hæc & alia ibidem apud sanctum illum censorem legant Reformatores vani & arrogantes, qui totam ponunt sanctitatem in exterioribus; perfectionem verò spiritûs ignorant, ejusque vinculum charitatem; & tamquam Pharisæi ab aliis se abstrahunt, velut à publicanis & peccatoribus, nec ullam mutuæ præbent confidentiæ occasionem.

Apol. ad Guil. Abbatem.

Psal. 43.

Matth. 7. Rom. 14.

Matth. 7.

Nn Verùm

Verùm per Dei gratiam plurimorum hodie claret sincera virtus & simplex pietas, quæ insectationes subinde pati cogitur non Reformatorum, qui pravis abducti suspicionibus, malos judicant, qui boni sunt, prætextu fulti colorato, quòd Reformati scandalosam & odiosam in Ordinem invehant divisionem, novitates machinentur, aliorumque intendant confusionem. Horum causam suscipiens pius ille Generalis Franciscus Gonzaga, post gravem monitionem omnibus datam superioribus de cura sui gregis, addit: *Instanter rogo & obsecro vos, O animarum Pastores! ut totis viribus foveatis, opitulemini, ac perhumaniter tractetis eos Fratres, quos inveneritis Regulæ nostræ zelatores, sive Recollecti sive Reformati nuncupentur. Siquidem illorum pietate & vestrâ in eos dilectione fiet, ut regularis disciplina & vera pax Provinciarum conservetur & augeatur. Nihil molestiæ eis inferatis, nec ab aliis inferri patiamini, ne inde Ordinis unio jacturam sustineat. Præfatos itidem Recollectos & Reformatos monemus, & obsecramus, & per mortem acerbissimam Domini nostri Jesu Christi obtestamur, ut omnino caveant, ne hæc sacra Religio nostra dividatur aut laceretur; scientes domos Recollectionis pro bono Provinciarum & Ordinis unione servanda, institutas esse. Fratres tamen notare debent, quòd Ordo non dividitur nec laceratur, quando Recollecti, Reformati, Excalceati &c. sibi postulant domos dari ad degendam vitam regularem. Imò tunc nostra Religio unitur, verumque pristinum statum sumit, & viam invenit, quam amiserat.*

In Ordinationibus Minorum p. 28.

Tertiò, Præter publicas & communes aversionum mutuarum occasiones, aliæ plurimæ suscitari natæ sunt inter contubernales ejusdem conventûs, provinciæ, nationis aut reformationis, vel ab antipathia naturali, vel à morum ingeniorumque diversitate, vel à defectuum quorumdam displicentia, vel à susurriis detractorum, vel à solis vehementioribus suspicionibus. Unde secretus quidam horror, certarumque personarum fastidium enascitur, quod sic affectos impedit, ne ita vulgarem & confidentem sui copiam aliis faciant, nec familiariter cum eis agere aut benevolentiam ostendere possint, nisi inviti, aut ficto vultu, idque rarissimè. Convertant isti vultum in dulcissimum Jesum, à quo discant fieri mites corde, atque immunes se ab amaritudinibus servare, inter medios fratrum suorum defectus. In quantomcumque enim alto gradu sumantur, æquiparari numquam poterunt rusticitati, ingratitudini, nequitiæ & odiositati Judæ proditoris: cujus impietas cùm optimè perspecta foret Redemptori, non tamen eum à se repulit, nec domesticæ amicitiæ subtraxit officia; sed in ablutione pedum Apostolis reliquis præstita, *etiam coram ipso genuflexus procumbens, maledictos pedes ejus, veloces ad effundendum sanguinem suum, sanctissimis manibus suis attrectare, lavare & extergere dignatus est.* Neque alios ab eo alienavit Discipulos; passusque est ipsum, donec suâ sponte ab illorum se collegio segregaret. Ut hujus dulcedinis Agni mitissimi exemplum, firmiùs hæreret in cordibus fidelium, nec umquam elaberetur è memoria, D. Joannes ipsum cum notandis retulit circumstantiis. Allegatâ enim Psalmistæ Prophetiâ: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum;* addidit à Domino traditam materiam exercitiumque nostræ imitationis, in simili defectuosorum supportatione: *Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.* Misit autem Fratres nostros Christus, licèt imperfectos, ut eos tamquam dilectissimos in ejus nomine accipiamus. Deindè cùm ad extremum supportasset proditorem, in sua obfirmatum malitia, quasi hic actus unum esset è supremis suis factis, virtutumque exemplis, dixit: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Atque ad infigendam perpetuam hujus exempli reminiscentiam, imitationemque provocandam, verbis expressis legem inde sancivit, dicens: *Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Sed neque hic stetit Agni Dei mansuetudo, circa ingratissimum proditorem; *nam accedentem* in horto Oliveti, *ad osculum sanctissimi oris sui, trucem bestiam aversatus non est; sed os, in quo dolus inventus non est, ori, quod abundavit malitiâ, dulciter applicuit. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conventio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ Domine fuit, ut omnia illa exhiberes, quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent,* & nostram erga defectuosos consodales promovere mansuetudinem dilectionis.

Bernard. Serm. de Pass. Dom.

Psal. 40. vers. 10.

Joan 13. vers. 20.

Vers. 31.

Vers. 34.

Bernard. loc. cit.

* * * * *
* * * *
* * *
* *
*

TEXTUS & §. XXIII.

Et securè manifestet unus alteri necessitatem suam.

SUMMARIUM.

Necessitatum consiliorumque communicatio inter David & Jonathan. Talis esse debet inter Religiosos. Multiplex humana miseria, frequens exigit adjutorium. Dæmon suadet latens malum non aperire medicaturo. Confidentia manifestandi, quibus modis, & per quos defectus Prælatorum impediatur. Quod supersit remedium, si Religiosus à suis omnino non speret subsidium.

ANima Jonathæ conglutinata fuit animæ David, inieruntque ambo fœdus; diligebat enim eum Janathas quasi animam suam. Hinc nata est inter eos confidens necessitatum consiliorumque communicatio. Et signanter de persecutione, quam à Saule patiebatur David, locutus est coram Jonatha: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantùm (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur.* (1.Reg.20. vers. 3.) Quo audito, conatus fuit Jonathas ipsum cum patre reconciliare; sed frustrà: illum tamen è manibus ejus trium sagittarum signo liberavit. Similem speravit in filiis suis Franciscus abundantiam charitatis, atque inito sacræ professionis fœdere conglutinationem animatum Cùmque sciret humanam vitam tot subjacere necessitatibus, ut necesse habeat frequenter ope sublevari alienâ, nosque amicos deseruisse carnales, ad mutuum nos remisit subsidium dicens: *Securè manifestet unus alteri necessitatem suam.* Simili enim amicabili manifestatione mediante, salvatus est David à periculo.

Multis subjacet homo necessitatibus, præsertim spiritualibus, dum scilicet tentationum, anxietatum, tristitiarum, dubiorum, aliarumque similium difficultatum fluctibus agitatur. Scatet mortalis hæc vita infinitis internis miseriis, nec ullus quantumvis sanctus & prudens immunis est. Sed providit misericors Deus, ut se mutuò juvare possent homines, junctisque per charitatem viribus atque consiliis, se facilè extricarent. Cùm autem interiores istæ necessitates secretæ sint, & nulli perspectæ, nisi eas candidè manifestemus; hoc in negotio ante omnia necessaria est confidentia, sese iis aperiendi, qui nostris possint malis medicari. *Meliùs est*, inquit Sapiens, *duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit non habet sublevantem se. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.* (Eccl. 4. vers. 9. Vers. 12.) Miles quilibet solitarius dejicitur facilè; junctus exercitui suo inexpugnabilis est. Propter quod D. Bonav. tyrones seraphicæ militiæ docuit: *Quòd si tentationum & cogitationum malarum insultus spiritum inquietent; non solùm familiaris confessor, verùm etiam fratres alii seniores sunt in adjutorium advocandi: ut unius debilitas multorum adjutorio sustentetur.* (Spec. Disc. p. 1. c. 2.) Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma. *Qui autem vulnus detegere, vel auxilium petere negligit, suâ non immeritò negligentiâ perit.* (Prov. 18. vers. 19.)

Hinc est ordinaria maligni spiritûs fraus, ut in tentationibus suis fidele urgeat silentium, ne cuiquam amara sua evulgentur consilia: in quo si audiatur, jam certam sibi de homine isto victoriam pollicetur, in corde ipsius tutò debacchatur, & turbis miscet universa. Sic egit aliquando cum amantissimo Francisci socio Ruffino. Ille suggesserat, quòd de numero esset damnatorum, atque ut impediret eum à communicanda cum viro Dei hâc diabolicâ suggestione, addebat: *Non sequeris ampliùs rigida homunculonis Francisci vestigia, aut ejus admittas consilia. Atque hæc ipsa nunquam cum eo conferes; ignorat etenim Dei cogitationes æternas, & secreta judicia.* (Annal. Tom. 2. ann. 1270. num. 22.) Credidit misellus inimici mendaciis, vivens deinceps in lacrymis & gemitibus perpetuis per solitaria antra montis Subasii. Revelatis his omnibus per bonum Angelum sancto Institutori, statim misit F. Massæum ut ad se duceret Ruffinum, ne periret. Repulit ille vocantem, dicens; nihil se cum Francisco Bernardonis ampliùs velle. Institit tamen Massæus, secum duxit vel invitum. Accedenti, inquit, Vir sanctus: *Frater Ruffine, miselle, cui credidisti? Dæmoni in præcipitium ducenti.* Et ex ordine omnem ei tentationem expandit: deindè tribus præscriptis regulis, probavit omnia hæc non à Deo, sed à diabolo provenisse. Prima, quòd dæmonis revelationes, seu spectra, cor indurant. Secunda, quòd mœstum reddunt videntem. Tertia, per quam ipse diabolus faciliùs possit dignosci, quòd ex innata superbia nihil audire possit opprobrii, quin statim indignabundus recedat. *Si ergo tibi ampliùs apparuerit*, inquit Vir sanctus, *dic illi, ut os tibi aperiat male-*

ficus nebulo, & implebis illud immundis stercoribus videbisque quatenus protinus refugiet. Credidit Viro Sancto; & dæmoni denuò apparenti, quæ voluit intulit opprobria, juxta viri Dei instructionem: ad quæ cum tanta furia & indignatione recessit, ut universum montis cacumen concusserit. Tam mirabilis inest virtus sinceræ cordis apertioni ad molestas illas effugandum anxietates. Superiores à Deo constituti ad regimen animarum, ab ipso dirigi præsumuntur ad salutem subditorum in via justitiæ & veritatis. Vicario suo animarum rectori dicebat Christus: *Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Idem præsumitur proportionaliter egisse Princeps ille pastorum pro aliis animarum rectoribus.

Luc. 22. vers. 31.

Abscedat ergo excessiva erga Prælatos reverentia, quæ timorem incutiat inordinatum & format diffidentiam, astutiamque doceat celandi seipsum medico legitimo & Patri. S. Remaclus Abbas Stabulensis inter supremas monitiones instante morte, hanc inseruit: *Tentationum impressiones in ipso primo aditu detegatis: stultorum enim praeposterus pudor, dum celat ulcera, illis majores subministrat vires.* Conclusum ulcus est viscerum afflictio; fluit pus, & temittitur dolor dum aperitur: sic compressa in corde animi afflictio cruciat, dum celatur; lenitur, dom effunditur enarrando. Neque nos impediat superbia à nostrarum manifestatione necessitatum, quasi volendo videri operâ non indigere alienâ. Amabilis fuit humilitas Salvatoris, qui licèt imbecillium suorum discipulorum non egeret patrocinio, nec se ab eis spectaret aliquatenus sublevandum, in horto tamen Gethsemani angustias tædiaque animæ suæ eis exposuit, eoque humili facto simplices istos domesticos suos ad similem in similibus angustiis confidentiam quasi invitavit. Humilis atque sincera cordis apertio vim habet afflictum alleviandi, tametsi nullum aliud consilium accederet aut medicamentum. Sæpè etiam mirabilis in eo apparet divinæ sapientiæ dispensatio, ut per os simplicis & pauperculi verbum bonum pronuntietur, dummodo eum cum humilitate conveneris & confidentiâ. Vile mancipiũ videbatur, & ad omne consilium inutilis puella parvola de terra Israël abducta, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. Hâc tamen suggerente informatus est Rex Syriæ & Naaman militiæ princeps de consequenda sanitate, idque felici successu. Dum profectionem in Syriam pararet S. P. N. Franciscus, & multi Fratres in portu Anconitano, ipsum optarent comitari, uni puero suorum commisit comitum designationem. Interrogato illo an divinæ esset voluntatis, ut omnes qui adstabant Fratres, transfretarent? ex tempore constanter respondit: non esse. Ulteriùs quærenti; quinam deberent ex omnibus assumi? indicavit voce & digito undecim, ad singulos, ut divinitùs ei suggerebatur, accedens; ejusque sententiæ eam sic acquieverunt. Itaque necessitate pressi eam sic aliis humiliter & confidenter manifestent, ut neque ex superbia fastidiant aliena subsidia; neque

Sur. ad 3. Sept.

4 Reg. 5.

Annal. Tom. 1. ann. 1219. num. 55.

ea requirere timeant ex verecundia & animi pusillanimitate.

Superiores verò aliique Fratres, quorum in eo casu imploratur adjutorium, cavere debent ne indiscretione aliquâ fratetnam in Ordine turbent confidentiam, fratribusque in necessitate constitutis os obstruant, ne manifestare audeant & quærere auxilium. Omnibus indifferenter misericordiæ sinum aperiant; ne si viderint aliquos tantùm ad familiaritatem admitti, solis istis credi, in illos solos profundi omnia, inde quædam diffidentiæ nubes oriatur. Qui accuratiùs Christi Domini mores observarunt, notant eum tam amicabiliter atque familiariter egisse cum singulis domesticis, ut quisque se amari præ cæteris arbitraretur. Unde ex illa opinione ausi sunt duo fratres Jacobus & Joannes proximum in regno ipsius petere consessum. Ostendant deindè Prælati, se non verbis solis eos diligere afflictos, sed opere & veritate. Tunc firmatur confidentia, dum quod promissum est, adimpletur fideliter, & declaratæ necessitates sublevantur. *Vir bonus fidem facit pro proximo suo;* non promittens solùm, sed præstans promissum. *Et qui perdiderit* istam fidem, *confusionem derelinquet sibi. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commovit illos fluctus maris.* Miserum est, dum in simplicem & sinceram Religionis societatem pessimus iste invaluit aulicismus, qui blandis verbis montes pollicetur aureos, & minimum non intendit præstare. Acerbiùs evertunt charitatem, stabiliuntque diffidentiam, qui morionem agentes cum afflictis, irrident, contemnunt, & in facetias vertunt concreditas sibi molestias. *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ suæ: est enim qui humiliat & exaltat circumspector Deus.* Duplicem afflicto Christo superaddebant afflictionem, qui ipsi eum supremis doloribus in cruce pendenti, insultabant blasphæmantes. Idem est de illis judicium, qui dum fraternæ compati deberent afflictioni, irascuntur importunè, nil dissimulant, singulas quasque reprehendunt minutias, magnam ostendunt ad tentationes admirationem, quasi jam completa essent crimina. Meritò se subtrahunt omnes à morosis istis, qui ignorantes modum, vulnera mentis medicandi, novis plagis impositis conficiunt afflictos. Discant à Sapiente sanctissimum aphorismum: *Ne despicias hominem avertentem se à peccato, neque improperes ei. Memento quoniam omnes in correptione sumus.* Habemus omnes, unde corripiamur; ideoque clementer agendum cum iis, qui vel jam à peccato resipiscunt, vel adhuc in labore magno atque angustia contra peccatum luctantur. Vehementer etiam illi minuunt confidentiam, qui secreta ipsis commissa, parvasque fratrum ad eos recurrentium miserias, leviter evolgant. *Maledictus est concordatio: denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.* Meritò enim sincerum desperat adjutorium misellus frater, qui secreta sua, per unius inconsiderati hominis garrulitatem, in omnium videt ore versari.

Viegas in 1. Apoc. Comm. 2. sect. 3.

Matth. 20.

Eccl. 29. vers. 19.

Vers. 24.

Eccl. 7. vers. 12.

Marci 15. vers. 29.

Eccl. 8. vers. 6.

Eccl. 27. vers. 23.

Quòd si, O angustiate Religiose! contingeret in aliquo te degere conventu vel provinciâ, ubi supradictis constrictus occasionibus,

cor

cor tuum minimè valeas aperire, nec ullum habeas à quo solidum possis sperare consilium & auxilium, ad illud convertere generale refugium, quod ostendit Spiritus sanctus : *Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* (*Psal. 36. vers. 5.*) Sub ista spe illum invoca ; *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* (*Psal. 26. vers. 9.*) Ad aliquem item Sanctorum convertere. Certè, Fratres nostri, qui nos ad beatam præcesserunt æternitatem, minimè Regulæ nostræ renuntiarunt in eis, quæ fraternæ sunt charitatis. Advocatos illos præmisit peregrinatio nostra, qui tamquam cœli cives & domestici Dei salutis nostræ negotium efficaciter pertractabunt, & à nobis afflictis interpellati, succurrent in omni tribulatione & angustia nostra. De nostro B. Ægidio dicere solebat S. Bonaventura ejus contemporaneus, præstitum illi à Deo, ut possit efficaciter opitulari eis, qui illum ad animæ suæ salutem invocarent. (*Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 16.*) S. Theresia testata est, revelatum sibi fuisse à Domino, quòd quicumque peteret in nomine B. Petri de Alcantara, illud esset obtenturus. (*In Præfat. M. dit P. de Alcantara.*) Quotidiana denique experimur subventionum remedia, ad invocationem Thaumaturgi nostri S Antonii Paduani. His itaque Fratribus nostris securè nostras manifestemus necessitates.

T E X T U S & §. XXIV.

Quia si mater nutrit & diligit filium suum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere.

S U M M A R I U M.

Fraternæ charitatis officia, discuntur à matrum erga proles dilectione. Hujus sex actus enumerantur, eisque correspondentes actus supernaturalis amoris ad proximum. Charitas hæc à Deo largiter præmiatur, præsertim remissione peccatorum.

QUæ consequentia de tenerrimo matris erga natum amore, ad tepidum & multoties inconstantem Fratrum affectum, ut hos majora velit S. Pater & seduliora erga Confratres exhibere obsequia ? *Consequentia patet*, ait D. Bonav. (*Bonav. in hunc locum.*) *quia amor gratuitus sancta charitatis, fortior est amore carnali; tum quia charitas superat mortis innatum horrorem : tum quia habet pro suo fundamento bonum infinitum, propter quod nihil finitum prævalet contra eam.* Sedula ministra est charitas ; magna sunt veræ charitatis obsequia. Hæc à nobis exquirit Franciscus, hoc argumento : *Quia si mater diligit filium suum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere Fratrem suum spiritualem ?* Considerata igitur maternæ dilectionis officia, ut possimus æmulari meliora.

Primò, Totum quidquid habet mater, etiam sanguinem proprium, & quidquid est ipsa, in prolis confert utilitatem. Idem jubet charitas, quæ recusare nescit, quidquid desiderat Frater, & honestè tribui potest. Nil istâ charitate opulentius, quæ nostri juris facit, quidquid habent fratres omnes & quidquid possunt; sicut tot cumulis augeatur res nostra, quot personis conjuncti sumus. Hanc Fraternitatis prærogativam admiratur multùm & exaltat S. Chrysost. (*Hom. 51. ad pop. Antioc.*) *Unus*, inquit, *minimus est: si verò unanimes sint duo vel decem, non unus jam unus est, sed decuplus quisque fit, & in decem unum invenies, & in uno decem. Sive inimicum habeat, unum offendens, quasi decem offenderis, capitur, Indiguit unus, sed non est in egestate : majori siquidem, id est, novem abundat, & pars indigens obumbratur, minus autem per majus abundans. Horum quisque viginti manus habet, & oculos viginti, & totidem pedes : animas habet decem ; non enim ipse tantummodo pro se, verùm & illi pro eo curam gerunt. Si verò sint & centum idem erit similiter, & potentia producetur. Vidisti charitatis excellentiam, qualiter unum inexpugnabilem reddat & multiplicet; qualiter unus & in multis locis esse possit, idem & in Perside & Roma : & quod natura non potest, charitas potest. Itaque si mille habeat amicos, vel duo millia, perpende rursum, quò potentia perveniet.* Hoc argumento æstimemus, quot matres nobis creatæ sint, dum in tam numerosum sumus Ordinem cooptati, atque beati redditi istius unitate charitatis. Et secundùm Apostolicam monitionem, *consideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam* (*Hebr. 10. vers. 24.*) ; qui quotidiè à charitativis accipiunt consodalibus beneficia, nec ullum rependunt dilectionis affectum.

Secundò, Si quid ingruat infantis offensivum, sive calor nimius aut frigus, sive pluvia vel mala bestia, vel aliud quidlibet, sollicita mater infantem in proprio reclinat gremio, quo valeat eum à malo protegere imminenti. Idem est fraternæ charitatis officium. Nobilis quidam juvenis è Sancto Severino Campaniæ à sæculari vita ad Franciscanum conversus Religionem, molestam passus est in tyrocinio

Annal. Tom. 1. an. 1210 num. 41. • carnis tentationem, foggerente eo *cujus halitus prunas ardere facit*, ut ad ea, quæ dereliquit, corporis rediret oblectamenta: sæpe vestes sæculares reperiit à B. Simone de Affisio, qui urgentem salutaribus instructionibus repellebat tentationem. Sed cùm nimiæ tentatoris molestiæ jam ampliùs se resistere posse juvenis desperaret, reddendaque omnino vestimenta contenderet, eum prope se paulisper sedere Vir sanctus rogavit, & angustiati afflictique caput in suo sinu reposuit. Demum elevatis in cœlum oculis, ferventique effusâ oratione extra se raptus, in ipsa extasi cum Deo egit de adolescentis salute. Dum ad se rediit, invenit discipulum ab omni liberatum malo, firmatumque in sancto Religionis proposito: io quo ad tam excelsum charitatis apicem pervenit, ut cùm eudam malefactori ex jodicis sententia eruendi essent oculi, ipse magnis efflagitaret precibus, ut illi onum, sibi alterum eruerent oculum, ne miser homo lumine omnino privaretur. Cujus admiratus charitatem judex, pœnam omnem misello dimisit. Similis dilectionis zelo, se malo proximi F. Alphonsus à Manzaneta oppofuit. Vidit iotistemi infelicem aliquem à sua abstractum familia, damnatumque ad remos. Illum ut liberaret, obnixè petiit à Præfecto, ut vice illius suam admitteret operam. Admiratus Vir honestus tantam charitatem, oblatum admisit obsequium; non tamen ad vilem eum laborem, verùm ut sibi Sacellanum ageret tanto tempore, quanto alter luere debuisset.

Martyrol. Franc. ad 16 Decemb.

Tertiò, Si pater in puerum insolescentem severior aliquando videatur, mediatricem agit mater ad reimperandum rigores, iratumque parentem reo filio reconciliandum. Magna semper apparuit in sanctis omnibus sollicitudo ad avertendum Dei furores à peccatoribus. Sanctissimus ille Prædicatorii Ordinis Patriarcha Dominicus, dum aliquando io Basilica Principis Apostolorum pernoctaret in oratione Dei, vidit Christum irâ ingenti succensum ob intoleranda hominum flagitia, à Patris dextera exurrexisse, tria manu jacula tenentem, ut uno eorum superbos, altero avaros, tertio libidinosos deleret, virginum verò Principem ac cœli Reginam, ejus venerabilem Genitricem, ad illius genua procumbentem, sese illi oppofuisse, ac rogasse, ne genus humanum tantâ elade afficeret: habere se per quos emendari hominum flagitia possent. Matris precibus ac verbis motum, cui petenti nihil negare poteft, substitisse, ac petiisse; ubinam essent, per quos fieri ea quæ diceret, possent. Tunc humani generis tutelam ac servatricem, hinc Dominicum Prædicatorum, inde Franciscum Minoritarum Institutores ac Principes ostendisse, ac dixisse: *Hi sunt, Fili, per quos quassa in terris & collapsa pietas instaurabitur, ac restituetur.* Delinitum pollicitatione Matris Filium continuisse paratam ad feriendum manum, ac sententiam mutasse, & jacula depofuisse. Dum B. Angela de Fulgineo suis instante morte valediceret dicipulis, inter alia dixit: *O Filioli, Patres & Fratres, studete vos diligere invicem: hac enim dilectione meretur anima hereditate bona divina. Et exhortor, ut non velitis solùm habere istam charitatem inter vos; imò etiam ad omnes gentes. Dico enim vobis, quod plus recepit anima mea de Deo, quando ploravi peccata proximi, quàm mea. Mundus truffat de hoc quod dico; sed charitas qua facit hoc, non est de hoc mundo.*

Annal. Tom 1. an. 1216. num. 14.

In Vita ejus cap. 7.

Quartò, Vagitus infantis importunos & clamores somnum interrumpentes, mater eum intima audit compassione; nec redditis clamoribus verberibusque compescit, sed omni tentat suavitate moderari, vel admotis ad os uberibus, vel dulci quadam modulatione, vel commodâ ad somnum provocatione. Sordes item infantis mirabili supportat patientiâ, nec abluendo fatigatur, nec sese ostendit offensam. Similiter charitas, afflictorum Fratrum lamentis ac quæremoniis minimè fatigatur, nec fugatur; sed suavissima, quæ potest media, conquirit ad sublevandum. Neque fœtoribus infirmorum corporalibus, nec moribus fratrum onerosis offenditur: in tantùm, ut licet ab eis per fragilitates & scandala quid fœtidi erumpat, non ideo contemnat miseros; quin animabit potiùs ad meliora, & ad famam sanctâ reparandam conversatione. In quo verum se ostendit filium Patris cœlestis *qui non vult perire animam, sed retractat*, inspirando pœnitentiæ affectum, & mutando punitionis sententiam, *cogitans, ne penitus pereat, qui abjectus est.* Dum Christus Dominus à peccatrice publica sibi pedes lavari permisit & inungi, eamque postea ad familiaritatem admisit, contra impugnatores defendit, & honoravit; Inculenter docuit, quàm dulci affectu fovendi sint peccatores jam sine honore facti, & quasi vulgò fœtentes. Nihil sic eorum erigit animum atque solatur, quàm dum vident se quasi de sterquilinio colligi, & nonusquequaque contemni. 2. Reg. 14. vers. 14. Luc. 7.

Quintò, Ubicomque potest mater, proles suas ad honorabilia promovet: iisque adeptis majori congaudet suavitate, quàm proles ipsæ promotionem assecutæ. Apertum amoris hujus specimen dedit mater filiorum Zebedæi, accedens ad Jesum & petens: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad sinistram, in regno tuo.* Intempestivi quidem honoris postulatio: *Matrem* tamen *considerate* ait Ambrosius, *eni pro filiorum honore sollicita, immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est.* Eadem charitas affectuosissimum urgebat Apostolum, ut diceret: *Ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.* Et iterum: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Eædem certè dilectionis orationes in Ordinis ejusdem Fratribus inveniuntur. Matth. 20. vers. 21. Lib. de Fide ad Gratianum cap. 2. Rom. 11. vers. 14. Cap. 9. vers. 3.

Sexto, Tam tener matris affectus, ne præcedentibus provocatur infantis officiis; nec spe aliter futuræ compensationis, nec aliam quærit satisfactionem, quàm ei quem amat posse benefacere. Talem amoris modum Christus Dominus in sui præcepti formola videtur insinuasse, dum ait: *Hoc est præceptum meum, ut di-* Joan. 15. vers. 12.

ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Illum verò modum dilectionis Chriſti exprimit Apoſto-
Rom. 5. verſ. 8. lus, dicens: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt;* dum nihil præceſſit in hominibus, unde amarentur, ſed potiùs unde odio haberentur; nec ullam ex humana amicitia ſuæ ſperaret beatitudinis acceſſionem. Talis ſit noſtra charitas, pura, liberalis & gratuita, cui nec minimus reſpectus ad mercedem quamcum-
Prov. 3. verſ. 14. que valeat improperari. Hujus *acquiſitio melior eſt negotiatione auri & argenti primi & puriſſimi. Fructus ejus pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.*
1. Petri. 4. verſ. 8. Ipſa operit multitudinem peccatorum, & facit animam in æterna tabernacula velociter introire.
Annal. Tom. 1. an. 1237. num. 10. Vixit aliquando in Conventu Pariſienſi Frater quidam Guilielmus nomine, nobili ortus proſapiâ, ſed non adeò diſciplinæ monaſticæ addictus; quin imò verbis & geſtibus diſſolutus videbatur. Hic cùm ad caſtrum quoddam tranſiret ſororem inviſurus, videretque quoſdam pueros natantes, unum verò à flumine rapi & rotantibus aquis involvi; ut jam fermè ſubmerſo occurreret, ſicut erat habitu procinctus, miſit ſe in fluvium ex proximi charitate, non præmeditatus latentis vorticis periculum. Quare ex pondere madefactæ veſtis, & imperitiâ natandi, priuſquam perveniret ad juvenculum, ipſe etiam ſuffocatus eſt, Jeſu nomen inclamans. Hac ipsâ horâ accedebant Peruſii Fratres ad prandium, & B. Ægidius manus lavabat, qui elevatis parumper oculis ſubriſit, & dixit circumſtantibus: *Bene eſt Fratri Guilielmo Pariſienſi, & adhuc meliùs ſe habebit.* Non intellexerunt hæc Fratres, donec acceptis è Lutetia litteris perceperunt mortem Guilielmi, interrogaruntque Ægidium, quare in aquis ſubmerſo viro diſſolutæ diſciplinæ, bene eſſe prænotiarit? Reſpondit ob fervoroſum charitatis actum, quo ſe apertò tradidit diſcrimini, ut proximo periclitanti ſubveniret, contrerenti & invocanti nomen divinum condonata eſſe peccata, & poſt brevem in purgatorio paſſionem ad cœlos evolaſſe.

T E X T V S & §. XXV.

Et nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem.

S V M M A R I V M.

D. Franciſcus ſedulus ſuorum fratrum nutritius, idem officium committit fratribus in invicem. Peccant Superiores nimis delicatè nutrientes. Item officiales inæqualiter diſtribuentes. Denique ſubditi impatientes parcimoniæ.

Ruth. 4. verſ. 16. CUm natus eſſet Obed ex Ruth, *ſuſceptum Noemi puerum poſuit in ſinu ſuo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.* Per *Obed*, qui *Servus* interpretatur, intelligi poteſt Religioſus, qui ſacrâ renatus profeſſione, divinæ in perpetuum addicitur ſervituti. Hic à Religione, tamquam à *Noemi* quadam ſuſcipiendus eſt, atque ſic in ſollicitudinis ejus ſinu reponendus, ut ſemper *nutricis ac gerulæ fungatur officio.* Hujus exercitium olim pientiſſimus Dominus circa dile-
Oſeæ 11. verſ. 1. & 3. ctam ſibi præmonſtravit Synagogam: *Quia puer Iſraël, & dilexi eum: & ex Ægypto vocavi filium meum..... Et ego quaſi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Nutritium agit eorum, portatque in brachiis ſuis eos, quos intuitu ſpecialis dilectionis, è mundi vocavit Ægypto. Eamdem dedit ipſe pro nobis ſollicitudinem in corde clementiſſimi Franciſci, quando ipſi Seraphicam ſcribenti Regulam, dictavit: *Quòd ſi mater nutrit filium ſuum carnalem, quantò diligentiùs debet quis nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem?* Pauca hîc veniunt ad moralem inſtructionem circa hoc officium nutriendi conſideranda; quædam ex parte nutrientis; alia ex parte ejus, qui nutritur.

Primò, Superior nutricis fungens officio rationem parcimoniæ habere debet atque ſobrietatis. Nutrix, quæ parvulo cibos præbet aut potus, in quantitate vel qualitate improportionatos, nocet ei, non nutrit. Idem faceret Prælatus miniſtrans exceſſiva indiſcretorum quorumdam hominum appetitibus, quibus numquam ſatisfieri poteſt. Eis cedere ad poſtulata quæcumque, non clementia, ſed ignavia eſt. Neque ſtudio pacis conſervandæ, implendi ſunt cibis potibuſque calidioribus; quoniam illa ipſa furiarum ſeminarium ſunt. Quis dixerit Evam opus feciſſe charitatis, dum Gen. 3.
fructum vetitum porrexit Adamo, quo ſeipſum & univerſum perdidit humanum genus? Liceat mihi ad hoc propoſitum uti verbis Apoſtoli, quibus uſus eſt contra edentem indiſcretè idolothyta: *Si propter cibum frater tuus con-* Rom. 14.
triſtatur (dicam, ſpirituale detrimentum pa- verſ. 15.
titur) *jam non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Perdis autem, dum taliter impertiris, ut per eum noceat ſibi-ipſi. *Itaque quæ pacis ſunt, ſe-* Verſ. 19.
ctemur, & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus. Tunc autem cuſtodimus, dum temporalia diſpenſamus ad menſuram honeſtatis, cenſuram paupertatis, & exigentiam neceſſitatis. Neque vano ſtudio ſubditis complacendi ab hujus regulæ cuſtodia Prælatus dimoveatur. Si prodigalitate contendat hominibus Gal. 1.
placere, Chriſti ſervus non erit. Certus etiam verſ. 10.

ſit

Psal. 52, vers. 9. fit ex regio Psalmo : quoniam *confusi sunt, qui hominibus placent*; hoc est placere volunt. Non ultra mensam extenditur mensalis amicitia, & sublatis dapibus in oblivionem abit, imò & in contemptum, præterita prodigalitas.

Secundò, Ab Officialibus domus, quibus concredita est rerum dispensatio, graviter offendi posset, meliora suis ingerendo specialibus in fraudem reliquæ communitatis ; vel in sæculares potiùs effundendo, quàm in Fratres proprios. (Berchr. p. 2. Dictionarii V. Nutrire.) Dicunt Philosophi naturales, quòd aves curvarum unguium sint difficilis cubationis super pullos suos : sic etiam tales, inepti sunt fovendæ atque nutriendæ Christi pauperum congregationi. Breviter & optimè informat eos B. Petrus Damiani, dicens : (Opusc. 3. de perfect. Monach. cap. 19.) *Bonus administrator sic dispensat necessaria corporum, ut saluti etiam consulat animarum ; quia & parcendo sobrietatem nutrit, & largiendo, murmurationis vitium ne oriatur, obsistit. Sæpè enim liberalitate liberalitas perit ; videlicet, cùm res & non indigentibus indiscretè profunditur ; ideoque quod verè indigentibus dandum sit, postmodum non habetur.* Credant tales, numquam se tantam assecuturos eorum amicitiam, quibus dederint superflua ; quantum eorum odium, quibus negaverint necessaria : pacem turbabunt, invidiæque fores aperient. Securiùs erit imitari Dei dispensationem, quam sanctus notat Augustinus in illud : *Deus in medio ejus, non commovebitur.* (Psal. 45. vers. 6.) Ubi sic ait : *Æquus est omnibus, & personas non accipit. Quomodo enim illud quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines ; ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens. Unde igitur non commovebitur civitas ? Quia Deus in medio ejus.* Sic etiam sit administrator Dei gerens vicem, & non ad unam partem plùs quàm ad alteram inclinatus. Inæquale pondus, navigii eversio est, & communis submersio charitatis.

Tertiò, Quantùm ad subditos, qui nutriendi sunt, multùm labefactaretur vitæ communis & temperatæ sanctitas, si impatientes illi forent & insatiabiles, si urgerent importunè, ut mensæ opiparè semper essent instructæ, ollæ plenæ, ac redundantia penuaria ; & si numquam eis potus satis fortis propinaretur. Meminerimus nos esse sectatores Apostolicæ vitæ, qui cum Paulo dicere debeamus : *Facti sumus parvuli in medio vestrûm* (superiorum) nutriendi à vobis, *tamquam si nutrix foveat filios suos.* (1 Thess. 2. vers. 7.) Parvulis ingerendi sunt cibi juxta tenerioris stomachi capacitatem ; non sic, ut suffocentur. Neque medicus indulget febricitanti, quæcumque febrilis ardor aut phrenesis cum clamore exposcit, sed quæ prosunt ad sanitatem. Ad sanctum venimus Ordinem, qui non est esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Domus orationis est ; sacrilegum foret, eam speluncam facere bestiarum. Non hara porcorum est ; sed sanctiorum, sublimiorum atque puriorum operum officina. Hujus veri alumni, habentes alimenta, juxta paupertatis mensuram, & quibus tegantur, his contenti sunt. Unica eorum sollicitudo, & votum unicum est, per arctam egestatis semitam ad cœlestem tendere beatitudinem, & epulum sempiternum ; sub illius spe promissionis : *Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israël exultabunt.* (Isa. 29. vers. 19.)

TEXTUS & §. XXVI.

Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire.

SUMMARIUM.

Franciscus comparatus Angelo in piscinam Probaticam descendenti, ut moveretur aqua pro infirmorum sanitate. Negligunt aliqui servitium infirmorum. 1. Prætextu orationis quietioris. 2. Ex amore nimio studii. Optima sapientiæ addiscendæ schola est locus ægrotorum. 3. Terrentur aliqui laboris & tristitiæ horrore. 4. Formidine mortis. Heroicum opus obitæ mortis in pestiferorum ministerio est quoddam Martyrii genus.

ERat in Jerosolymis Probatica piscina, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. (Joan. 5. vers. 4.) *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam : & movebatur aqua.* Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Nihil prohibet, quò minùs per piscinam illam intelligi possit figurata esse sacra Minorum Fratrum Religio ; quinque porticus habens, hoc est quinque Salvatoris vulnera, impressa in sui corpore Fundatoris. In hac amplissima & numerosissima congregatione, deesse non potest multitudo languentium & infirmorum. Pro horum solatio & curatio-

Apoc. 7. vers. 2.

ratione, descendit Angelus Domini, quem vidit Joannes *habentem signum Dei vivi*, Franciscus scilicet, ad movendum aquam, ut eâ motione procuretur ægroti sanitas, quacumque detineatur infirmitate.

D. Bonav. Prol. in Vitam S. Francisci.

Apoc. 7. vers. 15.

Ipsius divini eloquii interpretatione, *Aqua, populi sunt*: adeòque nobis in præsenti significare possunt populum Franciscanum. Hanc aquam iste Angelus Domini movit, præsenti textu, motione compassionis, & zelo promovendæ sanitatis infirmorum, dicens: *Si quis in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire.* Ne servis Dei, quos in desertum adduxerat aridæ paupertatis, quidquam deesse contingeret, voluit eis providere, cunctos eorum Fratres obligando ad præstandum eis auxiliũ mediis opportunis. Conveniens planè præceptio sequacibus Apostolorum, quos *misit* Dominus *prædicare regnum Dei & sanare infirmos.*

Luc. 9. vers. 2.

Sed quoniam sancto huic operi remoræ à diabolo præparantur atque fastidia, utile fuerit hic ea detegere, ut frustrà jaciatur rete ante oculos pennatorum.

Primò, Prætexi posset ab aliquibus orationis & contemplationis exercitium, ut ab hoc opere excusentur: quòd putent magis se Deo placituros, si familiaribus cum eo in oratione colloquiis fruantur dulciter, & amplexibus. Delicatos istos devotionum suarum cultores aliter docuit Seraphicus Bonaventura: *Indicabo tibi*, inquit, *quem diligit anima tua, O Sponsa dilecti. Certè in infirmaria jacet, ibi angustiatur, ibi dolore gravatur: Curre, & ipsi ministra & compatere infirmanti. Cur instas Sponsa, ut Sponsi osculo osculeris? Accede ad leprosum, & osculare eum, quia ibi jacet. Cur Sponsa misera dicis, te præ Sponsi amore languescere, & ipsum quotidiè nudum, discalceatum & afflictum ante te vides transire, & negligis, & etiam non compateris ei?*

Stim. div. amoris p. 2. cap. 7.

Hæc ipse, simplici sed incenso stylo, ostendens illud esse veræ devotionis exercitium; imò orationi anteponendum. Quod suo nos exemplo F. Acursius edocuit. Huic in capella infirmariæ oranti cùm B. Virgo & S. Antonius Paduanus atque B. Lucidius apparuissent, fuit indicibiliter eo consortio recreatus.

S. Anton. p. 3. tit. 24. cap. 9. §. 5.

Audit interea clamantem Fratrem quemdam infirmum, suæ commissum custodiæ. Illico ut audivit, totus compassione permotus, Dei Matre relictâ aliisque Sanctis, ad infirmum cucurrit, eique necessaria ministravit. Quod adeò gratum Deipara habuit, ut eum iterum suâ fuerit præsentiâ dulcique alloquio dignata consolari. B. Conradus Offidanus totus contemplationi deditus, cùm Fratri cuidam in valetudinario quædam præstitisset charitatis officia, & scire peroptaret, an Christo essent accepta; apparuit ei, dixitque acceptissima esse, & velle retribuere. Quod & fecit, immissâ ingenti animi consolatione.

Annal. Tom. 3. an. 1306. num. 3.

Credamus similiter auctiora nobis futura devotionis experimenta, quò diutiùs pro curandis Christi membris videbuntur interrupta. *Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.*

Eccl. 7. vers. 39.

Ideo desiderabilis est Oratio, quia cœlestis fistula est, per quam omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens ad nos à Patre luminum, donum præsertim dilectionis, qua Christo Domino unimur & inhæremus. Idem verò præstant, & meliùs, exhibita infirmis obsequia; *Ex his enim in dilectione firmaberis, sive ex his diligeris*, ut sanctus legit Cyprianus, & augeberis cumulo meritorum.

Lib. 3. Testimon.

Illius est sententiæ D. Bonaventura, ut asserat eum plùs mereri, qui servit infirmo, quàm si ipsi Christo Domino ministraret. *Credo*, inquit, *sine præjudicio, quod qui sic, ut dictum est, ferventer ac diligenter Christo in proximo ministraret, pure propter Christum & totaliter tendens in ipsum, plus mereretur & virtuosiùs mereretur, & à Deo ampliùs approbaretur, quam si proprio Christi corpori ministraret. Ex hoc patere potest. Unus enim pessimus homo, si videret Christum in uno lecto, & bene cognosceret eum esse; credo non esse dubium, quod illi diligenter ministraret. Sed ipsi Christo, in proximo infirmo, cum tanto fervore ac diligentia ministrare non posset, non perfectus, ut credo; imò, ut ita loquar, plusquam perfectus.*

Stim. div. amo.

Hujus conjecturæ experimentum aliquando visum est in Ludovico Thuringiæ Principe, vulgò Landtgravio. Ipso absente dum uxor ejus S. Elisabeth pro more & solita miseratione horridos foveret morbidos, recrearetque; leprosum aliquando balneo ablutum, in absentis fortè mariti lecto, ut quiesceret, reposuit.

Annal. Tom. 1. ann. 1219. num. 13.

Ille verò cùm præter expectationem subito revertisset, ubi factum id ab æmulis Elisabethæ, omnia in pejus interpretantibus, intellexisset; iratus prorupit, ense nudato confossurus miserum: cujus gratiâ rejectis stragulis (mirum certè!) vidisse visus est Christum in lecto crucifixum; cujus aspectu attonitus, mitigato animo, culpam deprecatus est. Ecce qualiter Princeps Christum in propria exhibitum persona reveritus sit; qui eum sub pauperis infirmi specie jacentem, interficere moliebatur! Magis igitur arduum, majorisque meriti res est, Christo in ægroto, quàm in persona propria ministrasse. Hinc S. P. N. Franciscus cùm in suæ conversionis initio ad apicem disponeret conscendere perfectionis, à servitio cœpit leprosorum; cui indefessâ pietate insistens, copiosa in Deum dilectionis & gratiæ incrementa promeruit.

Secundò, Alii, studiorum amore detenti, jacturam temporis æstimant, quod studiis demitur ad assistendum infirmis. Aliter affectus erat eximius Ecclesiæ Doctor Bonaventura: quàmvis enim publico interpretandi munere, aliisque exercitationibus litterariis, maximo cum fructu, animique recreatione detineretur; præcipuam tamen curam ægrotorum habere perpetuò voluit, iisque hilariter ministrabat, atque eò libentiùs, quò gravior morbus atque contagiosior esset.

Sedul. in ejus Vita cap. 5.

Curandis verò ægrotis Fratribus ita assiduus fuit, ut magnam diei partem in eo consumeret. Motivum, quo ad hoc extimulabatur, alibi exprimens, dicit: *Christus nos infirmos visitavit, & in cruce infirmitates nostras & cunctarum infirmitatum nostrarum angustias, & dolores super se portavit. Sic, charissimi Fratres, infirmos ejus sollicitè visitemus, & eorum infirmitates, compatiendo simul in nos recipiamus, seu transformemus, ut dicamus cum Apostolo*: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Iste est radius divinæ sapientiæ, quem ex

Stim. div. amoris p. 2. cap. 14.

2. Cor. 11. vers. 29.

Bibliotheca traxerat Crucifixi. F. Franciscus Titelmannus, qui fuerat olim in Provincia Germaniæ Inferioris doctissimus Lector & Scriptor, dum se ad Patres Capucinos transtulisset, totum se humilitatis charitatisque erga ægrotos officiis impendit. Illis Romæ intentus rogatur à quibusdam discipulis suis Lovaniensibus, cur non se ampliùs lectioni daret ac scriptioni, cui se tam feliciter olim, tantoque cum fructu applicuisset? Ipse ostensis jacentibus hinc inde ægrotis, promptè respondit: *Iste est meus Origenes, ille meus Hieronymus, hic meus Augustinus, iste meus Chrysostomus; in quibus supremam addisco sapientiam.* In libris istis palpabiliùs discuntur mysteria, quæ ad purissimam vitæ perfectionem, æternamque proficiunt felicitatem. Dicitur communiter: *Grossa exempla meliùs docent.* In schola hac valetudinaria, grossis docetur exemplis, quàm vana sit pulchritudo, quàm fragilis fortitudo & sanitas, quàm amissibiles divitiæ & mundana gloria, quàm vilis & fœtens hæc massa carnis, quàm molestus ille carcer animæ: *in illa finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.* In libris istis hominum infirmorum, expressiùs nostrum legimus Salvatorem, *Despectum & novissimum virorum, virum dolorum, scientem infirmitatem.* Ex illis vivaciùs transcribimus in cordis nostri codicem *languores nostros*, quos *ipse tulit, & dolores nostros*, quos *ipse portavit.* Hîc intuemur eum, *quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.* Hîc etiam peccatorum discimus gravitatem, quorum effectus esse noscuntur ægritudinum miseriæ; ac per hoc recedentibus nobis ab infirmaria, brevis hæc insusurratur lectio: *Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Tibi, inquam, qui peccasti deteriùs quàm infirmus iste, & deteriora meruisti supplicia. Verbis sanctisque propositis ægrotorum, præsertim in morbis desperatis, modum docemur pœnitentiæ; dum illi palam vitam agnoscunt malè anteactam, lugent præterita bene agendi spatia stultissimè neglecta, seriam proponunt firmamq; morum emendationem, si detur convalescere. Orat ad Dominum patiens, à malo liberari desiderans: *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Quid nos circumstantes illi doctorali cathedræ, lectulo, inquam, infirmantis, inde reportabimus eruditionis, nisi ut dicat nostrûm unusquisque sibi: *Et tu in eadem damnatione es;* atque percutientes pectora nostra revertamur ad Dominum? *Quid murmurabit homo vivens* & adstans adhuc sanus, *vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus.* Taliter in hoc gymnasio conceptus haurimus & proposita pœnitentiæ. Quis non fateatur præstantiorem sapidioremque esse scientiam, in his per sensum potiùs quàm per nudam speculationem, vel per aridam eruditi librorum lectionem, quæ confestim elabatur à memoria? In hac primùm classe Franciscus, Bernardinus, aliique viri sanctissimi eximiæ sunt sapientiæ splendoribus illustrati. Didicerunt in valetudinariis, eam, quam postmodum alios docuerunt, sanctitatem.

Chron. p. 3 lib. 9. c. 30.
Eccl. 7. vers. 3.
Isa. 53. vers. 3.
Vers. 4.
Joan. 5. vers. 14.
Psal. 31. vers. 4.
Thren. 3. vers. 19.

Tertiò, Deterret alios à cura ægrotorum, labor, tædium, societatis tristitia, & continuarum auditio querimoniarum. Avertuntur aliqui consideratione indignitatis vilitatisque personarum, quæ infirmantur, vel per horrorem naturæ nimis nauseabundæ ad ulcera putrida atque fœtores, vel per quamdam cordis duritiam. Huic vitio corruptæ naturæ pro medela serviet ea consideratio, quòd Christus sibi fieri æstimet, quod præstatur infirmis; unde in die Judicii electis dicturus est: *Infirmus eram, & visitastis me.* Hæc consideratio erit nobis lenimentum occurrentium inibi miseriarum. Quocirca S. Bonaventura dicit: *Servus Dei cum in lecto videt proximum infirmum, sibi videtur, quòd videt Christum suum: & per hoc nihil sibi difficile, abominabile aut ignominiosum putat facere pro infirmis & aliis afflictis; sed omnia dulcia & amabilia judicabit, dum sic in proximo ministrat Christo..... Quis de cætero abhorrebit leprosum, declinabit infirmum, negliget desolatum, cùm in eis intuebitur Christum?* Hoc intuitu S. Didacus, infirmos tantâ complectebatur charitate, ut quantumcumque sordidi essent ac fœtentes, illis consolandis vel sanandis nullum officii pii locum relinqueret. Ulcus, quo ægrè afficiebantur, oculis miserabilem in modum spectabat, aut manu tangebat, & abstergebat; subinde osculabatur: ac si quando deerant cerata, emplastra, & malagmata, quibus cicatricum purulentarum tabes abstergi solet, ipse linguâ suâ saniem lambebat. Aspexit quodam die hominem leprâ fœdissimè exulceratum, tabeque plenum, & adeò malè olentem, ut aliis omnibus stomachum moveret. At homo Dei Didacus, charitatis ardore flagrans, non purulento & ulceroso hominis vultu deterritus, neque tetrum abhorrens odorem, ulcera, quorum saniæ illius erat inquinatissima facies, lambit linguâ suâ. Tum cuidam, qui præsens aderat, rem admiranti: *Sic Frater*, inquit, *sic morbus hic curari debet.* Pari zelo hujus ministerii exarsit F. Benivolius de S. Severino. Gerebat curam miselli leprosi, in loco Trabe Bonati, Custodiæ Camerini; sed ex obedientiæ præcepto oportebat abire in montem Sancti Vintini. Nolebat ille leprosum derelinquere, miseriis & inediâ aliàs periturum; quare sublatum in humeros, adeò brevi interjecto temporis spatio à crepusculo scilicet auroræ usque ad solis ortum, ad prædictum montem per quindecim Italica milliaria (quæ quinque leucas Belgicas faciunt) distantem, perduxit. Quòd autem in simili compassionis casu ipsemet Christus potietur in ægroti persona, evidenter ostendit alia historia, quam Divus refert Gregorius. Martyrius Monachus, inquit, leprosum in via repertum, in humeros sustulit. Statim verò ut ad monasterii aditum pervenit, is, qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exiliens, & in ea specie apparens, quâ recognosci ab hominibus solet Christus Jesus, ad cœlum, Martyrio aspiciente, rediit, eique ascendens dixit: *Martyri, tu me non erubuisti*

super

Matth. 25. vers. 36.
Stim. divi amoris p. 2. cap. 7.
Sedul. Vita S. Did. cap. 11.
Annal. Tom. 1. an. 1252. num. 21.
Hom. 39. in Evang.

super terram, ego te non erubescam super cælos. B. Michaëlina Tertiaria Franciscana facultates omnes in ægrotos erogabat, & pro eis postea summa cum voluptate mendicabat ostiatim. Consanguinei ut prodigam & fatuam reprehendebant, & verberabant aliquando. Sed à Domino semel apparente hujusmodi est verbis confortata: *Misericordiâ in pauperes & infirmos, pupillos & viduas præstitâ, me devinxisti: quod enim uni ex his minimis fecisti, mihi fecisti. Ego abundanter retribuam: tibi dabo, ut per semitam, quam elegisti, constanter incedas.*

Annal. Tom. 4 an. 1356. num. 24.

Præter tædia & sordes communes infirmorum, & conceptam inde aversionem, alia gravior instat formido in pestiferorum servitio, in quo manifestum concurrit mortis periculum. Æternâ memoriâ dignissimus est noster ille B. Theodoricus à Monasterio, qui timorem illum adeò superavit, ut in civitate Bruxellensi plùs quàm triginta duobus millibus peste laborantibus, tum alia obsequia, tum sacrosancta ministraverit Sacramenta. F. Damianus à Riva ad oppidum missus Sancti Angeli pro servitio pestiferorum, sanctum P. Franciscum in via comitem habuit, qui multis bonis eum erexit sermonibus, ut hanc obedientiam cum omni exequeretur charitate. Quod & fecit, atque in consecutæ ex eo sanctitatis signum, appropinquante morte, cum spiritus fervore procumbens in genua, manibusque in crucis modum cancellatis, oculisque in cœlum elevatis efflavit animam. Non dubitem eos ad Martyrum chorum pertinere, qui animas suas pro fratribus ex pura ponunt charitate. Siquidem Ecclesiasticæ Tabulæ commemorationem celebrant *sanctorum presbyterorum, diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris cùm pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes Alexandriæ, libentissimè mortem oppetière; quos velut Martyres*, inquit Martyrologium, *religiosa piorum fides venerari consuevit.* Ejusque urbis Episcopus Dionysius, scribit, eos à populo, virtutis ergo multùm laudatos: *adeò ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil à martyrii splendore abesse videretur.*

Gonzaga in Conv. Lovaniensi.

Chron. p. 3. lib. 7. c. 39.

Martyrol. Rom. 28. Februarii.

Dion. Alexandr. Epist. 263. num. 15. Habetur apud Euseb. hist. l. 7. cap. 16. & 17. in fine.

TEXTUS & §. XXVII.

Sicut vellent sibi serviri.

SUMMARIUM.

Dilectionis proximi regula, quam tradidit Christus, est mensura aurea, quâ hìc utitur Franciscus. Quatuor assignantur, in quibus nobis serviri volumus, dum infirmamur, in quibus debemus & infirmis nostris Fratribus servire. Quatuor necessitates infirmorum, pro quibus orandus Deus. Convenit nos eadem exorare pro Fratribus nostris infirmis absentibus.

DIcit Joannes in Apocalypsi, quòd Angelus, qui cum ipso loquebatur, *habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur* ostensam sibi *civitatem* Jerusalem cœlestem: *& mensus est civitatem de arundine aurea.* Simili planè modo vir Angelicus Franciscus novam ædificaturus congregationem religiosam, & charitatis in ea observandæ longitudinem atque latitudinem designaturus, accepit *mensuram arundineam auream, ut metiretur.* Quænam porrò illa est? Dilectionis proximi regula, quam nobis tradidit Salvator in Evangelio: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Dispositurus itaque Seraphicus Fundator ædificium suum spirituale, quoad charitativum infirmorum ministerium, *mensus est civitatem de* hac *arundine aurea*, dicens: Si quis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire, *sicut vellent sibi serviri.* Quia verò plerumque defectus contingit in opere ex vitiosa regulæ applicatione, videamus, qualiter hanc regulam ad specialia oporteat applicari.

Apoc. 21. vers. 15. Vers. 16.

Matth. 7. vers. 12. Luc. 10. vers. 27. Luc. 6. vers. 31.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Primò, Optasti, ut crederent omnes non te fingere morbum, nec majorem, quàm esset, simulare; sed affligi multò graviùs, quàm valeant alii intelligere. Impatientissimè feret afflictus Frater, si ejus contempseris querimonias, teque non eis credere ostenderis: Nunc *intellige, quæ sunt proximi tui, ex teipso.* Accedet ad te aliquando crudelis aliquis, qui pessimè omnia interpretetur, teque imbuere velit pravis circa ægrotum judiciis. Hic non aliter audiendus, quàm charitatis destructor, gravique repellendus monitione. Nec umquam ægrotos pusillanimitatis incuses aut nimiæ sensibilitatis, ne fortè ipsi eosdem tibi imprecentur dolores, & exaudiat illos Dominus.

Eccl. 31. vers. 18.

Secundò, Optasti subinde visitari, deque misero tuo statu interrogari, si fortè quis verbulum unum conferret solatii: vel ut hoc saltem modo ostenderent alii te non omnino velut mortuum traditum oblivioni. Hoc amicitia jubet humana; quæ tametsi integram non possit conferre medelam, solâ tamen præsentiâ tristem recreat animum: estque testimonium fidelis dilectionis, non penitus amicum

in sua derelinquere afflictione, & seipsum, modo quo fieri possit, in obsequium exhibere.

Tertiò, Optasti aliquem tuo destinatum esse servitio, qui dum teipsum juvare non posses, præstò foret ad ministrandum. In Provinciis & Conventibus bene constitutis præcipua est sollicitudo, ut unus vel plures huic destinentur servitio, qui diligentes sint, periti, patientes & charitativi: quorum fidei possint inniti Fratres reliqui ejusdem Conventûs, quibus hæc incumbit circa infirmos obligatio. Negligentes in commisso sibi officio, in discrimen adducunt Conventum integrum, ne maledicatur à Deo, & castigetur in ultionem immisericordiæ contra membra Christi exhibitæ. Diligentes verò & compassivos infirmarios ingens consequitur remuneratio; prout aliquando Dominus ostendit. Tyro quidam Parisiis morti propinquus, acceptâ cœlesti visione conspexit ingentem scalam, cœlorum summum attingentem, atque per hanc sibi visus ascendere. Repulsus est ab ingressu; donec infirmarius, qui ei serviebat, vir pius & humilis, erga infirmos valde officiosus, introeuntem præiret. Ad se reversus, visionem narravit lecto adstanti, qui gratias agens Deo, statim cœpit languere, & post paucos dies placidè obdormivit in Domino, quem statim secutus est adolescentulus.

Annal. Tom. 2 ann. 1283 num. 6.

Quartò, Optasti morositates tuas, impatientias, sordes atque murmura supportari, & in istis duriis non tractari. Idem debes afflictis, tanta cum longanimitate, ut istis numquam te fatigatum ostendas, nec impatientiâ tuâ Fratrum aggraves impatientiam. Sufficiunt eis præsentes ab ipso Deo inflicti dolores. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*, quòd sani simus atque felices; illi verò infelices. Non solent homines sanæ mentis conturbari ob maledicta vel intentata verbera phreneticorum. Vis morbi speciem quamdam affundit insaniæ, turbatque rationis tranquillitatem. Non iram, sed majorem provocare debent compassionem clamores isti, qui acriorum sunt dolorum testimonia. Habebant aliquando Fratres præ manibus impatientissimum leprosum, qui continuò blasphemias in Deum, maledicta in seipsum, & contumelias in Fratres jactabat famulantes. Ipse Vir Dei Franciscus ejus curam suscipiens, fecit calefieri cum herbis aromatariis aquam, quam desuper infundente uno ex sociis, ipse sacris suis manibus, à capite deorsum sic lavit ulcera exteriùs, ut Deus animam abstergeret interiùs, & corpus, quòcumque perveniebat manus, vegetum redderet & sanum. Unâ lotione corpus sanabat, & animam curabat cœlestis medicus, & decurrente per scapulas aquâ, cœpit lachryma per oculos effluere languentis, Dei misericordiâ, & sancti viri virtutem in se recognoscentis. Integræ mox sanitati restitutus, coram omnibus clamavit plenam deprecans peccatorum remissionem, suam confitens in Deum ingratitudinem, qui benignè corripientem, & citra multitudinem iniquitatis, paternè plectentem, quotidiano murmure, & blasphemâ offenderit querimoniâ. Pœnituit eum verè post multos dies transacti reatus, quem multo fletu, & variâ in suum corpus animadversione, plenè meruit dimitti. Post aliquot menses decedens ex hac vita, apparuit S. Francisco oranti, gratiasque egit, quòd illius meritis & beneficio post leve purgatorium, gloriosus transierit ad patriam. Sic *in patientia vestra possidebitis animas vestras* & infirmorum.

Rom. 15. vers. 1.

Annal. Tom. 1. ann. 1212. num. 51.

Luc. 21. vers. 19.

In verbis illis: *Sicut vellem sibi serviri*, aliam quoque contineri justitiæ charitatisque mensuram insinuavit F. Hugo de Prato sive de Panziera in Epistola quadam ad Moniales, sic scribens: *Hoc unum concupisco à Divina bonitate, ut immittat in corda vestra vivum desiderium, sic tractari ab omnibus creaturis, sicut scitis vos tractasse benignissimum sponsum vestrum*, cum contemptu scilicet, variisque, quas ibidem Vir sanctus specificat, injuriis. Postea ad propositum nostrum subjungit: *Deinde ut studeatis sic tractare omnes creaturas, sicut desideratis tractari à vestro dulcissimo & æterno Sponso.* Quibus verbis hoc docemur, ut non solùm Fratribus serviamus, sicut vellemus nobis ab ipsis serviri, verùm etiam sicut vellemus nobis ab ipso Jesu Christo serviri, dum fuerimus in ægritudine constituti.

Chron. Min. p. 2. l. 7. cap. 27. §. 3.

Vellemus autem ab illo imprimis levamen aliquod corporalium dolorum, si fortè beneplacitum esset ei, facere nobiscum misericordiam, sicut cum aliis fecit innumeris, quos restituit sanitati. Licitam esse hujusmodi postulationem, ipse Dominus ostendit, qui positus in agonia oravit, ut ab eo transiret calix passionis imminentis. Nec semper irritam esse hanc orationem, probavit Ezechias, in præsenti mortis periculo exauditus. Probarunt innumeri alii infirmi, quibus non propria solùm favit supplicatio, sed aliena quoque parentum, amicorum, concivium, atque discipulorum; quorum fidem ut vidit Jesus, eorum acquievit petitionibus. Solemus etiam timentes mortem ex infirmitate, seriò remissionem nostrorum implorare peccatorum, scientes, quàm districta sit censura atque vindicta Divini judicii, solemusque ad hoc humiliter exposcere concurrentia Fratrum suffragia. Optamus item, à flagellante Domino, virtutem nobis concedi patientiæ, quò cedat nobis in meritum inflicta vexatio. Denique cùm hostis antiquus uti soleat hâc infirmitatis atque turbationis occasione, ad suas promovendum tentationes, quibus ad peccatum aliquod animam pertrahat, angustiis fatigatam; desideramus contra ejus molitiones Divino vel Angelico juvari præsidio.

Isa. 38.

Hæc sunt, in quibus serviri nobis infirmantibus volumus à Domino Jesu Christo: in iisdem ergo nostris serviamus Fratribus. Accidit frequenter sic eos distrahi atque præoccupari dolorum vehementiâ, ut de conscientiæ dispositione, aliisque prædictis à Deo postulandis minimè valeant cogitare. Tunc necessarium charitatis officium est, ut nos pro illis conlequendis serventissimas interponamus apud Altissimum orationes. Hoc est veræ spiritualisque amicitiæ opus, quo Frater cum morte colluctans atque diabolo, ad beatam præparatur æternitatem. Ad hanc dum aspiramus, pluis fati-

fatigant quàm recreent aridæ de sanitate vel corporali statu inquisitiones,& consilia de conquirendis remediis & applicandis. Illa propria Medicorum sunt. Hi sint infirmo nostro coadjutores ad superandum corporis morbum;
Chron. p. 4. lib. 8. cap. 65. nos ad profligandum animæ adversarium. Id officii ritè præstiterunt pii Fratres ad agonem Fratris Francisci de Valentia congregati. Qui cùm undequaque importunis dæmonum tentationibus agitaretur, arrepto crucifixo videbatur quasi cum antagonistis pluribus digladiari. Oratio interim fiebat sinè intermissione pro eo. Quiescens tandem ait: *Verè Fratres mei estis, quia per orationes vestras pro me nunc fusas, expulsi sunt diaboli me infestantes, & obtinui misericordiam à Domino.* Sic experiuntur
Eccl. 4. vers. 12. angustiati, quòd *si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Multò magis dum plures in unius conspirant adjutorium, junctisque vocibus ad Deum clamant, & ad Angelos subsidiarios.

Minimè crediderim Fratres in eodem præsentes Conventu, & infirmi lectulo circumstantes, huic deesse pietatis officio; existimo tamen immemores esse nonnumquam absentium Fratrum, alibi simili periculo, paribusque difficultatibus pro æternitate luctantium, quibus etiam prodesse possit, hic modus succurrendi. Quid impedit, quò minùs hanc nostram ad illos etiam extendamus charitatem? Qui in remotissimis degunt regionibus, æquè Fratres nostri sunt ac contubernales, æquè sumus eis obligati, æquè de illorum participamus meritis tamquam membra de membro. Dignum igitur est, ut & ipsi in angustiis suis principalibus nostræ sentiant fructum charitatis; suasque necessitates sentiant nostris orationibus commendari. Quò dilatabimus ampliùs illius sinum dilectionis, eò similior fiet nostra charitas illi Salvatoris, quæ sibi onus sumpsit exhauriendi innumerabilium peccata filiorum: eòque misericors Deus ampliores nobis infundet benedictiones. Evangelicus certè Samaritanus committens sauciatum stabulario, duos ei dedit denarios, & dixit: *Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* Sic *Luc. 10. vers. 35.*
Christus reddet nobis erogatæ misericordiæ mercedem, dum ad generale redierit totius mundi scrutinium.

CAPUT SEPTIMUM

De Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

SI qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt, sinè mora. Ipsi verò Ministri si Presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis pœnitentiam: Si verò Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur, vel conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira & conturbatio in se & in aliis impediunt charitatem.

TEXTVS & §. I.

Si qui Fratrum, instigante inimico.

SVMMARIVM.

Pharao persequitur Israëlem fugientem, & similiter diabolus Religiosum. Conciliabula dæmonum contra Ordinem Franciscanum. Cur maximè eum Ordinem oderint. Vt illis resisti possit, curandum, 1. Ne umquam nos securos à periculo arbitremur. 2. Vt desuper impetrato lumine, hostem dignoscamus. 3. Vt considerantes, quantus sit Dei & nostræ salutis osor, mox illum horreamus. 4. Vt præveniamus tentationes sanctis cogitationibus. 5. ferventer expellamus adversarium. Victoriæ præmium in hoc certamine, est subjectum habere inimicum.

CUm nuntiatum esset Regi Ægyptiorum, quòd fugiens populus Israël, ex ipsius se ptoripuisset servitute, immutatum est cor ipsius, & servorum ejus super populo, & dixerunt: *Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis? Junxit ergo Pharao currum, & omnem populum suum assumpsit secum*, & collectis regni totius viribus, populum Domini persecutus est, ad extinguendum eum penitus atque delendum. Haud aliter agit malignus spiritus Pharao infernalis, qui tametsi communis sit humani generis inimicus, specialis tamen atque ferocior eorum, qui servitutem ejus fugientes, semitas terunt perfectionis. *Quantò enim aliquis majus habuerit virtutis studium, tantò fortioribus contra eum machinatur insidiis.* E summo cœlorum Angelos expulit, è Paradiso sacra Dei plasmata detrusit, mundi primogenitum Caïnum supplantavit, Ecclesiæ quamplures athletas prostravit, tulit de Libano cedri medullam, *cibus ejus electus*. Christi socios voluit cribare ut triticum, quosdam in suam adduxit sententiam, unum, ut traderet, alterum, ut negaret, & omnes, ut eo relicto fugam inirent. Et sic universaliter rector tenebrarum harum *quantò magis ad Deum homines accedere & sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit, & contra illos diversis tentationibus insistit, qui possunt etiam aliis sua utilitate prodesse.* Igitur hîc providè Seraphicus Institutor fecit Franciscanis suis de *instigante inimico*, ejusque nefariis conatibus præmonitionem.

Exod. 14. vers. 5.

D. Bonav. in hunc Tex. Reg.

Habacuc 1. vers. 16.

Gregor 14 mor. c. 15.

Ipse ductor Seraphicæ militiæ nostræ, in capite positus aciei primos sustinuit insultus ab adolescentia sua usque ad vitæ consummationem. Mundanis enim impugnatus fuit persuasionibus, blanditiis laudum humanarum, promissionibus gloriæ temporalis, spectris atque terroribus, persecutionibus proprii parentis, latronum verberibus, concivium & propriorum carnalium fratrum, vanorumque sociorum vexationibus & irrisionibus, distractionibus variis, carnis titillationibus, tristitiis, cogitationibus desperabundis, scandalis fratrum religiosorum, rebellionibus subditorum, ac omnimodâ denique instantia. Hæc erant cœlestium præludia, incrementa, & firmamenta gratiarum. Nec minùs acre bellum contra nascentem viri sancti Ordinem instruxit inimicus, ut vel eum extingueret penitùs, vel saltem incipientem & perseveraturam in eo dissiparet pietatem. Celebrat S. Patriarcha comitia generalia ad Portiunculam, ad quæ ultra quinque millia Fratrum convenerant: quæ sancta congregatio commovit rectorem tenebrarum harum, ut convocato multorum millium sui generis concilio in hospitali Cruciferorum, non longè ab illa Franciscana acie posito, comitia comitiis, & consilia consiliis opponeret; seriùsque ageret, quomodo adolescentem extirparet religionem, congregatamque aciem dissiparet. Porrò secretum hoc conciliabulum non latuit Franciscum: totum enim ei desuper revelatum est, quamque cum suis adbibere deberet curam & vigilantiam adversus callidissimi hostis insidias. Aliud præter hoc concilium congregasse diabolum contra sanctum virum, refert Bonaventura, in quod convocata quinque millia dæmonum, ut eum circumvenirent, quem molestissimum hostem sentiebant tot sibi quotidiè prædas eripientem. Sed orante Dominum viro Dei, ut se suosque liberaret à laqueo venantium, factum est, ut consilia sua, quæ cogitaverat dæmon, minimè potuerit stabilire.

Pisan. lib. 1 Conform. 7.

Annal. Tom. 1. an. 1219. num. 19.

In Hexam. serm 18. post med.

Fomes furoris ejus, in agmen illud Franciscanorum, est, quòd hi ratione status humilitatis suæ videantur præ cæteris ad eas sedes prædestinati, à quibus ipsi dæmones sunt propter superbiam deturbati. Illud sanè de ipso humilium Patriarcha Francisco, uni Fratri, viro virtutis & devotionis præcipuæ, visio cælitus ostensa monstravit. Cùm enim esset in comitatu viri Dei, & unà cum ipso in quadam Eccle-

Leg. cap. 6. num. 7.

Ecclesia deserta, ferventi oraret affectu, in extasi factus, vidit inter multas in cælo sedes, unam cæteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus, & omni gloriâ refulgentem. Miratus intrà se præcelsi refulgentiam throni, anxiâ cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter hæc, vocem dicentem sibi: *Sedes ista unius de ruentibus fuit, & nunc humili servatur Francisco.* Ipsius etiam sequacium vocatio ad Ordinem sanctum, est quædam ad atrium cœli vocatio; & in sancta Regula perseverantia, excellens est ad vitam cælicam præparatio. Hæc nostra prædestinatio invidos irritat spiritus, multò magis quàm electio & benedictio Jacob rancorem accendit Esau rejecti, & favor Abelis, fratrem irritavit Caïnum. Deindè fugisse à castris ejus ad castra Religionis haud minùs eũ exacerbat, quàm desertor miles ducem legitimũ, qui non nisi supplicio mortis hanc solet noxam castigare.
Gen. 31. Ostendit Laban quàm acerbè tulisset furtivum sui
Exod. 14. generi discessum; & Pharao Israëlitarum: nec minùs acerbè princeps mundi hujus nostram sentit desertionem. Fremit insuper non solùm ob nostrarum jacturam personarum, sed eò quoque quòd aliis plurimis ipsius mancipiis auctores simus desertionis ejusdem, sive conversionis. Per nos enim, veluti per rete magnum, rationabilium trahitur piscium multitudo: per nos velut per fortissimi turmam Abrahami præda extorquetur è manibus ejus, atque captivitas: per nos eruuntur oves Christi de faucibus lupi illius infernalis; unde nec mirum, si velut leæna sæviat raptis catulis. Hujus rei causâ, tartareus princeps in præmemorato suo contra Franciscanam congregationem conciliabulo, omnem in eo curam posuit, quatenus impediret aliorum profectum, per Minores intentandum. Egregiè sanè & planè propriè concilium hoc malignantium, descripsit heroico carmine Franciscus Maurus, exactè describens astum principis tenebrarum & callidos suorum cogitatus, contra eam, quam dicebant:

Franc. Maur. l. 7.

Gentem hominum exortam, revehat quæ sæcula mundo
Aurea polluto, simul & mortalibus ægris
Præsens auxilio veniant, nostrisque futura
Exitio regnis.

Torquet etiam dæmones pia charitas, quæ nos simul tenet conglobatos, ut castrorum aciem ordinatam & inexpugnabilem. Torquet mortificatio crucis Christi, quam sumus in corporibus nostris circumferentes. Quòd si canes isti crucem horreant ligneam, ipsumque crucis signum manu efformatum; quantò magis eos, qui vivam referunt imaginem Crucifixi? Torquent eos clamores privatarum publicarumque orationum, velut clamor intrà domum nocturnos terret latrones. Hinc tot internæ distractiones, tot externa impedimenta, quæ nobis plaustratim ingerunt: hinc apparitiones horrendæ, strepitus, verbera & violentiæ, quas insignioribus intulerunt cultoribus orationis.

Ut ex hac periculosa nos evadere possimus arenâ, discamus artem regulasque militiæ spiritualis.

Primò, Numquam nos à periculo securos arbitremur. Princeps militiæ nostræ Dominus Jesus *ductus est in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. vers. 1. Admisit quoque tentamenta satellitum ejus. Mira res, quòd cœli terræque potentissimus Imperator cum indigno cane congredi dignatus est, & cum imbellibus terræ vermiculis. Placuit tamen ei hoc pati, ut disceremus in armis continuò stare, contra impudentem hostem & importunum, nec umquam nobis noxiam promitteremus securitatem. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Prov. 28. vers. 14. Quantumcumque quis eximias sentiat divinæ gratiæ prævetiones, timorem non deponat: quin potiùs ex eo ipso præparet animam suam ad tentationem, credatque singulares illas gratias prænuntias esse instantis alicujus pugnæ, quam permissurus est Dominus, seque illis velut armis cœlestibus præmuniri. Unde S. P. N. alicui discipulo suo graviter tentato, dixit aliquando: *Nullus in via Dei perfectus evasit, qui per tribulationes & tentationes non pertransierit. Et qui gloriatur se nullam sustinuisse, sciat non immissam fuisse propter suam infirmitatem prævisam à Domino,* Annal. Tom. 1. an 1212. num. 43. *quia* fidelis est Dominus, qui non patitur nos tentari supra illud, quod possumus: 1. Cor. 10. vers. 13. *& proinde vix objiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta.*

Secundò, Quoniam hostes invisibiles sunt & subtilissimi, quos nec videre oculis, nec auribus audire, nec sensu aliquo valemus deprehendere, totumque negotiũ cum eis in mentis secreto peragitur, in tenebris magnis, & maximo deceptionis periculo; lumen ad eos dignoscendum à Deo magnâ contentione postulandum est: quemadmodum ille magnus orabat athleta: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas: quoniam in te eripiar à tentatione.* Psal. 17. vers. 29. Qui sibi persuadent, se ita sagaces esse, ut hostem ejusque technas statim valeant deprehendere, illud experiuntur ordinariè, quod humilis sibique diffidens bellator præmiletat: *Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis.* Ibid. 28. Hoc magno suo mœrore experiri debuit sanctissima illa Virgo Catharina Bononiensis. Chron. Minor p. 3. l. 4. cap. 49. Cùm enim leviter gloriata fuisset, quòd sathan non posset eam tam subdolè aggredi, quin deprehenderet ipsum, permisit eam Deus tantis involvi tenebris, ut apparentem inimicum, modò in forma D. Virginis, modò Christi Domini eam alloquentis, spatio quinquennii minimè valuerit discernere: & incredibiles passa contradictiones, angustias atque turbationes; edocta tandem est non ita facilè propriæ nitendum esse discretioni, seu potiùs præsumptioni. Itaque *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Time Deum, & recede à malo.* Prov. 3. vers. 5.

Tertiò, Hoste deprehenso ejusque consiliis, ad horrorem tibi sufficiat, quòd hostis Dei sit, tuæque salutis. Cùm Dominum ipsum suis non valeat machinationibus attingere, totum virus suum effundit in hominem, quia in eo S. Trinitatis expressam deprehendit imaginem: similis Pantheræ seu Pardalo, quæ referente nostro Fevardentio, tanto hominem In Epist. Judæ vers. 9.

persequitur odio, ut si depictam ejus reperiat imaginem, protinus eam furibunda discerpat. Hoc tibi sufficiat ad horrorem, utque cum eo non aliter agas quàm cum visibili inimico, cujus malevolentia ad inferendam necem perspecta foret, atque diutino probata experimento.

Prov. 26. vers. 25. Qualiter eum tractes, audi Sapientem: *Quando inimicus submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.*

Eccl. 12. vers. 10. Item: *Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum æruginat nequitia illius: & si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo.* Dedecus contrahis infidelitatis, si ad familiaritatem admittas proditorem illum, si audientiam præbeas vel corrideas ei, quem nosti juratum esse hostem Dei, Sponsi, Parentis & Domini tui, cujus te obsequio amicitiæque, singulari obstrinxisti Sacramento. Simile illud foret sceleri Judæ, de quo conqueritur Christus apud Prophetam: *Homo pacis*

Psal. 40. vers. 10. *meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Pactum cum capitalibus inivit hostibus, eisque majorem exhibuit quàm Domino proprio fidelitatem.

Quartò, Ad præveniendum inimicum, ne ingrediatur in cor, ibique pertinaciter hæreat, securissimum erit præsidium, Deo tempestivè

Ephes. 3. vers. 19. impleri atque divinis. *Impleamini*, monet Apostolus, *in omnem plenitudinem Dei.* Hoc etiam erat sapientissimum fratris nostri Juniperi consilium. Colloquebatur aliquando cum fratribus Ægidio, Ruffino, & Simone Assisiate de adhibendo remedio carnis tentationibus. Interrogati singuli quomodo eas effugabant, inquit Simon: Dum ego considero hujusmodi peccati turpitudinem, malum facilè vinco appetitum. Ruffinus subjunxit: ut statim sentio malas istas suggestiones, in terram me projicio, nec inde surgo, aut ab oratione recedo, quousque per Dei auxilium & Virginis intercessionem, quorum opem imploro, me præsentio liberatum. Addidit verò Juniperus; eo se occurrere remedio: *Cùm in burgo castri præsentio hujusmodi perstrepentes tumultus, illicò cordis ostium claudo, & obfirmo piis meditationibus, & obvallo animæ fortalitium melioribus desideriis: quando itaque mala suggestiones ad cordis ostium accedunt, & intrare vel ulundè accedere in castellum blandè contendunt, ego ab intus respondeo, ostio minimè reserato: Foris, foris manete, jam capta est arx, & ab aliis præventa: recedite, procul abite.* Illæ itaque sic victæ & illusæ, à priore illo arcis possessore profligatæ, ab universa regione recedunt. Cui subscripsit B. Pater Ægidius, dicens: *Ego teneo cum Fratre Junipero; quia in carnis certamine melius pugnatur fugiendo, & occasiones præveniendo.* Hnc idem consi-

Annal. Tom. 1. an. 1232. num. 27.

Eccl. 12. vers. 12. lium dederat olim Sapiens: *Non statuas inimicum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne fortè conversus in locum tuum inquirat cathedram tuam*, tamquam tui castri dominus atque possessor.

Quintò, Demum docet noster B. Rogerius

Chron. Minor p. 2. l. 4. cap. 56. hac in oppositione & resistentia non segniter agendum & tepidè; sed ferventer, & velut cum impetu, quo terreri hostis possit. Hoc itidem consilium erat castissimæ atque fortissi-

Judith. 14. vers. 2. mæ Judith: *Accipiat unusquisque arma sua, & exite cum impetu, non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.* Eoque modo totum Assyriorum delevit exercitum. Hujus etiam fervoris specimen de se præbet præclarus præliator bellorum Domini, dicens: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.* Et: *Comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.* Juxta hoc consilium, sancti Dei homines statim ad primum suggestionum pravarum accessum arripuerunt flagella, ignes quæsiverunt adurentes, spineta, nives, stagna gelida, aliaque terribilia instrumenta, ad illapsas excutiendum tentationes, & objecta noxia. Alioqui frigida illa semi-resistentia, audaciam spemque victoriæ præbet adversario, & quasi invitat ad ulteriorem importunitatem; dum præsertim ipsius auscultantur blanditiæ, acceptantur & gustantur tamquam carni faventes & amicæ. Nescivit Adam distinguere fallacem suæ Evæ amicitiam à vera inimicitia, quæ sese in cor illius insinuavit, statimque captivavit. Quod considerans S. Antonius Paduanus, sic commentatur: *Mulier*, id est mollities, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno*, id est infructuosam delectationem a Deo prohibitam, *& comedi.* Suam quicumque secum habet Evam, natam ad illicita titillare, quâ solet antiquus serpens ad nostram uti deceptionem, vincitque sæpissimè. Idcirco justè timendum, quod præmonet Apostolus: *Timeo, ne sicut serpens seduxit Evam astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Quid molle sapiebat suadebatq; Petrus, à sua Christú avertere volens passione; verùm severo reddito responso, docuit nos Dominus, qualiter ejusmodi repellere oporteat blandimenta, dum ait: *Vade retro me satana, quoniam non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Nobis in satanam est, quicumque illicita obtrudit, Deoque displicentia: & quantumcumque videatur amicus, simili repellendus fervore atque indignatione.

Psal. 17. vers. 38.

Vers. 43.

In Genesis cap. 3.

2. Cor. 11. vers. 3.

Marci 8. vers. 33.

Nequaquam hæ sanctæ victoriæ suis carebunt præmiis, quæ luculenter promittuntur in Apocalypsi. Unum est singulare atque eximium Philadelphiæ Angelo promissum: *Ecce faciam illos, ut veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient, quia ego dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis &c.* hetque, quod olim orabat Apostolus, *ut Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* Hoc feliciter expertus est noster B. Franciscus Ticinensis, eximius athleta spiritualis. Ipsi enim ante Matutinum ferventer oranti apparuerunt speciosæ puellæ choreas ducentes, inhonestisque actibus ad impudica allicientes. Ille valido clamore Deum in adjutorium vocavit, statuitque firmiter in corde suo nihil admittere, quod castum corpus temeraret. Immissa etiam cælitùs ingens fortitudo: audivit enim sibi dicentem: *Francisce esto constans Christi miles, non deficiat fides tua; fac viriliter, & vinces.* Tandem superatis non tam robustis quàm periculosis hostibus, vox altera insonuit: *Quia Deus te stre-*

Apoc. c. 2. & 3.

Cap. 3. vers. 9.

Rom. 16. vers. 20.

Annal. Tom. 6. an. 1454. num. 48.

te strenuum contra infernales potestates bellatorem conspexit, super easdem liberam tibi tradidit potestatem. Hâc victoriâ & cœlesti gratiâ adeò se sensit spiritu robustum, ut dæmonis artes & tentationes deinceps contempserit. Mirabi- (Annal. Tom. 1. ann 1225. num. 23.) lius accepit à Domino puella quædam Burgunda, quæ cùm sub Fratrum Minorum directione, viam paupertatis, rigoris ac virginitatia iniisset, per menses septem tam variis actibusque est imperita tentationibus, ut nisi divinum adfuisset auxilium, præcedentium laborum coronam amisisset. Cœlesti verò confortata lumine, contempsit, superavit & abegit adversarinm. Qui postea virgini apparens, dixit: Quia à te victus defeci, hoc mihi in pœnam inflictum est à Domino, ut numquam de cætero mihi liceat quemquam hominum tentare, vel à bonis actibus impedire. Habeo præterea mandatum ab ipso, ut quodcumque mihi præceperis, debeam sinè mora præstare. Cujus mandati vim semel ipsam contigit experiri. Nam cùm juvenia aliquis, ipsius insano correptus amore, vim ei inferre molireτur, nec alius appareret elabendi modus, memor oblatæ a Diabolo obedientiæ, clamavit: *Diabole ubi es?* Adfuit illicò, cui illa: *Volo*, inquit, *ut liberes me citò à nebulone isto, qui me inquietat.* Continuò juvenem per pedes arripuit dæmon, & non sinè læsione, longiùs projecit. Sic in hac Virgine aliisque quàm plurimis mirabiliter impletum est, quod humanis viribus impossibile esse Dominus apud Jobum innuebat, dicens: *An extrahere poteris leviathan hamo, & fune ligabis linguam ejus? Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armillâ perforabis maxillam ejus? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid faciet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum?* (Job. 40. vers. 20.) Super quibus verbis clariùs loquens D. Greg. addit: *Sicut per nares insidia, ita per circulum divina virtutis omnipotentia designatur. Quæ cùm apprehendi nos tentationibus prohibet, miris ordinibus antiqui hostis insidias circumplectens tenet.* (33. Moral. cap. 14.)

TEXTUS & §. II.

Mortaliter peccaverint.

SUMMARIUM.

In mortali existens peccato, semivivus est; scilicet vivus corpore, mortuus animâ. Hæc mors animæ. 1. Reddit hominem ineptum ad operationem meritoriam vitæ æternæ. 2. facit cæcum, surdum, & mutum. 3. Causat fœtorem infamiæ. 4. Generat corrodentem vermem conscientiæ. Homini ad perfectionem contendenti, & dedito contemplationi, specialiter aufert delitias divinæ familiaritatis, quæ haud facilè post peccatum recuperantur.

DIcit Salvator in Evangelio, quod *homo quidam, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto.* (Luc. 10. vers. 30.) Per *Jerusalem*, quæ *Visio pacis* dicitur, statum intelligere possumus religiosum, qui ad obtinendam internam æternamque animi pacem ordinatus est, & ad mundandum oculum mentis, quo videndus erit Deus Deorum in Sion, *Jericho* autem, quæ *Luna* interpretatur, Mundum designat, qui continuè ad modum lunæ variatur; unde etiam de mutabili & mundano homine dixit Ecclesiasticus: *Stultus ut Luna mutatur.* (Eccl. 27. vers. 12.) Porrò quando homo statum professus religiosum, dimissâ *Jerusalem*, id est dimissis regularibus institutis, & exercitio ponitentiæ, aliarumque virtutum, *descendit in Jericho*, scilicet ad complacentias mundiales, statim adsunt *latrones*, dæmones ei insidiantes, *qui despoliant eum* bonis spiritualibus, *& plagis* malorum desideriorum *impositis*, relinquunt *semivivum*, solo nimirum viventem corpore, mortuam continente animam; ut

Dernoye Medulla S. Evangelii.

proindè ei dici possit, quod jubetur Joannes in Apocalypsi Angelo Ecclesiæ Sardis scribere: *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas*, nomen utique Religiosi, quod nomen hominis est vitaliter contendentis ad perfectionem, *& mortuus es.* (Apoc. 3. vers. 1.) Verè siquidem, quæ peccaverit anima, ipsa morietur, & stipendium peccati mors. *Tres*, inquit D. Aug. *sunt peccati differentia; in corde, in facto, & in consuetudine, tamquam tres Mortes. Una quasi in domo, quum corde consentitur libidini: altera quasi prolata jam extra portam, quum in factum procedit assensio: tertia, quum consuetudinis mala tamquam mole terrenâ premitur animus, quasi in sepulchro jam putrens: qua tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, intelligit.* (Lib. de Serm. Dom. in monte.)

Prima etiam convenientia Mortis corporalis cum Peccato est, quòd sicut illa ineptum reddit corpus ad quamcumque operationem, sic peccatum quoque mortale privat animam virtute operationes ullas æternæ vitæ meritorias exercendi. *Dona enim iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum;* (Eccl. 34. vers. 23.)

rum; nec in multitudine sacrificiorum eorum pro-
pitiabitur peccatis. Idem per Prophetas suos te-
status est Dominus verbis indignatione plenis:
Amos. 5. vers. 21. *Odi & projeci festivitates vestras, & non capiam*
odorem cœtuum vestrorum. Quòd si obtuleritis
mihi, holocautomata, & munera vestra, non
suscipiam; & vota pinguium vestrorum non re-
spiciam. Tristissimum est, ex obligatione sta-
tûs adigi ad jejunia, divina officia, laboriosas
obedientias, aliaque onera, & nullam inde à
Domino expectare mercedem; per quæ tamen
æternum poterant gaudium emereri. Interim
verò propter unum mortale peccatum inutiles
redduntur ad quodcumque meritum spiritale:
imò & in expectatione manent damnationis
Jerem. 12. vers. 13. ad ignes æternos. Miseri *seminaverunt triti-*
cum, & spinas messuerunt: hæreditatem accepe-
runt, & non eis proderit. Confundemini à fructi-
ctibus vestris propter iram furoris Domini.

Secundò, Mors corporalis cæcum efficit
corpus, surdum, & mutum. Simili percutiun-
tur maledictione peccatores, quam S. David
Psal. 68. vers. 24. promulgans, ait: *Obscurentur oculi eorum, ne*
videant, & dorsum eorum semper incurva. Le-
gunt multa, & audiunt de spiritualibus cœlesti-
busque mysteriis; sed sicut ii, qui pulchros
aspiciunt caracteres, & mirantur, nec pene-
trare valent, quod iis significatur. Apertis ca-
dunt oculis, nesciuntque, ubi corruant, donec
descenderint in profundum. Surditatem quo-
que efficit peccatum. Ubi vulgata nostra edi-
Jonæ. 1. vers. 5. tio habet *Jonas dormiebat sopore gravi*, Hebrai-
ca lectio habet; *Dormiebat sopore immobili*, ut
scilicet nec tonitrua excitarent, nec tempestas
tam sæva excuteret: quia ipsa tempestas som-
num conciliabat. Expressa peccatoris figura,
quem nec judicii tonitrua excitant, nec tem-
pestates adversitatum excutiunt; sed stupidus,
sed veterno laborans, sopore gravi deprimitur,
ac penè immobili: hinc vulneratur, & non do-
let; percutitur, & non sentit; ejiciuntur è navi
animæ pretiosiora quæque, nec expergisci-
tur. Cùm fui sinè te, inquit Aug. in Solilo-
quiis, non fui, & nihil fui: & ideo cæcus eram,
surdus & insensibilis, quia nec bonum discer-
nebam, nec malum fugiebam, nec dolorem
vulnerum meorum sentiebam, nec tenebras
meas videbam, quia eram sinè vera luce. Væ
mihi, vulneraverunt me, & non dolui, traxe-
runt me & non sensi; quia nihil eram, quia
absque vita eram. Item peccatum efficit Mu-
Luc. 11. tum. *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat*
mutum. Iniquitas oppilabit os suum. Oppilare est
omnino claudere, ut nihil expiret. Talis Da-
Psal. 106. vid: *Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa*
mea. Ubi Hebraicus textus habet: *omne robur*
Psal. 31. vers. 3. *meum elanguit.* D. Hieron. legit: *Attrita sunt*
ossa mea, dum clamarem tota die. Quid? tacet, &
clamat? Sic clamat; sed intrà se dolore pressus,
mugit potiùs. Unde Cajet: *Dum mugirem totâ*
die. Mugit peccator, & diabolus non sinit, ut
altiùs mugiat. *Non clamabunt in gutture suo.*
Psal. 113. vers. 7. Idem Cajet: ex Hebræo: *Non mussitabunt in*
gutture suo. Hinc infelix ille peccator, cui ini-
quitas oppilavit os, mugit intrà se, & non mus-
sitat foris. Quid habes? quid doles? non mus-
sitat.

Tertiò, Corrumpitur cadaver, & fœtorem
exhalat, sic ut grave fiat & iotolerabile circom-
stantibus. Sic peccatum fœtorem causat infa-
miæ apud Deum & homines. Infames & dete-
stabiles vulgò habentur, qui sibi laqueo vel fer-
ro manom injiciunt, & legum humanarum
dispositione ad furcas projiciuntur. Quan-
tò detestabiliores à Creatore Deo judicabun-
tur, qui animam suam vitâ beatam spirituali
occidunt, Dominoque suo reddunt inuti-
lem? Fit quidem interdum, ut propter se-
cretum, quod sollicitè quæsivit peccator, non
tam citò coram hominibus erumpat fœtor iste;
Deum verò nullo latet tempore. Neque dæmo-
nibus, O Miser! tua sunt ignota facinora; & Thren. 2. vers. 15.
ipsi *plauserunt super te manibus omnes transeun-*
tes per viam: Sibilaverunt & moverunt capita
sua super filiam Jerusalem. Haccine est urbs, di-
centes, perfecti decoris, gaudium universæ ter-
ræ? Aperuerunt super te os suum omnes inimici
tui, sibilaverunt & fremuerunt dentibus. At-
que utinam infamia ista in solis sisteret pec-
cantibus, & non se ad integrum diffunderet
sodalitium! Hæc est enim sors familiarum,
ut uno peccante, ipsa integra malè audiat, &
plerumque qui sceleris reus est, jam effrons
factus, minùs persentiscat verecundiæ; magis-
que eâ insontes adurantur consodales, famæ
suæ custodes diligentiores. *Filii Sion incliti, &* Thren. 4. vers. 2.
amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa
testea, opus manuum figuli? Quòd Ordo aliquis
inclytus quondam & gloriosus, fieri incipiat
odiosus & contemptibilis, fœtere coram ho-
minibus, nova quotidiè scatutire scandala,
ideo est, quia conqueri habet cum desolata Je-
rosolyma: *Vigilavit jugum iniquitatum mea-* Thren. 1.
rum: in manu ejus convoluta sunt, & imposita collo vers. 14.
meo..... Abstulit omnes magnificos meos Dominus 15. & 16.
de medio mei..... Facti sunt filii mei perditi, quo-
niam invaluit inimicus. Contra hunc inimicum
à Religiosis omnibus, maximè verò à Prælatis
continuâ vigilandum est instantiâ; quia cir-
cuit jugiter quærens, quem devoret. Accidit Annal.
ut cùm aliquando vir Dei Franciscus oraret in Tom. 1.
ædicula sanctæ Mariæ Angelorum, videret ip- ann. 1218.
sum locum veluti exercitu dæmonum circum- num. 5.
quaque obsessum: nullus tamen introeundi
aditum inveniebat. Interea Frater quidam, qui
illic morabatur, iræ & impatientiæ impetu
permotus, pro vindictâ criminationes in con-
fratrem fabricabat, sicque ostio charitatis
disrupto viam intrandi diabolo præbuit. Sta-
tim namque vidente B. Patre, unus dæmo-
num intravit, & Fratrem illum sævus victor
aggreditur. Advertens itaque pius Pater & Pa-
stor oviculæ à lupo devorandæ periculum,
eumdem Fratrem quantocius advocari jubet;
cui præcepit, ut venenum odii corde con-
ceptum manifestando evomeret, per quod
traditus erat in manus inimici. Territus ille,
vulnus detexit, culpam agnovit, veniam in
pœnitentia humiliter postulavit. Quâ im-
petratâ, ac Fratre reconciliato, coram oculis
B. Patris dæmon aufugit, & ovicula sedulitate
pastoris de faucibus truculentæ bestiæ erepta,
Deo ac B. Francisco gratias retulit, atque dein-
ceps hujusmodi pericula præcavit.

Quartò, Vermium morsibus devoratur ca-
daver atque consumitur. Simili modo pecca-
tor,

tor, intolerabile & inevitabile subit tormentum à corrosione continua vermis conscientiæ. Volens S. Job peccatoris angustias ob oculos ponere, explicat eas similitudine angustiarum, quibus rex ad bellum iturus urgetur: *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum: sicut regem, qui præparatur ad prælium.* Ut animo angustiatur rex iturus ad bellum? ut curis totius regni urgetur? ut somnum non capit? *Sicut regem, qui præparatur ad prælium.* Alii legunt: *Qui præparatur ad rotam.* Alii: *Ad hastiludium.* O appositæ metaphoræ! Et quisnam homo lanceis confodiendus nisi peccator? Sic Septuaginta vertunt: *Angustia & tribulatio roborabuntur contra impium, & prævalebunt ei.* Nulla pœna major malâ conscientiâ. Ipsa est delictorum testis, ipsa judex, ipsa carcer, ipsa tortor; ipsa judicat, ipsa damnat, ipsa punit.

Job. 15. vers. 24.

Speranza fondata CLX.

D. Bern. de Conscientia.

Et hæc quidem de crassis peccatoribus dicta sint, qui vix divina gustaverunt, sed spiritum habent totum effusum ad exteriora. Nec tamen qui dono contemplationis præventi sunt divinæque familiaritatis, se tutos omnino ab hac fera pessima præsumant: & juxta quod æstimant contemplationis donum, æstiment pariter damni, quod incurrent, magnitudinem, si unius se mortalis peccati maculâ infici patiantur. Damnum istud expendens F. Bartholomæus Salutius, dicit, facilè quidem eos posse peccati commissi remissionem adipisci; haud tamen facilè denuò ad divinam admitti posse familiaritatem: sicut Absalon indulgentiam quidem à Patre obtinuit, minimè tamen permissus est aulam ingredi regiam, & videre faciem Regis. Inconsolabilis est tristitia sponsæ, dilectæ quondam & honoratæ, in deliciis divitiisque natanti; nunc verò repudiatæ cum infamia, atque ad extremam redactæ penuriam, & ab universis derelictæ. Eadem est fors peccatricis animæ à Deo repudiatæ, quocum aliquando cœlestes fuerat experta delicias. A memoria pristini statûs profundissima trahit suspiria B. Job, post diram fortunæ suæ mutationem, referens animam contemplativam à sua lapsam felicitate: *Quis mihi tribuat*, inquit, *ut sim juxta menses pristinos, secundùm dies, quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris? sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo? quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei? quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei?* Si homines immersi sæculo, non pensant hæc damna, nec gravitatem agnoscunt peccati mortalis, saltem selectiores agnoscant servi Dei, sitque in schola perfectionis primarium eorum studium, tantam intelligere abominationem & abhorrere. Eam exprimens Apostolus, ait, quòd peccatores sint *rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Quis non detestatur Judam proditorem, Judaicum populum furiosè clamantem; *Crucifige, crucifige eum. Sanguis ejus super nos;* Pilatum condemnantem, tortores crudelissimam sententiam exequentes. Æquivalenter agunt peccatores, renovantes quantùm in ipsis est, Christi animæ angustias & corporis tormenta. Enimverò si possibile foret adhuc pati Christum, multò magis torqueret cor ejus humanorum displicentia peccatorum, quàm flagella, spinæ, clavi, fel, & ipsa denique mors amarissima. Quàm procul autem hæc abesse debent à Religioso homine, profitente amorem Dei, luctum compassionemque Domini patientis, & crucis ejus societatem!

In Paradiso Contemplat. c. 79.

Job. 29. vers. 2.

Hebr. 6. vers. 6.

T E X T U S & S. *III.*

Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos Ministros Provinciales.

S U M M A R I U M.

Dæmonum aliquorum ejectio Christo reservata, sic graviorum peccatorum absolutio eminentioribus quibusdam Sacerdotibus. Increpatio notabilis peccantium Religiosorum. *Clemens* VIII. *modum adhibuit reservationi* Regularium. *Quæ sint, & quàm gravia singula crimina reservata. Efficax ad peccatores* Religiosos *exhortatio.*

QUodam tempore rogavit Dominum Jesum vir quidam de turba, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia spiritus immundus apprehendit eum, & elidit, & dissipat, atque dilaniat; *& rogavi Discipulos tuos, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Cùmque adduxissent illum, *increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.* Hoc genus dæmoniorum sibi ipsi Salvator reservabat ejiciendum. Modo con-

Luc. 9. vers. 40.

Vers. 43.

D. Bonav. in Expos. Regulæ hic.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

confimili, consuetum est in Ecclesia Dei, graviora quædam peccata, non quibuscumque sacerdotibus remittenda committi; sed certorum quorumdam altioris gradus & prudentiæ, qui noverint convenientiorem apponere medelam, judicio reservari. Ab illorum invasione dæmoniorum, neque viri Religiosi immunes sunt: nullus potest sibi ob regulæ suæ statusque assumpti eminentiam, promittere securitatem; *Vidimus enim multos*, inquit Augustinus, Soliloq. cap. 29. *ex Patribus nostris (quod utique sinè magno timore non recolo, sinè multo timore non confiteor) ascendisse primitus quodammodo usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse: vidimus stellas de cælo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis.* Ille sathan, qui Christum ipsum, Sanctum sanctorum, ad suprema fuit ausus scelera solicitare; sperat etiam atque conatur sanctissimos Job. 40. vers. 18. quosque ad suas pellicere impietates: *Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quòd influat Jordanis in os ejus.* Quia eos etiam, inquit Greg. ibidem, nonnumquam suæ calliditatis insidiis necat, qui jam electi putantur. Hinc casus Patrum, quorum meminit Augustinus; hinc casus aliquorum, quos etiam nostris videmus temporibus, Religiosorum.

Viro tam excellentis status, adeò turpiter prolapso, sub nomine Principis Tyri insultat Ezech. 28. vers. 12. Dominus apud Ezechiëlem: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore,* tuæ Regulæ beneficio, *in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, in habitu sancto, & per admirabilem fratrum tuorum vitam sanctificato: *& foramina tua*, vulnera aperta Salvatoris, *in die, qua conditus es, præparata sunt* tibi in receptacula, in quibus tamquam columba lateres à facie accipitris. *Posui te in monte sancto Dei*, in sublimi Religionis statu, elevatum supra mundi pericula: *in medio lapidum ignitorum*, hoc est virorum Seraphicorum, *ambulasti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ* quâ Religioni inscriptus es, *donec inventa est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ*, quâ vendidisti animam tuam inimicis, *repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, ô cherub protegens, de medio lapidum ignitorum*, inter quos etiamsi habites corporaliter, non tamen cum eis Dei judicio computaris. *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projectus es. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, &c.*

D. Matthæus describens historiam Energumeni, quam ex Luca superiùs retulimus, sic Math. 17. vers. 14. patrem ejus inducit supplicantem: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Iste est miserabilis casus *in ignem* concupiscentiæ, & *in aquam* mundialium delectationum. Et quia periculum evidens est, ne ex fomite illo temporalis concupiscentiæ ignis accendatur infernalis, qui miseram comedat animam usque in sempiternum, piissimus Pater Franciscus tali filio suo consulturus, accedit ad Jesum, & genibus provolutus ante eum, orat: *Domine miserere filio meo*, qui malè patitur, & crebrò in ignem cadit, & in aquam. Opem implorat Vicariorum Judicum à Domino Jesu constitutorum, quibusdam eorum principalibus committendo cognitionem & curationem graviorum facinorum, quæ non solùm perniciem propriis aliquorum adducunt animabus, sed universam quoque perturbant societatem, bonam enervant politiam, atque bonum Ordinis nomen adducunt in periculum. Hæc enim cùm sæpe-numero Prælatorum evadant Visitationem, nec alia appareat ea coërcendi via nisi per Confessarios in foro Pœnitentiæ, qui cuilibet pro criminum gravitate, aliisque circumstantiis, periculorum, scandali, relapsus, aliorumque detrimentorum medicamenta subministrent, corripiendo, erigendo & coërcendo: existimavit prudens Dei servus nullos id meliùs, cordatiùs atque efficaciùs facturos, quàm Ministros ipsos Provinciales, quibus veluti pastoribus arctior incumbit obligatio, oves suas errabundas ad patris gremium, viamque salutis reducendi. Ad horum igitur accuratiorem censuram evocari voluit ea crimina, quæ magis noxia monasticæ disciplinæ, paci & quieti communi, atque subditorum saluti viderentur; nec ea relinqui voluit vulgaribus confessariis judicanda: ut hoc etiam signo subditi omnes scelerum illorum graviorem apprehenderent abominationem, quæ viderent debere ad Prælatorum deferri tribunal, & à solis illis judicari.

Porrò Clemens VIII. Sapientissimus Pontifex, ne contingeret in materia hac gravissima errores quosdam committi per nimiam peccatorum reservationem, modum quemdam Regularibus omnibus præscripsit anno Domini 1593. decernendo, ut nemo Superiorum Regularium absolutiones peccatorum sibi reservet, exceptis casibus in eo decreto per ipsum determinatis. Deindè ut si quod aliud peccatum grave pro Religionis vel conscientiæ bono reservandum videatur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia maturâ discussione & consensu. Denique ut superiores in singulis domibus deputent duos, aut tres, aut plures confessarios pro subditorum numero, quibus reservatorum casuum absolutio committatur.

Casus in Ordine nostro reservati, hi sunt: Statuta Barchin. cap. 6. §. 22.

Primò, *Veneficia, incantationes, & sortilegia.* Contra vitium hoc abominabile promulgata est in Apocalypsi ab Angelo sententia: *Si* Apoc. 14. vers. 9. *quis adoraverit bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua; & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum &c.* Viles mulierculæ, quibus infirmum est judicium, passiones vehementiores, mensque credula magis, adinstar matris suæ Evæ, non adeò mirum est quòd in hoc crimine quandoque decipiantur; sed quòd viri sanctioribus instructi disciplinis, apertis oculis tam fœdè Deum abnegent, diabolo idololatrizent, & ad crudelissimas ejus voluntates venumdent semet-ipsos,

ſos, extremæ inſaniæ eſt. Quòd ſi veneficiis, à magiſtro diabolo ſubminiſtratis, alicui corporale infligant nocumentum (ptout ad hoc ordinariè adigi ſolent) deſperatæ crudelitatis & fraudis infernalis facinus eſt: in eo præſertim, qui fratris ſoſpitatem non amare ſolùm jure Christiano, verùm & procurare jure Regulæ obligatur.

Secundò, *Apoſtaſia à Religione*, ſive habitu dimiſſo, ſive retento: quando eò pervenerit, ut extra ſepta monaſterii ſeu conventus fiat egreſſio. Impietas eſt in Deum, cui ſe perpetuò obſtrinxerunt: & maximè ſi ab extinctâ fide catholica fuerit ſuſcitata, vel ab æſtu carnalis concupiſcentiæ. Impietas eſt in Ordinem, qui ſuſcepit eos miſericorditer, atque ad juvandum eos in ſalutis negotio ſe obſtrinxit: cujus bonum nomen commaculant ſui fœtore ſcandali, ptoptiâque contriſtant reſciſſione, nec non confictis iniquè calumniis accuſant, ad fugæ ſuæ palliandam nequitiam. Impietas eſt in ſeipſos, dum ſathanæ ſe tradunt directioni, & è ſecuta Religionis navi, in fluctus proſiliunt mundi, præ monaſticarum tædio obſervantiarum, atque intus conſcientiæ torſionibus inevitabiliter lancinantur. Utinam apprehendant aliquando fori cœleſtis juſtitiam, quam lex imitatur caſtrenſis, quæ milites transfugas infami damnat ſuſpendio, ut perfidos ignavoſque caſtrorum deſertores! Perpendant, quæſo, quæ D. Baſilius ſcribit *ad Monachum elapſum*, & *ad Virginem elapſam*.

Tertiò, *Nocturna ac furtiva è Monaſterio ſeu Conventu egreſſio*, etiam non animo apoſtatandi facta. Quia nox patrona & irritamentum ſcelerum eſt, quæ oderunt lucem, ideo volunt paſtores gregem intrà ovile contineri, & ſub oculis manibuſque ſuis eſſe periculoſo illo tempore: ex quo qui aufugit, ſatis prodit ſe quippiam in animo habere, quod præter honeſtatem ſanctitatemque religioſam eſt, quod neque ſuperiorum oculi neque confratrum pati poſſent: cùmque hæ excurſiones facinoris alicujus gravioris præbeant ſuſpiciones, non modicam toti adferunt communitati turbationem. Tametſi verò nullius criminis patrandi intentione, ſed ex mera levitate quis hoc audeat, proxima tamen præparatio eſt, ſenſimque extinguitur conſcientia manſionis abſolutæ ex Ordine, dum guſtatur & ſapit modico iſto furtivo hauſto; quo tandem inſatuata mens, apertam concupiſcit, liberam, plenamque ejus fruitionem; & tandem poſitâ verecundiâ illi ſe projectè immergit. Quid denique expectandum eſt ovi per ſilvam ſolitariè oberranti, filiæ per plateas extra domum paternam vaganti, civi extra mœnia civitatis obſeſſæ obambulanti, militi extra ſtationes excubiaſque aſſignatas excurrenti, & ſeſe in popina recreanti? Certè non niſi extrema pernicies.

Quartò, *Proprietas contra votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* Iterum converti ad res temporales affectu proprietario contra factam Domino ſponſionem, & de iis idola ſibi facere, quid eſt, niſi Deum verum abnegare, qui ſolus eſſe debuerat noſtra portio? Quod autem Sapiens de antiqua craſſaque pronuntiat idololatria, verè credere debemus de ſpirituali hac & ſubtiliori, quam maledicta committit proprietas: *Infandorum idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis.* Et (Sap. 14. verſ. 27.) quia rebus afficiuntur viliſſimis, evenit eis id, quod imprecatur Pſalmiſta: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis*, (Pſal. 113. verſ. 8.) viles ſcilicet, temporales, in fine conterendi, atque in cineres redigendi. Videre mihi videor in eis Rachelem furantem idola patris ſui, *quæ feſtinans abſcondit ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper.* (Gen. 31. verſ. 34.) Stramineis excuſationibus celare conantur tecnas ſuas, & furtum earum. Quid enim ajunt? Neceſſarium eſt aliquid recondere, cùm ſuperiores avari daturi non ſint, quæ deſideramus: infirmitatibus obnoxii ſumus, quas declarare quotidiè, grave nimis eſt: expedit habere quippiam ad manum dandum amicis, ad devotionem amicitiamque Ordinis conſervandum: alii ſimilia habuerunt particularia. Multis ſimilibus ſtramentis ſuas palliare ſtudent proprietates; ſed oculis omnia videntis Dei numquam poterunt, qui ſimilem cum Jacob protulit ſententiam: *Apud* (Verſ. 32.) *quemcumque inventi fuerint* dii falſi, *necetur coram fratribus ſuis.*

Quintò, *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.* Sciens Franciſcus carnis fragilitatem, (Cap. 11. Reg.) filios ſuos à ſuſpectis abſterruit conſortiis & conſiliis mulierum; ſed intricatis jam inter muliebria retia, vehementius eſt neceſſarium remedium; ſiquidem *non dabunt cogitationes* (Oſeæ 5. verſ. 4.) *ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Blandas dehortationes non audit furor iſte carnalis; ſecuri indiget, ad radicem ponendâ, quam validi tenent Superiores; ideoque per hos conveniebat hujus criminis ſuſcipi medicationem: maximè cùm à turpi illo peccato ſemper Ordinis ipſius immineat infamia, cui commodiùs à Prælatis occurritur.

Sextò, *Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcumque perſonæ.* Quòd ſi divina lex præſcribit in Exodo: *Bos cornupeta, qui* (Exod. 21. verſ. 29.) poſt monitionem domino factam reclusus non fuerit, *occideritque virum aut mulierem, lapidibus opprimetur, & Dominum ejus occident*, quod utique diſpoſuit Deus in homicidii deteſtationem; quantò debet acerbiorem expectare correptionem, qui occiderit voluntariè? Quomodo non expaveſcat facinus illud homo Chriſtianus, cui etiam iraſci & dicere fratri ſuo *Raca* vel *Fatue* prohibetur; (Matth. 5. verſ. 22.) Imprimis autem execrandum eſt, religioſum hominem ſub pelle venientem ovina, pacis præconem, & Angelum exiſtimatum, belluinam induere & exercere ferocitatem, peſſimi Caïni, imò ipſiuſmet diaboli ſpiritu furere, qui dictus eſt homicida ab initio. Si contingat facinus hoc forum latêre externum, certè in foro ſecreto compenſanda juſtitia eſt.

Septimò, *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum, à ſuperioribus ad inferiores & ab inferioribus ad ſuperiores.* Hoc facientes mutuam deſtruunt inter caput & membra confidentiam, jus neceſſarii violant ſecreti, rixas ſuſcitant inextricabiles, graviterque

que offendont tum scribentes, tum recipientes, qui indignantur sua evulgari secreta ; onde etiam inimicitiæ, conspirationes & impedimenta pacifici certique regiminis suscitantur.

Octavò, *Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.* Hæc est injuria in primam directè tendens veritatem, & per quam justitia suffocatur, reusque frequenter absolvitur, & innocens condemnatur. Vidit Zacharias Propheta volumen volans, è quo judicandi erant
Zachar. 5. vers. 3. iniqui, & dixit ad eum Angelus : *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ : quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur.*

Nonò, *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.* Qui carnaliter lapsi sunt, solent ampliùs mundanam timere infamiam, & onera prolis alendæ, quàm ipsam Dei fulminatorem iram ; atque inde animantur ad horrendam tenelli corpusculi occisionem, animæque damnationem perpetuam. Cùm verò scelus illud fiat secretissimè, nec relapsuris afferri possit medela nisi in foro secreto, meritò ad severiores fuit judices revocandum.

Decimò, *Falsificatio manûs aut sigilli officialium Monasterii vel Conventûs.* Quia per hanc plurimùm perturbatur politia, adhibeturque ad alia quædam facinora liberiùs perpetranda, expedit, ut hæ fraudes innotescant superioribus. Quæ notitia licèt nil prosit ipsis ad præoccupationem errorum per istas sparsorum falsificationes, possunt tamen instruere noxios, qualiter eos corrigant atque resarciant, & ostendere, quæ damna perturbationesque inde ortæ sint vel oriture, ut decepti per ficta ista instrumenta, aliquo saltem prudenti modo, serventur immunes.

Undecimo, *Furtum de rebus Monasterii, in ea quantitate, quæ sufficiat ad mortale.* Hoc imprimis damnabilem secum implicat proprietatem, deindè perturbationem suscitat, magnumque scandalum in communitate : demum occasionem præstat rei summopere inter Reformatos Fratres cavendæ, quòd sub sera claudantur cellæ, cistæ & armaria, non expectatâ ad hoc superiorum licentiâ, contra essentiales regulas vitæ communis.

Duodecimò, *Pollutiones voluntariò procuratæ.* Cùm adeò abominabile sit hoc peccatum, ut ratione ipsius in Conventum aut Ordinem integrum ira Dei provocetur, Ignorantibus probis Religiosis, unde publicæ aliquæ invectæ sint castigationes, provida gubernatio acriorem in hoc exigit severitatem. Adhiberi autem non potest nisi in foro Sacramentali, cùm delictum secretissimum sit : cui tamen mederi summopere necessarium est, ne liberius manens, viam sternat, audaciamque præparet ad scandala publica & turpitudines externas.

Decimotertiò, *Inobedientia contumax.* Communior atque vehementissima tentatio in personis Religiosis est circa obedientiam sub beneplacito superiorum, in materiis præsertim vehementer displicentibus. Cujus mortificationis difficultate consideratâ, discreti superiores patienter plurimas dissimulant inobedientias, vel castigationibus reducunt levioribus ad subjectionem. Verùm dum crescit eò usque, ut in contumaciam abeat diutinè perseverantem, tunc non solùm externæ pœnæ sunt contumacibus illis decretæ ; sed cum delectu quoque confessarii assignantur, qui norint crimen istud, præcipuo contrarium voto, judicare atque sanare.

Libet materiam hanc concludere, vehementi ad peccatores exhortatione, quam æstuantissimus noster pœnitens B. Bartholomæus
Salutius edidit : *O peccatores, peccatores, revertimini ad Deum, relinquite diabolum, abscedite à* In Prolog. de 7. Tubis.
mala via, quâ ambulatis. Redite, Fratres, ad vestrum Creatorem, parate viam animæ vestræ, quà amantissimus Jesus venturus est ad vos inhabitandum. Fugate, miseri, ex anima vestra execrabiles dæmones, qui in cordibus vestris sibi nidum extruxerunt. O miseri, nondum sentitis animas vestras esse cavernas plenas serpentium atque draconum ? En amantissimus Jesus foris stat pulsans & clamans : Aperite mihi, aperite, aperite Filii mei. Cur igitur inimicos vestros domi vestræ relinquitis, benignissimum verò Patrem vestrum foras excluditis ?

TEXTVS & §. IV.

Teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere.

SVMMARIVM.

Superior comparatus Davidi, cytharâ percutienti, & sic refocillanti Saulem arreptum à spiritu malo. Expediens est, peccata reservata ipsi superiori confiteri ; quia omnia bona Sacramenti Pœnitentiæ sic meliùs obtinentur. 1. Major humiliatio. 2. Plenior satisfactio. 3. Certior animæ curatio. 4. Clarior instructio de peccatorum enormitate. Nequitia quorumdam, conantium obstruere os superioris, confitendo ipsi sacramentaliter.

1. Reg. 16. vers. 17. Cum spiritus malus exagitaret regem Saul, dixit ad servos suos : *Providete mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me.* Et adduxerunt David filium Isai. *Quandocumque* Vers. 23.
verò

verò *spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Per Saulem, qui electus à Domino, oleique lenticolâ delibutus, recessit tamen postea in viam malam, nec voci Domini obedivit; intelligi potest Religiosus, quem postquam unxit Deus unctione misericordiæ suæ, è tot millibus mundanorum ad statum vocandu monasticum, immemor tamen tanti sibi collati beneficii, atque initæ cum Domino sacræ sponsionis, transgreditur Dei mandata, & rursum ad miserabilia conversus mundi oblectamenta, à spiritu malo continuis exagitatur tentationibus. Pro hujus curatione providere atque adducere necesse est virum aliquem bene psallentem. Iste erit David, sive Superior, quem Deus *in medio fratrum ejus* in Prælatum *unxit* atque Rectorem. Hic *tollet cytharam*, devotæ orationis & efficacis adhortationis, *quandocumque spiritus malus*, ipsius *arripuerit* subditum, *& percutiet manu suâ*, facto præstans, quod monet sermone: *& refocillabitur* peccator, *& leviùs habebit*, sermonibus optimis & exhortationibus sublevatus, *recedetque ab eo spiritus malus* & peccatum, collatâ gratiâ Sacramentalis absolutionis. Has utilitates probè cognoscens Seraphicus, præscribit, ut si qui Fratrum instigante inimico, peccatum mortale commiserint, Ministris Provincialibus reservatum, *teneantur ad eos recurrere*, ut refocillentur, & leviùs habeant, malusque spiritus ab eis penitus abigatur. Certior proveniet ab ipsis Prælatis animarum curatio, unde foret optabile, ut quicumque fratres in graviora fuerint prolapsi peccata, eò usque vincerent semetipsos, ut ipsos potiùs Superiores, quàm alios adirent deputatos. Ratio est, quia bona singula, quæ Deus in tribunalis hujus intendit institutione, luculentiùs acquirentur & certiùs hâc erga Superiores confidentiâ. Videamus per singula.

Primò, Instituit Deus legem confitendi ad humiliandum peccatorem, qui se adversùs Creatorem contumeliosè atque arroganter erexerat. *Hæc sunt* enim *vera humilitatis insignia, iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire.* Nullâ meliori ratione placari potest concitatus Dei furor, quàm humiliatione.

Greg. moral. lib. 22. cap. 13.

Hæc dicit Excelsus, inquiebat Isaias, *& sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen ejus in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum.*

Isaiæ 57. vers. 15.

Unde quò major humiliatio, eò major certiorque clementia Domini miserentis. Porrò quis nescit majorem esse humiliationem, coram uno gravi viro atque intelligente suas confiteri miserias, quàm apud vulgarem simplicemque Fratrem, æqualem in imperfectionibus, neque defectus adeò ponderaturum. Innata subditis ad superiores reverentia verecundiam auget, quam superasse, heroicum apud Deum reputabitur.

Secundò, Instituta est Confessio, in justam peccatorum castigationem. Hinc à summo decretum est Judice, ut in die novissimo spirituum omnium oculis, cunctorum manifestentur peccata, quò prævaricatores intolerabili hoc confusionis flagello in justam verberentur vindictam. Ad avertendam universalem illam æternamque verecundiam, prævenimus faciem Domini in Confessione, momentaneam voluntariè coram uno homine subeundo. Super quo assecurat nos D. Joannes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

1 Joan. 1. vers. 9.

Quò verò majorem in confitendo patimur verecundiam (quod jam diximus coram superiore fieri) eò sibi pleniùs satisfactum censebit Deus, & in diminutionem aliarum computabit castigationum. Recalcitranti verò naturæ, & suggerenti mala varia nobis esse eventura, si Prælatus conscius fiat statûs nostri interioris, objiciamus Joannis Climaci doctrinam: *Ad conservandam*, inquit, *fidem semper versùs pastores nostros, necesse est tenere in memoria utilitates spirituales, quas recipimus ab eis, ut quando dæmones conantur seminare in corda nostra infidelitatem contra eos, imponamus eis silentium, & ab ea cogitatione discedamus, sicut à fornicatione.*

Gradu. 4.

Et post pauca: *Non celent eis cogitationes suas, sed à principio confiteantur peccata sua judici spirituali, & etiam dum mandaverit, confiteantur ea coram omni populo; quia qui detegit vulnus suum, non deteriorabitur, sed citò salvabitur.* Deindè subjungens factum mirabile, factique fructum, dicit, quòd dum latro quidam admitti peteret ad monasterium, dixit Abbas: Volo scire, quidquid inhonesti fecisti in hoc mundo; statimque ille confessus est omnia peccata sua. Abbas tentativè dixit se velle, ut manifestaret ea coram omnibus fratribus: & ille promisit facere, quia jam oderat peccata. Congregatis ergò ducentis & triginta fratribus, latro nudus, & manibus post terga ligatis, tractus fune & ab alio verberatus, ingressus est; cui permissum est edicere omnia: quæ sanè horribilia erant. Rogatus postea Abbas, cur id fecisset, respondit inter rationes alias: quia per hanc confusionem liberatus fuit à confusione finali, recepit enim remissionem omnium peccatorum, antequam surgeret à pavimento. Visus est enim aliquis ei adstare, & singillatim peccata ex charta delere, sicut confitebatur, juxta verbum Propheticum: *Dixi, Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Psal. 31. vers. 5.

Si tantam gratiam confessio potuit extra-sacramentalis impetrare; quid censebimus de Sacramentali?

Tertiò, Confessio instituta est, ut propalatis vulneribus & infirmitatibus, possit spiritualis medicus, congrua præscribere remedia pro præteritis, & antidota pro futuris. Credendum autem est, Superiorem non modò peritiorem esse cæteris ad medendum, verùm etiam attentiore id acturum affectu, quia officii ratione ampliùs obligatur ovium suarum curare salutem. Gaudio gaudebit, inveniens ovem, quæ perierat, & tamquam pastor, eam ad ovile, atque Patris æterni gremium reportabit. Petro mandabat Dominus instante suâ passione: *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, ad hoc eum necessariâ instruens gratiâ.

Luc. 22. vers. 32.

Credimus similiter Successoribus ejus, & proportionali-

naliter Pastoribus omnibus, idem factum esse mandatum, eandem infusam dilectionem, gratiamque communicatam, quâ titubantes fratres suos valeant confirmare.

Quartò, Cùm ordinariè peccator ex passionum vehementia, inflictaque mentis cæcitate, non satis peccati sui magnitudinem apprehendat & impietatem, adigitur illud alteri declarare, qui clariùs in causa dijudicet alienâ, perque sufficientem informationem, congruum valeat excitare timorem atque dolorem. Hoc meliùs præstabit Superior; ut cui, tamquam pastori, peccata soleant ampliùs displicere: & qui suâ firmatus auctoritate, non reformidet pœnitenti eorum explicare gravitatem. Grave quidem est semi-pœnitentibus quibusdam hæc audire, maluntque cum mollioribus agere palponibus, vel cum excusatoribus iniquitatum, vel cum mutis stipitibus, qui leviter absolvant & inconsideratè. Languidis illis judicibus suis, qui pusillanimi nimis dissimulatione, peccandi confirmant audaciam, improperabit in judicio Dominus illo Prophetico
Ezech. 13. verbo: *Confortastis manus impii, ut non reverteretur à via sua mala, & viveret.* Semi-pœni-
vers. 22.
tentibus autem & mutos quærentibus confessarios, idem intonabit quod idola retinentibus, & accedentibus tamen ad Prophetas paci-
Ezech. 14. fica loquentes: *Ponam faciem meam super il-*
vers. 8. *lum hominem, & faciam eum in exemplum & in proverbium, & disperdam eum de medio populi mei, & scietis, quia ego Dominus.* Misericorditer aliquando monitus est quidam Frater in hunc abductus errorem. Jacuerat aliquamdiu in peccatis suis, nihil de seria cogitans pœnitentia. Apparuit ei anima defuncti alicujus confratris è purgatorio liberata, monuitque, ut suum adiret Guardianum, eique confiteretur, & lubens imponendam sibi exequeretur pœnitentiam, quo liberaretur ab eo, in quo versabatur, salutis periculo.

Dum autem suademus subditorum ad Superiores confidentiam sincerumque recursum, cavendum hîc est à pessimo quodam hypocrisis genere, quo postularet aliquis instinctu maligno Superioribus confiteri, timens, ne crimina sua ad externum eorum tribunal discutienda trahantur & condemnanda; ideoque volens strictissimâ secreti Sacramentalis obligatio-
ne os obstruere Superioris: *Væ duplici corde, &* Eccl. 2.
labiis scelestis. Cor certè duplex; fraudulenter vers. 14.
quærens immunitatem in foro externo, & suum duplicans reatum in foro Dei. Hominem ejusmodi solicitè præmonet idem Ecclesiasti-
cus: *Ne accesseris ad illum duplici corde, ne fueris* Eccl. 1.
hypocrita in conspectu hominum, & non scandali- vers. 37.
zeris in labiis tuis. Et subdit pœnæ comminationem: *Attende illis, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet Deus absconsa tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallaciâ.* Justo quandoque judicio disponit Deus, ut qui studuerunt hoc modo secretas tenere suas malitias, postmodum obliti sui-ipsius, apud æquales non possint suam continere linguam, ut res tandem aliundè quàm per confessionem sacramentalem ad Judicum deveniat cognitionem.

TEXTUS & s. V.

Quàm citiùs poterunt, sinè mora.

SVMMARIVM.

Per figuram insignem docetur Pœnitentibus acceleratio. Eam accelerationem impediunt. 1. Defectus fidei de divinæ rigore justitiæ, & præsumptio de misericordia. 2. Spes longioris vitæ. 3. Desperatio, contra quam ibi præclarum exemplum adducitur, & ad apostatas adhortatio. 4. Exemplum aliorum peccantium. 5. Inveterata peccandi consuetudo. Prævenienda facies Domini in Confessione.

ABraham Patriarcha, apparentem sibi Dominum in convalle Mambre, hospitio suscepturus, festinavit in tabernaculum ad Sa-
Gen. 18. ram, dixitque ei: *Accelera, tria sata similæ*
vers. 6. *commisce, & fac subcinericios panes.* His panibus tractandum Dominum fecit apud se requiescere. Moraliter, tria sata similæ tres partes Pœnitentiæ sunt, Contritio, Confessio & Satisfactio. Si desideras, O peccator, in tui cordis hospitio habere adventum & mansionem Dei: *Accelera:* hæc *tria sata similæ commisce,* & subige aquis lachrymarum, *& fac subcinericios panes* Pœnitentiæ, quorum faciebat Re-
gius Propheta mentionem, dicens: *Quia cine-* Psal. 101.
rem tamquam panem manducabam, & potum vers. 10.
meum cum fletu miscebam. His panibus, hoc potu, allicietur & revocabitur Dominus Jesus ad animæ habitaculum, unde per peccatum fuerat elongatus. Hinc cùm ejusdem sanctissimi pœnitentis anima desideraret ad Deum, quemadmodum cervus ad fontes aquarum, hoc
fuit usus adminiculo. *Fuerunt*, inquit, *mihi* Psal. 41.
lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi vers. 4.
quotidiè: Ubi est Deus tuus? Sanissimo igitur con-

consilio, S. Pater Noster, fratribus suis ad Dei gratiam redituris, à quo recesserant per peccatum, præscribit ad Ministros recurrere, pro facienda pœnitentia, *quàm citiùs poterunt sinè mora*: quasi dicens unicuique: *Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes.* Istis reficiendus est Dominus, si ad tuum diversurus sit habitaculum. Itaque *accelera*, & fac *quàm citiùs poteris, sinè mora*, ne tam desiderabilis hospes prætergrediatur. Ut autem possit meliùs quæcumque damnabilis mora circa pœnitentiam agendam rescindi, juvabit scire ex quibus causis soleat provenire.

Prima causa est, iniqua persuasio, quòd in suis hærentem peccatis non visitabit judex, nec multitudinis scelerum recordabitur. Sic abutitur impietas patientiâ Dei, ut credat scelerum fore fautricem, & quidquid à Sanctis dictum est ad erigendum spem sanctam revertentium ad Dominum, in blasphæmiam divinæ vertitur justitiæ & sanctitatis, atque in

Eccl. 5. vers. 6.

propriarum stabilimentum nequitiarum. *Ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira citò ab illo proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Ideo placeat tibi acceleratæ pœnitentiæ consilium: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Eâ potissimùm ratione misericordiam illis denegat Deus, quòd iniquè de ipsius cogitârunt misericordia; & iniquè cogitantes, egerunt iniquiùs. Similis olim deceptio, divinæque justitiæ incredulitas occupavit Judæos, dum à S. Jeremia sibi consulere monerentur; & quia credere noluerunt, in tri-

Thren. 4. vers. 12.

stem abducti sunt captivitatem. *Non crediderunt reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Jerusalem.* Quod fusè narratur Jeremiæ 26. & sequentibus.

Secundò, Alios retinet spes futuri spatii sufficientis ad pœnitendum, & ad ineundam

Eccl. 5. vers. 8.

cum judice reconciliationem. His dicitur: *Non tardes converti ad Dominum: & ne differas de die in diem; nescis enim quid paritura sit superventura dies.* Super quo sic commentatur

Hom 22. in 2. Cor. 10.

Chrysostomus: *Periculum & metus est in differendo: salus verò certa & secura, si nulla sit dilatio. Ne dicas: Erit aliquando tempus quando converti licebit. Verba enim hæc valde Deum exasperant. Inebriatus es? veneri indulsisti? rapuisti? Siste jam gradum, verte te in diversùm. Confitere Deo gratiam, quòd non in mediis peccatis te abstulit: ne quære aliud privilegium ut malè opereris. Multi dum aliis damnum fraudulenter facerent, subitò perierunt, & ad manifestam judicium abierant. Time ne & hoc tu patiare inexcusabilis. Sed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima senecta confiterentur. Quid igitur? Numquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis. Cur dicis, Fortasse? Contigit aliquoties? Cogita, quòd de anima deliberas: proinde etiam de contrario cogita, & dic: Quid autem si non det? Quid autem si det, inquis? det quidem ipse: verumtamen hoc illo certius & utilius, &c.* Hucusque flumen aureum Chrysostomi. Itaque *Ne tardes converti ad Dominum, &c.* Si morsu serpens alicujus apprehenderit digitum, nemo tardat excutere. Vade, & tu fac similiter.

Eccl. 21. vers. 2.

Quasi à facie colubri fuge peccata, dentes illius interficientes animas hominum. Nunc offert Christus pro morsibus illis medelas Sacramentorum; si non eas acceperimus in tempore opportuno; *vado*, inquit, *& quæretis me, & in peccato vestro moriemini.*

Joan. 8. vers. 21.

Acquiescamus igitur salutari ejus monitioni: *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.*

Joan. 12. vers. 35.

Dum declinat dies, estque periculum ne viator extra civitatem excludatur, currere solet, atque omninò moras præscindere inutiles: qui verò tempus terit, per prata vagatur & flosculus, aut stertit in via, venit dum clausa est janua, & audire debet: *Nescio vos*, manete in tenebris exterioribus, ubi erit fletus & stridor dentium.

Tertiò, Alios tristes videmus & desperabundos, & intrà se lamentantes: *Infirmata est virtus mea. Dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere.*

Thren. 1. vers. 14.

Nec de facto surgere conantur & fugere, quia per plurimorum experientiam lapsuum finxerunt sibi firmiter impossibilitatem abstinendi. *Non credit*, qui ejusmodi est, *quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.*

Job. 15. vers. 22.

Nescitis, o miseri! quoniam inexhausta est Domini miseratio, & quantùm distant cæli à terra, sic corroboraverit misericordiam suam, ne ullis corrumpatur criminum exhalationibus. Digniùs & rectiùs de Domino sentiebat, qui canebat corde pleno: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum: & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

Habac. 3. vers. 18.

Verè *quasi pedes cervorum* habet, qui surgit celerrimè, atque è facie fugit venatorum, & *super excelsa* evadit suæ vocationis. Turpiter lapsus fuerat F. Stephanus Hungarus, qui solemniter professus fuerat Mahometismum feriâ sextâ hebdomadæ sanctæ. Ipsi quadam vice splendidè obequitanti mulier quædam Christiana dixit: Frater Stephane, utinam te brevi videro caudâ equinâ per totam civitatem trahi ad supplicium, in honorem & confessionem Christi, sicut hodie in ejus contumeliam adeò sublimè equitantem cerno.

Annal. Tom. 3. ann. 1234. num. 7.

Hoc verbum prudentis mulieris factum est in corde ejus veluti sagitta acuta. Cùm etiam quidam F. Michaël per servum fratrum, Henricum nomine, clam misisset ei litteras admonitorias, respondit in hanc formam: *Peccavi sicut Judas: non tamen sicut ille, despero. Noveritis ab errore Dei gratiâ me conversum. Si latere absque periculo vestro possem, carceres perpetuos subire paratus sum: si secus, colloquium desidero, ut pro Christo publicè occumbam, quem sic publicè abjuravi.* Coram Guardiano deindè secretò comparens, culpam cum gravissimis confessus ejulatibus, ait inter alia: *Filius æternæ mortis sum, nisi pro Christo moriar: nihil cunctor, nihil vereor: Superest apud me habitus Religionis, vultis ut abjectis profanis, in illo solo compareum?* Respondit Guardianus: sublimis indueris habitu, coram Cadi (Mahometicæ sectæ summo Præfecto) apparebis, & factâ fidei pro-

fessione, dissecabis & distrahes profanum novitatis tuæ indumentum, & sic apparebis verus Frater Minor mente & cucullâ. Quo audito Stephanus, fratrum se orationibus commendavit: *Orate*, inquit, *pro me, quia ad certamen accedo.* Die verò Lunæ ante meridiem, spiritu plenus, fanum Saracenorum, in quo ferme decem millia convenerant, ingreditur. Intranti, ex officio Nobiliores assurgunt. Ipse verò ad suggestum accedens, silentium manu indicit (omnibus suspensis, & expectantibus aliquam de more concionem audire, in suæ superstitionis confirmationem; ut qui ejus scientiâ præsumebant, & blasphemiis in Christum aures patulas habebant) atque ita exorsus est. *Ego per viginti quinque annos nomen Christo dedi, legem ejus vidi nihil mali continere, esse salutarem & veritatis plenam: inter Saracenos per tres tantùm dies apostata existens, mala omnia & mendacia regnare comperi: legem vestram, superstitionem & mendacium & peccatum esse: Mahometem autem legislatorem pseudo-prophetam & seductorem. Confiteor itaque Christum verum esse Dei Filium & Salvatorem mundi, & B. Mariam matrem ejus semper virginem: vestramque superstitionem totâ intentione & animo abjuro & detestor.* Quibus dictis vestes Saraceni ritûs excidit & abjecit, & in solo monastici instituti habitu, quem subtùs gerebat, permansit. Insurgunt ad hæc in ipsum Saraceni, lapidibus, fustibus, & quibuscumque ad manus oblatis, alapis, pugnis, calcibus contundunt & protundunt. Exclamat Cadi, ut occisioni ejus supersedeatur, & ex lege reservetur flammarum incendio. Ignibus deinde tertiò applicatus, semper iis miraculosè superior evadit: tandemque post atrocissima tormenta, in confessione nominis Jesu Christi constans & exultans, gloriosus martyr vulneribus confossus & laceratus gloriosè occubuit die 22. Aprilis anno 1334.

Hinc exemplum capiant apostatæ, quos à revertendo ad ovile suum, horror impedit subeundi pœnitentiam, & satisfaciendi justitiæ. *Leo*, inquiunt, *est in via, & leæna in itineribus.* Similes sunt insano illi homini, qui umbrâ suâ ad parietem apparente, velut atro terretur gigante, & progredi expavescit. Fortissimis etiam retardantur nexibus delectationum in peccatis, propriisque voluntatibus. Guttula suavitatis ita miserum dementat hominem, ut gustum extinguat Dei, ut de eo nil cogitet ampliùs, & velut ebrius in media jaceat via expositus supervenientium crudelitati latronum. Unde Isaias: *Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum: sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. Idcirco audi hoc paupercula & ebria non à vino. O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis*, apud impiam & apostatricem hæreticorum congregationem.

Prov. 26. vers. 13.

Isa 51. vers. 20.

Zachar. 2. vers. 6.

Quartò, Alios in malis suis detinet sui similium exemplum, qui eamdem viam latam ingrediuntur. Refert Guevarra nostra Imperatorem Trajanum interrogasse semel Plutarchum, qui fieret, quòd plures mali in mundo quàm probi reperirentur. Cui respondit: *Cùm inclinatio nostra proclivis sit ad malum, pernicies ejus est, quòd in hoc gens facilè sequatur gentem, non autem ratio sequatur rationem:* dicens exemplum plurium præcedentium causam esse sequentium plurium improborum. Ad quod, eodem sequitur argumento, multitudinem hæreticorum in peccatis, securitatem addere cæteris, in eisdem absque timore persistendi. Hinc *peccator homo vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem:* alios scilicet, quorum comparatione se reputabit innocentem. Sed utinam in exemplum sumerent alacriter fugientes à propria iniquitate, atque ad Patrem sinè mora recurrentes! D. Gregorius allato Sancti Pauli verè pœnitentis exemplo, ait: *Hinc colligendum est, quantâ debemus sollicitudine meliorum vitam conspicere, nos qui in infimis jacemus, & hi qui jam tantâ sanctitate sublimes sunt, ut per humilitatis gressum ad majora proficiant, adhuc quærunt in aliis quod imitentur.*

Orat. Re lig. cap. 9.

Eccl. 32. vers. 21.

Lib. 24. Moral. cap. 12.

Quintò, Pœnitentiæ remora est peccandi consuetudo, quâ fit, ut perdatur omnino propriæ turpitudinis apprehensio, salutis æternæ memoria, conscientiæ monitorium, & timor reddendarum rationum. Serpit vulnerum putrefactio, donec in mortiferam transeat insensibilitatem, & post insensibilitatem in finalem impœnitentiam, & damnationem sempiternam. Vincula & alligaturæ Samsonis semper in deteriùs ibant. Primùm nerviceis funibus necdum siccis & adhuc humentibus ligatus est: postmodum novis funibus, qui numquam fuerunt in opere: demum crinibus licio circumligatis in terra confixus; donec detonsis captus est. Credebat miser, quando voluntaria erant vincula, pro voluntate liber evadere, vel abrasis crinibus: *Egrediar*, inquit, *sicut antè feci, & me excutiam, nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus. Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* O quàm hic ad vivum refert peccatorem! His solùm vinculis pro hac vice ligabor, mox egrediar ac vincula dissolvam. Iterum arctiùs constringitur: *Egrediar sicut antè feci.* Tandem oneratus catenis, quibus volens constrictus est, cæcus ad molam ligatur, ut in circuitu peccatorum perambulet. Minimè tamen desperet hujusmodi consuetudinarius peccator: liberare eum potest, qui Lazarum suscitavit quatriduanum in monumento. Modum edisserit D. Gregorius his verbis: *Mortuo Lazaro non dicitur: Revivisce; sed: Veni foras. Ut nimirum homo in peccatis suis mortuus, & per molem mala consuetudinis jam sepultus, qui intrà conscientiam suam jam absconsus jacet per nequitiam, à seipso foràs exeat per confessionem.*

Judic. 16.

Vers. 20.

Lib. 22. Moral. c. 13

Studeamus igitur quàm citiùs potetimus sinè mora misericordi Domino reconciliari, præveniendo faciem ejus in confessione. *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Utique facere judicium,*

Michææ 6. vers. 7.

tium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Scimus, quodnam in Ecclesia sua faciendum nobis instituerit *judicium*, quamque sit efficax ad quorumcumque remissionem delictorum. De illo Religiosis
Serm. 45. in Cantica scribens Gilbertus ait: *Convertere in ærumna tua dum configitur spina, delictum confitere, & operimenti pallium quo injustitias dissimulanter abscondis, sine ut tibi tollat. Noli pertinaciùs, noli strictiùs hypocrisis te pallio operire, involvere tegumento. Non convertetur ad te Jesus, nisi simulationis & fallaciæ à te fuerit ablatum velamen, quod tibi confusio quædam & displicendi metus prætexuit. Operuit confusio faciem conscientiæ, aufer velamen confusionis, confessionis induere. Nam & Dominus confessionem induit: confessionem non suam, sed tuam. Hoc se ornatum pallio reputat, hoc à te mutuatur, hoc illi pallium trade, quod affectuose tollit, quasi pignus amoris & reconciliationis signum.* Sanctus etiam Chrysost. ad idem nos invitans securissimum judicium, scribit: *Misericordis* In cap. 4. Gen. Hom. 20.
Dei & animarum nostrarum medici tanta est tamque ineffabilis bonitas & clementia, ut omnem transcendat rationem. Nam si adversarium nostrum prævenerimus, diabolum dico, qui in illo die ob faciem nostram stabit, & jam in præsenti vita antequam ad tribunal ingrediamur facinora confessi fuerimus, dicendique principium rapuerimus, nostri ipsorum factis accusatores, in tantam misericordiam provocabimus Dominum, ut non solùm nobis donet liberari à peccatis, sed & in justorum catalogo numerari.

TEXTUS & §. VI.

Ipsi verò Ministri si Presbyteri sunt, injungant illis pœnitentiam.

SUMMARIUM.

Virgâ vindicativæ satisfactionis educit Sacerdos pœnitentem ex Ægypto peccatorum. Severum sit Sacramentum Pœnitentiæ, quia Dei judicium est. 1. Quatenus ibi sacerdos gerit ipsius Dei personam. 2. Judicat causam Dei. 3. In Religiosis ulciscenda quoque læsio communitatis, in quam propter unius peccatum quandoque vindicta exoritur.

Moyses accepturus à Domino commissionem profectionis in Ægyptum, virgam tenebat in manu sua; quam ut projecit in terram,
Exod. 4. vers. 3. *versa est in colubrum*, ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus: *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit, versaque est in virgam.* Noluitque Dominus eam deinceps ab eo dimitti, sive in
Vers. 17. via, sive in Ægypto: *Virgam hanc*, inquit, *sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Cùmque id Moyses exequeretur, per eam percussit Ægyptum omni plagâ, populum Domini è
Corn. à Lapide in hunc locum. servitute potenter eduxit. Expositorum opinione, virga ista baculus erat pastoralis, per quem oves regebat Moyses in deserto. Disciplinam igitur significat, correptionem & castigationem subditorum. Hanc si è manu Prælatus abjiciat, vertetur *in colubrum* divinæ vindictæ, quam talis timere debeat Supe-
2. Reg. 3. rior; sicut in Heli Sacerdote, suorum dissimulante peccata filiorum, extitit comprobatum. Audi ergo Prælate verbum Domini: *Extende manum tuam, & apprehende* virgam.
Prov. 23. vers. 13. Placeat tibi monitum Sapientis: *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur.* Quin imò Ægyptum percuties, tenebrosum regnum vitiorum; subditum verò tuum ex illius erues servitute: *tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Itaque *virgam hanc sume in manu tua, in qua* Vers. 14.
facturus es signa. In præsenti textu Regulæ, ad Ministros Fratrum venit Franciscus, daturus eis vice Domini commissionem, ut filios suos ex Ægyptiaca peccatorum educant servitute, mandatque ideo, ut manum extendentes, virgam sumant & teneant disciplinæ; quâ Satis- Trid. sess. 14. cap. 8.
factionem imponant, quæ non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. *Ipsi*, inquit, *Ministri, si presbyteri sunt, injungant illis Pœnitentiam.* Hæc est virga percutiens Ægyptum, & liberans filium.

Quantam in exteriori foro licentiam creet remissa manus judicum, satis ex malorum inundantia in omni gradu & genere hominum elucescit. Cavendum ne similem præbeat nimia lenitas impunitasque in foro interiori. Coërcenda est timore aliquo peccandi audacia, saltem secreta ista committendi facinora, quæ nullibi cognosci possunt & judicari nisi in secreto Pœnitentiæ consistorio. Moyses legem promulgaturus judicibus pro causis externis hominum contra homines, dicebat: *Au-* Deut. 1. vers. 16.
dite illos, & quod justum est judicate: sive civis sit ille, sivè peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est.

Hæc ſanè ratio : *quia Dei judicium eſt*, multò convenientiùs judicio quadrat Sacramentali, ut proinde eum rigore juſtitiæ debeat in eo Sacerdos contra peccatores quoſcumq; procedere.

Primò, Quia Sacerdos hic ipſius ſummi Judicis perſonam agit, officiumque exercet. Cùm autem ſciat Dominum ſuum primarium in tantùm horrere peccata, ut nonniſi horrendis illa caſtiget ignibus, debet ipſe, cùm in ejus judicat perſonâ, aliquam ſaltem induere ſeveritatem : etſi non tantâ quàm Dominus ipſe, ſaltem aliquâ caſtigatione peccatori oſtendere, quantopere Judex ſummus ipſius facta abominetur. In myſtica viſione, viſi fuerunt *oculi ejus tamquam flamma ignis..... & pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti..... & de ore ejus gladius utrinque parte acutus exibat.*

Apoc. 1. verſ. 14. 15. 16. & 18.

Et ipſe claves habebat mortis & inferni. Hâc formâ voluit apparere Joanni, ut ipſum aliosque Apoſtolicos viros, quibus claves daturus erat pœnitentialis officii, inſtrueret, non modò pronuntiandam peccatoribus miſericordiam, verùm & exhibendam quandoque flammam ignis atque caminum ardentem, nec non utendum aliquando gladio oris ad interficiendam impietatem. Eſtque diſtrictio illa exercenda ſinè perſonarum acceptione : *Non accipietis*, inquit divina lex, *cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt*, qui ſinè perſonarum judicat acceptione.

Deut. 1. verſ. 16. 1. Petri. 2.

Tametſi pœnitentes delicatuli vel apud ſeipſos magni, dum ſeveriùs cum eis agitur indiſcretum judicent eum rigorem & ſcrupuloſum, non ideo Sacerdos à ſuo deficiat officio ; *quia Dei judicium eſt*, non naturæ, vel fori civilis, aut juxta mundanos agendum reſpectus. Juxta rationem & merita judicandum eſt. Dum peccator ulcus ſuum mortiferum diſcooperuit medico, fecit quod debuit ; quia verò non ſemper is animus eſt ægro ut manu propriâ ſcindat ulcus ; medici officium eſt adhibere novaculam, malumque reſcindere. Horreat, clamet, doleat infirmus, clementior eſt rigor aliquis quàm intempeſtiva lenitas, quæ latiorem agat corruptionem, profundioremque perniciem, unde plaga evadat incurabilis. Dum poſtea ſanitatem ſenſerit pœnitens, cordiſque tranquillitatem, laudabit amicam patris ſpiritualis crudelitatem. *Qui corripit hominem, gratiam plenam poſtea inveniet apud eum magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.*

Prov. 28. verſ. 23.

Tametſi virga illa paſtoralis, initiò immortificatis horrenda videatur ut coluber ; ſed in fine, cùm ejus fructum experientur, paternum agnoſcent eſſe gregis rationalis directorium ; nam, ut ait Apoſtolus, *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris ; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.*

Hebr. 12. verſ. 11.

Minùs hic timeodum eſt à pœnitentibus Religioſis, qui vitam profitentur pœnitentialem, & jam induruiſſe præſumuntur ad humiliationem : imò quorum obligatio eſt non modò propria plangere peccata, ſed ad Chriſti, agni Dei exemplum, tollere quoque peccata mundi.

Secundò, Hæc Sacramentalis actio *Dei judicium eſt*, quia ipſe quaſi pars eſt, reſtitutionem repetens honoris, quem temeraverat peccator, & qui non aliter reſtauratur, quàm per ſupplicium aliquod inflictum offendenti, taliter cenſente juſtitiâ & ratione communi. Cùm igitur Sacerdos in cauſa hac judex conſtitutus ſit Deum inter & hominem peccatorem, à quo honor repetitur ablatus ; quâ ratione reo favebit potiùs judex, fortaſſis in malitia perſeveraturo per Indulgentiæ facilitatem, quàm ipſi Domino cujus obligatur honorem tueri ? Reputabitur ſanè perſonarum acceptor, ſi homini potiùs tamquam concertaneo faveret & complici, leviſſimam ei imponendo ſatisfactionem, quàm Regi cœleſti tam turpiter inhonorato. Perverſum Pilati judicium, quòd cùm judex ipſe eſſet inter Chriſtum & Judæos ipſum infamantes, virum ſe non oſtenderit, ut nomen tueretur vitamque innocentis, ſed magìs ſecutus turbam ad faciendum malum, peccatoribus acquieverit in Regem proprium inſanientibus. Aliter B. noſter Rogerius, qui licèt in communi converſatione & ſtatu ſubditi eſſet benignus valde & affabilis : attamen aliis præfectus, ex zelo animarum & divini honoris, in correptionibus durus erat & inflexibilis, ita ut ipſos terreret innocentes. Ut impoſitas pœnitentias remitteret, quantumvis flexis genibus rogaretur, non poterat flecti, illâ adductâ ratione : *Moyſes mitiſſimus vir, & populo quem regebat ſummè addictus, ut ei Deus miſereretur & peccata dimitteret, inſtantiſſime orabat ; & aliundè ipſe non verbis ſed gladio illorum caſtigabat errores. Ego etiam*, inquiebat, *me teneri ſcio ut pro Fratrum peccatis orem, ſed Dei offenſam, ut ipſe faciliùs indulgeat, duriori debeo corrigere diſciplinâ.*

Annal. Tom. 2. ann. 1287. num. 11.

Tertiò, Alia quoque non levis ſubeſt ratio cenſuræ ſeverioris in Religioſos exercendæ ; læſio ſcilicet Ordinis totius ſive communitatis, ex peccato etiam ſecretiſſimo, propter quod inopinatum ſuboritur malum, & à Deo vindicta in cæteros alioquin innocentes. Achan filius Charmi contra Domini mandatum tulerat aliquid de anathemate Jericho, *iratuſque eſt Dominus contra filios Iſraël*, quorum tria millia pugnatorum *terga vertentes percuſſi ſunt à viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines*, pertimuitque cor populi.

Judic. 7. verſ. 1.

Vides, inquit D. Chryſoſt. *Quomodo unius peccatum toti populo vindictam accerſit ? Quomodo Deum adversùs multitudinem hoſtem reddidit ?*

Hom. 1. in Vidi Dominum. Tom 1.

Ob ſtultam numerationem populi quam David fecerat, *immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël, & mortui ſunt de populo à Dan uſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum.*

2. Reg. 24. verſ. 15.

Propter unius Jonæ peccatum tempeſtas oritur, & periculum omnibus imminet eidem connavigantibus. Qui dixerunt ad eum : *Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis ?* Et dixit ad eos ; *Tollite me & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis. Et tulerunt Jonam & miſerunt in mare : & ſtetit mare à fervore ſuo.*

Jonæ 1. verſ. 11. Verſ. 15.

Pari modo Sacerdos, ſi vult efficere, ut tempeſtas divinæ iracundiæ ſuſcitata ob unius peccatum, à tota ceſſet communitate, mittat peccatorem cum Jona confitentem in mare pœnitentiæ & amaritudinem ſatisfactionis, ut alii deſinant jactari. Magìs autem ſæviendum eſt, ſi ſcandaloſum fuerit delictum, & Ordini vel Eccleſiaſtico ſtatui aliquam intulerit infamiam, Fratribus interim mali ſui ignorantibus auctorem.

TEX-

TEXTUS & §. VII.

Cum misericordia.

SUMMARIUM.

Aptissima figura Misericordiæ resuscitandis peccatoribus adhibendæ. Eam Franciscus sui Ordinis Prælatis mirificè commendavit. Officia misericordiæ erga pœnitentes, sunt. 1. Dare confidentiam plenè confitendi, Deum pro eis orare, nec ostendere auditorum peccatorum horrorem. 2. Excitare ad Contritionem, & erigere ad spem veniæ. 3. Moderatas injungere pœnitentias.

4. Reg. 4. vers. 31. Giezi famulus Elisæi, missus ad mortuum Sunamitidis filium excitandum, *posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox neque sensus*; & reversus in occursum Elisæi, nuntiavit ei dicens: *Non surrexit puer.* Ingressus ergo domum Elisæus ubi jacebat mortuus, præmissâ oratione ad Dominum, *ascendit & incubuit super puerum: posuitque os suum super os ejus, & oculos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri.* At ille reversus deambulavit in domo semel huc atque illuc: *& ascendit & incubuit super eum: & oscitavit puer septies, aperuitque oculos.* Iste typus est Prælati, mortuam filii animam à peccato suscitaturi. Si solum baculum ei imponat rigidæ severitatis, frequenter non erit vox, neque sensus, & puer minimè resurget. Misericordiam oportet afferre cum judicio, ut benignâ Superior ad subditum condescensione, se ipsius accommodet miseriæ, incurvet se atque incumbat super puerum. *Os suum super os subditi ponit*, inquit S. Antonius Paduanus, *dum sic eis prædicat ut peccata sua confiteatur. Oculos super oculos ponit, dum pro cæcitate ejus lachrymas fundit. Manus super manus, dum pro ipsius perverso opere seipsum in bonis operibus exercet: atque sic dum propria calore charitatis mortuum refocillat, tandem vitæ restituit.* Hoc præclarè fecit Ordinis nostri Primicerius, ad quem dum Fratres reverterentur peccatores, liquescebat ad eos misericordiâ, neque cessabat universos monere rectores, ut recurrentes ad se peccatores omni colligerent atque foverent humanitate. (Ad Dom. 6. post Pent.)

Opusc. Tom. 1. Epist. 8. Inter alia, Fratri Heliæ, Generalem agenti Ministrum, scripsit aliquando in hæc verba: *In hoc volo cognoscere si tu diligis Dominum, & me servum suum & tuum, si feceris istud: videlicet quòd non sit aliquis Frater in mundo qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quòd postquam viderit oculos tuos unmquam recedat sinè misericordia tua. Et si non quæreret, tu quæras ab eo, si vult misericordiam. Et si ille appareret postea millies coram oculis tuis, dilige eum plùs quam me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, & miserearis talibus. Et istud denunties Guardianis, quando poteris, quod per te sic firmus es facere.* Hæc erat mens ejus pro quibuscumque pœnitentibus sive in Sacramento Pœnitentiæ, sive aliàs, ne per nimiam Prælatorum austeritatem dejicerent animos, & retrocederent. Sollicitam haberi voluit curam pro necessitatibus corporalium infirmorum; majorem autem reposcit misericordiam pro vulneratis animabus, atque ad mortem tendentibus æternam. In curandis autem infirmorum necessitatibus matrum affectum atque sollicitudinem nobis propositam voluit, quas summâ videmus anxietate pro malè affectis prolibus omnia possibilia quærere remedia, summâ eis compati teneritudine, quàm mollissimè tractare, totâ instantiâ vitam eis procurare & libertatem, si fortè propter delicta carceribus mancipati sint, atque in capitis versentur periculo. Quòd si matribus ipsis potestas committeretur judicandi, nemo ignorat quid acturæ forent pro effuso in filios amore. Hunc matrum affectum Franciscus confessariis demandavit, quibus solis perspectæ sunt spiritualium infirmorum miseriæ. Plùs matribus pios esse vult in fratrem suum spiritualem, ut eum ab ira Patris eripiat provocati, jamque parati eum in ardentem projicere fornacem inferni. Itaque si Franciscum amamus: imò si Christum ipsum verè diligimus, his misericordiæ officiis paupereulos suscipiemus peccatores.

Primò, Piâ charitate ac familiaritate eorum confirmabimus confidentiam ad suas detegendum miserias. Cùm enim confessuri magno soleant pudore atque timore coarctari, ars aliqua necessaria est ad solvendum vinculum linguæ eorum. Præceptio est Magni Gregorii sic scribentis: *In qua compassione necesse est, ut talem se qui præest exhibeat, cui subjecti quique occulta quoque sua pandere non erubescant, ut cùm tentationum suarum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad sinum matris recurrant, & hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio, & lachrymis orationis lavent. Unde & ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum, id est luterem duodecim boves portant, quibus pastorum ordo signatur: qui cùm condescensionis suæ patientiam abluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant, ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, & ab eodem abluatur.* Ad augmentum hujus necessariæ confiden- (Lib. 1. Epist. 24. & p. 2. Pastor. c. 5.) (2. Paralip. 4. vers. 4.)

fidentiæ recolenda veniunt, quæ suprà propo-
Ad cap. 6. § 22. 23. 24. & 25. suimus ad animaudum Fratres ut ostendant se domesticos inter se & securè manifestet unus alteri necessitatem.

Quòd si verecundiæ vis nullis vinci possit industriæ, humanitatis & persuasionis officiis, opportunè Confessarius orationem adhibebit ad Deum, cujus est suæ benignæ manus attactu ora mutorum & aures surdorum aperire. *Annal. Tom. 2. ann 1257. num. 14.* Infirmus quidam Franciscanus cætera confessus peccata, unum verecundabatur enarrare; sed in Sacramentalis ritus conclusione rogavit obnixè Confessarium, ut pro se tribulato sollicitiùs oraret. Intellexit animi ulcus, deprecatusque est seriò Dominum, ut periculoso mederetur discrimini. Vidit nocte sequenti pœnitens Christum, in throno sedentem, plures angelos pro se deprecantes, ut misereri vellet animæ periturae; demùm post cæteros idipsum orasse Confessarium, & feliciter exorasse. Summo mane fecit ad se vocari, & omni seposito rubore, suo cavit damno, cuncta plenè confessus, paulò post magno gaudio in Christo requiescens. Sic obstetricante manu Dei educendus est coluber tortuosus è cordis humani penetralibus, in quo latere studet, suasque latebras tueri. Quòd si exorcismis & orationibus è corporibus pelli potest diabolus, cur non etiam ex animabus?

Confessionalis cap. 1. p. 4. Alterum quoque hîc cavendum monet Seraphicus Doctor, ut cùm pœnitens miserias suas inceperit aperire, Confessor non horreat ejus peccata, quantumcumque enormia, turpia, magna, inaudita, vel inusitata sint. *Deut. 23. vers. 7.* *Non abomineris Idumæum* ait Dominus, *quia frater tuus est: nec Ægyptium.* Idumæus qui *rufus* vel *rubens* interpretatur, peccatorem significat confusionis rubore dignum; Ægyptius qui *angustia* dicitur vel *tribulatio*, eumdem designat peccatorum angustiis tribulatum. Atque ad comprimendum horrorem & contemptum enascentem, remittit nos Bonaventura ad interiora nostra; vel enim confessor fuit, vel est, vel erit in similibus peccatis vel majoribus, si Deus manum suam subtraxerit adjutricem. Considera igitur teipsum, ne & tu tenteris. Non sanctos Angelos instituit Deus pœnitentium judices peccatorum, sed homines, experientiâ propriâ humanæ conscios fragilitatis; qui cùm & ipsi peccatores sint, ex iis, quæ experti sunt, benignam discent compassionem, tantoque clementiùs cum filiis suis agent revertentibus. Istius misericordiæ formam monstrare volens D. Gregorius, meliorem non invenit quàm in Apostolo Paulo, de quo sic ait: *Lib. 1. E. pist 24.* *Pro sua compassione charitatis Apostolus dicit:* Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis *2. Cor. 11. vers. 29.* scandalizatur & ego non uror? *Rursus:* Factus sum Judæis tamquam Judæus: *1. Cor 9. vers. 20.* *quòd videlicet exhibebat, non amittendo fidem, sed extendendo pietatem, & in se personam infidelium transfigurans, ut ex semetipso disceret, qualiter aliis misereri debuisset: quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, rectè impendi voluisset.* Delicatuli illi Confessores, qui tam impatienter tolerant peccatorum fœtorem, ut mox nasum obturent, parum observant actiones Christi. *Joan. 11.* Dicebant illi Martha de Lazaro: *Fœtet, quatriduanus est.* At Christus: *Tollite lapidem.* Fœtet Domine. Tamen Dominus super os ipsum fœtentis sepulchri: *Lazare, veni foras.* Sic, sic patienter audiendi sunt sinè nausea peccatores. *Quod perditori fœtet, non fœtet Creatori, Quod horret alieni operis eversor, amator sui operis non abhorret.* *Chrysologus Serm. 65.*

Secundò, Præter memoratam misericordiam pœnitenti præstitam quoad actum Confitendi, altera restat impendenda quoad Contritionem. Enimvero frequens est confitentium defectus, quòd non sentiant debitum de commissis criminibus dolorem: tum quia damna propria non satis apprehendunt: tum quia non intelligunt illatæ Deo suo injuriæ gravitatem; tum ex vehementia passionum nondum edomitarum, unde peccata scaturiunt. Rationes convenienter propositæ atque explicatæ, valent aliquid ad commovendos induratos; quas tacere non oportet, ubi sufficiens non apparet displicentia. Vehementiùs autem movebant lachrymæ Sancti Ambrosii, *Surius ad 4. Apr. num. 20.* cui dum aliquis lapsus suos ad percipiendam confiteretur pœnitentiam, ita flebat ut illum etiam flere compelleret. Simili modo noster F. Franciscus Brixiensis, si alicujus minus verè pœnitentis sacram confessionem sibi aliquando contigisset excipere, ita lachrymis obruebatur, ut ipsum ad perfectam pœnitentiam, justamque erratorum compunctionem adigeret. *Martyrol. Franc. ad 26. August.* Cùmque à quodam sibi familiari fratri, semel importuniùs, quid ipse aliorum peccata atque impœnitentiam curaret, quâve de causa tantoperè fleret, interrogaretur, respondit: *Cujusque viri fidelis est in Deum Opt. Max. offensiones & piacula commissa deflere: sed unicuique, maximè verò Minoritæ, qui peccata comedit populi, de proximo suo mandatum est.* Paucis quidem ejusmodi concessa est teneritudo, suam tamen vim in hoc negotio habet perfecta Confessarii charitas, & ex charitate data monitio. Ad quam si tantisper à peccato cœperit pœnitens alienari, solidiùs in proposito confirmatur emendationis, cùm dulcem sentit absolventis misericordiam, & in corde confessarii legit gaudium illud quod est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Sermo Sancti Antonii Paduani, tamquam ex ardenti camino proficiscens, ipsas animorú penetrabat medullas, & multam in eis devotionem excitabat & compunctionem, vitiorumque detestationem. *Sedul. in Vita S. Antonii cap. 13.* Die quodam, sancti Viri concione adeò quidam mente compunctus fuit, ut cùm ad confitendum peccata sua ex ejus consilio se compararet, præ suspiriis & singultibus nec unum posset verbum proferre. Cùmque Vir sanctus ei diceret, ut peccata sua in scripta redigeret, eaque ipsi legenda offerret; fecit ille ut erat jussus. Sed cùm chartulam Vir Dei acciperet, ita scripturam omnem abolitam, & prorsus oblitteratam invenit, ac si prorsus nihil scriptum fuisset: Deo sic evidenter demonstrante, quanta vis esset intimæ contritionis, & quantum pœnitenti beneficium præstet Confessarius, qui eum ad tam utiles concutit dolores.

Ex altera parte cavendum hîc est, ne pœnitentes excessivo dolore atque timore conficiantur usque ad desperationem. Nostri mu-

neris

neris est erigere ad spem veniæ Dei judicio consequendæ, dum eos adverterimus hâc tentatione sollicitari. En desperans abit peccator io via Cain, nec paratam sibi credit à Domino misericordiam. Nos qui scimus charitatis ejus amplitudinem, tacebimus, & afflictum in abysso relinquemus tristitiæ? Filium videmus à facie patris amantissimi fugientem, rectâ in præcipitium mortemque certissimam; & non eum totâ vi retinebimus? Indignamur in Principes Judæorum & Sacerdotes, qui tedeuntem Judam & reportantem sanguinis Christi pretium, in via desperationis positum neglexe-
Matth. 27. vers. 4. runt, dicentes: *Quid ad nos? Tu videris.* Non fiamus horum similes; sed periclitantibus spei exhibeamus anchoram, quam possint in tuto
1. Petri. 3. vers. 8. misericordiæ divinæ littore collocare. *Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, &c.* Ex monitionis hujus Apostolicæ particulis S. Antonius Paduanus compa-
Serm. 1. Domini. 5. post Trinit. rat Ecclesiam (nos possumus Ordinem nostrum) navi in maris medio constitutæ. Hujus arbor seu malus est *unanimitas* fidei, cordis & professionis. *Compatientes*; ecce velum! sicut enim velum trahit navem; sic compassio trahit ad te tui proximi necessitatem, sicut scrip-
1. Cor. 12. vers. 26. tum est: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Fraternitatis amatores,* ecce gubernaculum! sicut enim gubernaculum rectè navem dirigit, & in obliquum declinare non permittit, sed ad portum deducit: sic amor fraternitatis congregationem regit, ne erret, & ad portum ducit desideratum. *Misericordes*, ecce anchoram! sicut enim anchora suâ curvitate capit, & dum capit, capitur, & capta navim retinet; sic misericordia Dei ex corde capit proximum, & capitur à proximo, & dum detinet, detinetur, dum ligat, ligatur: quâ alligatione, navis, id est anima nec undis tentationum, nec fluctibus suggestionum à suæ quietis stabilitate movetur.

Tertiò, His misericordiæ demonstrationibus dispositus pœnitens, faciliùs pœnam suscipiet, justitiæ congruentem. Quæ tametsi videatur severior, haud tamen poterit, ab amante manu veniens, recusari. Sic enim compositum est à natura, ut onerosum non sit quidquid ab amore procedit, vel cum charitate fit atque misericordia. Sic solemnis ille pœnitens: *Corripiet me*, id est audacter corripere Psal. 140. vers. 5.
poterit, *justus in misericordia, & increpabit me.* Eâ ratione adolescens ille, qui S. Antonio Paduano confessus fuerat se pede matrem suam Sedul. in Vita S. Ant. cap. 21
impetiisse, sibique persuaserat ex sententia Confessarii pedem abscindendum qui tale commiserat facinus, non dubitavit confestim adimplere quod Sanctum crediderat ex Dei mente præcepisse. Attamen in his pronuntiandis sententiis debet semper misericordia temperare severitatem, ut pœna fiat acceptabilior. Rationem aliquando reddidit B. Petrus Pectinarius. Interroganti enim uni confessario, Annal. Tom. 2. ann. 1289. num. 38.
quales deberet injungere pœnitentias ob graviores quosdam reatus, respondit: *Si Dominus Christus liberaliter & misericorditer se gesserit erga peccatores, tu, qui dumtaxat es dispensator ejusdem, quomodo tibi liceat esse avarum, aut severum? Non tua, sed Christi dispensas. Distribue ergo juxta datum tibi à Christo exemplum, qui in misericordia plùs quàm in justitia partem propendit.* Notissimum est, quâ clementiâ di- Joan. 8.
miserit à se mulierem adulteram acriter accusatam, Magdalenam vulgò famosâ malâ famâ, Luc. 15.
publicanos & peccatores, cum quibus in tantùm dissimulavit, ut offenderentur inde Pharisæi, apud quos etiam dignatus fuit hac de causa se humiliter excusare.

TEXTUS §. VIII.

Si verò Presbyteri non sint.

SUMMARIUM.

Quòd non sit absonum, Fratribus non sacerdotibus, in Ordine nostro, quandoque committi regimen. Siquidem in ipsis reperiri possunt necessariæ Superioribus perfectiones. 1. Zelus legum. 2. Humilitas. 3. Prudentia. 4. Charitas subditorum, & œconomica providentia. 5. Magnanimitas. Laicorum ambitiosæ prætensiones qualiter comprimendæ.

ADductis Isai coram Samuele septem fi-
1. Reg. 16. vers. 10. liis, audivit: *Non elegit Dominus ex istis.* Adducto autem parvulo Davide, qui pascebat oves, *tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus.* Sic Dominus relictis illis, quibus mundi judicio videbatur major inesse
Psal. 77. vers. 71. regiminis aptitudo, *elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, & Israël hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* In eundem modum præsenti textu supponit Seraphicus Institutor Laicos aut Clericos non presbyteros ad Ministeriatûs regimen assumi posse, & consuevisse ob raritatem Sacerdotum, ut D. Bonaventura & Pisanus advertunt. *Regulariter tamen modo Prælati Sacer-* Expos. in Reg. hic
dotes esse debent, ait Bonaventura, *cùm curam habe-*

habeant animarum, & per consequens debeant vultus pecorum suorum, id est conscientias suorum subditorum cognoscere, & in fide ac moribus ordinare. Non ideo tamen absonum judicavit Franciscus, præfici aliquando non Sacerdotes, cùm in usu spiritualis jurisdictionis non tota stet summa regiminis, sed in aliis quoque multis, quæ possunt æque utiliter exequi sinè sacerdotio, committendo interim Presbyteris quæ sunt Presbyterorum. Siquidem Rex merè sæcularis suum regit regnum, in quo etiam Episcopi comprehenduntur aliique Ecclesiastici, quos agere sinit quæ sui ordinis sunt. Inveniuntur etiam Episcopi non Sacerdotes, qui tamen clerum regunt universum, & partem aliquam officii sui Suffraganeis committunt sibi subditis. Quod plus est, Abbatissis aliquibus incumbit cura, non suarum dumtaxat Monialium, verùm & Capellanorum, in negotio morum, & regularum observatione. Nec absonum hoc judicavit Apostolica Sedes, ejusmodi approbans instituta. Videamus autem in particulari, qualiter dotes in Superioribus requisitæ possint etiam in Laicis inveniri.

Primò, Perfectio Superioris, quam sanctus exigit Bonaventura, est zelus Regulæ & disciplinæ. Ad hoc enim institutus est, ut leges imperterrito animo contra quotidianos earum tueatur infractores. Contra illas instant undequaque insidiæ: vel maligni interpretes, ut earum enervent sanctitatem; vel mali consultores, ut subdolam suadeant transgressionem: vel procaces contemptores, ut vinculis earum non constringantur: vel ignorantes desidiosi, ut in antiquis computrescant libertatibus. Contra omnes consistit in medio Superior vindex regularum, ad docendum ignorantes, ad cogendum contemptores, & ad legum vindicandam majestatem. Habuit Ordo noster F. Thomam de Scarlino in hac virtute primicerium, qui præcipuis sanctæ observantiæ athletis eumdem impressit spiritum, dum Provincialem ageret & Magistrum Novitiorum, per quos etiam mirum in modum observantia Regulæ propagata est. Ab exemplo bene vivendi Superiorum (quod sanè Laici præstare possunt) pendet bona Ordinis constitutio. *Hæc conditio Principum est*, inquiebat Quintilianus, *ut quidquid faciant, præcipere videantur.* Nulla difficultas occurret Ordinem reformandi, si ab alto sancta conspiciantur Prælatorum initia. Aspexit universus Ordo ad unum F. Paulum Trincium Laicum, qui Commissarius super novo se reformantium grege constitutus, plùs suo profuit exemplo, quàm alii sterilibus profuissent præceptis.

De sex alis Seraph. cap. 3.

Declam. 4.

Secundò, Humilitas imprimis est necessaria Superiori. Unde monet D. Gregorius: *Cùm potentia temporalis ministerium suscipitur, summâ curâ vigilandum est, ut sciat quisque ex ea sumere quod adjuvat, & expugnare quod tentat, & æqualem se cum illa cæteris cernere, & tamen peccantibus se zelo ultionis præferre.* Et alibi commendans plurimùm humilitatem, concludit: *Magnopere curandum est, ut qui regendis præfertur hominibus, apud se intrà secretarium mentis in cathedra præsideat humilitatis.* Certiùs autem à Laicis expectanda videtur humilitas, ut qui ad eam non solùm interiori lumine, verùm externa quoque sui statûs consideratione determinantur. Gaudebit communitas sub illius esse manibus, qui primus sit in humilitate, qui rogando potiùs suas declaret voluntates, quàm imperando; qui revereatur omnes ut dominos suos, seque meliores; qui serviat omnibus ut mater tenellis prolibus, neminemque contemnat aut fastidiat; *nam ita debet esse, quòd Ministri sint servi omnium Fratrum.* Ad hanc humilitatis dispositionem respexisse videtur Apostolus etiam in sæcularibus ad judicandum præficiendis, dum dixit: *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.*

Lib. 26. moral cap. 21.

Lib. 24. cap. 30.

Cap. 10. Reg.

1. Cor. 6. vers. 4.

Tertiò, Prudentia haud aliter Superiori necessaria est, quàm oculus homini. Hâc nosse debet non tantùm corpora, verùm & animos regere, flectere, vivificare, subditosque ad obedientiam, & judicii proprii mortificationem inclinare. Habuimus F. Onuphrium de Seggiano Laicum, qui diu novitiorum instructorem agens, præstantissimos viros, egregiè litteratos, magnique nominis, & in iis B. Joannem Capistranum, prudentissimè direxit. F. Angelus de Civitella & F. Joannes Riccius Laici erant, qui tamen alternis vicibus Provinciam Tusciæ diu rexerunt, in eaque pietatem profundè radicârunt. Quis etiam dubitet de prudentia atque sufficientia nostri F. Petri à Gandavo ad regendos Fratres, quem Imperator & Proceres sufficientem censebant ad regendum Archiepiscopatum Mexicanum? Imò ipse Archiepiscopus de illo tale ferebat judicium: *Non ego Mexici Episcopus sum, sed Frater Petrus a Gandavo, laicus Sancti Francisci.* Ad hæc, si quid illitterato homini de personali propria deficit notitia, consiliis utetur aliorum. Sanè si humanam expendamus præparationem ad aliena excipiendum consilia, propriumque mortificandum judicium, numquid aliquis idiota, suæ conscius simplicitatis, debitâque præditus humilitate, promptior erit, quàm litteratus, sibi multùm confidens, præsumensque ex libris suis multa satis collegisse consilia? *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens*, qui se judicat insipientem, timensque errare, aliorum acquiescit probatorum sententiæ. Cujus humilitatis & prudentiæ fructus edisserens D. Bernardus, ait: *Horum acquiescendo consiliis, neque præceps eris in sententia, neque vehemens in vindicta: non in corrigendis remissior, non severior in parcendis: non pusillanimis in expectandis: non citus ad promittendum, non ad reddendum tardior, non prodigus dator.*

Martyrol. Franc ad 23. Sept.

Ad 19. Sept.

Sedul. Comment. in Cap. 3. vita S. Francisci.

Prov. 26. vers. 12.

Epist. 42.

Quartò, Pietas quoque sive fraterna compassio in Superiore desideratur, ut sicut eum Dei charitas ad zelum inflammat justitiæ, ita fraterna dilectio ad pietatem informet clementiæ, nam etsi vitiis debeatur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente Propheta: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* De hac Præpositorum charitate, in hunc modum Sanctus disserit Chrysostomus: *Nihil ita clarum facit gerentem magistratum, atque dilectionis studium erga subditos. Etenim patrem non solùm facit quod genuit*

Bonav. de 6. alis Seraph. c. 4.

Psal. 22.

Hom. 15. in 2. Cor. 7.

genuit, sed & quod diligit postquam genuit. Si autem hic natura tanta opus habet dilectione, multò magis gratia. Quid hac in parte Sancto Didaco defuit, F. Antonio Senensi aliisque Laicis, quorum enituit effusa charitas in subditos fratres? Sollicitudo quoque œconomiæ domesticæ non inconvenienter iis imponitur, qui ad divina non adstringuntur officia, qui propterea Laici vocantur, quòd plùs cæteris sint externis destinati negotiis. Horum plurimi providentiâ, judicio atque dexteritate in temporalibus istis antecellunt Sacerdotes, in suis solummodo libris versatos. Horum aliqui visi sunt infatigabiles in quærendis ad conventûs sustentationem necessariis, ori proprio frequenter subtrahentes quæ suppeditarent alieno, in externa conversatione ita discreti, modesti & graves, ut sibi & Ordini mirabilem conciliarent venerationem.

Quintò, Magnanimitatem etiam exigit regendi Officium, ut magna aggredi non reformidet, levibus non terreatur contradictionibus, officium suum imperturbatè exequatur, & sicut gradu superior est, corde etiam (absque cujusquam tamen contemptu) supereminear. Indui debet fortitudine, qualis à S. Je-

Jerem. 1. vers. 17. remia petebatur: *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum; nec enim timere te faciam vultum eorum.* Erit fortassis, qui hac in parte diffidat de Laicis. Res tamen monstravit animum insignium aliquot virorum.

Chron. p. 4. l. 1. cap. 1. & seq. Erexit se aliquando F. Petrus Melgari, & reformationem in Hispania plantavit; factus Custos in Castella, in Lusitania, & Provincialis, cum ingenti fructu, inter plurimas contradictiones. Idem aggressus est F. Bonaventura Agrigentinus in Sicilia, & delatus ei Provincialatus. Qui quondam in sæculo fuêre Senatorii ordinis & Judices, ut F. Polydorus: vel in militia primariis perfuncti officiis, ut F. Franciscus Patavinus; vel in aulis Regum & Principum diu versati, non per hoc quòd fratres Laici facti sunt, totam suam deposuerunt generositatem, ne illâ ad regimen regulare uti possent, & ad gerenda sapienter Ordinis negotia.

Porrò, si qui Laici ex hoc Regulæ verbo occasionem arriperent in ambitiosas prosiliendi prætensiones (prout aliquos fecisse refert R. P. Marchant in Expos. Reg. hic) continendi erunt in suorum abjectione opificiorum, donec ista evanescit vertigo, & impudens prælaturæ affectatio. Filiis Core contra Sacerdotes susurrantibus, dicebat Moyses: *Sufficiat* Num. 16. vers. 3.
vobis, quòd omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis Dominus. Cur elevamini super populum Domini? Recumbere in novissimo loco, tutissimum est, donec dicatur: *Amice, ascende su-* Luc. 14.
periùs. Quod etiam ante doctrinam Evangelicam Sapiens monuit, dicens: *Ne gloriosus ap-* Prov. 25. vers. 6.
pareas coram rege, & in loco magnatum ne steteris: meliùs est enim, ut dicatur tibi: Ascende huc, quàm ut humilieris coram principe. Utinam nullibi in Religionibus nunc inveniatur abusus, quem D. Bernardus suis plangebat temporibus, dicens: *Video (quod magis doleo) post spre-* Hom. 4. super Missus est.
tam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque Magistri graviùs insolescere, & impatientes plùs fieri in claustro quàm fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt; ut quia videlicet ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non potuerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur.

T E X T U S & §. IX

Injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis.

S U M M A R I U M.

Presbyterorum sacramentali ministerio, erigendæ sunt animæ peccatorum. Optimis rationibus, suos filios pænitentes ad solos Sacerdotes Ordinis direxit, quæ potissimùm quinque enumerantur. Domestici, magis stimulantur affectu fraterno, ad juvandum pœnitentem, in ferendis satisfactionum oneribus; quàm extranei.

Cum obsessa per Assyrios Bethulia supremis premeretur angustiis, sic omnium dejecti sunt animi, ut decerneretur tradendam esse hostibus civitatem, si transactis quinque diebus non veniret adjutorium. Quod cùm audisset Judith laudatissima vidua, imminenti obviatura desolationi, misit ad Presbyteros Chabri & Charmi; qui cùm venissent ad il-

Judith. 8. vers. 21. lam, dixit eis: *Fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite.* Obsessis per criminum exercitum animabus, simili subvenit pietatis consilio Franciscus, recurrens ad eos, qui Presbyteri sunt in populo Dei, & à quorum sacerdotali judicio pendent animæ peccatorum. Ad horum tribunal sic disponuntur animæ, ut absque inquisitionum, testium & juramentorum strepitu, ex amore

libero habeatur causæ notitia : & absque apparitorum, lictorum, vel tortorum ministerio, ex humilitate pœna suscipiatur, executioni mandetur & perficiatur, absque Rei murmure aut odio Judicis. Rigorem justitiæ ita temperavit benignissimus Deus, ut mitiùs non posset; dum & timorem prævenit, qui de rigidis externis judicibus concipi potuisset, & infirmorum consuluit verecundiæ, secretissimè ut fieret hoc judicium ordinando. Ad hujus igitur judicii præsides remittit S. Pater filios suos peccatores, decernens, ut si Ministri Provinciales, ad quos recursum habuerint, Presbyteri non sint, *injungi faciant eis pœnitentiam per Sacerdotes ;* & quidem per *Sacerdotes Ordinis*. Enimverò sicut S. Dei Ecclesia providè ordinavit, ut nullus fidelium confiteatur & absolvatur extra parochias aut Episcopatus proprios (nisi quid ultrà summa Sedes indulgeat) ne confusio in regimine oriatur animarum : sic optimum censuit Seraphicus Institutor, ut fratribus suis etiam limitaretur confitendi licentia, & ad Sacerdotes Ordinis arctaretur : prout in aliis etiam plurimis Ordinibus cautum est; idque ob justissimas rationes.

Primò, Domestici norunt meliùs obligationes Ordinis, earumque quantitatem, adeòque rectiùs judicare possunt de peccatis contra commissis. Externi non ita eas penetrant, sed aliqualiter solùm eas cognoscunt à comparatione propriarum regularum, quæ diversæ sunt obligationis. Apparet aliquando ex libris externorum, aliàs doctissimorum, quantoperè in rebus nostris hallucinentur, dum ea nihil æstimant, quæ apud nos apertè mortalia sunt, & Regulam nostram juxta suarum metiuntur obligationes constitutionum. Domesticus etiam cognoscit perfectiùs circumstantias minuentes peccatum, quod alioquin gravius videretur. Puta consuetudines in Ordine toleratas circa statutorum aliquorum abrogationem, timoratam aliàs Fratris conversationem, ignorantiam illius & scrupulositatem, discretam Superiorum circa personas ejusmodi tolerantiam, aliaque similia, quæ nesciens externus durius censebit de factis, quàm proprius judicaret consodalis. Hic etiam tamquam sciens meliùs iterandorum lapsuum occasiones, commodiora suggerere potest eas præcavendi consilia.

Secundò, Si Fratrem contingat esse scrupulosum, qui pendere continuò debeat ab ore Confessarii, quàm erit importabile onus Ordini hanc ei indulgere libertatem, atque ad horas singulas externum videre nostra terentem limina, ut uni satisfaciat inquieto. Ne Monialibus nostris timidioribus, spes aliqua relinqueretur ad hanc libertatem, cum infinita monasteriorum inquietudine, solent ad unum arctari confessarium, & auctoritate Apostolicâ externorum Ordinum homines arceri. Eâdem ratione cohibendi sunt viri scrupulosi, qui in materia conscientiæ, judicii sunt infirmioris, & nati integros turbare Conventus, si ad extraneos eis daretur accessus : quibus non satis noti, eorum aures futilibus suis implerent imaginationibus tamquam seriis materiis; à quibus etiam nonnisi turbativas referrent responsiones.

Tertiò, Majus periculum esset à murmurantibus, impatientibus & suspiriosis, qui sub specie quærendi solatii, factas sibi correptiones enarrarent tamquam iniquas persecutiones, consilia postularent veluti contra relaxationes exempla mala, dissensiones, simultates, & rigores Prælatorum excessivos. Quæ omnia haurirentur avidè à zeloso aliquo Confessario, qui magnum se putat & necessarium afflicto præstare obsequium, si recreare possit animam, sub tyrannide (ut putat) suorum Prælatorum & Fratrum oppressam, omnique consilio & auxilio destitutam. *Sonitus terroris in auribus* Job. 15. vers. 21.
illius ; & cùm pax sit, ille insidias suspicatur. Apud domesticos confessarios tantum periculum non est, siquidem norunt meliùs statum Ordinis & Conventûs, conditiones narrantium, narratorum falsitatem &c. Apud hos si suspiciosi tales vel impatientes suas effutiant virulentias, ad saniores reduci poterunt opiniones, & compescentur efficaciùs internarum ipsarum turbæ cogitationum.

Quartò, Demus autem non esse periculum præcedentium errorum, sed vera tantùm propriaque enarrari peccata ; in hoc tamen solo grave imminet Ordini detrimentū, quòd violetur secretum, quod Ordines omnes sibi volunt strictissimè custoditum. Astringit Princeps jurejurando inferiores suos magistratus & consiliarios ad secretum : bellum numquam tutò geritur, nisi consilia omnia maneant abditissima : publicari suæ domûs regimen ægertimè fert paterfamilias : quilibet Ordo non modò communes privatasque miserias vult ab extraneis ignorari; sed sanctas quoque leges, exercitia sancta, & politiæ propriæ constitutiones, quas variis de causis nulli volunt externo communicari. *Secreta Ordinis*, monet D. Spec. Discipl. p. 1. c. 32
Bonaventura : *quantumcumque religioso vel familiari non revelent : nec statutum aliquod publicent, nisi quod fortè commodè celari non potest.* Deo soli patêre volumus, sicut & ii, quibus regimen commissum est, ab ipsis, sibi caveant ejusdem domûs vel provinciæ subditis, secreti scientes necessitatem. Quomodo igitur Ordo æquanimiter sua permittet exire dedecora coram oculis exterorum ? Multùm est etiam apud unum, quamvis arctissimo obligatum secreto, bonam de sanctitate Ordinis opinionem labefactari. Unius solius infamia ad cæteros solet derivari contubernales. Saltem tunc nata foret sequi bonæ diminutio æstimationis circa Ordinem, quando Confessor esset de superbis aliorum Ordinum contemptoribus, de rigidis censoribus status alieni, & subdolis hostibus nostri Instituti. Tales aliquos inveniri posse, docuit interdum experientia in foro externo, quando Inquisitores fidei ex alio assumpti Ordine tam multa in nostros moliti sunt, acerbâ potiùs æmulatione, quàm criminum veritate permoti, ut coarctari oportuerit eorum potestatem, ne furiosè nimis in alumnos alienorum Ordinum debaccharentur. Itaque *non omnem hominem inducas* Eccl. 11. vers. 31.
in domum tuam. Et : *Secretum extraneo ne re-* Prov. 25.
veles. vers. 8.

Quintò, Denique intolerabiles esset Ordini illata contumelia, si pro unius directione

pœni-

pœnitentis, foris quærendus esset aliquis, quasi nullus foret domi præditus sufficienti ad hoc munus charitate, doctrinâ, vel discretione. Exprobrabat Corinthiis Apostolus, quòd in litibus suis temporalibus ad judices currerent
1.Cor. 6. verf. 5. non Christianos: *Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* Majore multò ratione posset aliquis quid simile nobis exprobrare. Nobis, inquam, qui constituti sumus in Ecclesia tamquam publici medici ad curandas cujusque generis hominum conscientias, in quibus confidunt omnes, tamquam in hoc negotio spirituali expertissimis. Dei providentiâ viri suppetunt in Ordine sufficientissimi, & ad juvandum fratres suos paratissimi, quibus plenè confidere possimus, si humili, sincero & integro corde nostras eis commiserimus animas. Sicut naturæ vinculum inclinat ampliùs ad succurrendum consanguineis, ita pariformiter in hoc negotio idem præstabit ejusdem societas professionis. Quando percussit Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, & desperatus est,
2.Reg. 12. verf. 16. *deprecatus est David Dominum pro parvulo, & jejunavit jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram.* Dicebat enim:
Verf. 22. *Quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus & vivat infans:* Simile possumus adjutorium à confratre Confessario expectare, cui nostras exposuerimus miserias peccatorum. Pro affectu fraterno sublevabit nos in ferendis oneribus debitarum pro peccatis satisfactionum. Memoriæ traditum est insigne factum hoc in genere, & in cælis approbatum. Chron. p. 2. lib. 1. cap. 31. Ægroto fratri, casu quo convalesceret, injunxerat confessarius, ut aliquoties psalterium legeret, & jejunaret. Guardianus videns fratrem ad mortem tendere, & resciens impositas ipsi pœnitentias, jussit bono ut esset animo, & pœnitentiæ adimpletionem se curaturum pollicitus est. Psalteria distribuit sacerdotibus, disciplinas aliaque corporalia sibi suisque fratribus laicis commisit, suumque ægrotum securum abire permisit in aliud sæculum. Hoc opus sanctum fuisse Deus ostendit. Apparens enim fratribus anima, testata est se tantæ charitatis intuitu, alienâ satisfactione à Deo acceptatâ, in cælum admissam. Ita servatus est justitiæ rigor; sic tamen temperatus fraternæ charitatis abundantiâ, ut placeret Deo, proficeretque animæ districta confessarii sententia, submissa pœnitentis acceptatio, multoque magìs charitativum Guardiani & fratrum subsidium, quo debitum omne extinctum est.

TEXTUS & §. X.

Sicut eis secundùm Deum meliùs videbitur expedire.

SUMMARIUM.

Confessarius comparatus Abigail Davidem iratum placanti. Septem effectus veram contritionem concomitantes. 1. Sollicitudo pro plena remissione. 2. Defensio contra tentationes recidivi. 3. Indignatio in seipsum. 4. Timor divinorum judiciorum. 5. Desiderium placendi Deo. 6. Æmulatio Christi patientis. 7. Vindicta castigans peccata.

CUm nuntiatum esset Abigail, iratum justè Davidem contra virum suum Nabal properare cum viris suis ad sumendam de commisso crimine ultionem, prudenti consilio comportavit festinanter munera, quibus iratum Ducem noverat esse placandum, & in
1.Reg. 25. verf. 18. & 19. sarcinas colligata *posuit super asinos: dixitque pueris suis: Præcedite me, ecce ego post tergum sequar vos.* Cùmque appropinquasset ad David, festinavit & descendit de asino, & procidit coram David super faciem suam, & adoravit super terram, & cecidit ad pedes ejus, & dixit:
Verf. 24. 25. *In me sit, Domine mi, hæc iniquitas..... Ne ponat oro Dominus meus Rex cor suum super virum*
Verf. 27. *istum iniquum Nabal &c..... Suscipe benedictio-*
Verf. 35. *nem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo. Suscepit ergò David de manu ejus omnia quæ attulerat ei,* dixitque ei: *Vade pacificè in domum tuam,* ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam. Per iratum Davidem intelligere possumus Deum, peccatis Nabal, hoc est, stultorum peccatorum, justissimè offensum. Abigail, quæ *Pater exultationis* interpretatur, spiritualem Patrem significat, pœnitentis Confessarium, qui cum Angelis Dei gaudium agit & exultationem super uno peccatore pœnitentiam agente. Hic offensum placaturus Dominum, onera satisfactionum (quæ scit munera esse ab illo desiderata) colligat *& ponit super asinos,* hoc est super peccatores, jumentis assimilatos insipientibus. Et cum eis obvians reconciliando Domino, humili devotâque pro illis interpellat supplicatione: *Suscipe benedictionem hanc* impositorum jejuniorum, disciplinarum, precationum, ciliciorum aliarumque pœnalium satisfactionum, *quam attulit*

hensio ab Angelo in Apocalypsi vito facta spirituali : [Apoc. 2. vers. 4.] *Habeo adversùm te quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor itaque esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Qui verè pœnitens est, ardens suscitabit in se desiderium prima opera faciendi, & ad pristinam redeundi innocentiam, atque amantissimo suo Patri complacendi. Talis mutatio dexteræ excelsi circa religiosum leviusculum facta est per exhortationem B. Conradi Offidani. [Annal. Tom. 3. an 1307. num. 2.] Hic rogabatur à Fratribus Offidani Conventûs, ut incompositos cujusdam adolescentis mores domi forisque molesti componeret. Vocat ille juvenculum seorsum, piis rationibus efficaciter suadet, ut vitam corrigat, & religiosiùs se gerat; factâque manu Domini super eum mutatus est repente in virum alterum, ita ut qui priùs erat offendiculo & scandalo fratribus universis, mox in admirationem fieret & exemplum. Haud dubium plurimos è nobis, quorum vita in sæculo plurimis scatuit peccatis, confixos aliquando conscientiæ remorsu de melioribus cogitasse studiis, illapsumque de emendatiori vita desiderium, eoque compulsos stimulo ut hoc ambirent & amplexarentur institutum. Divinæ fuit circa nos bonitatis dispositio, ut permitteretur primò in longinquam abire regionem, dissipare substantiam nostram, miserias pati & confusionem, atque inde suscitaretur desiderium ad patrem redeundi & habitandi cum eo perseveranter. Beneficium agnoscamus, nec abjiciamus sanctùm illud, quo semel æstuavimus, desiderium.

[Cant. 8. vers. 6.] Sextò, *Æmulatio.* Verè *dura sicut infernus æmulatio*, quæ à dolore nascitur peccatorum. [Rom. 6. vers. 19.] Eam sic explicat Apostolus : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Sancta erit æmulatio ista, si dura fuerit sicut infernus, perpetua nempe, immutabilis, nec vili deinceps cedens persuasioni. Tali arsit æmulatione noster B. Raymundus Lullus. [Annal. Tom. 2. ann. 1275 num. 10.] Hic existens Seneschallus Jacobi Regis Majoricarum & regiæ domûs præfectus, pro more aulicorum mundialiumque virorum totus inter amores vivebat. Diligebat autem præ cæteris dominam quamdam, venustâ quidem & eleganti facie; duo tamen erant, quæ illam in ejus amplexus venire haudquaquam sinebant. Primùm erat legitimus viri torus; Secundùm, occultus cancri morbos, qui quamquam sub veste lateret, illius tamen pectus jam usque adeò exederat, ut ejus præcordia nudarentur, atque dirus fœtor inde exhalaret. Insanabilis erat hæc cancri pestis in pectore mulieris; sed longè insanabilior cupidinei amoris cancer qui mentem laniabat Raymundi. Dolens verò mulier tantum virum, & qui honesto magistratu apud Regem fungebatur, illiciti sui amoris causâ, & vesanum fieri, & verti in fabulam vulgi : cogitavit, quibus mediis illum ab amore sui averteret. Advocato ergo semel, ut à marito impetrarat, in colloquium Raymundo, eoque in cubiculum introducto, illi ex templo pectus, ut cancrino erat exesum morbo, atque teterrimo odore squallebat, nudare haudquaquam erubuit, simulque verba hæc illius auribus inculcavit : *Vide quid, ô Raymunde, diligas : agnosce quàm olidum cadaver ipse tantopere ames. Studium quod hactenus erga me tam stulto amore impendisti, Christo cautiùs fuit abs te dicandum; potuisses equidem jam ab illo regna promeruisse cælestia.* His verbis dum vir insipiens à sapienti muliere corripitur, infirmus ab infirma sanatur, cancer à cancro expellitur; nam cancer amoris, qui mentem Raymundi laniebat, aspectu cancri alterius, qui pectus muliebre jam ferè consumpserat, momento disparuit. Domum reversus, seque subdens orationi omnem suam operam summis votis Christo imposterum dicavit, & hoc quidem tam durâ stabilique æmulatione, ut flagrantissimo æstuans Dei amore miros labores, paupertates, persecutiones, tentationesque ad usque finem vitæ constantissimè toleraverit.

Aliam etiam æmulationem, à Christi Domini exemplo nobis imitandam proponit Apostolus : [Rom. 8. vers. 3.] *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Cùm id in passione sua egerit Christus, abhorrens peccata ad sudorem usque sanguineum, terribilibus castigans pœnalitatibus, delensque illa & dictati contra illud decreti chyrographum : hoc contemplantes cordati pœnitentes, sic apud se argumentantur : si innocens Agnus Dei nostra peccata velut sua reputans, tantis se angustiis, doloribus atque passionibus exposuit ut eadem expiaret; quid nos agere decet enormes istorum peccatorum auctores? Quanto debemus ea horrore detestari, quantis expiare lachrymis, si haberi volumus Christi sectatores atque discipuli? His lamentis totus immersus B. Petrus Pectinarius [Annal. Tom. 2. ann. 1289. num. 36.] ad majorem sui confusionem peccata omnia à pueritia commissa descripsit in chartula, & ad vicinum pertexit oratorium : ubi expansâ chartâ cum magna contritione cunctos perlegit reatus, & tantâ cordis amaritudine deflevit, ut signo mirabili mereretur eorumdem remissionem, deletis per Angelum omnibus characteribus, & dealbatâ ut nive papyro. *Æmulare ergo & pœnitentiam age* [Apoc. 3. vers. 19.] similiter, quicumque Christum sequi profiteris.

Septimò, *Vindicta.* Hic est è principalibus contritionis effectibus ad stuporem usque succrescens in reis quibusdam animabus, quæ ad vivam suorum delictorum pervenerunt apprehensionem. Hæ dum Prophetam de suo audiunt judice prædicantem : *Deus æmulator, &* [Nahum. 1. vers. 2.] *ulciscens Dominus, & habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis;* Vident quàm justè id agat & rationabiliter : imò & necessariò. Nam, ut argumentatur Tertullianus, [Lib. 1. contra Marcion. c. 26.] *Si neque æmulatur, neque irascitur, neque damnat, neque vexat, utpote qui nec judicem præstat; non invenio, quomodo illi disciplinarum ratio consistat. Quale est enim, ut præcepta constituat non executurus, ut delicta prohibeat non vindicaturus? extraneus scilicet ab omnibus sensibus severitatis & animadversionis.* Hâc suppositâ justitiæ necessitate, retorquentes oculum in seipsos, intrà se vocem illam audiunt

[2. Mach. 7 vers. 19.] judicis : *Tunè existimas impunè tibi futurum, quòd contra Deum pugnare tentaveris?* Tum non absque exeandescentia in manus rapiunt flagella, jejunia, confusiones & tormenta, quibus propria ulciscantur peccata ; in tantùm, ut aliqui conficerent semet-ipsos, nisi superiori [§. 5.] Dei lege prohiberentur. De B. Stephano Hungaro superiùs ostendimus, qualiter apostasiam suam non æstimârit communibus expiandam castigationibus, sed necessarium crudele mortis supplicium judicârit. [Martyr. Franc. ad 24. Aug.] Ad eumdem modum Laicus quidam Franciscanus, postquam per humanam fragilitatem, timoremque Turcarum, fidem abnegasset, tandem in se reversus, & à Patre Guardiano Hierosolymitano acceptâ benedictione, in templo Salomonis coram innumera Turcarum & Maurorum caterva, Christum liberè prædicans ad martyrii palmam pervenit.

Hi sunt fructus digni pœnitentiæ, quos decet Confessarium in suorum suscitare cordibus reorum. Ista est myrtha electa quam gaudet sponsus metere cum aromatibus suis ; [Cant. 5.] eam æquè magni faciens ac suaveolentia contemplationum aromata, operumque selectiorum. His actibus prædìti pœnitentes, secundùm Dionysium Carthus. sunt *mare vitreum, simile crystallo* in conspectu sedis Dei. [In cap. 4. Apoc.] *Mare* propter abundantiam lachrymarum, amarum propter dolorem compunctionis, *vitreum* propter confessionis perspicuitatem : *simile crystallo*, propter soliditatem propositi non peccandi de cætero ; quod tamen obnoxium etiam est vitreæ fragilitati. Hujus statûs pœnitentialis gloriam vidit aliàs idem B. Joannes : *Vidi tamquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes cytharas Dei : & cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni dicentes : Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens : justa & vera sunt viæ tuæ Rex sæculorum.* [Apoc. 15. vers. 2.]

TEXTVS & §. XI.

Et cavere debent, ne irascantur.

SVMMARIVM.

Non revertitur Dominus in peccatricem animam medio iracundæ correptionis. Cavendum Superiori ab irarum occasionibus, quæ sunt. 1. Naturalis abominatio vitii. 2. Pretensa necessitas timorem incutiendi. 3. Frequentia lapsuum, & imaginatus contemptus monitionum, & susurrationes ardelionum. Maximè verò cavenda Superiori ira, quamdiu subditus turbatus est.

EGressus è speluncæ latibulo Elias, & stans in monte, dignativam habuit transeuntis [3. Reg 19. vers. 11.] Domini visionem. *Ecce spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum ; non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio ; & non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis ; & non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis.* In quo cùm Dominum animadverteret Elias, operuit vultum suum pallio. Peccator è conscientiæ latibulis per Sacramentalem prodiens confessionem, Domini requirit gratiam, per quam ejus visionem assequatur atque fruitionem. Hæc ei gratia ministerio Sacerdotum est conferenda : quibus proinde cavendum est à vehementi spiritu amaricantis increpationis, à zeli intempestivi commotione, ab impotentis igne iracundiæ ; quia *non in spiritu, non in commotione, non in igne Dominus.* Si deprehendant peccatores hujus Sacramenti pœnitentiæ ministros, qui auditis criminum abominationibus exardescunt in iracundiam, timebunt eis suas declarare miserias, nec valebunt ad [Prosper. Lib. 2. de vita contempl. c. 5.] Dominum appropinquare. *Intolerabilis mole tristitiæ succumbunt gravati, & sanctorum omnium vultus per quos restitui possent Deo, refugiunt ; aut certè ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt, & quidquid mali occultò faciebant, publicè perpetrabunt : in tantam vesaniam reparandæ salutis desperatione prolabentur, ut salutaria verba corripientium* aliorum *in jocos exitiabiles impudenti voluntate convertant, ac maledicaces in se ex ipsa turpitudinis suæ jactatione turpiter viventium malevolas lætitias pascant.* Ut igitur isti parvulorum occurratur infirmitati, omni vigilantiâ comprimenda est odibilis iracundiæ passio, ne præcipitanter erumpat : imò ut nec umbra illius aliqualiter appareat. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis :* [Gal. 6. vers. 1.] scientes quia non venit Dominus ad pœnitentis animam in spiritu grandi, forti & subvertente ; sed in *sibilo auræ tenuis*, in leni suavique commonitione. Itaque Sacerdotes peccatorem ad Dominum adducturi *cavere debent, ne irascantur.* Prætextus hoc vitium palliandi possunt esse varii.

Primò, Quòd peccatum cui irascimur, in Dei cedat injuriam : hinc enim iram specioso induimus titulo zeli justi, sancti & necessarii, quem variis occasionibus laudavit Deus & honoravit. Oculo nostro circa punctum hoc caliganti, lumen aliquod præfert S. Gregorius quo

Lib. 9. Epist. 8. quo zelum sanctum ab ira secernas vitiosa: *I omni, inquit, te dulcem, pravi sentiant correctorem. In qua correctione hunc noveris esse ordinem observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris: ne si aliter forsasse agere volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas, quod emendare desideras. Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est: ne si plùs quàm exigis ferrum impresseris, noceas, cui prodesse festinas.* Ipsi etiam honori Dei nocet quandoque præpropetè experita peccatorum vindicatio. Potest Deus eos qui hodie iniqui sunt, cras æquos & bonos reddere. Vile lignum dolabit artifex & expoliet, ut postea ex eo imaginem faciat numeris omnibus absolutam. Cùm Samaritani recusatent in civitatem suam recipere Dominum Jesum, excandescentes contra eos discipuli Jacobus & Joannes, dixerunt: Luc. 9. vers. 54. *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Si propositioni eorum acquiesceret Dominus, quomodo Samaritani illi postea collustrante eos radiis suis Spiritu Sancto, primi existerent in fidei receptione, sicut scriptum est in Actis Apostolorum: Act. 8. vers. 14. *Cùm audissent Apostoli qui erant in Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem?* Si ergo Christus tunc Joannis precibus annuens, eos cœlesti consumeret igne, quomodo eos nunc Joannes ad frugem meliorem revocaret, & salutem faceret adipisci? Si Deus Dismam latronem occideret cùm latrocinia committeret, quomodo postea cum Christo pendens in cruce converteretur? Si Deus mortem afferret Paulo, cùm Dei vexabat Ecclesiam, quomodo tanto frueremur Concionatore, ejusque mirificis delectaremur Epistolis? Igitur procul sit à Christianis indignatio. Non irascitur contra Samaritanos Christus, ut doceat quòd non habeat ultionis studiũ perfecta virtus: nec ulla est iracundia, ubi plenitudo est charitatis; nec excludenda est infirmitas, sed juvanda. Unde & increpavit discipulos illos dicens: Luc. 9 vers. 55. *Nescitis cujus spiritus estis.* Non discernitis inter veteris & novi testamenti spiritum. Non ad illũ pertinetis veteris testamenti, in quo cecinit David Psal. 149. vers. 7. *faciendam* esse *vindictam in nationibus, increpationes in populis*; sed ad spiritum gratiæ Legis novæ, in qua nuntiavit Zacharias Luc. 1. vers. 70. *faciendam misericordiam cum patribus nostris.* Elias quidem 4. Reg. 1. legis Propheta vocavit ignem de cœlo, qui nuntios consumeret Regis Samariæ; sed non idem spiritus est, conditoris Evangelii. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Luc. 9. vers. 56. Spiritum illum in Christo ponendum olim prædixerat Isaias, dum futura tamquam præterita cernens, Patrem cœlestem introducit loquentem: Isa. 42. vers. 1. *Dedi spiritum meum super eum. Judicium gentibus proferet: non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris* præ iræ impotentia. *Calamum quassatum*, peccatorem scilicet jam tremefactum *non conteret: & linum fumigans*, quod exiguum dumtaxat concepit ignem bonæ voluntatis, *non extinguet. Non erit tristis neque turbulentus*, sed summâ spiritûs tranquillitate supportabit enormia & infinita scelera in universo humano genere; semper in seipso imperturbabilis & incapax tristitiæ; semper agens secundùm rationabile dictamen justitiæ, manens semper mitis, suavis atque benignus. Eodem spiritu mentisque tranquillitate duci vult quoscumque rectores animarum:

Secundò, Vulgatus iratum prætextus est, quòd expediat multùm timorem incutere communi plebi, quæ non cohiberetur aliàs, nisi subindè fervorem aliquem cerneret in Superiore. Fatemur hoc, præsertim dum vulgus pronum est ad malum; *Nam principes non sunt* Rom. 13. vers. 3. *timori boni operis, sed mali.* Et; *Si malum feceris time; non enim sinè causa gladium portas.* Sed in ira stringere gladium non ei licet; neque ad aliud conducit incutiendum timorem, quàm qualem leo dentibus armatus & unguibus, solet incutere viatoribus. *Noli esse sicut leo in do-* Eccl. 4. vers. 35. *mo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.* Zelus quidem cùm primis necessarius est Superioribus; cavendum verò sollicitè, ne ratione potentiæ ultra metas excurrat: potestati siquidem superioritatis contingere posset; conjungi superbiam, & irascendi libertatem. Unde dicit Sapiens: *Secundùm li-* Eccl. 28. vers. 12. *gna silvæ sic exardescit ignis, & secundùm virtutem hominis sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam.* Non serviat prælatio pro furoris incentivo & occasione feriendi. Mansuetudo sanè præcipuum est potentiæ ornamentum, potens non aliis modò, verùm & sibi-metipsi imperare, dum incipit effrenis passio ultra metas exilire rationis. Præclarum hoc in vindictæ passiones imperium singulariter in mansuetissimo enituit Davide, dum in spelunca Engaddi latitans oram chlamydis Saul persequentis abscidit, & ne occideretur, ipsum liberavit. *Ecce dies*, inquie- 1 Reg. 24 vers. 5. bant comites ejus, *de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis.* Ubi egregiè suo more Chrysostomus oblatam ultro occasionem vimque tentationis hujus perpendit. *Vi-* Hom. de Davide & Saule Tom. 1. *disti, ait, tensa retia, vidisti venatum insidiantem: vidisti venatorem erectum; vidisti omnes adhortantes, ut ensem in hostis pectus immergeret? Nunc mihi specta philosophicam animi moderationem: specta luctam, victoriam, coronam. Spelunca illa, campus erat: luctatus est David, pugilem egit iracundia, Saul certaminis materia, agonothetes Deus. Quin potiùs non ipsi modo adversùs seipsum erat prælium; sed adversùs commilitones: etenim; si voluisset parcere Sauli, consentaneum erat, ut illos metueret, ne ipsum trucidarent in spelunca. Probabile est enim ipsos dixisse: errones exulesque facti sumus domo, patriâ, cæterisque omnibus excussi, & omnium difficultatum tuarum consortes sumus: & tu horum auctorem in manus traditum cogitas dimittere, ne nobis umquam liceat respirare? Si tuam salutem negligis, nostræ vitæ parcas, &c. Verùm nihil horum justus ille apud se perpendebat: unum spectabat, quomodo posset redimiri tolerantia coronâ. Allegant rursum milites divinam auctoritatem; Deus, inquientes, illum tradidit, quò promptiùs ires ad interitum. Non enim, inquiunt, vicem tuam ulcisceris; Deo subservis, ejus minister es, illius sententiam comprobas. Sed, quò magis hæc illi dicebant, eò magis hic pepercit hosti: intellige-*

bat

bat enim, quòd Deus idee tradiderat eum, ut ipsi majores occasiones probandæ virtutis suppeditaret..... Non pepercit ergo tamùm, sed excusationem etiam pro eo composuit : nec permisit, ut alii occiderent ; sed perinde ac si aliquod depositum suæ fidei creditum accepisset, pro quo rationem esset redditurus, non attigit, alios coërcuit ; satelles optimus & corporis custos pro hoste factus. Hâc eximiâ mansuetudine animus illi excelsus ad regiam parabatur dignitatem, quod & ipse reprobus Saul agnovit, dicens ; *Nunc scio, quòd certissime regnaturus sis.* q. d. hæc tui animi virtus est imperio digna. Cognoscant igitur oniversi, eos idoneos esse regendis aliis, qui propriis animorum motibus imperare novissent.

Tertiò, Frequenter quoque patientiam absorbet Prælati multitudo & frequentia lapsuum atque labentium subditorum, qui in uno atque altero supportarentur delicto, sed quando tam sæpè recurrunt, & finis non apparet, impossibile videtur non irasci. Præsertim si frequentes præmissæ sunt monitiones, atque præcautiones adhibitæ : si accedant etiam susurrones aggravantes delicta, condemnantes amarè, & Superioris admirantes patientiam. His omnibus superior esse debet excelsa mansuetudo, adeò ut illa cor minimè attingant. Cùm singulis penè momentis variarum occurrat displicentiarum objectum, continuâ vigilantiâ sanctisque rationibus muniendum est pectus, ne mansuetudo Prælati expugnetur, aut aliquâ inficiatur amaritudine. Principi prælatorum Petro videbatur aliquando, tolerabiles non esse offensas, quæ plùs quàm septies recurrissent. Sed clementissimus Domi-
Matth 18. vers. 22. nus ferventi suo respondit Vicario : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, id est toties quoties peccare contigerit, miti animo fratri ignosces delinquenti. Fortem contra susurratores constantiam exemplo suo docuit mitissimus David. Dum Semei maledice-
2 Reg. 16. vers. 9. ret ei, dixit Abisai filius Sarviæ Regi : *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus.* Numquid hoc impetu impellebatur ad inferendam aut permittendam ultionem ? Minimè. *Quid mihi,* inquit, *& vobis est filii Sarviæ ? Dimittite eum, &c.* Alio quoque tempore dum irasci justè potuisset in perduellem Absalonem, & lugeret tamen inconsolabiliter ob mali istius filii interemptionem, nimiam ei Joab improperavit
2. Reg. 19. vers. 6. lenitatem, dicens inter alia ; *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te, & ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis.* Sed in his omnibus
Annal. Tom. 2. an. 1256. num. 27. invicta mansit suæ dulcedo mansuetudinis. Seraphicus Bonaventura in Generalatûs ministerio, paternâ charitate & clementiâ admodum singulari erga illos, qui ab Ordinis disciplina defecissent, aut seraphicam deseruissent militiam, usque eò usus est, ut non defuerint, qui in Capitulis tam Generalibus quàm Provincialibus id vitio planè ipsi objectârint quos sæpe-numero verbis gravissimis coarguit, dicens, se velle miserorum & aberrantium parentem perfugiumque esse, & misericordiâ potiùs quâ benignè atque utiliter ad omnium uti salutem, & ita fecisse ac commendasse ipsum Institutorem Franciscum, qui aberrantibus numquam claudi voluit viscera pietatis.

Quod ossa sunt in humano corpore, hoc Prælati sunt in corpore communitatis, quæ tamquam caro mollior & imbecillis indiget sustentari soliditate Superiorum & firmitate. Sicuti autem in passione sua Christus ossa sua minimè permisit confringi, sic neque frangi vult sui mystici corporis ossa, ut possit firmiùs reliqua moles corporis sustentari. Quid autem frangit comminuitque vehementiùs hominem, quàm iracundia, idque mirabili cum dolore ? Qui & adinstar ossis confracti, nonnisi forti sanatur alligaturâ, & diutinis difficilibusque medicamentis, cum ingenti totius corporis tædio. Cavendum igitur eis est, ne supra-dictis irritati occasionibus permittant se dejici de mentis suæ rectitudine atque stabilitate, sed juxta D. Pauli monitum ; *Omnis* Ephes. 4. vers. 31.
amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Itaque dum erraverint subditi, & Superior incipientem senserit iracundiam, statim sistenda erit lingua, vultus in sua servandus serenitate, suspendendum de audita culpa judicium, si fortè aliquæ innotescant facti circumstantiæ, quæ rem permittant in partem meliorem interpretari. Quòd si noxa deprehendatur manifestè inexcusabilis, adhuc tamen non erit reus cum cæca tractandus asperitate. Motus fervidi, ait B. Greg. sub æquitate disponendi, ut eò fiat justior ultor alienus, quò priùs extiterit victor suus ; quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut antè ipse qui corrigit per patientiam crescat, ut fervorem suum transcendendo dijudicet, ne intemperanter ipse excitatus zelo rectitudinis, longè à rectitudine abeiret. Quod attendendum est maximè, dum ipse qui arguendus est, adhuc turbationis propriæ fluctibus agitatur. *Non incendas* Eccl. 8. vers. 13.
carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flammâ ignis peccatorum illorum. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. Dum enim mentem adhuc occupat turbatio, admonitioni inidoneus est : ad reddendam separat contumeliam, quâ vicissim incendaris. Idque semper accidit, ut qui nesciunt expectare, donec sua redeat & aliena tranquillitas, illius experiantur sententiæ veritatem : *Certamen festinatum incendit ignem,* Eccl. 28. vers. 13.
& lis festinans effundit sanguinem. Et : *Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit :* atque Vers. 14.
in difficultates incident inextricabiles. *Qui au-* Prov. 14. vers. 29.
tem patiens est, multâ gubernatur prudentiâ.

TEXTUS & §. *XII.*

Et ne conturbentur propter peccatum alicujus.

SUMMARIUM.

Ejicienda ex animo Sacerdotis turba passionum cholera, ut anima per peccatum mortua valeat excitari. Noxiæ conturbationis occasiones sunt, 1. Relaxatio disciplinæ. 2. Data scandala. 3. Piorum persecutiones. 4. Graviores aliquorum lapsus. 5. Communis populi infinita scelera. Quid agendum in tali diluvio peccatorum.

Math. 9. vers. 23. CUm venisset Jesus in domum Principis, cujus erat defuncta filia, *& vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, &c. Et cùm ejecta esset turba, intravit: & tenuit manum defunctæ. Et surrexit puella.* Similis planè modus in animæ peccatricis tenendus est resuscitatione. Qui lapsam voluerit animam excitare, ejicere debet *tibicines* sive buccinationes acrium invectivarum, *& turbam tumultuantem* inordinatarum choleræ passionum, & pacato sedatoque animo sese applicare ad tantum pietatis sacramentum, quantum est justificatio peccatoris. *Et cùm ejecta* erit hæc *turba, intrabit* Jesus, atque suæ manu misericordiæ defunctam apprehendens, faciet in vitam gratiæ respirare. Hoc expendens Seraphicus Patriarcha, præsenti textu convenit sui Ordinis curatores animarum, monetque eos, *ne conturbentur propter peccatum alicujus.* Cùm autem variæ sint perturbationum occasiones, variè quoque instruendus erit animus ad comparandam contra easdem tranquillitatem.

Quemadmodum Dei Ecclesia à suæ fundationis initio per succedentia tempora variis subjacuit mutationibus, tempestatum & scandalorum, quæ bonis Christi fidelibus materiam præbere poterant conturbationum atque tristitiæ; sic quoque Seraphicus Ordo miseras habuit vicissitudines, quas non potuerint probi ejus filii non deplorare. Cùm ipse S.
Legenda cap. 8. Fundator illius, primam videret in eo institutam sanctitatem oblitterari, & Regulæ suæ professores ab ejus primæva dilapsos observantia, non mediocri perturbabatur tristitiâ, præsertim cùm se ad medendum tanto malo videret insufficientem. Sed pius Dominus eum blandè consolatus, eâ erexit promissione, quòd quantiscumque foret hæc paupercula Religio concussa impulsibus, salva semper ejus munere permaneret. Illâ acceptâ pollicitatione quietus permansit Vir Dei, certus fidelem Dominum suo verbo minimè defuturum.

Temporibus Alvari Pelagii circa annum 1334. piorum quorumque Fratrum animos contristavit flebilis illa tempestas & infame scandalum, quod ortum fuit ex occasione Antipapæ Fratris Petri Corbarii, & oppositione Generalis Ministri Michaëlis Cesenatis & principalium Ordinis Magistrorum contra Joannem XXII. Pontificem. Sed noster Alvarus Pelagius Vir Spiritu sancto & sapientiâ plenus, semetipsum & consodales universos præclarâ erigit oratione, ne in conturbatione infigerentur, scribens: *Pauper missus à Deo cum* De planctu
bulla regia, minister ejus, non est mortuus, sed Eccles. lib.
vivit. Clariùs resurget & perfectiùs. Tentatur 1. art. 67.
& tentabuntur filii ejus pervalidè, sed Patris munere non deficient, quia in charitate perpetua delecti & disposati cum Patre sunt. Servi non manebunt in domo Patris in æternum, quia legem perfectæ libertatis ab omni carne, id est, Evangelium negaverunt verbo & opere. Hic parantes Pascha, quia filii Agar ancillæ Ægyptiæ & tenebrosæ. Blasphematus & stolidus reputatus Pater inclytus, pauper, sapientiâ plenus, liberans Ecclesiam, & condemnatus à filiis spurcitia, retrogradis & apostatis. Vindictam petiit & petit, faciet Dominus exercituum, quia zelatur eum. Fiet carnis totalis destructio; alias non fieret spiritus constructio. Nemo potest veterem, discissam & disruptam tunicam plenariè resarcire. Ex una parte resuitur, ex altera scinditur. Vermibus & grandinibus, leonibus & vulpibus, singularibus feris apris vinea exterminata & vastata est, Francisci sacra Regula. Ad quid sepes & maceries, constitutiones quæ non servantur? ut quid cæco collyrium? quid leproso syropus? quid mortuo medicamen? quid albedo Æthyopi? quid simplicitas vulpi, lupo sobrietas, corvo legalitas, pardo puritas, leoni humilitas, paupertas gigantibus, charitas litigantibus & ambientibus? Nullum cataplasma, nullum antidotum tanto morbo medebitur, nisi segregatio electorum. Interim fit fex olei amurca cum oleo, furfur cum similagine, &c. Dominus Sabaoth faciet consummationem arrogantium; & per eum sapientibus (veriùs insipientibus) concludetur. Inimici Christi & Evangelii resarcient Evangelium, nescientes quid agant, & vindicabunt impugnationem, quia Dominus pugnat occultè. Sic vaticinatus est Vir pius ad afflictorum solatium, & ita mirabiliter evenit.

Versutissimus enim hostis paupertatis Gerardus Odonis Generalis circa annum 1334. locum Bruliani concessit B. P. Joanni de Vallibus & sociis ejus cultoribus sanctæ paupertatis, nesciens quid furet inde secuturum. Successores deinde Generales ministri non mediocriter faverunt B. Paulutio de Trincis, cæterisque reformationis auctoribus, qui spiritum B. Joannis de Vallibus medullitùs imbiberant, & per eos *segregatio electorum* (de qua superiùs) facta est, resarcitum Evangelium, & vindicata sanctorum Fratrum impugnatio, quæ diutissimè duràrat.

Verùm dum jam stabilita esset Reformatio, & usque ad ultimos terræ fines dilataretur, rursum ei bellum filii Belial indixerunt, ducibus ipsis Generalibus Ministris, ita ut summorum auctoritate Pontificum nutare quandoque videretur, & perturbari inciperent Observantes; quorum unus Deo familiarissimus F. Franciscus Paravinus suas apud eum deponens querimonias, hoc tulit responsum, pro majori

Chron. p. 3. l. 3. cap. 52. totius Reformationis quiete: *Ne contristeris propter malè viventes: contempsi enim eos. Numquam deerunt vobis viri secundùm cor meum. Quando deficerent omninò, faciam eos nasci, eosque vobis mittam.* Neque promissis suis divina defuit providentia; tot enim Sanctis Patribus istam fulcivit reformationem, tantamque tribuit apud Principes omnes Ecclesiasticos & sæculares auctoritatem, ut per eam quasi mundus reformaretur universus & virtus illius de adversariis omnibus æmulisque palam triumpharet.

Sed quia nil in humanis tam stabile, quod non cum tempore collabescat, fieri (quod Deus avertat) futuris temporibus poterit, ut avitam Observantiæ sanctitatem veterascere videamus & tendere ad interitum, nullam haberi rationem sanctæ paupertatis, refrigescere spiritum orationis, laxari habenas dissolutis, & scandalosa multiplicari peccata. Ad hæc efferveresceret aliquando fratrum spiritus, & abriperetur ad meditationes accusationum, improperiorum, contumeliarum inferendarum, repugnantiarum & similium amaritudinum. Sed præsenti Textu monet nos S. Institutor: *ne conturbemur propter peccatum alicujus*, quantumvis enorme, sed oculos ad supernam Dei levantes permissionem, consideremus cum S.

Lib. 25. moral. cap. 14. Gregor. quod *sapienti providentiâ fit, ut dum alii eriguntur, alii confringuntur, & spes nutritur humilium, & elatio premitur superborum, dum & illi bona possunt amittere, de quibus superbiunt, & isti ea percipere, quæ quia non habebant, contemnuntur.* De qua vicissitudine alibi idem Gre-

Lib. 34. moral. cap. 10. gorius: *Istorum casus utilitate non modicâ electorum profectibus servit: quia illorum lapsum dum conspiciunt, de suo statu contremiscunt, & ruina qua illos damnat, istos humiliat. Discunt enim in superni auctoris protectione confidere, dum plerosque conspiciunt de suis viribus cecidisse.* Istud est bonæ mentis argumenmentum, si studeat sollicitè coronam colligere, quam conspicit alios gratis abjecisse; & quò miserabiliùs videt sanctam labefactari disciplinam, eò vigiliùs tueatur illam in seipso, ne pereat penitùs, & tametsi extingueretur in aliis, apud suam tamen possit animam constans vividaque reperiri. *Opus suum probet* Gal. 6. vers. 4.

unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Si quis voluerit nos conturbare, ipse suum portabit judicium. Dum autem proprium nostrum portamus onus; quid aggravemus illud per onera aliena, & per admissam gratis conturbationem? *Pacem sequi-* Hebr. 12. vers. 14.

mini cum omnibus, eam silentio redimentes, dum permixti dissolutis, non speratis eos posse emendare, *& sanctimoniam*, non vos eis commiscendo, sed inter pravitatis exempla debitæ inhærentes justitiæ, *sine qua nemo videbit Deum: contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei*, nullo etiam præcedente duce semitam vestrorum tenentes votorum, nec declinantes ad dexteram nec ad sinistram: *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*, ne damna totidem per amaram vobis inferatis iracundiam, quot alii quibus irascimini, sibi tulerunt per concupiscentiam. Æquè recenset Apostolus inter Gal. 5.

opera carnis inimicitias, æmulationes, iras, rixas & sectas, quibus zelantes consumuntur; quàm fornicationes, immunditias, ebrietates & commessationes, pro quibus conturbantur. Perinde est hosti, sive vos igne furoris & indignationis consumat, sive aquis suffocet deliciarum. Si conturbari pergimus quantùm se fraternorum extendit defectuum multitudo, non irascendum modò, sed planè insaniendum erit; cùm plena sint omnia vitiis, & momentis singulis nova contingat undique pullulare. Tametsi dura eis fuerint quandoque applicanda remedia, faciendum erit absque turbatione. Urit chyrurgus, secat & excarnificat; minimè tamen conturbatur. Insanus fuerit judex, qui dictâ in reum sententiâ, priùs eam cruciatu proprio exequatur in semetipsum.

Denique turbationis occasionem non modò mala præbent domestica, verùm etiam externa, quæ fieri videmus ubique ab hæresibus, à bellis licentiosis, à potentum crudelitate, ab avarorum ingenio, à brutalitate carnalium, ab omni statu & sexu tam publicè quàm secreto: ita ut undequaque non nisi gemitus audiantur, murmura, scandala & desperationes; super quibus eædem ferè conveniunt admirationes, quas olim ingeminabat Pro-

pheta: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè* Psal. 72. vers. 2.

effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, &c. Quia inflammatum est cor Vers. 21.

meum, & renes mei commutati. Vix est qui similem non sentiat super miseriis horum temporum conturbationem. Acerbissimis temporibus vivebat Alvarus Pelagius, quæ ansam ei præbuerunt conscribendi magnum illum Ecclesiæ Planctum enarratis flagitiis præcipuis sanctam Dei Ecclesiam dilacerantibus. Sed seipsum aliosque com-plangentes, suis futurisque sæculis sapienter componit ad tranquil-

litatem; dicens: *Quidquid mali in Ecclesia agi* Lib. 1. art. 67.

videmus, si habemus officium & possumus, corrigamus: vel gemamus & sileamus. Obturemus aures rumoribus: expectemus Dominum: dimitta-

mus

mus ipsum facere, quia benè omnia facit. Quæ nos mala vocamus, ipse bona; & quæ nos bona, ipse mala sæpissimè appellat. Nam stultum Dei, sapientius est hominibus. Omnia quæ fiunt, aut justo judicio facit, aut permissu ita fieri sinit. Non est sapientia, nec consilium, nec fortitudo contra ipsum. Dimittamus ipsum regere mundum,
Psal. 118. *qui creavit mundum.* Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. *Ille sapientior, qui non est curiosus scire, qualiter regatur mundus. Curiosi & scrutatores, qui scrutinio scrutati sunt iniquitates, defecerunt. In guerra habitant, & pax longè est ab eis. Beatus qui de bono & malo lucrari scit: iste est Aiod ambidexter. Prudentes mercatores de vilibus & pretiosis mercibus lucrantur: fatui de omnibus perdunt. Quid nobis & novitatibus, mundi qui semper se movet & movetur? Nos cum eo moveri non de-*
2. Cor. 51. *bemus. Mortui sumus mundo, ne pereamus cum mundo & damnemur. Scimus quòd Deus est, & totus bonus est, & utrumque sæculum benè regit; & hoc sufficiat nobis. Utinam vere & ex corde dicamus:* Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra! *non petentes, juxta Cyprianum, ut faciat quod vult; sed ut nos facere possimus quod vult. Quæ novitates fuerunt, & erunt, non est curandum, nec utile scire. Hoc autem sciendum, & in memoriâ continuè tenendum, quòd mori nos necesse est. Sed ubi, & quando, & qualiter, nescimus. Quid mihi, si totus mundus ut luna mutetur, & stultus cùm eo? Ego Dei gratiâ permaneo ut sol in sphæra sua. Et quid si totus mundus salvetur, & ego solus perirem? Si nec salvatur umquam quis nisi qui secum habitat, & qui revertitur in se cum filio prodigo, accedat homo ad cor altum. Hoc tempore tenebrarum, me examinato, dico mihi: Quid vis extra Deum? Respondeo: Nihil. Et infero: Quis Deum tibi tollere potest, nisi pervicacia tua? Post Deum & cum Deo ego mihi bonus; & sinè homine & Deo ego mihi malus. Quis ergo separabit me à charitate Dei? Proprietas mea. Si igitur me Christo mente non communico, me ab eo excommunico. Si in me non sum, in ipso non sum; quia in ipso vivo, moveor, & sum. Si verò in me sinè ipso sum, non sum vere, quia per ipsum & in ipso sum id quod sum.* Hæc pientissimus ille Doctor ad sedandam mentis turbationem, quæ in anima ex publicis potuisset oriri peccatis, & consequentibus calamitatibus. Prudens fuerit atque beatus, qui his consideratis tabidas excusserit tristitias & suaviter in pace mentis velut in littore positus, furentes istos aspexerit fluctus: quemadmodum beatos in cœlo non conturbant innumera in mundo commissa facinora, nec horrendæ blasphæmiæ in inferis reboantes: ita & illi, quorum est in cœlis conversatio, in sua persistentes tranquillitate, hæc omnia inferiora divino remittunt tribunali judicanda, reformanda & ulciscenda. In se verò regredientes, quamdiu versantur in statu cadendi, contremiscunt, ne manum suam retrahat ille per quem solùm stant, & eos cavent præsumptuosè despicere, de quibus est adhuc spes vitæ melioris; attendentes profundè ad divinam illam correptionem: *Numquid ingressus es the-* Job. 38. vers. 22.
sauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli? Super quo D. Gregorius sic commentatur: *O qualem thesaurum hunc Saulum in nive* Lib. 23. Moral. cap. 18.
& grandine habuit, quando illum inter pravorum vitam positum jam tunc electum suum Dominus latenter vidit! Sed ad ista dona vel occulta judicia dum recurrimus nullos omnino desperantes, nec illis nos in corde nostro præferimus, quibus pro tempore prælati sumus: quia etsi jam videmus quantùm præcessimus, nescimus quantùm cum currere cœperint, præcedemur. Nulli te de operibus tuis præferas; quia de his quos intueris, adhuc per culpam frigidos, quantos operatores justitiæ ac defensores rectæ fidei, sim facturus; ignoras. Vidimus aliquando propter aliena graviter conturbatos peccata, & arrogantes aliorum contemptores, in deteriora scelera justâ Dei permissione cecidisse.

TEXTUS & §. XIII.

Quia ira & conturbatio in se impediunt charitatem.

SUMMARIUM.

Aurum charitatis amittit Superior, dum potentiarum ipsius naves, illud advehentes, ad irarum scopulos confringuntur. Multipliciter ira impedit charitatem. 1. Inducendo oblivionem bonorum officiorum. 2. Occludendo aures ad satisfactiones, & dedignando alloqui subditos. 3. Reddit inutiles monitiones.

3 Reg. 22. vers. 49. JOsaphat Rex Juda *fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum: & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber.*
Apoc. 3. vers. 18. Charitas aurum est ignitum, quod emere monetur Laodiciæ Ecclesiæ Episcopus. Et sanè cum primis illud necessarium est Regi Juda, hoc est rectori pœnitentium & confidentium animarum, ut omnibus rectè gubernandi dotibus locupletetur. Classes igitur omnium animæ potentiarum instruere debet, ut au-

ut aurum illud abundanter valeant apportare. Sed miserabili sæpè contingit infortunio, ut naves Josaphat confringantur, *Josaphat* qui *Dominus judex* dicitur, Superiorem illum designat, qui prælaturâ quasi dominii in subditum utitur auctoritate, magisque ad rigorem judicis, quàm ad patris inclinatur clementiam. Hujus naves confringuntur in *Asiongaber*, quæ *lignum robusti* interpretatur, & potest iracundiam denotare hominis conturbati; quia ipsa instar ligni robusti, odiorum incendia & flammas nutrit infernales. Hic confringuntur rationales Prælati facultates, quæ charitatis aurum ipsi debuerant apportare. Offuscatur ratio turbationis nubilo, memoria invertitur, & providentia disponendorum, affectus depra-
Psal. 36. vantur voluntatis. *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*, inquit S. David. Convertuntur naves Tharsis in spiritu vehementi turbativæ atque iracundæ correptionis. Præmonet ideo filios suos Franciscus ab eo periculoso scopulo declinare; *quia ira & & conturbatio in se impediunt charitatem*, quæ aurum est, quo in Deum divites evadimus.

Inprimis enim obliviscitur iracundus beneficiorum, amicitiarum, perfectionum alienarum, omniumque quæ nata sunt excitare & fovere charitatem. Hoc videre fuit in mi-
2.Reg.16. vers. 14. serabili Saule: *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, spiritus utique furoris & invidiæ. Et quid ille operatus est? Beneficiorum omnium ei à Davide præstitorum oblivionem. Opem ejus expertus fuerat in bellis, fidelitatem & reverentiam in omnibus, & quæcumque possent ab amico sincerissimo desiderari. Quod objecit
1.Reg.19. vers. 4. Patri suo Jonathas, quando eum monuit: *Ne pecces Rex in David servum tuum, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde, & posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israëli. Vidisti & lætatus es.* Aliàs quo-
1.Reg.24. vers. 18. que fassus est illius se victum benevolentiâ: *Justior*, inquit, *tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Datis interim occasionibus interficiendi, oblitus est omnium, & in suo perseveravit odio. Pari
Prov. 27. vers. 4. modo & in aliis *ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* Quibuscumque præveniantur irati obsequiis, nihil agitur in cordibus eorum, inexorabiles & invicti sunt, & digni quibus à Deo maledicatur, eo modo quo Jacob filiis
Gen. 49. vers. 7. suis maledixit Simeon & Levi: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Aures occludit ad excusationes quantumcumque legitimas, ad supplicationes quantumcumque humiles, ad querimonias, & ad turbas quascumque inde secuturas: imò & ad proprii nominis atque æstimationis detrimentum.

Secundò, Suadet charitas pusillanimes subditos uno verbo subindè allicere ad confidentiam, & affabilitate invitare ad aperiendum cor suum, cui possit ipsa mederi. Prohibet hoc arrogans ira & amarum indicit silentium. Quid porrò silentium hoc efficiat, Sanctus observat Gregorius: *Nonnumquam*, inquit, *dum accensus animus à consueta locutione restringitur, per accessum temporis à proximi dilectione separatur, & acriores stimuli ad mentem veniunt; causæque quæ graviùs exasperant oriuntur, atque in irato oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Verba sibi quibus exasperatur objicit, & quasi in causæ examine posita duriùs exasperata respondet, fitque præstolatio impiorum furor.* Mirabile profectò, quod & auditum tollit, & loquelam adimit, ne locus paci pateat & charitati. Lib. 5. Moral. cap. 31. Prov. 11. vers. 23.

Tertiò, Erumpit ira aliquando in correptiones, non potens ampliùs se intrà viscera continere, atque in delicta invehitur vehementiùs. Quo verò fructu? Nullo planè: imò & cum scandalo subditorum & detrimento ut suprà visum est, & §. sequenti ampliùs ostendetur. Sancti quidem & ipse Dominus Jesus in acres aliquando exarserunt peccatorum objurgationes; verùm non ex ira inordinata, sed ex inflammata charitate, quæ numquam nocere potest objurganti, & objurgatis apta est prodesse, nisi obfirmatam inveniant pervicaciam, ipsi quoque Deo impenetrabilem. Noster Franciscus Fevardentius commentans illud Sancti Judæ: *Deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei*, ad rem nostram sic scribit: *Hic observanda est summa divini Apostoli humanitas atque modestia, qui cùm posset eximiâ sibi à Domino potestate commissâ præcipere, mitissimo affectu hortatur & rogat. Nihil ergo arroganter, nihil minaciter aut insolenter imperat, sed humiliter obsecrat & admonet, exemplum relinquens cunctis Ecclesiarum Pastoribus, ut suâ modestiâ benevolentiam sibi concilient, aditumque ad corda hominum, quos curare debent, hâc virtute sibi patefaciant: nam superbiâ & arrogantiâ odium concitatur. Ter maximus ille Paulus Evodiam rogat & Syntichen cum cæteris Christianis deprecatur. Romanos obsecrat per misericordiam Dei. Jubet Timotheo auditores suos obsecrare in omni patientia & doctrina. Igitur ab Apostolica moderatione procul absunt illi, qui omni fermè verbo furiosè imperitant, tonant, fulminant, minas spirant & cædes in discipulos.* Epist. Judæ. vers. 3.

TEXTUS & § XIV.

Et in aliis impediunt charitatem.

SUMMARIUM.

Ventus vehemens iracundiæ, concutit quatuor angulos domus religiosæ, atque opprimit inhabitantes. Ira enim Superiorum. 1. Incitat subditos ad odium. 2. Obedientiam reddit difficiliorem. 3. Scindit Ordinis unitatem. 4. Compellit ad apostasiam. Obligantur tamen subditi sufferre iras Superiorum. Quantus illius sufferentiæ fructus.

Filiis & filiabus Job vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, *repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppressit eos & mortui sunt.* [Job. 1. vers. 18.] Frater noster primogenitus, quem genuit Dominus Jesus per Evangelium, Franciscus est: Domus ejus, sacra Minorum Religio. Hanc ædificavit sibi & nobis sapientia pauperis, miscuit vinum angelorum, hoc est, lachrymas pœnitentium, & proposuit mensam, id est, Regulam suam seraphicam, universis instructam Evangelicarum virtutum edoliis; imò quæ sit ipsa tota *medulla Evangelii.* [Opusc. S. Francisci tom. 2.] Ad hanc invitans, ait: *Si quis est parvulus*, humilis, futurus verè Minor re ac nomine, *veniat ad me. Venite comedite panem meum*, [Prov. 9, vers. 4.] quem divino mandato jussus sum de micis facere verborum Evangelicorum, *& bibite vinum quod miscui vobis.* [Legenda, cap. 4. n. 11.] Sic instar Vir Sanctus, ut *justi epulentur & exultent in conspectu Dei.* Convenimus ergo per Dei gratiam ad domum hujus fratris nostri primogeniti. Vescentibus autem & bibentibus filiis Job, *repentè ventus vehemens irruit à regione deserti &c.* Secundùm D. Antonii Paduani interpretationem, per Desertum mundus venit intelligendus, bestiis plenus. [In cap. 1. Job.] *Ventus vehemens à regione deserti*, inquit, *est repentina suggestio diaboli, quæ aliquando ita fortiter ex improviso irruit, quod quatuor angulos domûs, id est, quatuor principales virtutes animæ viri justi excutit à fundamentis, & aliquando in peccatum mortale eum corruere facit.* Hujusmodi ventum timens Franciscus in domum suæ Religionis irruiturum, denuntiat, quoniam *ira & conturbatio in se & in aliis impediunt charitatem*, quæ est animæ vita, & corruente domo per oppressionem amittitur, dum quatuor anguli, hoc est, virtutes quatuor principales Religionis domum fulcientes, funditùs concutiuntur.

Primò, Amor inferiorum erga Præpositos suos, unum est è bonis præcipuis vitæ religiosæ. Quàm difficile autem est amari eos qui seipsos reddunt odibiles! *Ira certè & furor utraque execrabilia sunt;* [Eccl. 27. vers. 33.] non Deo solùm, verùm & hominibus: *grave enim est saxum & onerosa arena, sed ira stulti utroque est gravior.* [Prov. 27. vers. 3.] Quomodo subditi ad præfecti religiosi disponi poterunt amorem, si per indecentè nimis acerbitatem sic appareat in domo, ut Nero aliquis, Domitianus, Caligula, vel Heliogabalus? Nullus se credet iracundo viro, cui simul ad manum sit nocendi potentia. *Sicut fremitus leonis, ira Regis*, [Prov. 19. vers. 12.] sive Superioris cujuscumque, qui facilis est ad feritatem. Dissuadet sanè confidentiam Sapiens: *Noli esse amicus homini iracundo; neque ambules cum viro furioso.* [Prov. 22. vers. 24.] Facillimum autem subditis erit suos amare Prælatos, si amaram tollant morositatem, aut ita comprimant, ut minimè valeat erumpere. Ad ipsos etiam ea lex Apostolica dignoscitur pertinere: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini;* [Ephes. 6. vers. 4.] quæ utique sine ira fit, & conturbatione.

Secundò, Obedientia religiosa supra modum difficilis redditur sub immodestis Superioribus. Cicurat subditos lenitas & supportatio; asper verò agendi modus efferatos reddit, in tantùm ut jugum excutiant; & haud aliter quàm agrestes bubali aut equi indomiti se minimè gubernari patiantur. *Numquid currere queunt equi in petris, aut arari potest in bubalis; quoniam convertistis in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ in absynthium? Qui lætamini in nihilo, & dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* [Amos 6. vers. 13.] Sic agunt illi minitabundi, qui ad minitula quæque gladium stringunt suæ potestatis, putantque se gloriosos, si potestate apparuerint quasi cornibus armati, seque formidabiles subditis suâ reddiderint iracundiâ. Convertunt *in amaritudinem judicium, & fructum justitiæ*, qui dulcis esse debuerat, *in absynthium.* Quo fit, ut petrosa fiat religiosa vita, prærupta & quasi invia; per quam *equi*, hoc est subditi *currere nequeunt;* & qui alioquin veluti boves simplices erant & laboriosi, assueti jugo & ad aratra flexibiles, per indiscretionem regentium agrestes fiant bubali, qui jugum non admittant, sed inutiliter in sua divagentur libertate. Sapientissimum erat datum insolenti Regi Roboam consilium: *Si hodie obedieris populo huic, & servieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus;* [3. Reg. 12. vers. 7.] siquidem ingenui homines lenitate captivantur. Hâc arte superavit S. Cuthbertus Abbas & Episcopus Monachos quosdam priscæ suæ consuetudini magis quàm Regulæ adhærentes. [Surius ad 20. Martii num. 16.] Illos quotidiano exercitio convertere paulatim ad statum melioris propositi conabatur. Cùm sæpiùs de Regula disputans, acerrimis fatigaretur contradicentium injuriis,

exurgebat repentè, vultuque placido egrediebatur. Sequenti nihilominus die, quasi nihil sustinuisset objectionis, eadem quæ priùs monita dabat auditoribus, hilarem inter acerbas oppositiones prætendens faciem, donec paulatim eos ad illa converteret quæ volebat. Prov. 19. vers. 11. Sic *doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria ejus est iniqua prætergredi*, quasi plantis intactis. Quæ patientia taliter corda perstringit subditorum, ut repugnare ulteriùs erubescant.

Tertiò, Unitas Ordinis & indivisio res est Eccl. 25. vers. 1. maximè desiderabilis. Inter tria, in quibus placitom est divino spiritui, & quæ sunt probata coram Deo & hominibus, numeratur *concordia fratrum*. Iratum verò partus est insanabilis scissura Religionis, ad quam aliquando adacti sunt viri aliàs devori, Deumque timentes, dum propter bona opera, nomine singularitatis, novitatis, & hypocrisis pessimè interpretata, incessabiles paterentur persecutiones. Ex his scissuris ortæ suor ulteriùs, prò dolor! lamentabiles cordium alienationes, inter illos etiam, qui ejusdem Religionis albo suot inscripti. De scissuris illis à superbia suscitatis & ira, S. Antonius Paduanus versiculum illum Jeremiæ: Jerem 18. vers. 14. Serm. in Domin. Sexagesima. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani?* in hunc modum interpretatur: *Ager est Ecclesia. Petra agri, Religio supra petram fidei fundata. Nix est munditia mentis & corporis, quæ nunquam debet deficere de Religione. Sed heu! quanta scissuræ, quanta schismata, quanta divisiones & dissensiones sunt in petra! id est Religione: super quam si ceciderit divini verbi semen, non fructificat; quia non habet humorem gratiæ Spiritus sancti, qui non in scissuris discordia, sed in unitatis habitat mansione.* Væ illis, quorum iracundiæ vitio fit, ut veniant scandala, & præbetur scissuris istis occasio.

Quartò, Perseverantia quoque in assumpto Religionis statu convellitur occasione iræ Superiorum & conturbationis. Enimvero, si diotina sit & irreconciliabilis ira, Satana subditos, pinpellente infirmiores, in desperationem & tristem abitur apostasiam. Utcumque tolerabilis est momentaneus fervor, & post aliquantulum temporis placari facilis; reviviscit charitas, redeunte clementiâ & antiquâ familiaritate; sed si post commissam noxam unam, Patres ita maneant implacabiles, ut toto vitæ tempore misellus aliquis suspectus sit, contemptus, nunque bono verbo indignus, cogitabit qualiter se à perpetuo liberet opprobrio, & à continuis proripiat improperiis. Hic quidem prætextus apostatas illos non excusat omninò, reddenda tamen erit coram Domino ratio ovium dissipatarum, quando ipse Judex increpabit indiscretos Præpositos eo prophetico verbo. Ezech. 34. vers. 4. *Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, quod abjectum est, non reduxistis; quod perierat, non quæsistis, &c.* Consolidassent, sanassent, & alligassent sauciata corda subditorum per apertam & non fictam charitatem, si post inflictam correctionem videre potuissent miselli bonum eorum animum ut priùs, nec se pro rejectitiis haberi & desperatis; sed quia post expletam punitionem perseverat torvus vultus, dedignabunda vox, & postulata quæcumque recusantur, judicant adhuc in imo cordis aliquam remanere radicem amaritudinis, novorum setacem malorum: quæ à maligno spiritu maligniùs aggravata, nonnisi fugæ remedio evadi posse persuadetur. Sic ventus vehemens iracundiæ irruens à regione deserti concutit angulos domûs religiosæ, quam corruere facit, & opprimi inhitantes. Cavendum igitur admodum sollicitè Prælatis, *ne irascantur vel conturbentur propter peccatum alicujus.*

Monendi nihilominùs ex altera parte sunt delicati & infirmiores subditi, qui nimiâ incuriâ necessariâ in se patiuntur extingui charitatem, & justo titulo se offendi Superioribus, de eis murmurare, eisque obstrepere contendunt. S. Gregorius generalem pro Christianis omnibus regulam sumens ex verbis Apostoli: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*, Rom. 12. vers. 18. loquitur in hunc modum: *In vobis maneat pax etiam cùm à pravorum corde repellitur: quam tunc veraciter tenemus, cùm superborum culpas cum charitate simul & justitia insistente prosequimur: cùm eos diligimus & eorum vitia odio habemus. Opus quippe Dei homo est; sed opus hominis, vitium. Nos ergo discernamus, quid Deus, & quid homo fecerit, & neque propter errorem odio habeamus hominem, neque propter hominem diligamus errorem.* Lib. 4. Epist. c. 80. Quia verò proni sunt subditi præter hanc regulam in Superiorum magis quàm aliorum aspicere vitia & excandescere, singulare illorum assumens patrocinium, ait: *Si David Regum justissimus in Saul, quem constabat jam à Domino reprobatum esse, manum mittere non præsumpsit; quantò magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis sive indiscretionis aut dehonorationis quidam mittant in unctum Domini, quia vexatio eorum sive detractio ad Christum pertinet?* Lib. 12. Epist. cap. 35. Sit regimen eorum cum ira & rancore, injurias irrogent etiam sinè causa, docet humilitas & patientia religiosa non idcirco commoveri, sed in pace mentis omnia sustinere. Sic Franciscus præcipuos suos instruxit discipulos, atque ita observàrunt. Acerbior ira vix inveniri potuit, quàm Fratris Heliæ adversùs F. Cæsarium, F. Leonem, F. Angelum, F. Adamum de Marisco, aliosque zelosos Minoriticæ Regulæ observatores, qui velut agni mitissimi leoninam ejus tolerarunt tyrannidem. Flagris ab eo exceptus S. Antonius Paduanus, ipsi aliisque eum cædentibus nihil respondit aliud, quàm: *Benedictus Deus. Parcat vobis, Fratres.* Rodolph. lib. 2 fol. 177. Singulariter formam inextinctæ ad Superiores charitatis, sanctæque patientiæ B. Juniperus exhibuit, facto juxta corticem quidem ridiculo, in se tamen sapientissimo. Annal. Tom. 2. an 1258. num. 16. Vocatum post vesperas ad capitulum, culparum eluendarum officinam, vehementer reprehenderat Minister Generalis, tanto conatu, ut ex raucedine jam fermè loqui non posset. Juniperus sedato ferens animo quidquid sibi dicebatur, plùs ad reprehendentis doluit incommodum, quam ad acrem objurgationem. Quare repleto judicio sui criminis, miro animi candore, & sincerâ charitate de raucitatis cogitavit medela. Perquisivit hinc inde, quibus medicamentum extorsorium confice-

ficeret; dulciculam mox potionem post primam noctis horam (neque enim priùs potuit præparare) in scutula manu unâ, candelam alterâ portavit: pulsato ostio Ministri ter aut quater, insanum abire jubentis, importunè institit, donec tandem aperiret. Rogatus acerbè, quid adeò intempestivè molestiùs quàm par esset, ad ostium jam quiescentis Prælati, requireret? simpliciter, & humiliter dixit: *Pater venerande, venio gratias acturus ob tantum in me beneficium hodie collatum, misericordiam item laudaturus, qui majores, & meis culpis dignas pœnas remisisti: sed justè facientem, raucum factum indolui: paravi itaque hanc medicinam, potu suavem, & effectu mitem, quam oraverim sumere digneris.* Iracundior factus Minister, abire jussit indignanter hominem, nullo, inquit, tempore saniorem, semper amentem. Ille placidè institit: sed dum abigere secundò & sæpiùs vellet commotus Minister; *Rogo* inquit candidâ simplicitate, *ut saltem hanc teneas candelam, dum ego sumpsero illinctum hunc, ne frigeat, aut pereat.* Subrisit præfectus, admiratus hominis candorem, & simplicem charitatem interiùs secum perpendens, pietate victus, inquit: *Dum ita urges, Frater Junipere: simul comedamus.* Sorbuerunt itaque alternatim, piâ utrimque consideratione devotionem excitante. In hunc modum, dum subditus nesciret irasci, Superioris superavit commotionem; & servando in corde proprio charitatem, eamdem in corde restituit atque servavit alieno.

Hanc artem, quam in singulari persona tantum vidimus valuisse, generaliter in Prælatis omnibus excercere Deum ostento mirabili edoctus fuit B. F. Franciscus Papiensis, dum Annal. Tom. 5. an. 1446. num. 23. Generalis Minister, & major Provincialium pars in reformatos irritati contra Observantes sinistri aliquid molirentur. Dum enim deprecaretur Dominum, ut instantem averteret tribulationem, ostensa fuit ei mysteriosi artificii rota ad similitudinem vaticinii Ezechielis, quæ mirâ velocitate, quocumque placebat, dirigebatur; & in ictu oculi universi orbis partes pertingens, ad eos declinabat, quos mittens intendebat, & secundùm dirigentis beneplacitum eos immutabat, voluntatemque quantumvis rebellem emolliebat. Ad ejus velocitatem, flexilitatem, virtutem, & potentiam obstupenti Francisco, oraculo patefactum est mysterium: videlicet rotâ illâ designari Dei gratiam, quæ ad universum hominum genus extenditur pro arbitrio conferentis, & sinè mora, prout Deo lubet, pertinacissimas quasque conterit voluntates. *Hoc,* inquit, *benigno & misericords pro vobis & contra vestros inimicos utor instrumento; missâ hâc rota, infusâ gratiâ immuto mentes, perseverantium confirmo voluntates, & quod vobis prosit, rectoribus immitto consilium. Attamen ut in vestrum auxilium mittatur, & pro vobis operetur, necesse est, ut & vos levem, sed fortem armaturam induatis duplicis humilitatis. Primò ut contriti & humiliati in conspectu Dei libenter subjiciamini præpositis vestris, & omni humanæ creaturæ propter eum, & oretis, ut suo velit adesse auxilio, ut quod elegistis vitæ genus possitis observare. Secundò ne despiciatis minùs perfectos, neque propter eorum remissiones, aut laxiorem vitam, vobis ipsis complaceatis, aut tamquam perfectioribus applaudatis; sed in timore & tremore multo vestram salutem operemini, aliis misellis compatientes. Hæc facientes, paratam habebitis rotam in vestrum adjutorium & præsidium.*

CAPUT OCTAVUM.

De Electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.

VNiversi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum & servum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat à Ministris Provincialibus & Custodibus in Capitulo Pentecostes: in quo Provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum verò Pentecostes, Ministri & Custodes possunt singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare.

CA-

TEXTVS & §. I.

Universi Fratres unum.

SVMMARIVM.

Formâ regiminis monarchici, tamquam perfectioris, fuit usus Deus in toto universo, Christus in sua Ecclesia, & in suo Ordine Franciscus. Per illam politiæ formam meliùs servatur. 1. Vniformitas divini cultus. 2. Vniformitas externarum observantiarum. 3. Impediuntur vel componuntur dissidia Provinciarum. Vnde ergo tres Generales Religiosorum qui D. Francisci Regulam profitentur? 1. Ad facilius regimen maximæ multitudinis. 2. Ad majorem dissidentium pacem.

Rom. 11. vers. 5. PRævidens Oseas Propheta salvandas Israëlitarum reliquias; Apostolos nimirum atque Discipulos, aliosque, qui forent ex Judaico populo credituri, constituendam inter eos formam regiminis describit in hunc modum: Osee. 1. vers. 11. *Congregabuntur filii Israël pariter: & ponent sibimet caput unum.* Sic voluit Dominus perfectissimam Congregationem dilectæ sibi Ecclesiæ perfectissimâ normâ regiminis gubernari. Enimvero Monarchiam, id est *unius pastoris principatum* præcellere Aristocratiam, hoc est *principatum optimatum*, & Democratiam, hoc est *populi totius imperium*, non solùm Ethnici *Arist. lib. 8. Etic. c. 10. Plutarch. in lib. de Monarchia & alii* docuerunt morales Philosophi; verùm & Deus ipse sui ostendit regiminis exemplo. Ipse Monarchico principatu mundű regit universum: unum Angelum principem summum post Deum, agnoscunt in cœlo Angeli: unum Pontificem summum post Christum, agnoscunt in terris Christiani. Hæc est perfectissimi norma regiminis, ut una congregatio ab uno capite gubernetur. *Hugo de Dina in hunc Textum.* Eapropter unitatis amator Franciscus voluit, ut familia sua poneret sibi caput unum, & totius ovilis sui fieret pastor unus. *Universi Fratres*, inquit, *unum* teneantur habere in Generalem totius Fraternitatis Ministrum, à quo cæteri dependeant subalterni rectores, tum in jurisdictionis communicatione, tum in agendorum singularium negotiorum directione, cum plena obedientiæ subjectione. Hoc pacto Minoriticum suum Ordinem regendum constituit ad instar militantis Ecclesiæ & triumphantis: atque complura ab eo removit incommoda.

Primò Regum pluralitas priscis temporibus pluralitatem induxit atque diversitatem religionum, in tantùm, ut extingueretur penè unica illa vera, quam verus Deus præscripserat. Scisso regno de manu Salamonis, & datis Jeroboam decem tribubus, mox divisionem 3 Reg. 12. vers. 26. regni est religionis divisio subsecuta. Dixit enim Jeroboam in corde suo: nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini Jerusalem: & convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam, interficientque me, & revertentur ad eum. *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultrà ascendere in Jerusalem:* Ecce dii tui Israël, *qui te eduxerunt de terra Ægypti. Posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan: & factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad odorandum vitulum usque in Dan.* Huic errori pessimo gentis suæ mederi volens Dei providentia, prædixit de ea atque promisit: *Suscitabo super eam pastorem unum qui pascat eas, &c.* Ezech. 34. vers. 23. Id factum in Christi videmus Ecclesia, & est quasi miraculum à Domino, tam diversas nationes & linguas, sub modis vivendi civilibus adeò diversis, in Religionis tamen coalescere unitatem: & si in diversa, per aliquem abeant errorem, mox unius summi Pastoris judicio atque obedientiâ in idem reduci, atque in iis, quæ fidei sunt, summâ pace universos concordare. Cùm igitur nos præter Christianam fidem ad unam simus astricti Regulam, cujus observentia posset pro diversarum nationum corruptelis, & inveteratis patriarum vitiis impediri, faciliùs erit unius rectoris auctoritate ac sanctitate, ad unius regulæ dictamen reduci, compressis nationalibus defectibus, quàm si regimen independens singularum esset regionum relictum indigenis, qui patrios nævos non tanti æstimarent, nec adeò ferventer eorum intenderent correctioni. Et è contrà, cùm virtus plùs cæteris in aliquibus abundet Provinciis, poterit unius Generalis omnibus præsidentis providentiâ, inde magistros suppeditare perfectionis, aut datâ juvenibus bonæ spei ad exteras benè instructas Provincias licentiâ, eos velut ad strictioris reformationis exactiorisque disciplinæ scholam erudiendos destinare.

Secundò, Ornamentum Ordinis est uniformitas vitæ sanctæ externarumque cæremoniarum, vestium, morum, atque regiminis, argumentű enim est vitalis spiritûs religiosis: sicut è contrà difformitas atq; varietas arguit pro-

prium

prium sensum, communium contemptum ordinationum, inobedientiam, levitatem, & sui statûs ignorantiam; maximèque mirantur externi tantam in uno Ordine deordinationem, & agendi pro suo cerebro libertatem, & impunè abrogari ab horario fortè Præside, quæ per longi temporis usum sacra putabat populus & immobilia. Ne igitur permissa sit ipsis etiam Provincialibus, potestas commutandi antiquas, novasque fingendi cæremonias, cum Fratrum perturbatione, atque admiratione sæcularium, expediebat unum præesse generaliter, qui omnes contineat in uniformitate.
Psal. 67. vers. 7. Hoc est ipsius Dei officium, *qui habitare facit unius moris in domo,* convocans & congregans homines ex diversis gentibus & linguis in unam domum Ecclesiæ per fidei unitatem & charitatis concordiam.
Cant. 4. vers. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua*, inquit divinus Sponsus dilectæ sibi Ecclesiæ. Plurima sunt mali punici grana uno conclusa cortice; sic plurimi Christiani unâ contenti Ecclesiâ. *Per malum punicum*, ait Gregorius, *Ecclesia designatur; quia dum multos populos in unitate fides nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit, &c.* Punicum malum coronatum est, unamque tantummodo coronam habet. Ita Ecclesia coronata est, unamque solùm habet maximi Pontificis tiaram Ecclesiasticam. Alias habet Episcoporum; sed omnes summæ parent. Ita quoque Seraphicus Ordo Sancti Francisci unum habet Generalem Ministrum, cui Minoritæ parent universi.

Tertiò, Contingere potest inter Provincias oriri dissidia, occasione temporalium, vel personarum aliquarum, vel jurium, aut prætensionum. De his coram externis litigare tribunalibus nimis est indecorum; ad Sedem recurrere Apostolicam, difficile nimis foret atque molestum, tam ipsi Sedi, quàm litigantibus Provinciis. Conveniebat igitur Generalem unum intrà domesticos parietes cuncta dirimere, ne scandalosi strepitus foris audirentur. Faciliùs etiam eâ ratione terminantur controversiæ, cùm partes domestico judici libentiùs acquiescant.
Ezech. 37. vers. 16. *Sume tibi*, ait Dominus Ezechieli, *lignum unum, & scribe super illud: Juda & filiorum Israël sociorum ejus. Et tolle lignum alterum, & scribe super illud: Joseph ligno Ephraim, & cuncta domus Israël, sociorumque ejus. Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu tua.* Præcepit Dominus vati, ut duo ligna, sive duas tabulas vel duo sceptra sumeret, in altero nomen tribus Judæ, & sociorum ejus scriberet; in altero verò nomen Joseph domûs, sive regni Israël, id est decem tribuum & sociorum ejus exararet. *Adjunge*, inquit, *illa*, scilicet ligna sive sceptra, *unum ad alterum tibi in lignum unum, & erunt in unionem in manu tua, &c.* Sic in manu seu auctoritate Ministri unius Generalis, diversarum Provinciarum subditi vel Prælati *erunt lignum unum, & erunt in unionem* subortæ inter illos controversiæ *in manu ejus*, sive judicandi potestate.

Mirum hîc videri possit, quòd cùm Ordo S. Francisci sit taliter institutus, ut unicum habeat caput; unde jam tria capita, & tres Generales, scilicet Observantium, Conventualium & Capucinorum, quæ tres sunt Societates penitùs ab invicem separatæ? Fatendum decentiùs fuisse unum solùm præfici Generalem cunctis Francisci discipulis, à quo se omnes sub regulari observantia dirigi paterentur; atque ad hoc seriò laborârunt Summi Pontifices Joannes XII. Clemens V. Martinus V. Calixtus III. & Eugenius IV. Sed cùm inter Fratres Conventuales seu Communitatis, & Fratres Observantes ingens esset morum & vivendi dissonantia, coactus est Eugenius & posteriores Pontifices permittere primò separationem ab invicem, quam stabilivit postea Leo X. singulis familiis Observantium & Conventualium suos assignans Generales. Ex quo tempore Privilegiati privilegiis Regulam relaxantibus in Conventualitatis nomen & formam redacti, spoliati Ministeriatu & aliis Officiis Ordinis, Magistrum Generalem habuerunt, & sic à primo stipite hujus Fraternitatis separati sunt. Omnes verò, qui sub Ministro Generali pro pura & stricta observantia Regulæ pugnabant, ut veri S. Francisci filii agniti, in eadem familia conservati sunt, sub eodem capite & Ministro Generali S. Francisci successore, ut deinceps eodem nomine habitarent unius moris in domo. Ita repurgata est, & integritati restituta vera familia filiorum S. Francisci, ex eodem stipite descendentium, continuâ & non interruptâ successione.

Hæc verò ita se habere docet latè Leo X. in Decreto quod incipit: *Ite & vos.* Dato anno 1517. Pontificatûs sui anno 5. ubi sic loquitur: *Volumus & ordinamus, prout in dicta Regula B. Francisci continetur, unum Ministrum Generalem totius Ordinis cum plenaria potestate, quæ ex Regula sibi competit, præfici, &c.* Ut autem ostendat, ex quibus, & à quibus eligi debeat, ut legitimis filiis & membris corporis, his verbis mandat: *Et ne caput suis membris difforme appareat, volumus ac etiam ordinamus, quòd nullus frater possit eligi in Ministrum Generalem, nisi vitam ducat reformatam, & pro reformato à communitate reformatorum habeatur, &c.* Qui verò sint Reformati, declarat, dicens: *Volumus & declaramus sub nomine Reformatorum, ac purè & simpliciter Regulam observantium, comprehendi omnes & singulos infrascriptos, videlicet: Observantes tam de familia, quàm Reformatos sub Ministris, ac Fratris Amadæi, de Colletanis, Clarenis, de Sancto Evangelio seu de Capucio, ac Discalceatos nuncupatos, aut alios similes quocumque alio nomine nuncupentur, & Regulam ipsam B. Francisci purè & simpliciter observantes: ex quibus omnibus supradictis, unum corpus insimul facientes, ad invicem perpetuò unimus. Ita quòd de cætero omissâ diversitate nominum supradictorum, Fratres Minores S. Francisci Regularis Observantiæ vel simul vel disjunctivè nuncupentur.* Ex hac congregatione usque ad hæc nostra tempora eligitur Minister Generalis hujus totius Fraternitatis, prout patet ex decreto Eminentissimorum Dominorum Cardinalium anno 1631. edito; cùm enim Procurator Generalis Fratrum Conventualium S. Francisci ægrè ferret Ministrum Generalem de Observantia in præterito usum

fuisse, & in præsentiarum sui titulo & sigillo cum inscriptione: *Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum*, querelâ ad Sanctissimum delatâ, & per ipsum ad S. Rituum Congregationem remissâ, respondit sacra Congregatio: *nihil innovandum, & Ministrum Generalem de Observantia legitimè usum fuisse, & uti posse titulo & sigillo cum inscriptione: Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum: & ita servari mandavit.*

Exorta est deinde sub temporibus Clementis VII. sacra RR. PP. Capucinorum Religio, quæ quidem vocari potest Ordo S. Francisci tamquam fundatoris, si fundator accipiatur pro eo qui Regulam seu vivendi formulam instituit quam Ordo profitetur & observat. Si verò Ordo ejusque fundator strictiùs accipiatur pro institutore seu auctore unius certi ac determinati corporis hierarchici, quod ab ipso tamquam fundatore per legitimos ejus successores sine interruptione ulla vel divisione descendit; sic soli Fratres Minores de Observantia speciali jure titulum Ordinis Fratrum Minorum & S. Francisci tamquam institutoris ac fundatoris strictè dicti possident; prout rectè demonstrat R. P. Jacobus de Riddere super Provincias Germaniæ, Belgii &c. Commissarius Generalis, in suo Speculo Apologetico q. 2. & 4. & R. P. Petrus Manchant prædecessor ipsius in Commissariatu, Expositione in cap. 1. Reg. textu 3. dub. 2. incidentali. Et in cap. 8. quæst. 7.

Tres igitur exercitus, & tres duces habet Franciscus sub sua Regula; quemadmodum D. Augustinus plus quàm viginti tres Ordines habet à se mutuò independentes, qui omnes ejus Regulam profitentur: & Benedictus septem illustres Congregationes, quæ se ad ipsius adstringunt Regulam, & separatim reguntur absque ullo sanctitatis pacisque dispendio. Neque varietas ista suis caret utilitatibus. In primis ubi major est multitudo subditorum, minorem potest unicus Superior singulis inspectionem adhibere; cùm autem Francisci sectatores voluerit Dominus in immensum multiplicare, mirum non fit, si ad faciliorem eorum gubernationem in tres greges discreti sint, cuique suo assignato pastore. Deinde sciverunt Pontifices in tanta multitudine non æqualem esse omniũ fortitudinem, gratiarum que divinarum aptitudinem, ad sublimiorem perfectionem, & ardua opera, vitamque strictiorem. Cùm autem velint omnes salvos fieri, cuilibet modos obligationesque vivendi temperârunt, juxta quos Deo servire possent in conscientiæ securitate.

Hoc solùm pro conclusione monuerim, ut quilibet Franciscanus, cujuscumque sit familiæ, sepositâ quæstione, cur & unde extent adhuc alii duo Generales præter suum, aspiciat dumtaxat ad proprium, & illius fruatur beneficio: sicut qui in Hispaniis est, non retardatur à suo Rege colendo ex eo quòd alii in Galliis regnent, in China, Tartaria, Turcia &c. Sic factam esse à Deo regnorum divisionem, ipsi perinde est: ipsi sufficit quòd sub suo Rege vivat pacificè, eique satisfacere possit. Pacem & concordiam exoptat Franciscus à cunctis Regulæ suæ professoribus: corporalem non æstimat austeritatem, nec paupertatem, aut jejunia, vel exercitia quælibet externa, ubi contentiones ardent, contemptus mutui, detractiones & provocationes.

TEXTVS & §. II.

De Fratribus istius Religionis.

SVMMARIVM.

Generalem expedit esse Ordinis ejusdem Religiosum. 1. Quia meliùs novit Ordinis onera. 2. Externus fortè nimis lenis esset, nec ita confidenter puniret abusus; nescitque modum reformandi. 3. Non speratur ab externo tanta charitas, nec debita cum subditis æqualitas.

Judaico populo legem optimam sancivit Dominus in Deuteronomio, dicens: Cùm ingressus promissam terram, regem super te constituere decreveris, *eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* (Deut. 17. vers. 15.) Modo consimili Seraphicæ Religionis Institutor agens de constituendo generali ipsius rectore, decernit non constitui professionis alterius hominem; sed *unum de Fratribus istius Religionis.* Sapientissimo consilio Sedes Apostolica Regulares aliquos olim integro jure subjecto Episcopis, eximit ab ista integra eorum obedientia, relinquens Generalibus & Provincialibus suis gubernandos cum plena atque ordinaria jurisdictione: reservatis dumtaxat articulis aliquot, quos eis Concil. Tridentinum committit circa Regulares exemptos. (Sess. 25. De Regul. c. 12. 13. & 14.) Ordini quoque nostro Minoritico Sedes Apostolica eamdem indulsit exemptionem; in quo præter communes rationes ob quas alias exemit Ordines, aliæ quoque speciales veniunt considerandæ, ob quas minimè expediat Religioni aliquem præesse externum sive Episcopum sive Religiosum alterius Regularem.

Pri-

Primò, Cùm rigoribus multis obnoxii simus, molestisque observantiis, quibus interdum temperandis Superiores constituuntur, ut per charitatis suavitatem paternamque compassionem solatium aliquod apud eos valeamus reperire, meliorem eum experiemur Prælatum, qui rigores eosdem senserit aliquando, & sentiat defacto, quàm externum, qui numquam similibus fuerit probatus austeritatibus. Hâc ratione ipse Dei Filius impassibilis in seipso naturam assumpsit passibilem, ut tantò fidentiùs homines ad sinum ejus recurrerent, quò nossent certiùs eum scire, quid humana ferat miseria. Idcirco *quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* Eodem modo subditi supponentes Patrem aliquem præcipuum per molestias transisse regulares, atque sub rigida nutritum obedientia, libentiùs ferent eum sibi præesse, quàm externum aliquem divitem & delicatum atque religiosorum onerum ignorantem, ideoque compati nescientem eorum infirmitatibus. Ex altera parte nimia lenitas timeri posset, in iis quæ rigoris exposcunt continuationem. Quæ enim ipse externus Generalis v. g. Episcopus aliquis, non pateretur nec pati posse arbitraretur, ac velut rigorosa nimis & intolerabilia admiraretur, relaxaret faciliùs & dispensaret, seu potiùs dissiparet. Si enim norunt ita lamentabiliter aliqui subdoli apud Sedem conqueri Apostolicam; imò & apud Prælatos proprios, ac si veris premerentur necessitatibus (cùm tamen in veritate meris ducantur sensualitatibus) ut priveligia extorqueant Regulæ relaxativa; quomodo non magis Episcopi deciperentur clementiores, putantes obsequium se præstare Deo, magnumque charitatis opus, ea querulosis illis & impatientibus indulgendo, quæ ipsi erroneè necessaria vel utilia reputarent. Ejusdem instituti Patres, qui norunt quid valeant viri, quàmque potentibus è cælo gratiis confortentur, dum bonus adest animus, non ita facilè molliusculis istis acquiescunt. Pauculo tempore præfuerunt Cardinales aliqui, ex nostro tamen Ordine assumpti, & à Generalatu ad Cardinalatum elevati, qui eò, quòd laxiorem iniissent vivendi modum pro Principatûs Ecclesiastici dignitate, laxantibus etiam se Fratribus molliùs indulgebant, nec audebant ampliùs ab iis Fratres cohibere, quæ, cùm sibi jam licita essent, Fratribus tamen illicita remanebant. Atque hinc ingrediebatur libertas, & confortabatur relaxatio. Hoc malum indubiè serperet, si Episcopis, qui numquam vitam gustârunt religiosam, suprema concederetur auctoritas. Unam ex rationibus, cur noluerit Deus extraneos ad Judaicæ gentis regimen promoveri, assignat Tostatus, ne Rex alienigena populum abduceret à Dei servitio, suæ gentis superstitiones introducendo. Si non eadem, similis sanè ratio absterrere nos potest ab externis ad Generalátum assumendis; ne scilicet peregrinas novasque cæremonias supremâ inducat auctoritate: quod quàm odiosum sit ac intolerabile, zelus ostendit cujusque Provinciæ in propugnandis antiquis suis moribus, novisque propudiandis.

Hebr. 2. vers. 14.

Quæst. 7. & 8. in Deuteron.

Secundò, Ad Generalatûs pertinet officium Ordinem reformare, si fuerit dilapsus, & pro virili abusus extirpare insolitos. Qualiter autem reformatio succederet per externum aliquem, qui nec Ordinis spiritum nec obligationes intelligeret? Abusus hinc provenientes latè recensens noster Emmanuel Rodriguez, refert malè feriatos Fratres aliquando sub Reformationis specie auxilium implorare tribunalium externorum, *intelligentes eos ignorare causas regulares, & sic facillimo negotio posse fallere, qui zelo imperandi in Monachos magis quam eos reformandi, munus non suum libenter assumunt, & nescientes se & familiam suam in his quæ pertinent ad statum suum gubernare, volentes reformare Religiones, ipsas pedibus conculcant, & reformationis loco deformationem introducunt.* Et iterum discursum concludens P. Emmanuel ait: *Audeo affirmare, quòd quando Religio per Ecclesiasticos reformatur, potiùs deformatur; dum in ea sectationes, odia, contentiones, discordia & inæqualitas justitiæ cum maxima perturbatione relinquantur, & loco benedictionis, maledictio suum satis plorandum sortiatur effectum.* Veritatem hujus pronuntiati manifestant satis experimenta quotidiana in Ordinum aliorum monasteriis, quæ vel necessitate vel spontaneâ postulatione reformationem pati debuerunt ab externis, suntque suâ frustratâ expectatione. Nemo non fatebitur plùs vitam operari reformantis, quàm auctoritatem. Qui verò poterit Prælatus de se dare vitæ exemplum reformatæ, si non ejusdem fuerit reformationis? si non sancta ipsius vita censuram egerit subditorum? *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*, inquit Sapiens, *ita qui tribuit insipienti honorem.* Marmoream Mercurii statuam in biviis Ethnici collocabant, quæ viam ostendebat; non tamen præeundo, sed immota manens, soloque digito monstrando. Sic verè Prælatus esset Religionis, qui tamquam Mercurius sedens, non opere, sed digito tantùm docet viam chori, viam jejunii, viam orationis, viam denique Regulæ ac statutorum; ipse verò immotus manet, nil exequens aut parum de prædictis, qui potiùs omnia communiter agens in oppositum. *Qui* tali *tribuit honorem*, eum Religioni præficiens in prælatum, agit *sicut qui* venerationis causâ *mittit lapidem in acervum* positum ad pedes istius immoti & otiabundi *Mercurii.* Salvator noster alios constituit præfectos, qui viam Dei non verbo solo, sed & opere monstrarent; quibus dixit: *Vos estis lux mundi..... sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* D. etiam Apostolus, dum Titum suum promotorem Christianarum instituit observantiarum, modum simul tradens ait: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Et S. Petrus informans universos Pastores Ecclesiæ: *Seniores*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis*

Tom. 2. qq. Regul. q. 74. art. 3

Prov. 26. vers. 8.

Matth. 5.

Tit. 2. vers. 7.

1. Petri. 5. vers. 1.

Christi passionum &c. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Stabiliendis constitutionibus conducit plurimùm exemplum præeuntis; nam hæc præcipua vis est ferendarum legum & recipiendarum, ut prudenter Rector præcipiat, deinde patiatur ipse legem quam tulerit, & in seipso formam exprimat reformationis. Poterit externus aliquis multa docere, per auctoritatem sancta præcipere, aliqua dare probitatis specimina; sed non tam appositè ad subditorum professionem. Qualiter etiam congruè misellum puniet fratrem, ob non servatam v. g. pedum nuditatem, ob vestes molliores, ob violata jejunia; ipse optimè calceatus, togis optimis & linteaminibus obvolutus, opiparis assidens mensis, commodis utens rhedis, & regulares istas nesciens miserias: Quomodo ulciscetur neglectum paupertatis, dives ipse & pecuniosus & sumptuosus in palatiis & argenteâ aureâque supellectili? Aut non audebit præ verecundia corripere, aut non audietur à vulgo remurmurante, ac superciliosum Dominum contemnente.

Tertiò, Nescit hic Ordo nec fert supereminentem Prælatorum majestatem, singularia palatia, mensas singulares, sæculares secretarios, apparitores, ephebos, assistentes & consiliarios. Omnes Generalis Ministri assistentes, ipsumque Ministrum, submissa humilitas ad amœnam complanat æqualitatem; solâ sublevatur spontaneâ subditorum reverentiâ: eòque fit elevatior & magis amabilis, quò se Fratribus cæteris ampliùs æquiparavit. S. Evangelista Joannes, Prælatus maximus, qui universas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias, suis scribens fidelibus, non prælationis utitur titulo, sed fraternitatis: *Ego Joannes*, inquit, *Frater vester.* (Apoc. 1. vers. 9.) Quem textum commentans D. Bernardinus, observat eam appellationem ideo usurpasse, *ut æquiparantiam denotaret: erat quippe amans veraciter, consulens sapienter, consolans dulciter, subveniens libenter, communicans largiter, conversans concorditer.* (Tom. 1. in Apoc. 1. vers. 9.) Ad hujus formam Prælati, Franciscus optavit Ministrum perfici Generalem, hisque omnibus ornatum esse conditionibus. Quod etiam fore speravit, si unus de fratribus assumeretur, qui se fratrem esse meminisset, fratresque suos veraciter amore sincero complecteretur. Ab hoc autem amore excitabitur facilè sollicitodo pro fratribus, laboris longanimitas, solatium, familiaritas, concordia atque supportatio. Non fastuosè cum eis aget, quorum se confratrem esse meminerit, non eorum irritabitur oblivionibus vel inobedientiis, non pravè suspicabitur, nec de aliqua gaudebit inventa vindictæ occasione. Eritque cum eis conversans concorditer, juxta salutare monitum Sapientis: *Rectorem te posuerunt? Noli extolli. Esto in illis quasi unus ex ipsis.* (Eccl. 32. vers. 1.) Hanc regulam expendens S. Bernardinus colligit & docet *necessarium esse, ut Superior sit communis cum subditis, non supra illos, quasi in throno potestatis: nec extra illos, in privatis cameris, dimittendo communitatem sine necessitate; sed in illis, sive inter illos tamquam communis homo, tenendo communitatem in choro, in refectorio, in dormitorio. Contrà facientibus præparatum est improperium*: (Tom. 4. Serm. 4. Domin. 2. post Pasch.) O Pastor, & idolum derelinquens gregem! *Pastor* solo nomine, *Idolum* religiosæ communitatis. (Zach. 11. vers. 17.) Quòd si unus de Fratribus ad regimen assumatur, non ei adeò laboriosum erit hanc vitam communem, cui jam assueverit, conservare. *Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano.* (Eccl. 50. vers. 13.) Sed si quis ab altiore gradu & divite fortuna se deberet attemperare huic pauperculæ quam gerimus vitæ, recusaret potiùs Generalatum, quàm ad hanc descenderet abjectionem, communemq; nobiscum ingrederetur vivendi rationem.

TEXTUS & §. III.

Teneantur semper habere Generalem.

SUMMARIUM.

Ampla Generalis potestas & humanis humeris formidanda. Primùm eget sapientiâ maximâ & prudentiâ, quæ à Deo postulanda, per jugem cum ipso in orationibus communicationem. 2. Adsciscendi Commissarii, eorum manutenenda auctoritas, & inspicienda sæpè eorum diligentia. 3. Per Procuratores Curiæ servanda dependentia à Sede Apostolica. Quibus abusibus impediendis intendere debeant.

MOyses à Domino suæ mortis intelligens vicinitatem, omnem cordis apposuit sollicitudinem, exposcendi virum, qui sibi succedens, innumerabili Dei populo ad terram promissionis pergenti securum præberet ducatum: *Provideat*, inquit, *Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem qui sit super multitudinem hanc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini, sicut oves absque pastore.* (Num. 27. vers. 16.) Seraphicus ductor Minori-

notirici populi Franciscus, sciens se non semper adesse posse gregi suo præsentiâ corporali, sed morte interveniente transitutum aliquando ex hoc mundo ad Patrem, ne remaneret populus Domini sicut oves absque pastore, disposuit præsenti Textu, habendum semper aliquem post suum decessum in regiminis munere successorem: Fratres, inquiens, *teneantur semper habere Generalem*, qui Domini dispositione *sit super multitudinem hanc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere &c.* Educere, inquam, deregno mundi, de ægyptiaco regno vitiorum, & per defectum Religionis terrenis privatum facultatibus atque deliciis, in terram inducere lacte & melle manantem, in cœlestis paradisi patriam, iis repromissam, qui usque in finem Domini servaverint dilectionem. Quoniam verò Doctor ille Generalis numerosissimi populi Franciscani, amplitudinem habet potestatis super homines omnium nationum, & diversissimarum inclinationum & ingeniorum, toto orbe quaquaversum dispersos, ingenti eget capacitate, & validis adminiculis, ut maximum illud onus convenienter valeat sustinere, atque illos in patriam importare desideratam.

Primùm quidem indiget sapientiâ, & prudentiâ multâ nimis, & latitudine cordis. Medium hæc obtinendi subministrat B. Jacobus Apostolus, dicens: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Considerans Salomon commissi sibi populi multitudinem propriamque ei componens insufficientiam, dicebat: *Tu me Domine fecisti Regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ.* Sciensque sufficientiam à Rege Regum, & solâ Sapientiâ mundi rectrice postulandam & expectandam, prosequitur: *Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum dignè judicare?* Orationem eamdem alibi reiterans, ait: *Mitte sapientiam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tua, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum justè, & ero dignus sedium patris mei.* Ipse B. N. Institutor, suæ conscius ignorantiæ, numquam ausus fuit aliquid aggredi, aut quid gravius resolvere in materia regiminis, ore Domini inconsulto. Et quia in spiritu humilitatis orationes suas proprias ad necessariam impetrandum directionem reputabat insufficientes, in gravioribus casibus eos adhibuit adjutores, quos dominicâ noverat frui familiaritate, ut per eos deduceretur in operibus suis sobriè, & in sua custodiretur potentia, & justè suum disponeret Ordinem. Nec ei malè cessit ad amabilem istam recurrisse providentiam, in eaque plenariè confidisse. Seraphicus etiam Bonaventura, magnum illud speculum Generalium Ministrorum, Prælatos ejusmodi Generales cœli Virtutibus comparat, propter divinæ Sapientiæ imitationem, quam semper debent judices in suis sententiis præ oculis retinere. Humana enim justitia divinam debet, prout est possibile, imitari; & ne erret per ignorantiam, divino lumine illustrare: ideo dicitur in Libro Sapientiæ: *Diligite lumen sapientiæ, qui præestis populis, &c.* Ne dicatur illud Jeremiæ: *Forsitan pauperes & stulti ignorant viam Domini, & judicium Dei sui. Ibo igitur &c.* Et Isaias: *Nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Et ideo dicitur de Virtutibus, quòd viriliter per susceptionem illuminationum deducuntur ad Dei imitationem. Nam qui à Deo illuminantur, sinè offendiculo ipsius justitiam exequuntur. Et hoc est quod dicit Psalmista: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in justitia tua exaltabuntur.* Talem Generalem universus Ordo libenter auscultabit, quem cum Domino viderit assiduè conferentem, ejusque devotè expectantem oracula. *Jam nunc veniam ad te*, dicebat Dominus Moysi, *in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Et ita factum, ut Viro Dei apud populum, alioqui duræ cervicis, suspicienda conciliaretur auctoritas; quia nimirum videbant eum familiariter cum supremo agentem Legislatore, atque dictitatas ab eo leges suscipientem & promulgantem. Ipse ergo Generalis Superior optet, & dabitur ei sensus; invocet, & veniet in eum spiritus sapientiæ. Talem eum suâ gratiâ faciet Deus, ut subditi juxta dilectionis suæ foveantur desideria, & ad paternam dirigantur hæreditatem. Mirum etiam in modum ad hoc conferent ferventes supplicationes subditorum. Enimvero, sicut peccanti populo Deus aliquando Regem dedit in furore suo, sic Reges quoque in misericordia sua populo dedit humiliato & instanter supplicanti, sub quibus oriretur justitia & abundantia pacis, & quos vel per appariitiones proprias, vel Prophetis suis mediantibus, instruxit, atque direxit.

Secundò, Tametsi prædictus Moyses Deo suo tam familiariter uteretur, nec ei quippiam ad sapientiæ deesset plenitudinem, contemplans tamen adeò ingentem subditorum multitudinem, difficultatemque omnibus satisfaciendi, perterritus est, & juxta consilium Jethro soceri sui, admirantis laborem Moysi in judicando populum illum universum per semetipsum, dixit aliquando: *Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stella cæli plurimi, &c. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus, & jurgia.* Curavit igitur viros sibi dari sapientes & gnaros, & quorum erat probata conversatio, ut poneret eos principes, suique regiminis adjutores. Sic per Ministros Provinciales sublevatur onus regiminis Ministro impositum Generali: eòque magis, quòd illi non solùm in societatem adjungantur regiminis, verùm quòd etiam non suâ, sed Provincialium electione constituantur; quò fit, ut si fortè error aliquis ipso ignorante in personis committatur electis, non in ipsius redundet conscientiam. Alterum est, quod ad perfectiorem faciliorem que plurimùm conducit politiam, & quod ipsum immediatè tangit Generalem, scilicet viros assumere secundùm cor Dei, quorum adjutorio, consilio, impigrâ diligentiâ conservo-

Jacob. 1. vers. 5.
3. Paral. 1. vers. 9.
Sap. 9. vers. 10.
Legenda cap. 12.
De Ecclesi. Hier. p. 2. cap. 2.
Sap. 6.
Jerem. 5.
Isa. 56.
Psal. 88.
Exod. 19. vers. 9.
Exodi. 18.
Deut. 1. vers. 10.

servetur justitia, sancta disciplina & concordia Provinciarum, qui super ipsos invigilent Provinciales, & expeditè resolvant & ordinent, quæ ab ipso forent Generali judicanda, sed ob locorum distantiam minimè valent ab eo postulari.

In horum Nationalium Commissariorum delectu magnum est positum momentum, qui mentem tam latam & altam habere debent, ut Ordini universo supremâ præesse possint auctoritate. S. Bernardus informat Eugenium Papam, ut non temerè & inconsideratè sibi deligat œconomum, qui rei præsit familiari, & domesticos fideliter regat atque prudenter: *Quia*, inquit, *si fidelis non fuerit, fraudabit: si non fuerit prudens, fraudabitur: quærendus proinde fidelis & prudens, quem constituas super familiam tuam.* (De consid. lib. 4. cap. 6) Quantò magis de eo prospiciendum erit, qui animas ipsas, ipsam regulæ observationem, ipsum decus Ordinis, & quietem publicam curare debebit? Dum per Capitulares electiones adsciscuntur Officiales, non ita facilè plurium judicium de eligendorum errat idoneitate; sed cùm ab uno solo pendet denominatio, periculum semper est à qualitatum personæ ignorantia, vel à commendationibus potentiorum, vel ab adulationibus ambitiosorum, vel denique à fraudulentis consiliatiis, qui dignum arceant vel promoveant indignum. Inter istas ambiguitates maximâ discernendum est maturitate, qui ad munus ejusmodi assumantur: talibusq; firmentur instructionibus, ut ipsi una sint anima cum Generali Ministro, & fidelia suarum bonarum voluntatum instrumenta.

Propter quod, eorum quoque erit per Generalem manutenenda auctoritas. S. Bernardus dum docuit supremum domûs Pontificalis œconomum fidelem esse debere atque prudentem, subdit: *Adhuc inutilis est, si tertium desit. Quæris quid hoc? Auctoritas. Quid enim prodest et velle & scire quæque disponere, prout necesse est, si quod scit & vult, non potest? Danda est ergo facultas agendi pro libitis.* (Loco cit.) Rationabiliter aliquando judicatur auctoritas pro certis casibus vel personis restringenda. Quæ tamen semel data fuerit & publicata, si impediatur importunè à Generali, non nisi contemptum inveheratque turbationem, frangetque animos Prælatorum subalternorum. *Unus ædificans*, quædam ordinans vel prohibens necessaria, *& unus destruens* quæ subalternus statuerit Superior: *quid prodest illis nisi labor?* (Eccl. 34. vers. 28) Nulla in utrisque utilitas. Nulla in subalterno, cujus utilia enervantur mandata, & contra quem protervus subditorum roboratur contemptus: nulla in supremo Prælato, qui eo modo in Prælatis inferioribus amorem convellit & fidelitatem, ne suo ampliùs animosè fungantur officio. Ista dissipatio est, non dispensatio in mandatis præfectorum inferiorum; de qua quid D. Bernardus censeat, audiamus: *Non prohibeo dispensare, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* (De consid. lib. 3. c. 4.) Quid majus dispendium, quàm regentium dissipare auctoritatem, respectum destruere subditorum, præbendo eis occasionem suis Superioribus insultandi? Senserunt admodum acerbè Generales aliqui, dum in certis negotiis suam Pontifex interposuit auctoritatem, eorumque malos coërcuit conatus. Credant Generales eadem passuros Commissarios suos, si bonas eorum coërceant confundantque voluntates: præsertim dum ipsi stimulante conscientiâ quædam strictiùs prohibent ex rationibus sibi dumtaxat cognitis; quæ si inconsideratè relaxentur, laxa nimis porta malis luctuosissimis aperitur.

In altero extremo vitium contingere posset per incautam Generalis Ministri de Commissariis, Visitatoribus atque Provincialibus confidentiam, quâ totam de subditis curam in hos exoneraret, nec nisi leviter inspiceret, qualiter hi sua administrent officia; Regulamque tueantur. Sic dormiente principali rectore, venit inimicus, & superseminat zizania in medio tritici, quæ vix aut numquam valeant eradicari. (Matth. 13.) Timendum, ne turbæ invalescant alicubi & libertates, si Provincialibus ita totalis relinquatur potestas agendi quidlibet, immutandi, permittendi & arbitrandi, quasi nullum supra se haberent pastorem. Reperiretur fortassè, qui gregem nimiâ opprimeret atrocitate: vel qui eum per avia & devia permitteret abire, & sequeretur ipse post gregum suorum abertantium, vel relaxatorum prædecessorum vestigia; eoque pacto Provinciæ in irremediabilem adducerentur confusionem. Quemadmodum olim Oseas deplorabat: *Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus; insania in domo Dei ejus.* (Osee 9. vers. 8.) Domus Dei Religio est, in qua si invalescunt communes publicarum transgressionum insaniæ, easque supremus ignorat Prælatus, defectu sufficientis inquisitionis, cavere debet, ne in computum ejus veniant ingentia ista debita animarum.

Cùm autem Generalis viros nactus fuerit strenuos, exemplares, eruditos, prudentes, atque indefessos virtutis promotores, eâ fovere debet illos charitate atque auctoritate, quâ olim F. Thomas Sarignanus, Leonardus Giffonensis, & Henricus Alferus Generales foverunt B. Paulum de Trincis, primum Commissarium super Reformatos; quâ etiam F. Angelus Salvettus & F. Guilielmus Cassalius adjuverunt S. Bernardinum & B. Coletam, reformatricem Ordinis S. Claræ; quâ Antonius de Rusconibus B. Joannem Capistranum; quâ Antonius Piretus F. Joannem de Stronconio, & Nicolaum Auximanum; quâ Generales cæteri foverunt & promoverunt alios Commissarios suos, qui cum pace & applausu Ecclesiæ totius & Ordinis id circa Reformationem perfecerunt, quod Generales ipsi numquam effecissent, eorumque conscientias magno liberârunt onere, atque fideliter toti huic fraternitati servierunt ad salutem, juxta summorum obligationem Prælatorum. Non obliviscendum est pium F. Francisci à Sosa Generalis responsum datum Fratribus Recollectis Provinciæ

ciæ Flandriæ, quibus dum aliqui ad eos dissipandum in Capitulo Athensi anno 1604. insidiarentur, ipsique ad Patris recurrissent præsidium, respondit ille: *Filii, nolite timere, ero vobis in patrem & protectorem. Habeo satis multos fratres, de quibus nescio quomodo reddam rationem Deo. Si quos habeo amantes sua Regula, qui liberant conscientiam meam à reddenda ratione pro ipsis, hos amanter tuebor & fovebo.*

Tertiò, Ad Generalatûs administrationem exprimitur necessarios esse Commissarios in curia Romana & Procuratores; quos prout utiliores sibi judicaverit Generalis, denominat, & informat juxta negotiorum ibi expediendorum multitudinem & qualitatem. Horum una generalis est regula, ut Ordinis necessitates, Ministri Generalis nomine fideliter exponant Apostolicæ Sedi; utque sanctiones, decisiones, declarationes & indulta recipiant, quæ deinceps in totum corpus Ordinis opportunè diffundantur, quò conservetur regiminis Generalis in causis majoribus à Sanctâ Sede dependentia. In hoc vertitur maximè bonum Ordinis, securitas atque tranquillitas, ut se Generalis Summo Præsuli flexibilem exhibeat, plenèque subjectum. Abbates admonens D. Bernardus, ait: *Ut securè præesse possitis, subesse & vos, sicut debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subjectionis, prælationis reddit indignum.* Quòd si is qui gerit in corpore vicem colli, per quod à capite in membra vitalis influit gubernatio, se contra caput exhibeat contumacem, sistitur influxus, estque interitûs periculum in membris reliquis. Id expertus est Ordo noster ingenti suo malo in turbis, scandalis, & scissuris, quas suscitavit præsumptio F. Michaëlis Cæsenatis. Rarissima tamen est ista temeritas. Frequentior occurrit necessitas dissipandi subreptitias Fratrum inquietorum gratias, quas fictis lachrymis, mendacibus querimoniis, ac ferè semper fraudulentâ allegatione reformationum extorquent; quique non tam vero feruntur vitæ melioris desiderio, quàm libidine suas vexandi provincias, vel faciendi sibi nomen, dominandique ambitione, & Superioris jugum absque causis legitimis excutiendi. Horum conatibus obviandum est per sedulam Generalis, ejusque in S. Curia Commissariorum vigilantiam. *Epist. 42 ad Archiep. Senon.*

TEXTUS & §. IV.

Ministrum & Servum totius Fraternitatis.

SUMMARIUM.

Conditiones Ministri & Servi requisivit Franciscus in supremo suæ Religionis Prælato. Illæ sunt. 1. Quod Servus longiores protrahit vigilias, quàm dominus ejus. 2. Quòd amplius laboret. 3. Quòd in laboribus suis non propriam spectet, sed domini utilitatem. Hæc observare debet Generalis Minister, respectu sibi subditorum.

Vita S. P. Franc. cap. 6. num. 6. HUmilitatis forma Franciscus, Fratres suos voluit vocari Minores, & Prælatos sui Ordinis dici Ministros: ut & verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat; & ex ipso nomine discerent ejus discipuli, quòd ad discendam humilitatem ad scholam humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis Jesus Christus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester Minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester Servus.* *Matth. 20. vers. 26.* Propter quod ipse Vir Sanctus, hujus Evangelicæ lectionis non surdus auditor, ut se præscriptæ humilitatis regulæ per omnia coaptaret, primum maximumque suæ Religionis Prælatum, *Ministrum & Servum totius Fraternitatis* voluit appellari. Simul innuens necessarias ei fore boni Servi conditiones, ut commissum sibi Minoriticum illum gregem rectè valeat gubernare.

Primò quidem Servus longiores protrahit vigilias quàm Dominus, & somnum capiente Domino ipse perdurans insomnis, ejus invigilat utilitatibus Jacob Patriarcha serviens socero suo Laban dixit aliquando: *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis:* *Gen. 31. vers. 40.* Lectus ei erat nuda humus, aperto cœlo, pluviis sæpè & nivibus infestantibus; sub quibus persistebat, vigilias noctis ducens super gregem. Talis esse debet Pastor animarum, nempe vigilantissimus circa curam subditorum. Ei siquidem dicitur: *Esto vigilans, & confirma.* *Apoc. 3. vers. 2.* Enimvero si tanta fuit Jacob Patriarchæ de irrationabili *pecude cura*, inquit D. Chrysostomus, *quales esse decet de rationali anima sollicitudinem gerentes?* *In Gen. 31.* Philosophorum Coriphæus Aristoteles adeò se scrupulosum ostendit in concedendo Deo somnum, ut si vel exiguo dormiret tempore, Deus non esset. *lib. 12. Metaph.* Idque probat hâc ratione: somnus arguit lassitudinem, si ergo in Deo esset lassitudo, quomodo esset virtutis infinitæ, quam habeat primus motor necesse est? Primus motor congregationis subditorum, & quasi Deus quidam in terra Prælatus est; quem proinde non dormitabundum, sed summâ præditum esse decet vigilan-

lantiâ. Quod figoratum extitit in throno Salonis, cujus sedile duæ manus hinc inde tene-
3 Reg. 10. vers. 20. bant: *Et duo leones stabant juxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc*
Lib. 1. Hierogl. *atque inde.* Leo, teste Pierio Valeriano, symbolum est vigilantiæ; siquidem aut nihil aut parum dormit, idque apertis oculis, sic ut semper vigilare videatur. Virgam vigilantem, quam vidit Jeremias Propheta, dicunt multi Expositores sceptrum fuisse regium, in cujus summitate (uti in more habebant Ægyptii) expressus erat oculos apertus & vigi-
Jerem 1. vers. 11. lans, & ideo dicta fuit Virga Vigilans: *Virgam vigilantem ego video.* Vel ut alii legunt: *Oculatam*, vel *oculos apertos & vigiles habentem.* Poëta Aleiatus in suis Emblematibus manum Principis expressurus, oculum apertum in ejus pala depingebat, hoc ei apposito elogio: *Ocu-*
Ezech. 1. vers. 18. *lata manus.* Et mysteriosa illa animalia in Ezechiëlis visione erant undique oculata, *Et totum corpus plenum oculis antè & retrò.* Quibus omnibus intelligi datur non solùm Principem, Rectorem & Prælatum debere vigilantissimum esse, oculosque semper apertos habentem, verùm etiam ipsum-met thronum regium, cui insidet, ac sceptrum, dextramq; ipsum regentem.

Hanc vigilantiam, quâ quilibet Rector & Prælatus præditus esse debet, summoperè com-
Matth. 24. vers. 42. mendavit Christus dicens: *Vigilate quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit.* In quem locum scribit Hugo Cardinalis: *Hortatur Dominus omnes ad vigilandum: & maximè Prælatos ad vigilantiam & diligentiam, quos non tantùm vigilantes vult esse, sed etiam vigiles.* Hinc etiam reprehendit Petrum somnolentum in horto
Marci 14. vers. 37. Gethsemani: *Simon dormis? Non potuisti unâ horâ vigilare?* Non enim ei, qui regit populos, gregemque custodit rationalem, convenit esse somnolentum. Ipse Princeps Pastorum *erat*
Luc. 6. vers. 12. *pernoctans in oratione Dei*: non quasi aliter Pa-
Ambr. Serm. 20. in Ps. 118. trem nobis reconciliare non posset; *sed ut qualis advocatus esse debeat, demonstraret, qualis sacerdos, ut non solùm diebus, sed noctibus etiam pro grege Christi debeat precator assistere.* Jugiter invigilare debet necessitatibus subditorum, ut si quem tristem viderit & conturbatum, non conquiescat, donec hilarem lætumque reddiderit: in mœrore jacentem consolando excitaverit, & à bono proposito declinantem ad viam revocaverit rectè progrediendi. Dum Sponsa noctis tempore domo exiret, obvios
Cant. 3. vers. 3. habuit vigiles civitatis: *Invenerunt me*, in-
Hom. 76. in Cant. quit, *vigiles qui custodiunt civitatem.* D. Bernardus eleganter exponens hunc Textum, ait: *Quinam vigiles hi? Nempe illi* (Prælati) *quos Salvator in Evangelio beatos pronuntiat, si cùm venerit, invenerit vigilantes. Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris!* Si ducem exercitûs sui, cùm venerit Dominus, non invenerit vigilantem, partem ejus ponet cum in-
1. Reg. 26 fidelibus. Cùm descendisset David clam in exercitum Saul nocte, & invenisset Abner Principem militiæ dormientem, & omne vulgus in circuitu alto obrutum sopore, curavit tolli hastam & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, in signum, quod illâ somnolentiâ in ipsius traditi erant potestate. Cùmque transisset David ex adverso, & stetisset in vertice montis de longè, clamavit ad Abner filium Ner, gravi eum arguens increpatione; *Non est bonum quod* Vers. 16.
fecisti: Et ad Populum, *Vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum christum Domini.* Similì perstringetur à Christo maledictione dominici Ductor exercitûs, quem deprehenderit ipse concreditatum sibi animarum custodiæ neutiquam invigilare. *Beati* verò prædicabuntur *servi illi*, Luc. 12. vers. 37.
quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.

Secundò, Servus est primus in labore, & in illo magis continuus, etiam Domino vacante. Talis debet esse bonus Prælatus, in laboribus primus, debet alios laborando præire, si vult animas Domino lucrifacere. Consideratione dignum est, quod numquam in divino eloquio Ecclesia comparetur apum examini, cùm tamen apes intrà alveare mirificè domunculas extruant, miro docantur regimine, tamque suavem producant mellis effectum. Constat Matth. 13. & 20.
aliàs comparatam esse Ecclesiam sagenæ pisca- Matth. 13.
toris, vineæ patrisfamilias, hominis agricul- Joan 10.
turæ, ovibus cum pastore, imò & acici sive ex- Cant. 6.
ercitui (in quo aliàs mala plurima reperiuntur) & tamen apum examini nusquam legitur assimilata. Hujus rei causam invenio pruden- Lorin. super Ps. 101 vers 11. In medio domûs meæ &c.
ter à viro quodam doctissimo assignatam; quia scilicet apis Magistra gubernans alvearium numquam foràs egreditur; sed intùs manens, alias emittit ad flores conquirendum per frigus, calores & imbres. Qui modus regendi non est Ecclesiæ Prælato conveniens, quem decet in laboribus bonisque operibus ante alios præire. Est enim Prælatus adinstar illius columnæ nubis, quæ Israëlitico populo viam monstravit in deserto, de qua dicitur: *Si bi-* Numer 9. vers. 22.
duo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant castra. Ad motum illius præcedentis movebatur populus; & ad quietem ejus, consistebat. Minister noster Generalis in columnam erigitur, quæ totum debeat Franciscanum Ordinem illustrare: eoque moto & præeunte per boni operis exemplum, subditi pariter movebuntur, eoque cessante, pariter conquiescent.

——————— *Componitur orbis* Claudianus.
Regis ad exemplum. Neque sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Bonum Prælati exemplum non modò invitat subditos ad virtutem; sed allicit quoque suaviter ac pertrahit; quod non valent edicta, leges & statuta quantumcumque comminatoria. Adde, quòd quantumcumque adhibeat Prælatus diligentiam, per intermedios Superiores aut aliâ, non hæc tamen parem obtineot vim, quomodo præsentia ipsius atque exemplum. Sunamitidis puerum non valuit Giezi suscitare, quàmvis præmissus cum baculo Elisæi; ve- 4. Reg. 4.
rùm ad hoc ipsius Prophetæ præsentia atque operatio desiderabatur. Sic quoque vult Deus, ut Prælatus per semetipsum quoad fieri poterit, assistens commisso sibi populo, præstet ei vitæ duca-

Numer. 12 ducatum. Legimus in sacro Numerorum libro, Aaron & Mariam, in fratrem suum Moyseo idem commisisse murmurationis peccatum; & punitam quidem pro eo divinitùs Mariam, Vers. 10. dum *apparuit candens leprâ quasi nix*; Aaronem verò relictum à Domino impunitum. Causam loquitunt Sacri Doctores, cur non ambos Deus ob eamdem commissam culpam, eâdem lepræ pœnâ puniverit? Theodoretus q. 23. in Numeros & Abul. ibid. q. 54. respondent: quia Aaron erat Sacerdos. Cur verò sacerdos existens puniri non debuit? Respondent hi Doctores, quia leprâ infectus, separandus Levit. 13. fuisset à populi conversatione; cùm autem ei velut Sacerdoti multarum commissa esset cura animarum, necessarium erat, ut cum eis conversaretur, doceretque eos viam salutis: & ideo noluit eum Deus lepræ pœnâ afficere, ut intelligeremus prælatum, judicem & rectorem obligatum esse, ut continuò assistat & collaboret gregi sibi commisso.

Tertiò, In omnibus illis laboriosis operationibus, non suam propriam Servus, sed Domini spectat utilitatem. Sic debet Prælatus in omnibus suis curis & occupationibus, non proprium affectare commodum; sed Dei gloriam & communitatis subditorum utilitatem. Seraphicus Ecclesiæ Doctor, scribens in hunc Textum Regulæ, notat ideo *servum* dici *totius fraternitatis, ut qui dum subditus erat, obediebat uni vel duobus, sciat se electum in Generalem Ministrum debere omnium necessitatibus obedire.* Christus Dominus peregrè proficiscens in longinquam cœlorum regionem tradidit servis Luc. 19. vers. 13. suis talenta, dicens: *Negotiamini dum venio.* Cùm autē redierit positurus cum eis rationem, exacturus est collatum donum cum usuris & augmento suæ gloriæ & salutis animarum. Eos manet remuneratio, qui pecuniam Domino suo reddiderint multiplicatam. Itaque qui constituti sunt Ministri & Servi religiosæ fraternitatis, neglectis commodorum propriorum respectibus, nulli parcant labori vel molestiæ, ut ærarium Domini sui lucris replere Vita ejus cap. 9. n. 3. valeant animarum. Talis erat animus Seraphico nostro Francisco, qui non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat: eò maximè probans, quòd Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen; in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Unde quoties austeritas nimia reprehenderetur in ipso; respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens ejus caro, quæ jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas; tamen exempli causâ renovabat illi pœnas & onera; custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim: *si linguis* Cor. 13. vers. 1. *hominum loquar, & angelorum charitatem autem in meipso non habeam*, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. Nequaquam sollicitus erat sui corporis, sed solam curam commissarum sibi agebat animarum. Mellifluus Bernardus exponens illud Cantici Canticorum: *Posue-* Cant. 1. vers. 6. *runt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*, hujusmodi tradit interpretationem: *Posuerunt me custodem prælatum; ergo* Serm. 30. in Cant. *vineam meam, id est vitam corporalem non curavi.* Quia bonus Prælatus, ex quo custos constitutus est in vinea Domini animabusque sibi concreditis, minimè curat ipse de propria custodienda vita corporali. Scimus Christum Dominum, quamdiu Samaritanæ mulieris colloquio & conversioni fuit intentus, oblatos ab Apostolis cibos, quibus egebat non accepisse, quin potiùs dixisse: *Ego cibum habeo manduca-* Joan. 4. vers. 32. *re, quem vos nescitis;* intelligens animas, quæ suo modo debent esse principalis cibus Prælatorum: propter quem incorporandum, dimittere debent quascumque carnis propriæ commoditates, quæ illarum saluti valerent aliquatenus obviare. Sic egit Beatissimus P. Franciscus. Rogatus aliquando à Domino Vita c. 6. num. 10. Leone Cardinale Sanctæ Crucis, ut secum aliquantulum moraretur in Urbe; acquievit humiliter ob ipsius reverentiam & amorem. Primâ autem nocte, cùm post orationem vellet quiescere, supervenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes. Quem cùm diu verberassent ac durè, ad ultimum quasi semineecem reliquerunt. Discedentibus illis, socios vocatus advenit. Cui cùm Vir Dei rei narrasset eventum, subjungens ait: *Credo Frater, quòd dæmones, qui nihil possunt nisi quantùm providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam speciem præfert mansio mea in curia magnatum. Fratres mei, qui in locis paupercùlis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, & deliciis abundare. Ideo meliùs judico; eum qui ponitur in exemplum, fugere curias, & humiliter inter humiles in locis conversari humilibus: ut sustinentes penuriam, fortes efficiat similia sustinendo.* Venerunt ergo manè, & humili excusatione propositâ, valefaciunt Cardinali. Hoc egit Vir Sanctus, volens scandalum amovere subditorum, in quod fortè incurrissent aliqui ex occasione suspicionis vitæ mollioris cum Cardinalibus actæ: malens sic se propriis privare commodis, quàm animarum aliqualiter nocere saluti. Aptissimum sanè per hoc se exhibens succedentium sibi Ministrorum exemplar.

TEXTUS & s. V.

Et ei teneantur obedire.

SUMMARIUM.

Ad constitutionem religiosæ vitæ, necessaria Obedientia. Qualiter in B. Patre Francisco enituerit. Item in B. Ægidio. Pontificium testimonium Joannis XXII. de perfectione Obedientiæ. Præmium hujus virtutis est, creaturas, etiam irrationales & insensibiles, facere subjicibiles obedienti : imò & dæmones. Amplius est, quòd prompta Obedientia sit signum evidens divinæ prædestinationis.

[Gen. 41. vers. 40.] PHarao præficiens Joseph universæ terræ Ægypti, dixit ad eum : *Tu eris super domum meam , & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Seraphicus noster institutor congregatâ in unum ingenti servorum Dei familiâ, nihil magis cordi habuit, quàm perfectissimam in ea Obedientiam stabilire. Hinc unum illi præfecit Generalem Ministrum, cui omnes tenerentur obedire, quasi dicens ad eum: *Tu eris super domum meam , & ad oris tui imperium cunctus* Minoriticus *populus obediet.* Hanc obediendi legem in primo statim proponit hujus Religionis ingressu. Nam formam præscribens recipiendi filios in suum sodalitium, [Cap. 2. Reg.] ait : *Finito verò anno probationis recipiantur ad Obedientiam ;* quasi parum foret dicere ; *recipiantur ad Ordinem ;* sed *ad Obedientiam*, tamquam ad complexum Minoritiæ perfectionis. Et quidem cœlesti oraculo ac Dei ipsius institutione, sacer hic Ordo ab Obedientiæ virtute atque exercitio suam sortitus est denominationem. Siquidem cùm misericors ille Dominus Franciscum Papiensem è mundi vo- [Chron. p. 3. lib. 3. c. 42.] caret periculis, jussit ut *Religionem* ingrederetur *cæcorum.* Hæsit ille suspensus, quænam foret illa *cæcorum Religio ?* Cui tandem post magnam precum instantiam, revelatum est, *Religionem cæcorum* esse Fratrum Minorum Sodalitium, in quo eruendi sunt oculi proprii judicii, Majorumque ductus per omnia sequendus. Hujus nomenclaturæ non obliviosus auditor, nervos intendebat universos, toto vitæ tempore, qualiter hanc virtutem perfectiùs exerceret. Frequenter exclamabat : *O Sancta Obedientia, quàm es accepta in oculis Domini ! Beatus qui te possidet ; is enim omnium possessor est virtutum , nec ei quidquam sinistri potest occurrere.* Interrogatus aliquando, quidnam conduceret maximè ad Domino placendum, respondit : *Humiliare , & obediens esto. Pluris enim facio perfectè obedientem , quàm suscitantem mortuos ; talique sancto potiùs candelam offerrem , quàm patratori miraculorum.* Cùm igitur sit Obedientia Synopsis universæ perfectionis, convenienter Franciscus ad promovendum suorum profectum constituit, ut universi fratres suæ Religionis unum illius Fraternitatis teneantur habere in Generalem Ministrum, *& ei teneantur obedire.*

Ut autem Vir Dei non solis verborum præceptis nos formam doceret obediendi, sed opere etiam & veritate, utque pluribus modis negotiator hic Evangelicus lucraretur, ac totum tempus præsens constaret in meritum ; non tam præesse voluit quàm subesse, nec tam præcipere quàm parêre. Idcirco Generalatûs cedens officio, Fratrem Petrum Cathaneum in suum permisit locum subrogari ; eumque adiit aliquando ; humiliter orans & dicens : *Pater* [Opusc. Tom. 3. colloq. 12.] *& Frater charissime, te meum patrem & dominum confiteor, & tuæ curæ tutelam animæ meæ committo, tibi tamquam vero meo Ministro omnem reverentiam & obedientiam humiliter promitto. Rogo etiam & oro te per Deum vivum & verum, ut vicem tuam mihi imperandi, & de me curandi, uni ex sociis meis committas, cui in omnibus tuo loco firmiter obediam : nam propter magnum lucrum & meritum obedientiæ, te semper Prælatum meum mecum, & coram me semper habere desidero.* Quod ut obtinuit, firmiter usque ad mortem, quæ promisit, complevit : nam domi, vel in itinere, in Ecclesiis, vel per plateas, nihil sinè socii licentia & obedientiæ jugo perpetrabat.

Dilectus quoque discipulus ejus F. Ægidius æquè intellexit obedientiæ sanctæ utilitatem, & propterea non se eâ frustrari patiebatur. Pater sanctus, omnino confidens de sancta ipsius conversatione, dederat ei licentiam quò vellet, eundi ; noluit autem Ægidius in tanta esse libertate, ne bona quæ acturus esset, obedientiæ pretio destituta manerent. Atque ut ejusdem cæteris fratribus explicatam faceret necessitatem, quandoque dicebat : *Bos* [Surius ad 23. April. num. 51.] *non tenens caput sub jugo, sed vagando discurrens, sibi ipsi magnus dominus videtur ; sed interim frumento horrea non implentur. Magni sapientes ponunt caput sub jugo ; stulti de obedientiæ jugo caput subtrahunt.* Et iterum : *Si quis esset* [Pisan. Conform. lib. 1. fruc. 8.] *in tanta gratia, ut cum Angelis loqueretur, si vocaretur ab homine, cui promisit obedientiam, deberet colloquium Angelorum dimittere, & homini*

mini cui propter Deum promisit obedientiam, obedire. Quod & ipse præstitit aliquando. Dum enim semel in præsentia D. Gregorii Papæ IX. in mentis esset excessu, ait Pontifex ad Cardinales, qui in ipsius aderant comitatu, probemus obedientiæ vim, quid in eo possit efficere, versusque ad Ægidium: *Præcipio*, inquit, *tibi Frater Ægidi in virtute obedientiæ, ut ad te revertaris.* Idque factum est: statim enim qui insensibilis videbatur & immobilis, ad pedes Antistitis provolutus est, suæque culpam agnovit incivilitatis. Simili experimento tamquam lydio lapide sancti Patres explorârunt Simeonis Stylitæ sanctitatem. Cùm enim perpetuò in columna stans sub dio vitam rigidissimam prosequeretur, miserunt qui eum de columna juberent descendere, & communi via cæterorum Eremitarum incedere: si non promptè obediret, vi inde abstraherent; si obtemperaret, ibi eum relinquerent & in proposito confirmarent. Ad primum igitur mandati verbum, protinus ad descensum se parat Vir Sanctus; sed nuntii mentem Patrum indicantes, inibi sinunt permanere.

Annal. Tom. 1. an. 1237. num. 17.

Surius ad 5. Januarii num. 23.

Quibusdam afflavit serpens antiquus Hevæ seductor libertatis cupiditatem: *Eritis*, inquiens, *sicut Dii* à nemine dependentes; quibus nil sonat terribilius quàm *Obedire*, circumspiciuntque undique quâ possint viâ quodcumque jugum effugere, atque concupitâ frui libertate. Tales olim erant malè sertati quidam errones, hypocritæ & hæretici dicti Beguardi, de Francisci nomine falsò gloriantes, & in externa paupertate simiæ Fratrum Minorum, qui inter insanias alias, hâc etiam laborârunt, ut statum condemnarent *Obedientiæ*, tamquam irrationabilem & perfectionis impeditivum. Contra hos insurrexit noster Alvarus Pelagius, obruitque multitudine sacrarum Scripturarum obedientiam commendantium, & insulsa eorum argumenta claris elisit solutionibus; illud præcipuè quod in ore passim habebant: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Et: *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.* His armis jam dudum confractis, aliis se protegere tentârunt recentiores hæretici Libertini; sed plurimorum etiam modernorum Doctorum industriâ discussi, excussi, & exarmati sunt, ut nihil necesse sit contra hos ulteriùs digladiari. Videatur etiam S. Bernardinus Tom. 3. Dial. de Obed. & Serm. 13. art. 1. cap. 2.

Gen. 3. vers. 5.

De planctu Eccl. l. 2. art. 52.

2 Cor. 3. vers. 17. Gal. 5. vers. 18.

Nos tamquam morigeri filii, audiamus vocem universalis Patris Ecclesiæ, Joannis XXII. Pontificis, singulariter demonstrantis, quantùm Ordini nostro conveniat Obedientia: *Non enim particularium omnium*, inquit, *certa potest dari scientia, neque eorum (cùm infinita sint) contingit fieri disciplinam; non ars, non regula circumstantias singulas accidentiaque cuncta complectitur. Habent in illis minores majoribus obsequi illisque intendere; non in certis solùm, verùm etiam in dubiis. Et in certis præsunt artibus quibus obediant: præsunt regulis singulis quibus obtemperent disciplinis, ut illarum finis egregius debitis obsequentium ministeriis subsequatur. Sic judicans, cuncta rimatur & discutit, leges casibus applicat, canonum decreta secernit. Sic morbus aggravatus medicum, sic virtus constans in medio sapientem prudentemque deposcit: ne si quisque regatur ut appetit, confestim corruat ut non quærit, neque taliter conviventibus non ordo sed horror inhabitet; adsit (quod absit) discordia, religans Religio relegetur. Sententia namque variantur ut capita, & crescit in stolidis opinionibus phantasia.* Hæc sapientissimus ille Pontifex, qui suo tempore satis expertus est, quàm acerbi sint fructus inobedientiæ.

In Extrav. Quorumdam.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

E converso autem præstantissimi sunt fructus Obedientiæ. Ipsum admirabile & amabile nomen Jesu, quod est super omne nomen, Apostolo teste, Obedientiæ remuneratio est. *Propter* hoc *quod* factus est obediens usque ad mortem, *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Constitutus etiam *supra omnem principatum & potestatem & virtutem, & dominationem &c.* Simile præmium non dubitat S. Bonaventura puris hominibus perfectè obedientibus assignare, dicens: *Qui verè obediens esset, omnem creaturam sibi subjicibilem inveniret. Imo ipse Deus nihil subtraheret penitùs ab hominis obedientia, si se non subtraheret à divina. Et hoc patet: quia quamdiu antiqui suis præceptis simpliciter & præcisè obediebant, etiam Deum obedire humanis jussionibus versâ vicissitudine sentiebant, ut patet in Josue &c. Unde patet, quòd qui verè obediens est, summum principem Deum sibi subjicit, non auctoritatis violentiâ, sed dulci jure mutua charitatis.*

Philip. 2. vers. 9.

Ephes. 1. vers. 21.

De Eccles. Hierar. part. 3 c. 1.

Jos. c. 10. vers. 12.

Hujus effectus Obedientiæ in Ordine nostro Seraphico complura reperimus exempla. Ipse sanctus fundator, ex quo perfectissimum exemplar obedientiæ factus, se totum nutui subjecerat Creatoris, cunctis creaturis tantâ imperabat efficaciâ, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret: & brutorum naturam homini jam lapso rebellem, ad sui obedientiam inclinaret. Haud dissimilia de ipsius legimus sectatoribus. B. Thomas Florentinus, vir promptitudinis admirandæ, ita liberum in animalia silvestria prætulit imperium, quasi in statu innocentiæ versaretur. Ingentem aliquando conspicatus in silva cervum, ad se vocavit, jussitque ut fratribus dum viveret, colligendis per castra & in cœnobium deferendis Eleemosynis, deserviret. Obsequutus cervus domum insecutus est, & tamquam jumentum, se clitellis gravari, & fræno circumduci permittebat. Aliàs in horto circumvolitantes vocabat aviculas, accesseruntque omnes, & per brachia, humeros, caput insidentes, se attrectari, capi, demulceri pertulerunt. Discipulis ejus ad omnem efformatis virtutem & obedientissimis, cicures se exhibebant lupi, assidentes eis, applaudentes orantibus, atque velut catelli domestici comitabantur adeuntes oratoria & redeuntes. F. Joannes Troyus (qui obiit Antverpiæ circa finem præcedentis sæculi) cùm aliquando, jussus esset excurrere prædicandi gratiâ ad pagos, cadente vespere, fossam magnam aquis plenam, cùm sinè discrimine haud posset trajicere, confugit ad Deum, obedientiam allegans, non suâ sed Superioris voluntate se emis-

Vit. cap. 9. anni 5. n. quæ ad fin.

Annal. Tom. 5. an. 1447. num. 25.

Martyrol. Franc. in Addit. ad 11. Februarii.

sum, rogabat, ut in necessitate constitutum juvaret, quò posset obedientiam explere. Et ecce subitò currus advênit cum equis. Auriga jubens Joannem conscendere currum, transvexit per fossam, & paulò ulteriùs, quò locum posset faciliùs invenire destinatum: & mox auriga currusque disparuit; ut constaret evidenter angelicum fuisse vehiculum à Domino destinatum.

Magnam quoque vim habet obedientia, nostris præstita Superioribus, ad subjiciendum nobis inferiorum hominum voluntates, ut nostris quoque prompti sint obedire mandatis. Centurio petitionem suam Domino oblaturus,
Luc. 7. vers. 8. tali utebatur præludio: *Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites &c.* Super quo mellifluus Doctor Ecclesiæ in hunc
Epist. 42. modum commentatur: *Dedit priùs honorem præpositis, ut jam à subditis justè reciperet, sciens se accipere quod impenderet inferioribus, & quia meliùs propriæ subjectionis disceret experimento sua ipse moderari imperia.* Sic dictat ratio, urgetque subditos invincibiliter, ut patienter legem subeant, quam vident religiosè servatam à majoribus; sicque agnoscant illis jure non posse obedientiam denegari, quam ipsi aliis quibus debent, reddunt sinè contradictione. Magnum sanè subsidium rectoribus universis, ut quod fortasse minis, vel imperiis auctoritativis minimè valerent à subditis impetrare, propriæ aspectus obedientiæ potenter agat, & inflectat cum suavitate.

Parum autem videbitur, homines faciliùs obedientibus obtemperare hominibus, ac bruta etiam animantia resque insensibiles eis effici subjicibiles; si idipsum de gehennali humani generis inimico fecerimus demonstratum. Ita verò est, quòd sicut obedientiæ Christi donatum est nomen, cui genu flectitur etiam infernorum; sic quoque obedientibus tributum est Religiosis, obedientes sibi ex divino
Annal. Tom. 2. an 1281. num. 8. jussu infernales habere potestates. Memorandum est, quod duobus accidit Fratribus Conventûs Perusini. Cùm è locis campestribus sub vesperam in vigilia Nativitatis reverterentur jejuni, misit eos Guardianus ad castrum aliquot distans milliaribus, ut in eo pro illa solemnitate fidelibus solatio essent & pietati. Vicit in eis obedientiæ præceptum famis aculeos, & corporum lassitudinem; submissoque collo Superioris præcepto, statim abierunt; sed nondum confecerant iter medium, quando nox obscura supervênit. Afflicti nimis in solitudine & in noctis tenebris errantes, pulsum audiunt campanæ. Accedunt quò sonitus deducit, vident egregium monasterium, experiuntur ostiarii & cæterorum Monachorum multam & magnam nimis in accenso igne, paratâ mensâ, strato lecto, charitatem. Post cœnam rogantur, ut cui magis placeat ex duobus, absoluto maturino in aula capitulari Monachis Dei verbum proponat. Annuit senior; qui dum statuto tempore egregiè ratiocinaretur, proposito illo themate: *Parvulus natus est nobis*; & Christi humillimam dignationem in mysterio Incarnationis tenerrimè explicaret, exierunt Monachi, uno post alium singulatim recedente, solo Abbate relicto. Turbato Fratri, quòd auditores recesserint, dixit Abbas: eam tangis materiam Frater, quæ nostra tangit & angit corda; nihil tam nos torquet, quàm Christi humilitas & Incarnatio. Qui ergo estis vos, interrogavit Frater, qui hæc non potestis audire? Heu me! dæmones fortasse estis, quibus ego hucusque prædicavi? Ita, inquit Abbas, spiritus sumus ignibus æternis adjudicati, sed huc missi omnes, ut tibi & socio ex obedientia comendabilibus in hoc nemore serviremus. Quibus dictis, monasterium & quidquid antea videbatur splendidi ædificii tamquam fumus evanuit. F. Martinus Ruiz, dum ad con- Chron. p. 3. lib. 5. c. 51.
cionandum properaret, essetque fluvius transeundus, subitò mulus apparuit; quo conscenso ad transvadendum, cœpit apparens bellua ad locum profundissimum & rapidissimum properare. Vir sanctus malignum esse spiritum deprehendens, chordâ suâ collum ejus fortiter alligavit. De repente mansuetior factus est, per vadum deductus minùs periculosum, & insuper ad Conventum deductus pro lapidibus vehendis aliisque oneribus: quod præstare coactus est, quamdiu fune religioso mansit alligatus.

Attamen quod Dominus discipulis suis dixit, gaudentibus quòd subjecta sibi viderent dæmonia, nobis similiter dictum intelligamus: *In hoc nolite gaudere, quòd spiritus subjiciuntur vobis gaudete autem, quod nomina vestra* Luc. 10. vers. 20.
scripta sint in cælis. Nullum probabilius est signum prædestinationis, quàm alacrem continuò humilemque exhibere subjectionem: prout piè conjicit noster Andreas Vega, dicens In Concil. Trid. lib. 12 cap. 13.
confidenter, quòd si videamus aliquos affectu studioque humiles, prælationes honoresque mundi fugientes, Superiorum acquiescentes judicio, de novissimo loco semper certantes, suam agnoscentes imbecillitatem, ac tandem se suaque omnia ducentes pro nihilo, hos possumus rationabiliter destinatos æternæ beatitudini conjectare; quoniam scriptum est: *Qui* Job. 22. vers. 29.
humiliatus fuerit, erit in gloria; & qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. Et hoc signum ex prima per Christum promissa beatitudine haud obscurè colligitur, dum ait: *Beati pauperes* Matth. 5. vers. 1.
spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sub eadem spe & juxta divinâ hanc promissionem, S. David canebat: *Ut jumentum factus sum* Psal. 72. vers. 23.
apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Similiter, qui tamquam jumenta sunt proprio spoliari judicio, seque duci permittunt per manum Patris in ejus voluntate, puerulorum adinstar, expectent se cum gloria suscipiendos, velut legitimos regni cœlorum hæredes. Enimvero sicut inobedientia mandati contemptores expulit è paradiso, sic reducit obedientia, Christo præeunte, qui omnibus obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ. Denique idem ipse Hebr. 5.
Salvator planissimis verbis testatus est: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Matth. 7. vers. 21.

T E X T V S & §. VI.

Firmiter obedire.

S V M M A R I V M.

Firma obedientia & fidelitas Chusai consiliarii, ad Regem suum Davidem. Vt perfecta sit obedientia, plures requirit conditiones. 1. Vt libens sit, non coacta. 2. Simplex & quasi cæca. 3. Hilaris. 4. Velox. 5. Virilis & intrepida. 6. Humilis. 7. Perseverans. Quarum conditionum præclara adjunguntur exempla

FIdelissimus Davidis amicus & consiliarius Chusai Arachites, remissus in Jerusalem ad dissipandum consilium, quod Achitophel perduelli daturus esset Absalomo, ex prudentissimo Regis decreto, junxit se rebellium partibus, quò posset faciliùs eorum investigare consilia, modisque convenientibus dissipare. Huic Obedientiæ Regi suo legitimo debitæ tam firmiter adhæsit atque perseveranter, ut Absalomo contrarium suadenti responderit :

2. Reg. 16. vers. 18. *Nequaquam : quia illius ero quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & universus Israël, & cum eo manebo.* Callido isto respondendi modo, hostem delusit, firmamque Regi suo per Dominum sibi constituto servavit obedientiam. Consimilem deposcit Franciscus à filiis suis animi stabilitatem, ut debeant illi Ministro Generali, *quem elegerit Dominus & omnis hic populus* Minoriticus, inseparabiliter adhærere, atque *firmiter obedire*; sic ut ea subjectio perpetua maneat & inconcussa, nec ullis difficultatum tentationumve impulsibus Frater aliquis à firmitate promissæ dimoveatur obedientiæ. Hæc virtus variis est obnoxia corruptelis, contra quas firmandi sunt animi subditorum. Ne libenter obediant, instabit acriter usurpatæ libertatis inveterata consuetudo : ingeret se judicium proprium ad perturbandam parendi simplicitatem: torquere tentabit præcipientium displicentia, ne mandata eorum hilariter suscipiantur : opprimere conabitur obedientem pigritia, ne velox sit in opere demandato : tumultuabitur in corde timor laboris, ad injiciendam in executione pusillanimitatem: tabescere faciet superbia, prætendens dominari potiùs quàm subesse : Inconsideratio præmii perseverantibus præparati bonos diminuet animos, ne currant usque in finem. Contemptis igitur remoris illis, statuamus *firmiter obedire*. Cœlestis induendus est animus, ut eo modo quo Angeli voluntates Dei superiorumque spirituum exequuntur, eâdem quoque nos alacritate jussa peragamus eorum, qui nobis ex Dei ordinatione præpositi sunt, terrestrium

Bernard. Serm. de Virt. Obed. & ejus gradibus. Angelorum. Porrò septem gradus à D. Bernardo assignantur, quibus ad perfectam valeat Obedientiam perveniri.

Primò, Ut obediatur *libenter*. Qui enim invitè quid agit & quasi per coactionem, non tam ad præcipientis aspicit voluntatem, quàm ad malum aliquod, si non obediat, consecuturum; ostenditque suam in corde latentem rebellionem. Omnis ætas ab adolescentia sua Gen. 8. vers. 21. prona est ad malum, & unusquisque voluntatem pravi cordis sui sectatur. Estque difficile suam relinquere voluntatem, & alterius voluntati deservire. Tamen ut primum conscendamus obedientiæ gradum, nostram facere debemus præcipientis voluntatem. In voluntate sua justus gloriatur se Domino confiteri; unde Psal. 53. vers. 8. *voluntariè*, inquit, *sacrificabo tibi*. Sola ergo voluntas est, quæ totius operis ornat effectum; sinè qua etiam nec bene aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur. Ex voluntate igitur suscipienda sunt imperia prælatorum, & ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata, mandatum diligat imperantis. Laborem operis & difficultatem magna ex parte minuimus, si ipsum non inviti subeamus. Insidens equo domito atque flexibili, ad frænum docto & ad virgulam, suaviter equitat; feroci verò insidens, pertinaci & insolenti, molestias patitur atque pericula : & equus ipse stimulos cogitur & verbera sostinere. Æqualis est sors miserorum Superiorum subditos regentium involuntarios; miserior autem est talium subditorum conditio, qui & exteriùs ad mandatorum coguntur executionem, & interiùs reluctantis patiuntur animi cruciatum.

Secundus gradus est, obtemperare *simpliciter*. Sed multos videmus, inquit Bernard. post præcipientis imperium multas facere quæstiones, cur, quare, quam obrem, sæpiùs interrogare; crebras ingeminare querelas, quare hoc præcipit, unde hoc venit, quis hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem & indignationem sonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Discipulis suis Salvator ait : *Ecce ego mitto vos sicut agnos*. *Mitto vos* Luc. 10. *sicut oves*. Sic mittimur & nos viri Religiosi. Matth. 10. Porrò agnis & ovibus remotissimum est à pastore disquirere, quò deducantur. Sicut in materiis fidei necessaria est simplicitas non inquirendi de rationibus intimis credendorum, ne curiosiùs scrutanti occurrant dubia, & fidei puritas extinguatur : sic & in Obedientiæ materiis multò securiùs est rationes non indagare

præceptorum; hæ enim inquisitiones perdunt Obedientiæ puritatem: & si curiosis talibus fortè respondeatur, periculum aliquando erit, ne non quiescant, sed in ulteriores pergant quæstiones, usque ad rixas & disputationes. Propter quod prodenter aget Superior silentio suo non dans occasionem contentiosis sua discutiendi mandata. Subditis autem simplicitas placeat per Apostolum commendata, dum ait:
Philipp. 2 vers. 14. *Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis sine querela, & simplices filii Dei.*

Hinc simplicitatis regulæ se rectè conformavit nobilis ille F. Ladislaus Hungarus, qui rogatus à B. Francisco Paplensi, ut scrupulum non pateretur habitare in conventu Magnifico à Conventualibus extructo & translato ad Observantes, respondit: *Ad hæc hactenus non attendi, sed ad Obedientiam solam, quæ me collocavit: credoque perfectionem Fratris Minoris in Obedientia consistere, quam qui observat, totam observat Regulam*; otique quia omnia Regulæ præcepta Obedientiæ materia sunt. Hujus ergo Ladislai exemplo stultus fiat Religiosus, ut sit sapiens: hæc sit ejus præcipua discretio, in hoc puncto nullâ uti discretione: hæc omnis ejus sapientia, ut jumentum fieri sub dirigente Superiore.
Chron. p. 3. lib. 2. cap. 25.

In rudibus Fratribus laicis facilior est ista simplicitas; sed in viris magno præditis ingenio, quibus rationes minimè desunt sancita Superiorum redarguendi, difficilior est judicii proprii mortificatio. Illustre in hoc exemplum præbuit doctissimus Vir F. Petrus Joannes Olivi, qui de Virgine Deipara quosdam scripserat tractatulos. Hos cùm perlegisset Minister Generalis, ut luxuriantem ingenii subtilitatem in cudendis novis sententiis amputaret, præcepit, non tam ad pœnam, quàm ad mortificationem, ut ipse propriis manibus eos traderet incendio. Confestim ille obedivit, & absque ulla animi commotione in Ecclesiam descendit factum facturus. Admirati Fratres, interrogârunt, quomodo post tantam confusionis mortificationem absque expiata saltem conscientia per confessionem sacramentalem de commoto in Superiorem animo accessisset ad altare? Respondit, pacatissimo hæc animo fecisse, nec voluptuosiùs pro suo captu illa fecisse, quàm pro Prælati imperio combussisse. Hunc virum quamvis calumniis variis ejus æmuli denigrârint, solus tamen hic actus sufficit ad probandum eam, quam in suo gerebat pectore, sanctitatem.
Annal. Tom. 2. ann. 1278. num. 27.

Tertiò, Obediendum *hilariter.* Serenitas in vultu, ait Bern. & dulcedo in sermonibus multum colorant Obedientiam obsequentis.
2. Cor. 9. vers. 7. *Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Quis locus Obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur ægritudo? Quis imperet libenter tristitiam efflanti? Si vis perfectus esse, hilariter & cum magna vultûs alacritate suscipe jubentis imperium, ut voluntati cordis, simplicitati operis, vultûs adjungas hilaritatem. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Audi verò, quid inde promittitur secuturum: *Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur, & deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.* Eâ
Eccl 35. vers. 10.
Vers. 20.

fortè ratione S. Dei Ecclesia orationes suas & laudes sub modulatione (quæ signum est internæ lætitiæ) consuevit pronuntiare, eos imitata, qui primitùs ex cordis abundantia tradiderunt eas & cecinerunt. Eadem hilaritas & Obedientia in operibus Obedientiæ venit adhibenda; iis præsertim quæ contra propriam militant sensualitatem; ad exemplum insigniorum militum, qui missi ad prælium quasi ad epulas currunt, ducuntque loco beneficii, posse primam aciem obtinere. Parum est in delectabilibus hilariter obedire, vel in iis quæ propriâ elegimus complacentiâ vel petivimus imperari. D. Greg. scribens in illud: *Melior est obedientia quàm victima,* sic ait: *Sciendum quòd obedientia aliquando, si de suo aliquid habet, nulla est: aliquando autem minima, si etiam suum aliquid non habet. Cùm enim lœtus Superior imperatur, obedientia sibi virtutem evacuat, qui ad hune proprio desiderio anhelat. Cùm verò opprobria vel contumelia imperantur, nisi ex semetipso hoc animus appetat, obedientia sibi meritum minuit; quia ad hoc invitus descendit.* Sublimis erat Obedientia Domini Jesu, dum *facies ejus erat euntis in Jerusalem*, ubi se sciebat durissima perpessurum, *& præcedebat illos*, nimirum Apostolos suos, *& stupebant.*
In 1. Reg. 15.
Luc. 9. vers. 53.
Marci. 10. vers. 32.

Magnus noster Thomas Florentinus nihil reputabat arduum, nihil molestum, quod à Superioris prodiret imperio. B. Joannes Capistranus mandavit ei aliquando in pœnam commissi erroris circa coctionem ciborum propriis manibus ardentes afferre carbones. Nihil ille moratus in conspectum omnium rediit, utraque manu accensas prunas asportans. Genuflexus coram præceptore veniam exoravit, reliquis intercedentibus, & collachrymantibus. Neque verò statim dimissus est, denuò culpam urgente Capistrano, tandemque jubente, ne carbones excuteret, sed in culinam, quo tulit modo, referret, lotisque manibus rediret. Fecit, redit, manus expandit, signum nullius læsionis apparuit. Cibos deinde convivis hilariter ministravit, qui numquam se lautiùs aut delectabiliùs epulatos asseruerunt, rebus singulis juxta qualitatem propriam optimè conditis. Sic nos quoque, quantumcumque difficilia Obedientiæ opera cum alacri expediamus hilaritate. In cruce pendens Christus Dominus, habuit querelæ causam, quam per Regium Prophetam expressit, dicens: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto* & vino myrrhato. Opus ex mandato Dei factum ipsi vinum est; sed tunc corrumpitur & felle miscetur, dum in tristitia, murmure ac morositate absque debita perficitur hilaritate; quando mœror apparet in vultu, in manibus languor, & in ore silentium. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.* Stuporem causat acetum in dentibus, fumus dolorem in oculis; hoc ipsum causat morosus obediens Prælatis aliquid ei præcipientibus. Vinum sapidum erat Francisco alacritas Fratris Massæi in obeundis omnibus Conventûs ministeriis, dum cæteri in sua relinquerentur quiete; quem dum Vir Sanctus ad rogatum fratrum vellet exonerare, dicebat: *Pater, quidquid mihi in parte vel in toto imposueris, à Deo existimo factum.* Quar-
Annal. Tom. 5. an. 1447. num. 23.
Psal 68. vers. 22.
Prov. 10. vers. 26.
Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 33.

Quartò, Obediendum *velociter*. Velociter currit sermo Dei, & velocem habere desiderat sequentem. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem: parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, mauts operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem: Luc. 19. vers. 3. *Zachæe*, inquit, *festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans* Exodi 12. *descendit, & excepit illum gaudens.* Noune legisti quòd Filiis Israël præcipitur, ut agnum comedant festinanter? Festinanter quippe veri agni comestio signatur implenda: quia verba illa, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt Obedientiâ consummanda. Et tu ergo cùm voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde velocitatem; ut sis juxta Jacobum Apostolum *velox ad audiendum*, & ad implendum velocior. Jac. 1. vers. 19. Id egregiè præstitit S. noster Antonius Patavinus: de quo legitur, teste Laurentio Exhort. 6. De modo impl. Obed. Pottel, quòd cùm unâ dierum in cella foret scribendo occupatus, & sonitum audiret campanæ ad domum verrendam evocantis, litteram quam inchoaverat semiscriptam dereliquit, atque ad verrendum velociter exurrexit. Cùmqne post exactum opus Obedientiæ rediret in cellam, litteram eam quam imperfectam reliquerat, absolutam reperit, auroque divinitùs exornatam. Sic vera Obedientia omnem tarditatem excutit & dilationem.

Periculum illud habet in se tarditas, Obedientiæ perniciosissima labes, quòd cunctando, locum dat diabolo deliberationem injiciendi, num præceptum erit exequendum, necne? Eaque deliberatio similia operatur in corde deliberantis, sicut cogitationes fornicariæ in genere suo; præparationem scilicet ac pronitatem reluctandi, & apertam sæpè contra mandatum rebellionem. Saltem cunctando incidit facilè curiositas examinandi discretionem vel indiscretionem mandatorum; vel tempus dabitur & locus nescio quibus susurronibus, qui benè gradientem retardabunt. Hæc pericula probè intellexit, seque intelligere demonstravit subtilis ille & sanctus doctor *Joannes Scotus* facto admodum illustri. Annal. Tom. 3. an. 1308. num. 9. Dum enim extra Luteriam Parisiorum, in prato clericorum quodam die cum discipulis remittendi animi gratiâ secessisset, supervenêre Ministri Generalis obedientiales, quibus Coloniam se transferre jubebatur. Ipse protinùs vale-dicto iis qui aderant, rectè Coloniam iter assumere cœpit. Admirati discipuli tam promptam festinationem, interrogârunt, cur non priùs ad conventum abiret, libros & scripta collecturus, fratribusque valedicturus? At ille dignam Joanne protulit sententiam: *Pater Generalis Coloniam ire jubet, non in Conventum ad salutandos Fratres redire.* Simile de Ægidio Assisiate Lib. 2. conform. 8. refert Pisanus; à cujus exemplo verosimiliter Doctor Subtilis eam didicit obediendi accelerationem.

Psal. 30. vers. 25. Quintò, *Viriliter* obediatur. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si persecutores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt; tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: *Paratus sum, &* Psal. 118. *non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* vers. 60. Manum tuam misisti ad fortia? Agendum est instanter & constanter obediendum; nec inter verborum seu verberum asperitatem tam regalis est semita relinquenda, sed tenaciori est retinenda fervore. Hanc Christus nec verborum nec verberum asperitate reliquit, & per eam progressus ad crucem usque pervenit, *factus obediens usque ad mortem.* Philipp. 2. vers. 8. Hunc obedientem Dei Filium æmulatus est innumerabilium ardor Religiosorum, qui ad simplicem vocem Superiorū se difficillimus obsequiis, etiam cum capitis exposuêre periculo. E domesticis no- Chron. p. 3. lib. 2. cap. 30. stris F. Ambrosius Lombardus missus pro servitio fratrum peste laborantium, & naturam sentiens recalcitrantem, fuit à confratre ad pergendum viriliter confortatus. Perrexit, quàmvis in illo se putaret opere moriturum; prout & factum est; atque post mortem monitori suo splendidus apparuit, asserens se consecutum immarcessibilem Obedientiæ coronam. Intrepidus etiam apparuit animus F. Theobaldi Assisiatis, qui dum Superioris jussu Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 40. pro rebus aliquibus quantociùs expediendis festinaret, mediumque Tyberis fluvium per cymbam transvadare nequiret, ad fluminis ripas Obedientiæ memor, sed immemor periculi, elevatâ parumper tunicâ super aquas ambulavit, & clamantibus mirantibusque qui aderant hominibus, tam profundum trajecit alveum, aquâ via perfusus usque ad poplites.

Hæc atque his similia verecundiam incutere debent imperfectis quibusdam (utinam nullibi in Religionibus inveniantur) qui ad solum trepidant Superioris occursum, ne quippiam imperet, solentque ad singula de impossibilitate pusillanimiter lamentari: quos, dum peragendum est aliquid, fermè priùs oporteret Superiorem interrogare: *Quid vis ut faciam,* Eccl. 10. *aut præcipiam tibi?* Molesta planè ac penè insupportabilis est Superioribus hominum ejusmodi conditio. *Qui transfert lapides, affligetur in eis;* nimirum quia nullâ moventur virtute intrinsecâ, sed cum toto suo pondere humeris portantis incumbentes, eum molestâ affligunt fatigatione. Tales sunt ignavi illi subditi, qui non vitaliter atque viriliter movent semetipsos: sed quasi magni lapides protrudi debent quòcumque ac deportari, humeris molesti alienis, & facti *telluris inutile pondus.* Non sic generositas piarum animarum, quæ virili conatu moventes semetipsas, humeros student alleviare Superiorum.

Sextò, Obediendum *humiliter*. Non se extollant obedientes, sed dicant: *Servi inutiles* Luc. 17. *sumus; quod debuimus facere fecimus.* Nil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. Ad hæc, qui deserunt humilitatem, deserunt Obedientiam. Samuel ad Regem Saul: *Nonne cùm parvulus esses in oculis* 1. Reg. 15. *tuis, &c. quare ergo non audisti vocem Domini?* Inobediens fuisti, quia humilis non permansisti. Redemptor noster *humiliavit semetipsum* Philipp. 2. vers. 8. in omnibus, *factus obediens usque ad mortem, &c.*

Nos

Nos igitur terræ vermiculi, non in eam degeneremus ſuperbiam, ut noſtrûm aliquis dicat ſibi ipſi : Deſcendeſne ad dedecus iſtud, ut imperari tibi permittas à juniori, ab indoctiori, ab indiſcreto homine, ab eo qui tibi-ipſi fuit aliquando ſubjectus? Non te moveat imperitus magiſter, indiſcreta poteſtas; ſed memento, quia non eſt poteſtas niſi à Deo, ac propterea Joan. 19. eum vero Obedientiæ magiſtro dicito : *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi* Vita c. 6. num. 4. *datum eſſet deſuper.* Perfectiſſimus ejus diſcipulus Franciſcus, dixit aliquando ſociis : Inter alia, quæ dignanter pietas mihi divina conceſſit, hanc gratiam contulit: quòd ita diligenter novitio unius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo & diſcretiſſimo fratri. *Subditus*, inquit, *Prælatum ſuum, non hominem conſiderare debet: ſed illum pro cujus eſt amore ſubjectus. Quantò enim contemptibilior præſidet, tantò magis humilitas obedientis placet.* Sic videmus ſæpenumero eos, qui nobiles fuerunt in ſæculo, litterati, honorati, in armis terribiles & in mirabilibus ambulantes, ſub unius idiotæ & hominis quondam deſpecti, ſe redigere diſciplinam.

Annal. Tom. 6. ann. 1454. num. 36. Ex horum numero fuit Polidorus Romanus, vir genere nobilis, ſpecie decorus, staturâ procerus, aſpectu venerabilis, legum peritiâ aliiſque diſciplinis inſignis, ſenatoriâ dignitate multarumque urbium Præfecturâ conſpicuus. Hic dum Senenſis eſſet urbis moderator, auditâ famâ virtutum F. Thomæ Florentini ejuſque diſcipulorum, ſtatuit eos per omnia æmulari; voluitque ideo in Minorum cœnobiolo Scarlini propinquo, eorum pio cœtui aggregari. Accepto itaque ſui muneris ſucceſſore, rebus ex integro compoſitis, facultatibus inter filios diſtributis, habitum laicalem ſeu converſi in prædicta ſuſcepit ædicula. Humilitatis adjudicatus officiis, omnia promptiſſimè humiliterque peregit. Stabularium demum ac hortulanum ſub magiſterio Antonii laici eum loci Præſes inſtituit, quo in munere ædificatâ ſibi in horti angulo anguſtâ caſellâ, ad mortem uſque perſeveravit. In viris talibus completum videtur vaticinium Iſ. 11. verſ. 6. Iſaiæ : *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur : & puer parvulus minabit eos.*

Septimò, Denique obediendum eſt *perſeveranter.* Non qui inceperit; ſed qui perſeve- Bern. loc. cit. raverit in finem, hic ſalvus erit. Quid currere 1. Cor. 9. prodeſt, & ante metam curſûs deficere? *Sic currite, ut comprehendatis.* O quàm perſeveranti pede curſum ſuum perfecerat qui dice- 2. Tim. 4. bat : *Curſum conſummavi!* Supra modum autem glorioſa fuit Filii Dei diligentia in Patria voluntatibus adimplendis; qui dicere potuit: Joan. 17. verſ. 4. *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam;* & in cruce completis jam omnibus, quæ de ipſo ſcripta erant : *Conſummatum eſt.* Joan. 19. Sola Perſeverantia eſt, quæ amatorem Obedientiæ ad Regis cubiculum introducit, ut eum videat in decore ſuo, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Penitùs inutile manet inceptum opus, nec conſummatum. Imperatum fuerat Sauli Regi : *Vade & percute Amalec, & demo-* 1. Reg. 15. verſ. 3. *lire univerſa ejus : non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid : ſed interfice à viro uſque ad mulierem, &c.* Partem præcepti hujus adimplevit : partem neglexit, proprio abductus judicio, & plenæ inobedientiæ reus judicatus. Quis mercedem dederit, imò: non indignetur potiùs nuntio, quem pro deferendis miſerit litteris, ſi ad mediam quidem perrexerit viam, ſed præ itineris tædio revertatur? Monſtruoſa eſt incompleta Obedientia; ſicut homo, qui manibus aut alio corporis membro naſcitur deſtitutus. Perſeverantem igitur uſque in finem vitæ teneamus Obedientiam, quæ ſola coronatur.

Admirabile eſt quod de ſanctis aliquibus legimus, obtemperandi exercitium etiam ultra hujus vitæ terminum extendiſſe. F. Guilielmus Anglicus poſt mortem in Aſſiſiati tumula- Antonin. p. 3. tit. 24. cap. 9. §. 1. tus Minorum Eccleſia, tantis cœpit coruſcare miraculis, ut timeret F. Elias Generalis, ne Franciſco rarior videretur, ejuſque gloriam offuſcaret. Motus ergo zelo ſui ſancti Patris acceſſit ad Guilielmi tumulum, & cum magna confidentia præcepit ei, ne miraculis ſuis B. Franciſci gloriam offuſcaret. Qui ex tunc ampliùs miracula minimè operatus eſt. Beatus Annal. Tom. 5. an. 1447. num. 87. item Thomas Florentinus poſt obitum magnis clarebat miraculis, iiſque adeò frequentibus, ut S. Bernardini, cujus recens erat memoria & gloria miraculorum illuſtris, nomen & devotio aliquantulum imminueretur, & retardanda videretur canonizatio. Hæc audiens B. Joannes Capiſtranenſis, qui indefeſsè laborabat pro Bernardino, ad Thomæ abiit ſepulchrum, præcepitque ne ulla deinceps patraret miracula, donec Bernardinus canonizaretur. Res mira, ceſſavit ab omni opere miraculoſo per annos quatuor, donec Bernardini peracta eſt canonizatio. Deinde imperante Miniſtro Provinciæ Romanæ, cœpit refloreſcere mirandis operibus. In Conventu etiam Mechlinienſi, Annal. Tom. 5. an. 1431. num. 51. Provinciæ Germaniæ inferioris, ſuper ſepulchrum B. Petri Mechlinienſis tam crebra fiebant miracula, ut dum propter nimium populi concurſum interturbaretur divinum officium, neceſſum fuerit, ut P. Guardianus (ſicut fertur) ſuper ejus ſepulchrum accedens præciperet per Obedientiam, ut ceſſaret à miraculis; quod & fecit. Idem de B. Antonio Tegrino ſcriptum reliquit Arturus in Martyrologio Franciſcano ad 15. Maii.

TEX-

TEXTUS §. VII.

Quo decedente.

SUMMARIUM.

Successio Rectoris fieri debet in locum decedentis. Rectè ordinatum, ut regimen Ordinis nostri sit temporale. 1. Ut fatigati Superiores subleventur. 2. Ut tempus detur contemplationi. 3. Ad exercitium obedientiæ, & ad aliquorum superbiam comprimendam. 4. Ut per otium se disponere possint ad mortem, & reddendas Deo rationes. Inconvenientia aliqua adducta contra formam regiminis temporalis. Militant fortiùs contra regiminis perpetuitatem. Utilitas Ordini proveniens, ex Patribus idoneis jam defunctis officio.

CUm appropinquarent dies David ut moreretur, præcepit Salomoni filio suo dicens:
3. Reg. 2. vers. 2. *Ego ingredior viam universæ terræ: confortare, & esto vir. Et observa custodias Domini Dei tui ut ambules in viis ejus &c.* Decessurus ipse, splendidam regalis dignitatis servitutem, in humeros filii sui deposuit Salomonis; simul erudiens eum, ut confortetur, & legem Domini observando, honorem illum onerosum dignè studeat deportare. Pari providentiâ noster Seraphicus Institutor, postquam de Generali egit sui Ordinis Ministro, innuit præsenti Textu, non ejus perpetuam fore superioritatem, sed aliquo tempore terminandam, quod erit sive per ejus obitum, sive per humanam definiendum constitutionem. Tunc *eo decedente*, regiminis onus erit ab eo in alterius humeros transferendum.

Graviter extitit aliquando disputatum, num expediret præcipua Ordinis officia esse perpetua, in iis, qui nullâ præberent ansam justam depositionis; an verò certo temporis termino administrationem congrueret circumscribi? Apostolicæ Sedis judicio & partis sanioris Patrum Ordinis decretum est, præstare ut Generalatus non ultra sexennium vel octennium protenderetur, & proportionaliter alia quoque Ordinis officia limitarentur. Juvabit hîc expendere, quàm sanctè, utiliter ac sapienter hoc institutum atque receptum sit.

Primò, Justum est ac rationabile, ut non unus continuò gemat sub onere, sed ut ei jam fatigato, alii fortes vegetique succedant, qui recentibus suscipiant viribus labores; ad eum modum, quo onus ab uno humero in alium
Gal. 6. vers. 2. commutatur. Apostolus monet: *Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Sic eum locum legit magnus Pater Augustinus,
Lib 83. quæst 71. ex eoque salutarem elicit doctrinam, dicens: *Nunc cùm in hac vita, id est in hac via sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam, quæ omni caret onere, pervenire possimus. Sicut enim de cervis naturalista scripserunt, cùm fretum ad insulam transeunt pascuarum gratiâ, sic se ordinant, ut onera capitum suorum quæ gestant in cornibus super invicem portent; ita ut posterior super anteriorem cervice projectâ caput collocet. Et* Dernoye Medulla S. Evangelii. *quia necesse est unum esse qui cæteros præcedens non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: ut lassatus sui capitis onere ille qui præcedit, post omnes redeat, & ei succedat, cujus ferebat caput cùm ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem.* Ubi vera regnat charitas, successivam operarii sibi mutuò indulgent quietem. Nisi fortè in hoc laboris genere malint aliqui propter gustum aliquantulum honoris, onerati perseverare atque succumbere, potiùs quàm alteri onus cedere deportandum. Sapiens certè rerùm æstimator mallet gravissimis prælaturæ sarcinis exonerari.

Secundò, Fastidiunt sublimiores animæ inferiorum tumultus occupationum, & sursum eas trahit contemplationis desiderium. *Descendi*, inquit ejusmodi anima, *in hortum nucum, ut* Cant. 6. vers. 10. *viderem poma convallium, & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Sic optat intendere propriæ hortulo conscientiæ. Quid verò sequitur? *Nescivi* ait. Nescit sæpè quò se vertere, an sursum ad cœlestia, an deorsum ad curam subditorum. Tandem *anima mea*, inquit, *conturbavit me, propter quadrigas Aminadab*, propter peccata, scandala, & multiplices subditorũ infirmitates. Sed in ista positus conturbatione audit supernè: *Revertere, revertere,* Vers. 11. *Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.* Percepto autem suavi illo sui Sponsi invitatorio, anhelare incipit ad tranquillam ejus fruitionem. De his erat illustris ille Generalis B. Joannes Parmensis, qui toto corde sursum erat apud Dominum, in terris interim undequaque à discolis conturbabatur. Dumq; sanctio illa de sexennali termino nondum extaret, omnem admovit conatum ut ab officio absolveretur: quod & obtinuit, atque ad desideratam se conferens solitudinem, Deo plenè fruitus est in spiritûs libertate. Ut igitur sanctis talium animarum satisfiat desideriis, providè sancitum est, ut tandem aliquando finem accipiant externæ sollicitudines, atque ipsi in faustam manumittantur libertatem.

Hoc pacto Christi Sponsa suo exuitur pallio, quo maximè desiderat ipsa spoliari. *Invenerunt me custodes*, inquit, *qui circumeunt ci-* Cant. 5. vers. 7.

vitatem : percusserunt me, & vulneraverunt me : tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Quodnam autem sit pallium istud, & quænam ejus incommoda, in hunc modum Gilbertus
Serm. 45. in Cantica.
exponit : *Imaginatione quasi velamine tenetur intellectus, ne sinceram veritatem contempletur : honorum & dignitatum affectu obvolvitur velut pallio, ne libere peragat in ea quæ Dei sunt. Sollicitudo omnem in anima lætitiam obnubilat, imaginatio obscurat, honor tentat. In primo tenebra, in secundo illecebra, in tertio labor. In primo caligo, in secundo cupiditas, in tertio cura.* Tulerunt pallium meum custodes murorum. *Boni custodes bene norunt cui curarum impedimenta tollant, quam exonerent animam, & ad delicias ducant dilecti sui, reddant expeditam ad delectandam & ad quærendum.* Hoc beneficium est Sponsæ aspirantis ad Sponsi amplexus, ad majorem libertatem prædictis exui impedi-
Lib. 6. Moral. cap 11.
mentis. Unde & Gregorius : *Deus quasi terrenam filiam vocat, quando dilectam unamquamque animam à laboriosis hujus mundi servitiis revocat, ne dum exterioribus actionibus afficitur, ab internis desideriis obduretur.*

Tertiò, Maxima constat esse obedientiæ atque subjectionis emolumenta; ut meritò S. P.
Opusc. Tom. 3. Orac. 20.
N. pronuntiaverit : *Tam uberem judico sanctæ obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ipsius colla subjiciunt, nullum abire possit tempus iners, nec sine emolumento hora aliqua inaniter pertransire.* Propter quod ipse negotiator Evangelicus, ut de illis emolumentis ampliùs lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, officium abdicavit Generalatûs; non præesse volens deinceps, sed subesse; nec præcipere, sed parēre. Nec dubium quin præ omnibus ei singulariter placeant Prælati alii, qui ejus imitatione ab alto descendunt ad ima, & ab imperandi auctoritate ad necessitatem redeunt obediendi, atque de facto ad humilem se componunt obedientiam. Eâ vicissitudine, & meritum obtinent pastoralis sollicitudinis, & fructus obedientiæ, nec non periculum cavent elationis. Enimvero natum est fieri, ut præëminentia potestatis super alios, inspiret superbiam, & assiduitas præcipiendi oblivionem inducat obediendi, aut saltem post se relinquat pudorem subjectionis; & sicut diuturnitate truncus arboris roboratur ut flecti non possit, ita & cervix prælatizantium. Sapienter igitur providit S. Sedes & Ordo Seraphicus, ut & iis Generalibus satisfieret, qui amore fructiferæ obedientiæ cum Francisco à prælationis onere expediti desiderarent : & iis etiam qui non desiderarent, terminus poneretur, quò ad memoriam usumque obediendi denuò redire deberent, ut si fortè in prælatione posita superbire didicissent, dediscerent in subjectione.

Quartò, Oculatorum Superiorum cordibus imminet semper illius horæ expectatio,
Lucæ 16. vers. 2.
quâ de cœlis tonabit illud verbum : *Redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.* Non ignorant pactum Domini cum eis initum, dum officii sigillum acceptarunt, & quid eventurum sit, si eorum incuriâ ovem aliquam contigerit deperire. Pactum illud re-
Ezech. 34. vers. 9.
gistratum legimus apud Ezechiëlem : *Pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Hominum visitatio, quæ super regimine Superiorum variis instituitur temporibus, eludi potest astibus & artibus, rigor evadi correctionis. Sed hîc divinus instituitur Visitator : *Ego ipse*, dicit Dominus *super pastores requiram.* Quam requiret de grege suo rationem ? *Quòd si speculator*
Cap. 33. vers. 6.
viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinâ, & populus se non custodierit, veneritque gladius & tulerit de eis animam : ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Horribilis sanè visitatio Supremi Judicis, animam pro animâ perditâ reposcentis. Hanc taliter apprehenderunt aliqui illuminati servi Dei, ut vel curam animarum planè refugerent, vel jam impositam excuterent, vel dum excutere non possent, in tremore perpetuo diem Domini
Martyrol. Francisc. ad 17 Februarii.
expectarent. Periculum illud F. Barnabas ab Interamna intellexit, qui quàmvis muneri suo in fratrum regimine satisfaceret vigilantissimè, tamen è tribus donis, quæ instanter à Domino petiit & impetravit, primum illud posuit, ut minimè moreretur in officio prælaturæ. Viris talibus, erat terminus aliquis constitutus, quò sperarent ab ea liberari anxietate, quam super divini judicii de subditorum animabus requisituri severitate conceperant.

Et hæc quidem sunt commoda circumscriptæ prælationis, quæ in Ordine nostro servatur. Alii plerique Ordines maluerunt habere perpetuam usque ad vitæ finem. Atque hujus
Apud Eman. Rodrig. qq. Regul. Tom. 1. q. 16. art. 8.
politiæ patronum habent Navarrum, qui contra temporariam nostram varia profert inconvenientia. Quòd scilicet eâ occasione tam frequentium electionum glicere possint simoniacæ procurationes ad officia adipiscenda. Vel promittent prætendentes suffragatoribus favores, licentias & impunitates. Vel orientur subornationes, & collusiones inter primarios ad sibi mutuò succedendum. Non verebuntur hypocritas agere ad placendum electoribus. Vel suscitabuntur dissidia & invidiæ inter competitores, eosque quos timent sibi præferendos, nec parcent detractionibus, diffamationibus atque mendaciis. Dum verò fuerint Prælaturam adepti, non audebunt suos tangere promotores, non audebunt suis adversariis displicere, brevi forsitan eligendis, ne vicem patiantur, si quid forte dixerint severiùs aut egerint. Vel occasione quæsitâ sic oppriment sibi minùs faventes, ut inposterum nocere non possint, dum tempus recurret iterum assurgendi.

Hæc fatemur cogitari ab ambitiosis & practicari; sed nullus quoque negare poterit eadem intervenire in electionibus ad officia perpetua, & eò majori ardore, quò propter perpetuitatem videntur æstimabiliora. Qui mali sunt, semper malas inibunt vias, ut votorū suorum compotes efficiantur; boni verò se ab eis custodient, nec propter spinosum, plenumque fastidiis officium, suas animas exponent damnationi. Et ne quis credat promotiones ad officia perpetua prædictis carere nequitiis, audiamus Bernardum referentem tur-

pes

pes procurationes, anxios circuitus, & technas incredibiles suo tempore (utinam non etiam nostro!) adhiberi solitas ab aliquibus ad rapiendos Episcopatus & Abbatias: *Curritur*, inquit, *in clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tamquam sinè curis quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit.* Alibi modos perstringēs ad eas perveniendi, ait: *Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, assimulat, miseraque suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus reptans, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi.* Sic pro perpetuis laborarent officiis. Circa temporalia, fervorem ambitionis multùm remittit brevitas honoris adipiscendi, eò usque, ut dedignentur cordatiores pro tantillo vel pedem movere.

Epist. 42.

In Declam.

Insuper si contingat ambitiosum hominem in perpetua poni possessione, videbis nonnumquam intolerabili fastu dominari, curam negligere disciplinæ, quam numquam intenderat in officiorum venatione; omnia pro libitu agere, subditos tyrannico tractare supercilio, denique neminem curare, nec revereri: idque quia dignitatis ejus possessio diutiùs creditur duratura. Servi cujusdam meminit divinum Evangelium, qui dixit in corde suo: *Moram facit Dominus meus venire: & cœpit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.* Nihil verò æquè promotos continet in modestia, quàm expectatio finis brevi venturi, quo deponantur à gradu, & æqualis sortis cum cæteris reddantur commilitonibus. Atque hanc præcipuam allegavit rationem Paulus IV. in Bulla. *Viam ambitiosæ*, in qua primariis Ordinis officiis terminum præfixit depositionis. Et hæc est praxis supremæ curiæ, deponere potentes de sede, & exaltare humiles. Hinc si annis multis vixerit homo in alto gradu, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, dum retrudetur in tenebras, & in oblivionem omnium adulantium; meminisse debet multorum, quæ cùm venerint, vanitatis arguentur præterita: meminisse debet illius horæ quando dicetur: *Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultrà domina regnorum.*

Lucæ 12. vers. 45.

In bullario Rodrig. Bulla 5. data an. 1559.

Isaiæ 47. vers. 5.

Præter supradictas Navarri rationes pro permanentia Prælatorum, addi insuper posset, damnum fore Ordinis, dum virum aliquem nactus est prudentem, sanctum, & utilem undequaque, quem tamen oporteat removere ob legem istam rigorosam. Ad quod respondetur, etiam accidere posse, ut aliquis eligeretur requisitis instructus conditionibus, qui tamen postea à primæva degenerans pietate, nec correspondens bonæ spei de se conceptæ, patronus fieret relaxationum, & virtutis persecutor, aut saltem exemplar vitiorum: cujus diutina præeminentia in Ordinis cederet intolerabile gravamen. Data quidem est provisio de alto in ejusmodi casu subrogando; sed quia id non nisi difficillimè mandatur executioni, ob varias ambitionis praxes, ad firmandam continuationem in officio; magis expediens erat, eam rescindi per legem indispensabilem, de certo termino administrationis præcipuorum officiorum. Dum enim per legem abbreviatur potestas, præveniuntur tumultus, partialitates, & indignationes contra eos, qui depositionis viderentur promotores. Quæ mala satis apparuerunt, dum F. Helias per Innocentium IV. exauctoratus est, licèt maxima foret necessitas alium substituendi.

Etsi verò decessurus Prælatus, toto regiminis tempore per omnia utilis extiterit, nullum tamen ejus decessu patietur Religio detrimentum, si alius æquè utilis atque sufficiens in locum ipsius eligatur. Certè in Ordine tam numeroso non unus dumtaxat, sed plures tales poterunt reperiri. Subministrabit eos Christus Dominus, qui promisit, quòd hæc paupercula Religio salva semper & incolumis suo munere permanebit: & si nati non fuerint, faciet illos nasci. Neque per hoc, quòd Minister utilis officio defungatur, desinent virtutis emolumenta cum depositione auctoritatis; sed vivet illius exemplum, & tenaciter in successoribus perseverabit. Etenim nescio, quâ occultâ vi urgentur ad æmulationem præclarorum facinorum, quæ in suis prædecessoribus contemplantur. Aliam iterum ingentem utilitatem conferunt Patres isti exauctorati, sanorum scilicet directorium consiliorum. Plùs prodest consiliarius bonus cum principe insipiente, quàm princeps sapiens absque consilio. Hoc securiùs contribuunt Patres illi, qui in regimine detriti, plures norunt secretas regulas per experientiam, quàm alii centum inexperti. Nullos autem tales haberemus, si omnes simul cum officio è vita decederent, nec ullus ab experientia loqui posset, in causis quibusdam gravioribus; multò minùs necessariam successori præbere informationem, pro negotiis intricatis nondum resolutis. Denique cùm superstites manent Patres, variis utiliter functi officiis, semper ad manum erunt viri, qui in casu subitæ vocationis officii, poterunt subrogari, idque absque ullo erroris periculo, cùm jam antecedenter experimentalis notitia de eorum habeatur idoneitate.

Gloriosum igitur est Religioni atque utilissimum, tales habere viros veteranos, qui emeritis prælaturæ stipendiis, exercitæ laboribus vitæ, requiem aliquantulam consequantur. Acquisitâ interim libertate, ad longiora intentur studia, ad prolixiores orationes, ad frequentiores carnis castigationes, aliaque sublimiora opera: ut qui prælationis tempore similes fuerunt Angelicis choris Potestatum & Dominationum, hos supergressi se Cherubinis immisceant & Seraphinis, circa unicum agentes Deum, & ab aliis remoti objectis, quæ sublimea eorum spiritus traherent ad inferiora. Dotibus etiam animi, quas eis contulit Deus pro regimine subditorum, ex tunc utentur ad regendum semetipsos; eâ scilicet severitate, vigilantiâ & industriâ, quâ quondam alios direxerunt. Satis habet quis quod regat, qui turbam propriarum concupiscentiarum, intentionum, motuumque naturalium habet ad Dei leges componendam & dirigendam. *Reges & Prælati sunt*, inquit, D. Gregorius: *qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere: sed regendo præesse noverunt.* *Lib. 26. Moral. cap. 5.*

TEXTVS & §. VIII.

Electio Successoris fiat.

SVMMARIVM.

Spiritualium pugnatorum exercitus, non sit ductore destitutus. Qualitates eligendi Ministri Generalis, secundùm Ordinis constitutiones sunt, 1. Vt sit legitimè natus. 2. Ætatis triginta annorum. 3. Gravis moribus. 4. Integræ famæ. 5. Discretus & prudens. 6. Doctus. 7. Expertus. Complexum plurium Prælati perfectionum ex D. Gregorio Papa.

POstqoam è vita decesserat strenuus dux Judas Machabæus, congregati sunt omnes — 1. Machab. 9. vers. 29. — amici ejus & dixeruot Jonathæ: *Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie eligimus esse pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.* Strenuissimus Christi miles Franciscus, per Regem altissimum fuit Dux constitutus divini exercitûs — Vita cap. 1. num. 4. — pugnatorum. In cujus rei signum, circa conversionis ejus exordium, nocte quâdam eùm se sopori dedisset, palatium speciosum & magnum cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitum Clementia sibi divina monstravit. Et eùm quæreret ipse, cujus essent illa omnia; sua fore militumque suorum, supernâ fuit assertione responsum. Hunc exercitum suum Vir Sanctus, nullo voluit tempore Generali manere ductore destitutum, sed habere semper unum de fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum & servum totius fraternitatis: Quo etiam decedente *electio successoris fiat*, qui instar Jonathæ in locum veniat Judæ Machabæi, & eligatur pro eo *esse nobis in principem & ducem ad bellandum bellum nostrum* adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Ne verò in electione tanti ponderis aliquem committi contingat errorem, aliquæ præscribuotur in Ordinis nostri Constitutiooibus qualitates in eo requisitæ, qui ad munus illud primarium fuerit eligendus.

Primò, Ut sit *legitimo toro natus*. Quia ex debito Prælatis reddenda est reverentia. Dedignantur autem ingenui viri, ut bene nati, honórem iis deferre, qui naturâ ipsâ habentur infames, & in quibus universi parentum crimen sordesque detestaotur. Quòd si nec inter vulgares fratres permittuntur ad novitiatum admitti, multò minùs ad eminentissimam Ordinis dignitatem, io qua daretur occasio, ut integer Ordo ex capitis sordesceret indignitate.

Secundò, *Ætatem saltem triginta annorum attigerit.* Tunc enim præsumitur non contemnendus ob nimiam juventutem, ac eas potuisse dotes acquirere, quæ non solent nisi tractu — Bernard. Epist. 42. — temporis comparari. *Non dicimus quidem quamcumque ætatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec seram, cùm multos videamus juniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deest compensare virtutibus*; tamen vulgò contemnitur auctoritas, cùm is qui regit, eius ætatis est, ut ipse egere rectore videatur. D. Gregorius expeodens hoc quod scribitur Ezechiël in tricesimo — Hom. 2. in Ezech. — anno spiritum accepisse Prophetiæ, *hoc*, inquit, *nobis indicat considerandum, quòd juxta rationis usum doctrina sermo non suppetit nisi in ætate perfecta. Unde & ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ, in medio doctorum in templo sedens, non docens, sed interrogans voluit inveniri.* Quantò minùs in ætate minori est universalis alicui committenda cura regiminis. Altera ratio, cur neophytum Apostolus ad altiores nolit promoveri dignitates, est; *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* — 1. Tim. 3. vers. 6. — Judicium diaboli arrogantia est, io quam incidit facilè, qui occasione novitatis status & dignitatis, se cæteris reputat digniorem, Religionem suâ non posse carere operâ, seque potiùs ei præstare beneficium, quàm ab eadem accipere. Hinc ferè semper illud verificatur: *Væ tibi terra, cujus rex puer est.* — Eccl. 10. vers. 16. — Timeodom ne derelicto consilio Seniorum quasi delirantium, consilium sequatur juvenum secum nutritorum, & cum Roboamo in irremediabiles incidat confusiones.

Tertiò, Sit *gravis moribus*. Non ætatis solius, sed morum quoque gravitas ad Prælaturam desideratur. D. Bernardus soo scribit Eugenio: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* — De Consid. lib. 2. c. 13. — *Non nugas profectò vel fabulas. Verbum scurrile quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore; procul & ab aure relegandum.* Modò mimum, modò regem agere, non adcò firmæ mentis indicium est: nec umquam veritatem credimus sanctitatis in homine, cujus verba & gestus redolent histrionem. Censores quidam Ethnici, minimè permittebaot viris negotia gerentibus Reipublicæ, audire ludiera vel videre; qoantò minùs id Religiosum deceat & magistrum Religiosorum? optimè fulcitur auctoritas, & divinâ propè efficiâ in animos influit, dum modesta gravitas ad reverentiam flectit subditos, & sola tacentis præsentia Superioris: quæ solet eos suaviùs fortiùsque com-

compeſcere, quam clamores alterius & comminationes. Hoc in Seraphico paruit Bonaventura, qui vultu gravi, & aſpectu angelico, homines in ſui rapiebat admirationem. Eâ erat corporis formâ vel potiùs dignitate, eâque ſummâ animi iodole, ut nemo illum non vereretur, nemo item, qui ſe ab eo moneri non pateretur, vel libentiſſimè. F. Haymo, itidem Generalis, tanto virtutum morumque ſplendebat ornamento, ut vulgò *Speculum honeſtatis* audiret. De F. Franciſco de Ruvere, qui fuit poſtea Sixtus Papa IV. Rodulphium audiamus: *Tanta*, inquit, *illi comitas, tanta facilitas, tanta erga omnes benevolentia fuit, ut omnes tamquam pater filios admitteret: tanta in eo reverentia, ut timeretur à malis, & coleretur à bonis. Apud doctos eruditus, ſimplicioribus non moroſus, apud magnates honorabilis, apud minores humilis. Delicta rationibus, non conviciis neque contumeliis urguebat. Efficax in dicendo, promptus & argutus in reſpondendo: in decernendo ſolidus: aſpectu jucundo, ut omnes ad ſe converteret; naturali vigens prudentiâ, quâ ex propriis ſingulos moribus diſcernebat, ſua cuique tribuens & impendens.* His pollens dotibus non ſolùm idoneus habitus eſt noſtri Ordinis gerere Generalatum; ſed univerſæ quoque Eccleſiæ Pontificatum. De his filiis & ſucceſſoribus ſuis juſtam habuit D. Franciſcus gloriandi occaſionem, juxta ſententiam Sapientis: *Qui docet filium ſuum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe &c.*

Sedul. Vita cap. 3. n. 2.

Annal. Tom. 1. an. 1239. num. 8.

Lib. 2. de General. Ord.

Eccl. 30. verſ. 3.

Quartò, Sit *integra fama.* Voluit Apoſtolus, ut ordinandi, *irreprehenſibiles* & ſinè crimine eſſent. Cui conſentiens D. Bernardus, & meditans ſuper illud; *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo in longitudinem dierum*; adjicit: *Oportet virum qui ad ornamentum & decorem aſſumitur domus, bonis ornatum moribus eſſe: & quàmvis ipſe ſit ſemper intus, bonum tamen habere teſtimonium ab iis qui foris ſunt.* Diximus ſuprâ, eos à dignitatibus arcendos, qui alieno parentum ſcelere ſordidati, minùs æſtimabilem redderent Ordinem & ſeipſos; magis itaque removeri decet, qui proprio ſcelere conſcientiam famamque fœdarunt, ſequè ineptos reddiderunt ad correptionem & emendationem aliorum. Siquidem juſtè conſiderat D. Gregorius, quòd *mundus ipſe eſſe à vitiis debet qui curas aliena corrigere, ut terrena non cogitet, ut deſideriis infimis non ſuccumbat; quatenus tantò perſpicaciùs aliis fugienda videat, quantò hæc ipſe per ſcientiam & vitam verius declinat. Quia nequaquam purè maculam in membro conſiderat oculus, quem pulvis gravat; & ſuper injectas ſordes tergere non valet manus, qualutum tenet.* Quæ quidem de præſenti ſonant reatu, tamen etiam præteritū implicant, à quo correpti ſubditi anſam ſumere poſſunt objiciendi: quid in nobis redarguis, quod ipſe aliquando perpetraſti, & ad quod tuo nos exemplo perduxiſti? Pœnituerit, & abſolutus ſit à delictis antiquis, naturalis tamen pœna delictorum, infamia nempe, permanet; quâ durante, fieri natum eſt, ut à quibuſdam cum nauſea & pudore præſtetur obedientia, & correptiones cum indignatione ſuſcipiantur. Nec minor eſt apud externos offenſio, quibus in mentem facilè venit opinari, tantoperè inverſam eſſe in Ordine juſtitiam, ut honores inſulsè tribuantur indignis: vel quaſi nullus honeſtior valeat in congregatione reperiri, cui gradus ille ſublimior conferatur.

1. Tim. 3.

Pſal. 90.

Serm. 46. in Cant.

Lib. 7. Moral. cap. 16.

Quintò, Sit *diſcretus & prudens.* Diaconi in Eccleſia promovendi, requirebantur, qui non ſolùm eſſent *viri boni teſtimonii, & pleni Spiritu Sancto*, verùm & *pleni ſapientiâ.* Eadem meritò in Miniſtro requiritur Generali, ad tantam regendum multitudinem, tum virorum, tum fœminarum Domino conſecratarum. *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum*: ajebat generalis Apoſtolus: ſapientibus quidem ut magiſter eorum & præcellens ſapientiâ: inſipientibus autem, ut de ſtultis faceret ſapientes; quod ſanè operoſiſſimum eſt; nam ſi *cum dormiente loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam*, magnum eum eſſe profectò neceſſe eſt, qui rudi atque incapaci eam faciat intelligibilem. Si nauclerum admiramur, qui navem non ſolùm afflante Euro, verùm & Aquilone vel Auſtro, dirigit in occidentem; admirabilior erit Superior qui tam diverſis & adverſis ſubditorum inclinationibus repellentibus, navem tamen rectè deducit, & ad portum inducit optatum. Sed non omnium, imò nec plurimorum ſanctorum fratrum eſt iſta ſapientia. *Magna enim*, inquit D. Bonaventura ex Bernardo, *eſt differentia inter ſcire humiliter ſubeſſe, & pacifice coeſſe, & utiliter præeſſe. Multos cernis ſub magiſterio quietè vivere, quos ſi jugo abſolvas, videris non poſſe quieſcere, nec à qualibet re ſe innoxios ſervare. Rurſum quoſdam invenies, cum omnibus quantum in ſe eſt pacificè vivere, minimè quidem egere magiſtro, nec tamen idoneos magiſterio. Quadam ſiquidem bonâ mediocritate contenti ſunt, ſicut eis menſuram gratiæ partitus eſt Deus. Socialiter enim inter fratres ſciunt pacifice vivere; ſuper fratres verò poſiti, non ſolùm inutiliter præſunt, ſed & inſipienter & nequiter.* Iterum aliqui toti erunt in devotione, ſed incurii in iis, quæ ſui ſunt officii, vel in opinionibus ſuis pertinaces, vel in minutiis ſcrupuloſi, vel ſimplices nimium ad fraudes ſubditorum. Alii aliis laborant defectibus. Unde non paſſim quemlibet de populo docetur Moyſes cæteris præficere, ſed providere de omni plebe viros gnaros & idoneos, qui judicent populum omni tempore.

Act. 6. verſ. 3.

Rom. 1. verſ. 14.

Eccl. 22. verſ. 9.

De ſex alis Seraph. c. 1.

Exodi 18.

Sextò, *doctus*; non ſolùm in ſpeculativa Theologia, ſed in practica maximè, tum ut poſſit dubia reſolvere ſubditorum & conſcientias ſerenare: tum ut negotia propria judiciaque valeat ad leges dirigere & veritatem; eſt enim ipſi aliiſque periculoſum, quod non intelligit, reſolviſſe. Hinc D. Bernardus agens de Prælato, ait: *Oportet eum non minùs litteratum eſſe quàm religioſum, ut zelum Dei habeat, & ſecundùm ſcientiam: cùm indiſcreta religio magis obeſſe ſoleat quàm prodeſſe. Litteratum ideo, ut ſciat quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam conſolationem proferat ex ſcripturis.* Et iterum in Declamationibus: *Quando excuſare poſſit ignorantia hominem, qui ſe magiſtrum infantium, doctorem inſipientium profitetur?*

Serm. 2. de S. Andrea.

Ignorans utique ignorabitur, imò & multos ignorare faciet, & ignorari. Quid enim periculi sit, ubi non invenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter & miserabiliter experitur. Demus eum circumseptum esse viris doctis, à quibus dirigi possit. Indecens est alienum ad singula sensum & judicium emendicare, atque ab iis discere, quos debuerat docuisse. Appositè ait Alexander Alensis, scri-

In cap. 11. vers. 8. bens in Apocalypsim: *Vade ne pigriteris tu Clerice, tu Religiose, tu animarum curam habens, qui debes alios instruere; accipe librum apertum de manu Angeli, id est, sacram Scripturam addisce, &c. Multi sunt hodie indiscreti & ignorantes, qui errores seminant, indiscretè solvunt & ligant, & sic caeci caecis ducatum praestant, & propter hoc seipsos & subditos praecipitant in infernum.*

Septimò, Desideratur etiam *Experientia* in rebus gerendis, & in minoribus officiis administratis: quæ non tam è libris discitur, quàm ex usu hauritur & familiaritate prudentiorum.

D. Bonav. loc. cit. Qui enim suscipit officium ut bonos faciat alios, oportet ut hanc bonitatis disciplinam priùs in se studiosè exercendo didicerit, & ex frequenti usu in habitum verterit. Unde Dominus priùs legitur fecisse, quæ post erat verbo

Act. 1. vers. 1. docturus, juxta illud: *Cœpit Jesus facere & docere.* Hanc etiam conditionem in promovendis ad Episcopatum exegisse videtur Aposto-

1. Tim. 3. vers. 5. lus, dum ait: *Si quis autem domui suæ praeesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Quasi sic argumentaretur: Signum stoliditatis & exiguæ experientiæ est, in œconomia temporali propriæ hæsitare familiæ, & providentiæ industriæque defectu rem destruere familiarem; multò igitur majora detrimenta in gubernatione spirituali à tali sunt homine timenda; cùm adhuc minùs accuratus in alienis curandis profectibus, quàm in propriis fore præsumatur. Cùm igitur tot & tam variæ occurrant decidendæ causæ, & enodandæ difficultates; plurimùm proderit in multis detritum esse officiis, & casibus publicis ac privatis; magnis interfuisse consultationibus & disputationibus, plura gessisse negotia, cum omni tractasse genere personarum, varia pertransisse pericula, & ex his omnibus varias collegisse secretas praxeos regulas, quæ abstrusis quibusdam dubiis forsitan eventuris usui veniant, de quibus doctissimi quique fortè non legerint umquam nec audiverint. Nolim tamen eos commendare, qui technas tantummodò sciunt causidicorum, aptiores litigiis forensibus fovendis & prosequendis, quàm religiosis profectibus promovendis: vel qui architectonicam, agrariam, aliamve artem ut cumque norunt: qui de bellis, historiis, materiâ status, & medicinis disserunt; propriam tamen Regulam bonasque ignorant Ordinis consuetudines, utpote nullum earum usum habentes. Minùs autem norunt artem rectam succurrendi animabus, regulas docendi vitæ spiritualis, communia dissuadendi vitia, causasque claustrales justè judicandi. In eos quadrat illud D.

Gregorii: *Hi qui necdum, quod docere debeant, didicerunt, quid aliud agunt, nisi ut paucorum provectus illicitus, fiat multis interitus, & in confusionem Ecclesiasticæ moderationis observantia deducatur? Quippe ubi nullus regularis ordo observatur. Pudet profectò tales aliis imperare, quod ipsi nesciunt custodire.* Lib. 7. Epist. 113.

Hæc est pars conditionum, quas requirunt Ordinis nostri Constitutiones in eligendis ad Prælaturas; ad eam præsertim supremam, de qua nunc agimus. Quas omnes & alias S. Gregorius, ex professo se Pastorum omnium faciens instructorem, in suo tradidit Pastorali, sub Pastor p. 1. cap. 10.

his verbis: *Ille modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, cujus intentioni bene congruens nec omnino per imbecillitatem corpus, vel valde per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur; qui per pietatis viscera citiùs ad ignoscendum flectitur; sed numquam plùs quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis profectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit insinuat, ut inter eos non habeat, quòd saltem de transactis mens erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu & experimento jam didicit, quod obtinere à Domino, quæ poposcerit, possit; cui prophe-*

ticâ voce jam quasi specialiter dicitur: Adhuc lo- Isa. 58. vers. 9.

quente te, dicam: Ecce adsum. Multa hic dicit maximus ille Pontifex, & in his plura comprehendit quæ Prælatum facerent numeris omnibus absolutum. Talis si eligatur, fiet quod futurum esse ex tali electione prænuntiavit electoribus Minoritis B. Capistranus: *Ædifica-* Annal.

bitur sæculum, lætabitur Ecclesia, congaudebunt Tom. 6.

Angeli, congratulabitur Christus: collætabitur an. 1452.

sanctissima Trinitas: illa quoque Mater Domini num. 49.

(ut de Francisco nihil dicam) in cujus pio gremio nostra Religio coaluit & excrevit, jucundo præsidio vobis aderit, ut Evangelium Filii, quod professi estis, tantâ fautrice adjuti, sine macula calumniæ observetis.

TEX-

T E X T V S & §. IX.

A Miniſtris Provincialibus & Cuſtodibus.

S V M M A R I V M.

Tanti momenti electio, non fuit vulgaribus Fratribus, ſed perſpicacioribus committenda. Cavendum electoribus. 1. Ne promoveant ambitioſos. 2. Caveant à commendationibus. Item à ſuſurronibus. 3. Ab amore nimio particularis perſonæ; vel ſpe favoris particularis: itemque ab odio alicujus. Parum curent impatientias eorum, qui non eliguntur. Monitiuncula ad ipſos ſuâ ſpe fruſtratos.

FIliis Iſraël directorem requirentibus & defenſorem contra filios Ammón, *perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Jephte de terra Tob: dixeruntque ad eum: Veni & eſto princeps noſter*, &c. (Judic. 11. verſ. 5.) Sic quando Minorum Fratrum congregationi de Generali eſſet proſpiciendum Miniſtro, qui eis contra adverſarium diabolum dux eſſet atque defenſor, voluit Franciſcus, ut ad peragendum negotium illud prægnantiſſimum pergerent *majores natu*. Electio, inquiens fiat *à Miniſtris Provincialibus & Cuſtodibus*. Majorem ab his diſcretionem expectavit & ſinceritatem, hos judicavit poſſe de dotibus ad regimen neceſſariis certiùs judicare. Præſumunt aliquando nonnulli ſtolidiores de iſtis ſuam ferre ſententiam, cenſentque optimum, qui fuerit indulgentiſſimus; impetunt verò, qui in defectus eorum animadverterit aliquando, vel ſenſualibus eorum contradixerit deſideriis. Rectores diſcernunt maturiùs eligendorum idoneitatem; clementiùs ea indicant, quæ diſplicent vulgaribus & imperitis; ideoque res tanta fuit in eorum manibus reponenda cum ſuarum onere conſcientiarum. Quia verò invidus hujus mundi princeps totus eſt in electionibus vitiandis tam in ſæculari quàm Eccleſiaſtico & maximè Religioſo magiſtratu, ſciens capitis vitium in corpus univerſum illico derivandum; oppoſito quoque intenſiſſimo ſtudio, per electores hos erit eius peſſimis conatibus obviandum. Quanta mala ex electionum vitio oriantur, apparet ſatis in ſæcularibus quibuſdam electionibus, ubi non ad nutum Spiritûs Sancti conſtituuntur magiſtratus. Per eos inſtigante diabolo opprimitur populus, laxantur habenæ fraudibus, faſtui, tyrannidi, avaritiæ, crudelitati; datur libertas quibuſvis prædonibus & ſceleratis; exponitur plebs externis hoſtibus, domeſticis ſeditionibus, mutuis injuſtitiis, abſque ordine, abſque defenſione, abſque compaſſione. Quòd ſi tumultuarius iſte ardelio irrepere queat in conclave Religioſum, & ſua electoribus obtrudere conſilia, lamentabiles inde ſentientur effectus. Ne igitur electores noſtri ſupremi Paſtoris contingat malignis ejus circumveniri machinamentis.

Primò, Cavendum erit, ne homo ambitioſus ad eum gradum promoveatur *Non decent* (Prov. 19. verſ. 10.) *ſtultum deliciæ*, inquit Sapiens, *nec ſervum dominari principibus*. Stultus omnino eſt, qui cùm voluntariè univerſis renuntiaverit mundi honoribus, amore Chriſti profundiſſimam amplexus humilitatem, nunc in altiora ſe nititur ingerere ſubſellia. Servus quoque viliſſimus illius eſt, qui oſtendens omnia regna mundi & gloriam eorum, dicebat: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*. (Matth. 4. verſ. 9.) Ad omnem hujus voluntatem captivus tenetur ambitioſus inani ductus gloriæ cupiditate. Quanta verò mala per eum operetur malignus, in impio apparuit Alcimo, ſummum ambiente ſacerdotium. (1. Mach. 7.) Auſus eſt enim ſuum accuſare populum apud Regem Demetrium, ſexaginta Optimates crudeliter jugulare, aliaque indigna perpetrare. Videmus etiam nunc oculis noſtris madentem ſanguine mundum à furiis ambitionis ſæcularis; & factiones quandoque ardere in clauſtris, quia contenditur, ut imponant ſe homines ſuper capita aliena. Utinam nuſquam inveniantur moderni Scribæ & Phariſæi, à quibus monebat Dominus attendendum, *qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conviviis*, &c! (Luc. 20. verſ. 46.) Quid boni ſperari poſſit, ſi aliquis de iſto genere ſuperborum, fraternitati profeſſorum humilitatis præficiatur? Itaque non acquieſcendum talium conatibus, ſed in extremos angulos eorum eſt retrudenda ſuperbia, eodemque conculcanda zelo, quo juſtus Dominus ambitionem rebellium è cœlo expulit angelorum. B. Petrus Damianus in Opuſculo ad Clericos aulicos expendens illud Apoſtoli ad Timotheum: *Manus citò nemini impoſueris*, & quod præſtò ſubjunctum eſt: *nec communicaveris peccatis alienis*, (1. Tim. 5. verſ. 22.) ita commentatur: *Alienis quippe peccatis communicare convincitur, quiſquis indignum & improbum, atque ideo cupidum ad regimen provehere non veretur. Et cùm Eccleſia Chriſti, non habens maculam neque rugam, reprobâ cujuslibet ordinatione fœdatur, in ordinantis animam omnis illa letifera cogitationis lepra transfunditur.* (Opuſc. 22. cap. 4.)

Secundò, Alia electoribus tendicula parantur,

tut, ab importunis eorum commendationibus, qui vel carnali ducuntur affectu, vel errant in notitia personæ quam commendant. Amici externi insignem quandoque admirantes Concionatorem ad omnia putabunt idoneum. Principes ex eo quòd non norint nisi aulicaorem aliquem, neminem eo censebunt ad regimen aptiorem. Quin imò contingere poterit, ut artificiosus aliquis hypocrita ipsis imponat Episcopis Summisque Pontificibus, magnas pollicens reformationes; cùm tamen nil cogitat minùs. In hoc negotio non frangat electores obligatio benefactorum, commendantium eminentia Magnatum, nec sanctitas aliquorum simplicium, nec amicitia familiarium. Quando consilium aut aliqua fuerit de eligendis necessaria informatio, illi dumtaxat erunt conveniendi, qui liberi sunt à passionibus, eorumque præsumuntur habere notitiam è canonicis visitationibus vel intimiori conversatione, & quorum conscientiæ in eisdem electionibus similiter gravatæ sunt, & qui non aliud suasuri creduntur, quàm quod ipsi-met acturi sunt. Aliàs dare suffragium personæ à suspectis pluribus aut ignaris laudatæ & commendatæ, æqualis periculi est, ac aliquem ex abrupto absque judicio eligere. Di-
Lib. 3. cebat autem Chrysostomus aliquando: *Unde-*
De Sacerd. *nam existimas, quæso, tam multas in Ecclesiis turbas nasci? Equidem non aliunde opinor, quàm ex Antistitum electionibus, casu potiùs ac temerè, quàm diligenter factis & accuratè.* Idem procul dubio de turbis diceret Religionum.

Non minorem, quin & nocentiorem oportet timere fraudum à susurronibus & maledicis, qui Patres probos & utiles conantur suspectos reddere & odiosos, ne publica eis committatur auctoritas. Providè monet Sapiens;
Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis: & noli audire linguam ne-*
vers. 28. *quam.* Suspecta sit omnis criminatio, quæ non sufficientibus nititur testimoniis. Neminem condemnare potest judex in foro externo, nisi plurium testium non suspectorum auditis examinatisque testimoniis: eodem jure clancularíæ accusationes explodendæ sunt, per quas non solùm eligendæ personæ paratur damnum, sed & bono publico, si vir utilis & ne-
2. Mach. 4 cessarius ab officio repellatur. Impius *Simon*
vers. 1. *pecuniarum & patriæ delator, malè loquebatur de Onia, tamquam ipse fuisset incentor malorum: provisoremque civitatis ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere.* Similis conturbat delatores illos malitia. Qui eis citò credit, levis est corde, probisque viris istâ credulitate gravem infert injuriam, dum famam eorum permittit diminui, nec obstruit os loquentium iniqua. Gravior autem adhuc injuria est, dum ex furtivis illis auditionibus non solùm proprium subtrahit innocenti suffragium, sed & alios suffragatores in eamdem trahit aversionem, qui fortassis ad tenebrionum aliquorum susurros non dignati fuissent aurem accommodare; tunc autem ad credendum inclinantur, cùm Vir aliquis eis æqualis, & habitus pro discreto, depositiones illas sinistras visus est suscepisse.

Tertiò, Præter illa quæ foris possent electores conturbare, alias intùs turbulentias malignus suscitat adversarius. Amorem scilicet immodicum Patris alicujus: cujus omnes defectus excusare vel penitùs non videre, imò facta omnia satagit magnificare. Hunc amorem conciliat, vel caro & sanguis sive cognatio, vel patriæ ejusdem respectus; vel morum sympathia, vel accepti memoria beneficii, vel spes accipiendi. Quidquid sit, puerilis est ea motio, & minimè virum decens Religiosum, qui solâ ratione duci debet ac virtutis æstimatione. Sic electus est Abimelech in principem; sed ipsi pessimè, & eligentibus. *Con-* Judic. 9.
siderate, inquiebat Cognatis suis, *quòd os ve-* vers. 2.
strum, & caro vestra sum. Et illi locuti sunt ad & 3.
omnes viros Sichem universos sermones istos, *& inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est.* Sed in electionis pravæ vin-
dictam, *misit Dominus spiritum pessimum inter* Vers. 23.
Abimelech & habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari & cæteros ejus adjutores; juxta imprecationem fratris ejus Joatham, qui ignem dixerat utrimque à rege & subditis egressurum, per quem utrique consumerentur. Non alius est finis partialium illorum, qui tandem confusi propter malum amicorum suorum regimen, eos incipiunt detestari, atque ad eorum anhelare depositionem. Justo etiam Dei judicio contingit, ut qui spem favoris alicujus conceperant per eos obtinendi, decidant à cogitationibus suis. Si enim promoti taliter laxioris sint conscientiæ, non verebuntur ingrati esse suis promotoribus: quin imò negabunt viles eos homines sibi savisse, & recusabunt beneficium omnemque obligationem. Si timoratæ sint conscientiæ, nolent favere sensualitatibus & vanitatibus, quæ sinè dedecore damnoque disciplinæ non possunt indulgeri. Imò tametsi quod petitur indecens non fuerit, non dignabuntur tamen agnoscere se promotoribus obligatos; cùm prælaturam justâ æstimatione onus potiùs reputent, quàm beneficium: & si quid comitetur honoris, vanum æstimant fumum, nec aliquâ dignum gratiarum actione.

Contrario affectu aliquos abripere conatur diabolus, odii scilicet atque aversionis iniquæ in virum aliquem conceptæ, quem nonnisi cum amaritudine conspicerent promoveri. Miserum erit, si taliter invalescat odium, ut vinci non possit, & pati oporteat judicium illud, quod passus est delirus ille senex Heli,
quod ei sic extitit pronuntiatum: *Videbis æmu-* 1. Reg. 2.
lum tuum in templo, in universis prosperis Israel, vers. 32.
ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, præ dolore & pudore tuæ rejectionis. Itaque sollicitè erit electoribus cavendum, ne gutta aliqua amaritudinibus illius, in cor eorum aliquatenus illabatur; ne pati eos contingat quod infelici accidit Sauli, qui ad electionem Davidis insaniit, contabuit, nec aliquid tamen contra ipsum Deum proficere valuit electorem.

Omnes istos humi repentes respectus supergreditur intelligens vir, & perpendens optabile istud bonum quod intendit Dominus, dum regentium instituit præeminentiam. Disquiret utique diligenter, quis pluribus melioribusque sit instructus dotibus, ad fungendum utiliter vice Dei officiis istis juxta regulas

ejus

ejus & volnntates, ac juxta curandi gregis necessitates. Cùmque juxta ratinnis dictamen proborumqne consilia suum contulerit votum in meliorem, & contristari fortassè videtur ambitiosum aliquem suâ frustratum expectatione, & signa exhibere impatientiæ, non inde turbabitur quasi turbis aliquibus dederit nccasinnem. Imperturbata maneat Ordinis vel Provinciæ majestas, nec ullam similibus reddat suffragator sui facti rationem, sed gravi silentio eos ad rudimenta remittat humilitatis: si fortè suum agnoscentes errorem circa suum rationabile regimen se cogitent occupare, priusquam assumantur ad alienum. Grande eis contulit divina providentia beneficium, quòd cùm impares forent oneri tanto, dumque ad casum validè urgerentur modici appetitu hohonoris, non permiserit eos pius Pater suo puerili conatu & ausu ponderibus opprimi alienis, qui jam propriis succumbebant. Veniat eis in mentem sapientissima Petr. Blesensis cnnsideratio, ob quam delatum subterfugere studuit Episcnpatum: *Tutiùs reputem,* (Epist. 131.) inquit, *latère & fumare sub modio, quàm ascendere super candelabrum, meásque tenebras oculis intrudere aliorum. Multorum siquidem turpitudo latuit, donec honoris assumptio palpebras vulgaris famæ aperiens, in publicam deduxit notitiam, quod status humilior occultabat: nam dignitas indignos ostendit. Adde etiam, quòd multorum dominatio eorum damnatio: quot enim paupertas ad cœlum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet.* Hæcatque bis similia cogitantes simplici resignatione, deinceps sub Spiritûs sancti judicio se substernant, qui concedet eis munus pro quo voluerit eis gratias conferre sufficientes, negabitque quod ipsorum viderit viribus improportionatum.

TEXTUS & §. X.

In Capitulo Pentecostes.

SUMMARIUM.

Spiritus Sancti assistentia est in electionibus necessaria. 1. Ad impediendum voluntatum dissensionem in electoribus; Nam Spiritus ille charitatis, facit concordiam fratrum. 2. Noviter electus Prælatus, multiplici eget Spiritùs sancti gratiâ. Monitiones ad electos, qui diversimode afficiuntur, & qualiter officium acceptabunt?

PRiusquam Apostoli reliqui ad electionem procederent Matthiæ in Apostolum, præcepit eis Dominus Jesus ab Jerosolymis ne discederent, (Act. 1.) sed sederent ibi, quoadusque induerentur virtute ex alto, Patris nimirum promissione, quam audiverant per os ejus dicentis: (Joan. 14. vers. 26.) *Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Hoc egebant doctore ad tanti momenti perficiendam electionem, hujus infallibilem implorabant directionem, orantes: (Act. 1. vers. 24.) *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & apostolatus.* Eodem medio assecurare voluit Franciscus contra quodcumque erroris periculum, faciendam in Ordine suo Ministri Generalis electionem, Ideoque præcipit discipulis suis, ad quos ea pertineret electio, ut cùm complerentur dies Pentecostes, essent omnes pariter in eodem loco, & Paraclitum Dominum, qui corda novit omnium, exorarent, ostendere quem elegerit ipse ex tota Minorum Familia, accipere locum Ministerii illius Generalis, ut in eum quoque universi ad hoc congregati Religiosi, sua possent conferre suffragia. Quid enim causæ est, cur actum illum celeberrimum expediri voluerit *in Capitulo Pentecostes,* nisi ut promissus à Patre Paraclitus, qui super Apostolos descendit cùm complerentur dies Pentecostes, super suos quoque descenderet discipulos, eorumque præsideret congregationi, atque faciendas ab eis electiones & alias actiones præveniret aspirando & adjuvando prosequeretur? Omnino sic est, & multiplicem ab ejus assistentia & præsidentia directionem expectavit, & utilitatem.

Primò, In Congregatione tam numerosa facilè oriri posset, sive super electionibus, sive super aliis causis, opinionum diversitas, & repugnantia sententiarum; atque hæc quoque parere posset dissensionem voluntatum, cum gravi dispendio & detrimento charitatis, ut significavit Habacuc, dicens: *Factum est judicium & contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex,* (Habacuc. 1. vers. 3. & 4.) sive præceptum dilectionis, in quo solo lex impletur universa. Contra malum hoc implorandus est *Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo;* (Psal. 67. vers. 7.) sive ut Symmachus traducit: *Qui combinare facit combinatione fratrum inter se.* Iste est Spiritus sanctus, insolubile vinculum sanctissimæ Trinitatis, cujus etiam virtute diversarum naturarum & opinionum homines combinantur. Hoc vidit Ezechiël, (Ezech. 1.) currum videlicet à quatuor diversissimarum naturarum animalibus pertractum. Certè naturâ suâ tenderent animalia illa in diversum; leo ad silvas, bos ad pascua, aquila in cœ-

in cœlorum sublimia properaret. Qui ergo fieri potuit, ut eodem itinere traherent currum,
Vers. 12. & ad locum eumdem? *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Idipsum Dei Spiritus in hominibus quantumcumque differentibus operatur. Sit ille leo, alius aquila, ille bos: hic tardus, hic celeris naturæ ac velox in operibus suis; si adsit Spiritus: combinat eos, sub jugo Christi facit unanimes, & unius moris in
Psal. 132. domo. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres in unum!* Unde verò bonum illud, honestum pariter & jucundum? *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Unguenti nomine divinus Spi-
Lib. 10. Moral. c. 3. ritus designatur, secundùm D. Gregorii interpretationem.

Spiritûs mali est scindere, pro eo quòd concordiam nequit tolerare. Hinc gratus Deo rerum ordo & harmonia, displicet vehementer dæmoni, perturbationis & confusionis architecto. Quod ut clariùs videatur, oportet meminisse, quod facit textus de Propheta narrat
4. Reg. 3. vers. 15. Elisæo, qui cupiens Dei Spiritum videre, ejusque copioso imbre irrigari, sibi jussit adduci citharœdum, cujus audito suavi concentu, ut ait Scriptura: *Facta est super eum manus Domini.* Huic historiæ si illam addamus Saulis, quando à malo spiritu vexabatur, & petentibus famulis ejus, David pulsabat citharam, ad cujus harmoniam Saul ab immundo spiritu liberabatur; *Et recedebat ab eo spiritus malus;* intelligemus manifestè magnam esse concordiæ vim; ac multò etiam cujusvis musicæ harmoniæ sono dulciorem & vehementiorem. Pulsanda igitur instanti prece divinæ misericordiæ cithara, ut pessimus discordiæ spiritus à nostris congregationibus penitùs profligetur. S. Pater noster illustre nobis hujus reliquit devotionis exemplú. In Comitiis quibusdam Pro-
Annal. Tom. 2. an. 1289. num. 25. vinciæ Marchiæ, dum convenire non possent electores, sed major pars in hominem propenderet omnino indignum, qui Ministeriatum ambiebat, iratus Præses, abire omnes jussit è conclavi, quorum operâ nolebat ampliùs, sed suâ potestate uti, præficiendo eis Ministrum, quem magìs idoneum judicaret. Quod & fecit. Vidit tunc in illis electorum dissidiis F. Joannes de Alvernia, diabolum valde sollicitum, ut Provinciæ statum perturbaret, & inspiraret præfectum eligi, qui destrueret, non ædificaret; ex adverso verò S. Franciscum strenuè pro suis pugnantem, tandem inimicum abegisse. Jacobus Auximanus ejusdem Provinciæ vir pius & rectus, his similia vidit in spiritu, Franciscum pro suis sectatoribus deprecatorem, fœdam malorum lepram multiplici bonorum virtute cooperientem, & pios quosque sui instituti observatores adjuvantem.

In tribus quæ placita sunt divino Spiritui,
Eccl. 25. vers. 2. primum recensetur. *Concordia fratrum.* Eaque procuratur ipsius munere, & reparatur. Vidit Ezechiël in medio campi dispersa ossa multa valde, siccaque vehementer: & facto sonitu
Ezech. 37. vers. 7. atque commotione *accesserunt ossa ad ossa, u-*
Vers. 10. *numquodque ad juncturam suam*, & vitaliter invicem cohæserunt. Unde id quæso? *Ingressus est in ea spiritus.* Hugo Cardinalis illud è Psal-
Psal. 34. vers. 10. mo exponens, *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Ossa Christi & Ecclesiæ, quorum ea vox sit, ait esse Religiosos: tum quia ipsi firmi sunt, & fortes ad onera & labores, citiùsque frangi quàm à recto inflecti queunt: tum quia sustentant & portant carnem, id est infirmitatem imbecillorum: præterea quia sensu carent, utpote qui mortui sint, eorumque vita abscondita in Christo: sunt que insuper candidi, tum intus per conscientiæ puritatem, tum foris per bonæ vitæ exempla: sunt etiam pleni medullâ, nempe pinguedine charitatis & devotionis. Denique ut ossa in carne latent, invicemque nervis colligantur, sic Religiosi à conturbatione hominum absconditi sunt, & mutuis nexibus in spiritûs unitate & pacis vinculo adstringuntur. Inter hæc ossa, si aliqua contingat discordiæ separatio, iterum per charitatem accedent ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, quando in ea divinus Spiritus ingredietur.

Secundò, Ex altera parte, Prælatus noviter electus multiplici eget Spiritûs sancti gratiâ, quâ comprimi possint affectus inordinati, qui in subitanea ista suboriri possent novitate. Fortassis invadet eum inopinata admiratio, quòd electores magnam de bonitate ipsius & sufficientia conceperint opinionem. Statim aderit spiritus superbiæ insusurrans sic esse, & suadens credere, sibi abblandiri, & admirari etiam semetipsum. Hîc Spiritus sancti requiritur operatio similem huic viro ingerens humilitatis opinionem, sicut olim indidit Divo Bernardo. Carthusienses quidam, ejus admirantes virtutem, scripserant aliquid, quo bonam de ipso declarabant opinionem. Vir prudens eamdem semper in seipso tenens modestiam, rescripsit in hæc verba: *Precor mise-* Epist. 11.
remini mei, & si exultastis in bonis de me tantùm auditis, compatimini malis. Vidit fortassis qui vobis narravit aliqua parva, & de parvis grandia æstimavit. Vestra autem sinceritas facilè credidit, quod libenter audivit. Gratulor quidem de charitate, quæ omnia credit; sed confundor pro veritate, quæ omnia novit. Volo vos mihi credere de me magis, quàm alteri, qui tantùm videt in facie. Nemo quippe scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est. Dico vobis ego, qui de me loquor, non ex conjectura, sed ex sententia. Non sum talis, qualis putor vel dicor: quod quidem tam securus fateor, quàm certus experior: ita ut nihil malim vestris orationibus specialiter obtinere, quàm ut talis fiam, qualem litteræ vestra prædicant. Hæc Bernardus eodem omnino animo, quo dicebat olim Apostolus:
Mihi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab 1. Cor. 4. vers. 3.
humano die.

Alium fortasse titillabit suave gaudium de præsenti honore, reddendisque ipsi inposterum reverentiis. Huic ne in istis evanescat cogitationibus, proderit audire clamantem sibi à tergo Gregorium: *Quia ubique fidei reveren-* Lib. 26. Moral. cap. 27.
tiâ coleris, cave ne ejusdem reverentiæ fastibus extollaris. Omnis qui temporaliter extollitur, eò ipsò quò extollitur, inclinatur; quia cùm se exterius erigit, intus cadit. Cave igitur, ne si universitatis veneratione extolleris, ab interna intentione curveris.

Alius ad curandum commune bonum evocatus,

catus, conturbationem sentiet, labores apprehendens regiminis, curas & difficultates, graviterque accipiet ab otio se retrahi, à studiis propriis, vitâque quietiori. Hic erit S. Bernardi voce commonendus & erigendus: (Serm. 18. in Cantico.) *Rem profecto proximi retines tibi, si (verbi causâ) plenus virtutibus cùm sit, forisque nihilominus donis scientia & eloquentia adornatus, metu fortè aut segnitie, aut minùs discretâ humilitate, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imò & damnabili ligas silentio: certè maledictus, qui frumenta abscondit in populis.* Ignorat equus vires suas quamdiu in stabulo relinquitur otiosus; fortis deprehenditur, cùm fuerit laboribus applicatus. Hinc idem D. Bernardus redarguit Balduinum electum Abbatem ex pusillanimitate reluctantem electioni: (Epist. 201.) *Noli*, inquit, *frustrà assumere excusationem quasi de tui novitate aut de imperitia: quod putas forte vel simulas. Nam nec sterilis verecundia grata est, nec humilitas prater veritatem laudabilis. Officium ergo tuum attende. Pelle pudorem consideratione officii; age ut magister. Sed non sum, inquies, ad ista sufficiens. Quasi verò devotio tua accepta non sit ex eo quod habes, non ex eo quod non habes. De solo tibi credito talento respondere para, securus de reliquo.*

Alium invadit ingens dolor, quòd perditâ contemplationis quiete, in qua pedibus Domini fruebatur, ad frequens avocetur Marthæ ministerium. Pro hoc ingemuit, imò quasi irrugiit D. Gregorius, tractus ad Apostolicum clavum pro navis Ecclesiæ directione. Diversis Epistolis, quæ sub finem libri primi vitæ ejus referuntur, suos satis manifestavit dolores. Verùm in una ad Philippum Comitem excubitorum, omnes damnorum suorum socios instruit in hunc modum: (Lib. 1. Epist. 32.) *In quantùm homo discutere & investigare judicia superna non sufficit, in tantùm sub eis debet cervicem cordis inflectere: & quia id quod sibi tribuitur, quo judicio disponatur, ignorat, nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum debet contumax inveniri.* Non omnino desperanda est lux, quin subapparitura sit inter nebulas occurrentes. *Rursum post tenebras spero lucem*, inquiebat Propheta. (Job. 17. vers. 12.) Quàmvis pro tempore falco teneatur capitio circumvolutus; sed rursum post tenebras illas lucem sperat, quâ ad prædam capiendam valeat avolare. Servus missus per sepes, vias & vicos ad congregandum invitatos ad nuptias, non ipse ideo à spirituali convivio remanet excommunicatus.

Alius à longè prospiciens futurum Dei judicium, reddendasque pro commissis sibi animabus rationes, horrore concutietur divinæ justitiæ. Huic colligendus erit animus ad audiendum dignum aliquod omni acceptione verbum Principis Apostolorum: *Seniores*, inquit, *qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda est gloria communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* (1. Petri. 5. vers. 1.) En forma & summa gubernationis spiritualis! Ne quid verò dubitetur de optima gubernatoris boni securitate, addit idem summi judicis assessor: *Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* (Vers. 4.) Quid consolabilius vult humana pusillanimitas? Doctrinis talibus & consolationibus confirmatum reddet noviter electum Spiritus ille Paraclitus, quem mittere promisit Pater, ut nos doceret omnem veritatem, & spiritualem impertiretur consolationem.

TEXTUS & §. XI.

In quo Provinciales Ministri teneantur semper in simul convenire.

SUMMARIUM.

Congratulandum generalibus congregationibus, propter earum multiplicem utilitatem. 1. In eis leges seu statuta conduntur ad Ordinis directorium. 2. Fiunt legum interpretationes authenticæ, vel abrogationes. 3. Cohiberi possunt conatus Generalium, qui vellent aliquid (quod avertat Deus) contra Regulam machinari. 4. Componuntur controversiæ Provinciarum. Forma Capitulorum Generalium, prout S. Francisci tempore servabantur.

BAruch Propheta, Jerusalem conspiciens, pace justitiæ circumdatam & honore pietatis, & filios Israël ad eam undequaque cum gloria revertentes, congratulabundus ei acclamat: *Exurge Jerusalem, & sta in excelso: & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque in Occidentem.* (Baruch. 5. vers. 5.) Hoc sibi proposito Themate, applaudebat Eccle-

Sedul. Vita ejus c. 14. num. 4. fiæ Dei Seraphicos Bonaveotura, in celeberrimo Lugdunensi Concilio, ubi cum Latinis, primarii quoque Græciæ Prælati coovenerant, ad fidem catholicam reducendi. Quid il possim idipsum cum jubilo acclamare Religioni Franciscanæ in Generali Capitulo coogregatæ: *in quo universi Provinciales Ministri tenentur semper in simul convenire?* Ingens sanè materia congratulationis. *Exurge Jerusalem*, facer, ioquam, Ordo Minorum, *& sta in excelso*, mente atque affectu ab infimis ad cœlestia sublevatus, *& circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole usque in Occidentem.* Ex Orbe siquidem oniverso, Iodiis etiam Orientalibus & Occidentalibus, Francisci filii in Comitiis istis generalibus pariter colliguntur. Utilitas multiplex est atque necessitas ejusmodi Capitula celebrandi.

Primò, In eis condendæ fiot vel resarciendæ leges, per quas Ordo dirigatur universus. Tametsi ea, quam professi sumus, Regula, præcipuum nostrum sit directorium, non tamen de omnibus nec ad omnes respondet casus occurrentes. Et quàmvis semper Geoeralis habeatur Minister, qoi ad occurrentia quæcumque edicat, quid agendum erit, quid omittendum; ejus tamen decreta expirant ipso decedente. Ut igitur qood deest Regulæ suppleatur, & perpetuum fiat, quod rationabiliter à temporalibus fuerit Superiobus judicatom: vel ad æquitatem reducatur, quod haud bene fuerat resolutum, legibus opus est maturè præmeditatis, & legitimâ firmatis auctoritate. Temporarius Magistratus modò juvenis est, modò senex: modò discretus, modò indiscretus: modò probus, modò malignus: modò potens, modò contemptus; ideo leges fiunt immobiles, sanctæ, justæ, temperatæ, irreprehensibiles; ut juxta eas judicent Superiores qualescumque, & extra hæsitationem omnem ponatur obedientia fobditorum. Rem autem taori momeoti noo ab ono vel tribus aut viginti pendere voluit suprema Sedes, sed ab omnibus Ordinis Optimatibus, ficè qoorum consensu nullum statutum per formam legis obligaret. Ut autem consensus exquiratur & detur, oporret omnes congregari ad examioandam necessitatem, utilitatem, aut incommoda ferendorum statutorum. *Dissipantur cogitationes* legislatorum, *ubi non est consilium. Ubi verò plures sunt consiliarii, confirmantur.* Prov. 15. vers. 22. Non oscitanter aut præcipitanter condenda sunt statuta, nec tumoltuariè acceptanda, ne dum promulgata fuerint, fint infirmioribus in laqueum, propter observandi difficultatem; sed quod ab integro Ordine reverenter & religiosè suscipiendom est, ita sanctum, tolerabile, discretum & justum sit oportet, ut à nemine meritò respui, nec ampliùs debeat examinari.

Secundò, Quantumcumque res examinetur, & à pluribus futuri prævideantur effectos, occurrit tamen aliquando quid ioopinatum, propter quod consilium oporteat immotari. Ideo necessum est leges interdum mutari, interpretari vel abrogari, prout In nostra frequentissimè contigit Religione. Propter hoc singulis sexenoiis Capitulum coogregatur, ut cunctis circa emergentes provideatur novitatest Posse leges mutari in melius, Deos ipse ostendit, dum antiquatis Judaicis cæremoniis, nova instituit Sacramenta. Moliò magis quæ humanâ sunt adinventæ industriâ, mutari poterunt, cessante vel mutatâ legom materiâ, vel dum mutatio communi bono utilior judicatur. Cùm de vera agitur reformatione, multa malè inolita veniunt resecanda, & nova plantanda, vel antiqua potiùs restituenda. Dum quædam io populo suo euperet Dominus reformare, atque ad hoc fervum suum mitteret Hieremiam, hâc eum armavit auctoritate: *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*, Jerem. 1. vers. 10. pravas scilicet consuetudines, præscriptiones, errores, & excusationes in peccatis; hisque dissipatis *edifices, & plantes.*

Ne tamen aliqui prurientes ad novitates, nimis ad statutorum præcipient mutationem, attendant id quod prudentissimè D. Augustinus pronuntiavit: *Ipsa mutatio legis vel consuetudinis; etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*: Epist. 118. Ad Januarium. Et ad id quod alius quispiam politicus: *Meliorem esse statum Respublicæ istius quæ legibus utitur deterioribus, sed firmis, eà, quà frequenter eas commutat.* Ratio est, quia novitas semper suspicionem creat, & ex suspicione querelas & murmurationes. Meritò igitur istarum mutatiooum auctoritas Generali reservatur Capitulo, io quo præsumuntur adesse, qui constanter stent pro vi & majestate præsentium legum, & qui mentem iotelligaot finemque legislatorum; ideoque poterunt convenientem dare verum constitutionum interpretationem, nec facilè permittent eas abrogari, novasque constitui.

Tertiò, Accidere posset aliquando, Mioistros Generales in traosversum actos, velle Ordini obtrudere, quæ planè forent in regularis puritatis perniciem & antiquæ sanctitatis; quibus resistere non possent Provinciales, aliique Patres singulatim; bene tamen in onum pariter congregati: proot evênit in Generali Perpinianensi Capitulo, dum F. Gerardus Odonis Minister, graviter in Regulam peccans, omni astu & conatu nisus est, ut vel abraderentur ex nostri iostituti formula tres articuli notabiles phantasiæ suæ displicentes, vel ad mentem suam pravam explicarentur. Annal. Tom. 3. an. 1331. num. 10. Restiterunt autem animosè optimi quique Patres huic temerario & irreverenti conamini, neqoe quidquam communibus suffragiis potuit stabilire. Imò peculiari constituto decretum est, ne Minister Generalis, aut alius Superior possit privilegium aliquod impetrare, quod Regulæ puritati derogatet. Si quando igitor instarent (quod avertat Deus) similes dissipationes à Generali, vel ab aliis, per clamores, minas, sophismata, & cavillos impudentes, veri Francisci discipuli nec multitudini nec instantiis arrogantium taliom cedant ullo modo, sed impavidi stent, seque murum oppoaant pro domo Dei; ne communi calculo vires sumat malignitas: nec pios & simplices Fratres opprimi patiantur, pro quorum tutela stare debent ii, qui jus habent in Capitulis loquendi. Ibi adesse non possunt alii mille & mille generosi

rosi pugiles, qui Regulæ sanctæque disciplinæ defenderent puritatem.

Quartò, numquam defuerunt, neque desunt etiamnum disputationes & lites, modò inter Provincias, modò inter subditos & Superiores, modò inter communes Religiosos. Et contingere potest, ut patres judicari nolint à nationalibus, tamquam partialibus, suspectis, & interessatis. Atque hinc ulteriùs consequi posset intolerabilis abusus ad externa recurrendi tribunalia, etiam sæcularium, in gravem Ordinis contumeliam, & scandalum plurimorum, quibus miserias contendentium contigerit propalari. Huic malo utcumque provisum est per Capitula Generalia, ubi concurrere possunt partes ut audiantur, & judices cum assessoribus præstò sunt, qui neutri parti obnoxii sint vel adhærentes, litesque cum auctoritate componant. Dum externarum nationum Patres ex nuda causarum substantia, nullo acti privato affectu partes singulas examinâtunt, securior est sententia, minúsque suspecta litigantibus, & efficacior ad concordiam restituendam.

Prædictis occupati Vocales, utiles facient longorum itinerum labores & fatigationes, & egregiè cooperabontur Spiritui sancto, Ordinem in suo flore fructuque sanctitatis conservantes. Quos non pigeat unum verbum audire à doctissimo Emmanuële Rodriguez, vel à Den potiùs per ipsum commonente: Frequentia Capitulorum Generalium in Religionibus est perquam maximè necessaria, ut de observantia regulari agatur, & omnia in his ita componantur, ut Regula cujuscumque instituti pro posse observetur, omnia ad hunc finem media apponendo. Si enim in præfatis Capitulis ambitioni præcipuè opera datur, & Religiosi rebus temporalibus implicantur, & unusquisque suum proprium commodum prætendat, parum aut nihil de bono communi agendo, repetitio Capitulorum ad parum utilis est, & Religiosis inquietis non adhibetur modus, quo aures tribunalium sæcularium & Principum ab eis non concitentur, & suas non evomant confusiones. Imò ab actis in Capitulis in unum invitantur, ut apud præfata tribunalia, & Principes insolescant. Et sic, prô dolor! videmus Religionis observantiam labefactatam, quia in præfatis Capitulis non de ea, sed de consecutione officiorum & promotione ad dignitates, de exemptione aliquorum, & de præcedentia multorum, totum tempus consumitur. Hæc Emmanuël. Speramus autem non ista nunc in nostra Seraphica Religione fieri, & ne fiant etiam imposterum, Dominum deprecamur, atque eam gratiam Patribus conferat Vocalibus, quâ congregationes istas solemnissimas servare possint juxta formam eis à B. P. N. Francisco præmonstratam.

Tom. 1. q. 47. Regul.

Eam sic refert præclarus noster Annalista R. P. Lucas Waddingus: *Quando veniebant (primævi Franciscani Dei viro coæranei) ad congregationes capitulares (quas statuit S. Pater bis quotannis fieri circa Festum Pentecostes, & S. Michaëlis Archangeli) devitabant vanas fabulas, & quæstiones inutiles, colloquebantur invicem de vitis Sanctorum, de observantia & perfecta intelligentia suæ Regulæ & rebus divinis. Revertentes ad proprias sedes, vel ad prædicandum missi, tamquam peregrini & advenæ discurrebant, nihil portantes in via, præter libros, quibus solverent horarias.*

Annal. Tom. 1. an. 1215. num. 45.

TEXTVS & §. XII.

Ubicumque à Generali Ministro fuerit constitutum.

SVMMARIVM.

Per decedentem Ministrum, designandus locus capituli celebrandi. In ea designatione attendendum. 1. Vt talis sit locus, ad quem tutò accedere possint Patres omnium nationum, etiam inter se belligerantium. 2. Sit locus, in quo non impediatur libertas electionum, correctionum, aliorumque actuum capitularium. 3. Condecet aliquando locum aliquem eligere, ad satisfaciendum devotioni quorumdam fidelium, postulantium in sua civitate videre tam celebris congregationis splendorem.

CUm Sadoc sacerdos, & Nathan Propheta, & Banaïas filius Jojadæ, vocati comparuissent coram Davide Rege, dixit ad eos: *Tollite vobiscum servos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon. & ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan Propheta in Regem super Israël.... Et ascendetis post eum, & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit post me.* Sic David Rex locum modumque designat suum constituendi successorem, qui foret post ipsum super Israël regnaturus. Vir Dei Fran-

3. Reg. 1. vers. 33.

Franciscus idem in sua Religione voluit observari, nimirum ut locus eligendi Generalem Ministrum, in decessuri Ministri relinqueretur determinatione. Generale, inquiens, Capitulum, in quo facienda erit successoris electio, convocetur *ubicumque à Generali Ministro fuerit constitutum.* Pro pace nationum & utriusque familiæ jam usu receptum est, ut alternativè Capitula nunc in una nunc altera familia celebrentur. Provinciæ verò & Conventûs delectio Ministro relinquitur; circa quam ritè faciendam, quædam proderit observari.

Primò, Ut talis designetur locus, ad quem liberum habeant accessum Patres omnium nationum. Contingit enim frequenter inter regna regesque bella ardere & odia, & exinde suspiciones proditionum, collusionum & consiliorum politicorum: quare alterutra pars non permittit hostilium terrarum fratres, ad suas accedere terras, nec suos inquilinos hostilem adire regionem; quibus propter potentiam obedire oportet. Vel quod prius est, sæcularia odia nationis in nationem usque adeò penetrant ad animos Religiosorum (prout in nonnullis Ordinibus aut locis quandoque contigisse conspeximus) ut mutuam non possint præsentiam sustinere, omnisque confidentia quasi penitùs adimatur. His compediti passionibus, si procurent subdolè sibi accessum interdici ad Capitulum in adverso regno celebrandum, colorem quidem aliquem suo affricant schismati; Deum tamen minimè latet ista partialitas, & ab Ordine proprio alienatio. Quos etiam aliquando expedit abesse, ne actu aliquo verbove procuratorio, bellum inferant sæculare in domum pacis, aut ex contradicendi libidine, cuncta perturbent consilia. Proderit interim ad Fratrum securitatem, eos ad talem convocare locum, quò liberè & absque mali suspicione accedere possint atque inde recedere.

Secundò, Aliqua etiam habenda loci ratio ad libertatem electionum. Evenire posset quorumdam temeritas, qui per aulicismum commendationes procurarent à Regibus atque Magnatibus, in quorum dominiis forent capitula celebranda, ubi Patres vocales timore vel respectu aliquo urgerentur ad cedendum talium ambitioni. Ubi etiam Principes ipsi per suos officiales suum niterentur intentum promovere. Quòd si commendationes armatæ sint majestate & quasi potestate, in dubium venit, an validæ futuræ sint electiones, isto metu reverentiali coarctatæ. Quanta vis pet commendationes regias inferatur, norunt omnes, & quàm impatienter ferant, si quippiam non ad eorum nutum efficiatur. Omni cautelâ servanda est electionum libertas, contra quascumque exterorum prætensiones. In Conventu Ritbergensi Provinciæ Saxoniæ S. Crucis, olim Coloniæ, prætendebat fundator bonâ quadam intentione, ut nullus ibi Guardianus præficeretur, quem non priùs ipse approbaret, quasi in speciem juris-patronatus. Plurimùm id ponderârunt Provinciæ Coloniæ Patres, malueruntque planè cedere loco, quàm hanc admittere suæ libertatis circa electiones restrictionem. Et defacto per annos aliquot locus remansit vacuus, donec fundator illam dimitteret prætensionem. Tentavit aliquando Joanna Franciæ Regina, seducta per F. Michaëlem Cesenatem, sese de celebratione Generalis Capituli Parisiensis intromittere; sed non acquievit Joannes XXII. Pontifex, volens consuetum in Ordine regiminis cursum omnino liberum remanere. Annal. Tom. 3. an. 1329. num. 2.

Nolunt aliquando Reges justis de causis aliquos ad prima promoveri officia, quos vel statui suæ Reipublicæ suspicantur obfuturos, vel secretis obnoxios impedimentis. Ipsis invitis eligere tales, non modò temerarium foret, verùm & Principibus contumeliosum. Neque per id necessaria coarctatur libertas, sed potestas tantùm restringitur perperam eligendi; quod debet non in gravamen, sed in beneficium computari.

Tertiò, Optant aliquando Civitates ex pia curiositate videre splendorem Ordinis tam illustris, in tot devotis, modestis, doctisque Patribus pariter congregatis. Hæc devotio movit aliquando Sanctissimum Patriarcham Dominicum, ut interesse desideraret Comitiis Franciscanis, in quibus quingenti Fratres erant congregati. Ubi illud accidit mirabile divinæ providentiæ prodigium. Ad horam nonam à prece redeuntibus Fratribus, S. Dominicus dixit: Fratres eamus pransum, namque jam præterit hora. Responderunt Fratres: Quò ibimus? aut quid comedemus? nec panis est, nec vinum, nec obsonii genus ullum. Confidite in Domino, inquit S. Dominicus, Omnipotens enim laborare non permittit sub egestate sibi servientes, aut qui spem suam in illo reponunt, quibus frequenter mirabiles suas miserationes ostendit, cui proprium est misereri, nec longè abesse ab iis, qui tribulationem patiuntur, sed illis compati qui sustinent in patientia. His aliisque piis & salutaribus dictis convenerunt in refectorio, ubi magis admirati sunt Fratres, dum benedici mensas viderunt absque edulis. Dum autem sederent, ingredi viderunt in triclinium viginti adolescentes valde formosos, succinctos & expeditos ad serviendum, qui & ministrârunt panem, vinum, & omne genus obsonii necessarium recumbentibus numero quingentis. Terminato verò prandio, inclinato capite, & salutatis Fratribus, bini suo ordine exierunt è refectorio, admirantibus religiosis & Deum collaudantibus, qui tantum in eis voluit perpetrare miraculum. Postquam autem gratias solverunt in Ecclesia, honorabilis admodum Pater noster S. Dominicus pulchrum valde ad eos habuit sermonem de fide & spe quam in Domino debebant habere. Annal. Tom. 1. an. 1219. num. 11.

Alteri quoque Synodo voluit idem Vir Sanctus adesse, in qua Fratrum quinque millia convenerant. Eidem conventui alium splendorem advexit suâ præsentiâ Cardinalis Hugolinus, quem Religiosi omnes velut patrem & dominum venerabantur. Hic quodam die sanctum perlustravit exercitum, nihilque videns inordinatum aut incompositum, sed omnes turmatim, hinc centum, illinc sexaginta, alibi minorem majoremve numerum divina Ibid. num. 14.

tta-

tractantem, & feriùs de sua aliorumque salute sermocinantem, & de morum orbisque reformatione vario & miro modo agentem, conversus ad suos admirabundus dixit : *Verè castra Dei sunt hæc* : Neque sanè incongruè dictum : erant enim tentoria,& tuguriola illa humilia ex storeis compacta, tamquam tabernacula plena divinis choris psallentium, legentium, orantium ; tantumque jejunandi & vigiliarum ardorem eunctorum mentibus sermo & exemplum institutoris afflaverat, ut futuræ spei aviditate ad charitatem mutuam & misericordias indigentibus exhibendas jugi studiu laborarent. Non immeritò magni illi viri, aspectu recreabantur tam sanctæ congregationis, quæ cœlestem referebat Sanctorum civitatem, & in cujus medio Rex cœli certò certiùs præsidebat. Quis tantum Religiosorum agmen aspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens,in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed abstinentium multitudo & certamen erat officiorum,non in hanc statim erumperet vocem ? *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël ! ut valles nemorosa, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.*

Gen. 32. vers. 2.

Numer. 24. vers. 6.

Tametsi nunc in Capitulis non tantæ sanctitatis Fratres in simul conveniant : imò imperfecti nonnulli & vitiosi; semper tamen sancta est eorum omnium simul juncta congregatio, quemadmodum sanctam esse eredimus Christi Ecclesiam. Unde non vana erit aut superstitiosa eorum curiositas, qui hanc solemnem apud se fieri supplicant congregationem, camque liberalibus suis obligant Eleëmosynis ad meritorum suorum suffragiorumque communicationem .Sic fecit Joannes XXII. Pontifex, qui licet aliàs ab indiscretis quibusdam Fratribus nostris offensus fuisset ac provocatus, considerans tamen in Generali corpore venerandam totius Ordinis sanctitatem, humiliter se Fratrum orationibus commendabat, datis litteris ad Capitulum Bononiense anno 1328. ad Pariensiense anno 1339. & ad Capitulum Assisienſe anno 1334.

Annal. Tom. 3. an. 1334. num. 18.

TEXTUS & §. XIII.

Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum.

SUMMARIUM.

Capitula generalia frequenter celebranda, pro casuum occurrentium exigentia, ad unanimiter desuper consultandum & determinandum. Necessitas & utilitas accommodandi judicium proprium melioribus placitis aliorum. Stultitia eorum, qui non petunt consilia, vel petita non sequuntur. Pejores qui rectè consulentibus irascuntur. Audiendi etiam consiliarii Conventuum, quos Discretos vocamus. Quando non audienda consilia.

DEpingit S. Joannes in Apocalypsi supremam cœlestis Magistratûs consultationem, factam sedente in throno sublimi majore Præside, & Collegio vigintiquatuor Seniorum, veluti Senatorum collateralium & consultorum, ei consedente. *Sedes*, inquit, *posita erat in cœlo, & super sedem sedens, & in circuitu sedis vigintiquatuor Seniores sedentes,circumamicti vestimentis albis, &c.* Istud est exemplar generalis Congregationis, in qua Generalis Minister præsidens,circumsedentes habet sibi universos Ordinis Provinciales, tamquam Senatores, cum quibus consultandum & definiendum est de bono regimine hujus Reipublicæ spiritualis. Decretis editis ab hujusmodi venerabili Collegio, majus adest pondus auctoritate, quàm quæ à solo supremo ederentur Prælato, Hoc est enim ingenium multitudini, ut contemnat facilè atque dissolvat, quod ab uno solo fuerit adinventum; revereatur autem nec audeat repudiare, quod plurium prudentum trutinâ est examinatum, deque eorum beneplacito promulgatum.Quòd si quis auderet aliquando contra mutire, tot consurgunt patroni promulgatæ sententiæ, quot consultores eam suo calculo comprobârunt.

Apoc. 4. vers. 2. & 4.

Hæc est necessitas atque utilitas, ob quam frequentiùs debeat Generalis Minister pro casuum occurrentium exigentia Prælatos alios inferiores ad comitia Generalia convocare ; quod ei sanctus innuit Institutor dicens, teneri Provinciales Ministros in simul convenire ad consultandum de bono communi *semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum.* Hoc inter stultum interest & sapientem, quòd *via stulti recta in oculis ejus, qui autem sapiens est, audit consilia.* Audiet Sapiens, Prov. 12. vers. 15.

& se-

& sequetur consilia, nec ægrè feret sententiam suam ab aliis oppugnari. Se novit errori obnoxium, qui possit ei vel ex ignorantia, vel deceptione, vel ex alio capite obvenire. Et verò necessitas hæc non modò Præfectis Religiosis verùm & sæcularibus, militaribus atque forensibus incumbit: quò universalior est auctoritas, eò quoque arctior sequendorum consiliorũ obligatio. Inter viros egregios qui David secuti fuerant fugientem Saul, & qui postea ex omnibus tribubus venerunt, ut eum regem constituerent in Hebron, numerantur *de filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur.* Horum assistentium consilio David extitit à periculis liberatus, ac in regno stabilitus, atque adjutus in populi directione.

1. Paral. 12. vers. 32.

Refert Alexius de Salo pientissimum illum Capucinorum Generalem Bernardinum de Asti, Superioribus Ordinis summoperè commendasse judicii proprii mortificationem, submissionemque sub consiliis alienis, eos asserens indignos prælaturâ, qui se suisque superbè proprio regerent judicio. Unde ipse, dum melioribus careret consultoribus, ne tamen menti propriæ totus confideret, socio suo, qui simplex Frater Laicus erat, res suas proponebat, si quid fortè per eum discere posset ad meliorem negotiorum suorum directionem: sæpiùsque sibi hanc demissionem ad felices eventus plurimùm asseruit profuisse. Legerat vir prudens illam Sapientis commonitionem: *Quomodo pauperis sapientia contempta est, & verba ejus non sunt audita? Verba sapientium audiuntur in silentio, plusquam clamor principis inter stultos.* Contemptibilis videtur frater Laicus, neque dignus audiri; hic tamen in privato colloquio meliùs quandoque suggerit, quàm præsumptuosus aliquis Prælatus inter sui similes præsumptuosos, quæ *lætantur in sententia oris sui*, & gloriantur se scire omnia quæ possent eis alii communicare. Magnus ille populi Israëlitici ductor Moyses, tametsi Deo loqueretur facie ad faciem, sicut colloqui solet homo ad amicum suum, humiliavit se tamen ad consilium Jethro viri gentilis, circa populi gubernationem. Neque dedignatus est Ozias sacerdos & presbyteri, reliquusque populus Judæorum consilium unius mulieris, sanctæ Judith, & optimè eis cessit. Quamvis etiam Spiritus sanctus director esset Apostulorum; quæstiones tamen graviores, à quibus pendere videbatur Ecclesiæ constitutio, nunnisi præhabitis maturis consultationibus decidere audebant atque resolvere. Franciscus quoque plurima à Domino didicit immediatè; in quibusdam tamen casibus, volens alienæ stare sententiæ, terminandas quæstiones Fratribus sibi familiaribus aliisque Deo dicatis personis proponebat.

Lib. viæ Paradisi cap. 28.

Eccl. 9. vers. 16.

Prov. 15. vers. 23.

Exodi, 18.

Judith, 8

Infinitarum scaturigo confusionum est, omnes dedignari præter seipsum, nec bonum expectare consilium; hominemque divino ministerio & populi regimini reddit ineptum. Secundùm divinæ legis dispositionem habebatur ineptus ad Sacerdotium, homo *albuginem habens in oculo.* Super quo D. Gregorius commentatur in hunc modum: *Albuginem habet in oculo, qui veritatis lucem videre non finitur, quia arrogantiâ sapientia seu justitia cæcatur. Pupilla oculi namque nigra videt; albuginem tolerans, nihil videt; quia videlicet sensus humanæ cogitationis, si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ sive sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit: & eò claritatem veri luminis minimè penetrat, quò se apud se per arrogantiam exaltat, sicut de quibusdam dicitur: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Hujus stultitiæ utinam ipsi soli pœnas luerent; nunc autem dolendum est, quòd sæpè subditi multi vel omnes, earum, quas illi committunt temeritatum, amaris effectibus involvantur.

Levit. 21. vers. 20.

Pastor. p. 1. cap. 11.

Rom. 1. vers. 22.

Alii expetunt quidem consilia, sed audita contemnunt vel obliviscuntur, aut contrariis credunt consiliis; de quibus scitè D. Hilarius pronuntiavit: *Ejusdem stultia est, prudentum monita non requirere, aut intimata non capere.* Bene inceperat Roboam consulendo Seniores, qui adstabant coram Salomone; sed insulsè consilium eorum dimisit; & ipse postea contemptus, fœdum suæ arrogantiæ fructum expertus est, amissis decem sui regni partibus: cujus scissuræ occasione, horrendum quoque & perenne religionis schisma fuit in subditis & successoribus consecutum. Inæstimabile beneficium est principi sapientibus fulciri consiliariis; sed hoc beneficium reddit inutile pervicacia rectè suadentes: claudit enim eis os, ne loqui ampliùs velint inposterum, etiam interrogati. Siquidem tacere docentur hoc dicto Sapientis: *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam.* Quòd si stertentem præterimus absque ullo alloquio, multo magis vigilantem & audite contemnentem. Ipse Christus Dominus dissuadet cum talibus serium habere sermonem: *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & conversi dirumpant vos.* Quid est *ne dirumpant vos*? Ne pro datis bonis consiliis vertantur in iracundiam, convitia reddant & persecutiones, aut secretas saltem foveant simultates. Superbis illis consiliorum contemptoribus, D. Gregorius salutarem dirigit monitionem, dicens: *Elationem sua cogitationis agnoscant, & semetipsos vincere studeant; ne dum rectis aliorum suasionibus foris superari despiciunt, intus à superbia captivi teneantur. Solerter aspiciant, quia Filius hominis, cui una semper cum Patre voluntas est, ut exemplum nobis frangendæ nostra voluntatis præbeat, dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris. Qui ut hujus adhuc virtutis gratiam commendaret, servaturum se hoc in extremo judicio perhibet, cùm ait:* Ego à me ipso non possum facere quicquam; sed sicut audio, judico. *Quâ itaque conscientiâ dedignatur homo alienæ voluntati acquiescere, quando Dei & hominis Filius, cùm virtutis suæ gloriam venit ostendere, testatur se non à semetipso judicare?*

Lib. 6. de Trin.

3. Reg. 12.

Eccl. 22. vers. 7.

Pastoral. p. 3. admon. 19.

Joan. 6. vers. 38.

Joan. 5. vers. 30.

Hæc dicta non solùm majores Prælati accipiant,

piant, qui in Capitulis Generalibus pro majorum quæstionum resolutionibus congregantur, sed minores quoque, qui sibi deputatos habent in singulis Coenobiis consiliarios, qui Discreti appellantur, à quibus in domestico juventur regimine. Cum his agertur iniquè, si Guardianus eos dedignatur auscultare, vel excandesceret ad opinionum suarum contradictiones, vel oppugnare niteretur propositam ab eis justitiam & veritatem: vel dum explorare quidem vult quid seniores opinentur, nil tamen minùs cogitat, quàm id agere quod suaserint; sed ad specialis unius judicium, quo solo regitur, se suaque omnia constituit regulare. Huic dicitur in Proverbiis: *Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.* Sapiens reputaberis, & sapienter egisse, cùm audieris & susceperis consilium eorum, qui tibi sunt consiliarii destinati. Si latens aliquis io tuo facto obrepserit error, excusabilis eris, quia tuis acquieveris consiliariis. Plurimæ clades insignium exercituum accidetunt, & eo solo duces sunt iodemnes declarati, quòd audierint secutique sint designatos sibi à Rege consiliarios. Eodem jure apud Deum & Superiores tuti erunt inferiores Prælati, qui simili modo judicium proprium substraverint alieno.

Prov. 19. vers. 20.

Prædicta tamen omnia veniunt intelligenda de consiliis non apertè pravis & noxiis; hæc enim sunt magnanimiter rejicienda, quàcumque etiam instantiâ peturgente. Hic servit monitum Sapientis: *A consiliario serva animam tuam*, ab eo potissimùm, qui se ingerit ultroneè. *Prius scito, quæ sit illius necessitas*, num ad ea suggerendum veniat, quæ sibi soli judicaverit profutura. Narravimus alibi, quantum sustinuerit impetum Franciscus à multitudine Provincialium, qui hanc damnabant Regulam, aliamque suadebant amplecti, & terrere volebant rationibus suis & Cardinalis Protectoris auctoritate. Restitit Vir Sanctus, & Deus ipse sententiam ejus luculento confirmavit oraculo. Sic quoque erit Prælatis aliis in casu consimili faciendum; & aderit similiter Dominus auxiliator.

Eccl. 37. vers. 9.

TEXTUS & §. XIV.

Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem.

SUMMARIUM.

Indigni electio, aptâ similitudine expressa apud Sapientem. Evidentia requiritur insufficientiæ Prælati, ad hoc, ut à gradu sit deponendus. Arguitur temeritas subditorum investigantium curiosè rationes regiminis, defectusque suorum Superiorum; & pronitas eos etiam condemnandi. Rationes cur supportandi sint, maximè dum negotiis temporalibus impediuntur.

Prov. 26. vers. 8.

FActam indigno prælaturæ collationem, sub hac expressit Sapiens similitudine: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem.* In qua sententia, pro eo quod vulgata nostra editio *acervum Mercurii* posuit, Hebraica littera & septuaginta Interpretes ponunt nomen *Margema*, quod non solùm cumulum lapidum (jactari solitum à transeuntibus venerationis causâ ad pedem statuæ Mercorii in bivio consistentis) sed etiam fundam significat. Ut sensus sit: *Qui dat honorem indigno, ita se habet ut ille, qui ligat lapidem in funda.* Sicut enim qui lapidem ligat in funda, facit lapidem priùs in terra jacentem quasi vi in altum surgere; & casu contingit aliquando, ut fundæ lapis ipsum feriat fundibularium, aliosque qui eum de terra levaverant: eodem modo, qui dat honorem indigno, eum quasi in terra jacentem sustollit; & accidit sæpe-numero, ut talis electus suis electoribus nocumentum inferat læsionis, totique communitati supra quam extitit elevatus. Quid ergo remedii, ut ejusmodi læsio caveatur? Lapis deponatur è funda per quam elevabatur. Deorsum in terra repositus, minimè super caput decidet transeuntis. Simili modo indoneus prælaturæ, deponatur ab ea ad quam sublevatus est, dignitate, atque cessabit communis periculum nocumenti. Hoc remedium Franciscus præsenti texto suæ providit Religioni, dicens: *Si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium & Custodum, Generalem Ministrum non esse sufficientem*, teneantur Ordini succurrere remedio depositionis. Circa quem textum venit considerandum, quòd Vir Dei non Fratribus quibuscumque, sed solùm *universitati Ministrorum & Custodum*, hujus commiserit judicium insufficientiæ. Neque ab his etiam voluit ad depositionis procedi sen-

Alciat. Embl. 3.

tentiam ex incerta fama, vel suspicionibus; verùm ex evidenti notitia, sive quando *appareret* Ministrum non esse sufficientem.

Nescio quis pruritus tam sæculares quam etiam religiosos subditos frequenter adurit, ut lynceis scrutentur oculis omnes regiminis rectorumque rationes, eaque sit prima inter mundanos præsertim materia colloquendi, quid agant, & cur hæc non agant & illa. Communiter inutilis est curiositas, & spiritus afflictiva, dum ea displicent quæ ordinantur, & quæ non permittitur immutare. Sicut exaltati sunt cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ judiciorum Dei eorumque rationes, à viis nostrarum cogitationum, ne humani intellectus curiositas eas umquam præsumeret investigare. Tamen accedens tentator ad mentem auremque primorum hominum, inquietam illam instillavit curiositatem, dicens: [Gen. 3. vers. 1.] *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Hâc quæstione simplicem eorum temeravit obedientiam; quia enim non penetrabant ad rationem istius inhibitionis, non eam timuerunt prævaricari. Dilectis etiam Christi discipulis pruritus illabebatur sciendi, quo tempore regnum Israël per Dominum restitueretur. Amanter eos pius Pater comprimens, inquiebat: [Act. 1. vers. 7.] *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Licet ei familiarissimi essent, & expedire videretur, ut id nossent futuri ipsius in restituendo regno Israël coadjutores; quia tamen eos tam citò id scire minimè erat necessarium, noluit eis satisfacere; sed *non est vestrum*, inquit, *nosse, &c.* Atque ut universaliter divinus legislator à timis sui consistorii humanam abigeret curiositatem, hanc legem in sacro promulgavit eloquio: [Eccl. 3. vers. 22.] *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus ejus ne fueris curiosus. Non enim est tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacaneis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curiosus.* Ratio hujus secreti tam stricti est, ea quam requirit Dominus à servis suis, simplicitas obedientiæ. Tametsi verò humana longè distet à divina gubernatione; sacratior tamen est atque secretior, quàm ut patêre debeat investigationibus subditorum, Sancto Basilio graviter admonente: [99. fusius disp. q. 48] *Unusquisque ad quod vocatus est, in hoc permaneat; & curandis his quæ ad se pertinent totum se tradens, alienas non investiget dispensationes.*

In aliam insuper excurrere possent otiosi subditi curiositatem, ut quàmvis discreta sit Superiorum gubernatio, accuratissimè tamen & cum inclementi censura in defectus eorum inquirerent personales. Inquietum malum est, pessimumque studium, tanto conatu velle investigare, quod ad nos non pertinet judicare. Hujusmodi girovagos inquisitores, D. Gregorius ad suam ablegat quietem, dicens: [Lib. 25. Moral. cap 21. Vide etiam l. 26. c. 15.] *Quia rectores habent judicem suum, magna cautela est subditorum, non temerè vitam judicare regentium. Neque enim frustrà per semetipsum Dominus ad nummulariorum sudes & cathedras vendentium columbas evertit. Nimirum significans, quia per magistros quidem vitam judicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum.* Non insultemus igitur cespitantibus Prælatis; imò compatiamur, cogitantes quòd in alto positos contingit vehementioribus concuti ventis tentationum, periculosiùs lubricare, mentes obnubilari multitudine negotiorum, cerebrum interdum ob loci eminentiam perturbari; ideoque mirum non esse si quandoque cadant, cùm gradus altior non majorem dederit infirmis hominibus fortitudinem & sanctitatem. Iniqua certè atque immisericors est in eos indignatio subditorum, qui non hæc attendunt: pessima verò eorum malignitas, qui gaudere videntur, si aliquam invenerint materiam eos traducendi, diffamandi, trahendi in contemptum. Clementiorem animum Divus inspirat Gregorius: *Summopere cavendum fidelibus*, inquit, *ne clanculo aut publicè Episcopum suum, id est, unctum Domini detractionibus aut vituperationibus* [Lib. 12. Epist. 31.] *dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ, quia pro eo quòd Moysi famulo Dei propter Æthiopissam detraxit, immunditiâ lepra mulctata est.* [Numer. 12.] *Et illud Psalmistæ:* Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. [Psal. 104. vers. 15.] *Et in Lege divina legitur:* Diis non detrahes, & populi tui Principi non maledices. [Exodi 22. vers. 28.] *Unde valde providendum est subditis, ne præpositorum vitam temerè reprehendant, si quid eos fortasse agere aliquid reprehensibiliter vident; ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur.* Benedicti fuerunt à Noë Patriarcha filii ejus Sem & Japhet, qui *pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.* [Gen. 9. vers. 23.] Ejusdem animi erat, & propter hoc supernâ dignus benedictione Vir Dei Franciscus: *Nolo*, inquit, *in Sacerdotibus considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt.* [Testam. S. P. N. Franc.] Hæc est hæreditas, quam nobis suo voluit derelinquere Testamento. Si nullum in simplicibus Sacerdotibus voluit considerare peccatum, quantò minùs in Superioribus, qui & Sacerdotes & veri Domini nostri sunt, in quibus discernere est ipsam regentis Dei majestatem, cujus dominatum nullus detrectat, nisi qui apostatis Angelis impiè disposuerit adhærere.

Fieri quoque posset, ut popularis turba fratrum querulatetur de frequenti absentia Superioris à communitate. Talia murmurantibus, opto Charitatem quæ *non cogitat malum.* Hæc eis dictabit, censendum fore Prælatum adesse, cùm abest causâ communis boni, & multa frequenter occurrere negotia conventûs per Superiorem intus forisve tractanda, quæ non cuilibet expedit indicari. Subditi gratias agant Deo sapientissimo patrifamilias, qui eis Superiores in servos providit atque Ministros, quos ad labores dirigit, ab his subditos misericorditer suspendendo; ut inde filii sinè vexatione decori sint, unde patres in pulvere sordidantur. Postquam in lege veteri mandaverat Dominus decem cortinas fieri de bysso retorta, & hyacintho, ac purpurâ, coccoque bis tincto, variatas opere

plu-

plumario, quibus sancta sanctorum integerentur; aliud insuper ordinavit fieri cooperculum, quo pretiosum illud tegumentum posset ab aëris tempestatibus & terræ pulveribus custodiri. *Facies*, ait Moysi, *& saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi.* (Exodi 26. vers. 7.) Hæc saga taliter erant concinnata, ut bysso, hyacintho, purpuræ, & pellibus arietum rubricatis superposita, inclementiis aëris terræque sordibus exponerentur, & ab iisdem pretiosiora supposita defensarent. Haud aliter ii, qui præsunt, curis servientes temporalibus, sustinent de mundano pulvere sordescere, ut Fratres suos spirituales in mentis quiete, cordisque puritate valeant conservare. Hi proindè, si verè spirituales sint, numquam contra rectorem exteriora curantem velut contra vile cilicium murmurabunt, sub quo ut coccus bis tinctus securè rutilant atque quiescunt. Compatientur laboranti, & gratias agent ei, de cujus laboribus ipsi manducant. Deumque exorabunt, ut foris conversantem custodiat, & honorabunt impensam pro sua quiete charitatem.

Justum quidem est & rationabile, ut Prælati (Eccl. 7. vers. 17.) velut pastores gregi suo studeant interesse. Tu tamen, ô subdite, *noli esse justus multùm*, id est nimiùm; quod utique tunc fit, quando inordinatum desiderium justitiæ alienæ in superbiam transit atque morositatem. Fluvius extra limites alvei sui redundans, cuncta destruit vicina; qui intrà ripas suas continens semetipsum, nemini noxius esset, sed placidus decurreret atque utilis universis. Idem de subditis erit, si intrà suarum maneant ripas conscientiarum, proprias intueantur & eluant miserias, nec exundent taliter, ut altiora se attingant, innoxios dijudicando Superiores. Quòd si aliquando vel familiari aliorum adducti colloquio, vel ex præcipitantia zeli alicujus, externos quosdam Præpositorum defectus cum auctoritatis eorum narraverint diminutione, necessum erit, ut cor prematur per pœnitentiam, & in seipsos revertentes, judicium suum in propria convertant delicta.

Hæc pro eo dicta sint, ne subditi vulgares majorum Prælatorum usurpent censuram, quæ per Sanctum Patrem nostrum Provincialium & Custodum reservatur universitati. Unde si contingeret insufficientem hominem, vel (quod absit) perniciosum Ordini præsidere, subditi intrà limites se contineant necessariæ subjectionis, & instent precibus apud Deum, ut alius idoneus legitimâ præficiatur auctoritate. Interim verò dum id fiat, regimen ejusmodi permitti cogitent à justo judice in suorum punitionem delictorum. Scriptum est enim, quod Deus *regnare facit hominem hypocritatem propter peccata populi.* (Job. 14. vers. 30.) Cui verbo hæc superaddit Gregorius: *Nullus qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuset: quia nimirum fuit sui meriti, perversi rectoris subjacere ditioni. Culpam potiùs accuset proprii operis, quàm injustitiam gubernantis. Quid illum vobis præesse despicitis, cujus super vos regimen ex Domini furore suscepistis, juxta illud:* Dabo tibi regem in furore meo. (Osee. 13. vers. 11.) *Si igitur irascente Deo, secundùm merita vestra rectores accipitis, in illorum actione conspicite & colligite quid vos fitis.* Vosmetipsos condemnate, quorum demerito factum est, ut justo prememini jugo iniquorum. Quemadmodum alibi idem D. Gregorius ait: *Cùm justorum peccata ferienda sunt, (Lib. 11. Epist. 36.) unus erigitur, per cujus duritiam, tribulationis jugo subditorum colla deprimantur.*

T E X T U S & §. XV.

Ad servitium & communem utilitatem Fratrum.

S U M M A R I U M.

Prælatus esse debet in communitate, sicut anima in corpore, scilicet ad ejus vitam & utilitatem. Obligantur Ministri & Custodes loqui, ad apertas Generalis insufficientias. 1. Si nimis senex & impotens sit. 2. Si nullius sit executionis & facti: nec invigilet super Ordinis officiales. 3. Si non reprimat nocentes, & pacis publica turbatores. 4. Si faveat pravis & relaxatis. 5. Si ipse-met sit malo exemplo.

DUctor Israëlitici populi Moyses, intellecto, quòd in brevi foret è sæculo migraturus, devotâ præcabatur instantiâ: (Num. 27.) *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinē hanc: & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.* Ubi *Dernoye Medulla S. Evangelii.* textus Hebraicus habet: *spiritum omni carni.* Per quod intelligi datur, Prælatum desiderari, qui *spiritus* sit, sive anima corporis commissæ sibi communitatis. Anima rationalis, existens *tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte*, (Arist. l. 2. de Anima.) universis corporis partibus vitam præbet, motumque vitalem. In Seraphicæ

phicæ Religionis corpore, cui caput est Franciscus, subit Prælatus officium animæ, debetque adeò servire taliter ad communem corporis utilitatem, ut cum Apostolo dicere possit: 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum*, id est *totus in toto, & totus in qualibet corporis parte.* Subditis omnibus assistens æqualiter ad servitium & communem omnium utilitatem. Lib. 19. de civit. c. 14. *Qui imperant*, inquit Aug. *serviunt eis quibus videntur imperare, id est quia laborant regendo, imperando non propter suam utilitatem (hoc enim tyrannorum est) sed propter publicum bonum & subditorum utilitatem.* Si naturali corpori vitalis influxus animæ subtrahatur, videmus protinus membrorum omnium cessare motum, corrumpi corpus, & penitùs interire. Idem in corpore mystico cernimus, Prælato in suis functionibus deficiente. Propter hoc sanctus noster Institutor talem requisivit, Generalem sui Ordinis Ministrum; qui sufficiens sit *ad servitium & communem utilitatem Fratrum.* Eâque sufficientiâ in ipso deficiente, alium voluit rectorem eligi; ne defectu animæ, corpus universum contingeret vitâ carere spirituali. Porrò ex multiplici capite talis potest insufficientia provenire.

Primò, Ex senectute nimia, cum annexis vitiis senectutis. Ea strictim enumerat Innocentius lib. de vilit. condit. hum. ut refert S. Tom. 4. Serm. 14. de Temp. Bernardinus: *Senex facile provocatur, citò credit & tardè discredit: tenax & cupidus: tristis & querulosus: velox ad loquendum, & tardus ad audiendum. Laudat antiquos, spernit modernos: vituperat præsentia, & commendat præterita: suspirat, & anxiatur: torpet, & infirmatur.* Alia Sanctus adjungit Bernardinus, quæ interdum in decrepitis istis advertuntur; Impatientia infirmitatum, tristitia tædiumque vivendi, ignorantia vel oblivio divinorum, defectus judicii & rationis, obstinatio in malis moribus antè imbutis, periculorum instantium insensibilitas. Solet quidem Senectus instructior esse prudentiâ, rerum multarum experientiâ, maturitate, auctoritate, meritis, severitate ac temperantiâ: quæ omnia non mediocriter adjuvant ornantque gubernationem; sed quando pervenit ætas ad intelligendorum usque consiliorum hebetudinem, ad infirmitatem communibus oneribus imparem, ad impatientiam audiendi querelas subditorum, ad officii sui peragendi ignaviam, quis dubitet pietatis officium esse sub importabili sarcina fatiscentem exonerare, & obrigescentem nauclerum à navis gubernaculo removere. 1. Reg. 2 Ipse Dominus senem Heli & in suo frigescentem officio removit à Sacerdotio, ut meliorem vegetioremque substitueret Samuëlem. Compatientur aliqui contrahendæ inde tristitiæ, vel esse censebunt gratitudinis obligationem, ut non spolietur honore, qui suam in laboribus pro Religieone detrivit ætatem. Verùm hi personales respectus minimè comparandi sunt cum eo, quod Ordo ex regiminis defectu patitur incommodo.

Secundò, Alteram demonstrat Sapiens in- Prov. 18. vers. 9. sufficientiam: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Mollem dico, qui quidquid suggeratur, quidquid ordinetur, quidquid dictet ratio, quidquid necessitas urgeat, dormitabundus manet, segnis, & absque ulla executione: præterita, instantia, futura pari dimittit oblivione. Eduntur constitutiones & renovantur, muniuntur præceptis obedientiæ, pœnisque decretis in transgressores. Videmus tamen quandoque jacere constitutiones, & minimè observari. Et unde, nisi per rectorem, judicumque ignaviam? Sicut nil est quod pertinax opera non valeat expugnare: sic nihil quod non queat dormitabundus torpor demoliri. Regia decet Prælatum strenuitas. Vivax oculus in omnia conjiciendus, etiam in exigua; cùm plerumque in his non exigua, sed gravissima sint posita momenta; idque nesciatur, donec eveniant incommoda, quæ sunt exinde nata pullulare. Quemadmodum nil negligit Deus, sed omnibus adest ad cooperandum juxta inditas eis à natura facultates; similiter omnibus præstò esse debet, qui vice Dei fungitur in gubernando. Aliàs quod sapientissimè conceptum erat atque conclusum, neglitur & evanescit. Decet igitur semper accinctum stare Superiorem, malè cogitantibus & actutis otium non dare, omnes tenere arrectos; ut numquam de illius confidant somno, sed sibi semper cogitent imminere. Præclarum est magna animo concepisse; turpissimum autem, si per ignaviam non exequaris. Laudabilis extitit animositas F. Gondisalvi Generalis Ministri, qui pro ratione officii & conscientiæ dictamine accinxit se virtute & fortitudine, ad reformanda, quæ videbantur laxioris disciplinæ, discurrens per varias Provincias, nec ullis parcens laboribus, ut ea exequeretur, quæ conducebant ad Ordinis reformationem. Annal. Tom. 3. an. 1312. num. 9. *O utinam*, inquit Bern. de sui temporis Prælatis, *tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram! Vigilarent utique sollicitè servantes ab illis sibi creditum sponsum. Imo vere vigilarent pro semetipsis, &c.* Serm. 77. in Cantic. Super quæ verò vigilandum sit, latè exponit ibi, & Sermone præcedenti.

Inprimis autem vigilandum supremo Prælato super Officialibus Ordinis Provinciæ, vel Conventûs, ut accuratè suum officium exequantur. Cùm enim solus ille non valeat omnibus incumbere, necesse est subalternis aliis curas distribui & executiones; quos si negligat attendere, & opportunis temporibus functionis eorum exigere rationes, facilè relaxationibus patens porta relinquetur. Enimvero contingere poterit, ut aliqui officia sua in usum convertant vitæ liberioris, & obliviscentur facilè timoris Domini justorumque judiciorum. Quòd si Prælatus superior omnia studeat investigare, desperabunt hi ejus subterfugere censuram, aut legum evadere severitatem. Unius horæ desidia & dormitatio, tot aliquando curis & difficultatibus aperit ostium, ut vix per annum valeant eliminari. Ea propter obligatur ejusmodi Prælatus, ab illis externis Principum aliorumque negotiis se expedire, quibus necessarium Ordinis servitium & gregis inspectio, notabiliter impediretur. Litanus noster, legem illam Sapientis: *Fili, ne in multis sint actus tui*, Eccl. 11. vers. 10. judicibus autumat intimari, ne per confusionem obruantur negotiorum, istisque humanis impedimentis admittatur occasio, oves sibi concreditas amittendi. Ter-

Tertiò, Aliud vitium ex Dione discimus referente mores Nervæ Imperatoris : *Malum quidem est*, inquit, *Principem habere, sub quo nihil ulli liceat : pejus verò eum, sub quo omnibus omnia.* Hac enim libertate communis turbatur quies à bonis Fratribus desiderata ad Domino serviendum, unde graviter exulcerantur. Obligationem huic malo obviandi sic exponit D. Augustinus ; *Sicut non est beneficentia, adjuvando efficere, ut bonum quod majus est, amittatur ; ita non est innocentia, parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium non solùm nemini malum inferre, verùm etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.* Gravibus etiam sententiis D. Basilius in quæst. fusiùs disputans, inculcat severitatem in delinquentes, tamquam utilissimam ipsis & judicibus & fraternitati. Aliàs per oblatam aut speratam impunitatem injuriis obnoxii redduntur infirmiores, & audacia facinorosorum alitur & obdurescit. Tam nocet judex malo parcens insanabili, quàm resecans incorrupta. Cùm igitur sub ea spe è mundo fugerimus procelloso, ut pacatiùs in Ordine sacro Religiosis incumberemus exercitiis, non satis condolerem servis Dei Superiores, qui tanta in Religione tolerarent impedimenta, quanta in statu sæculari timoeramus experiri.

Lib. 19. Civit. c. 16

Quartò, Deteriorem indignitatem lamentatur Jeremias in quibusdam ævi sui Sacerdotibus : *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium & iter mendacii : & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia sua. Facti sunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus ut Gomorrha.* Extrema perditio est, dum qui correctores debuerant esse pravorum, fiunt fautores eorumdem atque patroni, vel contra Superiores, judices in eorum facta inquisituros : vel contra inferiores, in eorum peccata justè desævituros : vel contra contuberoales accusantes, quibus torvo vultu vel improperiis os obstruunt, aut planè denegant audientiam. Quis non timeat duram illam factam Regi Josaphat increpationem ? *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris.* Tametsi talibus Dominus ad tempus parcere videatur ; nihilominus thesaurizant sibi cumulum tot suppliciorum, quot delinquentium & delictorum fautores inventi fuerint extitisse. Quæris quâ ratione ? Sanctus explicat Augustinus : *Non te onerant peccata Fratris. Si consentias, jam tua te premunt ; non alterius. Quisquis enim consenserit peccatori, non alienis, sed suis gravatur. Consensio enim ad peccatum alterius, suum fit peccatum ; & non est quòd queraris : quòd aliena peccata te premant : dicitur enim tibi : Premunt te, sed sua. Quod ipsius solùm erat, factum est & tuum, quia placuit tibi.*

Jerem. 23. vers. 14.

2. Paral. 19. vers. 2.

In Ps. 129

Quintò, Supradictis pejor est, qui non modò favet pravis, verùm & præit, suoque exemplo docet iniquitatem. D. Gregorius ruminans illud Job : *Qui vocat duces impios*, hoc modo interpretatur : *Dux est impius, qui à tramite veritatis exorbitat, & dum ipse in præceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Necesse est, ut is qui præest, quæ exempla subditis præbeat, solerter attendat, & tantis se sciat vivere, quantis præest &c. Non autem debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire ; ne qui ad hoc eligitur ut aliorum culpas corrigat, quod resecare debuit, ipse committat.* Infelix populus, cui talis ductor obtigerit ; imò seductor, cui suapte naturâ ad vitium inclinatâ in stimulum accedit rectoris exemplum, quasi qui omnem in subditis extergit peccandi verecundiam : Hoc malum deplorat meritò noster B. Angelus de Paz in illud Lucæ : *Si quis vult venire post me.* Et credit, quòd exempli defectu tam pauci Christum sequantur in via perfectionis & abnegationis. *Rari sunt*, inquit, *qui lavari, mundos esse, collyrio inungere oculos, & absque reprehensione conversari studeant, post Christum continuò aspicere quid fecerit, quid docuerit, quomodo oraverit, quam justus & absque peccato fuerit. In his paucissimi sunt, quomodo si pauca olivæ quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi cùm facta fuerit vindemia. Et quis tantam in Domino credentium multitudinem & venientium olim post Christum, ut neque urbes, neque solitudines sufficere viderentur, sic crudelissime vastavit & vindemiavit, ut in Religiosorum magno numero, & amplissimo monasterio, in lato regno & urbe vix duæ vel tres claræ olivæ, & uvæ reperiantur ?* Quia facti sunt Principes velut arietes non invenientes pascua : abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. *Propter multitudinem negotiationum. Etenim hæ impediunt præsides, ne spiritualiter pascantur, nec fortitudinem habeant vincendi affectus ac dæmones, qui expetunt gregem excribrare, ac persequi Christianorum studia & Religiosorum, ut faciant eos à proposito acclinare. Quod & sæpiùs obtinent : vel maximè quando majores nec sciunt, nec faciunt vel minimum quippiam eorum, quæ ad Evangelicam vitam, quam profitentur, spectant.* Hæc B. Angelus, acrius multò in eos locuturus, qui moribus dissolutis auctores fierent vulgaribus in easdem sese effundendi dissolutiones.

Lib. 24. Moral. cap. 15.

Luc. 9. vers. 23.

Thren. 1.

Et hæ sunt præcipuæ regentium insufficientiæ ; pro quibus Seraphicæ Regulæ promulgator mox subdit remedium in textu sequenti.

TEXTVS & §. XVI.

Teneantur prædicti Fratres (quibus electio data est) in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.

SVMMARIVM.

Abiathar Sacerdos prælato inidoneo comparatus in dispositione à gradu. Ea est electorum obligatio ut deponant, ne grex absque pastore; imò cum lupo relinquatur. Generositas S. Antonii Paduani, aliorumque circa Fratris Heliæ procurandam exauctorizationem. Quæ considerationes solatium præbere possint Generalibus justè depositis. Injustè spoliati ministerio, solatium habent à S. Patre nostro, aliisque sanctis Generalibus. Quid agendum, cùm ex depositione turbæ scandalosæ metuuntur?

[3. Reg. 2. vers. 27. & 35.] QUoniam Abiathar Sacerdos adjuverat partes Adoniæ, qui regnum David Patris sui superbè sibi præsumpserat arrogare, justo judicio *ejecit* eum *Salomon, ut non esset sacerdos Domini. Et Sadoc pro eo posuit sacerdotem.* Adonias qui *Dominator Dominus* interpretatur, figura est Luciferi, qui arroganter divinæ appetiit eminentiam dominationis, dicens in corde suo: [Isaiæ 14. vers. 13. & 14.] *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Hujus Adoniæ partes haud parùm per Abiathar adjuvantur, hoc est, per Prælatum insufficientem. Enimvero cùm *Abiathar*, qui *Pater excellens* dicitur, solo excellit officio, ac non etiam prudentiæ atque virtutis exemplo, in tantùm partes adjuvat principis infernalis, quantùm ipsius defectu, subditorum animas tartareo vitiorum regno contigerit aggregari. Dignus proindè quem ejiciat Salomon, sive qui major est Salomone Christus Dominus, ut non sit Sacerdos Domini, ut non sit Prælatus super populum Domini; sed pro eo *Sadoc*, qui *Justus* interpretatur (æquâ dotatus mensurâ qualitatum naturæ & gratiæ, quæ pro regimine requiruntur) in sacerdotium seu Prælaturam substituatur. Huic Salomonis & Salvatoris nostri justissimæ sententiæ contra inidoneum rectorem prolatæ, subscribens Vir Dei Franciscus, ait: *Teneantur prædicti Fratres (quibus electio data est) in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.*

Primò, Electores igitur hanc sibi agnoscant impositam obligationem, ut oves tempestivè retrahantur è manibus ejus qui non est pastor, vinea locetur aliis agricolis, qui reddant Christo & Francisco fructum temporibus suis. Perinde est sinè pastore relinqui gregem, ac sub pastore malo relinquere, ac minimè à noxiis custodiente. Tenentur itaque *alium sibi eligere in Custodem*. Rectè ait D. Bernard. [Serm. 77. in Cantica.] *Certè qui dimittit oves in pascua absque custode, pastor est non ovium sed luporum.* Commissio vobis data est, ut ponatis custodes in vineis. Si tales ponatis aut permittatis, qui sinant legem destrui maceriam, & vulpeculas intrare demolientes, & populum omnia conculcatorem, meritò damnorum omnium rei eritis, ut infideles. Seposito omni privato respectu, procedendum est ad boni communis procurationem. Neque terrere debet personæ potestas & eminentia, sed viriliter pergendum est, ad implendum præscriptæ in Regula obedientiæ sanctæ mandatum. Samuël denuntiaverat Sauli Regi præceptum Domini exercituum: [1. Reg. 15. vers. 3.] *Vade & percute Amalec & demolire universa ejus*, Regem quoque ejus interfice cum viventibus universis. Saul autem nescio quâ ductus præposterâ compassione, vel potiùs ob respectum regiæ dignitatis, ei pepercit. Quæ iniqua misericordia tantopere displicuit Domino, sicut & cæteræ ejus inobedientiæ, ut ex tunc ipsum-met posteramque ejus familiam regno constituerit spoliare.

Invictum in hoc negotio animum exhibuerunt S. Antonius Paduanus ejusque socii, qui adversùs F. Heliæ destructiones se murum opposuerunt. In præsentia namque Summi [Annal. Tom. 1. an. 1230. num. 10.] Pontificis, fratrumque capitulariter congregatorum intrepidè ei multa objecerunt S. Antonius & F. Adam de Marisco nimirum vitam lautam, equum bene habitum, plures domicellos, privatum victum, & præ omnibus extorta vel fallaciter, aut subreptitiè obtenta ab ipso Pontifice privilegia in manifestam puræ observantiæ jacturam. Ad hæc singula respondit Helias tanto eloquentiæ ornatu, & tam apparenti rationum pondere, ut audientibus injustè videretur accusatus. At ex opposito arguens Antonius

tonius, inquit: Sanctissime Pater, si innata mortem loquendi, concessum ei fuit aurum manducare, non tamen aurum thesaurizare: si equum habere, non ad scandalum nobiliter alere: si pro fabrica templi Assisiatis modestè colligere, non Ordinem universum expilare: si suis necessitatibus privatim indulgere, non principis vitam agere, atque malo exemplo universum Ordinem laxare. Pater sancte, hæc est illa hujus primicerii nostri forma vivendi. Quibus auditis atque perpensis Pontifex, auctoritate suâ eum absolvit ab officio, & absolutum denuntiavit, voluitque ut in sua præsentia ad alterius procederetur electionem.

Prov. 26. vers. 1. *Quomodo nix in æstate & pluvia in messe: sic indecens est stulto gloria.* Si enim candor nivis in æstate præter consuetum naturæ ordinem appareat aliquando, mox in aquam resolvitur, terræque mista in sordidum vertitur lutum: sic & honor prælationis stulto delatus durare non potest, sed resolvitur, & in lutum publicamque degenerat ignominiam. Est etiam sicut *pluvia in Messe*, molesta scilicet atque omnibus importuna, qui sub talibus Prælatis coguntur tristes sedere & otiosi, dum impediuntur à messe bonorum operum, & occasione optatos fructus Spiritûs in horrea Domini colligendi.

Secundò, Quantùm autem ad Patres illos, qui subire coguntur judicium illud depositionis, illi credere debent vel justè se exauctoratos esse, vel injustè. Quamcumque verò partem amplectantur, non eis rectè considerantibus materia deerit consolationis. Si enim justè, pudorem facilè comprimet doloremque propria eorum conscientia, sciens supremi Rectoris morem esse qui commemoratur à Sapiente:

Eccl. 10. vers. 17. *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* De quibus fusissimè noster

In Hester 1. Fevardentius, explanans Regis Assueri judicium in uxorem Vasthi repudiatam. Id suo malo expertus est Sobna præpositus templi, juxta

Isaiæ 22. vers. 19. factam ei comminationem: *Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus.* Idem minitatus est rectoribus spiritualibus in persona Ephesini Episcopi, suam primam charitatem circa oves sibi creditas re-

Apoc. 2. vers. 5. linquentis: *Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, id est removebo à te Officium & Episcopalem dignitatem, quæ velut aureum est candelabrum ad lucendum coram Domino & hominibus in doctrina sana, & bonis operibus: quod utique meretur auferri, dum ea lux desiderata in ipso minimè consovetur. Ab eo tempore, quo caput Ecclesiæ Petrus Matthiam curavit in locum subrogari proditoris, eo semper jure usa fuit Ecclesia in schismaticis, intrusis, hæreticis vel simoniacis Episcopis deponendis; tunc præsertim, quando insuper præter justitiæ normam regerent & æquitatis. Sanè si ovis morbida à grege separanda est, ne eum valeat contaminare, quantò magis pastor amovendus, qui in rabiem fuerit conversus lupinam? Cùm hæc fundata sint in ipsis justitiæ basibus, nemo rationabiliter de hujusmodi queri poterit executione. Illustre tradidit viris illis exemplum patientiæ Mauritius Imperator, qui dum ex Dei judicio, ob avaritiam & ignaviam in regendo, à Phoca imperio privaretur & vitâ, ad Dominum conversus, taliter disponentem, elevatâ voce manibusque dixit: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Baron. ad annum 602. Psal. 118. vers. 137.

Quòd si judicantur vel spoliantur injustè, aut non aliter sibi persuadere possint, quàm quòd injuriam patiantur, accipiant consolatorium verbum, quod Petrus Blesensis cuidam misit Episcopo à sede sua deturbato: *Habe, Pater, sustinentiam, & in opus fortitudinis te accinge. Si enim in spiritu mansuetudinis hæc sustineres, propter mansuetudinem & justitiam tuam liberabit & exaltabit te, qui arguit pro mansuetis terræ, & erigit mansuetos in salutem.* Epist. 87. Qui afflictus & humiliatus est, *dicit Job*, erit in gloria. Job. 22. vers. 29. *Et tu frequentiùs psallas*: Bonum mihi quia humiliasti me. Psal. 118. Non ignoravit Sanctus Pater noster similes humiliationis occasiones nonnunquam eventuras, ideoque fratres suos his verbis præmonuit & præmunivit: *Beatus servus, qui non teneat se meliorem quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, sicut quando tenetur vilis, simplex, & despectus: quia quantus est homo coram Deo tantus est & non plùs. Væ illi Religioso, qui ab aliis positus est in alto, & per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille servus, qui non per suam voluntatem ponitur in alto, & semper desiderat esse sub pedibus aliorum. Beatus servus, qui inventus est ita humilis inter subditos fratres suos, sicut quando est inter Prælatos & dominos suos. Beatus servus, qui semper manet sub virga correctionis. Fidelis servus & prudens, qui in omnibus suis offensis non tardat interiùs puniri per contritionem, & exteriùs per confessionem & operis satisfactionem.* Opusc. Tom. 1. In Admon. cap. 18. 19. & 23.

Unâ dierum, cuidam ex discipulis suis in eamdem respondit sententiam aureum quoddam verbum, quod utinam infixum esset in omnium cordibus Superiorum: *Non me judicarem Fratrem nisi in statu quem tibi depinxero. Ecce pro mei officii ratione, & ut Prælatorum mos est, vado ad Capitulum, convenio Fratres ibidem congregatos, propono eis Dei verbum, commoneo de defectibus quibuscumque. Quibus expletis, insurgunt contra me Fratres, & dicunt: Non convenis nobis, nec satis es idoneus Generalis aut Superioris officio: quid enim nobis rectè præcipere, quomodo bene gubernare poteris homo illiteratus, elinguis, idiota & simplex? Unde de cætero non præsumas te nostrum nominare Prælatum. Tandem ejicior cum opprobrio, irrisus & vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eâdem mentis lætitiâ, & eodem sanctitatis proposito, hæc verba audiero, ac alia quæcumque placentiâ vel in honorem meum proferuntur, me Fratrem Minorem nequaquam judicabo. Nam si gaudeo & exulto, cùm me honorant propter profectum, utilitatem & devotionem ipsorum, ubi tamen anima mea periculum esse potest, multò magis debeo jucundari & delectari de profectu & salute animæ mea, cùm vituperant me. Nam in hoc certum est mihi lucrum. Nam in prælatione casus, in lan-* Opusc. Tom. 3. Colloq. 25.

in laude præcipitium; in humilitate subditi, anima lucrum est.

Hujus humiliationis præclaram nactus occasionem F. Joannes Parens Minister Generalis, ostendit se non oblivioſum fuiſſe hujus doctrinæ Sancti Patris auditorem, & præclarum nobis reliquit magnaminitatis ac manſuetudinis exemplum. Anno 1236. convocaverat ad synodum generalem præcipuos Ordinis Patres. Conclave ingreſſis Senioribus in profeſto Pentecoſtes, ſupervenêre fautores Fratris Heliæ irrumpentes in conſeſſum, & tumultuariâ voce Heliam Generalem acclamantes. Nec multis uſi ambagibus hominem arripiunt, & Generalis loco conſtituunt. Videns eorum temeritatem Joannes Parens tenerè flevit, dolens vehementer adeò potenter & eiò in Ordine invaluiſſe dominandi appetitum. Ut verò faciliùs ceſſaret tempeſtas, prodiit in aulæ medium, ubi habitum exuens, ſemi-nudus coram omnibus veniam malè adminiſtrati regiminis petiit; deinde cum lachrymis & ſummâ humilitate Generalatui renuntiavit, cui ſe omninò dicebat imparem & indignum. His dictis, nihil volens circa re-aſſumendum audire officium aut protrahendum officium andire, contiouò exivit.

Annal. Tom. 1. an. 1236. num. 1.

Eamdem animi æquabilitatem oſtendit F. Raymundus Gaufredi, conſtans fautor piorum: qui ea de cauſa, ſed aliis quæſitis coloribus, traductus apud Bonifacium VIII. Pontificem, tulit patienter. Cùmque eum depoſitum vellet Pontifex, ut id ſub honoris ſpecie perficeretur, ei obtulit Epiſcopatum. Sed vir modeſtus, allegans ſe tanto imparem oneri, noluit acceptare. Indignatus Pontifex, & antecedentibus jam præventus accuſationibus, ait: At multò magis impar es tanto, quo fungeris munere; eumque protinùs abſolvit. Nil commotus Raymundus, in magna mentis quiete abiit vivere ſimplicem, pauperem, & humilem vitam; quàmvis prudentiſſima ejus opera Ordini univerſo foret utiliſſima. B. etiam Joannes Parmenſis Generalis, videns ſe pacum poſſe in tollendis quibuſdam Ordinis abuſibus proficere, cum omnimoda importunitatis inſtantia, allegatâ impotentiâ à Miniſterio Generali ſe abſolvi obtinuit, & de re-aſſumendo officio, nec Capitulo generali vehementer per biduum inſtanti, nec ullis vel ſummi Pontificis vel Cardinalium ſuaſionibus acquieſcere volens, non contemptui, ſed impotentiæ ad officium exequendum cauſam aſſignans, humillimè ceſſit. Sic magni illi viri non dignabantur pro ſubtractione temporarii & exigui honoris, uno verbulo querulari, ſed in manſuetudine divinâ ſuſcipientes diſpoſitionem, arripiebant eum gaudio præſtitam ſibi occaſionem, animas ſuas in humilitate ſalvandi.

Rodulp. in De General.

D. Anton. tit. 24. cap. 9. §. 5.

Fateor non omnium hanc eſſe virtutem & patientiam, eoſque qui ineptiſſimi ſunt, acriores reſumpturos ſpiritus ad ſe defendendum aut præſidio ſæcularium Principum, aut favore complicum in ſuis relaxationibus, aut inſtauratione perſecutionum contra bonos æmulatores, aut modis aliis fraudulentis. Interrogavit aliquando Seraphicum Patrem quidam ex ſociis ejus, quid agendum de quibuſdam ambitioſis Provincialibus, qui veluti ſibi regimen jure competeret hæreditario, ita perpetuò illud volebant retinere, ut ſinè moleſtia & turba reduci non poſſent ad vitam ſubditorum? *Vivant*, inquiebat totus fremens, *pro libito, tempus erit quo pœniteant. Minoris eſt damni paucorum, quàm multorum perditio. Si hos tentaretur ab officio dimovere, multas excitarent turbas, quibus ſimplices & bonos Religioſos, qui nunc ex quiete obedimus, ſcandalizarent.* Hoc dixit, timens ne colligentes zizania eradicarent ſimul & triticum, & confidens quòd deficiente humano medio, quale præſcripſit in Regula, ipſe Dominus providebit, qui dixit: *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Novit interim hujus vitæ intermedio tempore, de malis bona per infinitam ſuam eligere ſapientiam.

Annal. Tom. 1. an. 1216. num. 17.

Matth 13. verſ. 30.

TEXTVS §. XVII.

Poſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri & Cuſtodes, poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare.

SVMMARIVM.

Quanta neceſſitas Capitula Provincialia congregandi. Definitores in iis eliguntur, tamquam conſiliarii & aſſeſſores in judicio. Tredecim conditiones quibus pollere debent, tam ipſi, quàm alii qui ad deciſiones negotiorum ſunt adhibendi.

POſtquam Moyſes aſcendens ad Deum in montem Sinai, cum eo conferentiam habuit, de eis quæ diceret domui Jacob & annuntiaret filiis Iſraël, *Venit Moyſes, & convocatis*

Exodi 19. verſ. 7.

catis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus. Pari modo postquam Minister Generalis Ordinis Franciscani & Provinciales ascenderunt ad Generalia Comitia, inibi cum Domino conferentiam de Minoriticæ politiæ profectibus habituri, erit Ministris omnibus ad suas redeundum Provincias, *& convocatis majoribus natu populi*, hoc est eminentioribus suæ Provinciæ Patribus, exponendi erunt *omnes sermones quos mandaverit Dominus*, sive constitutiones omnes, quas Spiritus sanctus in Capitulo Pentecostes à congregatis Ordinis Patribus concipi fecerit & ordinari. Propter quod sanctus noster consulit Institutor: *Post Capitulum Pentecostes Ministri & Custodes possint singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur, & eodem anno, in suis custodiis, semel Fratres suos ad Capitulum convocare.*

Primò, Hoc igitur primum Capituli Provincialis opus est, ut quæ constituta sunt de mente Capituli & Ministri Generalis suscipiantur, unà cùm rationibus, cur talia mandata sint: ut Guardiani his instructi, tum de vero legum intellectu, tum de mente legislatorum, Fratres in suis conventibus valeant informare. Contingere siquidem posset aliquos in communitatibus sciolos reperiri, qui sancita Patrum ad suum trahere præsumerent examen. Contra hos oportet locales Prælatos, sufficienti esse præditos armaturâ. Tales videntur illi

Annal. Tom 6. an. 1455. num. 90. fuisse, in quos B. Joannes Capistranus invehitur, qui Fratres Cracovienses à paternis abalienabant institutis, hoc potissimum argumento, quòd in Regula non continerentur: *Non sinè magno*, inquit, *cordis dolore percepi vos vel vestrum aliquos terminorum per Patres vestros vobis positorum transgressores effectos, ita ut audeatis contra bonas familiæ nostræ ordinationes linguam ut serpentes acuere, & os vestrum in cœlum ponere, dicentes: Non sunt ista nobis per Regulam imposita, ut corpora nostra jejuniis, disciplinis, vigiliis, cæterisque mortificationibus affligamus. Quis Benedictam (Nocturnum B. Virginis) quis Pœnitentiales Psalmos cum Litaniis duplicibus quotidie dicendos, quis Mortuorum Officium semper post vesperas persolvendum, quis culpas in refectorio dicendas, pœnitentiasque, & disciplinarum & panis & aquæ & cætera hujusmodi pro levibus causis publicè coram omnibus implenda, quis denique mentales orationes cæteris horis implendas instituit? Quis hæc & his similia ordinavit?* Cùmque deinde memoriam refricasset traditarum à se institutionum, pergit perstringere contemptores: *Non sunt ista (ut quidam veritatis inimici, & Religionis ignari, morum bonorum desertores, ac totius boni operis impugnatores, qui adinstar serpentium virus effundentium, ac inimici hominis zizania superseminantis, quique docent linguas suas loqui mendacium, asserere conantur) noviter adinventa; sed per Patres nostros tam salubriter quàm necessariò observata.* Hæc sapientissimus ille atque sanctissimus Pater.

Consimili zelo stabunt Prælati Provinciæ pro earum Generalium Constitutionum auctoritate, quas in Provinciali Capitulo, libratis debitè earum rationibus, communi suffragio susceperint observandas. Et si qui porrò pergerent contumaciter Patrum ordinationibus contradicere, habentes potiùs disputandi pruriginem, quàm animum obediendi, eos clavâ compescent auctoritatis, & pœnis confusibilibus (si necesse fuerit) ad salutare compellent silentium. Denique *Si aliqui perseveraverint in inobedientia*, D. Basilii consilio, *velut disceptationis in fraternitate auctores, & certitudinem mandatorum concutientes, & inobedientiæ ac rebellandi Magistri è fraternitate ejiciantur. Ejice enim, inquit, pestem è concilio & exibit cum ipsa contentio. Et rursus: Expellite pravum à vobis-ipsis, nam modicum fermentum totam massam fermentat.* Sint Patres aliàs bene meriti, famosi prædicatores, felices negotiorum actores, æstimati à Magnatibus, & apud externos quasi Ordinis lumina reputati, si sal infatuatum fuerit eò usque, ut bonæ officiat disciplinæ, ad nihilum valet ultrà nisi ut mittatur foràs. Memoranda est atque imitanda generositas istius quinti Generalis Capituli Fratrum Observantium Cismontanorum, ubi neglecti sunt F. Robertus de Licio celeberrimus concionator, & alii plerique ejusdem farinæ libertini, docti ad disputandum, & convellendum quidquid saniores rectores probarent atque præciperent. Parum curârunt hujus Capituli Patres præsentes illorum præsumptiones, & secuturas impatientias, seque ab eis intrepidè liberârunt. Annal. Tom. 6. an. 1452. num. 35.

Sic igitur Generales Constitutiones subducuntur privatorum judicio; Provincialibus autem Capitulis indultum est per diversa generalia Comitia, ut eas possint reformare, & in novam formam debito ordine reducere, seclusis superfluis, quæ his vel illis Provinciis non necessaria nec utilia videbuntur. Quæ concessio admodum rationabilis est: si enim piæ aliquæ consuetudines ita inolcverint, ut sinè turbatione mutari vel aboleri non possent, per novas sanctiones generales (prout omnis mutatio publici receptique usus odiosissima est) meritò est libertas permittenda Provinciis suam servandi quietem, salvâ Regulâ & tolerabili politiâ. Per Gener. Cap. Toletanum an 1583. Roman. an. 1587. Alterum Rom. an. 1600. Segoviens. an. 1621. Quod ut pacificè fiat, & ut ii compescantur, qui fortassis inconsideratè nova urgerent decreta; communi sensu atque consensu expedit declarari. Id verò maximè necessarium est, dum nova illa decreta contra strictiores militarent modos reformationum. *Potestatem*, inquit Apostolus, *dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram.* 2. Cor. 10. vers. 8. Præsumitur ergo mens esse Generalium Prælatorum nolle destruere, sed ædificare, & bene ædificata sartatecta conservare. Solidiùs autem conservantur in congregationibus, ubi quilibet verecundatur coram tot probis viris, aliquam tueri relaxationem, quam forsitan sollicitè interrogatus extra consessum collegarum, molliter amplecteretur.

Secundò, Capituli Provincialis munus est promovere Generalium Constitutionum executionem. Frustraneum est in generali Synodo excogitatas atque libratas fuisse leges ad pulchram, uniformem, tranquillamque politiam necessarias, si non earum executio

vivida subsequatur. D. Bonaventura recensitis aliquibus abusibus Seraphicæ Religionis, subdit: *Horum omnium hanc puto potissimam rationem & causam, quòd ea quæ providâ curâ per totius Ordinis providentiam in generali Capitulo statuuntur, parvipenduntur à Fratribus & habentur pro nihilo. Nec tamen transgressores hujusmodi, disciplinâ debitâ castigantur.* At quomodo huic executioni unus invigilabit Generalis per mundum universum? Imò quomodo Provincialis unus per omnes conventus suæ Provinciæ? Necesse est, ut in Provinciis singulis cordati Patres cooperentur, remque promoveant. Si enim remissiores sint & dormitabundi, perinde est ac si miles aliquis optimè callens artem digladiandi, jaceret in lecto paralyticus vi motivâ destitutus, atque pueri unius expositus ictibus. Nervi & vis motiva Ordinis sunt locales Superiores, quos ad executionem oportet operum roborari. Tunc autem roborantur, dum simul juncti de inconvenientibus conferunt atque miseriis, quas quisque ex nimia Fratrum patitur libertate, & pro adhibendis conspirant remediis, mutuumque ad invicem compromittunt adjutorium; nam sicut *loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur, & cor confirmatum in cogitatione consilii.* Guardiani simul juncti in bona mente, sunt verum loramentum seu colligatio fortium trabium, ad ædificium in sua servandum integritate, si in sanis se confirment consiliis quæ cogitaverunt, ut in hujusmodi domo spirituali, tutò liceat & delectabiliter habitare. Omnes in idem bonum concurrere oportet, ne dum subditi sub uno arctabuntur ad observandas constitutiones, affugium sperent sub altero, qui contemnat easdem aut contemni saltem patiatur: & sic eidem contumeliæ Provincia pateat, cui legati Regis David, quibus Hanon Rex Ammonitarum mediam rasit barbam, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, tectâ unâ corporis parte, nudatâ alterâ. Vim autem singularem ad omnes accendendum juncta habet congregatio, quemadmodum carbonum simul juncturum proximitas, quos seorsim procul ab invicem separatos, non ita facilè possis accendere. Eo itaque modo *cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete monachorum religiosæque conversationis fuerint disposita vel ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare; sed sicut hoc quod ratio exigebat utilitatis oportuit definire, ita quod definitum est (nisi fortè ubi major est auctoritas) non debet violari.* Totus externus decor Religionis consistit in observantia constitutionum, quæ sunt ad Ordinis politiam, ad accuratiorem obligatoriæ Regulæ custodiam, atque ad uniformem vitæ ordinem excogitatæ. Dum juxta harum præscriptum incedit Religio, externi plurimum exinde ædificati dicunt cum admiratione: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis tuis filia principis*, modestè graderis securè atque compositè!

Epist. ad quemdam Provinc. Ministrum.

Eccl. 22. vers. 19.

2. Reg. 10.

D. Greg. lib. 7. Epist. 115.

Cant. 7. vers. 1.

Tertiò, Hujus Capituli munus est Definitores eligere Provinciarum. Quia frequenter in politia sæculari Princeps dedignari solet sui senatûs consilia, & potiùs cubicularii, famuli, secretarii vel parasiti auscultare susurros, contingit opprimi Rempubl. & conturbari. Ideo nostri Ordinis politia pressiùs coarctat Provincialem, propria ipsius placita & voluntates in causis cohibet gravioribus, & ad consiliariorum suorum, qui Definitores vocantur, contrahit discretionem. Et quoniam momentum pacis & justitiæ in horum manibus positum est, magnâ suoi curâ & providentiâ in Provincialibus Capitulis deligendi. Et quidem censet noster Santorius, non eximi à peccato mortali eos Vocales, qui Definitorem eligerent ineptum & ignarum juris Regularis, per quem alicujus sententiæ justitiam contingeret periclitari. Atque ideo meretur rei gravitas ut breviter eas dotes perstringamus, quibus instructi esse debeant qui ad illud erunt officium assumendi.

In examine pœnal. districtionum cap. 11.

Imprimis *Periti* sint, saltem in Regulæ intellectu, in Constitutionibus recentioribus & antiquis, præsertim in decretis municipialibus suæ Provinciæ, juxta quas judicare oportet: item in consuetudinibus communibus Ordinis, & aliqualiter in Theologicis & Juris Ecclesiastici vulgatioribus fundamentis.

Sint *multa experientia.* Multi multa legunt, & ad quælibet parati sunt historias sive antiquas sive recentiores attexere; sed ad factum suum nesciunt applicare, nec aliud præter curiositatem & memoriæ ostentationem ex sua lectura reportant & conferunt. Prudens inde colligit vel stimulos bene agendi & suadendi, vel lucem aliquam ad scrutandos eventus in causis similibus, & ad propositorum directionem negotiorum. Servit autem ad hoc præcipuè experientia propria præteritorum eventuum, è quibus conjicere licet, quid erit de præsentibus agendum atque futuris. *Qui non est probatus, quid scit. Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum, qui non est expertus, pauca recognoscit.* Propter quod senes juvenibus præferuntur, qui ab oculatis exemplis, rebusque in simili materia verisimiliter sententiant.

Eccl. 34. vers. 9.

Deinde *Oratione Dei lumen implorent.* Cùm finis ultimus vitæ nostræ atque regiminis, Deus sit, Deique negotium; cùm etiam sæpenumero res occurrant multùm intricatæ, aliorumque consiliariorum sententiis factæ ancipites; sic ut humana sagacitas ad justitiam minimè valeat penetrare, meminerint dictum à Spiritu Sancto; *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Unde censeant non prætermittendum quod dicitur alibi: *Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Quo facto, tametsi quippiam resolverent haud consentaneum rationi, excusabilis erit error, quia nil nisi Domini voluerunt voluntatem, eamque per constitutum ab ipso medium interrogarunt.

Prov. 8. vers. 14.

Eccl. 37. vers. 19.

Non sint præcipites. Rectè apud Lipsium Livius: *Omnia non properanti clara certaque sunt; festinatio improvida est & cæca, & nihil magnis consiliis tam inimicum, quàm celeritas.* Et: *celeres istos, celerem pœnitentiam, sed eamdem seram*

Polit. lib. 5. cap. 7.

atque

atque inutilem sequi. Quidquid impetu agitur, raro invalescit. Si bene succedit, fortuitum est: si malè, hoc ex natura & debito præcipitantiæ. Est autem viro turpe leviter in id consensisse, cujus pœniteat postea & pudeat: quod interim cavisse poterat, si moram ei jure debitam postulasset. Tempus ipsum vel repetita de re ista collocutio, vel alicujus memoria circumstantiæ nunc nondum apparentis, vel partus aliquis malus brevi erupturus docebit, quid certò atque securè sit resolvendum: Eccl. 21. vers. 28. *Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium staterâ ponderabuntur.*

Ne nimis audacia suggerant. Prædictus Lipsius suprà addit: *Consilia calida & audacia primâ specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia.* Et explicatiùs S. Bernardinus docet, ut Consiliarii Tom. 2. Serm. 16. art. 2. cap. 3. *non suggerant Principi, nisi quod ipsi incolume, tutum, honestum, facile, utile, & possibile fuerit: & in eisdem non solùm consilium, verùm & auxilium præstent, si fideles haberi velint.* Erigunt se aliquando præclari pugiles, suadentes pericula, quæ ipsi adire non auderent, & alia consarcinant onera, quæ nollent ipsi attingere: indignantur in minimas imperfectiones, ardua suadent, quasi ad tuendum honorem Ordinis, & ut resistatur Magistratibus, Nobilibus, Episcopis & cuicumque; volunt Provincialem audacter ingredi in processus, expensas & inimicitias extraneorum; non attendentes interim ad vires imbecilles, ad inutilem eleëmosynarum expensionem, ad mille discursus fratrum, ad oceanum distractionum, Eccl. 4. vers. 32. ad mundi scandalum & offensionem. *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Quod tibi nimis arduum, periculosum, aut difficile videtur, si alteri suaseris aggrediendum, notam incurris infidelitatis, dum confidentem in te in angustias trudis, & comitari detrectas ad auxiliandum, ne fortè, si non ex animi sententia succedat, tu auctor negotii habearis, tibique subsecuta confusio Ibid. vers. 34. imputetur. *Noli esse citatus in lingua tua: & inutilis & remissus in operibus tuis.* Præcogitet igitur mala, quæ à suo possent oriri consilio. Bonus medicus antevertit morbos, ne sæviant. Quæcumque mala in rationabilem veniunt suspicionem, præveniendа sunt omni arte, ne incidant; vel si omnino averti non possint, curandum, ut saltem quoad fieri potest, mollissimè cadant. Faciliùs est nutantem columnam fulcire ne cadat, quàm lapsam erigere. Numquam autem fulcies, nisi casuram suspiceris. Non parva est stultitia semper bene sperare de omnibus in hoc mundo, qui totus positus est in maligno.

Ex altera parte cavendum *ne nimis timidi* sint, præsertim ad Præsidis aut contrà sentientium oblocutiones. Virtus non est, stipitem esse ad omnia, vel ad singulas propositiones nil de suo judicio respondere, sed solum aliis consentire. Tametsi quandoque dixerint, quæ ab aliis fortè recepta non sint, quia satis firmis subnixa rationibus, juvabit tamen ea dixisse, quia occasionem præbent examinis accuratioris, & post novem reprobata consilia, decimum cum plausu fructuque recipietur, quod nemini fortassis alioqui venisset in mentem. Etsi primò displiceat, quia solitarium, illis ipsis tamen, quibus antea displicebat, postea fiet admirationi. In altero verò extremo summopere cavere debent, *ne pertinaciter agant.* Justissimum præscribit modum Apostolus: 1. Cor. 14. vers. 29. *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quòd si alii fuerit revelatum sedenti, prior taceat.* Quod verbum perpendens S. Cyprianus, dicit: Epist. 71. ad Quintum. *Docuit hic Apostolus multa singulis in melius revelari, & debere unumquemque, non pro eo quod semel imbiberat aut tenebat, pertinaciter congredi, sed si quid meliùs & utiliùs exstiterit, libenter amplecti.* Bis stultus est, qui omnes ex solo suo ore vult sapere, & cui non tam propositum est salubria depromere, quàm aliena quæcumque pugnaciter debellare. Illius imaginē arrogantiæ in illis reperimus disputatoribus, qui contra Job arguebant, quorum unus ausus fuerat effutire: Job. 35. vers. 16. *Ergo Job frustrà aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.* Super quo D. Gregorius: Lib. 26. moral. cap. 17. *Hoc esse proprium*, inquit, *arrogantium vitium solet, ut & pauca credant, quæ ipsi multa dixerint, & multa credant quæ ipsis pauca dicuntur. Quia enim sua dicere semper volunt, aliena audire non possunt: vim se pati existimant, si ea quæ immoderatè sentiunt, immoderatiùs non effundant.* Et iterum alibi: Lib. 21. moral. cap 9. *Arrogantes omnes, cunctis quidem hominibus se æqualiter conditos meminerunt: sed per fastum scientiæ, auditores suos æquales sibi vel esse vel credere dedignantur.* Humiles corde, non ægrè ferunt, si aliquos audiant sibi adversantes, melioribus nixos fundamentis, nec erubescunt suam mutare sententiam ad sequendam meliorem. Arduum videtur, hominem eruditum, expertum, senem & honoratum credere juniori; sed indecorum non est; imò probatæ potiùs sapientiæ judicium bono publico dare locum, & nolle cum damno illius privatam tueri existimationem: imò verò intelligit sapiens eam hoc pacto defendi non posse, sed è contrà dissipari suam insulsis contradictionibus auctoritatem.

Passiones animi domitas habeant. Nubila densissima rationis sunt passiones vehementiores odii, invidiæ, concupiscentiæ, & spei boni privati; præsertim autem iracundiæ. Eccl. 21. vers. 15. *Non est sensus ubi est amaritudo.* Turbatus oculus nil rectum aspicit, & consequenter, nec lingua valet quod rectum est enuntiare. Quòd si erumpat eò usque, ut observetur ab assidentibus passionum tumultuatio, nullus audire dignabitur, quod scit non à ratione, sed ab impetu cæco pronuntiari. Norunt omnes, quoniam Jacob. 1. vers. 20. *ira viri justitiam Dei non operatur;* cujus tamen ratio & cura maxima in isto est habenda consessu. Eadem perturbatio est ab invidia, sive in Præsidem, sive in collegas, sive in alios de quibus fuerit tractandum. Appositè Sapiens dixit: Sap. 6. vers. 25. *Neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* Virus quidem secretissimum est, imò ipsi morbido non satis perspectum; apertè tamen se prodens cùm de bono agitur alieno, cui capitaliter adversatur.

Nemini sint obligati. Pretiosior est Justitia, quàm ut puerilibus vendatur crepundiis. Indignum esset viro. Religioso præsertim, permittere sibi os obstrui, vel inverti, re quacum-

que temporali, dum de veritatis agitur libertate. Obsequia necessaria ab amicis suscept. cum gratitudinis obligatione, similibus aliis persolvi possunt obsequiis, quorum in vita sociali satis frequens occurrit occasio.

Pravis non sint familiares. Graviter monet S. Gregorius Episcopum Massiliensem, ut pravos homines majoreque famæ à sua abigat familiaritate, rationem reddens: *quia qui tales recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam. Et considerate, quàm & hominibus execrabile & periculosum sit ante Dei oculos, si per eum à quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur.* Magna ex parte demit auctoritatem ista familiaritas; quia talis quisque esse præsumitur, quales illi, quorum consortio delectatur. Suspicandi occasionem ipsa præbet divina Scriptura dicens: *Qui cum sapiente graditur, sapiens erit; amicus stultorum, similis efficietur.* Unde iterum consulit: *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso; ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.* Facilè affectus eorum imbibimus, quorum præsentiâ colloquiisque delectamur; & iis periculosè credimus, quos amamus: & quod periculosissimum est, ab eis difficulter abscondimus secreta, quæ sunt in imo corde recondita.

Lib. 9. Epist. 9.

Prov. 13. vers. 20.

Prov. 22. vers. 24.

Est autem maxima Definitorum obligatio, ut *secretum sanctè custodiant.* Et quia res est valde fragilis est, solet in Provinciis aliquibus adjecto præcepto obedientiæ roborari. In omni senatu commendatissimum est silentium; quia compertum experimentis, legitimam gubernationem dissolvi penitùs, dum tractata in consistorio in vulgus erumpunt: bellicas evanescere machinationes, quæ h... hostibus innotescunt: nullas exire posse scelerum correptiones, nilque stabiliri posse, dum consilia conclavis parietes egrediuntur. Cùm quoque in Definitorii congregatione oporteat de capacitate inquirere vel indignitate promovendorum ad officia; quantæ exurgent turbationes, si ab iis, quos res tangit, resciri contigerit? Indignum se tanto facit consessu, qui ori suo non noverit dominari. Quòd si piaculum est, amici unius revelare arcana, quantò magis tot proborum Patrum, qui confidenter sua sensa depromunt pro publico bono, & particularis alicujus salute, cui bene consultum volunt, pro sui status exigentia.

Denique *fideliter loquantur ad mentem consultoris.* Mens ejus est cognoscere veritatem, discernere quid ad commune bonum expediat, promotionemque virtutis, regere subditos juxta Domini voluntates, audire non solum quod arridet, sed quod justum, tametsi propriæ fortasse contrarietur opinioni. Hæc expectant à Definitoribus, non modò Provincialis, verùm & omnes illi, qui eos huic officio deputârunt, & Provincia universa. Improbi hominis est celare verum dum exquiritur, eoque tempore quo sciri debet: Itaque *ne retineas verbum in tempore salutis: non abscondas sapientiam tuam in decore tuo.* Adulatoris est ad complacentiam loqui, & quò majores inclinant sive in malum sive ad inutile, eò quoque suam torquere conscientiam. Qui ejusmodi est, audiat monitum Sapientis: *Voluntas Regum*, sive regentium, *labia justa: qui recta loquitur, diligetur.* Denique eâ circumspectione, sinceritate & fide decet Definitores sua sensa proponere, quâ D. Paulus Evangelium suis proposuit auditoribus. *Exhortatio nostra*, inquit, *non de errore, neque de immunditia, neque in dolo: sed sicut probati sumus à Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Quibus verbis, exemplum se præbet primò quidem Concionatorum, deinde Religiosorum consiliariorum, quibus incumbit promovere Domini voluntates; non *errores* in quæstionibus propositis: non *immunditias* relaxationum & sensualitatum: non *in dolo* cum interrogantibus sincerè; sed sicut *probati* & approbati sunt à Deo, & electoribus, tamquam viri probi, ut eis Evangelicæ Regulæ manutenentia crederetur. Ita loquantur, *non quasi hominibus placentes*, iniqua fortasse desiderantibus. Neque sint *in sermone adulationis*, non adeò justam laudantes sententiam: *neque in occasione avaritiæ*, sententiam vel officia pro muneribus habentes venalia: *nec quærentes gloriam* & altiores promotiones, vel humanum applausum; sed Domino per omnia placentes.

Eccl. 4. vers. 28.

Prov. 16. vers. 13.

1. Th. 2. vers. 3.

Et hæc de præcipuis Minoriticæ politiæ partibus, in statuendo uno Generali Ministro, in disquirenda ejus sufficientia vel insufficientia, in instruendis electoribus, consiliatiis seu Definitoribus ejus; ac denique de corpore totius Fraternitatis, in suis considerato Provinciis, dicta sufficiant.

CA-

CAPUT NONUM.

De Prædicatoribus.

FRatres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro Generali hujus fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo officium prædicationis sibi concessum. Moneo quoque & exhortor eosdem Fratres, ut in prædicatione quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate sermonis; quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

SUPER TITULO.

DE PRÆDICATORIBUS.

SUMMARIUM.

Prædicationis officium ipse Christus Dominus exercuit. Deinde Apostoli, eorumque successores Episcopi. Quia verò messi multæ non sufficiunt operarii pauci, Pontifices summi dederunt commissionem prædicandi Religiosis. Cœlestis vocatio Francisci ad illud ministerium, & efficacia quâ ipsum exercuit. Ordines quoque Prædicatorum & Minorum specialiter ad illud munus deputati. Singularis consideratio ex Regula Minorum.

TAntâ pollet excellentiâ prædicationis officium, ut Salvator noster Dominus Jesus Christus non confundatur asserere se missum à Patre ad illud salubriùs exercendum. Intravit aliquando secundùm consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi Liber Isaiæ Prophetæ. *Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat:* (Lucæ 4. vers. 16. Isaiæ 61. vers. 1.) Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me &c. *Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad eos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius.* Sic ipse Dei Filius proprium suum existimavit esse officium docere ac prædicare, magnis & parvis, doctis & indoctis: modò uni dumtaxat personæ, modò paucis, modò turbis numerosis; id agens charitativè, suaviter, sollicitè, efficaciter & infatigabiliter. Sic *multifariè multisque modis olim Deus* (Hebr. 1 vers. 1.) *loquens patribus in Prophetis*, qui populo Verbum Domini ministrabant, *novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Alios insuper ipse sui verbi Ministros constituit, qui ea toti mundo prædicarent, quæ ab ipsius ore perceperant, quæ viderant oculis suis, quæ perspexerant, suisque manibus contrectârant. Hos & Apostolos nominavit, amplamque dedit & evidentem commissionem: *Euntes prædicate dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum.* (Matth. 10. vers. 7.) Atque iterum in fine sui itinerarii, cùm jam jamque iturus esset ex hoc mundo ad Patrem: *Euntes*, inquit, *per mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* (Marci 16. vers. 15.) Hi itaque tum ipso Christo in carne mortali vivente, tum post ejus in cœlum Ascensionem, profecti à Judæa *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* (Ibid. vers. 20.)

Ne verò sanctis morientibus Apostolis eorum expiraret officium, & in Republica Christiana deficeret ministratio veritatis, fundator illius *dedit quosdam Prophetas, alios verò Evangelis-* (Ephes. 4. vers. 11.)

gelistas, alios autē Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Horum officia tametsi nota sint & aperta, dignus tamen est Seraphicus Doctor, qui super eorum audiatur explicatione. *Sacerdotalis officii*, inquit, *opus præcipuum, reductio plebium subjectarum in Deum, per septiformem influxum hierarchicum; scilicet per eruditionem credibilium, per instaurationem virtutum, per exhibitionem exemplorum, intervventionem precum, curationem plagarum hostilium, prænuntiationem insidiarum & repulsationem hostilitatum. Et hoc quidem septemforme opus sacerdotale, Scripturâ sacra declarat sub septemplici metaphora; scilicet architecti, agricolæ, pastoris, fidejussoris, medici, spe... oris, & ducis.* Hæc Officia, principaliter Episcopis competere, successoribus Apostolorum, nemo est qui ambigat. Quia tamen in tantùm populus excrevit Christianus, ut Episcopi per se solos minimè valeant omnibus satisfacere, plures sunt necessarii coadjutores. Propter quod Dominus in Matthæo Apostolos alloquens, & successores eorum: *Messis*, ait, *multa, operarii autem pauci: rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*, insinuans, quòd bonorum Pontificum, non tam est patienter ferre, quàm desideranter appetere cooperatores evangelistas, ad multitudines divinarum messium colligendas. Hinc summi Pontifices Spiritûs sancti illustratione præventi, statum evangelizantium Religiosorum, qui saluti animarum intenderent, tamquam cælitùs sibi missum cum hilaritate susceperunt, pietate confoverunt, auctoritate roborârunt, & potestate defenderunt.

(Apol. Pauperum respons. 4. cap. 2. — 1. Cor. 3. vers. 10. & 4. — Joan. 10. vers. 11. — Hebr. 5. vers. 1. — Lucæ 10. vers. 31. — Ezech. 3. vers. 17. — 2. Mach. 5. vers. 1. — Matth. 9. vers. 37. & 38.)

Inter hos subsidiarios Evangelistas, è præcipuis censendus est Vir Dei Franciscus. Supernæ siquidem revelationis illustratus oraculo, intellexit se ad hoc missum à Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Cùmque postmodum in magnam cujusdam dubitationis incideret agoniam, num finem illum salutis animarum orando solùm promovere deberet, an etiam prædicando: Misit duos ex fratribus ad fratrem Sylvestrum, qui tunc in monte supra Assisium jugiter orationi vacabat; ut divinum super dubitatione hujusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum præcepit sacræ virgini Claræ, ut per aliquam puriorem & simpliciorem de Virginibus sub ipsius disciplina degentibus, & ipsa cum Sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis revelante spiritu, venerabilis Sacerdos & Virgo Deo dicata: beneplaciti scilicet esse divini, quòd Christi præco ad prædicandum exiret. Revertentibus itaque Fratribus, & Dei, juxta quod acceperant, indicantibus voluntatem; exurgens continuò succinxit se, & nullâ prorsus contractâ morâ iter aggressus est. Ibat autem cum tantò fervore, ut divinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si facta manu Dei super eum, novam induisset è cœlo virtutem. Factus igitur Evangelicus præco, civitates circuibat & castra, *non in doctis humanæ sapientiæ verbis*, sed in virtute spiritûs annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi: quippè qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc, Christi vinea germinare germen odoris Domini: & productis ex se floribus suavitatis, honoris, & honestatis, uberes fructus afferre. Nam prædicationis ipsius fervore succensi quàm plurimi utriusque sexus in conjugali pudicitia Domino famulantes, secundùm formam à Dei viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant. Et huic muneri Vir Sanctus tam perseveranter insistebat, quòd cùm sacris Christi stigmatibus insignitus propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non posset, corpus emortuum per civitates & castra circumvehi faceret: ut ad crucem Christi ferendam cæteros animaret.

(Vita cap. 4. num. 2. — Vita cap. 12. num. 2. — Cap. 4. num. 5. — 1. Cor. 2. vers. 4. — Vitæ c. 14. num. 1.)

Aderat autem servo suo Francisco, ad quæcumque pergeret, is qui eum unxerat, & miserat Spiritus Domini, & ipse Dei virtus & sapientia Christus: ut sanæ doctrinæ verbis afflueret, & magnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordia, omniumque mentes admiratione replebat: cùm non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Et quoniam primò sibi suaserat opere quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens, veritatem fidentissimè prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed asperâ increpatione ferire. Eâdem mentis constantiâ magnis loquebatur & parvis: eâdemque spiritûs jucunditate paucis loquebatur & multis. Omnis ætas omnisque sexus properabat virum novum, mundo cælitus datum, & cernere, & audire. Ipse verò per diversas regiones progrediens, evangelizabat ardenter: *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* In virtute namque nominis ejus, veritatis præco Franciscus ejiciebat dæmonia, sanabat infirmos: & quod majus est, sui sermonis efficaciâ, obstinatorum mentes ad pœnitentiam emolliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat & cordibus, sicut aliqua probant operum ejus, quæ Bonaventura citato loco luculenter enumeravit.

(Cap. 12. num. 7. — Matth. 16. vers. 20.)

Cùm talibus miraculorum prodigiis præco Christi prædicans coruscaret: attendebatur his quæ dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogativa virtutum, Prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cœlitùs datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio ejus à Spiritu sancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas à summo Pontifice non sinè revelatione concessa; insuper & Regula in qua forma prædicandi exprimitur, ab eodem Christi Vicario confirmata, summi quoque Regis signacula, sive stigmata Crucifixi, per modum sigilli corpori ejus impressa: tamquam testimonia decem toti sæculo indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum & venerandum

(Vitæ c. 12. num. 10.)

officio

officio, & doctrinâ authenticum, & admirabilem sanctitate: ac per hoc, tamquam verè Dei nuntium, Christi Evangelium prædicasse.

In idem opus Domini Vir Dei cooperatorem eximium habuit sanctissimum Prædicatorii Ordinis Patriarcham Dominicum. Nobile illud par amicorum sibi obvium habuit aliquando gloriosus Christi Martyr S. Angelus de Ordine Carmelitarum, & illustrem hanc de eis enuntiavit prædictionem: *Vobis sanctissimi viri, vobis gaudendum est, quibus Christianam Rempublicam felicibus cœptis, meritis & doctrinis amplificare concessum est.* Eamdem eorum in prædicationis opus consensionem agnoverunt duo illi magni Generales Humbertus Prædicatorum & D. Bonaventura Minorum, uno ore spirituque dicentes: *Novissimè diebus istis duos nostros Ordines in ministerium salutis suscitavit Deus, vocans ad eos viros non paucos, & ditans eos donis cœlestibus, per quod non solùm suam, sed & aliorum possent efficaciter operari salutem. Hi sunt (ut ad gloriam Dei loquamur non nostram) duo magna luminaria, quæ lumine cœlesti, sedentes in tenebris & umbra mortis, ubique terrarum illuminant, & ministrant. Hi sunt, duæ tubæ, veri Moysis, Christi Dei nostri, quarum ministerio multitudinem populorum jam ad suam principium convocavit. Hi sunt duo Cherubim pleni scientiâ, mutuò se respicientes, dum idem sentiunt, & alas suas extendentes ad populum, dum ipsum verbis & exemplis protegunt, & discurrunt secundùm obedientiæ volatum, super omnem populum disseminare scientiam salutarem. Hi sunt ubera Sponsæ, ex quibus parvuli in Christo lac sugunt, quo nutriantur & augmenta recipiant in salutem. Hi sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ; prompti ad ejus imperium, quòcumque voluntas ejus illos duxerit suam implere legationem. Hi sunt duo testes Christi, qui saccis amicti jam prædicant, & testimonium perhibent veritati. Hi sunt illæ duæ stellæ lucidæ, quæ secundùm Sibillinum vaticinium, habent species quatuor animalium, in diebus novissimis nomine Agni vociferantes, in directionem humilitatis & voluntariæ paupertatis.* Hæc duo isti eximii Primicerii Ordinum prædictorum.

Annal. Tom. 1. an. 1216. num. 17.

Epist. ad omnes Prædic. & Minores apud Rodulph. lib. 2. hist. Seraph. Relig.

Numer. 10 vers. 2.

Exodi. 25. vers. 18.

Cant. 4. vers. 5.

Zach. 4. vers. 14.

Apoc. 12. vers. 3.

Seraphicus idem Bonaventura, super præsenti scribens Regulæ Capitulo, specialiter Minoribus suis competere Prædicationis officium, hâc probat ratiocinatione: *Ex isto Capitulo patet; quòd fratres ex intentione B. Francisci & suâ professione habent prædicare; in quorum Regula inter omnes, specialis tractatus de Prædicationis officio continetur. Unde certissimè constat, quòd nullis aliis Religiosis plùs competit prædicare ex ratione status sui, quàm his, qui hanc Regulam profitentur.*

TEXTUS & §. I.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum.

SUMMARIUM.

Episcopis primariò competit prædicare, & alios mittere ad prædicandum. Hâc necessitate expectandæ missionis, arceantur. 1. Heretici. 2. Invidi obtrectatores aliorum concionatorum, & stationum alienarum invasores, & quomodocumque aliter scandalosi. Consolatorium verbum pro iis quos rejecerit Episcopus. Mens S. Francisci circa impetrandum à Pontifice privilegium ubilibet prædicandi.

Volens Rex Ezechias universum Israël & Judam ad immolandum Phase in Jerusalem convenire, misit nuntios cum Epistolis suis, qui omnem multitudinem convocarent. *Perrexeruntque cursores cum Epistolis ex Regis imperio, & Principum ejus, in universum Israël & Judam, juxta id quod Rex jusserat prædicantes:* Filii Israël revertimini ad Dominum Deum Abraham & Isaac & Israël: & revertetur ad reliquias, quæ effugerunt manum Regis Assyriorum. Per Ezechiam qui *Fortitudo Domini* interpretatur, haud inconvenienter Salvator noster Jesus Christus intelligitur, qui *Dei virtus* dicitur & est. Hic vehementi desiderat desiderio *Phase* cum universis hominibus, sive *transitum* à statu peccati ad suam divinam gratiam celebrare. In hunc finem conscripsit Epistolas, sive Scripturam verborum edidit divinorum, cum eisque suos direxit nuntios dicens: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Perrexeruntque cursores Apostoli ex Regis Christi imperio, quod ille jusserat prædicantes. Ea missione prævia & regis imperio perrexerunt. *Quomodo* enim *prædicabunt nisi mittantur?* De aliquibus olim Dominus querebatur. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant:*

2. Paral. 30. vers. 6.

Marci 16. vers. 15.

Rom. 10. vers. 15.

Jerem. 23. vers. 21.

bant : non loquebar ad eos & ipsi prophetabant. Pessima sanè usurpatio, quòd præsumat aliquis, ea ad quæ missus non fuerit, nuntiare. Prædicatores igitur divini verbi legitimam habere debent missionem, ut placita Domini sui valeant annuntiare. Nobis quidem datum non est, sicut olim Apostolis, eam immediatè ex Regis imperio, ex ore Christi Domini accipere commissionem; sed non ideo à verbi ejus excludimur prædicatione. *Perrexerunt cursores cum Epistolis ex Regis imperio & Principum ejus.* Supersunt *Principes* Ecclesiæ ejus, hoc est Apostolorum successores Episcopi, quos operis sui Vicarios constituit esse pastores. Per hos possumus ad verbi ipsius prædicationem auctorizari; nec possumus sinè illis. Unde præsenti Textu mandat Seraphicus legislator: *Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum.* Pastorali baculo secernuntur, & abiguntur, qui potiùs offendiculo forent Evangelio Dei, quàm ædificationi. Cujus generis sunt.

Primò, Hæretici, & qui sententias seminant atque tuentur exoticas, suspectas, novas, maléque sonantes. Prævidens Dominus hujusmodi asseclas diaboli in populum suum irruptores, ait: *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Quia ego sum: & multos seducent.* (Marci 13. vers. 6.) Mirum est, quàm efficaciter in aures curiosas carnalesque influant dogmata libertati carnique faventia, quàmque potenter irretire valeat animas adornata Scripturis concio, hypocriticis repleta exclamationibus, acutisque blasphemiis, iisque exaggeratis munita. Talis unica Lutheri concio omnes unius monasterii Monachos excucullavit, & fecit avolare. Sic *exurgent pseudo-prophetæ, & dabunt signa atque portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte*, ait dominus, *Ecce prædixi vobis omnia.* (Ibid. vers. 22.) Subdoli isti Magistri querulantur quidem impatientissimè sibi aditum ad cathedras intercludi: audaces sunt ad irrumpendū ultrò velut fures & latrones, venditant immediatam ab ipso Domino missionem, tyrannidem dicunt, quòd ad censuram trahuntur Episcopalem, allegant S. Joannem Baptistam à veteribus secedentem superstitionibus, novamque Baptismi cæremoniam usurpantem; nec attendunt, quòd à Sacerdotibus interrogatus, humiliter & candidè suæ reddidit missionis rationem; quia sic ordo sacræ exigeret politiæ. (Joan. 1. vers. 26) Propter quod iterum Apostolus commonet officii sui rectores Ecclesiæ: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* (Act. 20. vers. 28.)

Secundò, Deturbandi etiam sunt à suggestibus procaces aliqui Ordinum aliorum insectatores, contra quos linguam suam exacuentes, inter ipsa Dei verba venenatos suos immiscent aculeos, quasi sub specie liberrimi zeli liceret eis, in absentes & innocuos aliorum Ordinum professores, emovere quidquid in amaro gerunt pectore, vel à virulentis acceptum relationibus, vel à propriis conceptum phantasmatibus. Talem sanctarum cathedrarum abusum decet Episcopos avertere, & Ismaëlitas illos ad innocuum relegare silentium. De Ismaële Angelus Domini prænuntiavit; *Hic erit ferus homo, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum: & è regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* (Gen. 16. vers. 12.) Hic divino jussu è domo fidelis Abrahæ pellitur, in solitudine moraturus. (Gen. 21.) Simili ratione sunt à suggestibus repellendi turbulenti passionum suarum in alios declamatores. *Quòd si invicem mordetis & comeditis*, monet Apostolus, *videte ne ab invicem consumamini.* (Gal. 5. vers. 15.) Canes invicem commordentes & populum conturbantes, solent ex Ecclesiis eliminari. Hinc saluberrimè Canones Ecclesiastici constituerunt Prædicatoribus universis, ne publicè Prælatos & Curatores animarum redarguant, iisque præcepit eo fine ab Episcopis invigilari. Ex amarulentis aliquorum sermonibus nonnisi exacerbatio consequitur, apud plebem contemptus; estque dicacitas illa affinis hæreticorum proterviæ, qui hoc modo apud fecem populi gratiam aucupantur, dum ex malis moribus Ecclesiasticorum ultra modum exaggeratis, doctrinam eorum cæteroqui sanctam infamârunt & exploserunt. Hujus justissimæ legis rationes easdem in sugillationibus aliorum reperimus concionatorum, cùm non absimiles inde scaturiant effectus. Atque ideo Dominis Episcopis opportunè est tradita hæc potestas ad suspendendum blaterones istos à munere concionandi.

A facientibus rixas numquam reportabuntur fructus animarum; cùm illi fini summè necessaria sit Concionatorum concordia, & mutua reverentia. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens; Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas & operientes oraculum, *respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel.* (Exodi 25. vers. 20.) Hanc esse figuram concordiæ Prædicatorum verbi Dei, subtiliter adnotavit noster Joannes Vitalis. In signum, inquit, concordiæ, quæ debet esse inter Doctores, (Spec. Moral. verbo Doctor.) præcepit Dominus, ut fierent duo Cherubim aurei respicientes se mutuò versis vultibus ad propitiatorium; quia debent convertere oculum intellectus ad veritatem, non ad voluntatem: ut sit concors inquisitio, concors prædicatio veritatis: qui mutuò se respiciant oculo recto; non obliquo, non invido, non iniquo. Qui enim respiciunt se oculo invido, sequuntur voluntatem & vanitatem, & numquam inveniunt veritatem. Hæc Vitalis. Christus Dominus suos erudiens Apostolos, quos erat ad promulgandum Evangelium destinaturus, ajebat: *Habete in vobis sal & pacem habete inter vos.* (Marci 9. vers. 49.) Ex qua conjunctione dedit intelligi, quòd Prædicatores divini verbi sal terræ esse non possunt, neque mentes condire fidelium, nisi inter se mutuò pacem habentes. Quod etiam

san-

Jacobi 3. vers. 17. ſanctus docuit Jacobus Apoſtolus, dicens: *Sapientia quæ deſurſum eſt, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica &c. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.* Numqoam bene ſeminabitur aut proficiet fructus juſtitiæ, niſi à facientibuspacem.

Utinam prædicta Concionatorum omnium, præſertim Religioſorum, cordibus ſic illabantur, ut nuſquam audiantur æmulationes, & mutuæ præventiones & extruſiones. Ne videamus aliquos ad honorabiliores præcurrere ſuggeſtus, populoſas emendicare ſtationes, vel inanis gloriæ vel turpis lucri reſpectu; laborare ad expellendum antiquos operarios; ſeſe effundere abſque ordine, modo aut verecundia in terminos alienos; qui parva; ruſticana, aut minùs opulenta auditoria dedignantur; velot ſua indigna ſtudio & eloquentiâ. Hæc longè abſunt ab Apoſtolicâ prædicandi Philipp. 1. verſ. 18. modeſtia: *Quid enim?* ait ille: *Dum omni modo ſive per occaſionem ſive per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Ut autem debita modeſtia & charitas inter verbi Dei præcones manu-teneri poſſit, & compeſci novitiorum invaſorum vanæ æmulationes, & turbativæ molitiones, convenientiſſimum fuit Epiſcopalem interponi providentiam, per eamque pacem rebus dari, & auctores comprimi ſcandalorum; prout defacto fieri ordinavit S Concilium Tridentinum Seſſ. 5. Decr. de Reform. cap. 1. ab Epiſcopo prædicationem talibus interdici. *Claudus pedibus & ini-* Prov. 26. verſ. 6. *quitatem bibens*, dicitur in ſacro Proverbio, *qui mittit verba per nuntium ſtultum.* Mittit verba per nuntium, qui quò non poteſt ipſe pertingere perſonaliter, mittit prædicatores vices ſuas acturos, locumque ſuppleturos. Quòd ſi ſtultos mittat, ſive vitioſos & ſcandaloſos, turpiter claudicanti ſe ſimilem facit, qui unam officii ſui partem rectè peragit per ſeipſum, alteram verò malè per alium & inſufficienter. Et hic etiam bibit iniquitatem; quia, ut cenſet B. Petrus Damianus; Lib. 1. Epiſt. 18. *cui manum imponens peccatis communicat alienis, & mali prædicatoris malè admiſſi*, vel poſt admiſſionem malè permiſſi *importunentia in ipſum retorquentur.*

Quibus igitur Epiſcopus juxta ſuæ dictamen conſcientiæ, & Eccleſiæ jura contradixerit, ii ſe humiliter ad ejus demittant beneplacitum. Non murmurent de ipſo vel officiariis ejus dum rejiciuntur, nec inſimulent eos odii in Ordinem aut nimiæ moroſitatis. Tametſi quid ſimile in cordibus lateret examinatorum, credant tamen Spiritûs ſancti directione fieri, ne opus quod ſupra ipſos eſt aggrediantur. Si Deus non vult loqui per os noſtrum; quid indignamùr, & hunc vel illum hominem accuſamus? Mavult Dominus aliquos in regnum ſuum deducere per opera miſericordiæ, obedientiæ & humilitatis, per ſilentium & orationem. Inquietudo impatientiæ circa repulſam, arguit ſiniſtrum aliquem vermem in fundo intentionis deliteſcentem, nimirum vel appetitum alicujus gloriolæ, quam in confratribus admirantur plauſibiliter concionantibus, aut tædium ſolitudinis, aut quippiam ſimile. Ideoque Dominus, qui novit abſcondita cordis, diſponit, ut mediantibus vicariis ſuis, tales à concupito repellantur officio. Et iterum diſponet eos admitti, ſi eos ſub potenti manu ſua viderit humiliatos. S. Noſter Inſtitutor quodam tempore deveniens Imolam, civitatis Epiſcopum adiit: humiliterque popoſcit, Vit. e sp. S. num. 9. ut cum ipſius beneplacito poſſet populum ad prædicationem vocare. Cui Epiſcopus durè reſpondens. *Sufficit*, inquit, *Frater, quod ego prædicem populo meo.* Inclinavit caput verus humilis, & foràs egreſſus, poſt modicam horam regreditur intrò. A quo cum Epiſcopus quaſi turbatus requireret, quid iteratò petere vellet; humili tam corde, quàm voce reſpondit; *Domine ſi pater filium uno repulerit oſtio, alio ſibi reintrandum eſt.* Humilitate victus Epiſcopus, alacri vultu eum amplexatus eſt, dicens: *Tu, & omnes Fratres tui de cetero, in Epiſcopatu meo generali meâ licentia prædicetis; quia illud humilitas ſancta promeruit.*

Fratres aliqui non ſatis humiles, & nondum hujus artis periti, turbati ſunt aliquando, dum miſſi ad prædicandum verbum Dei à quibuſdam ſunt Epiſcopis impediti; atque ideo apud ſanctum Patrem inſtiterunt, ut à ſummo Pontifice privilegium impetraret, quo liceret eis ubique prædicare etiã contradicentibus Prælatis, ſi fortè nullâ juſtâ moverentur ratione. Diſplicuit Viro Dei hoc propoſitum; unde reſpondebat eis in hæc verba: *O Fra-* Opuſculo Tom. 3. collog. 24. *tres mei, Dei voluntatem ignoratis, & mihi inſipienter auferre vultis mundi victoriam. Vult etenim Dominus Jeſus Chriſtus, ut mundum in profunda ſubjectione & humilitate vincam, & magnopere omnes animas ad ipſum traham per humilitatis exemplum. Fratres mei, omnes verbo convertetis, ſi omnibus factis vos humiliatis. Qui vos impiè perſequuntur, veſtrâ probatâ patientiâ convertentur ad Chriſtum & veſtrorum ſatagent pedum veſtigia oſculari. Nec tantùm deboo velle deſiderare ſub ſpe ſalutis aliorum, libertatem habere; quòd ego velim profundam humilitatem quæ ſtatui meo competit, è medio tollere: quia in hoc & ego in virtute proficio, & populus in virtute firmatur. Decet ergo priùs per ſanctam humilitatem & reverentiam populorum convertere Prælatos, ut converſi videant & ament vitam veſtram laudabilem, & reverentiam ipſis exhibitam. Ipſi* Seſſ. 5. Decr. de Reform. cap. 1. §. Si quæ verò. Et ſeſſ. 24. Decr. de Reform. cap. 4. *tunc rogabunt vos, ut populo prædicetis, & omnes veſtris intereſſe jubebunt concionibus. Plura præſtabit humilitas, quàm poſſit privilegium elargiri.* Hæc erat humilis Franciſci ſententia, quam poſtea ſacrum Tridentinum Concilium ſuâ ſtabilivit auctoritate, decernens, quòd Regulares ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

TEXTVS & §. *II.*

Et nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus.

SVMMARIVM.

Concionatores cœli luminaribus comparati. Examinandi sunt 1. Circa doctrinæ sufficientiam. Ad hoc autem erunt potissimùm septem scientiis tempestivè imbuendi. 2. Circa zelum salutis animarum. Quibus indiciis ille sit in junioribus explorandus. 3. Sint Magnanimes. 4. Maturi & graves. 5. Cultores sobrietatis.

FAcienr Deus duo lumioaria magna: luminare majus, ut præessei diei: & lumioare minnr, or præesset nocti: & stellar: Et ponens eas io firmamento cœli, ut lucerenr super terram, & præessenr diei ac nocti, & dividereot lucem ac teoebras; er luminaria divino suo subjecir examioi. *Vidit Deus quòd esset bonum.* (Gen. 1. vers. 19.) Sanè divini verbi prædicatores poounrur in cœlo Ecclesiæ, ut *luceant super terram* opere & doctrioâ: & *præsint diei ac nocti*, ot prædicenr justorom & iniquorum congregationi: & *dividant lucem ac tenebras*, annuntiando populis lucem virtutum, & tenebras vitiorum. Prævidenr Franciscur multos è familia sua ad prædicationir officium sublimandos, & pooendos ut luminaria in Ecclesiæ firmamento, voluit ipse divinorum operum æmulator, primùm de illir videri *quod esset bonum*, quòd unusquisque eorum bonus esset, sive idoneur prædictir illis finibur cœli luminarium exequendir. Propter quod ait: *Nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus.* Quod examen onnc propter maximam Fratrum multiplicationem, Prnviociali commissum est, cum Definitoribns Provinciarum. Estque accuratè instituendum.

Primò, Circa Doctrinam competentem: ne defectu studii vel memoriæ, in suggestu compareant hæsitanter, balbutieoter, & absque ordine ab una materia ad aliam divaganter. Ut autem docti fiant Fratres, Superiorum erir præclara seligere ingenia, & ad omnis generis scientias diligenter excolere. Qnales eos habere volent dum ipsorum offerrentur examioi, taler faciant tempestivè, atque ex nunc incipiant efformare. Nemo nascitur vir; sed formatur curâ majorum. Quòd accipirt Ordo præclaros spiritus, ingens est beneficium; sed Ordinis est eos excolere, spiritu suo, literisque imbuere, & dignos se operarios præparare. D. Apostolns, tametsi quotidie personr liter prædicaret, minùs tamen se arbitrrtus est satisfecisse, nisi suom etirm Timotheum & Titum aliosque discipulos io perfectos efformaret prædicrtores, per quorum ora posset ipse proferre sermooem. Inter alia, unum Timotheo dicit, Prælatis oostrir intimè inculcandum: *Confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu, & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* (2. Tim. 2. vers. 2.) Superiores qui vel ætatis gravedine, vel multitudioe occupationom regimiois, vel infirmitatum molestiâ à prædicationum actibus impediuotur, alios saltem formeot, quantùm possunt perfectissimè, qui bona reorum adimpleaot voluntates, eo spiritu quem ipsis ad Dei gloriam impresserint. Christus Dominos in propria quidem prædicavit persona; sed brevi dumtaxat tempore, atque in unica regione. Præcipuum ejus opus, ad totius commodum universi, fuir concionatores alios suis informare doctriois, suoque accendere spiritu, ut per eos religionis suæ legisque nova fides & cultur longè latèque disseminaretor. B. Thomas de Scarlino, laicur erat, & litterarum imperitur: tameo concreditorum sibi tyrooum ingenia sic excoluit, & excoli curavit, ut Provincias regere, Deique Verbum prædicare possent ingenticum fructu, & pietatir incremento. Abundantissimi fuêre fructus, quos messuit D. Bernardinus io exaltando nomioe Jesu, & cultu B. Virgiois promoveodo. Hos fructus acceptos ferre debemus duabur sanctis mulierculis, Diaoæ materteræ ipsius & Tobiæ coosobrioæ, quæ diligenter in ejus tenella anima tempestivè bona virtutis semina posuerunt. (Sedul. Vita cap. 1. & 6.)

Juvabit autem hîc adnotare, qoibus erat disciplinir erudiendus, qui sacræ cathedræ præparator. Sublimium prædicator Joaones: *Vidi*, inquit, *septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis..... De cujus ore gladius utrâque parte acutus exibat..... & vox illius tamquam vox aquarum multarum.* (Apoc. 1. vers. 12. & 15.) Hac figurâ divini verbi præco describitur, cui à septem candelabris lumina ministrantur. Primum candelabrum sacra Scriptura est, accensum ipso cœlesti lumine per Spiritum sanctum, qui calamus fuit scribæ

velociter

velociter scribentis. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis.* (Sap. 7. vers. 26.) Alterum Candelabrum est scholastica Theologia, quæ rimatur profundæ Dei sacrorumque mysteriorum, clausa alioquin & sigillata. 3. Moralis doctrina, rationibus & disputationibus securam aperiens viam virtutis, multò certiùs quàm olim philosophica præsumptio, & divinas monstrans voluntates, quas cavilla & humanæ sophismata imperitos celare conantur. 4. Scientia legum, quæ præscribunt quid justum vel injustum sit, & qualiter humanum genus sinè alterius sit regendum injuria. 5. Lux veritatis in controversis articulis, quos veræ fidei hostes in dubium adducere conati sunt. 6 Historiarum memoria, earum maximè, quæ auditores accendere valent ad virtutis æmulationem, ad cœlestis præmii desiderium, & divinorum horrorem judiciorum. 7. Philosophia naturalis, quæ dum ab antiquorum est defæcatæ erroribus, solidè clarèque malignam convincit pervicaciam rectæque rationis inimicos. His septem scientiis præparandus est concionator in medium processurus, atque de his examinandus à Provinciali, adjunctis Assessoribus, qui sufficientes sint ad suæ faciendum doctrinæ periculum.

Secundò, Præter doctrinam, inquirendum erit quo zelo ferantur ad animas adjuvandum & incitandum ad Pœnitentiam. Absque eo fervore, vir doctus non est nisi corpus, membris quidem omnibus constans, sed mortuum, atque motrici anima destitutum: à quo nullus sperandus effectus, nisi fortè aridus quidam tinnitus aurium oblectativus. *Si linguis hominum loquar*, ait Apostolus, *& Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* (1. Cor. 13. vers. 1.) Per Charitatem intellige sanctum illum atque ferventem zelum promovendi salutem animarum per virtutum exercitia, per Dei cultum divinorumque obedientiam præceptorum, Hoc zelo destituti, similes sunt histrioni alicui, qui in theatro personam refert antiqui cujusdam Prophetæ, minaciter & cum fervoris apparentia declamantis, quasi serió rem ageret Dei; quem tamen nil curat alter personam exhibens auditoris: multò minùs spectatores, qui etiam recreantur, in hoc quòd vocibus & gesticulationibus tam egregiè norit verùm effingere concionatorem. Aliter agit & urget dicens per Dei spiritum, & verè commotus in semetipso. Nescio quis vigor nativus in vultu se prodit, in voce, gestibus, & fecunditate ac energià dictionis, quem clarè discernit auditorium, & quo per adjunctam sinceritatem, & charitatis veritatem, se percipit commoveri. Hunc ante omnia in nostris exigimus concionatoribus.

Dicet aliquis: quomodo deprehendetur in iis qui nondum exercitati, sed adhuc in Scholis sedentes numquam nacti sunt hujus exercendæ charitatis occasionem? Difficile apparet. Verumtamen inter ipsos Fratres latère non poterit pius ille fervor, quin erumpat interdum; aut per utilia colloquia, vel per corporalium operum promptitudinem, aut per afflictorum fratrum compassionem. Videas aliquos quasi cum impetu opellam suam læros obtrudere. Hæc præludia sunt majorum operum, spemque præbent obtinendi per eos lucri cumulatioris. *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sunt opera ejus*, & qualia erunt dum adoleverit. (Prov 20. vers. 11.) Aliqua ejusmodi in S. Bernardini pueritià observabantur. Rediens enim sanctus puer à sacris concionibus, convocabat pueros, eisque tamquam pro concione, puerili simplicitate dicebat, quæ ex auditis sermonibus memorià retinere poterat. (Sedul. in Vita cap. 3.) Faciebat autem hoc eà ratione, & eà dexteritate, ut multi jam tum animis præsagirent, eum quandoque ecclesiasten fore. Maximè verò heroica ipsius sollicitudo pro pestiferis in xenodochio curandis, præparatio fuit ad ardorem in curandis peccatoribus, & sanandis animabus. Juvaret similiter domesticis exercitationibus nostrorum explorare juvenum aptitudines, & iis qui apparent magis idonei futuri paulatim laxari habenas ad domesticas dicendum exhortationes, ad visitationes infirmorum, & parvulorum catechesim; ut sic tempestivè ad ingota munia præparentur.

Tertiò, Magni quoque debet concionator esse animi, non modò ad arduos subeundum labores, verùm etiam ad magna multaque pro salute animarum aggrediendæ Dum Paulum eligens Christus dixit: *quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel*; subjunxit illico: *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* (Apoc. 9. vers. 15.) Magna illi agenda erant, magna patienda. Ideo erigi oportebat animum ejus, ut nullius quantumcunque potentis vultum formidaret, nec ullo respectu ab executione sui terreretur officii. Et talis certè erat: unde securâ dicebat mentis confidentià: *Non erubesco Evangelium*: tantâque amplitudine se diffundebat ardor & desiderium pro Domino laborandi, ut non ei unus mundus sufficere videretur, sed plures ad Christum adducendos suo voto complecteretur, quantumvis ei resistentes forent & difficiles ad convertendum. (Rom. 1. vers. 16.) Multùm absunt ab ea generositate quidam meticulosi, qui puerili verecundiâ & pusillanimitate non audent in virorum præsentià comparere, & apertam annuntiare veritatem. Tales facilè produnt veritatem, dissimulant graves Deo irrogatas injurias, proni sunt ad turpes adulationes, tremuli sunt ad magnum quidlibet aggrediendum. Missurus Dominus Jeremiam pro sui populi reformatione: *Ego dedi te*, inquit, *hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram regibus Juda, principibus ejus, & sacerdotibus & populo terræ.* (Jerem. 1. vers. 18.) Primùm Reges posuit & Principes, deinde populum terræ; quia Principum conversio eò sollicitiùs & studiosiùs est comparanda, quò utilior illa est ad multitudinis conversionem: eis enim captis, sæpe-numero domestici, subditi, atque etiam integri populi capiuntur, & sponte eam sequuntur religionem & pietatem, quam à suis vident susceptam Magnatibus. Et quemadmodum corrupto

Rege vidimus regna integra à fide defecisse; sic etiam ad fidem reducta post Principis conversionem. Oportet igitur eos audere, etiam circa magnos, quibus commissum est officium hominum capiendorum.

Quartò, Insuper hujus officii dignitas, maturitatem requirit, gravitatem & supereminentiam supra omne quod muliebre, puerile, inimicum aut rusticanum est; tamque decentem morum compositionem, ut Princeps aliquis minimè verecundetur ad pedes sedere concionatoris, auditurus ab eo quasi cælitùs allatam sapientiam. Legatus regius animum sui regis induere solet, ut dignus appareat agere cum alio rege, tamquam cum æquali. Sic aliquid superhumani debet induere prædicator, qui sanctâ pro Deo fungitur legatione, ut non velut homo audiatur, sed ut missus è cœlo in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Omnem sibi demunt auctoritatem, qui immodestiâ suâ, morum levitate, & rusticis agendi modis, seipsos faciunt contemptibiles.

Quintò, Denique tenenda perennis & constans cura sobrietatis ab eis, qui ad hoc officium offeruntur. Deus ipse Moysen legis suæ promulgatorem insueto ornavit jejunio, faciliorem sperans legis susceptionem, quando per manum sobrii hominis traderetur. Mirum, quàm rigidam victus rationem sibi Joannes Baptista præscripserat, cùm prædicaturus esset ipsam mundi Salvatoris præsentiam, primumque Christianæ fidei fundamentum. Venit quasi cœlestis quispiam Angelus, non manducans, neque bibens. Indignus est ore suo tractare Verbum Dei, qui crapulâ illud polluerit & intemperantiâ. Auditurus est divinum illud improperium: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* si turpis est in homine rationali vinolentia, si damnabilis in Christiano, si infamis in Religioso; execrabilis erit in concionatore, cujus os debet esse proferendis divinis eloquiis dedicatum. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Jacobi 3 vers. 11. Monstruosum id reputat Apostolus. Quis non æqualem abominabitur monstruositatem in eo qui sanctitatem eructat ex ore fœtido & profanato. Nil sanctius Verbo Dei, nil fœtidius intemperantiâ, quæ tamen in unum congregat sacrilegus & intemperans concionator. Dicat ille quàm potuerit eloquentissimè, numquam corda penetrabit auditorum; quæ scandalis offenderit intemperantiæ. Ad hoc igitur attendant, quibus incumbit cura examinis ad conciones admittendorum. Monet eos Christus Dominus: *Non mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Matth. 7. vers. 6. Rostra porcorum non apta sunt tractandis sacrorum eloquiorum margaritis. Repellant igitur ab eis, si non quos fortè viderint (quod absit) intentos magis mensarum venationi, quàm animarum. *Si non est timor Dei in illis*, monet Sapiens, *non credas vita illorum, & non respexeris in labores eorum*, Eccles. 16 vers. 1. quos præstare videntur pro comunitatis emolumentis. *Melior est enim unus timens Deum, quàm mille filii impii.* Præstat paucos, eosque probatos in messem mitti dominicam, quàm inutiles multos, qui non tam Domino ejusque Ecclesiæ forent laboraturi, quàm sibi-ipsis propriæque sensualitati.

TEXTUS & §. III.

Et approbatus.

SVMMARIVM.

Approbatio prævia prædicationis exercitio, per S. Scripturæ figuram declarata. Aptiores illi muneri judicandi sunt. 1. Pauperes spiritu; siquidem paupertas auctoritatem tribuit concionatori & amabilitatem. 2. Liberi à temporalibus curis. 3. Humiles corde. 4. Impavidi, & qui parati sunt fortia agere, & dura pati. Denique austeri in semetipsos.

INstructurus aciem Gedeon contra numerosissimum exercitum Madianitarum, dedit viris qui cum ipso erant tubas in manibus, cum mandato, ut stantes in tribus locis per circuitum castrorum hostilium buccinis personarent; per quod futurum erat, ut omnia castra Madian turbarentur, & fugerent ululantes. Viros autem per quos decreverat Dominus novum illud edere victoriæ genus, voluit ipse certis quibusdam indiciis approbari. Priùs enim quàm in dextris eorum darentur tubæ, dicebat Dominus Gedeoni: *Duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi ut tecum vadat,* Judic. 7. vers. 4. clangore buccinarum Madian profligaturus, *ipse pergat: quem ire prohibuero, revertatur.* Tubæ illæ munus figurant prædicationis, per quod strages maxima in infernalium edítur exercitu Madianitarum. Unde militem suum Dominus hâc instructum esse voluit armaturâ: *Clama*, inquit, *ne cesses, quasi tuba* Isaiæ 58 vers. 1.

exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Non tamen cuicumque de populo Dei hæc tuba porrigitur: multâ habent opus examinatione atque idoneitatis testimonio, qui sunt ad prædicationis officium deputandi. *Duc eos ad aquam*, ait Dominus Gedeoni, *& ibi probabo eos*, ad digni sint clangere buccinis, & Madian debellare. Sic & imperator seraphicæ militiæ Franciscus, idoneos pugnatores divini exercitûs collecturus, qui tubis prædicationis castra destruerent infernalia, districtè cavet, ut nullus populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro Generali fuerit examinatus, *& approbatus.* Consideremus porrò per singula eam, quam fecit Gedeon approbationem.

Primò, Delectus eorum factus est, qui non
Judic. 7. vers. 7. flexo poplite biberant, sed lambuerant aquas, manu ad os projiciente. Sic aptiores prædicationis officio reputantur, qui non toto corpore atque affectu se inclinant & affigunt super aquas terrenorum bonorum; sed eas manu dumtaxat attingunt ad simplicem necessitatis usum, illis solis contenti, quibus tegantur eorum corpora, & nutriantur. Plurimùm valet paupertas voluntaria ad Evangelicæ prædicationis publicationem, quia facit eam credibiliorem. Id luculenter expressit D.
Hom. 4 in Matth. Chrysostomus, dicens: *Talis est luminis virtus, ut non solùm luceat, sed & illuc ducat illos, qui sequuntur. Cùm enim viderint omnia præsentia nos contemnentes, & ad futura præparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Quis enim ita est amens, ut videns eum qui & ante lasciviebat, & ditabatur, omnia exutum, & ad famem, & inopiam, & duram vitam, sanguinem, occisionem & omnia, quæ videntur periculosa præparatum, non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationem? Si autem nos præsentibus implicaverimus, & immiscuerimus, qualiter poterunt credere, quòd ad possessionem alium festinemus?*
Damasc. lib. 4. de fide orthod. cap. 4. Propter hoc disponente Christo, Evangelium agnitionis Dei ita prædicatum est, ut non bellicâ violentiâ & armatis exercitibus adversarii devincerentur; sed ut pauci, nudi, pauperes, persecuti, verberati, mortificati, crucifixum in carne, & mortuum, & dominantem prædicantes sapientibus & insipientibus prævalerent.

Mirabilem etiam conciliat mundi ac terrenorum contemptus prædicatoribus auctoritatem.
Isa. 40. vers. 9. Unde monet Isaias: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion.* Cui sententiæ hanc addit D. Gregorius commentationem:
In Ezech. Hom. 11. *Qui prædicationis locum suscipit, ad altitudinem bona ascendat actionis, ad excelsa transeat, & eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat, quatenus subjectorum vitam tantò subtiliùs videat, quanto, & terrenis rebus, quas despicit, animum non supponit.* Ea est naturæ cujuscumque inclinatio, ut eum suspiciat quem sibi superiorem agnoscit, & ab eo se moneri patiatur atque doceri, in quo quid cælicum reveretur.
Vita cap. 7. num. 7. Obtulit aliquando Francisco Soldanus Syriæ multa munera pretiosa, quæ Vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Videns autem Ethnicus homo virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga illum reverentiam concepit atque devotionem. Alibi etiam retulimus, quantam contemptus divitiarum Sanctis Antonio Paduano, & Bernardino super Tyrannos contulerit auctoritatem: contra quos ingenti cum efficacia fructuque maximo invehebantur. *Sicut sagittæ in manu potentis*, ait Psalmista, *ita filii excussorum.* *Psal. 126. vers. 4.* Quod verbum profundiùs dispiciens doctissimus Osorius, intelligit *excussos* illos Apostolos fuisse, qui quasi è prædonum manibus exierunt, rebus omnibus spoliati. Subdit verò: *Franciscus quasi filius Apostolorum, eorum imitatus exemplum, reliquit omnia, nudus in certamen venit; sed similis factus est sagittæ in manu potentis; quæ non est reversa inanis, sed innumeros stravit exercitus peccatorum, potens in opere & sermone.* *Tom. 3. Conc. 1. De S. Francisco.* Et pergens deinde, addit de Franciscanis: *Eâdem potentiâ sui præditi sunt, tamquam filii excussorum. Excussus, exagitatus, ac probatus Franciscus fuit, & ejus filii similes sagittis in manu potentis, cùm per mundum universum discurrerint ad Dei gloriam propagandam.* Hi corda fidelium ad compunctionem, emendationem vitæ, Deique amorem efficaciter penetrârunt.

Nimirum Paupertas sancta formidabiles eos reddebat Magnatibus, à quibus, cùm nil sperarent temporalium accipere, nil timerent amittere, summâ eos libertate arguebant; amabiles verò popularibus erant, ut qui eos in rerum penuriâ sibi cernerent coæquari. Nil æquè reddit amabilem hominem sicut voluntaria paupertas, quæ unico ictu rescindit seminarium bellorum, litigiorum, rixarum, invidiarum & latrociniorum. Hinc mirum non est, quòd Ordo Seraphicus nil penitùs possidens in proprietatem, maximum sibi conciliârit amorem, non apud fideles dumtaxat, verùm & apud hæreticos, & barbaros quoscumque. Unde fit ulteriùs hujus Fraternitatis homines, præ ceteris aptos esse, ut veritatis verbum cunctis valeant gentibus prædicare: credibilius enim fit verbum ab eis annuntiatum; siquidem ei credit unusquisque faciliùs atque libentiùs, quem amaverit. Hæc omnia profundè penetravit B. Petrus Damianus, & expressit his verbis: *Illi dumtaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum, & dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident.* *Tom. 3. Opusculo 24. cap. 6.* Nihil *scilicet* habentes, & omnia possidentes. *Ii nimirum dum nullis terrenarum rerum præpediuntur obstaculis, expediti stant pro dominicis castris in campo certaminis: & quia rebus exuti, solis virtutum armis accincti, gladio spiritûs adversùs vitiorum dimicant acies, idonei bellatores sunt obluctantium hostium obtruncare cervices. Cui nimirum bello impares sunt & enerviter cedunt, qui communibus non contenti, peculii singularis ambiunt proprietate gravari.*

Secondò, In præmemorata legimus Gedeonis Historia, quòd ex multitudine, quæ

Judith. 7. vers. 3. cum eo erat, *recesserunt de monte Galaad. & reversi sunt de populo viginti duo millia virorum.* Hi non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël, contra multitudinem Madianitarum. Abierant ad domestica negotia, & suarum implicabantur curis familiarum. 2. Tim. 2. vers. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Militia Dei, non modò liberum requirit hominem & exoneratum à rerum temporalium impedimentis; sed expeditum quoque à tricis vilium negotiorum, & ab obligatione familiæ gubernandæ. Jusserat olim Dominus, ut exeunte Israël ad bellum contra hostes suos, duces per singulas turmas Deut. 20. vers. 5. audiente exercitu proclamarent: *Quis est homo qui ædificavit domum novam &c. Vadat & revertatur.* vers. 7. *Quis est homo qui despondit uxorem. & non accepit eam? Vadat & revertatur in domum suam &c.* Nimirum, præsumebantur detinendi domesticorum sollicitudine, nimioque suorum amore, ne bonum possent publicum ex animo procurare. Quantò magis excipiendi erunt à studio regnum Dei dilatandi, qui temporalibus sunt aut esse possunt nexibus intricati? Nulli hâc libertate feliciores, quàm Franciscani, quibus nulla possessio est, nec ullius spes relicta possessionis: quibus universus mundi campus apertus, & omne solum patria est: qui nec uxoribus, nec prolibus, nec agris, nec domibus, nec amicis sunt alligati, sed liberrimi ad excurrendum in ultimos fines terræ, ad annuntiandum Evangelium regni Dei. Hanc libertatem Apostolus egregiè tuebatur, nulli se pro re qualibet obligans temporali. 1. Cor. 6. vers. 12. *Omnia mihi licent*, inquit, *sed ego sub nullius redigar potestate.* Licet mihi temporalia acceptare; sed ne propter illa cuipiam obligatus ab Apostolico retarder officio, volo omni carere possessione. Pro hujus etiam libertatis manutentiâ, S. Bernardinus & alii quàm plures eximii concionatores, oblatas Episcopatuum dignitates recusârunt, rati multò Deo gratiùs esse discurrendo toto orbe aberrantes animas undecumque ad Patris gremium reportare, quàm intrà unius diœcesim Episcopi prædicare. Surius in Vita S. Bernard. cap. 35. Nulli quoque censendi sunt hoc esse digni officio, qui carnalibus erga personas quascumque obnoxii affectibus, cor habent impeditum, ne alis liberis ad cælestia valeat evolare, ne sola degustet quæ sursum sunt, atque ex eorumdem sapore loquatur. *Ex abundantia cordis* enim *os loquitur.* Naturale est, ut quibus interiùs abundamus affectibus, eosdem in auditores, verbis ipsoque vultu, & gestibus transfundamus. Prov. 16. vers. 23. *Cor sapientis erudiet os ejus, & labiis ejus addet gratiam.* Estque hæc præcipua pars concionatoriæ perfectionis, sinè qua concio nonnisi arida narratio est, & frigida declamatio, absque fructu aliquo, vel auditorii motu. Haud aliter, ac si plumbeam sphærulam manu jeceris, quæ pectus adversarii nequaquam penetrabit; sed si nitrati pulveris ignitâ vi è bombarba excutiatur, usque ad cordis pertransiet penetralia. Mundi fuerunt oracula S. Antonius Paduanus, S. Bernardinus, S. Vincentius Ferrerius, aliique, qui ad oris sui aperitionem haud aliter populum commovebant, quàm mundus à terræ motibus assolet agitari. Id imitamur, atqui difficilè credimus, dum eorum cernimus conciones, quas nobis scripto reliquerunt, sed suâ animâ destitutas: quibus multò cultiores modò teruntur & elegantiores; non æquè tamen penetrant declamatæ. Utique quia deest his igneus ille impetus explosionis. Singulariter id visum est in nostro B. Rogerio, cujus verba sive in sæcularibus sive in fratribus efficacissimè compunctionem excitabant atque devotionem. Rogatus verò unde id accideret, dixit: *Qui mentis elevationem in omnibus præmittit actibus, omnesque in Deum dirigit, in omnibus eum invenit suorum verborum sanctorumque conatuum cooperatorem.* Chron. p. 2. lib. 4. cap. 45. Nec mirum si ut Deus loquitur, qui eo plenus est, & pro eo solo loquitur. Quòd si declamatum verbum à libris solis & non à Deo prodeat inhabitante atque movente, erit velut floridus ramus decerptus ab arbore, & vasi aquæ impositus; qui potest quidem sensus pro tempore recreare; non tamen sicut alius succum trahens radicis, fructum aliquem germinare. Cor dicentis bene affectum, velut radix est, suos proferens fructus, & reficiens auditores.

Tertiò, Legimus dixisse Dominum ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manu ejus: *ne glorietur* vers. 2. *contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum.* Multitudo illa dimittitur, ne qua in negotio hoc superbiæ atque elevationis occasio præberetur. Sic, non arrogantibus datur tuba prædicationis; sed iis qui mites sunt & humiles corde: siquidem super hujusmodi Dei spiritus requiescit. Parum proficiet animabus sermonis Domini declamator, si pro scientiæ dotibus & eloquentiæ in superbiam fuerit elevatus; plurimùm verò fructificabit, qui se ut parvulum humiliaverit. 1. Reg. 2. vers. 21. *Magnificatus est puer Samuel apud Dominum*, ait sacra Regum historia. Quod pertractans D. Gregorius, taliter ad nostrum scribit propositum; *Novus ordo prædicatorum etsi ad magna conversa-* In 1. Reg. lib. 2. cap. 2. *tionis celsitudinem pervenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit. Magnificari quippe ante Deum non prodesset, si puer esse desisteret: quia amissâ humilitate placere omnipotenti Deo de conversationis altitudine non valeret. Quia ergo novorum prædicatorum vita, & sublimis est merito, & plana per humilitatem, Samuel aptè magnificatus & puer asseritur. Et quia ex utroque valdè accepti sunt Deo; magnificatus, non simpliciter, sed in conspectu Domini fuisse perhibetur. Per quod consequenter factum est.* Cognovit universus Israël 1. Reg. 3. vers. 20. à Dan usque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini. *Fidelis* utique in humilitate sua & simplicitate. In hoc enim cognoscent omnes quia fideles simus ministri Domini, eâque suscipiemur reverentiâ quâ S. Samuel, si juxta hujus Ordinis spiritum humiles inveniamur: in eoque vigilare debet perspicax oculus approbantium Prælatorum, ut in præsentatis veræ spiritus appareat humilitatis.

Quartò, Ablegati sunt è Gedeonis exercitu, qui erant corde pavido, neque parati

fortia

fortia agere & dura pati. Unde jubetur Gedeon cunctis audientibus ad populum prædicare: *Qui formidolosus & timidus est, revertatur.* (vers. 3.) Idem erit observandum in prædicatorum Evangelii approbatione. Invictæ debent esse fortitudinis & patientiæ. Certè veritas, quam suscipiunt magnis & parvis annuntiare, odium parit. Lux est, quam oderunt malè agentes; quia cùm ad illam eorum opera veniunt arguuntur. Hinc porrò præconibus veritatis oriuntur pericula contemptuum & irrisionum, flagellorum, carcerum, famis & sitis, tempestatum, & omnium, quas infernus evomere valeat acerbitatum. Quid igitur? Annuntiatori populo scelera eorum, *bene patientes erunt ut annuntient.* (Psal. 91. vers. 16.) Namquam io medium prodire fuissent ausi Apostoli; nisi primùm virtute fortitudinis induerentur ex alto. Clypeo muniti patientiæ, prodiernot. Audi quid Paulus Magnus prædicator suis scribit Corinthiis: *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia.* (2. Cor. 12. vers. 12.) Et in eadem Epistola viros omnes Apostolicos adhortatur: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis &c.* (2. Cor. 6. vers. 4.) Hæc habent Apostolici viri pro mercede laboris, ab hominibus expectare. Noster B. Bernardinus Feltrensis doctrinâ excellens & eloqentiâ, fuerat intrepidus dissidiorum, turpitudinum, usurarum, aliarumque injustitiarum insectator: eâque ratione pulsus est è statu Venetiarum, Perusio, Florentiâ, locisque aliis; nec tamen adigi potuit ad tacendum testimonium veritatis. (Chron. p. 3. lib. 7 c. 23.) Qui tali carent magnanimitate, si permissi fuerint in publicum prodire, plùs interdum unâ destruent impatientiâ, quàm poterunt centum concionibus ædificare.

Præter externas persecutiones miti toleratas animo, aliud erit insuper in candidatis nostris magnanimitatis specimen explorandum, num scilicet voluntariâ in semetipsos austeritate, carnem & vitia propria consueverint edomare. Insigniores Dei præcones, qui legatione functi pro Deo, iverunt ad destruendas Diaboli mundique munitiones, primos suos impetus in carnem propriam gravibus castigationibus converterunt: qua supplantatâ, facilem sibi victoriam de peccatis sunt polliciti alienis; quam sunt etiam feliciter consecuti. Unus è nominatissimus Dei præconibus fuit Elias Propheta, cujus jejunia & austeritates passim in divinis prædicantur Scripturis: *Et ipse surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* (Eccles. 48. vers. 1.) Præcursor Domini Joannes, priùs quàm divinum hoc auspicaretur prædicationis officium, *venit neque manducans neque bibens* humanum alimentum, sed *esca ejus erat locustæ & mel silvestre.* (Matth. 11. vers. 18.) *Et habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* (Matth. 3. vers. 4.) Atque ab ineunte ætate degens in deserto Judeæ, vitam agebat sic à corporalibus omnibus deliciis alienam, quasi in hoc mundo jam esset à corpore separatus. Super omnes fuit admirabilis Doctor Gentium Paulus Apostolus, qui quasi non ei sufficerent externæ persecutiones, itinerum incommoda, prædicandi assiduitas, & omnium sollicitudo Ecclesiarum; in eam singulariter curam incubuit, ut spontaneis rigoribus corpus proprium castigaret, atque redigeret in servitutem: *Ne forte*, inquit, *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* (1. Cor. 9. vers. 25.) Timebat quippe, ne postquam suorum animos auditorum expugnasset Dei Verbo, & gloriosè duxisset in fidei Christique captivitatem, ipse à corpore proprio in turpem redigeretur servitutem. E nostris, B. Nicolaus Factor priusquam conscenderet in suggestum, semetipsum disciplinâ affligebat tertiò repetitâ. (Chron. p. 4. lib. 8. cap. 22.) Primò pro suorum expiatione peccatorum: secundò ad impetrandam gratiam in auditorio suo spiritualiter fructificandi: tertiò ad satisfaciendum quoad posset pro suorum criminibus auditorum. Pœnè incredibilia sunt, quæ de B. Joannis ab Averna, B. Odorici, B. Bernardini Feltrensis, Thomaiuccii aliorumque celeberrimorum concionatorum rigoribus legimus, quàmque exquisitis modis propriam afflixerint carnem, dum Verbi divini prædicationi insisterent. Summè utilis est asperitas illa in seipsum, ad imprimendam in auditorio compunctionem, dignosque producendum pœnitentiæ fructus: ad hos faciendum permoventur magni peccatores, dum in suo vident concionatore tam arcte teriptius minora castigari peccata, ad præveniendas alterius sæculi castigationes.

TEX-

TEXTUS & §. IV.

Et ab eo officium prædicationis ſibi conceſſum.

SVMMARIVM.

Non præcurrendum periculoſâ temeritate ad prædicationis officium; ſed miſſio expectanda. Jam admiſſi, diſponant ſe ad illius officii exercitium 1. Per æmulationem excellentium concionatorum. 2. Poſtulent à Deo gratiam verbi. 3. Præmittant recollectionem mentis. 4. Jejunium. 5. Perpendant illius officii ſublimitatem, atque per hoc excitentur ad impigram illius excutionem.

CUm fames eſſet in terra Chanaan, & audiſſet, Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis ſuis: *Audivi quòd triticum venumdetur in Ægypto: deſcendite, & emite nobis neceſſaria.*
Gen. 42. verſ. 2.
Deſcenderunt igitur decem fratres ad emendum frumenta, Benjamin, minimo illorum, domi retento à Patre, dicente: *Ne fortè in itinere accidat illi aliquid mali.*
verſ. 4.
Hujus hiſtoriæ myſticam tradens interpretationem magnus Antonius Paduanus, ait: *Status prædicationis ſignificatur in miſſione filiorum Iſraël in Ægyptum. Fames enim valida, ſignificat in viris ſanctis deſiderium prædicandi, & fructum faciendi.*
Serm. 4. de Apoſt.
Non enim ſola invenitur fames panis & ſitis aquæ, verùm etiam Verbi Domini, in quo maximè vivit homo, ejuſque anima confirmatur. Pro hujus inopiæ malo temperando, aliqui de filiis Jacob mittuntur in Ægyptum, alius à Patre domi retinetur: *Ne fortè in itinere accidat illi aliquid mali.* Iſte eſt Benjamin. *Per quem*, inquit D. Antonius, *novitii ſignificantur, & contemplativi, & qui non ſunt idonei ad prædicandum; ſed remanentes, pro exeuntibus orare debent.* Per quod docemur non præcurrere ad prædicationis officium, ſed miſſionem attendere Prælatorum; *ne fortè* præſumenti, *in itinere accidat aliquid mali*: quod ſanè timendum eſt iis, qui citra ſufficientiam, majora quàm valeant aggrediuntur. *In præcipitio pedem porrigit, qui menſurarum limitem non attendit: & plerumque amittit quod poterat, qui audacter ea, ad quæ pertingere non poteſt, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc bene miniſteriis utimur, cùm ſua diſtinctè officia, ſervamus. Lucem quippè oculis cernimus, vocem verò auribus audimus; ſi quis autem mutato ordine, voci oculos, luci aures accommodet, huic incaſſum utraque patent.*
D. Greg. 28. Moral cap. 11.
Bene itaque David: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.
Pſalm. 30. verſ. 1.
Super ſe quippe in mirabilibus ambularet, ſi apparere magnus ultra quàm poterat quæreret. Super ſe namque in mirabilibus attollitur, qui & in his, ad quæ non ſufficit, idoneus videri conatur. Bene intrà has menſuras etiam in ipſa Paulus prædicationis ſua latitudine ſe coarctabat, dum diceret: Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.
Rom. 15. verſ. 18.
S. Paulus ſibi-met diffidit, quomodo audent iſti ea, quæ apertè Deus per ipſos efficere non decrevit? Videre eſt nonnullos, prædicationis officio veraciter inſufficientes, illud tamen vehementi & inquietò ambire deſiderio, atque ex deſiderii vehementia diebus ac noctibus inſudare concionibus aggrediendis, & quibuſcumque præclaris dictis, quæ occurrerint exſcribendis, nec aliud in ſua revolvere imaginatione, quàm inſignis præſentiam auditorii: quaſi coram eo declamantes, & exclamantes, & exhortantes; cùm tamen omnium judicio ut ſtuheſcentes inidonei reperientur. Non levis eſt ea tentatio, ſic detinens hominem in impoſſibilibus, fingens ſpecioſas animarum utilitates, & tempus in futilibus iſtis meditationibus optimè collocarum. Providè contra illam præmonet Sapiens: *Non te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata.*
Eccleſ. 7. verſ. 7.
Expecta quoadusque legitimâ auctoritate in populum immittaris, eidem verba Domini prædicaturus; ne alligando tibi onus importabile muneris alicujus, tibi duplices peccata, per inſufficientem ejuſdem adminiſtrationem. Quòd periculum à Filiis ſuis amoliri volens Seraphicus Patriarcha Franciſcus ſtrictiſſimè cavet, ut nullus populo audeat prædicare, *niſi à Prælato legitimo ſibi officium fuerit prædicationis conceſſum.*

Illi verò quibus jam ritè examinatis & approbatis ſanctum illud officium fuerit conceſſum, ſeriò applicent animum ad ſe illi congruè præparandum.

Primò, Si deprehenderint aliquando in viris quibuſdam inſignioribus dotes aliquas huic officio opportunas, magno animo eas ſatagant æmulari; ſi de earum ſint numero, quæ humano ſtudio valeant comparari. Ut ſunt: dicendi gravitas, pronuntiationis & accentûs grata cadentia, decens corporis compoſitio, copia vèrborum in idiomate populari, & ſimilia id genus. Quæ licèt à natura atque affectuum impetu ut plurimùm enaſcantur, arte

tamen

tamen quadam & studio acquiri possunt, & adhiberi ad corrigendam rusticitatem quamdam quæ naturam assolet prævenire. Displicet interdum auditorio Dei Verbum, aut non tam avidè capitur, ob inconditum dicentis situm, ululatum vocis, loquendi præcipitantiam, aliaque vulgaria vitia, quæ populo solent fastidium generare. Cur agrestis ille atque incultus perorandi modus non possit studiis emendari præparatoriis, cum alia hominum exercitia videamus artibus expoliri? *Favus mellis composita verba*; non quidem affectatâ simulatione, ad vanitatem composita proprii honoris; sed juxta divini Verbi atque apostolicæ eloquentiæ, morúmque honestatis regulas composita, ad efficaciorem pertractionem animarum. De quo magister bene dicendi D. August. scribit in hæc verba: *Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit, docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoria.* Quæ cùm sint vera concionatoris officia, minimè supervacaneus erit labor sese ad nitorem dicendi assuefacere, quo sui reverentiam injiciat auditori, disponatque efficaciùs ad persuadendum suæ delectatione locutionis. Nullus igitur dedignetur ad rectè perorandum doceri: minimè autem aliquis indigetur, si quis auditorum declaret amicè vitia aliqua ad emendationis effectum.

Prov. 16. vers. 24.

Lib. 4. de Doctrina Christ. cap. 12.

Secundò, Quæ nequeunt humanâ acquiri industriâ, è cœlis sunt orationum præsidio postulanda: nec deerit sanctus ille Spiritus, qui rudes & idiotas Apostolos, suæ dono gratiæ reddidit eloquentes. Dum S. Bernardinus fuisset aggressus ministerium prædicationis, quibusdam ad illud inidoneus videbatur, tum ob corporis teneritudinem, quæ non sineret ad loca diversa proficisci: tum ob vocis raucedinem, quæ eum haud longiùs pateretur audiri. Vir Sanctus animi dubius, an à suscepto cessaret studio concionandi, ad Deum confugit, sublatisque in cœlum oculis obnixè rogavit, ut si quidem gratum ei foret se in prædicandi functione permanere, propter sanctissimæ Matris suæ merita sanaret vitium gutturis, magnum voci suæ afferens impedimentum. Non irrita fuit oratio: enimverò Deus ob suæ Matris intercessionem insigni miraculo, vitium illud è gutture depulit, immisso ignito globulo, quo linguæ raucedo excocta & curata fuit: insuper tam stupendæ facundiæ addidit incrementum, quæ postea in stuporem totam pertraxit Italiam. Vox ei erat lenis, clara, sonora, distincta, explicata, solida, penetrans, plena, redundans, elevata atque efficax: ut ad id quod jussus susceperat, proferendi in vulgus sermonis officium, rectè illi ad nutum formata videretur. Quæ ita suavis erat, ut cum suavitate admistam haberet dignam quamdam gravitatem; ita robusta, ut condita esset magnâ lenitate; ita aperta, ut non solutiùs tamen illa deflueret. Quæ præterea aptis quibusdam & decentibus modis ita instruebatur, ut major nimirum inde ejus dignitas, gratiorque expectatio nasceretur. Et cùm jucundus suâ ipse naturâ esset, gravissimis etiam sententiis suis quosdam lepôres sæpiùs intermiscebat, ut fastiditos aliàs audientium animos, talibus quasi dulcibus pabulis recrearet, recreatosque proinde ita etiam efficeret attentiores. Accedebat his venustas oris, lætitia vultûs, totiusque decor corporis, aptissimi etiam & rei cuilibet, quæ exponenda foret, congruentissimi gestus. Unde fiebat, ut tot ac tantis ad dicendum adminiculis adjutus, tria quæ in oratore exiguntur, mirâ ille divinâque gratiâ supra omnes assequeretur. Nam & cuncta quæ dicturus erat meliùs docebat, & animos audientium magis delectabat, & vehementiùs eos movebat, atque ad quæcumque placuisset ardentiùs incitabat.

Annal. Tom. 5. an. 1405 num. 4.

Annal. Tom. 5. an. 1415. num. 15.

Has dotes Vir Dei non tam exercitationis labore, quàm precum studio fuerat assecutus. Eamdem viam nobis patentem demonstrat B. Jacobus Apostolus dicens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est; descendens à Patre luminum.* Si primùm exorienti Ecclesiæ Christianæ Spiritus Sanctus in favorem Verbi divini concessit Apostolis, ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum, quia necessarium erat, ut sic Evangelii prædicatio mundo innotesceret universo; sperandum est eumdem Spiritum non minora daturum orantibus in sui Verbi favorem, atque instruendarum commodum animarum. Quàmvis Apostolis frequenter promissus fuisset Spiritus Sanctus cum donis suis, & Christus etiam eos dirigens ad prædicandum suâ confortasset benedictione; tamen pro donis illis desuper impetrandis *erant omnes perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jesu & fratribus ejus.* Nos igitur eam caveamus præsumptionem, ut dona Dei huic officio necessaria, per orationem petere negligamus, & Mariam Matrem Jesu aliosque cœlestes adhibere mediatores, ad certiorem eorum impetrationem. Quis solemniùs & evidentiùs fuit a Domino ad hoc vocatus officium, quàm Paulus Apostolus? Sæpè tamen & instanter à fidelibus orationum expolcit suffragia ad perfectam administrationem. Orate, inquit, omni tempore *pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.* Item ad Colossenses: *Orationi instante... orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Idemque à Thessalonicensibus postulans ait: *Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur.* Sic opem omnium & preces implorabat pro adipiscendis prædicationis dotibus, ille Paulus, qui erat ab ipso Domino Jesu vocatus Apostolus, & segregatus in Evangelium Dei.

Jacobi 1. vers. 17.

Act. 1. vers. 14.

Ephes. 6. vers. 19.

Coloss. 4. vers. 3.

2. Thess. 3. vers. 1.

Tertiò, ante inchoandum exercitium prædicationis, suo nos exemplo docuit Christus aliquantisper in recessum secedere solitudinis. Cum jam approbatus esset à Patre, & ab eo sibi concessum prædicationis officium, per visibilem Spiritûs Sancti descensum, in specie columbæ venientis super eum; *tunc Jesus ductus est in desertum*; ibique degens quadraginta diebus & noctibus, cum satana luctabatur,

Matth. 4. vers. 1.

vers. 17. & Angelorum ministeriis utebatur. *Exinde* prodiens *cœpit prædicare & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* Sic futuros erudiebat concionatores, à vulgari se abstrahere populo: tum ad majorem verbo suo conciliandam auctoritatem: meliora siquidem judicamur, quæ insolita sunt & rariora: tum ne viles populi mores nimiâ contrahant conversatione; ad hos enim descendent, nimiùm se committentes imperfectæ communitati, super quam tamen debent doctrinâ & moribus eminere. Solitudo verò & abstractio tempus præbent & libertatem mores Angelicos induendi, ad quos postea trahere valeant auditores. Demum cùm vita prædicatoris mixta esse debeat ex activa & contemplativa, hanc expedit agere in solitudine, ibique pastum colligere populo distribuendum.

Greg. lib. 6. Moral. cap. 21. *Quisquis se per activa vita opera extendit, nequaquam ei sufficit magna exterius agere, nisi etiam per contemplationem valeat interna penetrare. Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est, quòd humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibet, & ad orationis studium in nocte pernoctat, ut perfectis prædicatoribus innuat, quatenus nec activam vitam amore contemplationis funditùs deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate confundant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad proximi utilitatem reditur.*

Quartò, Aliud præparatorium ad prædicationis exercitium est Abstinentia, quâ vitiis expurgatis, maximè carnalibus, vividior spiritus atque vegetior efficitur, magisque dispositus ad Dei gratiam suscipiendam. Redemptor noster, per solitarium recessum se ad hoc opus accingens, in seipso nobis cultum abstinentiæ præmonstravit. Et hoc futurum divini Verbi præconem convenit æmulari, ut dum se fotis inter gulæ ventrisque invenerit irritamenta, jam didicerit contra illorum luctari appetitus, eosque reprimere. Nec minori contentione contra cæteras luctabitur pravas inclinationes, ut in mediam descensurus arenam, bellumque pro dilatando Dei regno suscepturus, primùm sui-ipsius victor appareat extitisse. Prævideat quæ sibi timuerit eventura, quæ vel jam aliis meminerit accidisse, eademque sibi forti proponat animo superanda. Præclaram hujus præconsiderationis formam Dominus apud S. Job delineavit sub figura generosi equi ad prælium præparati. *Glo-*
Job 39. vers. 20. *ria narium ejus, terror*; dum hostes subodoratur, ita commovetur ad eos proterendum, ut jam tum terrorem eisdem incutiat: *terram ungula fodit*, quidquid sub ipso est conculcat & conterit, sive carnem propriam, sive quodlibet temporale: *exultat audacter*, quasi certum felici suo spondens triumphum: *in occursum pergit armatis*, venturas antevertens tentationes: *Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus: fervens & fremens sorbet terram*, quidquid a mundo vel inferno potest occurrere, sperat discerpere dentibus & devorare. *Nec reputat tuba sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitûs.* Quidquid sacri Doctores de virtute dixerunt, de fortitudine, de victoria tentationum, sibi dictum existimat, & generosam induens ferocitatem, adversùs omne illud erigitur, quod suo Domino viderit adversari. *Vidi cœlum apertum*, inquit
Joannes, *& ecce equus albus, & qui sedebat super* Apoc. 19. vers. 11.
eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum justitia judicat & pugnat. Et vestitus erat veste aspersâ sanguine: & vocatur nomen ejus: Verbum Dei. Eques ille manifestè est Dominus Jesus, Fidelis & Verax, imò ipsa Veritas. Vestem carnis habet passionis sanguine rubricatam, & nomen ejus Verbum æterni Patris nullus ambigit appellari. Porrò equus albus super quem sedet, & quo per mundum devehitur universum, est verbi divini prædicator, sicut ipse de gentium dicebat Apostolo, *quoniam vas e-*
lectionis est mihi iste, ut portet nomen meum co- Actor. 9. vers. 15.
ram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Debet igitur ille præscriptam induere cœlestis equi generositatem.

Quintò, Agnoscant sancti illius atque sublimis officii dignitatem suosque animos ad illius erigant eminentiam. De verbi Dei prædicatore accipi potest, quod olim de Simone Oniæ filio declamavit Ecclesiasticus: *Quasi stel-*
la matutina in medio nebulæ, & quasi luna ple- Eccles. 50. vers. 6.
na in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens. Haud satis laudari possunt sublimes illæ animæ, quæ velut aquilæ non modò feruntur in altum, sed secum etiam plures evehunt alios atque à terrenis abstrahunt desideriis. Benedicti vos à Domino magistri populorum, argenteæ tubæ veritatis, fulmina dæmoniorum, duces castrorum Dei, Angeli Altissimi, arcæ sapientiæ, animarum medici, Jesu Christi coadjutores fidelissimi. Vestram dignitatem agnoscens B. Catharina Senensis, præ devotione & reverentia, Ludov. Granat. Silva loc. comm. clas. fo. 3.
quandoque vestigia obsculabatur, quæ pedes calcaverant Evangelizantium.

Ne torpeant igitur damnabili otio, qui tanto sunt digni honore putati; scientes gravissimum judicium super eo prolatum, qui acceptum donum non ad usuras exposuit, sed in sudario repositum asservavit. Mirum quo- Luc. 19.
modo quidem inerti torpentes silentio securi esse possint, quando D. Gregorius diligentissimus prædicator trepidans ait: *Quid nos, O Pastores, agimus, qui & mercedem consequi-*
mur, & tamen nequaquam operarii sumus? Fru- Hom. 17. in Evang.
ctus sanctæ Ecclesiæ in quotidiano stipendio percipimus, sed tamen pro Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit sinè labore hic percipere mercedem, peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere. Hæc tametsi directè Pastoribus profe-

rantu

tantur æquè tamen nos concernunt Religiosos, si ignavo dediti otio peccata populi comedamus.

Desides aliqui honestum prætexunt excusationis velamen, dicentes, se malle Deo colloqui quàm hominibus. *Fortè*, inquit Bernardus, *appetis contemplationis quietem: & bene facis; tantùm ne obliviscaris flores, quibus lectulum Sponsæ legis sparsum. Ergo cura & tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tamquam flore fructum sanctum otio prævenire. Alioquin delicato satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglectâ solis cupias Rachelis amplexibus oblectari.* Erras, si opinaris contemplativam vitam acquiri posse non præviâ activâ, bonisque operibus ad charitatem proximi proficientibus. Non nisi laborantes pro Domino suo ad mensam admittuntur, & manna spiritualis consolationis. Alio item detinentur errore, qui putant ab omni vacandum externo opere, si fortè semel ad aliquem Dei gustum admissi fuerint, omnemque curam proximi intermittendam, ad vacandum soli cœlestium contemplationi *Cùm quamlibet parum de divina cognitione percipimus, redire ad humana jam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus; quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud nisi hoc quod sine labore animum reficit amamus. Sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, narrare quæ nobiscum acta sunt præcipit, ut videlicet mens priùs desudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem.* Non ad solos amplexus invitat Sponsus, sed ad vineas etiam excolendas, quæ sunt animæ, sui pluviâ sanguinis irrigatæ.

Serm. 46. in Cantica.

D. Greg. lib. 6 moral. cap. 28

Luc. 8. vers. 19.

Excussis hujusmodi erroribus & futilibus excusantibus ad defensionem pigritiæ concinnatis, D. Bonaventura rem hanc absolvit, docens quid resolutoriè statuendum, & qualiter mentem dirigant ad sacrum hoc officium deputati. *Sic debet esse modus disponendi se*, inquit, *ut possit quis fructificare in proximo sine sui detrimento, ne in procuranda aliorum salute, propria negligatur aut suffocetur. Primò igitur faciem mentis ad æternum lumen converte, & ad ejus splendorem: conforta spiritu, ut non prævaleat caro; abstine ab exteriori homine, quantùm potes, ut sis solus interior ad interiora conversus. Tunc eumdem interiorem hominem in proximo considera; de exteriori nisi in quantùm ad interiorem ordinatur, non curans. Tunc interior tuus homo ad interiorem proximi convertatur, & utriusque exterior in supradictis actibus tamquam vanitas negligatur, ne ad vana trahatur. Ipsum ergo exteriorem proximi hominem tamquam saccum stercorum relinquens, considera interiorem ad imaginem Dei factum, sanguine Christi redemptum. Tunc honoris Dei sitibundus ingemisce, quia imaginem ejus videt denigrari, sanguinem conculcari, Spiritûs Sancti habitaculum pollui, sponsam Christi prostitui, beatitudinem suam pro stercoribus contemni. Si Mardochæus pro corporali morte Judæorum imminente tantum lamentum assumpsit, quomodo non lugemus pro tanta strage animarum? Animetur ergò Vir justus omnibus modis animas à peccato revocare, & simul ab inferno liberare. Aliàs quomodo potest dicere se diligere Deum, qui ejus imaginem jacere videt in sterquilinio, & non curat?* Hæc Bonaventura, seraphicis accensus desideriorum ardoribus, quibus erga salutem æstuabat proximorum, quæ utinam in nostra pectora profundiùs illabantur.

Stim. Amoris part. 2. cap. 11.

TEXTUS & § V.

Moneo quoque & exhortor eosdem Fratres, ut in prædicatione quam faciunt, sint examinata eorum eloquia.

SUMMARIUM.

Concionator est guttur Ecclesiæ. Per ipsum debet in corpus illud mysticum transmitti ruminatum & examinatum eloquium. Itaque necessarium est illi. 1. Generale studium scientiarum. 2. Particulare examen dicendorum in concione. Eo tamen non *indigent aliqui, à Deo specialiter illustrati. 3. Omnium dicendorum masticatio, per præviam orationem. Expeditur dubium circa illa verba:* Cùm steteritis &c. nolite cogitare, quid loquamini &c.

Matth. 10. vers. 19.

Divinus Sponsus, in Cantico dramatis, speciem Ecclesiæ Sponsæ suæ describens *Guttur tuum*, inquit, *vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus ejus ad ruminandum.* Quæ verba D. Gregorius de Prælatis & Doctoribus, seu concionatoribus Ecclesiæ interpretatur. *In gutture quippe vox est. Per guttur ergo ipsa prædicatio designatur.*

Cant. 7. vers. 9.

Hæc *vinum optimum* esse dicitur, quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum obliviscantur, & non lassentur currentes in anteriora. *Dignum dilecto meo ad potandum* Dilecti nomine, inquit Ludov. de Ponte, quemcumque justum possumus intelligere, qui dilectus Christi Domini nuncupatur. *Labiisque & dentibus ad ruminandum.* Notandum ait D. Gregorius, quòd omnes potant, sed labia sola & soli dentes ruminant: quia dum Ecclesia per sanctos suos prædicat, omnes quidem audiunt, sed non omnes, quanta sit virtus sententiarum quæ dicuntur vel leguntur, discernunt. *Labia verò & dentes ruminant*; quia perfectiores quique, dum audita & lecta examinando recogitant, quasi ad os revocantes quod sumpserunt, cibum ruminando comminuunt, & memoriæ stomacho digestum, in totius dispensant corporis Ecclesiæ nutrimentum. *Hujusmodi dentes*, inquit Bernardus, *ego arbitror homines monasticæ professionis, qui viam compendiosiorem & securiorem vitam eligentes, de toto corpore Ecclesiæ, quod candidum est, candidiores esse videntur.* Eisque pulcherrimè adaptat singulas corporalium dentium conditiones. Horum igitur officium est ruminare cibum divini Verbi, & reliquis membris Ecclesiæ ministrare. Hoc à filiis suis expostulat Franciscus præsenti textu Regulæ, dicens: *Moneo & exhortor fratres meos, ut in prædicatione quam faciunt, sint examinata eorum eloquia.* Requirit examinata eloquia, masticata ab eis & ruminata priùs quàm aliis membris Ecclesiæ dispensentur.

De Ponte hic.

Serm. 63. ex parte.

Ne verò quid intempestivum & inconsideratum ex Concionatoris ore contingat elabi, ex quo nonnisi Dei Verbum audiri debet, ad tres limas omnia necesse fuerit examinari.

Primò, Ad generalem doctrinam, accurato longoque studio comparatam. Quàm id foret necessarium, probè intellexit magnus divini Verbi præco B. Joannes Capistranus, qui in Constitutionibus suis, quas existens Vicarius generalis cismontanus Observantum edidit, validè commendaverat studium sacrarum litterarum, præceperatque ut in omnibus Provinciis Vicarii domos aliquot doctrinæ capessendæ deputarent. Fuerunt qui se huic constituto opponerent, dicentes insulsè scientiam virtuti esse contrariam, neque facilè Religionem in sua humilitate, & reformationis puritate posse conservari, ubi tumescentes Magistri inflatos adolescentes vanâ imbuerint doctrinâ. At Capistranus spiritum secutus optimi sui præceptoris S. Bernardini, supinam Ignorantiam à Fratrum cœtu studebat arcere; sciebat enim optimè, quot & qualia sequantur incommoda ex inscitia, præsertim eorum, qui cœlestia tractant mysteria, sacramenta peragunt divina, & conscientias dirigunt alienas. Scripsit itaque litteras increpatorias ad hoc ignorantiæ & insipientis simplicitatis (eo nomine honestabant litterarum imperitiam) periculosos tutelares, acriterque invectus in sui decreti refractarios, ostendit multis iisque manifestis rationibus, quàm sit necessaria divinæ legis, sacrorumque codicum scientia in Religione, proinde præceptum fuisse à Pontifice Eugenio IV. & Dominis Cardinalibus, ut scholæ in omnibus provinciis instituerentur.

Annal. Tom. 5. an. 1444. num. 55.

De eodem argumento videatur Seraphicus Bonaventura quæst. 3. circa Regulam, & in Epist. ad Magistrum Innominatum, cui inter alia sic scribit: *Ut scias, quantùm Francisco placuerit studium S. Scripturæ, audivi ego à Fratre qui vidit, quòd cùm novum Testamentum venisset ad manus ejus, & plures Fratres non possent simul habere, dividebat per folia, & singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret.* Est post pauca: *Quos magis decet Evangelium docere, quàm qui Evangelium profitentur & servant? Nam cùm dicat Evangelium*: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; *quis sanæ mentis dicat, ut Magister & Frater Alexander Alensis dives debuerit prædicare & docere*; Beati pauperes spiritu; *& pauper effectus debuerit reticere? Certè si Fratres decet addiscere, & ruminare tamquam munda animalia, verba divina, & sibiipsis sufficiunt in docendo: quis tam stultus est, ut dicat quòd doctrinam quam eos decet facere & docere, debeant à non facientibus mendicare?* Ubi ostendit Minores non tantùm discere posse, sed etiam docere; quod inferiùs cap. 10. ampliùs demonstrabitur.

Matth. 5. vers. 19.

Neque alienum habuit animum vir ille sanctus à docendis in Ordine Philosophicis, Canonibus Ecclesiasticis aliisque scientiis, quæ merè humanæ videntur. Unde in opusculo quod intitulavit *De reductione artium ad Theologiam*, præclaro artificio modum docuit eas disciplinas ad scientiam Theologicam reducendi, per easque aditum inveniendi ad sacrorum intellectum mysteriorum. Unde tractatum illum in hæc verba concludit: *Hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus ædificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, quæ sunt in unione Sponsi & Sponsæ. Quæ quidem unio fit per charitatem, ad quam terminatur tota intentio Sacræ Scripturæ*, & consequenter ejusdem prædicatio. Hinc etiam supradicto Magistro Innominato Philosophicum studium in Ordine reprehendenti, respondet: *Lege Augustinum De Doctrina Christiana, ubi ostendit, quomodo non potest intelligi sacra Scriptura, sinè aliarum scientiarum peritia. Ostendit etiam, quòd sicut Filii Israel asportaverunt vasa Ægypti, sic Doctores Theologi doctrinam Philosophiæ. Unde multa quæ non didicimus per Philosophos de dictis Philosophiæ, didicimus per Sanctos.*

Stolidos illos studiorum impugnatores admodum appositè noster Joannes Vitalis comparat Philistæis, de quibus divina narrat Regum historia: *Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel: caverant enim Philistiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Quem locum Auctor ille sic interpretatur: *Fabri ferrarii sunt Doctores Philosophi, qui acuunt ingenia, & præparant instrumenta ad bellandum contra hæreticos, & ad poliendum aurum, & ad fodiendos puteos, unde aqua limpida scaturiat.* Sapiens igitur providentia est omnimodam sibi parare scientiam, earum etiam rerum, quæ numquam viderentur usui futuræ; serviet enim

1. Reg. 13. vers. 19.

Spec. Moral. V. Correctionis defectus.

Prov. 10. verſ. 5. enim dum minimè cogitabitur. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt; qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.* Æſtas noſtra ætas eſt juventutis, capax maximè diſciplinarum; gravia ſibi verſ. 4. parat incommoda, qui eam vult in ignavia prætetire. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortium divitias parat.* Divitias certè ſibimet-ipſis & proximis omnibus profuturas.

Secundò, Præter amplam doctrinæ proviſionem diutino ſtudio comparandam, commodamque ſacrarum quæſtionum, quæ poſſent occurrere, diſcuſſionem, aliud etiam erit immediatius inſtituendum examen de materiis ſingularibus auditorio proponendis, cui erit Eccleſ. 5. verſ. 1. inſtans concio facienda. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo*, in cujus te nomine dicere profiteris. Quantùm quis amat veritatis certitudinem, tantùm laboris adhibet ac diligentiæ, ad revidendam eam & denuò inveſtigandam, ut eam ſecuro animo valeat e- Eccl. 21. verſ. 28. nuntiare. *Verba prudentium ſtaterâ ponderabuntur*, ne quid leve, vel inutile, vel inordinatum; aut offenſivum, aut minùs verax proferant, aut indecorum. In quo non mediocriter peccant extemporanei quidam concionatores, qui ſuo judicio ſemper parati tempore quolibet audent conſcendere cathedram & perorare. De vanis talibus, glorioſis, nimiùmque ſibi fidentibus declamatoribus rectè Quintilianus pro- Inſtitut. lib. 10. cap. 7. nuntiavit: *Qui ſtulti videri eruditi volunt, ſtulti eruditis videntur.* Conciones ex tempore habitæ, ſunt ut plurimùm pleniſſimæ vanitatis, neque initium aptum; neque finem habentes, periculoque verboſæ ſubjacent redundantiæ & vaniloquentiæ, quam caveret facilè ſedula præmeditatio. De familiarium con- Eccleſ. 4. verſ. 34. greſſu colloquiorum monuit Sapiens: *Noli citatus eſſe in lingua tua*; quantò magis id obſervandum in communitatis integræ conſeſſu, in quo ſenes, docti, naſuti, & omnis adſunt Annal. Tom. 7. an. 1484 num. 15. generis ingenia. B. Cherubinus Spolitanus quàmvis doctiſſimus eſſet totumque vitæ tempus in arte prædicatoria conſumpſiſſet; numquam aut rarò concionabatur, niſi longo præmiſſo ſtudio ea præviderer, quæ erat dicturus. Interrogatus à Joanne Baptiſta Sabello Cardinale, ut quid tantoperè ſtuderet, tot annis à juventute in hoc genere dicendi exercitatus? Reſpondit: *Etſi, Domine, longo & quotidiano concionandi uſu, in promptu habeam quæ proferam, attamen non auſim prædicare, abſque ſeptem ſaltem horarum ſtudio: tum propter ſacræ Scripturæ, quam explicaturus ſum reverentiam, & profundam meditationem; tum ut mihi-ipſi priùs quàm aliis contemplando, & orando poſſim prædicare.* Sic edicebat verbum examinatum, probatum ſeptuplum, in ſuo corde priùs diſſeminatum, quod in auditoribus abundantiùs fructificaret.

Hujus igitur aliorumque imitatione, ſollicitam apponamus curam ea colligendi, quæ conſideratis auditorii conditionibus, coram quo dicturi ſumus, fuerint opportuna, quæque affectus eos quos intendimus, in ipſos valeant ſuſcitare. Totam etiam materiam tam aptâ faciamus connexione cohærentem, ut poſſit facilè retineri. Laborat plurimùm in ſuggeſtu memoria circa proferendas materias, quæ ſcopæ fuerint diſſolutæ, & anxietas obliviſcendi ſic occupat dicentem, ut nil poſſit cum vi ſpiritus edicere, ſed aridè ſolùm & recitativè. Dum res ſubtiliores fuerint proponendæ, tot modis formiſque repetendæ & evolvendæ, ut ſperemus ſtupidiſſimum etiam intellecturum. Aliàs injuria fit Verbo Dei, cùm crudè prolatæ ſententiæ, nec ſufficienter explicatæ, in adverſo ſenſu, malo vel ridiculo accipiuntur. Divinæ res, quæ hîc tractandæ ſunt, ad mortem vitamque pertinent animarum, adeòque nonniſi ſumma cum attentione, reverentia & maturitate ſunt pertractandæ. Sanè communis populus, cui propter obſcuritatem meritò interdicitur lectio Scripturarum, juſtam contra nos habebit occaſionem querulandi, ſi nos diſpenſatores myſteriorum Dei, oſcitabundè tractando divina verba, ipſis ea ſinè ſufficienti obtrudimus explanatione. Cùm enim ſcriptum ſciant, quòd *labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam*, jure merito *le-* Malach. 2 verſ. 7. *gem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* De locis igitur Scripturæ tractandis, ſolerter inquirat prædicaturus Patrum ſententias, aliorumque Expoſitorum. Similis erit cautio in referendis aliis hiſtoriis adhibenda, ut ſi parumper ſuſpectæ fuerint, probatos auctores ſuper earum conſulat veritate. Plurimum auctoritatis accedit dictioni, ſi bene connexa & diſpoſita apparuerit & præmeditata.

Dicet fortaſſe quiſpiam, multos meliùs ſinè prævio ſtudio prædicaſſe. Ipſe Franciſcus, Vita ejus c. 12. nu. 7. cùm ſemel prædicaturus coram Papa & Cardinalibus, ad ſuggeſtionem Domini Hoſtienſis, ſermonem quemdam ſtudioſè compoſitum commendaſſet memoriæ, ſtetiſſetque in medio, ut ædificationis verba proponeret, ſic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omninò neſciret. Verùm cùm hoc veridicâ humilitate narraſſet, conferens ſe ad Spiritûs Sancti gratiam invocandam, tam efficacibus cœpit ſubitò verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum ſublimium ad compunctionem inflectere, ut apertè clareret, quòd non ipſe, ſed Spiritus Domini loquebatur. Item F. Hieronymus Stuffius, cum Chron. p. 3. lib. 5. cap. 29. fuiſſet in fratrem laicum initiatus, per humilitatis & charitatis opera, oratione mediante claroque ingenio, in tam profundam penetravit intelligentiam ſcripturarum, ut coactus fuerit à Superioribus ſacerdos fieri & concionator. Abſque libris declamavit eloquentiſſimè Mediolani, Florentiæ, Venetiis & Paduæ cum fructu maximo conſcientiarum. Rogatus aliquando, unde tantam hauriret doctrinam, Crucifixum monſtrans ajebat, ſe quæ diceret è vulneribus promere Crucifixi. Similia de B. Joanne Firmano legimus, de F. Se- Annal. Tom 3. an. 1122. num. 32. Tom. 6. an. 1460. num. 47. raphino Theatino, & aliis. Verùm hæc ſunt extraordinariæ Dei benignitatis portenta volentis aliquos ſinè ſtudio prævio ſolà ductrice Sancti Spiritûs gratiâ in admirabiles Apoſtolos ſublimare; minimè autem trahenda ſunt ab aliis in exemplum. Non cum omnibus, neque ſemper, viſum eſt Spiritui Sancto ſimiliter agere. Propter quod etiam Vir Dei Franciſcus,

more aliotum fetvorum Dei, facras evolvit litteras, fuifque fratribus (ut fupià vidimus) tradidit evolvendas.

Tertiò, Dum res dicendæ congregatæ, fcriptæ, difpofitæ atque memotiæ mandatæ fuerint tamquam aliis enuntiandæ, eafdem priùs velut nobif ipfis dictas aecipiamus, fintque nobis inftructionis fpiritualis materia ad mores proprios componendum, vel ad amorem Dei timoremque in nobis fufcitandum. [1. Cor. 9. verf. 7.] *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edet?* Concionator vineam plantat & colit, unde lachrymæ pruveniant pœnitentium, quæ vinum funt Angelorum; verè antem infelix eft, fi non ipfemet de fructu illius edit, ut dici de illo poffit: [Ecclef. 17. verf. 21.] *Eft vir aftutus multorum eruditor, & anima fua inutilis eft.* Mirum etiam in modum auditoribus ipfis proficiet eibus ille fpiritualis, fi priùs in corde prædicatoris ttitus fuerit atque digeftus. [1. Cor. 3. verf. 2.] *Tamquam parvulis in Chrifto*, fcribit Coriothiis Paulus, *lac vobis potum dedi, non efcam.* In lac debet effe converfus cibus Verbi Dei, priufquam parvulis porrigatur; adeòque prius ab ipfius prædicantis ftomacho digeftus, in ipfius etiam fuiffe converfus alimentum. Quòd fi propria fua non guftaverit ipfe, nec iis interius alteretur & commoveatur, qualiter alii commovebuntur? Quòd fi commovendi non funt, ad quid in vanum aëtem verberare? Quæ igitur aliis apponenda paravimus, eadem fumamus ad cor, & pectore proprio recondamus Illud repoto fubtiliffimum examen & fecutiffimum, io quo fuprema Sapientia fuo fingulari concurrit lumine, & difertam facit linguam & expeditam, velut ealamum fcribæ velociter fcribentis. Tunc [Prov. 16. verf. 23.] *cor fapientis erudiet os ejus & labiis ejus addet gratiam*, dum feripta fua non ex aridâ recitaverit memoriâ, led in cor demiferit verba faocta, atque inde deprompferit auditorio.

Hæc praxis olim prædicaturo mandata fuit Ezechieli. [Ezech. 3. verf. 1.] Dixit ad eum Dominus: *Fili hominis comede volumen iftud, & vadens loquere ad filios Ifrael. Et aperui os meum, ait* Propheta, *& cibavit me volumine ifto.* Et iterum: [verf. 10.] *Fili hominis, omnes fermones meos quos ego loquor ad te, affume in corde tuo, & auribus tuis audi.* Et deinde fuit ei data commiffio prædicandi; [verf. 11.] *Vade ingredere ad tranfmigrationem ad filios populi tui, & loquêris ad eos.* Mirum quàm inexpectatos fuggerat conceptus, & rationes ad movendum efficaces hæc materiarum prædicandarum incorporatio, & applicatio ad internam orationem, ad laudandum Deum perfectiones, ad gratias agendum pro beneficiis feu matetiis prædicandis, ad offerenda voluntaria proponendarum virtutum facrificia, & ad mactandum ac immolaodnm vitia, de quibus eft inftituenda tractatio; ut quod intendimus à populo fieri, priùs coram Deo nosipfi in filentio faciamus. Ifta eft antiqna Seraphici Patris monitio, quam fois prædicatoribus primitùs ingerebat: *Priùs prædicator haurire debet fecretis orationibus, quod poftea facris oftendat fermonibus; priùs intus calefcere quàm extrà verba proferre.* [Opufculo Tom. 3. collat. 17.] *Reverendum eft hoc officium, & qui illud adminiftrant ab omnibus reverendi. Ifti vita funt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna. Laudandi funt prædicatores illi, qui pro tempore fibi fapiunt, fibique guftant; illi verò malè fciunt dividere, qui prædicationi totum, devotioni verò nihil impendunt.* Hâc obfervatâ methodo, *ad locum* divinæ benignitatis, *unde exeunt flumina* doctrinæ & eloquentiæ, [Ecclef. 1. verf. 7.] *revertuntur, ut iterum fluant*, & fluant cum impetu efficaciori, majori eom copia, & dulcedioe fapidiori.

Ex dictis hactenus de præmittendo diligenti prædicatorum examine, poffet alicui dubitatio fuboriri, quid fibi velit hæc fententia Salvatoris: *Cùm tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* [Matth. 10. verf. 19.] Nofter Joannes Ferus ibi docet, non inhibere Chriftum piam in lege Domini meditationem & ftudium quo nil beatius ac utilius eft; fed anxiam & diffidentem follicitudinem; quæ tunc nos meritò vexat, dum vires proprias & fapientiam metientes, folis eis intimur; quæ cùm exiguæ fint, etiam impares huic operi divíniffimo reputantur, Sicut autem nos Salvator abducit à cogitatione de craftino circa temporalia, paternam promittens provifionem, non tamen indulgens otiom, fed humanam aliquam fupponens diligentiam: fimiliter & in hoc opere os dabit & fapientiam, cui nemo refiftere poterit, dummodo per orationem os aperiamus ad attrahendum fpiritum, & intellectum applicemus lectioni S. Scripturæ ad fciendum, quæ fit cæleftis veritas, & quomodo denuntianda. Ab ipfa corporali hominis conftitutione, noftrorum difcamus ordinem ftudiorum. In eminentiori capitis loco natura conftituit oculos, eofque binos, ad eircomfpiciendnm quò pergere debeat domo, quid operari. Lioguam in loco collocavit inferiori, & duplici vallo labiorum & dentium circumfeptam, ut non elabatur facilè ad proferendum fermonem, nec quippiam eloquatur, nifi quod binis oculis defuper conftitutis, confideraverit primitùs & examinaverit.

TEXTUS & §. *VI.*

Et casta eorum eloquia.

SUMMARIUM.

Concionatorum puritas in Apocalypsi figurata, Ea triplex esse debet. 1. Immunitas à secreta operis carnalitate. 2. A carnalitatis alicujus vel affectus mulierosi suspicione. Modus cum mulieribus agendi, ut possit vitari suspicio. 3. Cavendum à verbo publico sordidiori. Non instituendus igitur ex professò tractatus de materiis conjugii, mulierum inclinationibus, &c. Abusus quorumdam in nimis frequentibus profanorum vel ethnicorum auctorum allegationibus. Item aliquorum indiscretiò, qui prædicant licita esse, quæ graviter damnârunt antiqui.

SUblimis cœlorum aquila Joannes Apostolus, inter alia sibi ostensa in Pathmos insula cœlestium arcanorum mysteria, vidit aperiri templum tabernaculi testimonii in cœlo: Apoc. 15. vers. 5. & 6. *& exierunt septem Angeli* habentes septem plagas de templo, *vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Per hos Angelos, ministri verborum divinorum, præcones Evangelii figurantur. His aperitur continuo studio & Spiritûs Sancti gratiâ *templum tabernaculi testimonii* sive sacer Bibliorum Codex, quo continentur ea, quæ Deus sub testimonio suo voluit hominibus affirmare, *in cœlo* Ecclesiæ. Hinc *exierunt septem Angeli*, hoc est virorum angelicorum, Dei Verbi concionatorum universitas, *habentes septem plagas*, sive comminationes pœnarum peccatoribus intentandas: commonentes unumquemque illo Ecclesiastici verbo: Eccles. 7. vers. 3. *Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ: & non metes ea in septuplum.* Prodiderunt autem *vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis*; quo datur intelligi eos, qui prodituri sunt ut officium exerceant prædicationis, debere mundâ candidâque angelicæ puritatis esse præditos conversatione: nedum aliquo infectos crimine, sed nullâ etiam, quoad fieri potest respersos maculâ suspicionis, quâ illi offendi possent, quorum procurandæ saluti incumbitur. 2. Cor. 6. vers. 3. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium* verbi: *sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, &c. in castitate, &c.* Jure sanè meritissimo ad hoc munus puritas omnimoda postulatur: cùm enim christiana doctrina merè cœlestis sit, & alienissima ab omni brutali terrenoque commercio, decet ejus præconem ab omni impuritate liberrimum & purgatissimum esse. Quid enim absurdius, quàm balsamum in vase sordido, infecto ac fœtido reservari, unde quisque haurire fastidiat? Vestiantur igitur concionatores sacri *lino mundo & candido* castitatis, & circa pectora eorum non flamma Veneris, sed *zona aurea* divinæ fulgeat charitatis. Hoc à suis etiam exigit Franciscus: maximè verò, ut puritate in sacro suggesto resplendente, *sint casta eorum eloquia.* Ne autem verbum, quod procedit ab ore concionatoris, quid fœtidum possit ullatenus exhalare, à triplici debet circumspectè cavere contaminatione.

Prima est contaminatio carnalis operis quantumvis occulti. Hanc maculam sufficit notam esse Spiritui Sancto, qui *non habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. vers. 4. Meritò eum deserit, qui, cùm sua membra illi in sanctum consecraverit templum, commutat ea in membra meretricis, sanctumque Spiritum à se expellit, ausu sacrilego sui templi profanans sanctitatem. Cùm autem ab eo derelictus sit, quomodo per eum loquetur? Multa quidem sacra vas illud vacuum poterit effutire (quemadmodum fornicarius aliquis typographus sacros imprimere libros) sed non loquetur ex Spiritu, prout verum decet concionatorem. Veri custodes lectuli Salomonis sunt omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: *uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*, sive mortificationis instrumentum ad comprimendum impuras noctium tentationes. Cant. 3. vers. 8. *Oculi* Sponsi, qui sunt concionatores, describuntur esse *sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte lotæ sunt.* Cant. 5. vers. 12. Oculi certè nec minimum pulvisculum patiuntur. *Labia* item ipsius *lilia* debent esse *distillantia myrrham primam.* vers. 13. Sunt etiam *murus*, in quo ædificari oportet *propugnacula argentea* purgata septuplum, ad arcendum impuritates omnes tentantes influere. Vidit Joannes in Apocalypsi sedentem in equo albo cujus nomen vocabatur Verbum Dei, *& exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo.* Apoc. 19 vers. 14. Exercitus hi cœlestes, sequentes Dei Verbum, haud dubiè sunt Evangelii

prædica-

prædicatores. Hi præditi sint oportet gloriosâ & immaculatâ castitate, ut tui assimilentur exercitûs Imperatori. Oculi & labia Sponsi Christi virginis, conformem habeant Sponso mundissimo puritatem.

Suave est Dei desiderium in corda hominum ingrediendi atque inhabitandi; cui centenum amanter servire is, qui aliorum præparat corda ad talem intromissionem. Prout Spiritus Sanctus indicat, alloquens Ecclesiæ
Cant. 5. vers. 2. prædicatorem illo fungentem officio: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Aperi mihi ô Ecclesia sive Ecclesiastes clausa pectora peccatorum ad quæ valeam introire; quia tu es *Soror mea*, ejusdem mecum naturæ: & ejusdem es mecum officii ad Patris nostri perditos filios reducendum. Tu es *amica mea*: propter quod præsumo te magis meorum satisfactionem desideriorum in salvandis animabus; quàm propriæ quietis appetere commoditatem. Tu es *columba mea* ad diversa evolans loca, pro aliis columbis errantibus ad meum columbarium reducendis. Tu es *immaculata mea*; ideoque modis omnibus debes allaborare, ut quæcumque membra Ecclesiæ ab omni purificentur inquinamento. Hæc officia minimè præstabis efficaciter, qui fecterorum sibi conscius est inquinamentorum. Vacuum remanebit & sterile quidquid eloquitur. Domini quippe judi-
Osee 4. vers. 10. cium est: *Comedent, & non saturabuntur. Fornicati sunt, & non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Quid antem boni fieri potest sine corde? Quid absque Spiritu Sancto, qui cor est nostri cordis, quem contristârunt & effugârunt?

Secundum, quo concionator, & Dei Verbum in ipso periculosè maculatur, est sola carnalitatis alicujus aut affectus mulierosi suspicio.
Tom. 1. in Legato Apostol. Serm. 16. Noster Phil. pus Bosquier indagans, cur Domini præcursor Joannes Herodem reprehenderit potiùs quàm Herodiadem, præcipuam dicit esse rationem, quòd cùm meretricem istam convenire debuisset, aotam aliquam præbuisset maledicendi; quod intolerandum fuisset ejusmodi nominatissimo concionatori. Fama castitatis res est tenerrima, & sicut pupilla oculi delicata, ac perindè tamillo pulvisculo læditur. Faciles sunt omnes in prava de religiosioribus judicia, de iis præsertim, qui prædicando veraciter atque severè contra vitia velitantur: sic nimirum procurante Diabolo, ne isti proficiant animabus, ejusque spolias diripiant; quemadmodum pressior mordaciris strigilis perfricatio equum concitat in equisonem. Itaque Joannis exemplo & ipsius Christi Domini longissimè nos ab hujus vitii teneamus suspicione. Hic Salvator noster ad fontem Jacob cum Samaritana muliere locu-
Joan. 4. vers. 6. turus; *sedebat sic supra fontem*, inquit Evangelista, certum quemdam modum significans sessionis. Quem eum fuisse interpretatur noster P. Momiguus, ut Dominus se poneret
D. rebaris Serm. 11. num. 3. ex una putei parte, muliere stante ex altera, & vellet puteum esse in medio, ne illa posset ampliùs appropinquare. *Sedebat sic supra fontem*, pro nostro duntaxat exemplo; cùm sanctissimus esset ipse, atque omninò extra peccati periculum. Et venientes Discipuli ejus, *mirabantur, quia cum muliere loquebatur*; non vers. 27.
quidem tamquam sinistri quippiam suspicantes, sed *inopinatum quiddam atque insolitum se intueri arbitrantes, tamquam qui numquam ante hac tatem vidissent.* Considratione dignum Euseb. lib. 3. de Demon. Evang.
est, quòd nusquam in Evangelio legimus Dominum dixisse mulieri; *Veni*; sed semper *Vade*. Cùm quamdam sanasset à profluvio sanguinis: *Vade in pace*, inquit, *& esto sana*, Marci 5. vers. 34.
Peccatrici in convivio: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace.* Samaritanæ: *Vade, voca virum tuum.* Magdalenæ apparens post Resurrectionem: *Noli me tangere &c. Vade autem ad fratres meos, &c.* Si in viridi illo ligno tanta adhibetur cautela, quantò sollicitiùs nostrum aridum ab eo igne periculosissimo convenit elongari? Luc. 7. vers. 50. Joan. 4. vers. 16. Joan. 20. vers. 17.

Quia verò spiritualibus viris necessarium est, cum mulieribus interdum habere sermonem, notandus erit modus in eo servandus propositus à D. Augustino, quem refert Seraphicus Bonaventura: *Asper sermo*, inquit, *brevis, & rigidus cum mulieribus est: nec quia sancta, minus cavenda. Crede mihi Episcopus ego sum, verum loquor in Christo & non mentior: Cedros Libani & gregum Arietes sub hac specie corruisse vidi; de quorum casu non magis metuebam, quàm Gregorii Nazianzeni & Ambrosii.* Quis sanctior Davide? quis sapientior Salomone? quis Samsone fortior? Cedri Libani, gregumque ductores in sanctitate Nazianzeno atque Ambrosio comparati, non ab illis fuêre securi. Quapropter, ait Augustinus, sta super custodiam tuam, species illa tibi franget cervicem, si non te custodieris. Ut minimùm aliquam malæ famæ fuliginem affricabit. Pulcherrimum quid est candelæ flammula, speciosus item paries candidatus; hic tamen fuliginem contrahit, si illa nimiùm appropinquet. Fuliginosum illum rumorem, Hieronymus, licèt aliàs admodum circumspectus, haud potuit evadere. Ipse de se testatur: *Antequam domum Sanctæ Paulæ nossem, totius in me urbis studia consonabant; omnium pene judicio dignus summo Sacerdotio decernebar, dicebar sanctus, dicebar humilis, disertus &c. sed postquam eam pro sua merito castitatis venerari cœpi, omnes me deseruere virtutes*; maligna nimirum vulgi opinione. Quod si virum tantum, sibi tam austerum labes aspersit fœminea; quomodo nos tam imperfecti, evademus immunes; Cautelam igitur S. Athanasii attendamus: *In loquendo cum fœminis, præcipuè vobis otius, hora, solitudo vitanda sunt, ut vitetur omne quod contra vos fingi potest, tamquam posset credi. Ipsa famæ femina, priusquam nutriantur, intereant. Non enim vobis tantùm fides falli, sed etiam possibilitas est relegunda mendacii.* Plura de his ad Caput undecimum. Opuscula de Purit. conscient. cap. 4. Epist. ad Asellam. Exhort. ad Monachos.

Tertia macula in concionatore detestanda, est modus aliquis loquendi, aut vocula quædam in orationis decursu, castarum aurium offensiva. Tametsi castus sit coram Deo, & apud homines optimi nominis, si quid tamen minùs castum elabatur, in parvam fiet rimulam, quâ totus effluat fructus prædica-
tionis,

Eccl. 24 vers. 10. tionis, Sapientia illa divina, quæ debet per os prodire concionatoris, dicit de ſeipſa: *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.... & quaſi balſamum non miſtum odor meus*: nullam vel minimam patitur fœditatis immiſtionem: cùm tota ſancta ſit, divina, cœleſtis, & à terrenis remotiſſima vaporibus. Unde S. Jacobus eam eatenus deſcribere, defæcatam illam puritatem pro prima ejus aſſignat con- Jacobi 3. vers. 17. ditione, dicens: *Quæ deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt*; & adeo pudica, ut minimè valeat deprehendi, eam noviſſe quippiam de carnalibus. Cùm neceſſe fuerit aliquid de lutoſa illa attingere materia; id extremis digitis, maximoque cum timore facit ac verecondia. Nec patitur chriſtiani gravitas auditorii greſſiorem ejus tractatum. Ipſi etiam lenones & meretrices, quia acceſſerunt ad hauriendum unde purgentur, non parum concipient offenſionis, ſi ab eo vel guttulâ ſordium aſpergantur, unde mundam expectaverant aquam. Quod ſi torrens diſcurſûs eò ferat linguam, ut objurgari debeant ejuſmodi peccatores, id tantâ fiat gravitate ac ſeveritate, ut horrorem peccati provocet monitio, atque compunctionem. Tantâ verò muniatur circumſpectione, ne in ruborem vertantur honeſtæ matronæ, vel innocentes juvenculæ in damnabilem præcipitentur curioſitatem.

Caſtitatis intemeratæ in ſuis auditoribus conſervandæ ſtudioſiſſimus erat S. Bernardi- Annal. Tom 5. an. 413. num. 2. nus. Propter quod, cùm in urbibus concionaretur, ferre non potuit, ut viri & fœminæ inter ſe pariter conſidèrent, ne qua libidini præberetur occaſio; ſed ſedere cogebantur ſeparatim, atque inter utroſque ingens ſuſpendebatur tapetum, ne alii alios reſpicerent, ſed ad ſermonem animos attentiores adhiberent. Concionabatur aliquando Vir Sanctus apud Senenſes, ſedebantque hunc in modum ſejuncti viri ac mulieres eum auſcultantes. At quidem laſcivus adoleſcens, illo invito, ſtabat tali loco, qui eſſet fœminis oppoſitus; ut animo ſuas expleret libidines. Senſit id Vir Dei, hortatuſque eſt eum, ut aſſideret inter mares. Ille verò contempſit, manſitque ibi impudenter. Contemptum optimæ inſtitutionis ſuæ non ferens Vir Sanctus, ait palàm ad eum: *Ecce ego dico tibi adoleſcens, qui iſthic ſtas irreverenter & audacter, auratis indutus veſtibus, non parum vereri me, malâ morte te periturum.* Idque ſic accidit, quando poſtea ob ſua flagitia, tamquam latro apud Anconam capite plexus eſt. Ipſi Judæi, ad orationes & cantus ſuos in Synagoga congregati, conſpiciuntur ſeparatim, interjectis cancellis, viri à mulieribus conſidère.

Pudori etiam, paci, morumque emendationi parum conſulunt ii, qui ex profeſſo de mulierum inclinationibus bonis aut malis tractationem inſtituunt, ſicut in eo pars prædicationis potiſſima conſumatur. Si laudantur immodicè, vertitur adulationi, & levinſculo illius ſexûs amori: & quæ ex ipſis moderatiores ſunt & prudentiores, id non amant: imò diſplicet eis, & erubeſcunt ſe ſic inaniter attolli ſupra ſui ſexûs humilitatem. Atque ita juſto Dei judicio vani illi laudum præcones, *qui hominibus placent*, id eſt placere ſtudent, *confuſi ſunt.* Pſalm. 52. vers. 6. Aliis autem, ſtultis arrogantiâ mulieribus, materiam præbent augendæ ſuperbiæ; quam debuerant reſecare. Quòd ſi ea oppoſito vituperentur ratione naturalium imperfectionum, nil aliud quàm indignatio conſequetur, tum ob iniquum contemptum: tum quia publicè majori contemptui virorum omnium exponuntur ab eo, qui viros petulantiores obligatur compeſcere, atque ad chriſtianam incitare charitatem, & ad honorem infirmiori vaſculo impertiendum. Illam quam patres filiabus debent ſeveritatem lubentiſſimè patientur, ſi juxta ſtylum ſpiritumque Apoſtoli moneantur, & patrem agere permittat ætas concionatoris. Sed earum inemendabiles exaggerare miſerias, quas viri domum reverſi eis cum riſu improperent, non Dei verbum eſt; ſed rixarum & maledicentiarum ſeminarium.

Caſtitatem etiam Verbi D. non parum obſcurat levitas narrationum, jocorum atque parabolarum. Piget pios auditores, qui venerant ut audirent unde compungerentur, in ridiculis detineri fabulis, nec à concionatore audire meliora, quàm à theatrico aliquo hiſtrione aut garrula muliercula. Neque leviter ejuſdem ſacri Verbi puritatem profanant allegationes nimis frequentes Poëtarum & Philoſophorum ethnicorum: ſicut & illi, qui ſacrarum hiſtoriarum loco, ad virtutis exemplum obtrudunt facta paganorum, fabulas Deorum inanium, & fictas ejuſmodi ineptias, quibus nec ipſi maturiores Ethnici crediderunt. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron?* 4. Reg. 1. vers. 3. Ad profana recurritur medicamenta pro ſanandis animabus. Quaſi verò deeſſent in ſacris libris ejuſdem argumenti ſententiæ & exempla veritatis indubitabilis, immenſi ponderis & cœleſtis auctoritatis. Prodeunt interim languidis ornati frondibus, umbriſque armati futilium narrationum. Miſſi erant, ut Chriſti domeſticis donarent tritici menſuram, unde ſuſtentarentur; & non proferunt niſi paleas, quas projicit ventus vanitatis à facie terræ.

Prudenter tamen monet Bernardinus à Buſtis, non omnino negligenda eſſe dicta profa- Patre 2. Rojarii Serm. de Sapi. p. 4. norum auctorum: quia nullus abjiciet ſerica, pro eo quòd à vermibus facta ſint; nec aurum quis projicit & argentum, pro eo quòd ſit à terræ fæcibus generatum. Quòd ſi mille modis, etiam ipſis Scripturis ſacris tentat dæmon homines pertrahere ad peccata; faciemus laudabiliter, ſi nos modis totidem, ipſis etiam ſervorum Diaboli ſententiis, allicimus auditores ad juſtitiam, virtuteſque morales; quas ex recto naturali judicio etiam ethnici coluerunt. Pugnant ſæpè Reges Chriſtiani adversùs infideles, nec planè detrectant aliorum infidelium ſubſidia in ſocietatem admittere, quò valeant hoſtes faciliùs profligare.

Denique cùm Sancti Patres & Doctores antiqui graviter damnârint choreas, cantilenas minùs honeſtas, luſus, theatra ſcurrilia, luxos

vestium, tactus & oscula, existimem harum levitatum patronos aliquam apud attentiores auditores mundanitatis aut carnalitatis suspicionem non evasuros, si petulantiùs audeant antiquorum explodere severitatem, & quod illi damnarunt, licitum prædicare. Si fortè probabiles sint modernorum aliquorum sententiæ, quibus eorum aliqua valeant excusari, possent aliquando pro casu singulari utiles esse confessariis; sed pro suggestu laxiores illas defendere sententias, & portam latam mundanis atque carnalibus aperire insolentiis, quas timorati honestique parentes suis solent prolibus prohibere, gravem certè præbet scandali occasionem.

TEXTVS & §. VII.

Ad utilitatem populi.

SVMMARIVM.

Totum prædicationis negotium, dirigendum ad communem populi utilitatem. Non nostra, sed Dei gloria requirenda. Intentio ista facit concionatorem mirabiliter fructificare. Adferuntur ad hoc exempla. 2. *Attendendum circa delectum materiæ utilis. Vbi arguuntur evagantes ad subtilia, & catechistica contemnentes: item frigide recitantes alienas chartas: item hærentes in minutulis materiis: denique doctrinam suam ad inanem gloriam ostentantes.*

Gen. 41. vers. 56. & 57. CRescente quotidie fame in omni terra, *aperuit Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptiis*, nam & illos oppresserat fames. *Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Sic vir ille sapiens & industrius futuræ prospiciens necessitati, frumenta solerter congregaverat, & congregata in communem populi distribuit utilitatem: atque propter hoc divitiis auctus & gloriâ *augmentum Domini* meruit appellari. Modo consimili contingit aliquando sic invalescere famem audiendi verbum Domini, ut repetenda veniat lamentatio Thren. 4. vers. 4. Jeremiæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Qui in hunc diem malum apud se doctrinæ pabula repoluit, quæ in communem utilitatem populi studeat erogare, Joseph est, & augmentum gratiæ à Domino promeretur. Scriptum est enim: Prov. 11. vers. 25. *anima quæ benedicit, impinguabitur; & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Enimvero qui prædicando benedicit exteriùs, augmenti pinguedinem acquirit interiùs: & dum eloquii vino mentem auditorum inebriare non desinit, potu multiplicati muneris inebriatus excrescit. E contra, Ibid. vers. 26. *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Frumenta abscondere, est sanctæ prædicationis apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur; quia in solius culpa silentii, pro multorum, quos corrigere poterat, culpa damnatur. Ut abesset à Fratrum Minorum Ordine hæc pestis spiritualis damnata parcimonia, sanctus illius Fundator, filios suos commonet, ut in prædicatione quam faciunt, eorum eloquia *ad* communem *populi* dirigantur *utilitatem.* Ut sint ipsi juxta instructionem Apostoli, per omnia omnibus placentes, non quærentes quod sibi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Sic practicabat Apostolus, & suis prædicabat discipulis: *Imitatores* 1. Cor. 10. vers. 33. *mei estote, sicut & ego Christi.* Quibus verbis superaddit Chrysostomus in Commentario: *Hæc perfectæ Christianæ religionis regula est, hic certissimus terminus, hic supremum cacumen, quærere quæ communem omnium comprehendant utilitatem; quod ipse Paulus significans addidit:* Sicut & ego Christi. *Nil enim adeò nos potest Christi imitatores efficere, ut erga proximos cura. Sed licèt jejunando, humi dormiendo corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nil egregium feceris; sed adhuc longè abfueris ab hujusmodi imitatione.* Hæc Chrysostomus, multis exemplis idem prosequens argumentum. Ne verò contingat nos in sacris laboribus per adversariorum technas incaut è abduci in sanctæ publicæque utilitatis oblivionem.

Primò, Invigilandum erit rectitudini intentionis in hoc munere præfigendæ; nimirum ut non nostra, sed Dei gloria requiratur. Sic divino judicio decretum est, ut qui ad propriam augendam gloriam in publicum prodière, nil proficiant animabus. Unde Christus ipse cùm plurimùm cuperet fructificare: *Ego*, inquit, Joan. 8. vers. 50. *non quæro gloriam meam; est qui quærat, & judicet*, eum scilicet eâ dignus sim. Et iterum: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est*; quin vers. 54. potiùs dedecus. Hanc intentionis puritatem, quam in cæteris omnibus operibus bonis, à suis servis seu instrumentis reposcit primarius operator, multò magis in hoc exigit opere prædicationis, quod principaliter à Spiritu Sancto noscitur exerceri. Subtiliter sese insinuat secreta quæstio propria, cùm forte quid acutum & ingeniosum habuerit præmanibus,

manibus, glisceorem furtim complacentiam summo deguster digito, & sui ipsius concipit admirationem, & spetet ab aliis concipiendam. Sic plùs videndò in cœlestibus mysteriis, plùs tenebrescit miser in propriis, & quò ascendit altiùs & alios in altom trahere cogitat, eò deteriùs cadit per arrogantiam. Fitque frequenter Domino disponente, ut inter dicendum ex inopinatò coram populo publicam patiantur confusionem, & ea quam speravevant gloria, in communem transfeat subſtan-

Greg. lib. 24. moral cap. 19. nationem. *Hoc enim unusquisque arrogans habere proprium solet, quod dum vera ac mystica loquitur, subitò per tumorem cordis quædam inania & superba permiscet. Forsi enim placere appetit in hoc quod veraciter sentit & inde mox evanescit à vero, unde per elationis typhum recedit ab intimo. Quia enim approbari doctus exterius quærit, intiùs plenitudinem, quâ docebatur, amittit.*

Magna fatuitas est quòd præsumat humana imbecillitas de divinæ virtutis opere gloriari. Eam sub eleganti similitudine noster B. Joan-

Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 36. nes Lucensis expressit, dicens: *Heu quam fatui sumus, qui de bonis actibus quos Deus per nos operatur, stultè gloriamur, non aliter quam gloriabunda musca, arantis bovis cornibus insidens, sub vesperam dicere possit. Ecce quam spatiosum campum aravimus.* Neque labor ille, quem dignara est gratia Dei nobiscum in prædicationis facere ministerio, condignè compensatur humanâ gloriolâ. Pro eo autam venari popularem, perinde est, ac rem magnam vilissimo venumdare pretio. Quod de vanis illis auræ popularis aucupibus, fructusque laborum suorum intulsis dilapidatoribus Pro-

Isaiæ 55. vers. 2. pheta miratur & lamentatur: *Quare appenditis argentum* divinorum eloquiorum *non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate* vestrarum animarum & auditorum? Fit enim, ut Dei verbum in se pretiosissimum, auditoribus reddatur inutile; prout S. observat Chry-

Lib. 5. de Sacerd. circa initium. sostomus, dicens: *Si dicendi partem optimam præstare quum possit, plausu atque aura populare vincatur, tum ipsi, tum multitudini quæ audit, damnum detrimentumque idem propositum, hoc ipso quòd laudum ille suarum desiderio captus, ad auditorum gratiam magis, quàm utilitatem dicendi vim exercet.*

Ab hoc scopulo declinans Apostolus, ait:

1. Thessal. 2. vers. 4. *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ; Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à nobis, neque ab aliis.* Per hanc sinceritatem, aptatus fuit ad Dei directionem in omnibus operibus suis, verbumque in ore ipsius potentissimum factum est, & ab omnibus receptibile. Idipsum experientia in nostro docuit Bernardino.

Annal. Tom. 5. an. 1418 num. 25. Quidam aliquando rogavit eum, ut cùm tanti apud omnes populos haberentur sermones quos publicè enuntiabat, tantumque fructum parerent, doceret ipsum singulares quas in enuntiandis ipsis sermonibus regulas observaret; quibus instructus, utiliores & ipse suos quos habiturus esset, sermones facere posset. *Unicam*, inquiebat, *tantùm regulam observavi*. Quòd eùm ille admirans, ac gaudens simul,

Dernoye Medulla S. Evangelii.

quòd facilior el esset unius quàm plurium regularum observatio; quænam esset ea regula? rursum quæsivisset. *Ex quo*, ait, *cœpi huic exercitio intendere, nunquam nisi propter honorem & laudem Dei verbum aliquod protuli. Atque hæc regula quam semper sollicitiùs observavi, mihi præstitit quidquid vel scientiæ, vel eloquentiæ vel promptitudinis vel auctoritatis sum consecutus, Hac quascumque animas errantes ad Deum converteram, solummihi præstitit.*

Infallibiliter eos dirigit & adjuvat Spiritus Sanctus, quos videt purâ mente serioque conatu in id unum collimare, & hoc opus aggredi, ut prosint spiritualiter promotioni virtutis, pietatis & pœnitentiæ. Ipsis experiri licet, quod olim promisit Dominus. *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur, dicit Dominus*; dum videlicet abundanti lumine superfusi flammisque succensi amoris divini ex ore suo quasi beatas spargent scintillas, quæ ardore consimili corda corripiant audientium. Angelus quidem in Apocalypsi *accepit thuribulum aureum & implevit illud de igne altaris, & misit in terram* carbones ignitos; unde sequebantur *tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.* Idem agit prædicator Angelicus, è Dei verbo ignitos lumens conceptus, quos in sunum postea spargit auditorium, ex quo consequuntur rugitus & *tonitrua* cordis, *voces* confessionis, & *terræ motus* sive terremotus cordis per timorem Domini commotio, quâ utiliter concutiuntur ad pœnitentiam. Eoque pacto, quàm plurimi è nostro sodalitio divini verbi præcones, reportarunt ingentes in horrea Domini manipulos animarum F. Cherubinus Spoletanus, eùm in omni vita sua prædicationibus infatigabiliter insudasset, moriens visus est in cœlum evolare; cui in occursum veniebant sexaginta millia animarum, quas concionibus suis ad æternam ditexerat beatitudinem. Fructus prædicationum S. Antonii Paduani, Bernardini, & Capistrani tam evidenter constant, ut eos superfluum fuerit recensere. Horam etiam aliorumque prædicationes Dominus haud aliter quàm Apostolorum suorum comitantibus signis atque sequentibus confirmavit.

Jerem. 31 vers. 14.

Apoc. 8. vers. 10.

Chron. p. 3. lib. 7. cap. 2.

Dùm Romam ingens venisset numerus peregrinorum ex omni lingua, populo & natione, mandavit Antonio summus Pontifex iis omnibus prædicare. Paruit Vir Sanctus, ejusque linguam ita direxit Spiritus Sanctus, ut quisque idioma illud in quo natus erat ore intelligeret prædicantis. Aliàs dum ex sub dio concionante immanis oriretur tempestas, omnesque auditores se pararent ad fugam, altâ voce clamavit: *Bono sitis animo, nec gutta quidem pluviæ quempiam vestrûm continget.* Quod & factum est: cùm enim circumquaque grando pluviaque densissima è cœlo proruerent, locus in quo stabat populus mansit immunis. F. Gentilis à Marchica animabus Christo lucrandis ad ultimos Ægypti & Persiæ fines penetravit, magnoque sed irrito studuit conatu, linguam Arabicam, illis nationibus vulgarem, addiscere. Desperans itaque idiomatis defectu fructum animarum, volnit in Itallam remeare. Itineri præcincto apparuit Dominus,

Vita S. Ant. Paduani cap. 15.

Cap. 18.

 &

Annal. Tom. 3 an. 1140. num. 15.

& dixit: *Ecce posui verba mea in ore tuo: ad quæcumque mittam te, ibis, & quæcumque mandavero tibi loqueris ad gentes apostatrices;* statimque infudit ei linguam Persarum, iisque porrò ferventissimè prædicavit. Mirabilius est, quod in B. Philippo Anteiensi evenit.

Mart. rol. Franc. ad 7. Martii.

Cùm inter atrocissima tormenta non cessaret Christum deprædicare, ei lingua præscinditur. Deo tamen per miraculum cooperante, elinguis homo fuit prædicationem fidei prosecutus.

Secundò, Ab aliis circa delectum materiæ concionis abusus admittitur. Qui doctiores sunt, delectantur evagari ad subtilitates philosophicas aut Theologicas disputationes, aut ad obscuriorum sacræ Scripturæ locorum operosas commentationes; quibus legendis cùm ipsi delectentur, æquè libenter ea putant populum auditurum; qui iis interim sinè fructu, imò cum ingenti fastidio detinetur. Quid magis impertinens, quàm coram nautis, fabris, agricolis aut mulierculis fusè explicare allegorias Cantici Canticorum, varias Scholasticorum sententias de divinis relationibus, de locutionibus Angelorum, de arcanis divinæ gratiæ atque prædestinationis? Qui sibi prudentiores videntur, ea saltem Monialibus judicant reservanda; quasi verò mollia earum ingenia magis illi solido cibo sufficiant quàm sæcularium.

1. Cor. 14. versl. 6.

Si venero ad vos, ait Apostolus, *loquens linguis* peregrinis, quæ à vobis non intelligantur, *quid vobis prodero: nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Si incertam vocem det tuba, quis se parabit ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis in aëra loquentes.* Sicut displicebat Apostolo rem bonam donumque Dei inutiliter expendi, non suo tempore, loco & ordine, neque personis idoneis; eadem nunc etiam displicet indiscretio in tractandis coram rudi plebe materiis, quæ solis congruunt scholis Theologorum. Vehemens suspicio est grandiloquos illos de illorum esse numero, *quos gloria vexat inanis.*

B. Cherubinis Spoletanus, priusquam singulari Dei spiritu foret imbutus, juvenili vanitate fluebat in dicendo, & de Philosophicis ac Theologicis disputando, in quibus & in Jure Canonico apprimè instructus felici favente memoriâ, omnes mirificè delectabat; sed sinè fructu. Dum igitur semel suggestum ascensurus benedictionem peteret à B. Joanne Lucensi hanc gravem accepit correptionem:

Chron. p. 3. lib. 7. cap. 1.

Tune es iste prædicator curiosus, qui arte rhetorum magis uteris, quàm spiritu Dei? Concionare cum simplicitate & devotione, & imprime timorem Dei auditoribus tuis, ut resipiscant à peccatis suis, non autem ad aucupandum nomen eruditi prædicatoris. Hæc monitio taliter concussit hominis mentem, ut exindè stylum mutârit, mirosque verbum ejus effectus præcipuæ senserint Italiæ civitates. Divus etiam Chrysostomus, cùm inter initia sui concionatorii officii sublimi se modo dicendi assuefaceret, redargutus à pia muliercula, quod infrugiferæ forent ejus conciones, stylum mutavit & animi juvenilis institutum, facilioremque dictionem imis auribus accommodavit. In quo sapientiæ suæ ostendit eminentiam, dum opportunum simplicis fœminæ consilium audire ac sequi non fuit dedignatus. Nobis similiter placeat S. Prosperi doctrina, dicentis:

Lib. 1. de Vita contempl. c. 24.

Alia est ratio declamatorum, & alia debet esse doctorum. Illi elucubrata declamationis pompam totis facundiæ suæ viribus concupiscunt: isti sobrio usitatoque sermone Christi gloriam quærunt. Illi rebus inanibus pretiosa verborum induunt ornamenta: isti veracibus sententiis ornant & commendant verba simplicia. Illi affectant sensuum suorum deformitatem, tamquam velamine quodam phalerati sermonis abscondere: isti eloquiorum suorũ rusticitatem student pretiosis sensibus vestare. Illi totam laudem suam in favore vulgi: isti in virtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt, & nihil auditoribus suis declamando proficiunt: isti usitatis sermonibus docent, & imitatores suos instituunt, quia rationem suam nullâ fucata compositionis affectatione corrumpunt.

Lib. 20. moral. cap. 21.

Itaque secundùm D. Gregorii sententiam: *debet subtiliter is qui docet perspicere, ne plus studeat prædicare, quàm ab audiente capiatur. Debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia & idcircò non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.*

Chron. p. 3. lib. 7. cap. 21.

B. Bernardinus Feltrensis summâ cum prudentia sic se omnibus attemperabat, ut licèt doctè diceret, à cunctis tamen cum utilitate perciperetur.

Apoc. 14. versl. 6.

Vidi Angelum, inquit Joannes *volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram &c.* Quod sic exponit noster Alexander Alensis: *Prædicator debet volare per medium cœlum, non ascendendo per nimis curiosa, & non descendendo ad nimis otiosa, non declinando ad dexteram adulationis, vel sinistram nimiæ objurgationis; sed per medium, ut communicet magnis & parvis, multis & paucis.* Hoc notent magni quidam magistri, sic in sublimè volantes, ut semper dedignentur materias tractare catechisticas, tamquam non satis honorabiles, nec suo dignas pulpito, & quæ solis proponi pueris mereantur. Periculosa planè superbia, quæ sæpe-numero fraudat animas doctrinâ summè necessariâ, & forsan cum salutis æternæ periculo. Scimus enim, quàm plures etiam provectioris ætatis, tam rudes adhuc & ignaros in rebus esse religionis, ut in salutis versentur periculo, propter brutalem istam inscitiam: quos tamen puderet cum pueris ad catechismum accedere, aut Pastores suos pro necessaria convenire instructione. Horum pudori clementer consulitur, dum generaliter de necessariis instruuntur. Monemur certè non ad gloriolam propriam, nec ad plausum aurium curiosarum, sed *ad utilitatem populi* prædicare. Nec puduit Apostolos ipsos catechistas agere, totumque vitæ tempus in eo consumere ministerio. Quid magnus ille dicat Doctor gentium, audiamus:

1. Cor. 3. versl. 10.

Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. Quænam verò sunt christianæ religionis fundamenta, nisi quæ tractantur in catechismo? Hoc idem officium exercuerunt Apostolorum successores, & viri maximi, qui gentilitatem totam doctrinis Christi fundamentalibus imbuerunt.

Nec

Nec adeò fuorum confulunt auditorum utilitati, qui homilias ad longum ab aliis fcriptas memoriæ mandant, & prout in libris jacent frigidè proloquuntur. Earum aliquæ fublimes continent difputationes, quæ fortaffis auctoris auditorio congruebant; huic autem minimè. *Non enim una eademque cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par morum qualitas adftringit: fæpe enim aliis officiunt, quæ aliis profunt. Nam & plerumque herba quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt: & levis fibilus equos mitigat, catulos inftigat: & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet fermo doctorum, ut & fua fingulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte non recedat. Quid enim funt intentæ mentes auditorum nifi quafi quædam in cythara tenfiones chordarum, quas tangendi artifex, ut non fibi-metipfis diffimile canticum faciant, diffimiliter pulfat. Unde & doctor quifque ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina non unâ eademque exhortatione tangere corda audientium debet.*

D. Greg. lib. 30 moral. c. 6.

Aliæ earum concionum infertas habent exclamationes, quæ in auctoris ore fonabant optimè, ac validè penetrabant; fcriptæ verò, vel ore alieno prolatæ, hebetes effe deprehenduntur. Iis utens ignavus & indoctus concionator, haud aliter agit, quàm ille, qui fagittam nuper ab arcu optimo emiffam colligeret, fuoque flatu propellere tentaret ad volandum fimiliter & penetrandum. Quædam fcripta talia funt, ut lectoribus fuis, quafi fpiritum imprimant auctoris, ut funt D. Chryfoftomi aliorumque fanctorum Patrum fimilium Homiliæ. Ab his quafi ignis in lectorum cordibus inardefcit, qui valeat futuro tempore etiam auditorum animos inflammare. Ex illis ergo ftudiofi atque difereti concionatores difcernunt communes locos prædicabilium materiarum, atque hinc deinceps depromunt, quæ fuo prudenter judicaverint auditorio convenire, aptâque componunt methodo & ordinatâ colligunt connexione, ne dicenda velut fcopæ appareant diffolutæ, quæ neque dicentis; neque audientium poffint memoriâ faciliter retineri. Ifte ufus alienarum lucubrationum *ad populi* fervire poterit *utilitatem*.

Inutiliter etiam garriunt, qui minutulis terunt tempus, è facra cathedra, ex qua Dei verbum audiendum expectabatur, non nifi leves materias profanarum narrantes hiftoriarum. *Gratias agimus Deo*, ait Apoftolus auditoribus fuis, *fine intermiffione: quoniam cùm accepiffetis à nobis verbum auditûs Dei, accepiftis illud non ut verbum hominum, fed (ficut eft verè) verbum Dei.* Non fic loqui poterunt concionatores, à quorum ore vix auditur aliqua divinæ Scripturæ allegatio, fed humanæ tantùm hiftoriæ refonare. Bonum quidem eft, & à celeberrimis prædicatoribus ufurpatum, aliquas ejufmodi inter divinarum veritatum eloquia permifceri, ut Dei verbum ab humanis etiam confirmetur exemplis: fed fi folis pænè talibus univerfa concio farciatur, non accipietur à prudentibus ut verbum Dei, fed (ficut eft verè) verbum hominum. Enervis erit oratio, Dei verbi fpiritu deftituta, nec aridus fermo fufficiet corda fidelium irrigare. *Si continuerit aquas*, ait S. Job, *omnia ficcabuntur*. Iftæ funt aquæ divinarum gratiarum, quæ neceffe habent per facri aquæductum eloquii in auditorum animos derivari. Continua illa geftorum humanorum relatio poteft quidem vanos homines delectare, rifumque excutere; fed minimè veræ compunctionis gratiam excitare. *Quia fi Sancti Spiritûs gratia ab audientis mente fubtrahitur, arefcit protinùs intellectus, qui jam per fpem viridefcere in audiente videbatur.* Videas aliquando talibus declamatoribus multiplicari gentem prurientis auribus auditorii; fed non magnificari lætitiam fpiritualis utilitatis, per feriam peccatorum converfionem. *Sedent coram te populus meus*, dicit Dominus, *& audiunt fermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris fui vertunt, & avaritiam fuam fequitur cor eorum &c.*

1. Theff. 2. verf. 13.

Job. 12. verf. 15.

Greg. lib. 11. Moral. c. 6.

Ezech. 33. verf. 31.

TEXTUS & §. VIII.

Et ad ædificationem populi.

SUMMARIUM.

Debemus prædicationibus populum cœlefti Jerufalem inædificare. Hoc fiet. 1. Si priùs facto doceamus, quàm verbo. 2. Oportet nullum pro concione profcindere; hinc enim oritur fcandalofa deftructio: ubi per occafionem agitur de iis, qui per importunam proprii Ordinis jactationem caufam præbent difceptationum. 3. Nullam de fe præbeat concionator notam avaritiæ, vel propriæ quæfitionis.

NEhemias impetratis ab Artaxerxe litteris, venit ad deftructam Jerofolymam, exhortanfque populum ad ejufdem inftaurationem, ait: *vos noftis afflictionem in qua fumus,* quia

2. Efdræ 2. verf. 17.

quia Jerusalem deserta est, & porta ejus consumpta sunt igni: Venite, & ædificemus muros Jerusalem &c. Novimus ingeotem in muris cœlestis Jerusalem accidisse ruinam per calum miserabilem peccautium angelorum. Pro ejus [Psalm 50. vers. 20.] reparatione quotidie supplicamus: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* Misericors autem & miserator Dominus, justorum multorum precibus exoratus, diversos direxit diversis sæculis operarios, qui cœlestis illius civitatis dispendia repararent. [D. Bonav. Prologo vitæ S. Francisci.] Novissimis autem temporibus Franciscum seraphicum *Secundùm imitatorum Præcursoris similitudinem destinavit, ut viam parans in deserto altissimæ paupertatis, tam exemplo quàm verbo pœnitentiam prædicaret.* Pœoiteotiæ siquidem molestiis debent vivi lapides expoliri, ut illi cœlico adapteotur ædificio; quemadmodum S. Dei canit Ecclesia:

Tunsionibus, pressuris, expoliti lapides,
Suis coaptantur locis, per manus artificis:
Disponuntur permansuri sacris ædificiis.

[Vita c. 14. num. 3.] Propter quod ipse etiam Dei servus multis fuit angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus tamquam lapis, io supernæ Jerusaleoi ædificio collocandus: quemadmodum Fratri cuidam visio quædam cœlitus ostensa moostravit, de throoo quodam in cœlesti gloria refulgente, & vox ad eum [Vita cap. 6. num. 7.] facta, diceos: *Sedes ista unius de ruentibus fuit, & nunc humili servatur Francisce.* Nec Dei famulo sufficiebat in beatam illam ingredi constructionem, nisi totam quoque hominum (si fieri posset) eò introduceret universitatem. Quapropter velut alter Nehemias popolum allicit Franciscanum: *Venite, & ædificemus muros Jerusalem.* Moneo, ipse quit, & exhortor Fratres meos, ut in prædicatione quam faciont, sior eorum eloquia *ad populi ædificationem.* Quasi cum Apostolo dicere voluerit Apostolicus Vir, dooi prædicationis, filiis suis à Do[Ephes. 4. vers. 21.]mino conferendi, finem esse debere, *ad consummationem sanctorum*, ut horum numerus compleatur, *in ædificationem corporis Christi:* quod est Ecclesia; ut ex ea coosurgat *urbs Jerusalem beata, dicta pacis visio, quæ construitur in cœlis, vivis ex lapidibus.* Construitur autem, dum per sapientes architectos solidum ponitur fidei fundamentum, muri eriguntur fortis spei, fortibus exhortationibus ad pacem & unionem ædificium contiguatur, & tectum imponitur amplissimæ charitatis. Porrò qualiter hæc fieri valeant per coocionatorem ulteriùs indagemus.

Primò, Optimus ædificandi modos est, si verbum quod prædicator enuntiat ore, priùs monstraverit in conversatiooe. Esdras civita[1. Esdræ 7. vers. 10.]tem & templum Domini ædificaturus *paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum & judicium.* Paravit cor suum priùs, ut *faceret*, quàm ut *doceret*: quod & optimè successit. Eumdem sibi tenendum ordinem censuit, qui dixit: *Mihi* [Psal. 72. vers. 28.] *adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Ad quid? *Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* Aliàs quo fructu quis enarraret justitias ejus, & charitatis ipsius aonuntiaret magnalia, si noo ipsemet enarrans primùm eidem adhæreat? Quamcumque virtutem populo cogitas persuadere, eamdem in moribus exprime: facilis erit persuasio, dum animos aspicieotium ad saoctaro disposueris æmulationem. *Custodi legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.* [Prov. 3. vers. 22.] Efficacissima erit io faucibus gratia persuadeodi, si primùm io manibus promptitudo fuerit faciendi. *Non in sermone*, ioquit Apostolus, *est regnum Dei, sed in virtute.* [1. Cor. 4. vers. 20.] Hinc & ipse præcurrere studuit in omni virtute & sanctitate, ut alios in odorem suorum currere faceret unguentorum. De Præcursore Domini, qui missus fuerat prædicare, & populum ad pœnitentiam ædificare, pater ejus repletos Sancto Spiritu prophetavit; *Tu præibis ante faciem Domini parare vias ejus.* [Luc. 1. vers. 76.] Quo fine? *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus.* Præiturus erat ipse, & io se rigores pœnitentiæ præmonstraturus, ut alios viam eamdem faceret alacriter iotroire. Hoc siqoidem est à natura humano ioditum ingenio, ut facientes sequamur potiùs, quàm dicentes. Et tales magistros observandos docoit Seneca apud D. Bonaventuram, diceens: *Eligamus non eos qui magnâ celeritate verba præcipitant; sed eos qui vitâ docent, qui cùm dixerint quid faciendum sit, probant hoc ipsum faciendo quod docent: qui docent quid fugiendum sit, nec umquam in eo quod fugiendum dixerunt, deprehenduntur. Eum elige doctorem, quem magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris.* [Pharetra lib. 1. c. 14.] Atque juxta haoc oormam Apostolus dilectum suom instruit Timotheum: *Attende tibi, & doctrinæ, & insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* [1. Tim. 4. vers. 16.]

E contra destruit insipieoter, qoi aliter agens quàm dicit, solo verbo nititor ædificare. *Tamquam domus exterminata, sic fatuo sapientia*, qui non vivit juxta eam quam veoditat sapientiam: *& scientia insensati inenarrabilia verba*; [Eccles. 21. vers. 21.] quæ præstitisset non enarrari, cùm ad solum serviant scandalum audientium. Nam antea peccantem coocionatorem ab igoorantia poterant excusare; dum verò differeotem audiunt de ipso malo cui immersus est, inde apertè malam ipsius astrount voluntatem. Qoam absurditatem sanctus redarguens Hierooymus: *Delicatus est magister*, inquit, *qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os cum mente concordet.* [S. Bonav. Pharetra lib. 1. c. 15.] Et iterum: *Annon confusionis & ignominiæ est, Jesum Christum magistrum pauperem & esurientem farsis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentis buccâ tumentique ore proferre? Si in Apostolorum loco & ordine sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed & conversatione quoque abstinentiam.* Noo existimavit Christus suorum sermooes discipulorum profuturos, nisi priùs eos confirmasset sequentibus signis miraculorum & virtutom heroicarum. Sinè his posterioribus nec nostri sermooes suscipientur. Suntqoe hæc opera sanctitatis qoæ à nobis expectantur miraculis ipsis mirabiliora. Cootigit aliquando, ut Frater aliquis Theologus in B. Claræ præsentia coociooaretur. Præsens ibidem B. Ægidius Laicus, in media concione dixit: *Tace paulisper,*

Chron. p. 1 lib. 10. cap 12.
paulisper, Frater, volo etiam aliquid dicere. Ille locum dedit Laico cum modestissima humilitate, & dicentem auscultavit; tandemque ad jussum ejus, quod cœperat fuit prosecutus. Laudavit Deum prudens Virgo, asseruitque se magìs in concionatoris illius ædificatam humilitate, quàm si mortuum suscitasset. Idem est judicium omnium rectè sentientium, qui victoriam sui & virtutem heroicam ampliùs admirantur, quàm miraculum à sola Dei profectum omnipotentia. Talibus signis nostros confirmemus sermones; hæc enim facere nobis datum est, & dabitur ampliùs, si boni æmulatores fuerimus. Eam saltem teneamus regulam, quam noster B. Rogerius observavit.

Chron. p. 2. lib. 4 cap. 45.
Hic non fuit ausus aliquid prædicare aut aliis persuadere, quod non priùs ipse fecisset. Ideo securè loquebatur, ipsique efficaciter obediebatur. Vir ille, aliique ei similes comparari possunt illi Angelo, quem Joannes vidit in Apocalypsi *habentem Evangelium: scilicet in exercitio*

Alensis in Apoc cap. 14. vers 6.
vitæ & doctrina (Alensis interpretatur) *non literas Uriæ. Certè literas Uriæ portant qui habent Evangelium in ore, & non in opere. Evangelium enim idem est quod bonum annuntians.*

2. Reg. 11.
Tunc prædicator bonus est, & bonum annuntiat, quando opere implet quod docet ore. Aliàs est portans literas mortis suæ, non vitæ.

Huc etiàm illi pertinent, qui destruunt semetipsos ad alios ædificandum. Hi sunt, qui prædicationis occasione nimiam sibi arrogant vivendi libertatem, sese effundunt ad indiscretas cum mundo conversationes, negligunt obedientiam, devotionem extingunt, & se quodammodo liberos arbitrantur ab observantia

Annal. Tom. 6. an. 1458. num. 2.
regulari. Casus contigit aliquando circa quosdam ex nostris, quibus Calixtus III. prædicationem Cruciatæ commiserat, aliaque munia publica. Videbat autem F. Baptista de Levanto Vicarius Generalis Observantinorum, quòd his muneribus à Pontifice destinati rigorem suæ Regulæ attenuarent, & officii dignitatem cum statûs humilitate non ita temperarent, quin aliquando viderentur præscriptos à suo Institutore limites transilire. Rogavit proinde Pontificem, ut sibi liceret excedentes cohibere, & officii administrationem cùm Regulæ formulis componere. Quod per Pontificium rescriptum obtinuit, & executioni mandavit.

Secundò, Qui seriò populum intendunt ædificare, summoperè cavere debent, ne invidiæ vel arrogantiæ stimulis acti, publicè quippiam virulenti in alios evomant concionatores. Hoc enim tam fœdum est, ut quàmvis unico dumtaxat verbo per parenthesim dicto, ea malignitas deprehendatur, hoc solo tota concio, licèt concionè composita & eloquenter dicta, vertatur in fumum, & scandali nubilo tenebrescat. Mirum, quàm acri stylo, mansuetissimus alioquin Apostolus, in hujusmodi

Philipp. 3. vers. 2.
vitio deditos invehatur: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* Pro *canibus* eos habet, insulsè latrantibus. Suot *mali operarii*, divinam destruentes sanctitatem, quam debuerant ædificare. Faciunt *concisionem* in una Ecclesia, quæ filiorum suorum commendat singularitet & promovet unionem. Huic destructioni volens idem Paulus occurrere, ingenti scribit affectu: *Si qua ergo consolatio in* Philipp. 2. vers. 1.
Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Ut huic Apostolico desiderio satisfaciamus, attendendum erit, ut non modò directè in personas non feramur; sed nec in sententias eorum, in Theologia controversas. Dum enim hæ resumuntur, convelluntur & velut erroneæ deprimuntur, ut æmulos nostros insimulemus inscitiæ, multùm ex ista populus offenditur contrarietate: quæ quidem toleratur in scholis, sed non apud plebem imperitam, quæ alterutram statim opinionem solet falsam & hæreticam æstimare. Et hinc frequenter consequitur, ut populus deinceps neutri parti credat, & quamcumque suspectam habeat veritatem, dum patronos veritatis ita publicè viderit digladiari. Delicata res est veritas doctrinæ christianæ, quæ umbratili tantùm loctâ disputationum confestim venit in suspicionem: apud eos præsertim, qui discernere non possunt inter materias fidei, & problematicas scholarum quæstiones. Non igitur convenit in sacro illo suggestu zelum ostendere defendendi receptam communiter in suo Ordine quamlibet opinionem. *Quòd si zelum amarum* Jacob 3.
habetis, & contentiones sint in cordibus vestris vers. 14.
(quantò magis si in publicis declamationibus) *nolite gloriari, & mendaces esse adversùs veritatem. Non est enim ista sapientia desursum; sed terrena animalis, diabolica*, supprimenda potiùs quàm evulganda.

Hujus incendii disceptationum & dissidiorum non modicam subministrant materiam, rerum suarum in sacris concionibus immodici deprædicatores, non solùm personæ propriæ (si eò usque perveniat dementia) sed etiam instituti vel Ordinis proprii: præsertim dum eò pervenitur in laudibus istis, ut cæterorum Ordinum contemptum implicent, & vilipensionem. Hæc parum ædificant ad charitatem. Existimant pompatici illi propriorum Ordinum buccinatores, id licitum sibi esse, imò obligatorium, pro suo erga matrem Religionem amore & reverentia; eoque modo magnoperè Dei suique Fundatoris gloriam promoveri. Minimè verò sic est. Laudem Deo deberi, & sancto Religionis auctori nullus inficiabitur; sed dum ad odiosas venitur comparationes Fundatoris cum Fundatore, & Ordinis cum Ordine, id nec Deo placere crediderim, nec Fundatoribus. *Itaque nolite ante tem-* 1 Cor. 4.
pus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui vers. 5.
& illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo. Præconia familiæ propriæ sonant quidem optimè apud confratres, ut ad laudabilia quæque, sanctamque majorum suorum æmulationem vehementiùs acuantur; sed coram exteris vix excusatur à vanitate, quæ animos audientium alienat, & nescio quo facit oppleri fastidio, contemptum generat concionatori.

Prov. 12. vers. 8. toti. Veraciter enim Sapiens dixit : *Doctrinâ suâ noscitur vir : qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.* Satis emicant virtutes Ordinum, ut necesse non habeant alicujus operosis sermonibus demonstrari : sicut nec lux solis alicujus eget ore vel digito, quo transeuntibus demonstretur.

Tertiò, Non ædificat, quin destruit potiùs concionator, si aliquam de se præbeat avaritiæ notam, ut advertatur laborem suum pro lucro expendere corporali. De nullo fuit ità sollicitus Paulus, generosissimus concionator, quàm ut labem illam procul à se faceret, vel quamcumque etiam labis ejus opinionem. Dum à Philippensibus semel aut iterum necessaria recepisset, gratias quidem agit, sed addit :
Philipp. 4. vers. 17. *Non quæro datum, sed requiro fructum in ratione vestra*, quam Deus vobiscum est initurus & æternâ compensaturus mercede. Corinthiis etiam scribit : *Ego ipse non gravavi vos.*
2. Cor. 12. vers. 16. Et iterum : *Non quæro vestra, sed vos.* Quam suam Innocentiam, & quædam alia cùm demonstrasset, adjungit omnium rationem : *Om-*
& 14. vers. 19. *nia charissimi propter ædificationem vestram.* Quantum det offendiculum Evangelio Christi, & destructionem in auditoribus, avaritiæ nota in prædicatore deprehensa, superiùs ampliùs ostendimus.
Ad cap. 5. § 9. n. 4. Eam vilitatem cùm deprehenderit populus, suasque animas non quæri, sed sua, non se patiuntur ab eo homine in Christi obsequium captivari, sed ut vilem mercenarium, propriorumque commodorum venatorem prætereunt, nec auscultare dignantur. Quin & indignantur, angelicum istud officium, quod ad persuadendum contemptum terrenorum institutum est, ad eorumdem venationem turpiter applicari. Et hinc fit, ut ignis cupiditatis omnem adurat fructum, quem erat Dei Verbum alioqui germinaturum. Quod ex Dei judicio prædixit olim Propheta Michæas : *Hæc* Mich. 3. vers. 5.
dicit Dominus, super Prophetas, qui seducunt populum meum : qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem ; & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super os prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione, &c. Loquitur, inquit Liranus hîc, contra Prophetas falsos veteris Testamenti, per quos significantur falsi prædicatores novi, *qui seducunt populum*, peccata divitum excusantes propter quæstum ; *qui mordent dentibus suis*, diffamantes eos qui nihil tribuunt eis : *& prædicant pacem* malis sibi benefacientibus. Quid verò inde consequitur ? *Propterea nox, &c.* Fit ut per eos populus non illuminetur, nec ad pœnitentiam commoveatur ; tum justo Dei judicio nolentis istis nundinatoribus cooperari : tum ipsorum concionatorum vitio, qui non intendunt peccatorum pectora penetrare. Similes sunt infidelibus illis militibus, qui ad arcem expugnandam conducti, secretò ab hostibus corrupti pecuniâ, languidiùs agunt rem sui regis ; explodunt furiosè bombardas suas, sed non immissis globis, & absque pungendi intentione ludicrè digladiantur. Haud aliter agunt, qui prædicant solvenda debita, faciendas restitutiones &c. non tam amore justitiæ, quàm ratione proprii interesse

TEXTUS & §. IX.

Annuntiando eis vitia.

SVMMARIVM.

Animandus prædicatione populus, ad vitiorum expugnationem. Quàm operosum sit bellum hoc, propter resistentiam peccatoris. Impavidum oportet esse concionatorem, nec desperare conversionem obstinatissimorum. Fervor sanctorum quorumdam in hac re. Cautelæ tredecim ab omnibus prædicatoribus observandæ. Tametsi quis non proficiat, non ideo cessandum : nec ob exortas propter Verbum tribulationes.

LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens :
Numer. 25 vers. 17. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos : quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* Ille verò, populum adhortans ad implendam
Cap. 31. ver. 3. Domini jussionem : *Armate*, inquit, *ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis.* Dediteque populus millenos de singulis tribubus, id est *duodecim millia expeditorum ad pugnam*, quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari, vasa quoque sancta, *& tubas ad clangendum tradidit eis.* Madianitæ figura fuerunt vitiorum, quæ contra populum Domini hostiliter agentes, viribus eum nituntur atque insidiis debellare. His voluit Deus bellum denuntiari : eoque fine Filium suum misit, tamquam supremum colligendi contra vitia exercitûs Imperatorem : *in hoc* enim *apparuit Filius Dei, ut dissolvat o-* 1. Joan. 3. vers. 8.
pera Diaboli ; hoc est Peccata, quæ dæmon inspirat hominibus, & in quibus se exhibet cooperatorem. *Scitis*, ait B. Joannes, *quia ille* vers. 5.
apparuit, ut peccata nostra tolleret. Adversùs eadem armaverat olim sanctos Apostolos, *ad* 2. Cor. 10. vers. 4.
destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem, extollentem se adversùs scientiam Dei. Et sapientissimo stratagemate, de præci-

præcipuis adverſariorum aliquos fecit præcipuos milites ſuos, qui peccatores alios in captivitatem adducerent, & juſtitiæ ſervitutem; è quibus unus ait gratulabundè: 1.Tim.1. verſ.12. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio, qui priùs blaſphemus fui &c.* Noviſſimis autem temporibus, ſuſcitavit Deus ſtrenuiſſimum Chriſti militem Franciſcum, qui arma ferret invictiſſimi ducis, quibus munitus & inſignitus, vitiorum exercitum ſuperaret. *Directus eſt à Patre & Filio & Spiritu Sancto, ut eſſet princeps novæ militiæ Jeſu Chriſti, in ſuo corpore ferendo inſignia Salvatoris*, ut Gregorius IX. Pontifex atteſtatur. Deditque ei Dominus portare vexillum Regis altiſſimi, ſacra ſtigmata Crucifixi, quorum intuitu omnes pugnatores divini exercitûs ad peccati exterminium animentur. Hic igitur Chriſti vexillifer, populum ſuum exhortans Minoriticum, ait: *Armate ex vobis viros adpugnam, qui poſſint ultionem Domini expetere de Madianitis.* Elegit autem Phineës, ſive zelantem pro Domino concionatorem, & cum eo aciem *expeditorum* militum Crucifixi, qui per altiſſimam paupertatem à terrenis retinaculis expediti, audeant intrepidè in peccatorum cuneos penetrare: *& tubas ad clangendum tradidit eis*, officium ſcilicet prædicationis, quo poſſint populo Chriſtiano *vitia annuntiare*, & contra illa acuere in prælium, voci dominicæ conclamando: *Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos*, peccare vos ſcientes contra benigniſſimum Creatorem.

Hoc igitur præceptum commendat filiis ſuis 1.Tim.1 verſ.18. Franciſcus, ſicut olim Apoſtolus Timotheo ſuo, ut ſecundùm præcedentes in ipſo Prophetas, quibus fuit ipſe tamquam mundi reformator prænuntiatus, militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conſcientiam, nec ullam prætermittant occaſionem, inimicos Dei, hoc eſt hominum vitia debellandi. Innumerabilis contra nos conſiſtit delendorum criminum multitudo. Nunc æ- 1.Mach.2. verſ.49. què, ſicut Mathathiæ temporibus, *confortata eſt ſuperbia.* Vires ſumpſit peccatum, ex auctoritate peccantium, & numeroſitate: diuturna conſuetudo omnem pœnè conſcientiam extinxit: incorrigibilitatem auget ſuperba pertinacia, nec Deo cedere reſoluta nec hominibus, quaſi ferream gerens cervicem, nulli flexibilem monitioni. Accedit guſtus delectationis, qui tam profundè inſtillat amorem peccati, ut difficillimè valeat extirpari: nec ſolùm peſſimum creat peccati amorem, ſed etiam ignorantiam vel inconſiderationem horribilis illius mali quod peccatum eſt, quodque peccatum conſequitur. Subjicit adjectitias faces malignus ſpiritus, & cum eo ſubindè amici ſecundùm carnem; quorum hortationibus atque conſiliis noſtra monita fermè enervantur, & abeunt in contemptum, ſimiles Stoicis illis Epicuræis atque Judæis contra D. Paulum ze- Act.17. verſ.18. lantibus, & dicentibus: *Quid vult ſeminiverbius hic dicere? Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe.*

Hæ ſunt munitiones infelicis Babylonis, quibus confortata ejus ſuperbia, ſe adversùs Deum ejuſque præcepta, & hortamenta noſtra in ſuis tuetur impietatibus. Contra hæc opus eſt, non puſillanimi & pavido prædicatore, qui ad primas deſperet reſiſtentias; ſed impavido fortique amatore juſtitiæ; de quali ſcribitur in Proverbiis, quòd *Civitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ ejus.* Prov.21. verſ.22. Quantumcumque magnâ auctoritate, ferocitate, ſophiſmatibus aliiſque munimentis, inexpugnabilia ſcelera videantur; ſepoſito tamen timore, fiduciâ plenus & ſpe victoriæ, aſcendit, ferit, alligat, & pavorem incutit audientibus, tandemque victor evadit. Inde autem ei creſcit ardor, quòd credat opus ſuum idem eſſe, quod Hieremiæ vel Ezechielis, eodemque modo ſibi dictum: *Ecce* Ezech.3. verſ.8. *dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem & ut ſilicem dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exaſperans eſt.* Dei igitur agentes officium, ipſius quoque induamus majeſtatem, veritatis facem audacter manibus proferamus, ut horror latentium in tenebris monſtrorum appareat, ipſaque opportunè fugiantur. Nullum utilius beneficium infelici populo ſub tenebris in medio draconum ſedenti, quàm lumen inferri, ut ſuum animadvertat periculum. Si lippus aliquis odiens lucem queruletur, quid inde? *Vos eſtis lux mundi*, officium illuminandi agite cum libertate, nec lucem turpiter ponite ſub modio puſillanimitatis. Quid enim timere habes, O Franciſcane præco veritatis, ab iis qui verbis tuis forſitan offenduntur? Num fortè boni alicujus temporalis jacturam? Sed tibi cui nihil eſt, nihil perire poteſt. Num repulſam timeus, ſi quid ab eis poſtulaveris? Nil deſideranti, nil negari poteſt. Paupertatem amanti, paupertatem conſervabunt. Si ſilentium & exilium minitentur: ipſum ſilentium clamabit altiùs, & exilium illi non poteſt eſſe, cui totus mundus patria eſt. Te forſitan deſinent honorare. Bene, optimè, quòd umbraticus honor elongabitur à Minorita. At inſuper contumelias inferent. Inferant & ipſam mortem. *Nolite timere* Matth.10. verſ.8. *eos qui occidunt corpus.* Audite autem Chriſtum beatæ immortalitatis & triumphorum cœleſtium decretorem: *Beati eſtis cùm vos oderint homines &c. propter filium hominis. Gaudete* Luc.6. verſ.22. *in illa die & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo.*

Verum tamen non facilè credamus, ad eam auditores noſtros malitiam excreviſſe, ut ſint in ſuos ex Dei nomine correptores graviùs inſurrecturi. Ejuſmodi terriis ſomniis aliquorum puſillanimitas, à dicenda reſilit veritate. Si nondum quippiam paſſi ſumus, cur adeò facilè tam atrocia ſuſpicamur? Majores aliquando occaſiones habuit B. Albertus Sar- Chron. p.3. lib.9. cap.36. tianus; nec ceſſit. Cùm enim more ſuo vehementer argueret peccatores, & quâdam vice notabiliter in præſentia Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolanenſis perſtringeret aliqua, quibus erat ille obnoxius, eum aulici cogitarunt occidere. Monitus ab amicis, ut diceret moderatiùs, ſic apud ſe propoſuit. Sed

dum in sermonis progressu solitus fervor incresceret, sui oblitus propositi, & Dei spiritum secutus, terribiliores quàm antè fulguravit increpationes. Totum obstupescebat auditorium, Dua verò interrogatus quid sibi de tanta videretur temeritate, placidè respondit: *Sine virùm agere, facit suum officium.* Eamdem speremus ab auditoribus nostris supportationem & reverentiam: quibus dum loquimur, conspirantem habemus nobiscum eorum conscientiam, quæ simul clamat asperiùs, & mentem concutit ad humiliationem. Hæc fortè non ita clamaret; nisi nostris lussitata vocibus, oculos aperuisset: sibi tuta videbatur, quia nondum delictorum suorum periculum intellexerat & turpitudinem; sed auditis prophetarum tonitruis, visis æterni Patris furoribus in Filium proprium solis circumdatum eauviis peccatorum, & aliis quæ dictante Spiritu Sancto prædicantur, expergiscitur tandem conscientia, reumque salubriter eaagitat.

Isa. 58. vers. 1. *Clama* igitur, *ne cesses.* Tametsi peccatores multis vicibus immobiles steterint quasi lapis in facinoribus suis, quis scit, si tandem Deus aperiat illis aurem? Multis ad mala properantibus occurrit, & avertit, atque convertit.

1. Reg. 19. vers. 20. *Misit Saul lictores, ut raperent David: qui cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, factus est etiam Spiritus Domini in ipsis, & Prophetare cœperunt etiam ipsi.* Misitque alios, & tertios, qui & ipsi Prophetarunt. Et iratus iracundiâ Saul abiit & ipse...., *& factus est etiam super eum spiritus Domini*, & cum cæteris

Actor. 9. vers. 1. Prophetavit laudans Dominum. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini* de repentè mutatus est in vas electionis.

Demus autem obfirmatam esse faciem & cor scelcratorum, non ideo tacendum est. Jeremiæ mandavit Dominus, ipsam antiquam duritiem & incorrigibilitatem patrum acriter

Jerem. 7. vers. 27. improperare filiis similiter induratis. *Loqueris ad eos*, inquit, *omnia verba hæc, & non audient te; & vocabis eos, & non respondebunt tibi, & dices ad eos: Hæc est gens, quæ audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum.* Idem quoque nobis faciendum circa populum pertinacem, & effectus verborum nostrorum Dei judicio relinquendus; prout rectè docet Bosquier in suo Legato Apostol. contrariis satis-

Tom. 1. Serm. 19. parte. 2. faciens argumentis. Bonus Christi miles sancto actus fervore peccata ubicumque sint aggreditur, Deo movente loquitur, nec suus est in hoc actu. Quod acute S. Gregorius observa-

Moral. lib. 27 cap. 22. vit, *Sæpè prædicatores declinare quosdam appetunt, sed tamen internæ instigationis impulsu exhortari eos instantissimè compelluntur. Certè Paulus cùm vestimenta sua excutiens à Corinthiis discedere vellet, audivit: Noli timere, sed loquere, & ne taceas. Propter quod ego tecum sum, nemo apponet ut noceat tibi: quoniam multus est mihi populus in hac civitate.* Et paulò inferiùs: *Quia eos internus arbiter tenet, cùm mittit, ita etiam illos modificans suscipit, cùm perducit; ut aliquando in cogitatione alia disponant, sed alia in opere peragant; aliquando aliter inchoënt, sed aliter consumment.*

Interim in quantùm hæc actio à nostri pender dispositione arbitrii, sic dirigenda est, ut ad eos perveniat, quos intendimus, effectus; displicentiam scilicet præteritorum delictorum, & cautelam sollicitam futurorum; idque cum spiritûs vehementia, & instantiâ moventium rationum. Hoc spiritu prædicabat & corda penetrabat S. Antonius Paduanus, Annal. Tom. 2.

de quo prædo quidam, qui cum undecim an. 1292. commilitonibus eum auditum venerat, tale per- num. 16.

hibuit testimonium: *Hominem audivimus ignita promentem eloquia, linguam tamquam faculam conspeximus ardentem, & corda nostra sensimus tamquam ceram in conspectu ignis liquefieri. Compungi, & conteri vehementer cœpimus de reatibus commissis, veluti si cœlestis ipse ille prædicator manu corda nostra comprimeret, & ad singula verba novis nos pungeret aculeis. Doluimus, flevimus, ingemuimus, ad prædicatorem ipsum accessimus, confessi sumus universa nostra facinora, & cœlestis doctrinæ salutarisque eahortationis reportavimus antidotum.* Ad similes effectus nostram purè componamus doctrinam, aderit idem Dominus ad concurrendum. Ab animalibus visis per Ezechielem in medio ignis, pro-

diisse describuntur *scintillæ, quasi aspectus æris* Ezech. 1. candentis. Quod in hunc modum D. Grego- vers. 7.

rius interpretatur: *Æs candens est prædicatio* D. Greg. accensa. *De ære candente prodeunt scintillæ, quia* Hom. 3. in ex eorum exhortationibus, verba flammantia ad Ezech. aures audientium procedunt.

Meminerimus tamen, nos esse defectuum illorum spiritualium medicos, & circumspectè tractandos esse miseros ulcerosos; ne sanitatis loco, mala deteriùs exacerbentur. Scire debet quilibet sic temperare libertatem & fervorem corripiendi peccatores; ut non transire credatur in damnabilem maledicentiam, hujus totius sacri operis destructivam.

Hujus artis præcepta non contemnenda tra- Serm. 20. dit Bosquier loco citato. Hæ sunt ejus præceptiones,

Primò, Antequam laxet linguam in specialem factorum alienorum correptionem; priùs locum, regionem, gentem, & nota gentis vitia attendat, quæ vulgò & sinè cujusquam dubio ibidem regnare dignoscuntur.

Secundò, Si facinora quædam singularia in plures clam proserptura, ipsi deferantur, non segniter discutienda est veritas, nec rumusculis illico credendum, aut muliercula conquerenti, vel suspicioso alicui & susurroni, ne contra umbram vanumque Nihil arma sua ridiculè intorqueat & de Innocente aliquo malas creet apud auditorium opiniones, eumve exponat calumniis: aut compertâ delationis falsitate, cum rubore cogatur suum verbum retractare, suamque nimiam excusare credulitatem.

Tertiò, Non in pejus interpretetur, quæ piam admittunt interpretationem, & quæ licèt ignaræ plebi damnata videantur, penitùs tamen inspecta, non sunt à jure discrepantia. Auditi sunt aliqui furere contra lites forenses velut achristiana dissidia, quæ tamen justè fuerant intentatæ: alii in modos regiminis tam Ecclesiastici quàm sæcularis, quorum rationes secretas & necessarias non intelligebant:

alii

alii in quosdam casus militum & militiæ debachabantur, qui tamen apud expertos clarè excusabiles judicabantur: Dumque factorum omnium circumstantias aliqui non sciunt satis defectu experientiæ, vel non attendunt, feriunt innocentes & non leviter exacerbant.

Quartò, Levitatem attendat & gravitatem delictorum. Nemo non stultum judicet, qui totis lacertis clavam ingentem invectivarum in muscam intorqueat, vel bellicum præparet tormentum in passerem fructus sui horteli depascentem. Æquè se ridiculum exhibet, qui in delicta levia velut in atrocia scelera tonat & fulgurat.

Quintò, Prudentis hominis non est occultissima & uni soli cognita longis humiliis & publicis debellare, toto reliquo auditorio ignorante, quid velit tot clamoribus significare. Utiliùs fuerit per transenoam uno verbo rem tangere, ad captandam occasionem secreti colloquii longioris ad alicujus delinquentis salutem, vel ad aliquem conscientiæ stimulum injiciendum.

Sextò, E contrà plurimùm offendit, dum quæ publica sunt & mali exempli, toriqne displicent mundo, soli videntur concionatori non displicere, dum ea sic traosit dissimulanter, quasi non auderet attiogere. Huic imminet senteotia Prosperi; *Ille cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, perditèque viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus perit qui eo tacente perierunt.* Crimina publica sunt velut impudens Goliath, provocantia ad certamen acies Dei viventis: si nullus in medium procedere audeat, gloriantur se cnm improperio ipsis Ducibus insultasse; scandalizaturque populus ob ignaviam eorom & timiditatem, qui occurrere debuerant, & amputare capita vitiorum. Non absque ratione Philippus Diex quærulatur; *O quantùm est in his infelicibus temporibus circa hoc lachrymandum, cùm plerique concionatores non tam divinam virtutem, quam sermonis sui eloquentiam volunt ostendere! Si illi quibus protegendæ urbis cura incumbit, cùm fortissima tela in hostes immittere deberent, flores è manibus injicerent; quomodo adversariis aditum impedirent? O quàm ad litteram plurimi prædicatores hoc faciunt! quorum munus est efficacissimis verbis & severis reprehensionibus vitia relegare, flores tantummodo emittunt, quæ sunt composita verba; quibus peccatores non concutiuntur, nec vel minimo timore deterrentur.*

De vita contempl. lib. 1. c. 20.

Serm. 2. Dominica 4 post. Epip.

Septimò, Sic dicat, ut candida ejus intentio patescat, & salutis alieoæ desiderium. Miram vim præbet castigationibus purus ille atque angelicus candor, quando noscuntur ex siocera erga peccatores procedere compassione. Hæc fugitur à visceribus Jesu Christi, & ab inexplicabili tormentornm acerbitate, quæ sunt peccatoribus præparata. Utinam audiant prædicatores omnes D. Bonaventuram, Dei tenerrimom amatorem! *Quomodo*, inquit, *poteris æternaliter summo bono frui, quod vides adeò contemni, ut pro vilissima fame commutetur, aut negligatur, aut potiùs blasphemetur; & tamen ab hoc contemptu negligis animas removere, & ad amorem ejus convertere? His auditis, scindantur obsecro corda nostra, & nullo modo tantam Dei injuriam patiamur. Fateor in corde meo jacere, quòd si certissimus essem quòd numquam deberem perfrui Deo meo, nihilominus ad honorem suum vellem libentissimè pro qualibet anima peccatrice semel mori; ita quòd tot mortes in præsenti sustinerem, quot sunt in mundo animæ peccatrices, ut ipsæ consequerentur gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Quantò magis si secum deberem postmodum gloriari? Ista, scilicet divinus contemptus & animarum interitus, sunt quæ deberent nos inflammare ad prædicationes, confessiones, orationes, & ad bonorum exemplorum exhibitiones &c.* Hæc sit temperatura cordium nostrorum & suavissimum condimentum in correptione peccatorum, ut cùm duritiam districti rigoris assumimus, intùs charitatis igne liquescant viscera, & eorum ardeamus amore, in quos asperâ correptione sævimus. Aliàs *in ore stulti virga superbiæ*; quia scit rigidè percutere, sed nescit humiliter compati. Sapiens à propria metiens alios infirmitate, & à propriarum vehementiâ tentationum conjectans alienas, ex iis quæ expertus est didicit compassionem; & sicut propriis, sic timet periculis proximorum. Talis compassionis angustiis actus B. Jacobus à Marchia, dum blasphemiæ similiumque criminum explicuisset horrorem, flexis coram populo genibus tanto supplicabat affectu ab illis eos abstinere, nullus ut adeò pertinax inveniretur, qui non manum daret, iis victus supplicationibus. F. Michael Barce, adibat interdum loca, ubi ad levitates suas adolescentes & puellæ congregabantur, promittebatqoe se per annom integrum pro illis oraturum, qui istâ vice ab offendendo Deo abstinerent. Ab aliis alia sunt inventa stratagemata, & usque hodie cum fructu maximo inveniuntur.

Stim. amoris parte 2. cap. 11.

Prov. 14. vers. 3.

Chron. p. 3. lib. 6. cap. 3.

Ibid. c. 35.

Octavò, Si tempora observaverit, meliùs proficiet, v. g. publicarnm temporibus calamitatum, dum amari peccatorum fructus gustantur, ipsorum malitia meliùs intelligitur. Dum etiam videt speculator gladium venientem, eique per peccata portas aperi, tempus est buccinâ insonandi, & proditores manifestandi, ut citiùs eliminentur. Similiter, dum horrendo aliquo judicio perculsus est populus, aut aliâ aliquâ occasione meliùs dispositus ad apprehendendam scelerum malignitatem, non est ea prætermittenda commoditas.

Nonò, Peritissimi hujus artis magistri, usi sunt aliquando præviâ quadam auditorum laude, ad conciliandum animum statim feriendi peccatoris. Hoc observavit Alphonsus Salmeron in D. Paulo; qui ut Romanis, Corinthiis, Galatis & Hebræis necessarias reprehensiones absq; perturbationis & recalcitrationis periculo infligeret: priùs eos mitigat aliquorum laudabilium commemoratione, ne se planè contemptos arbitrarentur: deinde vitia objicit, ne se sanctos omnino & innoxios reputareot. Propter quod etiam Christus Dominus, & prudentissimi quique per obliquos circuitus aliquando suos impetierunt auditores, dum populares adhibuere parabolas, ut tantò suaviùs instillarent correptionem, & veritatem clariùs aperirent, cordaqoe

Tom. 13. Disp. 16 in Ep. Pauli.

ictu tangerent certiori. Nesciebant vel quò vellet ire monitor, donec eò usque deducebantur, ut in seipsos sententiam pronuntiarent. Sic David aliquoties, & alii multi capiebantur.

Decimò, Si differentiam attendat honoratiorum personarum & viliorum eorumque dispositionem, penetrabit aliquando fortiùs tangendo leniter, quàm durè & rusticè hastas impingendo correptionum. Sapienter id do-

1. Cor. 12. vers. 23.

cet S. Anselmus explicans illud; *Quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Sic enim commentatur; *Nisi prædicator sustineat, quando* potens aliquis & protervus *ferre congruè correptionem possit, augetur in eo malum quod insequitur. Sæpè enim contingit, ut talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. Quid itaque in hujus culpâ prædicatori agendum est, nisi in sermone admonitionis, quam pro salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat? Qui & præsto est, & de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat: & cùm generaliter contra culpam invectio intenditur, correptionis verbum libenter in mentem reducatur; quia potens pravus ignorat, quòd sibi hoc specialiter dicatur. Unde fit plerumque, ut eò vehementiùs perpetratam culpam lugeat, quò reatum suum, & cùm percussum sentit, nesciri putat. Magnâ itaque arte prædicationis agendum est, ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam correptionis temperamento ad salutem redeant. Qui dum apertâ invectione ferire non queunt, quasi honore tegminis videantur.* Dum eâ prudentiâ sic agit, ut nescire credatur delictum singulare, vel sic personam regit ut honorem ejus servet, tunc profundiùs & potentiùs intrat in cor delinquentis. Hanc discretionis pulchritudinem

Annal. Tom 5. an. 1418. num. 17.

præclarè D. Bernardinus tenuit. Ita emendabat, ut carperet magis vitia quàm homines, magis scelera quàm scelerum auctores ad odium provocaret, ut non eamdem omnium vel temporum, vel conditionum, vel personarum, vel statuum in reprehendendis criminibus rationem haberet. Ut de magnis, ac potestate aliquâve dignitate præditis viris, modestè loqueretur semper; ne leves, vani populi, ac præcipites motus, quos reprimere semper studebat, magis concitaret. Ut multa consultò præteriret, quæ vel nihil proficere, vel occulti alicujus sceleris notitiam experientiamque proindè afferre cognosceret. Ita, ut cùm infiniti ille profectûs auctor extiterit, numquam tamen ipsum aliquid quod scandali causa esset, compertum sit protulisse.

Undecimò, Personas autem quantumcumque viles, in reprehensionibus nominari, etiam de veris delictis, non patitur auditorium. Imò plùs offenditur à dicentibus peccata publicè, quàm à committentibus. Cùm enim molestissima sit taliter denuntiato verecundia, non est qui ei non compatiatur, & fremat in crudelem tortorem viscerum alienorum.

Duodecimò, Raritas etiam correptionis, facit eam acceptabiliorem; obtundit autem nimis frequens, suique parit contemptum.

Decimotertiò, Demum aurea regula est, quam D. tradit Bernardinus: *Quid ad hæc incantatrix vox, quid sermo faciet prædicantis? Orabo pro eo, humiliabo in jejunio animam meam, baptizabor pro mortuo uberrimo quodam profluvio lachrymarum, apud quem viderim nihil humanæ incantationis quamlibet sapientiam, nihil quantamcumque admonitionis industriam prævalere.* Juxta

In Qui habitat Serm. 13.

hanc sancti & prudentissimi viri instructionem, præmiserunt aliqui ferventes ad Deum orationes, pro corripiendis peccatoribus, ut eis aurem Dominus aperiret ad audiendum, & cor emolliret ad pœnitendum, præsertim dum se pararent atrocioribus sceleribus insectandis. Sciebat enim quòd *si destruxerit* Deus, *nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: si continuerit aquas, omnia siccabuntur.* Ipsum idcirco interpellârunt, ut verbum seminatum irrigaret, & ad maturum perduceret fructum. Eâdem ratione Paulus Apostolus suorum etiam petebat orationes discipulorum: *Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.*

Job. 12. vers. 14.

Coloss. 4. vers. 3.

Hæ sunt regulæ publicarum correptionum, ad quas si sermonem dimetiamur, non facilè vertetur in maledicentiam: multò minùs in pessimam adulationem, nutricem vitiorum, & turpem sacrorum pulpitorum infamatricem.

Fortè dejiciet animos, quòd post multos labores, omnemque adhibitam industriam æquè duri manebant peccatores & indomabiles, absque ulla spe melioris frugis. Hâc occasione quid humani passus est S. Jeremias. Cùm enim apud Judæos suos nihil proficeret, sic conquerebatur; *Seduxisti me Domine, & seductus sum*, dum scilicet me conscium meæ inutilitatis, ad prædicationis officium coram obstinato populo coëgisti. *Fortior me fuisti & invaluisti.* Interim *Factus sum in derisum totâ die, omnes subsannant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito; & factus est mihi sermo Domini in opprobrium & derisum totâ die. Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ulterà in nomine illius.* Sed quid tandem? Passusne est Deus ad querelas istas sui verbi silentium? Minimè. *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Statim erumpere debuit tonitru verbi Domini, disruptâ nube pusillanimitatis. Legatur D. Chrysostomus Serm. 1. de Lazaro in initio, ubi plenè satisfacit iis, quos hæc tentatio reddiderit languidiores.

Jerem. 20. vers. 7.

Tom. 2.

Quòd si ob annuntiata vitia contigerit nos pati persecutiones, & contradictiones, sit nobis in exemplum invictæ constantiæ B. Thomasuccius, qui missus à Deo annuntiare populis Italiæ scelera eorum, & vindictas secuturas, passus est ab auditoribus verbera, proscriptiones publicas, accusatus magiæ, incarceratus, traditus ludibriis insolentissimorum servorum atque satellitum, contemptibiliter tractatus à pueris, triduò detentus in carcere absque cibo & potu, exceptus colaphis, aliisque modis indignis. Nec tamen istis umquam deterritus est, quin populis integris, & personis singularibus, & Magnatibus divinas

Annal. Tom. 4. an. 1377. num. 4.

minas

minas denuntiaret, atque ad vitæ emendationem sollicitaret. Dicere potuit cum Isaia: [Isaiæ 50. vers. 5.] *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Et cum Apostolo: [Act. 20. vers. 23.] *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.* Eadem debet esse mens universis divini verbi ministris.

TEXTUS & §. *X.*

Et Virtutes.

SUMMARIUM.

Rectus ordo postulat, ut post extirpationem vitiorum, prædicemus plantationem virtutum. Virtus comparata arbori quam vidit Nabuchodonosor: item paradiso terrestri; imò & cœlesti. Cavenda falsa virtus philosophica, & hypocritica inutilis. Veram Virtutis formam expressit Christus in sua vita. Item in Passione. Crux Christi dulcorat hujus vitæ amaritudines. Discitur etiam vera virtus è gestis sanctorum. Prædicatio quà docemus alios, sit etiam nobis stimulus ad easdem virtutes.

CUm posuissent Philistæi arcam Dei super plaustrum novum, & junxissent in eo duas vaccas fetas, per quas in fines Israël reveheretur, [1. Reg. 6. vers. 12.] *ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.* Per *Bethsames*, quæ *Domus solis* interpretatur, convenienter potest Sancta Dei Ecclesia designari; hæc enim domus est Christi, solis æterni, qui veraciter dixit de semetipso: [Joan. 8. vers. 12.] *Ego sum lux mundi.* Ad hanc domum Dei sive Ecclesiam, Arca fœderis apportatur, tabulas continens testimonii, & signatam in iis legem Decalogi: [Greg. Hom. 3. in Ezech.] idque imprimis per sancta quatuor animalia, quæ prophetiæ spiritu futura prævidit Ezechiel, & subtili narratione descripsit, quatuor scilicet Evangelistas, qui legem Gratiæ Dei digito seu Spiritu Sancto conscriptam nobis apportarunt; deinde per horum successores, Apostolicos viros, ejusdem divini Verbi per mundum universum prædicatores. Hi possunt intelligi fuisse figurati per vaccas illas, quæ Arcam Dei cum legis tabulis ab Israëlitis amissam, iisdem reportasse leguntur. Siquidem hi, lege Dei quasi ablatâ à Christianis hominibus per frequentissimam præceptorum transgressionem, satagunt eamdem in mentes & executionem omnium reportare. Eunt igitur per mundum universum, prædicatione continuâ *mugientes*, suæque conversationis exemplo sectandam docent virtutem *non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram*; sed in directum pergentes, per viam virtutis, quæ consistens in medio, neque ad dexteram excessus, neque ad defectus sinistram permittit declinari. Hoc idem Franciscus à suis requirit consodalibus, Arcam legis cunctis hominibus per prædicationem delaturis, ut eamdem viam studeant fidelibus præmonstrare, verbo & exemplo *annuntiando eis virtutes.*

Vitia voluit annuntiari ad destruendum, Virtutes ad ædificandum; eo ordine quo dixerat Dominus Jeremiæ [Jerem. 1. vers. 10.] *constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas & disperdas & dissipes* vitia: *& ædifices & plantes* Virtutes. Nec enim rectè bonitatis fundamentum ponitur, nisi prius malitiæ fabrica destruatur: nec potest mens habere regnum virtutum, nisi priùs excusserit jugum vitiorum. Providè igitur sanctus Pater in hac primùm annuntiationem vitiorum posuit, deinde virtutum, ut sui Ordinis concionatores antea manum apponerent destructioni vitiorum, postea virtutum ædificationi. Dum Joannes Baptista princeps prædicatorum nasceretur, prædixit per os Patris ejus Spiritus Sanctus præiturum ipsum ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Quæ autem esset ea scientia salutis, jam apertè declaraverat, dicens: [Luc. 1. vers. 74.] *Ut sinè timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Ut liberati de manu vitiorum, serviamus illi in sanctitate. Hic est finis, inquit Angelus de Paz, [Comment. in eum locum.] qui in servitute Dei intenditur, vel modus quo serviendum sit Deo, ut simus sancti & immaculati, quia cives sanctorum & domestici Dei; ut cor nostrum congregemus in sanctitate, quia domum Dei, in qua servimus, decet sanctitudo, quia is, cui servimus, clamat: *Sancti, estote, quia sanctus sum.* Et: *sanctifica mihi omne primogenitum, quia meum est*; hoc est Animam,

Qui denique ait: *Congregate mihi sanctos, quia ego magnificus in sanctitate*, ut sanctificem ampliùs & coronem. Serviamus etiam *in Justitia*, ut sicut sanctè quoad Deum & seipsum, ita justè quoad proximum vitam dirigamus. Ad dandam plebi hanc scientiam salutis missus fuerat ille primarius Christi minister. Idem credamus nostrum esse officium, ut plebem doceamus, quæ sit vera atque necessaria justitia christiana, & in ea qualiter ambulandum. Hæc autem in virtutibus, & in bonis consistit operibus. Insistamus igitur ordini supradicto, dicentes cum Apostolo: Colos. 1. vers. 25. *Nos Christum annuntiamus, corripientes omnium hominem*, de vitiorum corruptela: *& docentes omnem hominem in omni sapientia* Virtutum, *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo.*

Tametsi propter Virtutis arduitatem rari hominis vitam suam regulent ad ejus præscriptum; ipsa tamen Virtus per se amabilis est, & homini connaturalis à prima sua creatione, & cujus pulchritudinem nemo non libenter audiat & contempletur. Similis est Arbori, quæ Nabuchodonosori ostendebatur, Dan. 4. vers. 8. *Magna, & fortis, & proceritas ejus contingens cælum, & aspectus ejus erat, usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea*: quosdam ad momentaneum gustum recreans, quosdam sustentans ad vitam gratiæ, alios insuper ad vitam æternam. *Subter eam habitabant animalia & bestiæ*: Philosophi enim & Gentiles quicumque, beatè vivere cogitarunt, & virtutis umbram sollicitè quæsierunt. *Et in ramis ejus conversabantur volucres cœli*, sive Angeli sancti: *& ex ea vescebatur omnis caro*; quin & ipse Christus Dominus, cujus cibus fuit facere voluntatem Patris, seu, quod idem est, exercere virtutem. Imò virtus non una duntaxat Arbor est, sed integer Paradisus, in quo produxit Dominus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave. Eccles. 40 vers. 17. *Gratia sicut Paradisus in benedictionibus.* Quæ gratia sive charitas, complexio est omnium virtutum, omnem superans amœnitatem ad lætificandum cor, omnem fœcunditatem ad spirituale nutrimentum, omnemque securitatem ad vitæ tuitionem. Ampliùs dicam cum Seraphico Dist. Salu tis III. 5. cap. 1. Bonaventura, virtutem quodammodo cœlestem esse Paradisum; quia hic est habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, & locus ordinati amoris. *Talis*, inquit, *est anima viri justi & virtuosi: nam ibi est habitatio divinæ gratiæ, ibi est gaudium bonæ conscientiæ, ibi est lux veritatis ibi est amor charitatis.* Gratissimum solet esse filiis deduci ad domum patris: longè verò gratiùs est Patri nostro cœlesti, ut filii sui ad eum reducantur, ad quem primitùs creati sunt, Paradisum. Nos igitur sacris ad virtutem exhortationibus huic muneri incumbamus.

Veram autem doceamus virtutem, & non solam aliquam virtutis larvam, quæ solis satisfacit hominum oculis, atque in ethnicis etiam Philosophis, hæreticis & atheis invenitur. Hujusmodi fucatas ac hypocriticas virtutes explodit D. August. 19. de Civit. Dei cap. 25. Ea autem est vera virtus, quæ supra politicam seu hypocriticam potiùs agendi rationem elevatur, & ad eum suas refert actiones, adjuvante eâ, quæ formam præbet virtutibus omnibus, charitate. Nisi enim virtutum officia (quæ ad malum ex fine perverso servire possunt) per charitatem ordinentur ad Deum, sterilia prorsùs absque fructu meriti remanebunt. Finem verum, ad quem nos dirigit charitas, digito nobis ostendit Apostolus, exprimens ad quid creati simus, vocati atque prædestinati: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum,* Ephes. 1. vers. 5. *secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Et iterum *In quo etiam & nos sorte vocati sumus &c. ut simus in laudem gloriæ ejus* vers. 11. *nos qui antè speravimus in Christo.* Hæc industria omnes actiones in laudem Dei gloriæ dirigendi; est ex præcipuis radiis directionis humanæ vitæ, quo abducuntur homines à temporalibus, & ad cælestia perducuntur. Illudque est summum nostræ fidei beneficium, ad quod nos hortatur Apostolus: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis* Ephes. 5. vers. 8. *ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate; probantes quid sit beneplacitum Deo.* Hæc est virtutis anima, in ea nil æstimare, nil ab ea expectare, ad nil aliud ejus opus dirigere, nisi ut Domino placeamus. Cùm perfectionem hanc & sanctitatem oppugnet directè vulgaris ista larvata virtus, tenebris involvens totam vitam humanam, pergit Apostolus omnes commovere, nosque potissimùm populi instructores: *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* vers. 11. Nos præsertim, quibus datum est veræ virtutis, quâ fit anima placens Deo, clariùs intelligere dignitatem. Rectè dixit Seneca, nil æquè necessarium esse, quàm pretia rebus imponere. Nostri itaque studii sit, veræ virtutis valorem ab adulterinæ discernere vilitate; per eamque opera nostra facere digna pretio.

Veram certissimæ probatissimæque Virtutis formam, in sua vita Christus expressit. Qui in hujus assidua conquieverunt meditatione, in suis moribus ostenderunt perfectæ sanctitatis eminentiam, multòque sublimiùs sunt de Virtute philosophati, quàm unquam subtilissimi hujus sæculi sapientes. *Unde credis*, ait Bonaventura, *quòd B. Franciscus* Prolog. Medit. Vitæ Christi. *ad tantam virtutum copiam, ad tam luculentam intelligentiam Scripturarum, ad tam etiam perspicacem notitiam fallaciarum hostilium, & vitiorum pervenerit, nisi ex familiari conversatione & meditatione Domini sui Jesu? Propterea sic ardenter afficiebatur ad ipsam, ut quasi sua pictura fieret. Nam in cunctis virtutibus quàm perfectiùs poterat, imitabatur eamdem, & tandem complente ac perficiente Jesu, per impressionem sacrorum Stigmatum, fuit in eum transformatus totaliter.* Eamdem porrò vitæ Christi perfectionem, quam sibi hausit, suis etiam auditoribus eructavit, præcipuam inde sumens concionandi materiam, pro mundi pessimi reformatione. Idem debet esse nostrum propositum, efficacissimis verbis omnes allicere ad imitandum sanctas istas, secutas & gloriosas actiones nostri Ducis & amabilis Salvatoris. Oportet nos esse tubas argenteas, ad suscitan-

ſuſcitandum palautes milites, ut ducem ſequantur præeuntem & oſtendendum per quas virtutes & opera præceſſerit in gloriam ſuam, & qualiter [1 Cor. 1. verſ. 30.] *factus ſit nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Sapientia*, in docendo viam vitæ; *Juſtitia*, ad reddendum Deo noſtræ vitæ opera; *Sanctificatio*, ad cœleſtem nos elevans modum agendi; *Redemptio*, à tyrannica ſervitute pravorum affectuum vitæ ordinem perturbantium. Cùm igitur pædagogi ſimus Chriſti diſcipulorum, & ipſe ſe Vitæ librum effecerit, eum tradamus omnibus perlegendum, aut prælegamus, & explicemus omnibus, qui veræ Virtutis notitiam concupiſcunt. Videatur Alphonſus Madritenſis in Spec. Perfect. cap. 15.

Inſuper cùm humana vita vulgariter ex maxima parte in miſeriis & afflictionibus conſumatur, iiſque ſoleant electi plùs cæteris gravari, ut in earum tolerantiâ nobilioribus virtutum actibus exerceantur, ad eaſdem Chriſtus Dominus deſcendit calamitates, ut doceret, quâ conſtantiâ & ſanctitate per ſpinas pergendum ſit, & contradictiones. Paſſiones ipſius, ſuaviſſimum nobis ſolatium ſunt, & clariſſimum in calamitatibus directorium. Noſtri muneris eſt ſanctiſſimam ejus crucem oſtendere, ipſorumque amaritudinibus dolorum immittere, ut per ipſam valeant dulcorari. Cùm veniſſent Filii Iſraël in Mara, nec poſſent bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ, [Exod. 15. verſ. 25.] *Dominus oſtendit Moyſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt.* Si Moyſes, eo ligno, Deique conſilio neglecto aliud accepiſſet pro ſua phantaſia ad eum effectum inutile, numquid Deo feciſſet injuriam & populo; Oſtendit nobis Dominus lignum crucis, imponendum amaritudinibus afflictorum, ut per illud dulceſcant: ipſum ſiquidem eſt [Eccleſia in Officio S. Crucis.] *dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera.* Ut quid ergo Dei negligimus conſilium? Diſplicet ei vehementer, quòd cum tantis expenſis, laboribus, tantâque ſapientiâ emplaſtrum compoſuerit & pharmacum, ad curandum quotidianos ſuorum filiorum dolores, diſpenſatores myſteriorum Dei non illud proferant nec applicent, ſed obvolvant ſilentio, agreſteſque populo frondes obtrudant diſcurſuum inutilium; quæ quidem recreant ad momentum, ſed mox evaneſcunt, nec congruunt curandis ulceribus animarum. Nos igitur prædicemus Jeſum Chriſtum crucifixum. Enimvero nullius Ordinis Religioſi tam poteſt eſſe propria crucis prædicatio, quàm noſtri, qui ſub ſtigmatizato vexillifero Crucifixi, noſcitur militare. Ita continuam habebat de illa meditationem noſter F. Barnabas Interanmenſis, ut vel omnes ejus diſcurſus & conciones de ipſa eſſent; vel alias concionum materias, ex Paſſionis dominicæ permiatione redderet efficaciores.

Aliam adhuc facem accendit in Eccleſia ſua Spiritus Sanctus, ad dignoſcendam & appetendam veræ Virtutis pulchritudinem; nimirum facta Dei famulorum, qui ſic in ſanctitate & juſtitia ſerviunt coram ipſo, ut omnibus aſpicientibus admirationem injiciant, & ſanctam provocent æmulationem. Chriſtus [Matth. 11. verſ. 7.] Dominus coram diſcipulis & auditoribus ſuis, S. Joannis Baptiſtæ virtutum exempla magnificavit: noſtrum etiam erit proferre tot Heroum ſpiritualium geſta inſigniora, quibus infirmi homines ad faciendum ſimilia confortentur. Id agebat præ cæteris B. Joannes Capiſtranus, [Annal. Tom. 6. an. 1451. num. 15.] magnificans ubique ſuis concionibus glorioſam vitam S. Bernardini, eique tribens omnia, quæ Deus quotidie per manus ipſius operabatur, miracula: ipſius etiam inſtinctu, Sacella multa & Eccleſiæ in ipſius erigebantur honorem. Plurimùm autem ædificat laus eorum Sanctorum, qui ſub aliis Ordinibus militârunt: propriam videmur venari gloriam, dum noſtros ſolummodo commemoramus. Mirabile erat, quantùm noſter [Chron. p. 4. lib. 8.] B. Nicolaus Factor ferveret in laudibus B. Ludovici Bertrandi de Ordine Prædicatorum, quem ex toto animo ipſe reverebatur, & venerandum atque imitandum aliis proponebat.

Nobis verò ante omnia eas perſuadeamus virtutes, quas aliis prædicamus, ne cogamur eam ſubire verecundiam, quam D. Gregorius commemoravit, dicens: [In Ezech. Hom. 18.] *Cùm bonorum auditorum vitam conſiderant concionatores, ad eamque ſe profeciſſe ſuis exhortationibus penſant, erubeſcunt tales non eſſe, quales auctore Deo per ſe conſpiciunt alios factos eſſe. Nam cùm ipſa ſua doctoribus verba ad memoriam redeunt, erubeſcunt non ſervare quod dicunt. Unde per Salomonem dicitur*: Anima laborantis laborat ſibi, quia [Prov. 16. verſ. 26.] compulit eum os ſuum. *Os enim noſtrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod diximus à vitiis refrenamur. Quia turpe nimis eſt, ibi nos negligendo cadere, unde nos prædicando conati ſumus alios levare.*

TEX-

TEXTVS & §. XI.

Pœnam.

SVMMARIVM.

Concionatoris est, subodorari peccatorum pericula atque supplicia, eademque populo denuntiare. Deus per se & per ministros suos semper studuit timorem pœnarum incutere. E contrà dæmon eumdem semper è cordibus hominum excutere conatus est. Nostri muneris est, Deo cooperari, ad excitandum in peccatoribus timorem. Exempla eorum, qui hoc præclarè fecerunt. Neque ab hoc desistendum, eò quòd auditorium immobile videatur. Qui Auctores legendi, ad hauriendum ex eis spiritum efficaciter movendi.

PAradoxum apparet encomium, quod de Sponsa in sacro Cantico prædicatur: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* (Cant. 7. vers. 4.) Verè tamen repletum est divinæ mysteriis sapientiæ: siquidem per eum locutionis modum, voluit Spiritus Sanctus providentiam exprimere & prospectionem, quâ Sponsa Ecclesia subodorari solet à longè pericula, quæ sibi possent ullatenùs obvenire. Turris illa erat in summitate Libani ædificata, ad excubias faciendum contra Damascenos & Syros, qui è Damasco totius Syriæ capite Judæam infestarent. Pericula igitur hinc imminentia per turrim Libani aperiebantur, ut caverentur. Idem est nasi munus in corpore, odores nimirum fœtoresque discernere; ut objecta disconvenientia tempestivè valeant amoveri. Quisnam porrò in Ecclesiæ corpore Nasi subit officium? Magni Gregorii sententiam audiamus: (Homil. 11. in Ezech.) *Sicut turris in monte idcirco ad speculandum ponitur; ut hostes qui veniunt longiùs videantur: sic Prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores vitiorum, odoresque virtutum. Incursus malignorum spirituum longè prospiciat, & commissas sibi animas per suam providentiam cautas reddat,* ne eis ex improvisò pericula ingruant peccatorum, & pœnæ infernalium tormentorum *Speculatorem dedi te domui Israël*, ait Dominus Ezechieli, (Ezech. 33. vers. 7.) *audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut se custodiat à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Si autem venientem gladium annuntiaveris populo, tu animam tuam liberasti. Igitur Concionator debet esse *Nasus* Ecclesiæ *sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, contra infernum, venturas ex eo pœnas populis annuntiando, ut observare se valeant, & fugere à facie gladii venientis. Hoc est, quod Franciscus eos, qui de suis erunt divini Verbi præcones, commonet, ut non modò vitia & virtutes, sed *Pœna* etiam suis studeant auditoribus annuntiare; ut tamquam Nasus corporis Ecclesiæ, innotescere faciant fœcem sulphuris infernalis, & fumum tormentorum, qui ascendet in sæcula sæculorum. (Apoc. 14. vers. 10. & 11.)

Licèt homo tam ingenuæ sit naturæ, ut amore potiùs regi deberet, quàm timore; judicavit tamen sapientissimus Deus ipsi, quantumvis integro adhuc & Innocenti, frænum esse timoris injiciendum, quo efficaciùs à malo cohiberetur: ad primum enim præceptum, minas eventuræ mortis apposuit, in casu prævaricationis. Quantò magis timorem incutere debuit, postquam ad indignam degeneravit vilitatem, atque ad malum vehementioribus urgetur stimulis concupiscentiarum? Quos igitur singulari curâ salvos fieri exoptavit, magnis studuit circumdare terroribus, ne ab officio mandatis obediendi egrederentur: modò peccantibus vindictas proponens venturas; modò infligens, ut à malo desisterent, & acerbiora formidarent. Ad Israëlitas directi sunt Prophetæ, quibus nil fuit in ore frequentiùs, quàm gladii, vastationes, incendia, pestilentiæ, captivitates, iis præparatæ, qui idolis adhæsissent aut aliàs à Deo & justitia recessissent. Et ne frivolas existimarent esse minitationes, pœnæ illæ sunt etiam realiter subsecutæ.

Redemptione gratiosâ propiùs accedente, cùm Præcursor Domini venisset, ad annuntiandum amabilem lucem jam apparentem, à tonitruo venturæ iræ divinique judicii suam exorsus est legationem. Ipse Christus veniens ut agnus, & plenus columbino Spiritu Sancto, quasi nesciens severitatem, durioribus tamen ingeniis denuntiat: (Luc. 13. vers. 3.) *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et ipsis suis familiaribus dicit: (Math. 10. vers. 28.) *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam* Aliis etiam variis occasionibus memoriam refricat divinæ justitiæ, mortis incertæ, & reddendarum coram Deo judice rationum. Conformiter

suo

ſuo Magiſtro Ss. Petrus, Paulus & Judas plena terroris & ſervitutis tradunt, etſi tunc ſol charitatis in ſuo videretur eſſe meridiano. Et pro coronide chriſtianæ inſtitutionis, Diſcipulo ſuo quem diligebat, tam horrenda revelavit Jeſus, & ſcriptis mandari juſſit in Apocalypſi, ut comparatione reboantium ibi fulgurum & tonitruorum, ſibilus auræ tenuis videantur antiquorum ſententiæ Prophetarum.

Contrà verò ſerpens infernalis, ab initio timorem excuſſit à primis parentibus, quem incuſſerat Deus: Gen. 3, verſ. 4. *Nequaquam*, inquiens, *morte moriemini*; atque deinceps etiam unicum ejus ſtudium fuit, omnem timorem evanidum reddere, animaſque in quodam ſtupore conſtituere, ut brutorum inſtar neſciant futura proſpicere, nec apprehendant, niſi quod propriis oculis ſibi viderint imminere. Quibuſdam ſecretò fidem adimit immortalitatis animarum: qui ea, quæ de mortuorum reſurrectione, de reddendis vitæ rationibus, & de ſuppliciorum infernalium acerbitate prædicantur, haud aliter audiunt, quàm ſi ea antiquis Poëtarum fabulis confictа ſint, ignaræ plebis & mulierum terriculamenta. Iſti, ſi non verbis, factis ſaltem & inertiâ futurorum, dicunt: Sap. 2. verſ. 1. *Non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, quaſi non fuerimus.* Aliis perſuadet ſubdolus deceptor ignem infernalem non adeò vehementem eſſe; ſed infernum non aliud eſſe, quam hypocauſtum moderatè calefactum, ad commoditatem potiùs, quàm ad tormentum: prout uni ſagæ illuſit aliquando, cui videbatur ſe cum amaſio ſuo in mediis eſſe flammis, quibus tamen non adurebatur. Deut. 32. verſ. 29. *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent!* Alii, tametſi credant infernum eſſe, eumque tam atrocem ut declamatur, minimè tamen ſibi perſuadent in eum ſe præcipitandos, & ſtultè hoc vel æquivalens Eccleſ. 16 verſ. 16. apud ſe cogitant: *A Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura?* Judæos antiquos ſimilis dementaverat inſania temporibus Ezechielis. Dum prænuntiarentur caſtigationes, exilia, diſſipationes, occiſiones &c. ſolabantur ſeipſos ab iſtorum dilatione malorum, dicentes: Ezech. 12. verſ. 22. & 27. *In longum differentur dies, & peribit omnis viſio.* Et iterum: *Viſio quam hic videt, in dies multos; & in tempora longa iſte prophetat.* Similibus etiam nunc delitiis offuſcat ſpiritus mendax corda peccatorum, & ſic obfirmat in audacia, ut de eis repetenda veniat lamentatio Jeremiæ: Thren. 4. verſ. 12. *Non crediderunt reges terræ, & univerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Hieruſalem*, donec omnes in ſua perierunt temeritate: eâdemque deceptione perit pars potiſſima damnatorum.

Nos igitur ſpeculatores, quibus incumbit à longè proſpicere gladium venientem, & buccinâ inſonare, à damnabili caveamus ſilentio & diſſimulatione. Sic clamemus, ut in timore ſtet populus, & numquam tutus ſit ab imminenti Dei judicio. Amos 3. verſ. 8. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus, quis non prophetabit?* Certè proditores judicabimur animarum, ſi ab eis horrendos iſtos celaverimus rugitus, quos in peccantes animas emiſit Dominus, & futura deſiſtamus ſupplicia prophetare. B. Triſtanus de Penacovia eò ſemper ſuas dirigebat concio- Chron. p. 3. lib. 9. cap. 45. nes, ut timorem in peccatoribus ſuſcitaret; unde frequentiùs illud exaggerabat: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, mortis periculum, judi- Matth. 20. verſ. 16. cium noviſſimum, inferniquе ſupplicia. Rogatus, cur non potiùs Dei miſericordiam exaltatur, reſpondit: *Omnes eam amplis proponunt diſcurſibus, fiuntque peccatoribus occaſio liberioris audaciæ, ad perſeverandum in ſceleribus: pauci verò ea tractant, quæ frænum timoris tantæ applicent libertati.* Eodem actus ſpiritu B. Matthæus Baſcius, in plateis & compitis ubi frequentioribus occurrebat tranſeuntibus, magnâ vocis mentiſque contentione clamabat: *Ad infer-* Chron. p. 3. lib. 9. cap. 27. *num omnes blaſphemi, omnes injuſti rerum detentores, ad infernum omnes carnales &c.* Imò & Romæ ad portas palatiorum Cardinalium, & in ponte S. Angeli eâdem damnabat vehementiâ ſimonias & alia curiæ peccata, ut ſic & ipſos Purpuratos ab inferni faucibus abſterreret. Iſti ſunt viri *ædificatores ſepium, avertentes ſemitas* Iſaiæ 58. verſ. 12. *in quietem*, compingentes aculeatas ſepes è ſpineis divinorum judiciorum, quibus *avertantur* peccatores à deviantibus ſemitis ſuarum concupiſcentiarum, *in quietem* placidam conſcientiæ. Tali prædicatori dicit Dominus: *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum, habens roſtra ſerrantia: triturabis montes, &* Iſaiæ 41. verſ. 15. *comminues, & colles quaſi pulverem pones.*

Dicet forſitan aliquis, ſæpenumero non eum effectum habet noſtra prædicatio, ſed vel non attenditur, vel contemnitur, vel minis iſtis denuntiatis exacerbantur. Num idcirco tacendum? Ahias Propheta venienti ad ſe uxori Jeroboam, ad conſulendum ſuper ſui filii infirmitate, dixit: *Ego miſſus ſum ad te durus* 3. Reg. 14. verſ. 6. *nuntius*, eique magnam Dei iram & præparatas denuntiavit caſtigationes, tametſi nulla foret ex minis iſtis emendatio ſecutura. Omnes Prophetæ, ſuos auditores indomabiles experti ſunt, & contumaces. Ipſe Dominus ſacerdotibus prædixit, Judæ proditori, & univerſo populo Judæorum, quæ ipſis erant eventura, etſi ſciret eos non cenſuros, nec tantis futuris calamitatibus remedia quæſituros. Prædixit tamen, ne in poſterum ſanctiſſimam in minimo accuſare poſſent juſtitiam, quaſi inopinatò & graviùs ferientem, quàm cogitaſſent. *Oſtendiſti populo tuo dura*, antequam infligeres, Pſal. 59. verſ. 5. ait S. Rex, *potaſti nos vino compunctionis. Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus: ut liberentur dilecti tui.* Magnæ opus eſt miſericordiæ, ſic prænuntiari rigorem juſtitiæ, ut peccator in tuto ſe poſſit collocare, priuſquam contra eum emittantur ſagittæ.

Prætcrea, ſit auditorium veſtrum velut annoſæ quercus immobiles, nec veſtrarum ventis minarum eradicandæ, unam tamen fortaſſis animam vobis ignotam vult alloqui Deus per os veſtrum, & è nido ſuarum abigere nequitiarum. Venatorem agimus, qui alacriter baculo percutit ſepes, non inde movendas, ut unus ibi latens lepuſculus exiliat & capiatur. Sic verbis terribilibus univerſum percutimus

populum, quin & Deus aliquâ publicâ feriat calamitate, ut unam peccatricem animam exilire faciat è tenebris peccatorum, capiatque cœlestibus inferendam, juxta promissum illud: *Post hæc mittam eis venatores multos, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Mos est nobilium venatorum, latratibus canum, magnisque clamoribus terrorem feris incutere, ut compareant & in retia fugiant præparata: quibus sufficit cervum unum cepisse vel aprum; tametsi plures in nemore residui relinquantur: sic unam fortassis animam Deus per nostros venatur clamores. Quàmvis etiam hæc anima non statim affectu pleno in Dei gratiam revertatur, non inutilis tamen fuerit ista præambula trepidatio, quàm à futurarum pœnarum concipit auditione. Hæc pravos cohibet affectus concupiscentiæ, interrumpit peccandi consuetudinem, & sensim ablactat corà virulentâ peccati dulcedine. Quòd si canes, timore fustium se cohibent ab olida carne, ad nares positâ, & maximè concupitâ; cur non se homo ratione utens à concupitis contineret suavitatibus, fustes æternos sibi conspiciens imminentes? Dum autem ab illicitis aliquamdiu se cohibuerit, fiet paulatim, ut non adeò difficilis videatur virtutis exercitatio. Sicut qui stuporem contraxit dentium ex immaturorum fructuum comestione, ut facilitas redeat panem comedendi, ab istis fructibus abstinet: sic redit virtutis facilitas, cessante dumtaxat gustu acerbiorum istorum peccatorum, solius timoris servilis beneficio. Isto autem timore animis incumbente, si modò vel leviter instruantur, se facilè convertunt ad Dei misericordiam, auxilium gratiæ implorantes, quo tandem impetrato, exardescunt in odium impietatis, cui soli sciunt pœnas illas à bono & justo Domino constitutas.

Jerem. 16. vers. 16.

Hic debet esse finis concionatorum; quemadmodum est ipsius Dei, judicia sua prænuntiantis, jubentisque prænuntiari: prout ipse per Jeremiam in causa Judaici populi declaravit, dicens: *Sta in atrio domus Domini, & loquêris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi, ut loquereris ad eos. Noli subtrahere verbum, si fortè audiant & convertantur unusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiam studiorum eorum.* Eâdem quoque mente nos stemus in suggestu, eaque loquamur, quæ sacræ subministrant Scripturæ, de horrendis Dei judiciis, in peccatores: non subtrahamus sanctum Dei verbum, etiamsi delicatæ quædam animæ ab eis abhorreant, nolentes audire nisi placentia sibi, & consolatoria. B. Augelus de Paz expendens verbum istud: *vox clamantis*, postquam blandos istos suggillasset consolatores, qui se præbent lyræ canticum, & velut musicum instrumentum, volentes potiùs Orpheum imitari delectantem, quàm clamantem Baptistam, munus christiani prædicatoris colligit ex hebraici vocabuli significationibus; quod non solùm importat *clamantis*, sed etiam *tonantis*, *vociferantis*, *appellantis*, *invitantis* & *invocantis*. Unde concludit: *Hinc prædicator egregius, appellat suo nomine quem persuadere nititur, ne velit degenerare: invocat & implorat omnia auxilia, & invitat præmio. Quod si adhuc obduresçit, clamat in doloribus, defiens miseriam hominis; vociferatur contra ingratum, jamjam pœnam comminans, dignumque dæmonibus, & inferni cruciatus ostendit, ut iis, quem non convincit amor & blandus sermo, terrificus & horrendus ad meliorem mentem reducat.*

Jerem. 26. vers. 2.

Marci 1. vers. 3.

Qui fortem dicendi spiritum in hoc subjecto cupit imbibere, familiares sibi reddat Homilias D. Chrysostomi, & Libellum nostri Bartholomæi Salutii *de Septem tubis*, vel ipsum textum Apocalypsis, quibus efficax imprimitur forma clangendi, plangendi atque tonandi. Raro quodam miraculo comprobavit aliquando Deus tonantem nostri Salutii severitatem. Semel & iterum explicuerat vanitatem muliebrium ornamentorum, fuitque minatus, ornatas taliter in Satanæ tradere potestatem. Quod cùm intellexisset Vir Dei aliquas contempsisse, sequenti concione permisit Diabolo, ea ornamenta, tamquam sua, de capitibus levium istarum detrahere mulierculatum. Et ecce protinùs cum omnium horrore visa sunt violenter avelli: ut hinc discerent atrociora expectanda, si Dei minas pergerent aspernari. Sic perculsum est integrum auditorium horrore isto, quem intenderat acer ille præco, & speculum pœnitentiæ.

Auctor auctoris à fide digna.

Ne tamen nos aliquando fervor in nimiam pellat acrimoniam, eum desperationis periculo in auditoribus, *sermo semper in gratia sit sale conditus.* Alioqui *Numquid poterit comedi insulsum; quod non est sale conditum?* Terroris condimentum est, spes evadendi supplicia; quæ semper jungenda est pœnarum explicationi, ut prodesse valeat auditori.

Colos. 4. vers. 6.
Job. 6. vers. 6.

TEXTUS & §. *XII.*

Et Gloriam.

SUMMARIUM.

Concionatores, comparati exploratoribus terræ promissionis, apportare debent populo fructus illius, nimirum cælestis gloriæ encomia. Per hujus gloriæ spem, peccatores animantur, fatigati recreantur, & terrenis illecti vanitatibus ad solidiores delectationes alliciuntur, & Dei amor in auditoribus accenditur. Promovenda etiam Jesu Christi gloria. Item Sanctorum. Et ad cælestem gloriam se ducem præbeat concionator.

VOlens Moyses animare populum Israëliticum ad ferendum æquaoimiter labores itineris in desetto, & acuete in eis desiderium adenndæ terræ promissionis, misit viros qui considerarent terram, & afferrent de fructibus ejns. Qui pergentes usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & ficis loci illius, tulerunt. *Reversique exploratores terræ, omni regione circuitâ, venerunt ad Moysen & Aaron, &*
Numer. 13. vers. 27. *ad omnem cœtum filiorum Israel. Locutique sunt eis, & omni multitudini ostenderunt fructus Terræ, & narraverunt dicentes: Venimus in Terram ad quam misisti nos, quæ verè fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Atque ulteriùs Caleb & Josue, factâ ad multitudinem exhortatione, spem eis annuntiarunt, quòd auxilianta Domino Terram obtinere valerent:
Cap. 14. vers. 8. *Terra*, inquiunt: *quam circuivimus, valde bona est: si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem.* Nos omnes Charissimi, in hac vita mortali constituti, per hujus mundi desertum, per hanc terram morientium, cum multis peregrinamur molestiis, ad eam terram viventium lacte & melle manantem, cujus promissio suspensos tenet universos Dei filios, *volunta-*
2. Cor. 5. vers. 8. *tem habentes magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Pro horum peregrinantium solatio, & in præsentis vitæ laboribus confortatione, hic à Francisco destinantur exploratores illius pinguissimæ terræ cœlestis, qui afferant de fructibus ejus, totisque viribus accendant multitudinis animum ad aggredieodam eam, & sub divino præsidio possidendam. Mnnet S. Pater & exhortatur filios suos faciendis prædicationibus deputatos, ut affectionum pedibus ad eam properent terram, eamque considerent frequenti meditatione, & populo testimonium dicant de ejus fertilitate, apportatos ex ea fructus demonstraodo, *annuntiando eis gloriam* illius desideratissimæ patriæ, ad quam omnes pariter anhelamus.

Ordinatâ dispositione monuerat eòs Vir Sanctus, annuntiare ex Dei nomine *vitia & virtutes, & pœnam*: ad pudorem *vitia*, ad laborem *virtutes*, & *pœnas* ad terrorem. Et in his quidem inspersus est labor & dolor; sed in eo quod *de annuntianda gloria* sequitur, pax est à Domino & dulcedo desiderabilis. Illis igitur quibus injectus fuerit pudor ex suarum turpitudinum declaratione, quibus etiam monstrata sunt ardua virtutum cacumina conscendenda, quibus denique à tergo strepitus insonuerunt tempestatum & flagellorum, si non, ut oportet cucurrerint, docere honores ostendamur & coronæ, solaria & gandia; quæ in via crucis ambulantibus præparantur. Metus est sanctâ spe temperandus, atque ad hoc divina verba congruè dispensanda. Hæc est Ecclesiæ sanctæ methodus. *Corda mærentium consolatur S. Ecclesia, dum per præsentis pe-* D. Greg. Moral.
regrinationis ærumnas mentes afflictas electorum l. 20. c. 5.
pensat, & has æternæ patriæ promissione lætificat. Considerat etiam, quòd cogitationes fidelium divino sunt timore perculsa: & quos de Deo conspicit districta audisse, ut timerent, agit quoque quatenus & mansuetudinem pietatis audiant, ne desperent. Sic namque fidelibus suis de pietate & justitia Redemptoris in prædicationis serie spem misces & metum; quatenus nec incautè de misericordia confidant, nec desperatè justitiam timeant. Hanc œconomiam Deus ipse servavit, ut legimus in Deuteronomio: *En propono*, Deut. 11.
inquit, *in conspectu vestro hodie benedictionem* vers. 26.
& maledictionem. Benedictionem si obedieritis; sin minùs, maledictionem. Et cùm in introductus fueris in Terram ad quam pergis habitandam, *pones benedictionem super montem* vers. 29.
Garizim, maledictionem super montem Hebal. Sic & Franciscus monet ascendentem in montem ut Evangelizet Sion, ex una parte maledictionem ponere, ex altera benedictionem, annuntiando *pœnam & gloriam.*

Jubet quoque justitia, laborantes & fatigatos in itinere mandatorum Dei, pane salutari recreare. *Dominus dedit mihi*, ait Isaïas, Isa. 50.
linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui vers. 4.
lassus est, verbo. Si ad Deum tendimus, curemus ut non soli ad eum veniamus. *Qui audit,* Apoc. 22.
dicat: Veni. Qui jam in corde vocem supernæ vers. 17.
invitationis audierit, foris etiam proximis

vocem reddat exhortationis, ut in via jacenti, aut nimiùm fatigato, addat animum, ad eumdem terminum perveniendi. (Iſaiæ 21. verſ. 14.) *Occurrentes ſitienti, ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri. Cùm panibus occurrite fugienti: à facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladii imminentis, à facie arcus extenti, à facie gravis prælii.* Optimè confortantur totis viribus ab inferno fugientes, dum ſibi cœleſtis explicantur commoda ſecuritatis, in cujus ſpe valeant reſpirare. Itaque (Judith 8. verſ. 21.) *nunc Fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite.*

Inſuper innumeras videmus ſimplices animas, noxiarum oblatione delectationum allectas & ſeductas; cur eas permittemus in illam abire inſaniam, cùm præ manibus alias habeamus delicias ſuaviores, eis oblatas â Domino? (Jerem. 2. verſ. 13.) *Me dereliquerunt*, ait Dominus, *fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Videte, quantas excitet ſtrages terrenarum rerum delectatio, quæ velut mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, procaci vultu blandiens, exoſculatur vecordes juvenes: (Prov. 7. & 9.) quæ ſedens ſuper ſellam in foribus domûs ſuæ, excelſo urbis loco, vocat tranſeuntes per viam, plurimiſque perſuadet quòd aquæ furtivæ dulciores ſint, & panis abſconditus ſuavior. Illis quibus talia ſuggerit maledicta delectatio; nos prædicemus è converſo: (Prov. 7. verſ. 24.) *Fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abſtrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris in ſemitis ejus, multos enim vulneratos dejecit.....Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.* Cùm autem Sapientia æterna quæri videat delectationes, ipſa quoque (Prov. 9. verſ. 2.) *immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Delectationes in dextera ejus uſque in finem. Magnus ille paterfamilias fecit cœnam magnam, noſque miſit ad invitandum amicos. Noſtri ergo muneris eſt, hujus menſæ delicias invitatis intimare: iis præſertim, quos jam temporali præventos videmus ſuavitate, ut eâ ſpretâ, nos ad convivium cœleſte ſequantur. (2. Cor. 5. verſ. 20.) *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Eam legationem peragimus infideliter, ſi magnificentiam regalis illius convivii, felicitatem, nobilitatem, & aulæ convivarumque ſecuritatem non declaremus; dum tam hebetes videmus multas animas, ut non niſi eas, quæ in mundo habentur, delicias, divitias, & honores noverint æſtimare. (Iſaiæ 32. verſ. 6.) *Stultus fatua loquetur, & cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat eſurientis animam, & potum ſitientis auferat.* Hunc locum noſter doctiſſimus Adamus Sasbout ſic interpretatur: *Hæc pertinent ad eos qui ſunt indiligentes, & non dant diligenter operam Scripturæ: unde fit, ut frigidè concionentur in pagis & oppidis, & ridicula ſæpè proferant: qui non didicerunt beneficia & merita Chriſti, & virtutem Fidei: quæ ſi explicarentur, non ita amarent homines libidinem & pecunias, & longè majori fiduciâ reſurgerent à peccatis.*

Ad hæc, cùm æternus Sponſus hoc unicum à ſuis exoptet ſponſis, ut ex toto corde diligatur, veneritque ipſe hunc amoris ignem mittere in terram, nil egerimus nos ipſius miniſtri, ſi non eumdem accendamus, & fidelium cordibus injiciamus. Ipſe nobis materiam ſubminiſtravit his flammis excitandis: eſtque hæc una de præcipuis, quòd immenſâ ſuâ bonitate nos ad participationem creârit ſuæ beatitudinis, eamdem promiſerit, modis ſtupendis ad eamdem nobis parârit aditum, & jam innumeros ad eam admiſerit cohæredes. Hoc ſi perfectè intelligerent filii hujus ſæculi, foret impoſſibile, quin amore caperentur tantæ bonitatis & liberalitatis, & omnia ſtudia ad capeſſendam illius converterent fruitionem. Noſtrum eſt eis aperire intellectum, ut capere poſſint illius immenſitatem charitatis, & reddendæ dilectionis ſimilis obligationem. Nos paranymphi ſumus, & officium Eliezer (Gen. 24.) nobis commiſſum eſt, ut de terra longinqua, de regione peccati, ſponſas adducamus filio Domini noſtri, & ex ejus nomine demus illis inaures aureas & armillas, in teſſeram ſui erga eas amoris, ſuarumque divitiarum argumentum, quibus allectæ relinquant alacriter domum Patris & Matris, noſque ſequantur ad Sponſum à nobis magnificatum. Nobis incumbit munus Mardocchæi, (Eſther 2. verſ. 11.) *qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in qua electæ virgines ſervabantur, curam agens ſalutis Eſther*: quam moribus optimis, modeſtiâ, caſtitate, ſimplicitate, mentiſque candore ſic ornávit, regique fecit amabilem, ut ab eo in regni conſortem eligeretur.

Inſuper eſt alia gloria quam totis affectibus annuntiare debeamus. Illa eſt gloria Jeſu Chriſti, quam ipſe primis prædicatoribus commendare mandavit & amplificare. (Act. 1. verſ. 8.) *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem &c.* Et iterum: (Joan. 15. verſ. 26.) *Spiritus veritatis teſtimonium perhibet de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Ampla, nobilis, & ſaporoſa eſt materia iſta, fidem, reverentiam, obedientiam & amorem in noſtrum promovens Salvatorem; cujus gloria taliter eſt ſtatuenda, ut ſi fortè mundus totus ſui foret oblitus, & abiret in perniciem, antè tamen curanda eſſet Chriſti gloria, quàm emendatio populi. Primicerium habemus Angelum illum, qui ipſo ingrediente in orbem terrarum, proclamavit: (Luc. 2. verſ. 10.) *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Cum quo ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentium: (verſ. 14.) *Gloria in altiſſimis Deo &c.* & Paſtores etiam eorum auditores (verſ. 20.) *reverſi ſunt, glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant &c.* Quin potiùs primicerium habemus Spiritum Sanctum, de quo dicebat Dominus Jeſus: *Ille me clarificabit.* In (Joan. 16. verſ. 14.) hoc ſubjecto ſpatiabatur magnificè, & cor quaſi liqueſcens effundebat devotiſſimus Paulus Apoſtolus, cui nil ſuavius quàm exaltare nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hoc nomen coram regibus & gentibus & filiis Iſraël portare juſſus erat: & portabat nomen tamquam lumen, & patriam illuminabat. Monſtrabat

strabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, & hunc crucifixum. Eadem fuit cæterorum Apostolorum erga magistrum suum fidelitas, ut gloriam ejus & opera magnifica, samper & ubiqua deprædicarent. Hujus zeli hæredem habuère nostrum S. Bernardinum, ejusque discipulos, qui fervore insolito se laxarunt ubiqua terrarum, ad promovendam adorationem nominis Jesu, & glorificationem Curavit Vir Sanctus, ut in tabellis depicto nomini Jesu omne genu flecterentur; cujus zeli ardor, adauctus fuit flabello contradictionis, (notum aliqoot æmulorum. Memorabile est, quod Gonzaga refert in Conventu Palentiæ contigisse. Ibi F. Alphonsus de Spina, cum vigintiquatuor habuisset conciones de nomine Jesu, cœlitùs jussus est haurire aquam è puteo: quod cùm fecisset, reperit in fundo situlæ vigintiquatuor lapillos candidissimos, inscriptos eo sanctissimo nomine: quo portento magis animatus est ad laudem ejusdem continuandam, & adorationem promovendam.

Sedul. in Vita ejus cap. 30. 31.

Lib. de Orig. Seraph. Relig. in Prov. Imm. Concept.

Post Christi gloriam, semper in ore nostro versetur gloria Sanctorum ejus: decet enim eos à nobis coram hominibus glorificari, quos Deus coram Angelis suis, & universâ cœlesti aulâ glorificavit. Gaudet in hoc Pater & Dominus eorum, cujus bonitatis divitiæ in eisdem manifestantur, & qui amicos suos pro suo voto conspicit honorati. Gaudent ipsi Beati, non ax vano & ad seipsos terminato amore, sed quia ex magnitudine & certitudine gloriæ suæ, firmatur in audientibus spes similis accipiendæ, per eamdem gratiam Salvatoris. Gaudent auditores Justi, quia virtus quondam suppressa, vel à Sanctis ipsis sub humo defossa humilitatis, vel ab invidis per sordes conviciorum & irrisionum obscurata, tandem in sua apparet luce, suos dispergens radios undequaque. Gaudent & ipsi peccatores, dum vident suæ sortis homines, quondam sibi similes peccatores, aut saltem similis carnis infirmitate circumdatos, non omninò despectos à Deo, nec in suis fœcibus derelictos. Ad quorum æqualitatem etsi forte non sperent attingera; confidunt tamen eos pro se apud glorificatorem suum intercessores habere. Nec inutilis erit nobis hæc ipsa laudatio. Sicut enim videmus in Cantico Canticorum Sponsam in admiratione Sponsi quasi extaticam, è corde & ore suo laudes ejus dulcissimas evaporare, atque vicissim illam à Sponso similibus alogiis deliniri; sic pati vicissitudine, dum ex admiratione triumphorum Sanctorum ad eorum laudes ora laxamus, novos nobis è cœlo remittent amores. Nec enim aliter esse potest, quin pia tantæ gloriæ meditatio, auctiorem nobis eorum reverentiam faciat & amorem.

Finaliter omnes nostros concionatores monitos velim, cavere, ne sint de infelicibus illis, qui moustrant aliis regnum cœlorum, & omnis eò conducentia docent egregiè; nec tamen illuc pergunt cum cæteris, ideoque fortè nec umquam pervenient, quia nescio quibus loris terrenorum affectuum detinentur. Cùm natus esset Jesus in Bethleëm, & Magi ab Oriente venissent Jerosolymam, quærentes: Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? congregans Herodes omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? *At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ.* Ignaris Magis viam ostendebant & locum, nec tamen comitabantur, ut hâc novâ luce, tantoque beneficio fruerentur. Tales sunt ejusmodi concionatores. Magno labore fabricant arcam, in qua Noë cum suis salvetur, & animalia quædam seu animæ simpliciores; ipsi porrò fabri, in divinorum diluvio judiciorum, cum peccatoribus cæteris suffocantur. Mirabuntur idiotæ multi, doctorum concionibus promoti ad salutem, & perquirent in die judicii: *Ubi est litteratus? Ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum?* Ubi est servus ille qui nos tam diligenter vocavit ad nuptias, & quasi compulit intrare? En relinquitur foris, & pars ejus cum hypocritis. Ponderemus, quantus eorum futurus sit pudor & dolor. Nos igitur exaltemus quidem vocem, sed simul manum levemus ad apprehendendum bravium; ingrediantur portas & ipsi duces. Nos duces sumus in patriam revertentium: sic agamus, ut & duces simul cœli portas ingredientium. D. Gregorius expendens illud, quòd pater Saulis ob longiusculam moram in asinis requirendis sollicitus erat pro filio, sic ait: *Redemptor noster sic nos vult quærere salutem alienam, ut non negligamus nostram. Vult, ut vocentur peccatores ad pœnitentiam, sed non vult, ut pereant ii, qui ipsos peccatores vocant. Vult, ut conversus peccator justitiam, quam non habuit, habeat; sed non vult, ut justus eam quam non habuit, justitiæ palmam perdat. Intermissis ergo asinis, pro filio sollicitus est, quia prædicatores suos vult ad horam ab aliorum sollicita intentione quiescere, ut sibi ipsis valeant per quietem meliùs providere.* Lætior atque securior est reditus in patriam, dum simul omnes pergunt unanimiter, populus & sacerdos, & cantant in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini, continuo illiûs æstuantes desiderio, solantes invicem & sublevantes ab istarum fatigatione viarum. Talibus sa junget Dominus, & deducet feliciter, & feliciùs in suum gaudium introducet.

Matth. 2. vers. 5.

Isaiæ 33. vers. 18.

In 1. Reg. 10.

Prov. 12. vers. 8. Iotï. Veraciter enim Sapiens dixit : *Doctrinâ suâ noscitur vir : qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.* Satis emicant virtutes Ordinum, ut necesse non habeant alicujus operosis sermonibus demonstrari : sicut nec lux solis alicujus eget ore vel digito, quo transeuntibus demonstretur.

Tertiò, Non ædificat, quin destruit potiùs concionator, si aliquam de se præbeat avaritiæ notam, ut advertatur laborem suum pro lucro expendere corporali. De nullo fuit ità sollicitus Paulus, generosissimus concionator, quàm ut labem illam procul à se faceret, vel quamcumque etiam labis ejus opinionem. Dum à Philippensibus semel aut iterum necessaria recepisset, gratias quidem agit, sed ad
Philipp. 4. vers. 17. dit : *Non quæro datum, sed requiro fructum in ratione vestra*, quam Deus vobiscum est inituus & æternâ compensaturus mercede. Corinthiis etiam scribit : *Ego ipse non gravavi vos.*
2. Cor. 12. vers. 16. Et iterum : *Non quæro vestra, sed vos.* Quam suam Innocentiam, & quædam alia cùm demonstrasset, adjungit omnium rationem : *Om-*
Ibid. 14. vers. 19. *nia charissimi propter ædificationem vestram.* Quantum det offendiculum Evangelio Christi, & destructionem in auditoribus, avaritiæ nota in prædicatore deprehensa, superiùs ampliùs ostendimus.
Ad cap. 5. § 9. n. 4. Eam vilitatem cùm deprehenderit populus, suasque animas non quæri, sed sua, non se patiuntur ab eo homine in Christi obsequium captivari, sed ut vilem mercenarium, propriorumque commodorum venatorem prætereunt, nec auscultare dignantur, Quin & indignantur, angelicum istud officium, quod ad persuadendum contemptum terrenorum institutum est, ad eorumdem venationem turpiter applicari. Et hinc fit, ut ignis cupiditatis omnem adurat fructum, quem erat Dei Verbum alioqui germinaturum. Quod ex Dei judicio prædixit olim Propheta Michæas : *Hæc* Mich. 5.
dicit Dominus, super Prophetas, qui seducunt vers. 5.
populum meum : qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem ; & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super os prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione, &c. Loquitur, inquit Liranus hîc, contra Prophetas falsos veteris Testimenti, per quos significantur falsi prædicatores novi, *qui seducunt populum*, peccata divitum excusantes propter quæstum ; *qui mordent dentibus suis*, diffamantes eos qui nihil tribuunt eis : *& prædicant pacem* malis sibi benefacientibus. Quid verò inde consequitur ? *Propterea nox, &c.* Fit ut per eos populus non illuminetur, nec ad pœnitentiam commoveatur : tum justo Dei judicio nolentis istis nundinatoribus cooperari : tum ipsorum concionatorum vitio, qui non intendunt peccatorum pectora penetrare. Similes sunt infidelibus illis militibus, qui ad arcem expugnandam conducti, secretò ab hostibus corrupti pecuniâ, languidiùs agunt rem sui regis ; explodunt furiosè bombardas suas, sed non immissis globis, & absque pungendi intentione ludicrè digladiantur. Haud aliter agunt, qui prædicant solvenda debita, faciendas restitutiones &c. non tam amore justitiæ, quàm ratione proprii interesse

TEXTUS & §. IX.

Annuntiando eis vitia.

SUMMARIUM.

Animandus prædicatione populus, ad vitiorum expugnationem. Quàm operosum sit bellum hoc, propter resistentiam peccatoris. Impavidum oportet esse concionatorem, nec desperare conversionem obstinatissimorum. Fervor sanctorum quorumdam in hac re. Cautelæ tredecim ab omnibus prædicatoribus observandæ. Tametsi quis non proficiat, non ideo cessandum : nec ob exortas propter Verbum tribulationes.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens :
Numer. 25 vers. 17. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos : quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* Ille verò, populum adhortans ad implendam
Cap. 31. vers. 3. Domini jussionem : *Armate*, inquit, *ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis.* Deditque populus millenos de singulis tribubus, id est *duodecim millia expeditorum ad pugnam*, quos misit Moyses cùm Phinees filio Eleazari, vasa quoque sancta, *& tubas ad clangendum tradidit ei.* Madianitæ figura fuerunt vitiorum, quæ contra populum Domini hostiliter agentes, viribus eum nituntur atque insidiis debellare. His voluit Deus bellum denuntiari : eoque fine Filium suum misit, tamquam supremum colligendi contra vitia exercitûs Imperatorem :
in hoc enim *apparuit Filius Dei, ut dissolvat o-* 1. Joan. 3.
pera Diaboli ; hoc est Peccata, quæ dæmon in- vers. 8.
spirat hominibus, & in quibus se exhibet cooperatorem. *Scitis*, ait B. Joannes, *quia ille* vers. 5.
apparuit, ut peccata nostra tolleret. Adversùs eadem armaverat olim sanctos Apostolos, *ad* 2. Cor. 10.
destructionem munitionum, consilia destruentes, & vers. 4.
omnem altitudinem, extollentem se adversùs scientiam Dei. Et sapientissimo stratagemate, de

præci-

præcipuis adversariorum aliquos fecit præcipuos milites suos, qui peccatores alios in captivitatem adducerent, & justitiæ servitutem; è quibus unus ait gratulabundè: *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio, qui priùs blasphemus fui &c.* Novissimis autem temporibus, suscitavit Deus strenuissimum Christi militem Franciscum, qui arma ferret invictissimi ducis, quibus munitus & insignitus, vitiorum exercitum superaret. *Directus est à Patre & Filio & Spiritu Sancto, ut esset princeps novæ militiæ Jesu Christi, in suo corpore ferendo insignia Salvatoris*, ut Gregorius IX. Pontifex attestatur. Deditque ei Dominus portare vexillum Regis altissimi, sacra stigmata Crucifixi, quorum intuitu omnes pugnatores divini exercitûs ad peccati exterminium animentur. Hic igitur Christi vexillifer, populum suum exhortans Minoriticum, ait: *Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis.* Elegit autem Phineës, sive zelantem pro Domino concionatorem, & cum eo aciem *expeditorum* militum Crucifixi, qui per altissimam paupertatem à terrenis retinaculis expediti, audeant intrepidè in peccatorum cuneos penetrare: *& tubas ad clangendum tradidit eis*, officium scilicet prædicationis, quo possint populo Christiano *vitia annuntiare*, & contra illa acuere in prælium, voci dominicæ conclamando; *Hostes vos sentiunt Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos*, peccare vos facientes contra benignissimum Creatorem.

1. Tim. 1. vers. 12.

Hoc igitur præceptum commendat filiis suis Franciscus, sicut olim Apostolus Timotheo suo, ut secundùm præcedentes in ipso Prophetias, quibus fuit ipse tamquam mundi reformator prænuntiatus, militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, nec ullam prætermittant occasionem, inimicos Dei, hoc est hominum vitia debellandi. Innumerabilis contra nos consistit delendorum criminum multitudo. Nunc æquè, sicut Mathathiæ temporibus, *confortata est superbia.* Vires sumpsit peccatum, ex auctoritate peccantium, & numerositate: diuturna consuetudo omnem pœnè conscientiam extinxit: incorrigibilitatem auget superba pertinacia, nec Deo cedere resoluta nec hominibus, quasi ferream gerens cervicem, nulli flexibilem monitioni. Accedit gustus delectationis, qui iam profundè instillat amorem peccati, ut difficillimè valeat extirpari: nec solùm pessimum creat peccati amorem, sed etiam ignorantiam vel inconsiderationem horribilis illius mali quod peccatum est, quodque peccatum consequitur. Subjicit adjectitias faces malignus spiritus, & cum eo subindè amici secundùm carnem; quorum hortationibus atque consiliis nostra monita fermè enervantur, & abeunt in contemptum, similes Stoicis illis Epicuræis atque Judæis contra D. Paulum zelantibus, & dicentibus: *Quid vult seminiverbius hic dicere? Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse.*

1. Tim. 1. vers. 18.

1. Mach. 2. vers. 49.

Act. 17. vers. 18.

Hæ sunt munitiones infelicis Babylonis, quibus confortata ejus superbia, se adversùs Deum ejusque præcepta, & hortamenta nostra in suis tuetur impietatibus. Contra hæc opus est, non pusillanimi & pavido prædicatore, qui ad primas desperet resistentias; sed impavido fortique amatore justitiæ; de quali scribitur in Proverbiis, quòd *Civitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ ejus.* Quantumcumque magnâ auctoritate, ferocitate, sophismatibus aliisque munimentis, inexpugnabilia scelera videantur; sepósito tamen timore, fiduciâ plenus & spe victoriæ, ascendit, ferit, alligat, & pavorem incutit audientibus, tandemque victor evadit. Inde autem ei crescit ardor, quòd credat opus suum idem esse, quod Hieremiæ vel Ezechielis, eodemque modo sibi dictum: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exasperans est.* Dei igitur agentes officium, ipsius quoque induamus majestatem, veritatis facem audacter manibus proferamus, ut horror latentium in tenebris monstrorum appareat, ipsaque opportunè fugiantur. Nullum utilius beneficium infelici populo sub tenebris in medio draconum sedenti, quàm lumen inferri, ut suum animadvertat periculum. Si lippus aliquis odiens lucem queruletur, quid inde? *Vos estis lux mundi*, officium illuminandi agite cum libertate, nec lucem turpiter ponite sub modio pusillanimitatis. Quid enim timere habes, O Franciscane præco veritatis, ab iis qui verbis tuis forsitan offenduntur? Num fortè boni alicujus temporalis jacturam? Sed tibi cui nihil est, nihil petire potest. Num repulsam times, si quid ab eis postulaveris? Nil desideranti, nil negari potest. Paupertatem amanti, paupertatem conservabunt. Si silentium & exilium minitentur: ipsum silentium clamabit altiùs, & exilium illi non potest esse, cui totus mundus patria est. Ta forsitan desinent honorare. Bene, optimè, quòd umbraticus honor elungabitur à Minorita. At insuper contumelias inferent. Inferant & ipsam mortem. *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Audire autem Christum beatæ immortalitatis & triumphorum cœlestium decretorem: *Beati estis cùm vos oderint homines &c. propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo.*

Prov. 21. vers. 22.

Ezech. 3. vers. 8.

Matth. 10. vers. 8.

Luc. 6. vers. 22.

Verum tamen non facilè credamus, ad eam auditores nostros malitiam excrevisse, ut sint in suos ex Dei nomine correptores graviùs insurrecturi. Ejusmodi terriculamentis somniis aliquorum pusillanimitas, à dicenda resilit veritate. Si nondum quippiam passi sumus, cur adeò facilè tam atrocia suspicamur? Majores aliquando occasiones habuit B. Albertus Sarcianus; nec cessit. Cùm enim more suo vehementer argueret peccatores, & quâdam vice notabiliter in præfectura Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolanensis perstringeret aliqua, quibus erat ille obnoxius, eum aulici cogitarunt occidere. Monitus ab amicis, ut diceret moderatiùs, sic apud se proposuit, Sed dum

Chron. p. 3. lib. 9. cap. 16.

Dernoye Medulla S. Evangelii. Eee

dum in sermonis progressu solitus fervor increscerer, sui oblitus propositi, & Dei spiritum secutus, terribiliores quàm antè fulguravit increpationes. Totum obstupescebat auditorium, Dux verò interrogatus quid sibi de tanta videretur temeritate, placidè respondit: *Sinite virum agere, facit suum officium.* Eamdem speremus ab auditoribus nostris supportationem & reverentiam: quibus dum loquimur, conspirantem habemus nobiscum eorum conscientiam, quæ simul clamat asperiùs, & mentem concutit ad humiliationem. Hæc fortè non ita clamaret; nisi nostris suscitata vocibus, oculos aperuisset: sibi tuta videbatur, quia nondum delictorum suorum periculum intellexerat & turpitudinem; sed auditis prophetarum tonitruis, visis æterni Patris furoribus in Filium proprium solis circumdatum exuviis peccatorum, & aliis quæ dictante Spiritu Sancto prædicantur, expergiscitur tandem conscientia, reumque salubriter exagi- (Isa. 58. vers. 1.) tat. *Clama igitur, ne cesses.* Tametsi peccatores multis vicibus immobiles steterint quasi lapis in facinoribus suis, quis scit, si tandem Deus aperiat illis aurem? Multis ad mala properantibus occurrit, & avertit, atque convertit. (1. Reg. 19 vers. 20.) *Misit Saul lictores, ut raperent David: qui cùm vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium, factus est etiam Spiritus Domini in ipsis, & Prophetare cœperunt etiam ipsi.* Misitque alios, & tertios, qui & ipsi Prophetarunt. Et iratus iracundiâ Saul abiit & ipse.... *& factus est etiam super eum spiritus Domini*, & cum cæteris (Actor. 9. vers. 1.) Prophetavit laudans Dominum. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini* de repentè mutatus est in vas electionis.

Demus autem obfirmatam esse faciem & cor sceleratorum, non ideo tacendum est. Jeremiæ mandavit Dominus, ipsam antiquam duritiem & incorrigibilitatem patrum acriter (Jerem. 7. vers. 27.) improperare filiis similiter induratis. *Loqueris ad eos*, inquit, *omnia verba hæc, & non audient te; & vocabis eos, & non respondebunt tibi, & dices ad eos: Hæc est gens, quæ audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, & ablata est de ore eorum.* Idem quoque nobis faciendum circa populum pertinacem, & effectus verborum nostrorum Dei judicio relinquendus; prout rectè docet Bosquier in suo Legato Apostol. contrariis satis- (Tom. 1. Serm. 19. parte 2.) faciens argumentis. Bonus Christi miles sancto actus fervore peccata ubicomque sint aggreditur, Deo movente loquitur, nec suus est in hoc actu. Quod acute S. Gregorius observa- (Moral. lib. 27 cap. 22.) vit, *Sæpè prædicatores declinare quosdam appetunt, sed tamen interna instigationis impulsu exhortari eos instantissimè compelluntur. Certè Paulus cùm vestimenta sua excutiens à Corinthiis discedere vellet, audivit: Noli timere, sed loquere, & ne taceas. Propter quod ego tecum sum, nemo apponet ut noceat tibi: quoniam multus est mihi populus in hac civitate.* Et paulò inferiùs: *Quia eos internus arbiter tenet, cùm mittit, ita etiam illos modificans suscipit, cùm perducit; ut aliquando in cogitatione alia disponant, sed alia in opere peragant; aliquando aliter inchoënt, sed aliter consumment.*

Interim in quantùm hæc actio à nostri pendet dispositione arbitrii, sic dirigenda est, ut ad eos perveniat, quos intendimus, effectus; displicentiam scilicet præteritorum delictorum, & cautelam sollicitam futurorum: idque cum spiritûs vehementia, & instantiâ moventium rationum. Hoc spiritu prædicabat & corda penetrabat S. Antonius Paduanus, (Annal. Tom. 2. an. 1292. num. 16.) de quo prædo quidam, qui cum undecim commilitonibus eum auditum venerat, tale perhibuit testimonium: Hominem audivimus ignita promentem eloquia, linguam tamquam faculam conspeximus ardentem, & corda nostra sensimus tamquam ceram in conspectu ignis liquefieri. Compungi, & conteri vehementer cœpimus de reatibus commissis, veluti si cœlestis ipse ille prædicator manu corda nostra comprimeret, & ad singula verba novis nos pungeret aculeis. Doluimus, flevimus, ingemuimus, ad prædicatorem ipsum accessimus, confessi sumus universa nostra facinora, & cœlestis doctrinæ salutarisque exhortationis reportavimus antidotum. Ad similes effectus nostram purè componamus doctrinam, aderit idem Dominus ad concurrendum. Ab animalibus visis per Ezechielem in medio ignis, prodiisse describuntur *scintillæ, quasi aspectus æris* (Ezech. 1. vers. 7.) *candentis.* Quod in hunc modum D. Gregorius interpretatur: *Æs candens est prædicatio* (D. Greg. Hom. 3. in Ezech.) *accensa. De ære candente prodeunt scintillæ, quia ex eorum exhortationibus, verba flammantia ad aures audientium procedunt.*

Meminerimus tamen, nos esse defectuum illorum spiritualium medicos, & circumspectè tractandos esse miseros ulcerosos; ne sanitatis loco, mala deteriùs exacerbentur. Scire debet quilibet sic temperare libertatem & fervorem corripiendi peccatores; ut non transire credatur in damnabilem maledicentiam, hujus totius sacri operis destructivam. Hujus artis præcepta non contemnenda tra- (Serm. 20.) dit Bosquier loco citato. Hæ sunt ejus præceptiones,

Primò, Antequam laxet linguam in specialem factorum alienorum correptionem; priùs locum, regionem, gentem, & nota gentis vitia attendat, quæ vulgò & sinè cujusquam dubio ibidem regnare dignoscuntur.

Secundò, Si facinora quædam singularia in plures clam proserptura, ipsi deferantur, non segniter discutienda est veritas, nec rumusculis illico credendum, aut mulierculæ conquerenti, vel suspicioso alicui & susurroni, ne contra umbram vanumque Nihil arma sua ridiculè intorqueat & de Innocente aliquo malas creet apud auditorium opiniones, eumve exponat calumniis: aut compertâ delationis falsitate, cum rubore cogatur suum verbum retractare, suamque nimiam excusare credulitatem.

Tertiò, Non in pejus interpretetur, quæ piam admittunt interpretationem, & quæ licèt ignaræ plebi damnata videantur, penitùs tamen inspecta, non sunt à jure discrepantia. Auditi sunt aliqui furere contra lites forenses velut achristiana dissidia, quæ tamen justè fuerant intentatæ: alii in modos regiminis tam Ecclesiastici quàm sæcularis, quorum rationes secretas & necessarias non intelligebant:

alii

alii in quosdam casus militum & militiæ debacbabantur, qui tamen apud expertos clarè excusabiles judicabantur: Dumque factorum omnium circumstantias aliqui non sciunt satis defectu experientiæ, vel non attendunt, fertunt innocentea & non leviter exacerbant.

Quartò, Levitatem attendat & gravitatem delictorum. Nemo non stultum judicet, qui totis lacertis clavam ingentem invectivarum in muscam intorqueat, vel bellicum præparet tormentum in passerem fructus sui hortuli depascentem. Æquè se ridiculum exhibet, qui in delicta levia velut in atrocia scelera tonat & fulgurat.

Quintò, Prudentis hominis non est occultissima & uni soli cognita longis homiliis & publicis debellare, toto reliquo auditorio ignorante, quid velit tot clamoribus significare. Utiliùs fuerit per transennam uno verbo rem tangere, ad captandam occasionem secreti colloquii longioris ad alicujus delinquentis salutem, vel ad aliquem conscientiæ stimulum injiciendum.

Sextò, E contrà plurimùm offendit, dum quæ publica sunt & mali exempli, totique displicent mundo, soli videntur concionatori non displicere, dum ea sic transit dissimulanter, quasi non auderet attingere. Huic im-
De vita contempl. lib. 1. c. 20. minet sententia Prosperi: *Ille cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, perditèque viventes arguere aut erubescat aut metuat, cum omnibus perit qui eo tacente perierunt.* Crimina publica sunt velut impudens Goliath, provocantia ad certamen acies Dei viventis: si nullus in medium procedere audeat, gloriantur se cum improperio ipsis Ducibus insultasse; scandalizaturque populus ob ignaviam eorum & timiditatem, qui occurrere debuerant, & amputare capita vitiorum. Non absque ratio-
Serm. 2. Dominica 4 post. Epip. ne Philippus Diez quærulatur; *O quantùm est in his infelicibus temporibus circa hoc lachrymandum, cùm plerique concionatores non tam divinam virtutem, quam sermonis sui eloquentiam volunt ostendere! Si illi quibus protegendæ urbis cura incumbit, cùm fortissima tela in hostes immittere deberent, flores è mœnibus injicerent; quomodo adversariis aditum impedirent? O quàm ad litteram plurimi prædicatores hoc faciunt! quorum munus est efficacissimis verbis & severis reprehensionibus vitia relegare, flores tantummodo emittunt, quæ sunt composita verba; quibus peccatores non concutiuntur, nec vel minimo timore deterrentur.*

Septimò, Sic dicat, ut candida ejus intentio patescat, & salutis alienæ desiderium. Miram vim præbet castigationibus purus ille atque angelicus candor, quando noscuntur ex sincera erga peccatores procedere compassione. Hæc fugitur à visceribus Jesu Christi, & ab inexplicabili tormentorum acerbitate, quæ sunt peccatoribus præparata. Utinam audiant prædicatores omnes D. Bonaventuram, Dei
Stim. amoris parte 2. cap. 11. tenerrimum amatorem! *Quomodo*, inquit, *poteris æternaliter summo bono frui, quod vides adeò contemni, ut pro vilissima sante commutetur, aut negligatur, aut potiùs blasphemetur; & tamen ab hoc contemptu negligis animas removere, & ad amorem ejus convertere? His auditis, scindantur*

Dernoye Medulla S. Evangelii.

obsecro corda nostra, & nullo modo tantam Dei injuriam patiamur. Fateor in corde meo jacere, quòd si certissimus essem quòd numquam deberem perfrui Deo meo, nihilominus ad honorem suum vellem libentissimè pro qualibet anima peccatrice semel mori; ita quòd tot mortes in præsenti sustinerem, quot sunt in mundo animæ peccatrices, ut ipsa consequerentur gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Quantò magis si secum deberem postmodum gloriari? Ista, scilicet divinus contemptus & animarum interitus, sunt quæ deberent nos inflammare ad prædicationes, confessiones, orationes, & ad bonorum exemplorum exhibitiones &c. Hæc sit temperatura cordium nostrorum & suavissimum condimentum in correptione peccatorum, ut cùm duritiam districti rigoris assumimus, intùs charitatis igne liquescant viscera, & eorum ardeamus amore, in quos asperâ correptione sævimus. Aliàs *in ore stulti virga superbiæ*; quia scit rigidè per- *Prov. 14. vers. 3.*
cutere, sed nescit humiliter compati. Sapiens à propria metiens alios infirmitate, & à propriarum vehementiâ tentationum conjectans alienas, ex iis quæ expertus est didicit compassionem; & sicut propriis, sic timet periculis proximorum. Talis compassionis angustiis actus B. Jacobus à Marchia, dum blasphemiæ similiumque criminum explicuisset *Chron. p. 3. lib. 6. cap. 3.*
horrorem, flexis coram populo genibus tanto supplicabat affectu ab illis eos abstinere, nullus ut adeò pertinax inveniretur, qui non manum daret, iis victus supplicationibus. F. Michael Baree, adibat interdum loca, ubi *Ibid. c. 35.*
ad levitates suas adolescentes & puellæ congregabantur, promittebatque se per annum integrum pro illis oraturum, qui istâ vice ab offendendo Deo abstinerent. Ab aliis alia sunt inventa stratagemata, & usque hodie cum fructu maximo inveniuntur.

Octavò, Si tempora observaverit, meliùs proficiet, v. g. publicarum temporibus calamitatum, dum amari peccatorum fructus gustantur, ipsorum malitia meliùs intelligitur. Dum etiam videt speculator gladium venientem, eique per peccata portas aperiri, tempus est buccinâ insonandi, & proditores manifestandi, ut citiùs eliminentur. Similiter, dum horrendo aliquo judicio perculsus est populus, aut aliâ aliquâ occasione meliùs dispositus ad apprehendendam scelerum malignitatem, non est ea prætermittenda commoditas.

Nonò, Peritissimi hujus artis magistri, usi sunt aliquando præviâ quadam auditorum laude, ad conciliandum animum statim feriendi peccatoris. Hoc observavit Alphonsus Salmeron in D. Paulo; qui ut Romanis, Corinthiis, Galatis & Hebræis necessarias repre- *Tom. 13. Disp. 16 in Ep. Pauli.*
hensiones absq; perturbationis & recalcitrationis periculo infligeret: priùs eos mitigat aliquorum laudabilium commemoratione, ne se planè contemptos arbitrarentur: deinde vitia objicit, ne se sanctos omnino & innoxios reputarent. Propter quod etiam Christus Dominus, & prudentissimi quique per obliquos circuitus aliquando suos impetierunt auditores, dum populares adhibuere parabolas, ut tantò suaviùs instillarent correptionem, & veritatem clariùs aperirent, cordaque

ictu tangerent certiori. Nesciebant rei quò vellet ire monitor, donec eò usque deducebantur, ut in seipsos sententiam pronuntiarent. Sic David aliquoties, & alii multi capiebantur.

Decimò, Si differentiam attendat honoratiorum personarum & viliorum eorumque dispositionem, penetrabit aliquando fortiùs tangendo leniter, quàm durè & rusticè hastas impingendo correptionum. Sapienter id do-
1. Cor. 12. vers. 23. cet S. Anselmus explicans illud: *Quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Sic enim commentatur: *Nisi prædicator sustineat, quando* potens aliquis & protervus *ferre congruè correptionem possit, augetur in eo malum quod insequitur. Sæpè enim contingit, ut talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. Quid itaque in hujus culpâ prædicatori agendum est, nisi in sermone admonitionis, quam pro salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat? Qui & præsto est, & de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat: & cùm generaliter contra culpam invectio intenditur, correptionis verbum libenter in mentem reducatur; quia potens pravus ignorat, quòd sibi hoc specialiter dicatur. Unde fit plerumque, ut eò vehementiùs perpetratam culpam lugeat, quò reatum suum, & cùm percussum sentit, nesciri putat. Magnâ itaque arte prædicationis agendum est, ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam correptionis temperamento ad salutem redeant. Qui dum apertâ invectione ferire non queunt, quasi honore tegmini videantur.* Dum eâ prudentiâ sic agit, ut nescire credatur delictum singulare, vel sic personam tegit ut honorem ejus servet, tunc profundiùs & potentiùs intrat in cor delinquentis. Hanc discretionis pulchritudinem
Annal. Tom. 5. an. 1418. num. 17. præclarè D. Bernardinus tenuit. Ita emendabat, ut carperet magis vitia quàm homines, magis scelera quàm scelerum auctores ad odium provocaret, ut non eamdem omnium vel temporum, vel conditionum, vel personarum, vel statuum in reprehendendis criminibus rationem haberet. Ut de magnis, ac potestate aliquâve dignitate præditis viris, modestè loqueretur semper; ne leves, vani populi, ac præcipites motus, quos reprimere semper studebat, magis concitaret. Ut multa consultò præteriret, quæ vel nihil proficere, vel occulti alicujus sceleris notitiam experientiamque proindè afferre cognosceret. Ita, ut cùm infiniti ille profectûs auctor extiterit, numquam tamen ipsum aliquid quod scandali causa esset, compertum sit protulisse.

Undecimò, Personas autem quantumcumque viles, in reprehensionibus nominari, etiam de veris delictis, non patitur auditorium. Imò plùs offenditur à dicentibus peccata publicè, quàm à committentibus. Cùm enim molestissima sit taliter denuntiato verecundia, non est qui ei non compatiatur, & fremat in crudelem tortorem viscerum alienorum.

Duodecimò, Raritas etiam correptionis, facit eam acceptabiliorem; obtundit autem nimis frequens, suique parit contemptum.

Decimotertiò, Demum aurea regula est, quam D. tradit Bernardinus: *Quid ad hæc incantatrix vox, quid sermo faciet prædicantis? Orabo pro eo, humiliabo in jejunio animam meam, baptizabor pro mortuo uberrimo quodam profluvio lachrymarum, apud quem viderim nihil humana incantationis quamlibet sapientiam, nihil quantamcumque admonitionis industriam prævalere.* Juxta hanc sancti & prudentissimi viri instructionem, præmiserunt aliqui ferventes ad Deum orationes, pro corripiendis peccatoribus, ut eis aurem Dominus aperiret ad audiendum, & cor emolliret ad pœnitendum, præsertim dum se pararent atrocioribus sceleribus insectandis. Sciebat enim quòd *si destruxerit* Deus, *nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: si continuerit aquas, omnia siccabuntur.* Ipsum idcirco interpellârunt, ut verbum seminatum irrigaret, & ad maturum perduceret fructum. Eâdem ratione Paulus Apostolus suorum etiam petebat orationes discipulorum: *Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.*

In Qui habitat Serm. 13.

Job. 12. vers. 14.

Coloss. 4. vers. 3.

Hæ sunt regulæ publicarum correptionum, ad quas si sermonem dimetiamur, non facilè vertetur in maledicentiam: multò minùs in pessimam adulationem, nutricem vitiorum, & turpem sacrorum pulpitorum infamatricem.

Fortè dejiciet animos, quòd post multos labores, omnemque adhibitam industriam æquè duri manebant peccatores & indomabiles, absque ulla spe melioris frugis. Hâc occasione quid humani passus est S. Jeremias. Cùm enim apud Judæos suus nihil proficeret, sic conquerabatur: *Seduxisti me Domine, & seductus sum*, dum scilicet me conscium meæ inutilitatis, ad prædicationis officium coram obstinato populo coëgisti. *Fortior me fuisti & invaluisti.* Interim *Factus sum in derisum totâ die, omnes subsannant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito; & factus est mihi sermo Domini in opprobrium & derisum totâ die. Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultrà in nomine illius.* Sed quid tandem? Passusne est Deus ad querelas istas sui verbi silentium? Minimè. *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Statim erumpere debuit tonitru verbi Domini, disruptâ nube pusillanimitatis. Legatur D. Chrysostomus Serm. 1. de Lazaro in initio, ubi plenè satisfacit iis, quos hæc tentatio reddiderit languidiores.

Jerem. 20. vers. 7.

Tom. 2.

Quòd si ob annuntiata vitia contigerit nos pati persecutiones, & contradictiones, sit nobis in exemplum invictæ constantiæ B. Thomasuccius, qui missus à Deo annuntiare populis Italiæ scelera eorum, & vindictas secuturas, passus est ab auditoribus verbera, proscriptiones publicas, accusatus magiæ, incarceratus, traditus ludibriis insolentissimorum servorum atque satellitum, contemptibiliter tractatus à pueris, triduò detentus in carcere absque cibo & potu, exceptus colaphis, aliisque modis indignis. Nec tamen istis umquam deterritus est, quin populis integris, & personis singularibus, & Magnatibus divinas

Annal. Tom. 4. an. 1377. num. 4.

minas

minas denuntiaret, atque ad vitæ emendationem sollicitaret. Dicere potuit cum Isaia: *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico.* Et cum Apostolo: *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratia Dei.* Eadem debet esse mens universis divini verbi ministris.

Isaiæ 50. vers. 5. Act. 20. vers. 23.

TEXTUS & §. X.

Et Virtutes.

SUMMARIUM.

Rectus ordo postulat, ut post extirpationem vitiorum, prædicemus plantationem virtutum. Virtus comparata arbori quam vidit Nabuchodonosor: item paradiso terrestri; imò & cœlesti. Cavenda falsa virtus philosophica, & hypocritica inutilis. Veram Virtutis formam expressit Christus in sua vita. Item in Passione. Crux Christi dulcorat hujus vitæ amaritudines. Discitur etiam vera virtus è gestis sanctorum. Prædicatio qua docemus alios, sit etiam nobis stimulus ad easdem virtutes.

CUm posuissent Philistæi arcam Dei super plaustrum novum, & junxissent in eo duas vaccas fetas, per quas in fines Israël reveheretur, *ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram.* Per *Bethsames*, quæ *Domus solis* interpretatur, convenienter potest Sancta Dei Ecclesia designari; hæc enim domus est Christi, solis æterni, qui veraciter dixit de semetipso: *Ego sum lux mundi.* Ad hanc domum Dei sive Ecclesiam, Arca fœderis apportatur, tabulas continens testimonii, & signatam in iis legem Decalogi: idque imprimis per sancta quatuor animalia, quæ prophetiæ spiritu futura prævidit Ezechiel, & subtili narratione descripsit, quatuor scilicet Evangelistas, qui legem Gratiæ Dei digito seu Spiritu Sancto conscriptam nobis apportarunt; deinde per horum successores, Apostolicos viros, ejusdem divini Verbi per mundum universum prædicatores. Hi possunt intelligi fuisse figurati per vaccas illas, quæ Arcam Dei cum legis tabulis ab Israëlitis amissam, iisdem reportasse leguntur. Siquidem hi, lege Dei quasi ablatâ à Christianis hominibus per frequentissimam præceptorum transgressionem, satagunt eamdem in mentes & executionem omnium reportare. Eunt igitur per mundum universum, prædicatione continuâ *mugientes*, suæque conversationis exemplo sectandam docent virtutem *non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram*; sed in directum pergentes, per viam virtutis, quæ consistens in medio, neque ad dexteram excessus, neque ad defectus sinistram permittit declinari. Hoc idem Franciscus à suis requirit consodalibus, Arcam legis cunctis hominibus per prædicationem delaturis, ut eamdem viam studeant fidelibus præmonstrare, verbo & exemplo *annuntiando eis virtutes*.

1. Reg. 6. vers. 12.

Joan. 8. vers. 12.

Greg. Hom. 3. in Ezech.

Vitia voluit annuntiari ad destruendum, Virtutes ad ædificandum; eo ordine quo dixerat Dominus Jeremiæ *constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas & disperdas & dissipes* vitia: *& ædifices & plantes* Virtutes. Nec enim rectè bonitatis fundamentum ponitur, nisi prius malitiæ fabrica destruatur: nec potest mens habere regnum virtutum, nisi priùs excusserit jugum vitiorum. Providè igitur sanctus Pater in hac primùm annuntiationem vitiorum posuit, deinde virtutum, ut sui Ordinis concionatores antea manum apponerent destructioni vitiorum, postea virtutum ædificationi. Dum Joannes Baptista princeps prædicatorum nasceretur, prædixit per os Patris ejus Spiritus Sanctus præiturum ipsum ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Quæ autem esset ea scientia salutis, jam apertè declaraverat, dicens: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Ut liberati de manu vitiorum, serviamus illi in sanctitate. Hic est finis, inquit Angelus de Paz, qui in servitute Dei intenditur, vel modus quo serviendum sit Deo, ut simus sancti & immaculati, quia cives sanctorum & domestici Dei; ut cor nostrum congregemus in sanctitate, quia domum Dei, in qua servimus, decet sanctitudo, quia is, cui servimus, clamat; *Sancti, estote, quia sanctus sum.* Et: *sanctifica mihi omne primogenitum, quia meum est;* hoc est Animam,

Jerem. 1. vers. 10.

Luc. 1. vers. 74.

Comment. in eum locum.

Qui denique ait: *Congregate mihi sanctos, quia ego magnificus in sanctitate*, ut sanctificem amplius & coronem. Serviamus etiam *in Justitia*, ut sicut sanctè quoad Deum & seipsum, ita justè quoad proximum vitam dirigamus. Ad dandam plebi hanc scientiam salutis missus fuerat ille primarius Christi minister. Idem credamus nostrum esse officium, ut plebem doceamus, quæ sit vera atque necessaria justitia christiana, & in ea qualiter ambulandum. Hæc autem in virtutibus, & in bonis consistit operibus. Insistamus igitur ordini supradicto, dicentes cum Apostolo: *Nos Christum annuntiamus, corripientes omnium hominem*, de vitiorum corruptela: *& docentes omnem hominem in omni sapientia* Virtutum, *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo*. Colos. 1. vers. 28.

Tametsi propter Virturis arduitatem rari hominis vitam suam regulent ad ejus præscriptum; ipsa tamen Virtus per se amabilis est, & homini connaturalis à prima sua creatione, & cujus pulchritudinem nemo non libenter audiat & contempletur. Similis est Arbori, quæ Nabuchodonosori ostendebatur, *Magna, & fortis, & proceritas ejus contingens cælum, & aspectus ejus erat, usque ad terminos universa terra. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea*: quosdam ad momentaneum gustum recreans, quosdam sustentans ad vitam gratiæ, alios insuper ad vitam æternam. *Subter eam habitabant animalia & bestiæ*: Philosophi enim & Gentiles quicumque, beatè vivere cogitarunt, & virtutis umbram sollicitè quæsierunt. *Et in ramis ejus conversabantur volucres cæli*, sive Angeli sancti: *& ex ea vescebatur omnis caro*; quin & ipse Christus Dominus, cujus cibus fuit facere voluntatem Patris, seu, quod idem est, exercere virtutem. Imò virtus non una duntaxat Arbor est, sed integer Paradisus, in quo produxit Dominus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave. *Gratia sicut Paradisus in benedictionibus*. Quæ gratia sive charitas, complexio est omnium virtutum, omnem superans amœnitatem ad lætificandum cor, omnem fœcunditatem ad spirituale nutrimentum, omnemque securitatem ad vitæ tuitionem. Amplius dicam cum Seraphico Bonaventura, virtutem quodammodo cœlestem esse Paradisum; quia hic est habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, & locus ordinati amoris. *Talis*, inquit, *est anima viri justi & virtuosi*: *nam ibi est habitatio divina gratiæ, ibi est gaudium bona conscientia, ibi est lux veritatis ibi est amor charitatis*. Gratissimum solet esse filiis deduci ad domum patris: longè verò gratiùs est Patri nostro cœlesti, ut filii sui ad eum reducantur, ad quem primitùs creati sunt, Paradisum. Nos igitur sacris ad virtutem exhortationibus huic muneri incumbamus.

Dan. 4. v. 7. 8.

Eccles. 40 vers. 17.

Diet. Salu. tis tit. 5. cap. 1.

Veram autem doceamus virtutem, & non solam aliquam virtutis larvam, quæ solis satisfacit hominum oculis, atque in ethnicis etiam Philosophis, hæreticis & atheis invenitur. Hujusmodi fucatas ac hypocriticas virtutes explodit D. August. 19. de Civit. Dei cap. 25. Ea autem est vera virtus, quæ supra politicam seu hypocriticam potiùs agendi rationem elevatur, & ad eum suas refert actiones, adjuvante eâ, quæ formam præbet virtutibus omnibus, charitate. Nisi enim virtutum officia (quæ ad malum ex fine perverso servire possunt) per charitatem ordinentur ad Deum, sterilia prorsùs absque fructu meriti semanebunt. Finem verum, ad quem nos dirigit charitas, digito nobis ostendit Apostolus, exprimens ad quid creati simus, vocati atque prædestinati: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ*. Et iterum *In quo etiam & nos sorte vocati sumus &c. ut simus in laudem gloriæ ejus nos qui ante speravimus in Christo*. Hæc industria omnes actiones in laudem Dei gloriæ dirigendi; est ex præcipuis radiis directionis humanæ vitæ, quo abducuntur homines à temporalibus, & ad cælestia perducuntur. Illudque est summum nostræ fidei beneficium, ad quod nos hortatur Apostolus: *Eratis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate; probantes quid sit beneplacitum Deo*. Hæc est virtutis anima, in ea nil æstimare, nil ab ea expectare, ad oil aliud ejus opus dirigere, nisi ut Domino placeamus. Cùm perfectionem hanc & sanctitatem oppugnet directè vulgaris ista larvata virtus, tenebris involvens totam vitam humanam, pergit Apostolus omnes commonere, nosque potissimùm populi instructores: *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis autem redarguite*. Nos præsertim, quibus datum est veræ virtutis, quâ fit anima placens Deo, clariùs intelligere dignitatem. Rectè dixit Seneca, nil æquè necessarium esse, quàm pretia rebus imponere. Nostri itaque studii sit, veræ virtutis valorem ab adulterinæ discernere vilitate; per eamque opera nostra facere digna pretio. Ephes. 1. vers. 5. vers. 11. Ephes. 5. vers. 8. vers. 11.

Veram certissimæ probatissimæque Virtutis formam, in sua vita Christus expressit. Qui in hujus assidua conquieverunt meditatione, in suis moribus ostenderunt perfectæ sanctitatis eminentiam, multòque sublimiùs sunt de Virtute philosophati, quàm nunquam subtilissimi hujus sæculi sapientes. *Unde credis*, ait Bonaventura, *quòd B. Franciscus ad tantam virtutum copiam, ad tam luculentam intelligentiam Scripturarum, ad tam etiam perspicacem notitiam fallaciarum hostilium, & vitiorum pervenerit, nisi ex familiari conversatione & meditatione Domini sui Jesu? Propterea sic ardenter afficiebatur ad ipsam, ut quasi sua pictura fieret. Nam in cunctis virtutibus quàm perfectiùs poterat, imitabatur eamdem, & tandem complente ac perficiente Jesu, per impressionem sacrorum Stigmatum, fuit in eum transformatus totaliter*. Eamdem porrò vitæ Christi perfectionem, quam sibi hausit, suis etiam auditoribus esuctavit, præcipuam inde sumens concionandi materiam, pro mundi pessimi reformatione. Idem debet esse nostrum propositum, efficacissimis verbis omnes allicese ad imitandum sanctas istas, securas & gloriosas actiones nostri Ducis & amabilis Salvatoris. Oportet nos esse tubas argenteas, ad Prolog. Medit. Vita Christi.

suscitan-

ſuſcitandum palantes milites, ut ducem ſequantur præeuntem & oſtendendum per quas virtutes & opera præceſſerit in gloriam ſuam, & qualiter *factus ſit nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Sapientia*, in docendo viam vitæ; *Juſtitia*, ad reddendum Deo noſtræ vitæ opera; *Sanctificatio*, ad cœleſtem nos elevans modum agendi; *Redemptio*, à tyrannica ſervitute pravorum affectuum vitæ ordinem perturbantium. Cùm igitur pædagogi ſimus Chriſti diſcipulorum, & ipſe ſe Vitæ librum effecerit, eum tradamus omnibus perlegendum, aut prælegamus, & explicemus omnibus, qui veræ Virtutis notitiam concupiſcunt. Videatur Alphonſus Madritenſis in Spec. Perfect. cap. 15.

1 Cor. 1. verſ. 30.

Inſuper cùm humana vita vulgariter ex maxima parte in miſeriis & afflictionibus conſumatur, iiſque ſoleant electi plùs cæteris gravari, ut in earum tolerantiâ nobilioribus virtutum actibus exerceantur, ad eaſdem Chriſtus Dominus deſcendit calamitates, ut doceret, quâ conſtantiâ & ſanctitate per ſpinas pergendum ſit, & contradictiones. Paſſiones ipſius, ſuaviſſimum nobis ſolatium ſunt, & clariſſimum in calamitatibus directorium. Noſtri muneris eſt ſanctiſſimam ejus crucem oſtendere, ipſorumque amaritudinibus dolorum immittere, ut per ipſam valeant dulcorari. Cùm veniſſent Filii Iſraël in Mara, nec poſſent bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ, *Dominus oſtendit Moyſi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* Si Moyſes, eo ligno, Deique conſilio neglecto aliud accepiſſet pro ſua phantaſia ad eum effectum inutile, numquid Deo feciſſet injuriam & populo; Oſtendit nobis Dominus lignum crucis, imponendum amaritudinibus afflictorum, ut per illud dulceſcant: ipſum ſiquidem eſt *dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera.* Ut quid ergo Dei negligimus conſilium? Diſplicet ei vehementer, quòd cum tantis expenſis, laboribus, tantâque ſapientiâ emplaſtrum compoſuerit & pharmacum, ad curandum quotidianos ſuorum filiorum dolores, diſpenſatores myſteriorum Dei non illud proferant nec applicent, ſed obvolvant ſilentio, agreſteſque populo frondes obtrudant diſcurſuum inutilium; quæ quidem recreant ad momentum, ſed mox evaneſcunt, nec congruunt curandis ulceribus animarum. Nos igitur prædicemos Jeſum Chriſtum crucifixum. Enimvero nullius Ordinis Religioſi jam poteſt eſſe propria crucis prædicatio, quàm noſtri, qui ſub ſtigmatizato vexillifero Crucifixi, noſcitur militare. Ita continuam habebat de illa meditationem noſter F. Barnabas Interamnenſis, ut vel omnes ejus diſcurſus & conciones de ipſa eſſent; vel alias concionum materias, ex Paſſionis dominicæ permiſtione redderet efficaciores.

Exod. 15. verſ. 25.

Eccleſia in Officio S. Crucis.

Aliam adhuc facem accendit in Eccleſia ſua Spiritus Sanctus, ad dignoſcendam & appetendam veræ Virtutis pulchritudinem; nimirum facta Dei famulorum, qui ſic in ſanctitate & juſtitia ſervierunt coram ipſo, ut omnibus aſpicientibus admirationem injiciant, & ſanctam provocent æmulationem. Chriſtus Dominus coram diſcipulis & auditoribus ſuis, S. Joannis Baptiſtæ virtutum exempla magnificavit: noſtrum etiam erit proferre tot Heroum ſpiritualium geſta inſigniora, quibus infirmi homines ad faciendum ſimilia confortentur. Id agebat præ cæteris B. Joannes Capiſtranus, magnificans ubique ſuis concionibus glorioſam vitam S. Bernardini, eique tribens omnia, quæ Deus quotidie per manus ipſius operabatur, miracula: ipſius etiam inſtincto, Sacella multa & Eccleſiæ in ipſius erigebantur honorem. Plurimùm autem ædificat laus eorum Sanctorum, qui ſub aliis Ordinibus militârunt: propriam videmur venari gloriam, dum noſtros ſolummodo commemoramus. Mirabile erat, quantùm noſter B. Nicolaus Factor ferveret in laudibus B. Ludovici Bertrandi de Ordine Prædicatorum, quem ex toto animo ipſe reverebatur, & venerandum atque imitandum aliis proponebat.

Matth. 11. verſ. 7.

Annal. Tom. 6. an. 1451. num. 15.

Chron. p. 4. lib. 8.

Nobis verò ante omnia eas perſuadeamus virtutes, quas aliis prædicamus, ne cogamur eam ſubire verecundiam, quam D. Gregorius commemoravit, dicens: *Cùm bonorum auditorum vitam conſiderant concionatores, ad eamque ſe profeciſſe ſuis exhortationibus penſant, erubeſcunt tales non eſſe, quales auctore Deo per ſe conſpiciunt alios factos eſſe. Nam cùm ipſa ſua doctoribus verba ad memoriam redeunt, erubeſcunt non ſervare quod dicunt. Unde per Salomonem dicitur*: Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. *Os enim noſtrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod dicimus à vitiis refrenamur. Quia turpe nimis eſt, ibi nos negligendo cadere, unde nos prædicando conati ſumus alios levare.*

In Ezech. Hom. 18.

Prov. 16. verſ. 26.

TEX-

TEXTVS & S. XI.

Pœnam.

SVMMARIVM.

Concionatoris eſt, ſubodorari peccatorum pericula atque ſupplicia, eademque populo denuntiare. Deus per ſe & per miniſtros ſuos ſemper ſtuduit timorem pœnarum incutere. E contrà dæmon eumdem ſemper è cordibus hominum excutere conatus eſt. Noſtri muneris eſt, Deo cooperari, ad excitandum in peccatoribus timorem. Exempla eorum, qui hoc præclarè fecerunt. Neque ab hoc deſiſtendum, eò quòd auditorium immobile videatur. Qui Auctores legendi, ad hauriendum ex eis ſpiritum efficaciter movendi.

PAradoxum apparet encomium, quod de Sponſa in ſacro Cantico prædicatur: *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.* Verè tamen repletum eſt divinæ myſteriis ſapientiæ: ſiquidem per eum locutionis modum, voluit Spiritus Sanctus providentiam exprimere & proſpectionem, quâ Sponſa Eccleſia ſubodorari ſolet à longè pericula, quæ ſibi poſſent ullatenùs obvenire. Turris illa erat in ſummitate Libani ædificata, ad excubias faciendum contra Damaſcenos & Syros, qui è Damaſco totius Syriæ capite Judæam infeſtarent. Pericula igitur hinc imminentia per turrim Libani aperiebantur, ut caverentur. Idem eſt naſi munus in corpore, odores nimirum fœtoreſque diſcernere; ut objecta diſconvenientia tempeſtivè valeant amoveri. Quiſnam porrò in Eccleſiæ corpore Naſi ſubit officium? Magni Gregorii ſententiam audiamus: *Sicut turris in monte idcirco ad ſpeculandum ponitur; ut hoſtes qui veniunt longiùs videantur: ſic Prædicatoris vita ſemper in alto debet fixa permanere, ut more narium diſcernat fœtores vitiorum, odoreſque virtutum. Incurſus malignorum ſpirituum longè proſpiciat, & commiſſas ſibi animas per ſuam providentiam cautas reddat,* ne eis ex improviſò pericula ingruant peccatorum, & pœnæ infernalium tormentorum. *Speculatorem dedi te domui Iſraël*, ait Dominus Ezechieli, *audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat à via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Si autem venientem gladium annuntiaveris populo, tu animam tuam liberaſti. Igitur Concionator debet eſſe *Naſus* Eccleſiæ *ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*, contra infernum, venturas ex eo pœnas populis annuntiando, ut obſervare ſe valeant, & fugere à facie gladii venientis. Hoc eſt, quod Franciſcus eos, qui de ſuis erunt divini Verbi præcones, commonet, ut non modò vitia & virtutes, ſed *Pœna* etiam ſuis ſtudeant auditoribus annuntiare; ut tamquam Naſus corporis Eccleſiæ, innoteſcere faciant fœcem ſulphuris infernalis, & fumum tormentorum, qui aſcendet in ſæcula ſæculorum.

[Margin: Cant. 7. verſ. 4. — Homil. 11. in Ezech. — Ezech. 33. verſ. 7. — Apoc. 14. verſ. 10. & 11.]

Licèt homo tam ingenuæ ſit naturæ, ut amore potiùs regi deberet, quàm timore; judicavit tamen ſapientiſſimus Deus ipſi, quantumvis integro adhuc & innocenti, frænum eſſe timoris injiciendum, quo efficaciùs à malo cohiberetur: ad primum enim præceptum, minas eventuræ mortis appoſuit, in caſu prævaricationis. Quantò magis timorem incutere debuit, poſtquam ad indignam degeneravit vilitatem, atque ad malum vehementioribus urgetur ſtimulis concupiſcentiarum? Quos igitur ſingulari curâ ſalvos fieri exoptavit, magnis ſtuduit circumdare terroribus, ne ab officio mandatis obediendi egrederentur: modò peccantibus vindictas proponens venturas; modò infligens, ut à malo deſiſterent, & acerbiora formidarent. Ad Iſraëlitas directi ſunt Prophetæ, quibus nil fuit in ore frequentiùs, quàm gladii, vaſtationes, incendia, peſtilentiæ, captivitates, iis præparatæ, qui idolis adhæſiſſent aut aliàs à Deo & juſtitia receſſiſſent. Et ne frivolas exiſtimarent eſſe minitationes, pœnæ illæ ſunt etiam realiter ſubſecutæ.

Redemptione gratioſâ propiùs accedente, cùm Præcurſor Domini veniſſet, ad annuntiandum amabilem lucem jam apparentem, à tonitruo venturæ iræ divinique judicii ſuam exorſus eſt legationem. Ipſe Chriſtus veniens ut agnus, & plenus columbino Spiritu Sancto, quaſi neſciens ſeveritatem, durioribus tamen ingeniis denuntiat: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et ipſis ſuis familiaribus dicit: *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Aliis etiam variis occaſionibus memoriam refricat divinæ juſtitiæ, mortis incertæ, & reddendarum coram Deo judice rationum. Conformiter ſuo

[Margin: Luc. 13. verſ. 3. — Matth. 10. verſ. 28.]

ſuo Magiſtro Ss. Petrus, Paulus & Judas
plena terroris & ſervitutis tradunt, etſi
tunc ſol charitatis in ſuo videretur eſſe me-
ridiano. Et pro coronide chriſtianæ inſtitu-
tionis, Diſcipulo ſuo quem diligebat, tam
horrenda revelavit Jeſus, & ſcriptis mandari
juſſit in Apocalypſi, ut comparatione reboan-
tium ibi fulgurum & tonitruorum, ſibilus au-
ræ tenuis videantur antiquorum ſententiæ Pro-
phetarum.

Contrà verò ſerpens infernalis, ab initio
timorem excuſſit à primis parentibus, quem
Gen. 3. incuſſerat Deus: *Nequaquam*, inquiens, *mor-*
verſ. 4. *te moriemini*; atque deinceps etiam unicum e-
jus ſtudium fuit, omnem timorem evanidum
reddere, animaſque in quodam ſtupore con-
ſtituere, ut brutorum inſtar neſciant futura
proſpicere, nec apprehendant, niſi quod pro-
priis oculis ſibi viderint imminere. Quibuſ-
dam ſecretò fidem adimit immortalitatis ani-
marum: qui ea, quæ de mortuorum reſurrectio-
ne, de reddendis vitæ rationibus, & de ſup-
pliciorum infernalium acerbitate prædicantur,
haud aliter audiunt, quàm ſi ea antiquis Poë-
tarum fabulis conficta ſint, ignaræ plebis &
mulierum terriculamenta. Iſti, ſi non verbis,
factis ſaltem & incuriâ futurorum, dicunt:
Sap. 2. *Non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui*
verſ. 1. *agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo na-*
ti ſumus, & poſt hoc erimus, quaſi non fuerimus.
Aliis perſuadet ſubdolus deceptor ignem in-
fernalem non adeò vehementem eſſe: ſed in-
fernum non aliud eſſe, quam hypocauſtum mo-
deratè calefactum, ad commoditatem potiùs,
quàm ad tormentum: prout uni ſagæ illuſit
aliquando, cui videbatur ſe cum amaſio ſuo
in mediis eſſe flammis, quibus tamen non adu-
Deut. 32. rebatur. *Utinam ſaperent & intelligerent, ac no-*
verſ. 29. *viſſima providerent!* Alii, tametſi credant in-
fernum eſſe, eumque tam atrocem ut decla-
matur, minimè tamen ſibi perſuadent in eum
ſe præcipitandos, & ſtultè hoc vel æquivalens
Eccleſ. 16 apud ſe cogitant: *A Deo abſcondar, & ex ſum-*
verſ. 16. *mo quis mei memorabitur? In populo magno non*
agnoſcar: quæ eſt enim anima mea in tam immen-
ſa creatura? Judæos antiquos ſimilis demen-
taverat inſania temporibus Ezechielis. Dum
prænuntiarentur caſtigationes, exilia, diſſi-
pationes, occiſiones &c. ſolabantur ſeip-
ſos ab iſtorum dilatione malorum, dicentes:
Ezech. 12. *In longum differentur dies, & peribit omnis viſio.*
verſ. 22. Et iterum: *Viſio quam hic videt, in dies multos;*
& 27. *& in tempora longa iſte prophetat.* Similibus et-
iam nunc deliriis offuſcat ſpiritus mendax
corda peccatorum, & ſic obfirmat in audacia,
ut de eis repetenda veniat lamentatio Jeremiæ:
Thren. 4. *Non crediderunt reges terræ, & univerſi habitato-*
verſ. 12. *res orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus*
per portas Hieruſalem, donec omnes in ſua pe-
rierunt temeritate: eâdemque deceptione pe-
rit pars potiſſima damnatorum.

Nos igitur ſpeculatores, quibus incumbit à
longè proſpicere gladium venientem, & buc-
cinâ intonare, à damnabili caveamus ſilentio &
diſſimulatione. Sic clamemus, ut in timore
ſtet populus, & numquam tutus ſit ab immi-
Amos 3. nenti Dei judicio. *Leo rugiet, quis non timebit?*
verſ. 8. *Dominus Deus locutus, quis non prophetabit?*

Certè proditores judicabimur animarum, ſi ab
eis horrendos iſtos celaverimus rugitus, quos
in peccantes animas emiſit Dominus, & futura
deſiſtamus ſupplicia prophetare. B. Triſtanus Chron.
de Penacovia eò ſemper ſuas dirigebat concio- p. 3. lib. 9.
nes, ut timorem in peccatoribus ſuſcitaret; un- cap. 45.
de frequentiùs illud exaggerabat: *Multi ſunt*
vocati, pauci verò electi, mortis periculum, judi- Matth. 20. verſ. 16.
cium noviſſimum, infernique ſupplicia. Roga-
tus, cur non potiùs Dei miſericordiam exalta-
ret, reſpondit: *Omnes enim ampliis proponunt diſ-*
curſibus, ſiuntque peccatoribus occaſio liberio-
ris audaciæ, ad perſeverandum in ſceleribus. pau-
ci verò ea tractant, quæ frænum timoris tantæ ap-
plicent libertati. Eodem actus ſpiritu B. Matthæ-
us Baſcius, in plateis & compitis ubi frequen-
tioribus occurrebat tranſeuntibus, magnâ vo-
cis mentiſque contentione clamabat: *Ad infer-* Chron.
num omnes blaſphemi, omnes injuſti rerum deten- p. 3. lib. 9.
tores, ad infernum omnes carnales &c. Imò & cap. 27.
Romæ ad portas palatiorum Cardinalium, &
in ponte S. Angeli eâdem damnabat vehemen-
tiâ ſimonias & alia curiæ peccata, ut ſic & ipſos
Primarios ab inferni faucibus abſterreret. Iſti
ſunt viri *ædificatores ſepium, avertentes ſemitas* Iſaiæ 58.
in quietem, compingentes aculeatas ſepes è ſpi- verſ. 12.
netis divinorum judiciorum, quibus *avertan-*
tur peccatores à devlantibus ſemitis ſuarum
concupiſcentiarum, *in quietem* placidam con-
ſcientiæ. Tali prædicatori dicit Dominus:
Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum, ha- Iſaiæ 41.
bens roſtra ſerrantia: triturabis montes, & com- verſ. 15.
minues, & colles quaſi pulverem pones.

Dicet forſitan aliquis, ſæpenumero non
eum effectum habet noſtra prædicatio, ſed vel
non attenditur, vel contemnitur, vel minis
iſtis denuntiatis exacerbantur. Num idcirco
tacendum? Ahias Propheta venienti ad ſe uxo-
ri Jeroboam, ad conſulendum ſuper ſui filii
infirmitate, dixit: *Ego miſſus ſum ad te durus* 3. Reg. 14.
nuntius, eique magnam Dei iram & præpa- verſ. 6.
ratas denuntiavit caſtigationes, tametſi nulla
foret ex minis iſtis emendatio ſecutura. Omnes
Prophetæ, ſuos auditores indomabiles ex-
perti ſunt, & contumaces. Ipſe Dominus ſa-
cerdotibus prædixit, Judæ proditori, & univer-
ſo populo Judæorum, quæ ipſis erant eventura,
etſi ſciret eos non curaturos, nec tantis futuris
calamitatibus remedia quæſituros. Prædixit
tamen, ne in poſterum ſanctiſſimam in mi-
nimo accuſare poſſent juſtitiam, quaſi inopi-
natò & graviùs ferientem, quàm cogitaſſent.
Oſtendiſti populo tuo dura, antequam infligeres, Pſal. 59.
ait S. Rex, *potaſti nos vino compunctionis. De-* verſ. 5.
diſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à
facie arcus: ut liberentur dilecti tui. Magnæ opus
eſt miſericordiæ, ſic prænuntiari rigorem juſti-
tiæ, ut peccator in tuto ſe poſſit collocare, priuſ-
quam contra eum emittantur ſagittæ.

Præterea, ſit auditorium veſtrum velut an-
nofæ quercus immobile, nec veſtrarum ven-
tis minarum eradicandæ, unam tamen fortaſſis
animam vobis ignotam vult alloqui Deus per
os veſtrum, & è nido ſuarum abigere nequi-
tiarum. Venatorem agimus, qui alacriter ba-
culo percutit ſepes, non inde movendas, ut u-
nus ibi latens lepuſculus exiliat & capiatur.
Sic verbis terribilibus univerſum percutimus

populum, quin & Deus aliquâ publicâ ferit calamitate, ut unam peccatricem animam exilire faciat è tenebris peccatorum, capiatque cœleſtibus inferendam, juxta promiſſum il-
Jerem. 16. vers. 16. lud: *Poſt hæc mittam eis venatores multos, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.* Mos eſt nobilium venatorum, latratibus canum, magniſque clamoribus terrorem feris incutere, ut compareant & in retia fugiant præparata: quibus ſufficit cervum unum cepiſſe vel aprum; tametſi plures in nemore reſidui relinquantur: ſic unam fortaſſis animam Deus per noſtros venatur clamores. Quàmvis etiam hæc anima non ſtatim affectu pleno in Dei gratiam revertatur, non inutilis tamen fuerit iſta præambula trepidatio, quàm à futurarum pœnarum concipit auditione. Hæc pravos cohibet affectus concupiſcentiæ, interrumpit peccandi conſuetudinem, & ſenſim ablactat cor à virulentâ peccati dulcedine. Quòd ſi canes, timore fuſtium ſe cohibent ab olida carne, ad nares poſitâ, & maximè concupitâ; cur non ſe homo ratione utens à concupitis contineret ſuavitatibus, fuſtes æternos ſibi conſpiciens imminentes? Dum autem ab illicitis aliquamdiu ſe cohibuerit, fiet paulatim, ut non adeò difficilis videatur virtutis exercitatio. Sicut qui ſtuporem contraxit dentium ex immaturorum fructuum comeſtione, ut facilitas redeat panem comedendi, ab iſtis fructibus abſtinet: ſic redit virtutis facilitas, ceſſante dumtaxat guſtu acerbiorum iſtorum peccatorum, ſolius timoris ſervilis beneficio. Iſto autem timore animis incumbente, ſi modò vel leviter inſtruantur, ſe facilè convertunt ad Dei miſericordiam, auxilium gratiæ implorantes, quo tandem impetrato, exardeſcunt in odium impietatis, cui ſoli ſciunt pœnas illas à bono & juſto Domino conſtitutas.

Hic debet eſſe finis concionatorum; quemadmodum eſt ipſius Dei, judicia ſua prænuntiantis, jubentiſque prænuntiari: prout ipſe per Jeremiam in cauſa Judaici populi
Jerem. 26. vers. 2. declaravit, dicens: *Sta in atrio domus Domini, & loquêris ad omnes civitates Juda, de quibus veniunt ut adorent in domo Domini, univerſos ſermones, quos ego mandavi tibi, ut loquereris ad eos. Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant & convertantur unuſquiſque à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiam ſtudiorum eorum.* Eâdem quoque mente nos ſtemus in ſuggeſtu, eaque loquamur, quæ ſacræ ſubminiſtrant Scripturæ, de horrendis Dei judiciis, in peccatores: non ſubtrahamus ſanctum Dei verbum, etiamſi delicatæ quædam animæ ab eis abhorreant, nolentes audire niſi placentia ſibi, & conſolatoria. B. Angelus de Paz expendens verbum iſtud: *vox clamantis*, poſt- Marci 1. vers. 3.
quam blandos iſtos ſuggillaſſet conſolatores, qui ſe præbent lyræ canticum, & velut muſicum inſtrumentum, volentes potiùs Orpheum imitari delectantem, quàm clamantem Baptiſtam, munus chriſtiani prædicatoris colligit ex hebraici vocabuli ſignificationibus; quod non ſolùm importat *clamantis*, ſed etiam *tonantis, vociferantis, appellantis, invitantis & invocantis.* Unde concindit: *Hinc prædicator egregius, appellat ſuo nomine quem perſuadere nititur, ne velit degenerare: invocat & implorat omnia auxilia, & invitat præmio. Quòd ſi adhuc obdureſcit, clamat in doloribus, deflens miſeriam hominis; vociferatur contra ingratum, jamjam pœnam comminans, dignumque dæmonibus, & inferni cruciatu oſtendit, ut is, quem non convincit amor & blandus ſermo, terrificus & horrendus ad meliorem mentem reducat.*

Qui fortem dicendi ſpiritum in hoc ſubjecto cupit imbibere, familiares ſibi reddat Homilias D. Chryſoſtomi, & Libellum noſtri Bartholomæi Salutii *de Septem tubis*, vel ipſum textum Apocalypſis, quibus efficax imprimitur forma clangendi, plangendi atque tonandi. Raro quodam miraculo comprobavit aliquando Deus tonantem noſtri Salutii ſeveritatem. Semel & iterum explicuerat vani- *Auctor audivit à fide digno.*
tatem muliebrium ornamentorum, fuitque minatus, ornatas taliter in Satanæ tradere poteſtatem. Quod cùm intellexiſſet Vir Dei aliquas contempſiſſe, ſequenti concione permiſit Diabolo, ea ornamenta, tamquam ſua, de capitibus levium iſtarum detrahere muliercularum. Et ecce protinùs cum omnium horrore viſa ſunt violenter avelli: ut hinc diſcerent atrociora expectanda, ſi Dei minas pergerent aſpernari. Sic perculſum eſt integrum auditorium horrore iſto, quem intenderat acer ille præco, & ſpeculum pœnitentiæ.

Ne tamen nos aliquando fervor in nimiam pellat acrimoniam, cum deſperationis periculo in auditoribus, *ſermo ſemper in gratia ſit* Coloſ. 4. vers. 6.
ſale conditus. Alioqui *Numquid poterit comedi* Job. 6. vers. 6.
inſulſum; quod non eſt ſale conditum? Terroris condimentum eſt, ſpes evadendi ſupplicia; quæ ſemper jungenda eſt pœnarum explicationi, ut prodeſſe valeat auditori.

TEXTUS & §. XII.

Et Gloriam.

SUMMARIUM.

Concionatores, comparati exploratoribus terræ promissionis, apportare debent populo fructus illius, nimirum cælestis gloriæ encomia. Per hujus gloriæ spem, peccatores animantur, fatigati recreantur, & terrenis illecti vanitatibus ad solidiores delectationes alliciuntur, & Dei amor in auditoribus accenditur. Promovenda etiam Jesu Christi gloria. Item Sanctorum. Et ad cœlestem gloriam se ducem præbeat concionator.

VOlens Moyses animare populum Israëliticum ad ferendum æquanimiter labores itineris in desertu, & acuere in eis desiderium adeundæ terræ promissionis, misit viros qui considerarent terram, & afferrent de fructibus ejus. Qui pergentes usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, & ficis loci illius, tulerunt. *Reversique exploratores terræ, omni regione circuitâ, venerunt ad Moysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israel. Locutique sunt eis, & omni multitudini ostenderunt fructus Terræ, & narraverunt dicentes: Venimus in Terram ad quam misisti nos, quæ vere fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Atque ulteriùs Caleb & Josue, factâ ad multitudinem exhortatione, spem eis annuntiarunt, quòd auxiliante Domino Terram obtinere valerent: *Terra*, inquiunt: *quam circuivimus, valde bona est: si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem.* Nos omnes Charissimi, in hac vita mortali constituti, per hujus mundi desertum, per hanc terram morientium, cum multis peregrinamur molestiis, ad eam terram viventium lacte & melle manantem, cujus promissio suspensos tenet universos Dei filios, *voluntatem habentes magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Pro horum peregrinantium solatio, & in præsentis vitæ laboribus confortatione, hic à Francisco destinantur exploratores illius pinguissimæ terræ cœlestis, qui afferant de fructibus ejus, totisque viribus accendant multitudinis animum ad aggrediendam eam, & sub divino præsidio possidendam. Monet S. Pater & exhortatur filios suos faciendis prædicationibus deputatos, ut affectionum pedibus ad eam properent terram, eamque considerent frequenti meditatione, & populo testimonium dicant de ejus fertilitate, apportatos ex ea fructus demonstrando, *annuntiando eis gloriam* illius desideratissimæ patriæ, ad quam omnes pariter anhelamus.

Numer. 13. vers. 27.

Cap. 14. vers. 8.

2. Cor. 5. vers. 8.

Ordinatâ dispositione moneat eòs Vir Sanctus, annuntiare ex Dei nomine *vitia & virtutes, & pœnam*: ad pudorem *vitia*, ad laborem *virtutes*, & *pœnas* ad terrorem. Et in his quidem inspersus est labor & dolor; sed in eo quod *de annuntianda gloria* sequitur, pax est à Domino & dulcedo desiderabilis. Illis igitur quibus injectus fuerit pudor ex suarum turpitudinum declaratione, quibus etiam monstrata sunt ardua virtutum cacumina conscendenda, quibus denique à tergo strepitus insonuerunt tempestatum & flagellorum, si non, ut oportet cucurrerint, docet ut honores ostendamur & coronæ, solatia & gaudia; quæ in via crucis ambulantibus præparantur. Metus est sanctâ spe temperandus, atque ad hoc divina verba congruè dispensanda. Hæc est Ecclesiæ sanctæ methodus. *Corda mærentium consolatur S. Ecclesia, dum per præsentis peregrinationis ærumnas mentes afflictas electorum pensat, & has æternæ patriæ promissione lætificat. Considerat etiam, quòd cogitationes fidelium divinæ sunt timore perculsæ; & quos de Deo conspicit districta audisse, ut timerent; agit quoque quatenus & mansuetudinem pietatis audiant, ne desperent. Sic namque fidelibus suis de pietate & justitia Redemptoris in prædicationis serie spem miscet & metum; quatenus nec incautè de misericordia confidant, nec desperatè justitiam timeant.* Hanc œconomiam Deus ipse servavit, ut legimus in Deuteronomio: *En propono*, inquit, *in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem.* Benedictionem si obedieritis; sin minùs, maledictionem. Et cùm introductus fueris in Terram ad quam pergis habitandam, *pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal.* Sic & Franciscus monet ascendentem in montem ut Evangelizet Sion, ex una parte maledictionem ponere, ex altera benedictionem, annuntiando *pœnam & gloriam.*

D. Greg. Moral. l. 20. c. 5.

Deut. 11. vers. 26.

vers. 29.

Jubet quoque justitia, laborantes & fatigatos in itinere mandatorum Dei, pane salutari recreare. *Dominus dedit mihi*, ait Isaias, *linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo.* Si ad Deum tendimus, curemus ut non soli ad eum veniamus. *Qui audit, dicat: Veni.* Qui jam in corde vocem supernæ invitationis audierit, foris etiam proximis

Isa. 50. vers. 4.

Apoc. 22. vers. 17.

vocem reddat exhortationis, ut in vis jacenti,
aut nimiùm fatigato, addat animum, ad eum-
Isaiæ 21 vers. 14. dem terminum perveniendi. *Occurrentes siti-*
enti, ferte aquam, qui habitatis terram Austri.
Cùm panibus occurrite fugienti: à facie enim gla-
diorum fugerunt, à facie gladii imminentis, à fa-
cie arcus extenti, à facie gravis prælii. Optimè
confortantur totis viribus ab inferno fugien-
tes, dum sibi cœlestis explicantur commoda
securitatis, in cujus spe valeant respirare. Ita-
ud h. 8. vers. 22. que *nunc Fratres, quoniam vos estis presbyteri in*
populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad
eloquium vestrum corda eorum erigite.

Insuper innumeras videmus simplices ani-
mas, noxiarum oblatione delectationum al-
lectas & seductas; cur eas permittemus in il-
lam abire insaniam, cùm præ manibus alias
habeamus delicias suaviores, eis oblatas à Do-
Jerem 2. vers. 13. mino? *Me dereliquerunt*, ait Dominus, *fontem*
aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dis-
sipatas, quæ continere non valent aquas. Videte,
quantas excitet strages terrenarum rerum de-
lectatio, quæ velut mulier ornatu meretri-
cio præparata ad capiendas animas, procaci
vultu blandiens, exosculatur vecordes juve-
Prov. 7. & 9. nes: quæ sedens super sellam in foribus domûs
suæ, excelso urbis loco, vocat transeuntes per
viam, plurimisque persuadet quòd aquæ furti-
væ dulciores sint, & panis absconditus suavi-
or. illis quibus talia suggerit maledicta de-
Prov. 7. vers. 24. lectatio; nos prædicemus è converso: *Fili*
mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne ab-
strahatur in viis illius mens tua, neque decipia-
ris in semitis ejus, multos enim vulneratos deje-
cit.... Via inferi domus ejus, penetrantes in inte-
riora mortis. Cùm autem Sapientia æterna quæ-
Prov. 9. vers. 2. ri videat delectationes, ipsa quoque *immolavit*
victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam
suam. Delectationes in dextera ejus usque in
finem. Magnus ille paterfamilias fecit cœnam
magnam, nosque misit ad invitandum amicos.
Nostri ergo muneris est, hujus mensæ delicias
invitatis intimate: iis præsertim, quos jam
temporali præventos videmus suavitate, ut
eâ spretâ, nos ad convivium cœleste sequan-
2. Cor. 5. vers. 20. tur. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam*
Deo exhortante per nos. Eam legationem per-
agimus infideliter, sir magnificentiam regalis
illius convivii, felicitatem, nobilitatem, &
aulæ convivarumque securitatem non declare-
mus; dum tam hebetes videmus multas ani-
mas, ut non nisi eas, quæ in mundo haben-
tur, delicias, divitias, & honores noverint
Isaiæ 32. vers. 6. æstimare. *Stultus fatua loquetur, & cor ejus*
faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem,
& loquatur ad Dominum fraudulenter, & va-
cuam faciat esurientis animam, & potum siti-
enti auferat. Hunc locum noster doctissimus
Adamus Sasbout sic interpretatur: *Hæc per-*
tinent ad eos qui sunt indiligentes, & non dant
diligenter operam Scripturæ; unde fit, ut frigi-
dè concionentur in pagis & oppidis, & ridicula
sæpè proferant: qui non didicerunt beneficia &
merita Christi, & virtutem Fidei: quæ si ex-
plicarentur, non ita amarent homines libidinem
& pecunias, & longè majori fiduciâ resurgerent à
peccatis.

Ad hæc, cùm æternus Sponsus hoc nobis cum
à suis exoptet sponsis, ut ex toto corde diliga-
tur, venerítque ipse hunc amoris ignem mit-
tere in terram, nil egerimus nos ipsius mini-
stri, si non eumdem accendamus, & fidelium
cordibus injiciamus. Ipse nobis materiam sub-
ministravit his flammis excitandis: estque hæc
una de præcipuis, quòd immensâ suâ bonita-
te nos ad participationem creârit suæ beatitu-
dinis, eamdem promiserit, modis stupen-
dis ad eamdem nobis parârit aditum, & jam
innumeros ad eam admiserit cohæredes. Hoc
si perfectè intelligerent filii hujus sæculi,
foret impossibile, quin amore caperentur
tantæ bonitatis & liberalitatis, & omnia stu-
dia ad capessendam illius converterent fruitio-
nem. Nostrum est eis aperire intellectum, ut
capere possint illius immensitatem charitatis,
& reddendæ dilectionis similis obligationem.
Nos paranymphi sumus, & officium Eliezer Gen. 24.
nobis commissum est, ut de terra longinqua,
de regione peccati, sponsas adducamus fi-
lio Domini nostri, & ex ejus nomine demus
illis inaures aureas & armillas, in tesseram
sui erga eas amoris, suarumque divitiarum
argumentum, quibus allectæ relinquant
alacriter domum Patris & Matris, nosque se-
quantur ad Sponsum à nobis magnificatum.
Nobis incumbit munus Mardocchæi, *qui de-* Esther 2. vers. 11.
ambulabat quotidie ante vestibulum domus, in
qua electæ virgines servabantur, curam agens
salutis Esther: quam moribus optimis, mo-
destiâ, castitate, simplicitate, mentisque
candore sic ornavit, regique fecit amabi-
lem, ut ab eo in regni consortem eli-
geretur.

Insuper est alia gloria quam totis affectibus
annuntiare debeamus. Illa est gloria Jesu
Christi, quam ipse primis prædicatoribus
commendare mandavit & amplificare. *Eritis* Act. 1. vers. 8.
mihi testes in Jerusalem &c. Et iterum: *Spiritus*
veritatis testimonium perhibet de me, & vos testi- Joan. 15. vers. 26.
monium perhibebitis, quia ab initio mecum
estis. Ampla, nobilis, & saporosa est mate-
ria ista, fidem, reverentiam, obedientiam &
amorem in nostrum promovens Salvatorem;
cujus gloria taliter est statuenda, ut si fortè
mundus totus sui foret oblitus, & abiret in
perniciem, potè tamen curanda esset Christi
gloria, quàm emendatio populi. Primice-
rium habemus Angelum illum, qui ipso in-
grediente in orbem terrarum, proclamavit:
Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit Luc. 2.
omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, vers. 10.
qui est Christus Dominus. Cum quo subitò facta
est multitudo militiæ cœlestis, laudantium
Deum & dicentium: *Gloria in altissimis Deo &c.* vers. 14.
& Pastores etiam eorum auditores *reversi* vers. 20.
sunt, glorificantes & laudantes Deum, in omni-
bus quæ audierant &c. Quin potiùs primice-
rium habemus Spiritum Sanctum, de quo di-
cebat Dominus Jesus: *Ille me clarificabit.* In
hoc subjecto spatiabatur magnificè, & cor Joan. 16. vers. 14.
quasi liquescens effundebat devotissimus Pau-
lus Apostolus, cui nil suavius quàm exaltare
nomen Domini nostri Jesu Christi. Hoc no-
men coram regibus & gentibus & filiis Israël
portare jussus erat: & portabat nomen tam-
quam lumen, & patriam illuminabat. Mon-
strabat

ſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuntians in omni loco Jeſum, & hunc crucifixum. Eadem fuit cæterorum Apoſtolorum erga magiſtrum ſuum fidelitas, ut gloriam ejus & opera magnifica, ſemper & ubique deprædicarent. Hujus zeli hæredem habuère noſtrum S. Bernardinum, ejuſque diſcipulos, qui fervore inſolito ſe laxarunt ubique terrarum, ad promovendam adorationem nominis Jeſu, & glorificationem. Curavit Vir Sanctus, ut in tabellis depicto nomini Jeſu omne genu flecterent: cujus zeli ardor, adauctus fuit flabello contradictionis, ſuorum aliquot æmulorum. Memorabile eſt, quod Gonzaga refert in Conventu Palentiæ contigiſſe. Ibi F. Alphonſus de Spina, cum vigintiquatuor habuiſſet conciones de nomine Jeſu, cœlitùs juſſus eſt haurire aquam è puteo: quod cùm feciſſet, reperit in fundo ſitulæ vigintiquatuor lapillos candidiſſimos, inſcriptos eo ſanctiſſimo nomine: quo portento magis animatus eſt ad laudem ejuſdem continuandam, & adorationem promovendam.

Sedul. in Vita ejus cap. 30. 31.

Lib. de Orig. ... in Provin Concept.

Poſt Chriſti gloriam, ſemper in ore noſtro verſetur gloria Sanctorum ejus: decet enim eos à nobis coram hominibus glorificari, quos Deus coram Angelis ſuis, & univerſâ cœleſti aulâ glorificavit. Gaudet in hoc Pater & Dominus eorum, cujus bonitatis divitiæ in eiſdem manifeſtantur, & qui amicos ſuos pro ſuo voto conſpicit honorari. Gaudent ipſi Beati, non ex vano & ad ſeipſos terminato amore, ſed quia ex magnitudine & certitudine gloriæ ſuæ, firmatur in audientibus ſpes ſimilis accipiendæ, per eamdem gratiam Salvatoris. Gaudent auditores Juſti, quia virtus quondam ſuppreſſa, vel à Sanctis ipſis ſub humo defoſſa humilitatis, vel ab invidis per ſordes conviciorum & irriſionum obſcurata, tandem in ſua apparet luce, ſuos diſpergens radios undequaque. Gaudent & ipſi peccatores, dum vident ſuæ ſortis homines, quondam ſibi ſimiles peccatores, aut ſaltem ſimilis carnis infirmitate circumdatos, non omninò deſpectos à Deo, nec in ſuis fœcibus derelictos. Ad quorum æqualitatem etſi ſorte non ſperent attingere; confidunt tamen eos pro ſe apud glorificatorem ſuum interceſſores habere. Nec inutilis erit nobis hæc ipſa laudatio. Sicut enim videmus in Cantico Canticorum Sponſam in admiratione Sponſi quaſi extaticam, è corde & ore ſuo laudes ejus dulciſſimas evaporare, atque viciſſim illam à Sponſo ſimilibus elogiis deliniri; ſic pari viciſſitudine, dum ex admiratione triumphotum Sanctorum ad eorum laudes ora laxamus, nos vos nobis è cœlo remittent amores. Nec enim aliter eſſe poteſt, quin pia tantæ gloriæ meditatio, auctiorem nobis eorum reverentiam faciat & amorem.

Finaliter omnes noſtros concionatores monitos velim, cavere, ne ſint de infelicibus illis, qui monſtrant aliis regnum cœlorum, & omnis eò conducentia docent egregiè; nec tamen illuc pergunt cum cæteris, ideoque fortè nec umquam pervenient, quia neſcio quibus loris terrenorum affectuum detinentur. Cùm natus eſſet Jeſus in Bethleëm, & Magi ab Oriente veniſſent Jeroſolymam, quærentes: Ubi eſt, qui natus eſt, Rex Judæorum? congregans Herodes omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur? *At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ.* Ignaris Magis viam oſtendebant & locum, nec tamen comitabantur, ut hâc novâ luce, tantoque beneficio fruerentur. Tales ſunt ejuſmodi concionatores. Magno labore fabricant arcam, in qua Noë cum ſuis ſalvetur, & animalia quædam ſeu animæ ſimpliciores; ipſi porrò fabri, in divinorum diluvio judiciorum, cum peccatoribus cæteris ſuffocantur. Mirabuntur idiotæ multi, doctorum concionibus promoti ad ſalutem, & perquirent in die judicii: *Ubi eſt litteratus? Ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum?* Ubi eſt ſervus ille qui nos tam diligenter vocavit ad nuptias, & quaſi compulit intrare? En relinquitur foris, & pars ejus cum hypocritis. Ponderemus, quantus eorum futurus ſit pudor & dolor. Nos igitur exaltemus quidem vocem, ſed ſimul manum levemus ad apprehendendum bravium; ingrediamur portas & ipſi duces. Nos duces ſumus in patriam revertentium: ſic agamus, ut duces ſimul cœli portas ingredientium. D. Gregorius expendens illud, quòd pater Saulis ob longiuſculam moram in aſinis requirendis ſollicitus erat pro filio, ſic ait: *Redemptor noſter ſic nos vult quærere ſalutem alienam, ut non negligamus noſtram. Vult, ut vocentur peccatores ad pœnitentiam, ſed non vult, ut pereant ii, qui ipſos peccatores vocant. Vult, ut converſus peccator juſtitiam, quam non habuit, habeat; ſed non vult, ut juſtus eam quam non habuit, juſtitiæ palmam perdat. Intermiſſis ergo aſinis, pro ſilio ſollicitus eſt, quia prædicatores ſuos vult ad horam ab alterum ſollicita intentione quieſcere, ut ſibi ipſis valeant per quietem meliùs providere.* Lætior atque ſecurior eſt reditus in patriam, dum ſimul omnes pergunt unanimiter, populus & ſacerdos, & cantant in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini, continuo illi os æſtuantes deſiderio, ſolantes invicem & ſublevantes ab iſtarum fatigatione viarum. Talibus ſe junget Dominus, & deducet feliciter, & feliciùs in ſuum gaudium introducet.

Matth. 2. verſ. 5.

Iſaiæ 33. verſ. 18.

In 1. Reg. 19.

TEXTVS & §. XIII.

Cum brevitate sermonis.

SVMMARIVM.

D. Gregorii instructio, de cavenda in concionibus nimia loquacitate. Ei communiter est juncta præsumptio. De abusu eorum, qui subtilia disputant pro concione. Item eorum, qui multiplicant longas latinas sententias. Denique eorum, qui relicto themate, passim evagantur ad digressiones. Inaffectata simplicitas, semper placet auditorio. De ea laudatus Philippus Diez.

Levit. 15. vers. 2. Dicitur in lege divina: *Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit.* Quod D. Gregorius, magnus instructor concionatorum, sic interpretatur: Pastoral. p. 2. cap. 4. *In mente audientium semen sequutæ cogitationis est qualitas auditæ locutionis; unde & aliquando egregius prædicator Seminiverbius est vocatus.* Actor. 17. vers. 18. *Talis igitur immundus asseritur; quia multiloquio subditus ex eo se inquinat. Quod si ordinatè premeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset.* 2. Tim. 4. vers. 2. *Et ideo Paulus monens Timotheum ad instandum importunè, præmittit opportunè; quia scilicet apud auditores mentem ipse sua utilitate destituit, si habere importunitas opportunitatem nescit.* Propter quod idem ipse admodum utilem prædicatoribus suggerit cautelam, dicens: *Providendum est sollicitâ intentione rectoribus, ut ab eis non solùm prava nullo modo, sed ne recta quidem nimiè & inordinatè proferantur: quia sæpe dictorum virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitatis incautâ importunitate levigatur, & auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ servire ad usum profectûs ignorat.* Hoc idem vitium à suæ Religionis concionatoribus Franciscus cupiens amputatum, monet & exhortatur, ut necessaria studeant atque utilia annuntiare *cum brevitate sermonis.* Quem textum ex nostra seraphica Regula transsumere dignatum est sacrum Concilium Tridentinum, suisque inserere decretis; mandando curatoribus animarum, ut plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, Sessione 5. Dec. de Reform. c. 2. *annuntiando eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cælestem Gloriam consequi valeant.*

Unde autem ebulliant tot inutilia verba, cum auditorii tædio, explorans idem D. Gregorius, rationem unam deprehendit tractans infulsum illud impropetium Eliu contra S. Job: Job. 35. vers. 16. *Ergo Job frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.* Sic enim in eum & ipsius similes retorquet impropetium: Moral. l. 26. c. an. *Hoc esse proprium arrogantium solet, ut & pauca credant quæ ipsi multa dixerint, & multa credant quæ ipsis pauca dicuntur. Quia enim sua dicere semper volunt, aliena audire non possunt: vim se pati existimant, si ea quæ immoderatè sentiunt, immoderatiùs non effundant. Multa jam dixerat, & sustinere adhuc paululùm postulat; quia videlicet arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam; loquendi brevitate constringant. Tantò enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quantò se potuerint multiplicitate loquacitatis aperire. Quia verò nonnumquam doctores sancti crebrò repetunt, si quæ obscuriùs dicunt, ut quæ occulta prædicant, auditorum cordibus infundant; plerumque hos appetunt & arrogantes imitari, & insolenter ea quæ dixerint replicare, non quo auditorum cordibus res insinuare appetant, sed quo eorum judicio videri eloquentes volunt. Unde Eliu subjungens, ait: Repetam scientiam meam à principio.* Job. 36. vers. 3. Hæc appositè Gregorius, pro iis qui volunt ex vanitate ostentare se magni esse studii, felicis memoriæ, atque scientiæ abundantioris.

His sociandos existimem, qui intricatas sibi proponunt quæstiones, quæ nonnisi multis circuitionibus, solutionibus argumentorum, notandis, & narrationibus explicari possunt; nilque conducunt ad fidem, compunctionem, morumque compositionem: *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.* Eccles. 6. vers. 11. Licèt enim omnia quæ allegantur, nonnisi sacra sint & authentica, nil tamen aliud afferunt auribus audientium, præterquam quod gemmæ oculis aspicientium vanam aliquam puellam bis ornatam, nimirum ut sit in admiratione, cujus totus labor & expensæ, ad hoc solùm tendunt, ut ad momentum pascat oculus transeuntium. Ad hos respexisse videtur Sapiens, dum ait: *Stultus verba multiplicat.* Eccles. 10. vers. 14. Quam stultitiæ notam, Angelus de Paz absque injuria istis impingit prædicatoribus, In Marcum lib. 4. c. 33. qui non juxta Salvatoris exemplum loquuntur, prout audire possunt homines & retinere. *Quando congregandus est populus*, ait divina lex, Num. 10. *simplex tubarum clangor erit.* Qui enim, ait Gratianus, ea docet, quæ ab auditoribus non valent intelligi, Cap. Dispensatio. dist. 43. non ad eorum utilitatem, sed ad sui facit ostentationem. Huc etiam pertinent, qui res claras & indubitatas nituntur longis & laboriosis probationibus confirmare.

Seipsos

Seipsos vexant anxiâ probationum istarum conquisitione, simulque auditorium fastidiosâ earum oarratione. Similes eos crede fatuo, qui magnum quid se arbitraretur egisse, rupem stantem fulciendo oovem aut decem trabibos, quæ tamen ab orbe condito semper in eodem visa est statu, nec nmqnam talibos eguit fulcimentis.

Æquale generant fastidium, qui coram ignara plebe longas recitant latinas sententias, quarum interpolationum prolixis tractibus, non intellectis, permittitur auditorium ad alia mente evagari, saporemque & fructum amittit eorum, quæ vulgari sermone prolata, potuissent quid utile in ipsorum animis generare. Verùm quidem est, Doctores sacros in suo sermone, styloque nativo, singularem aliquem reliquisse saporem, qui non possit ad easdem transmitti sententias, in aliud idioma translatas, melioremque gustum earum sententiarum ipsi proferenti ex ipsis originalibus scriptorum sacrorum fontibus provenire; sed longa earum productio continuata, sine vulgati sermonis interpositione, tædium causat personis, quibus latina lingua omninò barbara est, puta mechanicis & mulieribus, quorum communiter est maxima multitudo. Ut itaque pariter & concionatoris gustui, & auditorum fructui consulatur; utque sua servetur energia sententiis in sermone nativo, & plebis fastidium evitetur, consultum fuerit, ut, si longiores fuerint proferendæ periodi, in suas partes breves quasi anatomizentur, quæ ita intercisim populo proponantur, mox subjunctis in vernaculâ linguam translationibus, ne eorum attentio & expectatio longiùs suspendatur.

Parum item proficiunt auditorio, suæque derogant æstimationi, qoi assumpto ad initiom themate aliquo utili, & avidè ab omnibus expectato, tam frequentibus & prolixis digressionibus longè latèqoe peregrinantur, ut nil de re proposita colligi possit, eò quòd prima pars discursus jam tradita sit oblivioni, propter incidentales alios tractatus, antequam partem alteram incipiant. Concesserim digressiones illas in se fortassis utiles esse & bonas; sed quia meliorem impediont fructum, pro nudis verbis & impertinentibus

Ecclesi. 20. vers. 22.

reputantur. *Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim illam dicit in tempore suo.* In ipsis scriptoribus, vitium est, molestum iis qui legunt; etsi post digressiones rediri possit ad principia discursuum & disputationum, quia scripturis mandata sont; sed non ita est de vocaliter peroraute; nam auditoribus elabuntur facilè præcedentia, & sequentium cum præcedentibus cohærentia; maneutque attoniti & perturbati, nescientes qoid voluerit declamator. Olim prohibuit Domiaus: *Agrum tuum non seres diverso semine*; utrique propter inutilitatem, quia unum impedit aliud; neque fructus nascitur opportunus. Hoc ipsum, in mystico sensu, ad divini verbi satores noscitur pertinere.

Levit. 19. vers. 19.

Etsi verò brevitas aut prolixitas tempore soleat mensurari, eum tamen sermonem prolixum existimem, qui inutili verbositate fastidiosus est, licèt ad mediam solùm duraverit horam; is autem brevis reputatur, qoi sic aoditorio sapit, ut quàmvis ad sesqoihoram duret, non tamen fastidium pariat, sed majorem semper aviditatem provocet audiendi

Encomium Concionum Diez.

De nostro Philippo Diez, aliquid memoriæ tradidit eximius Doctor Dominicus Bannez, quod ab omnibus nostris concionatoribus notari velim & observari. Sic de eo scribit in operum ipsius frontispicio: Licèt sermo quo in his concionibus utitur, non ita splendidus ac magnificus, neque verborum phaleris & lepòre ita sit exoroatus, ut omnibus placere possit; est tamen ad id consequendum, quod Auctor adipisci vult & curat, maximè accommodus: est enim nudus, rectus, & venustus, omni ornatu orationis tamquam veste detractâ, veritatem coloribus suis depingens, fideles ad Dei amorem accendens, & ad cœleste regnum viam quâ rectâ itur ostendens. Quæ cùm præcipua sint, quæ ob oculos verbi Dei minister semper habere debet, & hæc omnia Auctor felicissimè adipiscatur, non est ei vitio vertendum, quòd æquabili & temperato orationis genere potiùs quàm eleganti, laoto, divite, splendidoque dictionum apparatu, uti voluerit: præsertim cùm verissimum sit illud Basilii dictum: *Dictionis inaffectata & incomposita simplicitas, decora mihi videtur, & conveniens professioni christiani doctoris, cujus est non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam utilitatem.* Cui consonant quæ dicit D. August. *Quid prodest clavis aurea, si non aperit: & quid obest lignea, si aperit?* Dum hâc compendiosâ laude Vir sapientissimus unum nostrum ornavit confratrem, nos omoes instruxit, quo stylo verbum Dei tractare, & quo candore ioter dicendum, sacrum illud debeamus officium exercere,

Lib. 4. de doctr. Christ. cap. 11.

TEX-

TEXTUS & §. XIV.

Quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

SUMMARIUM.

Æmulandi sunt Concionatoribus tres modi, quibus Dominus verbum suum abbreviavit. 1. In humilitate assumptæ humanitatis. 2. In Passionis arctitudine. 3. In compendio præcepti charitatis. Hæc tria profundè erunt fidelium cordibus imprimenda. Referuntur qui divinum amorem impensè fidelibus inculcârunt.

POstquam omnipotens Deus, famulo suo Moysi mandata dedisset, tabernaculum, arcam, mensam, candelabrum & cuncta eò pertinentia efformandi, certam ei præfixit idæam, ad cujus instar operaretur dicens: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Quod juxta mysticum sensum, sapientia pauperis Francisci exponit in hunc modum: *Debemus facere secundùm exemplar eorum quæ vidimus in Christo, tamquam in monte sublimi.* Huic moralitati Vir Sanctus insistens, postquam præsenti capitulo Regulæ, varias tradidit præceptiones & exhortationes, quas prædicatores sui Ordinis observarent, annuntiando populo necessaria scitu & utilia cum brevitate sermonis, hîc exemplar indigitat, ad cujus formulam se debeant conformare: *Quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* Modos illos servari ab eis voluit, quos Dominus præmonstravit in Christo, tamquam in monte sublimi, verbum abbreviatum faciens super terram. Tres autem sunt tales modi, qui præsenti nostro serviunt instituto.

Exod. 25. vers. 40.

Vita ejus, cap. 12. num. 1.

Primum traduot D. Hieron. ad Algasiam quæst. 10. & D. Cyprian. lib. 2. contra Judæos cap. 3. *Verbum incarnatum*, inquit, *est Verbum ad hominis usque naturam abbreviatum & exinanitum, ut quod cœlo non capiebatur, præsepio caperetur.* Priscis temporibus descendit Deus coram Israëlitis in tonitruo, igne, fulminibus, & majestate magnâ, estque susceptum Dei verbum, quamdiu terror iste duravit; sed eo sensim evanescente, verbum Domini tradiderunt oblivioni. Alio igitur modo descendere cogitavit, quo se in angusta credentium corda faciliùs insinuaret. Proinde humanam assumpsit naturam Dei Verbum, ut in humilitate, mansuetudine & parvitate, in confertam turbam publicanorum, meretricum, pauperum, ægrotorum & ignorantium penetrare valeret. Quos autem ipse Dei Filius sibi adscivit ad disseminandum suam divinam sapientiam & veritatem, ad similem abbreviari voluit parvitatem, ut humiles essent in oculis suis, & in totius mundi oculis humiles apparerent.

Dum S. Ezechiel quatuor animalia sibi cœlitùs ostensa describeret, inter alia dicit: *Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.* Animalia ista, sanctorum Doctorum interpretatione, quatuor signabant Evangelistas: nec solùm quatuor illos, sed universos quoque Evangelicos prædicatores. *Similitudo* igitur *hominis in eis.* Cujus hominis? Respondet D. Gregorius: *Cujus, nisi illius, de quo scriptum est:* qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? *Hæc itaque animalia ut surgere ad sanctitatis virtutem valeant, ad hujus hominis similitudinem tendant: sancta enim non essent, si illius similitudinem non haberent.* Deinde qualiter ei debeant assimilari ulteriùs docet idem Doctor: *Plangunt vitam delinquentium prædicatores sancti, sed de ipso nostro capite scriptum est: quia flevit super Jerusalem. Gaudent de bonis actibus subditorum, & rectè operantes diligunt; sed de Redemptore nostro scriptum est, cui cum adolescens quidam diceret:* Hæc omnia custodivi à juventute mea, *magis* dilexit eum. *Portant illatas contumelias prædicatores sancti, & nullam ad invicem contumeliam reddunt; sed cùm Redemptori nostro diceretur.* Dæmonium habes, *non injuriam reddidit; sed mansuetudinem. Fervent zelo rectitudinis prædicatores sancti: sed Redemptor omnium flagello vendentes & ementes de templo ejicit. In omni quod fortiter agunt, humilitatem custodiunt; sed Redemptor dicit:* Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Persecutores quoque suos diligunt prædicatores sancti; sed ipse auctor omnium, in Passione positus, pro persecutoribus intercedit. Membra sua ponunt in passione pro fratribus; sed pro electorum vita usque ad mortem se tradidit auctor vitæ. Dicatur ergo de sanctis animalibus sive prædicatoribus,* quòd similitudo hominibus in eis est, *quia quòd sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est, id est de virtute imitationis.* Hæc Gregorius.

Ezech. 1. vers. 5.

Hom. 2. in Ezech.

Philipp. 2. vers. 7.

Luc. 19. vers. 41.

Marci. 10. vers. 20. & 21.

Joan. 8. vers. 48.

Joan. 2. vers. 15.

Matth. 11. vers. 29.

Luc. 23. vers. 34.

Philipp. 2. vers. 30.

Quòd si nondum tales simus, ad eam formam nos effingere laboremus. Ad quantam humilitatem se Doctor gentium, prædicatorum coryphæ-

coryphæus abbreviaverit, ex iis liquidò apparet, quæ suis humillimè scripsit Corinthiis: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores*
2.Cor.1. vers.23. *sumus gaudii vestri &c.* Item *Non audemus nos*
inserere aut comparare quibusdam qui seipsos com-
Cap.10. vers.12. *mendant; sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes & comparantes nosmetipsos nobis.* Eademque suis omnibus commilitantibus apprecans, ait:
1.Cor.4. vers.16. *Rogo ergo vos imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, humillati scilicet & abbreviati.
Vita cap.6. num.2. Parvulus quoque noster Franciscus, ut se cæteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo propria manifestaret defectus. Accidit semel, uti infirmitate gravatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicùm relaxaret. Viribus autem corporis utcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnia animatus opprobrium; non est, inquit, conveniens, ut populus abstinentem me credat, & ego è contrariò carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflamatus: & in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, majorem introivit Ecclesiam: funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis, in oculis omnium se trahi præcepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licèt quartanarius esset & debilis, acerbi frigoris tempore, cum multo vigore animi prædicavit. Audientibusque cunctis, asseruit se non tamquam spiritualem honorandum fore quin imò tamquam carnalem & glotonem ab omnibus contemnendum

Quantùm absunt ab hac humilitate nonnulli, qui dum ascendunt suggestum, per arrogantiam arbitrantur se simul ascendere dignitate supra sedentes inferiùs auditores, quos velut in imo probitatis & scientiæ sub se positos contemplantur! Aliam decet induere mentem. Credamus, quòd tales simus, quales peccatores illi, quos corrigere venimus, aut quòd tales fuerimus aliquando. In illis fortè sunt aliqui, ad majorem quam nos in cœlo gloriam destinati. B. Stephanus, Judæis suisque lapidatoribus prædicabat; inter quos Deus servabat latenter Saulum, qui ipsum esset in Apostolatûs culmine præcessurus. His de causis, auditorium, cui prædicamus, etiam à nobis honorifice suspiciendum: eo modo, quo nuntius missus à rege ad ejus uxorem, non nisi eum omni reverentia verbisque modestissimis eam compellat, cavetque ab arrogantia & contemptu tantæ personæ quam alloquitur, semper memoriâ retinet, se dumtaxat servum esse Regis atque Reginæ. Non alia est nostra conditio respectu congregatæ Ecclesiæ, quæ sponsa est Christi. Tametsi statu simus & officio secularibus hominibus eminentiores; prædicta tamen consideratio debet nos intrà humilitatis internæ externæque limites continere. S. Paulus, vas electionis, & eximius gentium prædicator, etsi numquam fuerit in sermone adulationis; tamen eò quòd in fidelibus suis, quibus scribebat vel prædicabatur, Domini sui Sponsam consideraret, honorificis semper titulis eorum congregationem compellavit *dilectos Dei* vocans, *sanctos, & electos.*

Secundò, Verbum abbreviatum fecit Dominus Jesus, in via arcta brevique suæ Passionis. Cùm enim via ad felicitatem longa esset, anfractuosa & inventu difficilis, Verbum Dei brevem fecit, rectam, atque securam, per angustam scalam Crucis, per quam ipse primus intravit in gloriam suam, & ad sequendum alios invitavit. Unde legimus apud Isaiam, quod resumpsit Apostolus in sua ad Ro- Isaiæ 10. vers.22.
manos Epistola: *Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem enim & abbre-* Rom.9. vers.28.
viationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ. Ubi Haymo interpretatur, *consummationem abbreviatam* esse Passionem Christi, quæ tribus diebus fuit consummata, itaque abbreviata! In ipsa Christus omnia consummavit, dixitque: *Consummatum est*: & Joan.19. vers.30.
ipse Dominus majestatis fuit ibi abbreviatus in fama & vita, & quasi capite minutus. Illa consummatio abbreviata multiplicem *inundavit justitiam.* Primò quidem, eam quâ satisfactum est Judici, itaque ejus contra genus humanum extincta. Inundavit præterea justitiam, quæ solvit abundè pro universis mundi peccatis. Inundavit justitiam in reos & exules homines, qui per Crucem Redemptoris & Sanguinem justificantur. Inundavit justitiam, ejusque zelum in generosis animabus, cum suo Rege patiendi, & sponte castigandi sua delicta præterita, & futura cavendi.

Per Crucem igitur & Passionem, impletum est quod promiserat Isaias: *Consummationem &* Isaiæ 10.
abbreviationem Dominus Deus exercituum fa- vers.23.
ciet, in medio omnis terræ. Fecit primò in seipso, & quotidie facit in electis istam abbreviationem, eos brevi compendio in regnum inducens præparatum. Et quidem illud magnum opus Excelsi à bono Latrone fuit inchoatum, qui totâ vitâ suâ ambulaverat vias difficiles inferni, & lassatus fuerat in via iniquitatis ac perditionis, & novissimo vitæ tempore cum Christo in Paradisum meruit introire. Brevissimum viæ ejus compendium fuit societas Crucis Christi: sicut & nobis sunt hujus vitæ mortificationes & afflictiones. Hoc verbum consummans vitæ perfectionem, & abbrevians exercitia spiritualia, & inundans justitiam, sit nobis semper in ore, ut illud commendemus aspirantibus ad salutem. Hoc egit princeps prædicatorum. *Nos*, inquit, *prædi-* 1.Cor.1. vers.23.
camus Christum crucifixum. Et Hebræos fideles, omnesque Christianos adhortans, ait:
Per patientiam curramus ad propositum nobis Hebr.12.
certamen, aspicientes in auctorem fidei & con- vers.2.
summatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ. Recogitari faciamus eum, qui talem à peccatoribus sustinuit contradictionem, ut qui eamdem viam abbreviatam ingressi sunt, non fatigentur animis deficientes

Id acceptissimum esse Christo Domino, fuit aliquando nostræ B. Angelæ cœlitùs demonstratum. *Apparuit circa Crucifixum*, testatur Vita ejus
ipsa, *multitudo filiorum, qui devoti erant ad præ-* cap.46.

dicandum & imitandum paupertatem, despectum, & dolorem Crucifixi. Benedictus igitur Iesus, eos advocatos ad se & attractos, cum tanto amore singulos amplexans ad vulnus lateris osculandum, cum manibus suis capita eorum trahens, & stringens, applicabat; quod gaudium ex hoc in animam meam genitum, de tam eviscerato amore super eos ostensô, me fecit oblivisci dolorem meum. Et post enarratam diversitatem osculorum & gratiam ipsis exhibitarum ac benedictionem, refert, quàm affectuosè diceret eis Christus: *O benedicti Filii, discooperite viam crucis, paupertatis, scilicet, mea & despectus & doloris mei: quia ego singulariter vos elegi, ut per vos mea veritas conculcata, & absconsa discooperiatur, & manifestetur, vestro verbo & exemplo.* Quod ultimum rectè notandum, ut *exemplo* etiam Crux Domini prædicetur; parum enim placet Deo, & parum prodest proximo verborum prædicatio, nisi jungatur etiam exemplorum. Evacuatur crux Christi, dum non ad exemplum ipsius Salvatoris prædicatur, qui tulit ipse crucem, quam prædicabat aliis tolerandam. Tunc vident auditores portabilem esse, dum eam portari à concinnatore

D. Ambr. lib. 2. De Virgin. initio. perspexerint. *Difficile non æstimatur, quod jam factum est, & utile, quod probatum, & religiosum, quod hereditario quodam paterna virtutis usu in nos est successione transfusum.*

Tertiò, Verbum abbreviatum hic accipi potest, cum D. Augustino, Anselmo, Origine & aliis, brevissimum Evangelicæ fidei & dilectionis præceptum, quod pro cunctis laciniosæ & sinuosæ legis ceremoniis & prophetiis

Matth. 22 vers. 37. successit, præceptum scilicet charitatis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum sicut teipsum.* Hoc est *verbum abbreviatum*, & compendium universorum legis verborum; omnis enim lex in uno illo sermone

Rom. 13 vers. 10. impletur, & *plenitudo legis est dilectio*; in cujus brevi verbo clauduntur omnium oracula Prophetarum, ipsâ Veritate testificante, quoni-

Matth. 22, vers. 40. am *in his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* Plurima quidem singularia Sacræ Scripturæ specificant, & Ecclesiastici Canones, ad directionem morum ac politiæ, & ad ordinatum convictum humanum, religiosasque cæremonias pertinentia; quæ omnia non sunt nisi velut horologii rotæ optimè compositæ, sed sinè ponderibus: quæ si accedant, omnes ordinatè volvuntur, & id agunt convenienter, ad quod fuerant fabricatæ. Hoc in illis observantiis charitas agit. *Amor meus*, inquiebat D. Aug. *est pondus meum, eò feror quocumque feror.* Itaque opportunè dicimus auditorio nostro *verbum abbreviatum*, dum laboramus in cordibus fidelium unicam imprimere charitatem. Hunc igitur Dei amorem sinceramque ei placendi voluntatem, studeamus eis præ omnibus inculcare. Vidit Ezechiel virum indutum lineis, cui dicebatur: *Ingredere in medio rotarum, quæ subtus Che-* Ezech. 10, *rubim, & imple manum tuam prunis ignis,* vers. 2. *quæ sunt inter Cherubim, & effunde super civitatem.* Per virum illum indutum lineis, prædicatores figurantur. Prunæ ignis sunt incitativa ad Dei amorem; quæ tunc feliciter in populum effunduntur, si ille de igne isto accendatur, qui de Cherubim, sive de divinorum & æternorum accipitur contemplatione.

Ab initio nascentis Ecclesiæ suæ, Deus omnipotens taliter suos instruxit concionatores, ut apti forent ignem accendere charitatis. Ad quid enim *apparuerunt eis dispertitæ linguæ* Actor 2. *tamquam ignis, seditque supra singulos eorum*, vers. 3. nisi quia excitando in hominum mentibus seraphicum amoris incendium parabantur? Hinc etiam in Apocalypsi graviter arguitur Aposto- Apoc. 3. lorum successor, Angelus sive Episcopus Lao- vers. 15. diciæ, de fervoris, calorisque charitatis de- & seqq. fectu, & suadetur aurum illud ignitum emere, quo valeat suorum animas subditorum suo Domino comparare. Monitio illa etiam ad nos Franciscanos noscitur spiritualiter pertinere, pro eo, quòd cum Seraphico Patre nostro sumus à Domino ad inflammandum corda fidelium sui divini amoris igne singulariter destinari. B. Marco à S. Maria oranti, hæc vox cœlitùs illabebatur: *F. Marce, prædica chari-* Annal. *tatem.* B. Bartholomæus Salutius *scholam divini* Tom. 7. *Amoris* nobis aperuit, in quam prædicato- an. 1496. res nostri intrarent, atque animabus proficerent. num. 1. Utinam nobis omnibus idem esset animus, qui B. Jacopono, quem nulla res magis Annal. cruciabat, quàm intueri divinum Numen per- Tom. 2. petuò contumeliis affici: quo ad mœrorem an. 1298. continuum & lachrymas urgebatur! Rogatus num. 40. aliquando, quid adeò lachrymaretur, respondit; *Quia amor non amatur.*

TEXTUS & §. XV.

De sancto munere Confessariorum.

SUMMARIUM.

Exercitium Sacramentalis Pœnitentiæ, judicium Domini est, ideoque maxima circumspectione exequendum. Respondetur iis, qui hoc opus prætextu contemplationis aut vitandarum inquietudinum refugiunt. Hoc opus convenit Ordini Franciscano. Præsumptuosi ab eo excludendi. Examinata sint confessariorum eloquia, & cum congruâ brevitate. Item casta. Quantâ benignitate excipiendi pœnitentes, Christi exemplo. Exempla zelantium hoc opus. Quinque cautelæ pro confessariis Principum. Item pro confessariis Magnatum, & impœnitentium.

PIus Josaphat Rex Juda, pro meliori justitiæ conservatione, constituit judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis, per singula loca, & præcipiens judicibus: (2. Paral. 19. vers. 6.) *Videte*, ait, *quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* Monitionem hanc, potiori jure in suis cordibus recondere debent, qui in Ecclesia Dei constituti sunt judices pro Sacramentali judicio peccatorum: *Non hominis exercetis judicium, sed Domini.* Hujus enim Vicarii estis, in terris cœlorum judicium exercentes, ipso Christo vobis testificante: (Matth. 18. vers. 18.) *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Franciscus noster, animarum salutem viscerosâ appetens pietate, & fervidiâ zelans æmolatione, toto præcedenti Capitulo Regulæ suam operam posuit in exhortandis divini Verbi prædicatoribus, ut suum graviter obirent officium: nunc ordo videtur postulare, ut ad animarum judices conversi, dicamus eisdem: *Videte, quid faciatis*, non hominis, sed Domini judicium exercentes: *quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* De vestris hîc agitur, & pœnitentium animabus. Hoc munus est, quo peccatorum animæ, præviis dispositæ prædicationibus, in statum justificationis atque salutis immediatiùs restituuntur.

D. Antonius Paduanus, tractans hoc verbum Domini Salvatoris: (Joan. 15. vers. 16.) *Et fructum afferatis*, sic ad invicem confert utrumque officium, concionandi & confessiones excipiendi, eorumque ostendit necessariam connexionem: (Serm. 4. de Apostolis.) *Fructum facit, qui prædicando movet cor populi, sed fructum affert, qui post prædicationem libenter sedet ad audiendas confessiones. Tunc enim fructum affert auditis confessionibus, & teste conscientiâ scit, qualem & quantum Dominus fructum per ipsum fecerit. Prædicare est seminare, sed confessiones audire est fructum metere.* *Dernoye Medulla S. Evangelii.* *Stultus est ergo, qui libenter seminat, & fructum colligere non curat.* Hæc S. Antonius; qui quod ore docuit, etiam opere solerter exercuit: solitus enim erat, sinè personarum acceptione, pro cunctis fidelem navare operam, ut peccatorum fæcibus extraherentur, & numquam omisit quibuscumque poscentibus opitulari: sic ut præ infatigabili animarum zelo, prædicando, docendo, confessiones excipiendo, usque ad solis occasum jejunus sæpissimè permaneret. Quàm piè verò atque paternè pœnitentes exceperit, quàm salubriter instruxerit, quàm salutaria adhibuerit documenta, & quàm seriò & graviter æterna præmia benè deinceps viventibus promiserit, & ad vomitum redeuntibus hujus & futuræ vitæ inaudita sit minatus supplicia, patet ex historiâ duodecim latronum ab eo conversorum, quàm superiùs §. 9. retulimus.

Declinârunt aliqui hoc opus utilissimum, partim prætextu quietioris contemplationis, partim prætextu cavendorum abusuum, quos in imprudentibus confessariis observârunt. Optimum quidem est abusus horrere, & diffidere sibimet-ipsi; sed error est opinari, hos abusus taliter illi muneri cohærere, aut adeò infallibiliter comitari, ut nullo studio nec severâ Superiorum inspectione valeant præveniri. Non ignoramus, ambulantibus per mundum & discurrentibus pro salute animarum, pulveris aliquid adhærescere; sed nimis delicata est sponsa, quæ post lotos pedes surgere recusat, pro Sponso in peccatricem animam intromittendo, etsi contingere possit pedes ejus inde paululum inquinari: ne laborem subire debeat, dum inquinati fuerint, eos pulveres excutiendi. Præcipuum terriculamentum, quo concutiuntur aliqui, est, quòd propriæ timeant conscientiæ, dum oportet audire turpia & examinare. Hoc aliquando vexavit Thomam Cantipratanum, qui suam in hoc anxietatem B. Lutgardi communicavit.

monicavit. Quæ nbi fuper hoc Dominum orasset, tale tulit Thomæ responsum *Vade ad opus tuum, aderit tibi Christus protector & doctor, qui te servabit à jaculis inimici, & in defectu scientiæ, quem formidas, addes ampliorem gratiam.* Ab illo die per annos sexdecim, licèt eatta hôc sanctum opus aliquando titillaretur ad turpia; tamen inter andiendas confessiones, quo audiebat turpiora, eò minùs commovebatur. Qui similiter timent, orent similiter, & ad sanctorum aliquem in bona confidentia convertantur.

In Vita ejus ad 16. Junii n. 19.

Hoc sanctum munus Franciscano Sodalitio annexum est ac familiare; eò quòd aptissimis ad hoc sit instructum perfectionibus. Decet igitur viros in istum Ordinem cooptatos hanc partem vocationis suæ non declinare, sed indefessè hîc occupari in reducendis ad Dominum animabus, D. Petro aliisque Apostolis, qui omnia reliquerant, dixit Jesus: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.* Ideo S. Dei Ecclesia, ut sapientissima muniorum spiritualium dispensatrix, Religiosos ad hoc tribunal adscivit, ut, quos credit ob voluntariam paupertatem elevandos cum Christo ad thronos universalis judicii, eleventur etiam nunc ad tribunal Sacramentale, ad judicandum animas militantes, idcirco communicana nobis potestatem in Petro relictam & Successoribus. Multa etiam movent pœnitentes, ut Religiosis libentiùs confiteantur. Viros doctos quærunt, & expertos in victoriis tentationum, & carnales ab iis adjutorium quærunt, qui carnem & sanguinem superasse creduntur, & castis auribus suas sordes excepturi fiot, & mundia manibus abluturi. Deinde cùm magnam Confessio incutiat verecundiam, aliquod est pœnitentis sublevamen, conscientiam suam apud eum deponere, qui sequestratus est à vulgari conversatione, & à cujus potest oculis declinare. Denique spes dulcioris charitatis, spes orationum, & meritorum, quibus sublevantur peccatores, aliorumque subsidiorum & sinceriorum resolutionum movent animas pœnitentes, ut se malint committere Religiosis. Videatur D. Bonaventu. Opusc. *Cur Fratres Minores prædicent & confessiones audiant.* Et q. 2. circa Regulam. Satisfaciamus igitur bonæ conceptæ de nobis existimationi, nec desideraremus à populo subtrahamus obsequium.

Matth. 19. vers. 28.

Alii sunt qui non calcaribus egeant, quibus ad hoc officium incitentur; sed fræno quo contineantur. Videmus aliquos ætate adhuc immaturâ, nec sufficienti præditos scientiâ necessariorum, ad munus istud ardentiùs aspirare. Circa hos erit sagaciter inspiciendum, quo ducantur affectu. Timendum aliquos nocivis motivis præcipites agi, ut minùs coriositatis, aut vanæ præsumptionis, quâ se judicent aliis aptiores; vel aptos saltem, cùm tamen à Superioribus inidonei judicentur. Legimus apud Job arrogantiam Eliu Buzitis, qui gloriabatur, dicens: *Junior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam &c. Sed ut video non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium. Ideo audite me, ostendam etiam vobis ego sapientiam meam*, Et: *Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei.* Et deinceps aliis multis suam ebulliens arrogantiam. Qui huic insano similes deprehenduntur, arcendi sunt ab hoc sancto munere, ne destituti spiritu Dei tales evadant, quales describit S. Antonius Paduanus: *Qui non quærunt secretas orationes, sed fabulosas otiosorum confessiones, inter quos non audiuntur singultus & suspiria compunctæ mentis, sed risus & cachinnationes & ructus ingurgitatis ventris. Tales abeuntes, ineunt consilium, in quo non invenietur anima mea.* Non mirum erit, si tales, tamquam destituti spiritu Dei respondendo propositis dubiis turpiter hallucinentur, & auditis peccatis turpibus intolerabiliter divaxentur, & in varias incidant confusiones.

Job. 32. vers. 6.

Serm. Dominica 23. post Trinit.

Illi porrò Religiosi, qui jam prævià Superiorum ordinatione & Episcopali approbatione ad hoc sunt officium applicati, reputent sibi quoque dictum, quod superiùs concionatoribus publicis dicebatur: *Sint examinata eorum eloquia*; ut in promptu habeant leges generales dirigendarum conscientiarum, discernere sciant inter leptam, & non lepram, mortale peccatum à non mortali distinguere; sint eis ad manum motiva generalia ad excitandam in peccatoribus contritionem, & opportuna remedia peccatorum; ut quicomque eos accesserint, cum pace suarum recedant conscientiarum, ipsique pacem dantes aliis, propriam suam non perturbent, per sententias præcipitatas. Aonuntient eis vitia, nempe quàm gravia, quàm periculosa, quàm facilia sint ad vincendum. Hæc quidem pro singestu prædicantur utiliter; efficaciùs autem in secreto cor penetrant pœnitentis, si cum prudentia proponantur, & cum moderamine charitatis. Pœnam atiam & gloriam, quamvis plerique audiant pro concionibus explicari, quia tamen quod omnibus dicitur, non à singulis sibi dictum existimatur; hîc verò ea pœnitentes aliter apprehendunt, nempe ut sibi specialiter pro suorum meritis operum præparata; ideo dicta ista intimiùs in imò pectoris reconduntur.

Omnia tamen erunt *cum brevitate sermonis* expedienda, ne expectantibus aliis tædium & impatientia generetur, deturque occasio suspicandi, alia ibi tractari, quàm ad conscientiæ negotium pertinentia. Minùs verò permittat confessarius in hoc foro à parte rei misceri sacra profanis, de domesticis pœnitentium negotiis, de riais suarum filiarum, de revelationibus sive somniis earum, de nugatoriis quæstionibus, & similibus impertinentibus. Dum accessoriis illis confabulationibus præbentur aures, minima remanet cura de confessis peccatis, nulla contritio vel propositum emendationis: adeò ut accessus ille ad

ad sedem confessionalem, non tam reportandæ absolutionis causâ, sed instituendi colloqui fieri videatur. *In multis sermonibus invenietur stultitia*, & conscientiæ maculatio.
Eccles. 5. vers. 2.

Ex opposito peccant alii nimiâ brevitate, qui nullam absolvendi materiam confessario subministrant, aut saltem ita exiguam, ut dubitetur an sufficiat ad absolutionem; qui insuper tam hebetea sunt, ut vix intelligant quid sit peccatum, nec meminisse possunt quid egerint mali, quasi nullam habentes penitùs conscientiam. Volunt interim absolvi: & si dimittantur sinè absolutione, periculum est, ne sordidi sordescant adhuc, & hebetes hebetescant adhuc, & tandem velut bestiæ moriantur. Non exiguâ hic opus est patientiâ, cujus defectu fatiscunt aliqui imperfectiores. Vidistis aliquando triviales pnctorum ludimagistros, docentes alphabetum, qui ad quorumdam inscitiam adeò turbabantur, ut eis aures vellicarent, & erinca, & acribus verbia colaphisque imperterent. Stultam eorum mirabamini impatientiam, quòd incapaci illi ætati, atque ignorantiæ, tantoperè insultarent. Haud absimiles illis sunt confessarii, qui talibus ignaris & rusticis pœnitentibus accidentibus, impatientiam suam sedatâ non temperant charitate, ac non instruunt hujusmodi in spiritu lenitatis. Dixit Dominus ad Moysen & Aaron: *Loquimini ad petram....& illa dabit aquas.* Elevatoe autem Moyse manum, & percotiente virgâ bis silicem, dixit Dominus ad eum & ad Aaron: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in Terram, quam dabo eis.* Laborant hic Interpretes in assignando peccato, quo Moyses & Aaron ibi Dominum offenderunt. Placet mihi opinio, quam ex Rabbi Salomone sumit noster Liraoua; dicens: *Peccaverunt transgrediendo verbum Domini, quia non dixerat eis: Percutite petram; sed, Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Hoc potest ad præsens propositum taliter applicari. Rudes illæ animæ, quasi sicca petra sunt. Christi vicariis in Sacramentali judicio, non dicitur: *percutite petram*, virgâ asperæ increpationis & impatientiæ; sed: *loquimini ad petram* verbum lenis instructionia, *& illa dabit aquas*, videlicet aquas sapientiæ salutaris, quæ in ea desiderabantur, & lachrymas contritionis. Si virgâ fatoris & indignationis percusseritis, *non introducetis hos populos in terram* viventium, quam eis dare Dominus repromisit.
Num. 20. vers. 8.

Sint etiam *casta* horum Dei ministrorum *eloquia*, præsertim dum sæminas necesse fuerit monere vel examinare. Eâ circumspectione cum peccatoribus carnalibus agendum est, quâ quis in domo ambulat inspersâ tormentario pulvere, accensum portans in dextera titionem: è quo si vel scintilla decidat, in momento pulvis accenditur, & ipse cum habitaculo dissipatur. Fomitem concupiscentiæ nondum extinctam secum affert pœnitens & confessarius velut ardentem titionem, & tota corporis nostri domus inspersa est pulvere sulphurato suggestionum illius, *cujus halitus pru-*
Job. 41. vers. 12.

nas ardere facit. Nunc igitur si ex indiscreti ore confessarii scintilla verbi non adeò cauti elabatur, quid aliud sequetur, nisi scandalum in anima pœnitentis, & novum fortè libidinis incendium. Nequitias aliquas enarrat D. Bernardinus in cautelam confessariorum, de sceleratis quibusdam mulieribus, quæ circa peccata carnia examinatæ (alioquin ab eis propter verecundiam non confitenda) tum infamârunt confessarium apud maritos vel adulteroa, qui postea bas confessariorum interrogationes in tabernis proclamârunt: & in circulis platearum. Super quo Vir Sanctus admonet omnes, ut cùm ad hujus vitii negotia ventum fuerit, confessor caveat errare in modo loquendi, & verbis inhonestis, vel potiùs sonantibus turpitudinem. Inhonesta multa dici possunt honestè, prout unctio spiritûs, prudentia & zelus docuerit animarum. Quæ honesta tunc maximè curanda est, dum pœnitens ipse modia quàm potest honestissimis sua sordes sufficienter intelligi dederit. Contra Sacramenti castitatem erit, tunc magis apertam petere declarationem.
Tom. 1. Serm 57. art. 2. c. 4.

Dum veri pœnitentes accesserint, cordis sui plagam intelligentes, animæque medelam veraciter requirentes; meminerimus officii nostri, quod est charitatis illius & misericordiæ ministerium, quam Dominus Jesus redeuntibus ad se filiis præparavit. Dum filius ille, qui dissipaverat substantiam suam vivendo luxuriosè, rediret pœnitens ad patrem suum, non ei fuit prodigalitas verbis acribus improperata; sed *cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Nec usquam legimus Redemptorem nostrum, revertentes ad eum peccatores durìus increpasse; sed paralytico dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; Mulieri in civitate peccatrici: *Remittuntur tibi peccata*; item illi quæ fuerat in adulterio deprehensa: *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Per quæ docentur ministri ejus, quo affectu sint peccatores recurrentes ad pœnitentiam suscipiendi. Cur durus & austerus sit adversùs eos dispensator, ubi tam mansuetus & benignus est Dominus? Negotium hujus fori debet in spiritu peragi lenitatis. Magnâ differentiâ usus est Christus in Confessoribus & Prædicatoribus instituendis. Confessores instituit Apostolos, suavi insufflans halitûs aspiratione: *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Prædicatores autem instituit fuère tonando & fulminando, cum cœlorum strepitu ventoque vehementi: *Factus est repentè de cœlo sonus tamquam advenientis spiritûs vehementis.* Quid fuit hoc mysterii, Confessores instituere cum flatu suavi & delicato, & Prædicatores in furore tonitrui, ventique præcipitati? Voluit demonstrare, quòd Prædicatores in reprehendendis peccatoribus se debeant terribiles exhibere, comminando, tonitruendo & fulminando; sed Confessor, velut pater spiritualis, uti debeat flatû suavi, se
Luc. 15. vers. 20.
Matth. 9. vers. 2.
Luc. 7. vers. 48.
Joan. 8. vers. 11.
Joan. 20. vers. 22.
Actor. 2. vers. 2.

se benignum exhibendo atque amabilem in peccatore recipiendo, ne perdat confidentiam atque desperet.

Talem benevolentiam & diligentiam plerique ex nostris ardentes zelo salutis animarum exhibuerunt, in hoc totis incumbentes viribus, ut animas peccatrices ad hoc attraherent lavacrum, easque, quæ jam ad illud accessissent, modis omnibus ad reconciliationem cum Domino adjuvarent. E ferventioribus fuit B. (Chron. p. 2. lib. 2. c. 16. §. 2.) Antonius Segoviensis, qui post habitas conciones, tam accuratè docebat methodum confitendi, ut ad nil aliud natus videretur. Assiduus deinde erat in confessionibus excipiendis, tantique illud opus faciebat, ut diceret aliquando: *Si in cœlum admissus essem, vellem uno pede posse extrà stare, ad peccatores adjuvandum in confessionibus suis ritè faciendis.* F. (Chron. p. 3. lib. 6 cap. 35.) Michaël Baree in itinere constitutus, frequenter declinabat à via ad agricolas & opiliones: quos tamdiu efficacibus deliniebat rationibus, donec confiterentur, sedente ipso super aratrum in mediis agris: socio interim servandas committebat oves, dum Pastorum animas ipse curaret. Eodem zelo erga agricolas (Chron. p. 4. lib. 1 cap. 48.) fervebat F. Ludovicus de Barga: hoc insuper donatus à Deo lumine, ut si peccatum aliquod præ verecundia reticerent, id cognosceret, totque eos evinceret artificiis & rationibus, ut tandem verecundiam fateterentur, & integram facerent confessionem. Gloriosus (Chron. p. 4. lib. 1 cap 25.) fuit in hoc opere fervor F. Theodorici à Monasterio, qui ad populum Bruxellensem peste infectum ingressus, contempto vitæ periculo, se in omnium infirmorum adjutorium exponebat; qui ibidem durante infectione triginta duorum millium infectorum confessiones excepit.

Intelligebant hi viri, multique alii assidui in hoc officio, quantum gaudium Chananeæ mulieri fuerit, & Centurioni, dum proles eorum sanatæ sunt; similiter Archisynagogo & viduæ Naim, dum proles eorum ad vitam revocarentur. Simile sperant gaudium confessarii se Jesu Christo allaturos, cujus filios filiasque liberant à dæmoniis, aliisqua mortiferis animarum infirmitatibus, mortuosque vitæ restituunt spirituali. Altè imbiberant il- (Judæ vers. 20.) lam S. Judæ monitionem: *Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi, in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos; illos verò salvate de igne rapientes: aliis autem misereremini in timore.* Non desunt duri & vecordes, omnem respuentes medelam: alii tendunt nobis supplices manus, ut de ignis infernalis periculo extrahantur; quos crudale foret non adjuvare: alii suum periculum nondum agnoscunt; pro quibus meritò timendum est, omnesque adhibenda diligentia, ut periculum agnoscentes, tetiò cogitent de evasione. Gravis est (Ezech. 34. vers. 5.) apud Ezechielem Domini querimonia: *Dispersa sunt oves meæ, eò quòd non esset Pastor, & facta sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & universo colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret; non erat, inquam, qui requireret.* Amabilis Deo fuit sollicitudo B. Her- (Pisanus lib. 2. Conform. 8.) manni de Gerstaden, Provinciæ Saxoniæ, qui cùm summoperè salutem sitiret animarum, ad aspera pergebat loca, montosa, & ab aliis derelicta, & neglecta, cum magno incommodo, victûsque penuriâ rudibus & sylvestribus prædicans hominibus, eosque instruens in via Domini, solo apud eos pane contentus & aquâ assiduè confessiones auscultabat, sana impendebat consilia christianæ pietatis, pauperum præcipuè curam gerens; divitibus enim dicebat neutiquam deesse, qui eisdem sollicitè deservirent.

E nostris aliqui, subinde ad opimam messem spiritualium profectuum evocantur, si suo ritè fungantur officio. Hi sunt, qui ad excipiendas Principum confessiones, eorumque regendam conscentiam assumuntur. illi muneri ordinariè nonnisi viri doctissimi applicantur, vel qui rarioris videntur esse sanctitatis, aut detriti in rebus gerendis, sapienterque decernendis. Ut hi suis rectè prospiciant animabus, erit èis.

Cavendum Primò, Ne in superbiam efferantur, & spiritum induant arrogantis Aman, quia se videant ad intima Principum admitti negotia. Laudabilis fuit B. Amadæus, qui à summo Pontifice Sixto IV. in confessarium (Gonzaga parte 1. pag. 2..) & fidissimum secretarium adoptatus, universæ Romanæ Curiæ norma virtutis factus est. Eâ occasione, nil solitæ humilitatis & asperitatis prætermisit: semel in die fatigatum laboribus corpusculum pane tantùm & aqua reficiebat, nudis incedebat pedibus, habitu simplicissimo vestiebatur: & per duas horas cum advenientibus omnibus benignissimè conversans, reliquum tempus in divinis laudibus & orationibus in quadam specu solitarius insumebat.

Secundò, Forsitan existimarent se liberos à regularibus observantiis, sibique licere omnia, quasi totaliter emancipatis. Error est, quem correxit & constanter vitavit P. Andreas à Soto, quondam Isabellæ Claræ Eugeniæ Belgarum Principis confessarius. Cùm esset in Provincia Germaniæ inferioris mandatum, ne Fratres extra Conventum ederent aut biberent in civitate, contigit eum Bruxellis ad solemne convivium invitari, quod Episcopis, Prælatis religiosis, Comitibus, & præcipuis aulæ Nobilibus fuerat præparatum; & summis ipse sollicitabatur precibus, ut dignaretur adesse. Recusavit constanter, ne statutum Provinciæ vel in speciem violaret, aliisve verò violandi ansam aliquam præberet. De quo facto filia ejus pientissima Tertiaria, apud maritum Albertum Archi-ducem, subindè gloriabatur, opinioque sanctitatis viri hoc facto fuit ampliùs confirmata, Fratrumque subditorum animi (super quos Generalem agebat Commissarium) ad observantiam legûm regulam incitati.

Tertiò, Contingere posset, ut ad instantiam aliquorum & importunitatem, se intromitterent hi confessarii ad suggerenda consilia in promotionibus ad officia politica, & materiis

materiis sublimibus statûs merè politici. Hine enascitur invidia & indignatio Optimatum & Consiliariorum, qui meliùs ista intelligunt negotia, fremuntque se non audiri, ob unius Monachi temeritatem, volentis, ut cuncta ad suum arbitrium reducantur. Prudenter admodum cavebat ab his F. Joannes de la Peubla Regis Lusitaniæ Confessarius, qui numquam adibat aulam, nec in ea extra tempus Confessionis hærebat, sed in conventu se continebat, præsens assiduè in muniis omnibus regularibus.

Chron. parte 3. lib. 8. c. 44.

Quartò, Aliquos etiam vexare posset spes propriæ promotionis; prout visum est aliquando ejusmodi ad Infulas evehi Pontificias, aut aliis honorariis condecorari. Hæc insania, si semel animum invaserit confessarii, necessum erit eum miris torqueri timoribus, ne displiceat, aut loquatur quippiam, unde pœnitens contristetur. Refert Cornelius à Lapide, ad hanc spem præcludendam, olim in Arragoniæ regno moria fuisse, Regis confessarius non ab ipso Rege, sed à Statibus in regni Comitiis designaretur. Illique Rex nec benè facere poterat nec malè, ne spes vel timor eum ab officio retardaret, quin liberè eâ, quâ par est rectitudine, Regem monere posset, atque cùm necesse foret redarguere. Et ibidem recenset præclara libertatis illius specimina de S. Raymundo Ordinis Prædicatorum, & S. Francisco de Paula. Si legem eam, quam Proceres Arragoniæ tulerant, sibi-metipsis imponerent confessarii, ut nil à Principibus peterent, & proponerent firmiter ab eisdem nil etiam acceptare, certò certiùs majori cum imperio sibi creditas eorum conscientias gubernarent, & saluti publicæ consulere possent, servatâ suâ libertate ad cohibendum scelera & injustitias, & depravata Magnatum consilia. Æternâ memoriâ & imitatione digna est magnanimitas illa severiorum Patrum Mediolanensis Provinciæ, quam erga ipsam Ducissam exhibuerunt. Hæc sæpiùs monita à confessario Minorita, ut justè regeret, & Provinciam potiori curâ administraret, omnia neglexit. Populorum itaque exciti querelis Superiores, confessarii obsequium denegarunt, dicentes, frustrà medicum adhiberi medicinam respuenti. Illa ægrè hoc ferens, modis omnibus institit, ut restitueretur; & cum Vicario Generali solertissimè egit, ut quem vellet, posset ex Fratribus eligere confessarium. Patres consenserunt, sub his conditionibus: ut non suspenderet executionem justitiæ in causis civilibus, inutiles cohiberet expensas, satisfaceret creditoribus, & de beneficiis Ecclesiasticis, præter jus suum, non se intromitteret. His conditionibus postquam acquievit Heroina, suum retinuit confessarium. Sic noluerunt viri illi cordati famam suam religiosam dissimulatione, vel dissimulationis opinionibus inquinari, nec suas conscientias peccatis gravari alienis.

In Ezech. cap. 22. num. 18.

Annal. Tom. 6. an. 1467. num. 19.

Quintò, denique servientes Magnatibus parati esse debent, non modò honores non consequi; sed & contumelias, persecutiones, ipsamque mortem, dum occasio tulerit, sustinere. Talis erat B. Joannes Forestus Catharinæ Angliæ Reginæ confessarius. Initiaverat eam pius Pater tertio Ordini D. Francisci, & manuduxerat ad omnem devotionem, virtutem, & patientiam generosam, inter acerbissimas mariti sui Henrici VIII. contumelias. Qui Rex impius indignatus in Virum Sanctum, ob constantiam sanctitatis matrimonii & Primatûs sedis Apostolicæ defensionem, ei carceres intulit, patibulum, ignes, mortemque acerbissimam.

Flor. Ræmun. De Hæres.

Gonzaga in Provin. Angliæ.

Cùm tales fuerint Principum atque Magnatum confessarii, supra vulgarem elevati pietatem & sanctimoniam, & non erubescent Nobilissimi quique eos revereri, victique à majestate virtutis eorum, sententias, correptiones atque mandata ab eis edita minimè detrectabunt.

Finaliter pro peccatoribus aliquibus obduratis, aut qui peccatum aliquod erubescunt aperire, saluberrimum tradit remedium D. Gregorius; *Cùm jam peccatores confiteri cœperint mala quæ commiserunt, atque confitendo relinquere, & fletibus punire, necesse est ut Doctores sancti pro eorum peccatis, sollicitè exorent, quatenùs mensa Domini carnes oblationis portent. Quod quoties agunt, & in hoc pro alienis peccatis interveniunt, sua ante Dei oculos ampliùs detergunt: quia eâ ipsâ charitate se justificant, quâ mirâ pietate pro alienis iniquitatibus se in lamentis mactant. Nec laboriosum debet esse Doctoris pro conversis* (vel convertendis) *peccatoribus lachrymas fundere, quando & ipse, qui omnia creavit, homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce lachrymas fudit & sanguinem.* Eo medio misericordiam consecutus est infirmus quidam, qui cætera confessus peccata unum verecundabatur enarrare; sed in Sacramentalis ritûs conclusione rogavit obnixè confessarium, ut pro se tribulato sollicitiùs oraret. Intellexit animi ulcus, deprecatusque est seriò Dominum, ut periculoso mederetur discrimini. Vidit nocte sequenti pœnitens Christum in throno sedentem, plures Angelos pro se deprecantes, ut misereri vellet animæ perituræ; demùm post cæteros idipsum orasse confessarium, & feliciter exorasse. Summo mane fecit eum ad se vocari, omni seposito rubore, suo cavit damno, cuncta plenè confessus, ac paulò post magno gaudio requievit in Domino. Plures aliæ Regulæ confessariorum & instructiones, videri possunt in Opusculo D. Bonaventuræ quod *Confessionale* inscribitur: & insuper dicemus aliqua inferiùs ad Caput undecimum.

Hom. 27. in Ezech. in fine.

Annal. Tom. 2. an. 1257. num. 14.

CA-

CAPUT DECIMUM.

De Admonitione & Correctione Fratrum.

Fratres qui ſunt Miniſtri & ſervi aliorum fratrum, viſitent & moneant fratres ſuos, humiliter & charitativè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram. Fratres verò qui ſunt ſubditi, recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant ſuis Miniſtris in omnibus quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ & Regulæ noſtræ. Et ubicumque ſunt fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, ad ſuos Miniſtros debeant & poſſint recurrere. Miniſtri verò benignè & charitativè eos recipiant; & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis & facere, ſicut domini ſervis ſuis. Nam ita debet eſſe, quòd Miniſtri ſint ſervi omnium fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Jeſu Chriſto, ut caveant fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura & ſollicitudine hujus ſæculi, detractione & murmuratione. Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere; ſed attendant, quòd ſuper omnia deſiderare debent habere Spiritum Domini, & ejus ſanctam operationem, orare ſemper ad Deum puro corde, habere humilitatem & patientiam in perſecutione & infirmitate, & diligere eos qui nos perſequuntur, repehendunt, & arguunt. Quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

TEXTUS §. I.

Fratres qui sunt Ministri & servi aliorum Fratrum, visitent eos.

SUMMARIUM.

Isaï dirigit Davidem ad fratres suos visitandum: sic etiam Franciscus Ministros Provinciales. Eximii Prælati proprium munus est corpore aut vigilantiâ saltem, circuire ad visendum greges sibi commissos. Visitationis illius utilitas. Vigilantia Prælatis necessaria in Apocalypsi adumbrata. Subditorum obligatio ad denuntiandos Visitatori defectus. Superior non cuicumque credat depositioni, sed in gravioribus exactam adhibeat inquisitionem.

Cum tres filii majores Isaï abiissent post Saul in prælium, minor filius ejus David remansit, ut pasceret gregem patris sui in Bethleem. Sollicitus autem pius pater pro absentium salute charorum pignorum, dixit ad 1. Reg. 17. vers. 18. David filium suum: *Curre in castra ad fratres tuos... & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.* Per Davidem, pastorem ovium paternarum, intelligi potest Prælatus, cui commissus est pascendus grex rationalis, hominum præsertim Religiosorum congregatio. Hunc filium, suum noster Isaï, noster Franciscus, præsenti textu dirigit ad inquirendum de aliorum statu filiorum: *Fratres*, inquens, *tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.* Monet siquidem Provinciales sui Ordinis Ministros, ut curent diligentem super commissis sibi gregibus habere inspectionem: dicens: *Fratres qui sunt Ministri, & servi aliorum Fratrum, visitent eos.* Quibus debeant hi Mini- Cap. 1 §. 1. Cap. 8 § 8. stri Provinciales esse præditi qualitatibus, satis constat ex supradictis de Ministro Generali & requisitis in ipso; eædem enim in Provincialibus proportionaliter requiruntur. Hic igitur solùm exponemus quæ necessaria sunt ad actum Visitationis, ab ipsis exercendum: idque applicando per partes præmemoratam Scripturam, adductam ex sacra Regum historia.

Primò, *Curre in castra ad Fratres tuos.* Auctor libri dicti *Thesaurus linguæ latinæ* notat, quòd *Visitare* derivetur à voce *Visere*, id est, *ire ad videndum*; in tantùm, ut visitare nil aliud sit quàm circuire ad videndum, & ut Visitator quasi cursorem significet. Debet igitur Prælatus aptus esse currere ad Fratres suos, pro visitationibus eorumdem. Sacra Judith historia Judith. 4. vers. 5. ponderat curam Eliachim tempore belli famosi, quod tunc inter Judæos & Assyrios gerebatur: *Sacerdos Eliachim scripsit ad universos, qui erant contra Esdrelon*, litteras dans ad principalia exercitûs capita. Transiens autem ulteriùs, subjungit Textus: *Tunc Eliachim* vers. 11. *Sacerdos Domini magnus circuivit omnem Israël, allocutusque est eos.* Notate mysteriosam locutionis diversitatem: primâ vice quâ nominat Eliachim, dat illi titulum simplicis sacerdotis: *Sacerdos Eliachim*; verùm secundâ vice, nominat eum illustrissimo titulo summi sacerdotis, magnique Prælati: *Sacerdos Domini magnus.* Quænam est illa varietas? Cur non honorat eum illustri titulo in principio, sicut facit in fine? Noster Liranus celeberrimus Doctor in sensu litterali, solvit difficultatem. *Tunc Eliachim sacerdos Domini* Liran in cap. 4. Judith. *magnus.* Hic, inquit, consequenter ponitur hujus Eliachim diligentia, verbo, & facto, cùm dicit: *Circuivit omnem Israëlem.* Primâ vice stabat Eliachim firmus in palatio suo, gaudens commoditate suæ quietis, in suis triumphans deliciis & scribebat bonas litteras capitaneis, ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem; aliis scribebat ut fortificarent civitatem, & de victualibus aliisque munitionibus providerent. Et propter hæc in tali casu Spiritus Sanctus dat illi titulum simplicis sacerdotis; sed alterâ vice dum iter personaliter ad videndum populum & visitandum exercitum dat ei nomen & titulum *Sacerdotis magni* summique Prælati: ut daret intelligi, quòd tunc Superior acquirat gloriosum nomen & famosum titulum magni & summi Prælati, quando proficiscens personaliter circuit ad videndum suos subditos, & visitandum.

Christi Benjaminus in sua Apocalypsi, describens Prælatum, in sacerdotali seu pontificali habitu, visitatorem septem Ecclesias quæ erant in Asia, depingit eum inter septem candelabra aurea, cum solari facie, & stellis in dextera. *Vidi*, inquit *septem candelabra aurea*, Apoc. 1. vers. 12. & 13. *& in medio septem candelabrorum similem Filio hominis, vestitum podere, & habebat in dextera sua septem stellas, & facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Atque ad significandum, quòd circuiret in visitatione dictarum Ecclesiarum, subjungit: *Hæc dicit, qui ambulat in medio septem candela-* Cap. 2. vers. 1. *brorum aureorum.* Cum solari facie vadit Superior ad suam visitandum Ecclesiam. Propter

Matth. 5. vers. 14.

quod Prælati Solis nomine appellantur: *Vos estis lux mundi*; debentque ad Solis imitationem quolibet anno unâ vice per Provinciam facere cursum visitationis, conformiter veteribus canonibus, & novis decretis Concilii

Trid. sess. 7. cap. 3. De Reform. & sess. 25. c. 8 De Regul.

Tridentini. Et quemadmodum Sol, incipiens suam visitationem in matutino, illuminat, calefacit, & influit in universa, suoque influxu flores producit, fructus & gemmas: pacat maria, quietat ventos, componit tempestates: totamque terram jubilo replet & exultatione; pari modo debet Prælatus faciendo gyrum visitationis per Provinciam cunctos illuminare, & multiplicis bonitatis effectum influere. Væ mundo, si Sol semper firmiter staret in uno loco, & numquam alterum visitaret. Sic infelix erit Provincia, & infortunati Religiosi, quorum Prælatus in uno semper hærens conventu, non facit congruis temporibus circuitum visitationis. Tametsi in absentia Solis terram illuminent stellæ firmamenti; non ideo tamen desinit suum cursum peragere, ut suâ propriâ præsentiâ eam valeat illuminare. O Beata Provincia, cujus Prælatus Sol est, & locales Superiores sunt stellæ firmamenti; ut hi suos illuminent subditos in illius absentia, nec ille tamen longiùs differat suam per gyrum visitationis præsentiam exhibere!

Tales optavit Franciscus esse Ministros Provinciales sui Ordinis. Quando magnus Sacerdos Jesus, cujus meminit Zacharias, stabat oppugnatus à dæmonio, desolatus propter sui populi grande peccatum, dixit Deus pro ipsius

Zachar. 3. vers. 7.

solamine: *Dabo tibi ambulantes, de his, qui nunc hic assistunt.* Non te conturbes, ò Sacerdos, quia *dabo tibi* socios *ambulantes*, ad visitandum & corrigendum tui populi peccata. Ubi Remigius Altisiodorensis legit: *Dabo tibi Ministros.* In Religione nostra Prælati vocantur Ministri: quia ergo, ubi vulgata nostra legit: *Ambulantes*, Remigius transfert *Ministros*; datur intelligi *Ministrum* tantumdem significare, quàm *Cursorem*; & *visitare* idem, quod *ire ad videndum.* Debet enim statutis quidem temporibus corporaliter Provinciam circuire; semper autem omnibus præsens esse debet per curam & vigilantiam: sicut magister morum seu pædagogus perpetuò stat intentus in commissi sibi subditi directionem. De solio Domini excelso & elevato, quod vidit Isaïas, narrat

Isaiæ 6. vers. 2.

ipse: *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni & sex alæ alteri, & duabus volabant.* Bone Deus! quænam est illa contradictio? Si stabant, quomodo volabant? Respondet Hugo Cardinalis supra illum passum: *Seraphim stant, id est, Prælati super Ecclesiam, sicut excubiæ.* Excubia sive sintinella, ut loquuntur, stat firma corpore, sed volat per vigilantiam. Sic Seraphini stabant assistentes firmiter ad Dei tribunal; sed volabant & proficiscebantur per considerationem. Tales debent esse Prælati, Seraphini alati ad volandum semper, per curam, & per vigilantiam ad scrutanda negotia subditorum: etiam tunc, quando corporaliter minimè moventur. Bene igitur erit seraphico Prælato, si semper volet, etiam dum stat; & præsens sit curâ, etiam ubi abest corpore, quemadmodum excubia solet.

Unde secundò, dicit Jessæus Patriarcha *Fratres tuos visitabis, si rectè agant.* Hoc ipsum Regulari Prælato dictum intelligitur: *Fratres tuos visitabis*, hoc est, videbis cum punctuali diligentia, minutatim, profundè & distinctè omnes transgressiones, negligentias, abusus, defectus atque deordinationes tuorum Religiosorum; non autem videbis tantùm superficialiter, in gresso & quasi per modum cæremoniæ; sed cum exquisita diligentia examinabis, *si rectè agant*, in observantia & disciplina regulari. Pulcherrimum talis Superioris hieroglyphicum habemus in D. Joannis Apocalypsi. Vidit ipse dilectus Christi Apostolus sedem in cœlo, & sedentem supra sedem, qui faciem habebat quadriformem quatuor animalium, nimirum aquilæ, hominis, leonis & bovis: eratque taliter oculatus, ut velut Argus aliquis appareret. Oculi in pectore, oculi in humeris: oculi intus, oculi foris, & oculi circumquaque. *Sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens: & in circuitu sedis quatuor animalia: plena oculis antè & retrò: intus & in circuitu.* Similem ferè visionem narrat Ezechiel. In utraque plùs continetur mysterii, quàm verborum. Relinquendo autem expositiores, quæ nostro non serviunt instituto, applicemus animum ad eam solùm, quam tradit Gualfridus citatus à Sixto Senensi: *Per quatuor animalia*, inquit, *intellige Ecclesiæ Prælatos, quia nimirum Prælatus debet esse Leo in vitiis persequendis, Bos in suscipiendis laboribus, Homo per compassionem, Aquila per contemplationem.*

Apoc. 4.

Ezech. 1. & 10.

Lib. 2. Bibliotheca.

Neque solùm quatuor illis faciebus quaquaversum aspiciebant; sed insuper *plena* erant *oculis antè & retrò, intus & in circuitu.* Ecce vigilantiam singularem Prælati Visitatoris. In eo enim sensu exponit Blasius Viegas, dicens: *Plena sunt oculis animalia undequaque, ut significetur vigilantia; quæ maximè requiritur, ut cunctis oculis incedamus.* Ita planè, *antè & retrò*; quoniam Prælatus considerare debet *anteactam* vitam, ut dignoscat, an præsens actus ex mera fragilitate provenerit, an ex antecedenti malè agendi consuetudine: *& retrò*, qualia reus afferat proposita, & spem vitæ in posterum meliùs instituendæ. Ulteriùs investigare debet *intus & in circuitu*, examinando bene transgressiones conventus, an Fratres diligenter surgant ad matutinum, frequentent chorum, conveniant ad orationem, faciant disciplinam, custodiant silentium, servent jejunia, habeant pacem ad invicem, obedientiam ac reverentiam ad Superiores &c. Et non hoc solùm, sed vadat insuper *in circuitu*, examinando externam conversationem, v. g. an dent exteris per omnia bonum exemplum religiosâ conversatione.

In cap. 4. Apoc. comment. 1. sect. 9. num. 9.

Aliud insuper narrat Ezechiel in admirabili istorum animalium visione; *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Præter acutissimum visum, aliam singularem proprietatem refert de aquila S. Job, quod faciat & prosequatur odorem cadaverum: *Ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Ad quod alludit Salvator Matthæi 24. *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Sic debet Prælatus in officio Pastorali ad similitudinem aquilæ naturæ à longè

Ezech. 1. vers. 10.

Job. 39. vers. 13.

à longè odorari & investigare peccatum, atque illicò advolare ad invadendam transgressionem correptionibus, minis, censuris, pœnitentiis, mortificationibus, orationibus &c ad procurandam transgressoris salutem. Taliter egit Christus, Prælatorum magister; intellectâ morte Lazari quatriduani, sepulti, atque fœtentis; uno tractu per aquilinam velocitatem advolavit, ut à somno excitaret eum. Ivit, quæsivit, petiit: *ubi posuistis eum?* Advenit ad monumentum, curavit illicò lapidem amoveri: *Tollite lapidem.* Nec finem posuit inquisitioni, quousque ad cadaver quatriduani pervenire daretur.

Joan. 11.

Tertiò Mandat Isaï: *Et cum quibus ordinati sunt, disce.* Idipsum dicitur Prælato Visitatori: Disce, num subditi tui ordinati sint cum suæ Regulæ observantia & Ordinis constitutionibus, an verò per relaxationem deordinati. *Disce*, inquit. Discere, importat respectum ad docentem. De prædictis igitur Superiorem doceri oportet. Per quos verò? Per subditos super illis interrogandos: qui etiam obligantur pro Fratris emendatione & pro communi bono apertam dicere veritatem. Nescio quo nonnulli vitio in religiosis cœtibus subinde coangustentur, ut quæ familiaribus suis, & quandoque sæcularibus faciliter egarriunt, ea coram Superioribus cautè studioséque abscondant; quasi piaculum foret aut species proditionis, morum infirmitates medicis aperire remedium apposituris. *Quæ est ista bonitas*, ait Origines, *ista misericordia, uni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex uno peccatore populus, sicut ex ove morbida universus grex inficitur.* Non misericordia; sed impia crudelitas est, quæ in damnum publicum derivatur. Intelligant hoc (si qui fortè in nostro cœtu inveniantur) qui non modò tacent, sed etiam de silentio illo pernicioso vanè gloriantur, dicentes: Per gratiam Dei non invenietur in me, quòd toto illo tempore, quo portavi religiosum habitum, dixerim verbum unum in visitatione cuicumque Superiori. Bella laus. Istud est verbum maledicti Caini. Occiso Abele fratre ejus, venit Deus ad instituendam visitationem, & Cainum interrogavit: *Ubi est Abel frater tuus?* Quid agit, quomodo se gerit, O Caine? In quibus terminis, quove statu versatur? Respondit: Domine, ego attendo ad mei horti culturam, & non respicio neque observo facta mei fratris, neque me de ipso ullatenus intromitto; *Nescio: nunquid custos Fratris mei sum ego?* Videte malignum hunc traditorem, qui propriis occiderat manibus, & dicit se penitus ignorare. Proinde, ait Deus, quia mihi tam patentem negasti veritatem, maledictus eris in æternum: *Nunc igitur eris maledictus super terram.* Intrat Superior ad visitationem, interrogat aliquem Religiosum: Bene, mi Pater, quomodo se gerit iste Frater? frequentat communitatem? Dat bona exempla? Respondet; Pater, ego maneo in mea cella solitarius, meis intendo, non attendo ad fratrem alium, nec me de aliquo intromitto; quasi dicat: *Nescio, nunquid custos fratris mei sum ego?* Ista est Cain maledicti responsio. Nos autem scientes, quoniam unicuique mandavit Deus de proximo suo, dum legitimè fuerimus interrogati, paternam non recusemus denuntiationem.

Hom. 71. in Num.

Gen. 4. vers. 9.

Ex altera verò parte cavendum est Superiori, ne cuicumque credat depositioni qualiscumque subditi, ne fortè aliqua non ex affectu justitiæ fiat, sed ex impetu passionis inordinatæ. Non illicò fides est adhibenda de graviori defectu, sed studium adhibendum ulterioris inquisitionis pro qualitate delicti. Venerat ad Dominum multiplicatus clamor de sceleribus Sodomorum & Gomorrhæ. An propter illum mox intulit punitionem? Minimè; sed, *Descendam*, inquit, *& videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non est ita, ut sciam.* Quid hoc est dicere? Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus; quid ergo necesse est descendere & videre, ut sciat? *Deus loquitur humano more*, inquit Dion. Carthus. *ut instruat judices ac cæteros universos; nemini faciliter credant vera esse quæ audiunt; sed personaliter ea pro posse considerent & observent.* Non potest Deus subjectus esse malæ informationi, ut qui existens in omni loco, videat accuratissimè omnes minutias, tamen ad humanum agendi modum pergit personaliter in Pentapolim, quasi facturus inquisitionem; pro instructione Judicum & Prælatorum, ne credant faciliter depositionibus vel litteris subditorum, sed vadant ipsi personaliter inquisitum. *Descendam*, inquit, *& videbo.* Hanc fecit Deus demonstrationem, tametsi nil haberet opus videre: *ut mala hominum*, ait D. Gregorius, *non antè credamus, quàm probemus*; ne permittamus nos primis occupari impressionibus, sed locum demus alteri parti audiendæ, & investigandi veritatem facti cum matura discussione, & cum legis terminis *secundùm allegata & probata* procedamus.

Gen. 18. vers. 21.

In eum locum Genesis.

Greg. & Glossa ordin. loco cit.

Hanc formam visitandi docuerunt nos homines idololatræ & barbari illustrissimo exemplo. Jonas contra Domini voluntatem descenderat in navem, ut iret in Tharsis. Dominus autem ipso navigante misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna, quæ ingentem nautis timorem incussit. Et quia judicabant tempestatem illam propter alicujus venisse peccatum, miserunt sortes, ut scirent illius auctorem, qui deberet projici in mare. *Et cecidit sors super Jonam*; eratque illud judicium (pro illius temporis usu (sufficiens, ut justè in mare projici potuisset. Nihilominus videre voluerunt partem, & consideratè examinare. *Indica*, inquiunt, *nobis, cujus causâ malum istud sit nobis.* Jonas ad primam instantiam liberè confitebatur factum, casumque narrabat. Hoc tamen toto intellecto, voluerunt etiam facti rationem inquirere, dantes tali viâ tempus & occasionem defensionis, eumque interrogabant: *Quid hoc fecisti?* Sed Jonas renuntiabat defensioni, seque ore proprio condemnabat: *Tollite me, & mittite in mare.* Itaque ex tunc clara erat causa & evidens. Nihilominus Capitanei & Consiliarii navis timentes rem injustam facere, & vitam hominis salvare cupientes, mandarunt remigari indirectè, ut ad aridam reverterentur, & non valebant: quia mare ibat & intumescebat

Jonæ 1.

super eos. Ulterius tamen ad non errandum contra justitiam, calidissimas fecerunt orationes: *Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius &c.* Finaliter videntes maris impetum continuò augmentari, *tulerunt Jonam, & miserunt in mare.* Alter textus transfert: *Sustulerunt Jonam.* Arias Montanus, fundans se in illa translatione, narrat quòd non eum in mare præcipitaverint, sed cum chorda sub axillis ligaverint, & ita suspensum paulatim in aquam submiserint, & mox iterum in altum sustulerint, fecerintque probam illam tribus vicibus, ad videndum si cessaret tempestas, & posset Jonæ vita servari. Sed cùm stupore viderunt, quòd unaquaque vice cùm submitteretur deorsum, sedaretur commotio, & mare quietaretur: dum verò sursum extraheretur Jonas, iterum intumesceret. Ultimò igitur videntes nullum aliud effugium superesse cum multa pietate & compassione, sensim, sensim, eum mari immiserunt. Et deinceps adhuc timentes ne forsitan errassent, fecerunt votum grande & sacrificia: *Immolaverunt hostias, & voverunt vota.* Et tamen erant homines barbari & idololatræ, secundùm Theophilacti opinionem; qui hunc conceptum sic concludit: *Intuere hic barbarorum hominum æquitatem; non enim statim ut agnoverunt Jonam esse auctorem turbinis & tempestatis maris, agrestibus in illum motibus ferebantur: cæterùm blandè & mansuetè interrogant: cujus causâ malum hoc? percunctantur autem, ut ubi didicerint delictum, expiare tentent & emendare.* Theoph. in Joannem. Isto casu Jonæ, taliter circumstantionato, reprebenduntur Superiores aliqui primæ impressionis, qui ad simplicem depositionem, vel primas litteras vel unam passionatam relationem, vel populare murmur, præbent auditis credulitatem; nec removeri possunt à misera aliqua impressione, vel malo conceptu contra pauperem subditum efformato. Sapientissimum dat illis consilium Rex Salomon: *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam; & cùm interrogaveris, corripe justè.* Eccles. 11. vers. 7.

TEXTVS & §. II.

Fratres suos.

SVMMARIVM.

Visitatores, qualiter Assuerum Regem debeant æmulari. Fratris nomen, charitatis est & æqualitatis. Illud etiam Ministris Provincialibus competit. Humilitatem Prælati, & indifferentem ad subditos omnes dilectionem, plurimùm prodesse bono regimini, Sacræ Scripturæ exemplis monstratur. Ante Visitationem, intimanda subditis obligatio, ea omnia & sola denuntiandi, quæ justitia & charitas postulabit. Taciturnitas eorum, qui obligarentur visitare, quantùm obsit bono communi. Referuntur & refelluntur eorum frivolæ excusationes.

CUm Esther Regina timore consternata, ob gravem, ferum & asperum Assueri Regis aspectum, in terram corrueret, colore vultûs in pallorem mutato, Rex eam consolaturus & animaturus, propriis manibus sublevabat à terra, & cum illo verbulo: *Frater*, Esther 15. vers. 12. eam erexit, atque revocavit à morte ad vitam. *Quid habes Esther? Ego sum Frater tuus, noli metuere.* Accede, & tange sceptrum. Cùmque illa reticeret, *tulit auream virgam & posuit super collum ejus*, & osculatus est eam, & ait: *Cur mihi non loqueris?* Talem fraternam dulcedinem Franciscus desiderabat in Prælatis tempore Visitationis; *Visitent*, inquiens, *Fratres suos.* Consideratione Fraternitatis volt animos timidorum erigi subditorum, ut confidentiam sumant ea edicendi Prælato visitanti, quæ pro privati alicujus salute, vel bono publico judicaverint expedire. Assumat itaque Prælatus in hac functione partes Assueri Regis, & talibus utatur modis, qualibus ille metuentem Esther studuit in amicabilem confidentiam sublevare.

Primò, *Ego*, inquit, *sum Frater tuus, noli metuere.* Doctissimus Berchorius notat, quòd nomen *Frater* sit vocabulum conditum dulcedine consolationis, amoris & charitatis: importat enim plurium ab uno principio dependentiam, & ad invicem æqualitatem; unde solet mutua dilectio, & communicandorum negotiorum fiducia generari. Repert. Moral. Verbo, Frater. Sic debet Prælatus charitativâ condescensione & affabili tractabilitate, se non quasi superiorem, sed ut æqualem subditis exhibere. Istud est saluberrimum Hebræi Sapientis consilium: *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi unus ex ipsis.* Eccles. 32. vers. 1. Hac consideratione Seraphicus Patriarcha, tam Prælatos suæ Religionis quàm subditos, Fratrum nomine compellavit, dicens: *Fratres*, qui sunt Ministri & servi aliorum *Fratrum*, visitent & moneant *Fratres suos.* Et mox subjungens,

gens, quid desideret propter eom fraternitatis titulum practicari, ait: *Ministri charitativè & benignè* fratres alios *recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipsos &c.* Ex ea parili Prælatorum ad subditos familiaritate felicitas regiminis oritur atque regentium.

Quænam principalis extitit ratio, quod David cum tanta gubernaverit felicitate? è contrà verò Saul cum pudore ac dolore regno fuerit spoliatus? Attendite sacræ historiæ oarrationem. Quando voluit Samuel io regem ungere Saulem, conduxit eum ad unam extremam partem civitatis: [1. Reg. 9 & 10.] *Cùmque descenderent in extrema parte civitatis, tulit Samuel lenticulum olei, & effudit super caput ejus.* Sed cùm ungeret David in regem, fecit actionem illam in medio Fratrum ejus. [1. Reg. 16. vers. 13.] *Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio Fratrum ejus.* D. Gregorius Magnus observat loci diversitatem, & ioquirit, cur unctus fuerit Saul in una parte civitatis, David autem in medio suorum Fratrum? Et respondet, diversitatem illam fuisse signum prognosticum illius, quod erat circa utrumque diversimodè postea secuturum. Non permansit io posterum Saul in humili de seipso opioione; non se æqualem conditione, sed eminentiorem subditis reputavit, quemadmodum fuit ei à Samuel exprobratum: [1. Reg. 15. vers. 17.] *Nonné cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Non talis permansisti qualis eras, mutatis moribus com honoribus. David autem in prima persistens humilitate, noo dedignatus est inter subditos agere tamquam sibi coæquales. Siquidem reducens arcam Domini à domo Abinadab, ipse accinctus Ephod lineo in totius populi conspectu [2. Reg. 6 vers. 14.] *saliebat totis viribus ante Dominum.* Quod cùm Michol filia Saul degenerem reputaret vilitatem, ipse respondit esse potiùs pro firmamento dignitatis regalis, gloriæque augmento. [vers. 21. & 22.] *Ante Dominum qui elegit me potiùs quam Patrem tuum, ut essem dux super populum Domini in Israel, & ludam, vilior fiam, plùs quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis* (coram quibus me dicis vilificari) *gloriosior apparebo.* Quia igitur David humilem sese, & confratrem, æqualem subditis agnoscebat, fuit dilectus à Deo, totoque vitæ suæ tempore in felici regimine coonservatus. Hoc prognosticatum fuisse illâ unctionis diversitate B. Gregorius docuit. Ipsa ejus verba audiamus. [Lib. 6. c. 3. in 1. Reg. cap. 16.] *In medio Fratrum ungitur David, ut tantæ unctionis participes fieri omnes possint. Videat igitur Prælatus se in medio Fratrum, & communis conditionis hominem, ut pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat: unde & Saul reprobatus, unctus fuisse in extrema parte civitatis perhibetur.*

Itaque hæc est Seraphici Patris intentio, cùm monet visitandos à Ministro esse *Fratres suos*, ut intelligat se, eorum quibus regendis præpositus est, *Fratrem* esse & coæqualem, utque curet in illis esse quasi unus ex illis. Unctus quidem est, dux super populum domini constitutus est, tamen unctus *in medio Fratrum*, ut non se ab eis seqoestret per arrogantiam elationis; ut in eorum medio maneat, omnibus æquè vicious, omnibus æqualiter absque vitiosa serviens partialitate. Recensetur in laudibus Simonis Oniæ filii, quòd fuerit *circa illum corona Fratrum quasi plantatio Cedri in monte Libano.* [Ecclesi. 50. vers. 13.] Porrò per Libanum, qui *candidus* vel *candidatio* interpretatur, potest Status Religiosus convenienter intelligi: per Cedrum in monte Libano, Prælatus in Religione. *Circa illum corona Fratrum.* Unum satis mirabile refert Berchorius se audivisse de pomis Cedri. [Reduct. Moralis lib 12. c. 11. num. 6.] Quàmvis enim fructus sit grossissimus, inter poma alia nobis nota, & quandoque in maxima copia in aliqua tenui arbore nascatur, numquam tamen fieri dicitur, quòd, cùm dicti fructus io arbore sani & integri perseverant, ipsa arbor eorum pondere gravetur, vel ad unam partem plùs quàm ad aliam inclinetur: si autem contingat aliquem eorum fructuum lædi, putrefieri vel incidi, vel ramum ejus frangi aut torqueri, eò arbor deflectitur, & à rectitudine quam antè habuerat inclinatur, ita quòd arbor tota, omnesque alii fructus sani ad succurreodum fractioois periculo accedere videantur. Tali cooditione sit Prælatus: *quasi plantatio Cedri, & circa illum corona Fratrum*, velut poma cedrina: ad nullum eorum plùs quàm ad alterum ioclinetur amore, vel odio avertatur, propter conditioois cujusque impertinentia considerationem. Rectus stet atque indifferens *in medio Fratrum*, & tunc solùm ad aliquem præ cæteris inclinetur, quando circa illum apparet læsionis aut incommodi cujuscumque periculum, hoc est, quando ei pro spirituali vel corporali nocumeoto fuerit succurrendum. Unicuique iodifferenter dicere possit: *Ego Frater tuus sum, noli metuere*, sed mecum age cum fraterna confidentia.

Secundò, *Tulit* Assueros *auream virgam, & posuit super collum ejus.* Ut hoc pariter ad nostrum propositum applicemus, supponendum est, tamquam notissimum, per aurum in divina Scriptura charitatem frequentissimè designari; [Apoc. 3. & alibi.] per Virgam autem regiminis auctoritatem, sicut in Psalmis Deo dicitur: *Virga directionis, Virga regni tui.* [Psalm. 44. vers. 7.] Et: *Reges eos in Virga ferea.* [Psalm. 2. vers. 9.] Per Virgam igitur auream intelligamus charitativam subditorum Visitationem, quam veniat Prælatus pro ipsorum instituere correctione: quemadmodum scriptum est: *Visitabo in Virga iniquitates eorum.* [Psalm. 88. vers. 33.] Quid porrò dicemus per hoc significatum, quòd Assuerus invitans suam Esther ad loquendum, *tulit auream Virgam, & posuit super collum ejus*? Collum est organum per quod egreditur locutio, & ipsi Virga aurea applicanda est, priusquam ad denuntiandum in Visitatione confratrum vitia usurpetur. Priùs quàm de illis audiendi sunt subditi, est eis intimanda ipsorum obligatio, illa sola & omnia denuntiandi, quæ zelus justitiæ & charitatis sinceritas postulabit. In Virga rigor justitiæ, in auro charitatis lenitas designatur. Tunc ergo Assuerus, hoc est Superior, tollit *auream Virgam*, & ponit super collum subditorum, quando illos, qui sunt ad eum pro notificandis communitatis defectibus accessuri præmonet cavere, ne in eo actu, justitiæ vel charitatis limites prætergrediantur: & ne patientiâ, affabilitate & beneficio Superioris

 abutan-

abutantur per nimiam & indiscretam locutionem.

In primis enim contingere posset, criticos aliquos inveniri, quibus omnia & multùm displicent, qui pro sua amarulentia, leves defectus humanæ fragilitatis supra modum aggravant, cùmque quotidianæ eorum murmurationes de minutiis istis, à localibus Superioribus contemptæ fuerint, reservarent querimonias suas venturo Visitatori, præsertim externo, cui minimè cogniti sunt. Hi erunt per Visitatorem discretè audiendi, & auditi defectus ad justam reducendi æstimationem, & patienter tolerandi denuntiatores illi, quibus deest judicium, quo defectus pondere debito valeant æstimare. Alii fortè graviora quidem adducent, sed ex suspicionibus tantùm, & relationibus incertis, per quos Visitator, nisi cautior sit, in similes facilè abducetur suspiciones. His imponenda Virga aurea Charitatis. Vetat certè charitas suspiciones suas pravas uni aperire privato familiari; & strictiùs interdicit justitia iis aures Judicis implere. Si illa ut verè facta narrentur, periculum est dicendi falsum testimonium: si velut dubia suspectaque referantur, nil agitur apud eum, qui non nisi certa & indubitata aut saltem veri-
Eccles. 10. vers. 12. ficabilia suscipere potest. Et sic *labia insipientis præcipitabunt eum. Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus.*

Forsitan etiam invenirentur, qui vera quidem referrent, sed ex odio Fratris atque rancore, gaudentes se reprehensibile quippiam reperisse, quo possint ei confusionem aliquam procurare. Sic se posset affectus vindictæ contra Superiorem, vel alium quempiam, specioso colore faciendæ justitiæ palliare. Si qui tales sunt, eâ involventur coram Deo sen-
Prov. 17. vers. 5. tentiâ, quam Sapiens pronuntiavit: *Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Siquidem contra divinam agit prohibitionem: *Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in*
Prov 24. vers. 17. *ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Videt autem semper hanc latentem nequitiam, & displicet ei, & plerumque gratiam emendationis tribuit humiliato; quam subtrahit ab accusatoribus ejus, donec & ipsi in easdem deveniant correptiones atque confusiones, secundùm illud judicium æquitatis:
Eccl. 27. vers. 29. *Qui foveam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo: facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, & non agnoscet, unde adveniat illi.* Cùm igitur hæc tes tam periculosa & damnabilis sit, atque interim occulta, dum prurit animus ad faciendas malorum denuntiationes; disquirat unusquisque apud semetipsum, num in fundo cordis aliqua lateat contra reos simultas, num zelus solùm feratur in peccata, an simul etiam in personas, & unde fuerit suscitatus? Signa dictantis amarulentiæ, sunt 1. Iterum urgere quæ antea judicata fuêre atque correcta. 2. Si quid fit ad delinquentium excusationem, delictorumque diminutionem, idipsum reticere. 3. Ea pluribus defectuosis unicum duntaxat commemorare. 4. Factum reservasse Visitatori, dum præsumptio esset, simplici fraternâ monitione corrigi potuisse. Denique cùm ipsemet deponens delictis eisdem secretò obnoxius est; neque tamen de propria cogitat emendatione. Hoc enim signum evidens est, quòd ille zelosus non ipsam oderit iniquitatem, adeoque zelum amarum in ipsum habeat delinquentem.

Tertiò, Cùm reticeret Esther, instabat Assuerus interrogando: *Cur mihi non loqueris?* Non solùm per loquelam nimiam & indiscretam modis supradictis peccari potest in faciendis pro visitatione denuntiationibus; sed per nocivam quoque taciturnitatem. Hæc sanè non modicum adfert bono publico nocumentum, & communi involvit punitioni celantem confratris delictum, quod proferri oportuerat & emendari. Probibuerat Dominus sub anathematis pœna, ne in eversione Jericho miles Josue 6.
aliquis attingeret minimum spolium inimici. Quidam autem avidus, Achan nomine, contra Dei mandatum regulam auream è spoliis furabatur. Super quo Dominus indignatus, multos intulit infelices successus in belli materia, Duci Josue totique exercitui. Unde bonus Dux vestitus sacco, accinctus cilicio, conspersus cinere, prostratus in terra, in actu pœnitentiæ coram Domino lamentabatur, scire cupiens causam ipsius indignationis. Quid verò respondit Deus? *Quid jaces pronus in terra? Peccavit* Josue 7. vers. 11.
Israël: tulerunt de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua. Theodoretus in isto loco vix se potest quietare. Bone Jesu, Inquit, solus unus miles peccavit, & incidit in anathema; cur totus populus esse debuit castigatus? solus Achan peccavit, cur pati debuêre tot innocentes, & exercitus totus à victoria generaliter impediri? Et quod magis auget admirationem, est, quòd Dominus in numero plurali loquitur, quasi peccavetint universi: *Furati sunt, mentiti sunt, absconderunt.* Sed ad difficultatem illam respondet doctus Pater, quòd taliter conveniebat, *ut qui divinarum legum sunt observatores, corrigant trans-* Theodoretus in c. 7. Josue.
gressores: aliequin infligendo supplicio sint futuri participes. Dicit enim, quòd furtum Achan notum erat toti ejus societati, & sensim serpente rumore per exercitum, fuerat quasi omnibus divulgatum. Ideoque quia minimè zelabant pro divina ordinatione, & non denuntiabant, nec accusabant furem istum apud exercitûs Imperatorem, omnes fuêre comprehensi & computati in delicto, & ut culpabiles puniti, & castigati ac si peccassent universi. *Tulerunt, furati sunt, &c.* Itaque si Religiosus in visitatione taceat proximi defectus, transgressiones Regulæ, & negligentias sanctarum ordinationum, reputabitur ipsemet transgressor, & in illis materiis defectuosus: nec non in discrimen adducet totum bonum publicum communitatis. Munus ergo est Prælati, cui commissa est communis boni custodia, à tacente subdito latens malum verbis lenibus expiscari: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi* vers. 19.
quid factum sit, ne abscondas. Et cum Assuero rege debet instantius perurgere; *Cur mihi non loqueris?*

Aliquo-

Aliquorum è mutis illa ratio est, quòd haberi timeant pro suspectis delatoribus, garrulis & infidelibus, quibus postea nemo confidat, nemo loquatur, nemo benefaciat. Hi meticulosi præsumere debent de Visitatorum prudentia, & quòd servabunt secretum, quemadmodum obligantur, & consequenter non sint illa inconvenientia ex eorum depositionibus oritura. Quòd si ex necessitate oporteat interdum accusatorem declarare, ad conservationem justitiæ, & certam veritatis indaginem, nec ideo tacendum erit. Malis, inquies, seu imperfectis displicebo. Quid
Epist. 248. inde? *Validum mihi argumentum videtur*, ait D. Bernard. *quod quis bonus sit, si malis è regione displiceat.* An quæris hominibus placere? Si adhuc hominibus placere, Christi servus non esses. Si Martyres displicere timuissent tyrannis, Doctores sancti hæreticis, Judices reis sceleratis; nec illi Martyres fuissent, nec isti fideles Ecclesiæ propugnatores, nec hi denique justitiæ pacisque publicæ conservatores. Itaque cum S. Prospero concludamus:
De Vita Contempl. lib. 3. c. 23. *Non audiendi sunt illi, qui se dicunt propterea delinquentes objurgare non posse, ne eos, qui se noluerint emendare, faciant inimicos: qui dum parcunt eorum voluntati, saluti non parcunt. Magis malle debemus eorum contrahere inimicitias, quàm Dei offensam, dum peccantes palpamus, incurrere.*

Tacent alii, quia quòd declaraverant aliàs, nondum est emendatum: undè concludunt & hanc inutilem fore depositionem. Sed malè. Numquid quia corruptela aliqua nondum emendata est, erit ideo reticenda? Imò magis ideo iterum declaranda, ut ea fortiùs & frequentiùs convellatur, donec eradicetur. Non per unum ictum ruit arbor annosa; bene si plures iterentur: nec ulcus malignum unico sanatur emplastro. Quòd autem arbitrantur illi modicum aliàs cum corruptela dissimulasse, & nunc quoque dissimulaturum, falsa persuasio est, & artis medicæ ignorantia. Non semper medicus ferrum & ignem malis applicat statim ac fuerint discooperta; sed secundùm discretionis leges differt aliquando, ut efficaciora fiant remedia dum congruenter fuerint applicata. Sic & in præsenti negotio, *est tacens,*
Eccles. 20. vers. 6. *sciens, tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem & imprudens non servabit tempus.* Fortè etiam res levia fuit quam tunc deponebatis, atque ideo remissa ad forum inferius, quia non digna, quæ per Ministrum absolveretur. Aut indifferens forsan erat, nec per se mala, licèt vobis vel alteri displiceret. Quòd si vera fuerint vitia, errastis fortè referendo, quæ vera putabatis, & judici apparuit error, dum reus interrogatus est, & contestes examinati; aut relationis materia dubia inventa est, super qua prudens nihil decernere potest; sed indubitata crimina pro condemnationis judicio desiderantur.

Similis est eorum imprudentia, qui Visitatoribus aliundè missis celant quidquid possunt, ad servandum honorem, (ut ajunt) proprii Conventûs aut Provinciæ. Sic servat honorem filia imprægnata, tacendo factum, donec tumor uteri omnium oculis incipiat apparere, & in partu, clamore proprio commissam prodat nequitiam: quam si tempestivè parentibus manifestasset, opportuno aliquo remedio curassent salvare filiæ familiæque honorem. Æstimant fortè illi, Visitatores exteros, quia brevi recedunt, nullum post se remedium relicturos, sed tantùm pravam de Provincia asportaturos opinionem. Errant toto cœlo. Nam ut omittam defectus denuntiandos ordinariè esse in se leves, etsi graviter fortasse bono religionis adversantes: dato quòd instigante Diabolo alicubi graviores & enormes reperirentur, non ideo sunt celandi. Ad munus enim visitandi viri deliguntur, quibus æquè cordi est bonum eorum ad quos taliter destinantur, quàm animæ propriæ: quibus non adeò desperata conscientia est, ut ad diffamationem usuri sint eâ notitiâ, quæ ipsis confidentissimè concredita est, à Fratribus ejusdem Ordinis, ad reformandos abusus. Veniunt etiam à Provinciis æquè imperfectis aut forsitan imperfectioribus, ita ut nullam apud nos reperturi sint legitimam specialis contemptûs materiam; quin potiùs in anima sua ædificabuntur, videntes & audientes zelum singulorum, pro sui statûs observantiâ puriori.

Deteriori vinculo ligantur eorum linguæ, qui non edicunt ea quæ sciunt malè agere, quia & ipsi rei sunt aliarum noxarum: ideoque ne mentio fiat de propriis, cautè silent de alienis; quin & perversâ concordiâ faciunt conventionem; tacebo, ut taceas. Isti in simul faciunt corpus leviathan, de quo S. Job: *Corpus illius* Job. 41. vers. 6.
quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Quod hoc modo D. Gregorius ad nostrum propositum
interpretatur: *Quos similis reatus sociat, concordi pertinaciæ etiam defensio perversa constipat,* D. Greg. ibidem.
ut de facinoribus suis alternâ se invicem defensione tueantur. Et qui divisi corrigi poterant, in suarum iniquitatum pertinacia uniti perdurant. Nam sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis; ita perniciosum est, si non desit malis. Perversos quippè unitas corroborat, dum concordat; & tantò magis incorrigibiles, quantò unanimes facit. De talibus ait Sapiens: *Stuppa collecta synagoga pec-* Eccles. 21. vers. 10.
cantium, vilia scilicet excrementa lini melioris. Sed quid tandem de iis? *Et consummatio illorum flamma ignis.* Inaniter etiam sperant secretum: quia *Lapis de pariete clamabit, & lig-* Habac. 2. vers. 11.
num quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit. Enimvero si lapides Conventûs Lovaniensis (ut dixit P. Franciscus Angelorum) quamdam spirant sanctitatem; similiter poterunt quodammodo lapides putorem exhalare peccatorum, ab inhabitantibus provenientem. Erumpet fœtor aliundè, unde minimè putaverint illi sollicitiùs occultantes.

TEXTUS & §. III.

Et moneant eos.

SUMMARIUM.

Prælatus, velut alter Tobias, det subditis monita salutis. Fervidis exhortationibus excitet desides ad studia pietatis. Seniores etiam commonendi; magis tamen factorum exemplis, quàm verborum. Ante omnia Prælatus debet in seipso formam perfectionis exprimere. Quàm facilè defectus Superiorum animadvertantur.

MAximus ille pietatis cultor Tobias, cùm captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum, in captivitate tamen positus, viam veritatis non deseruit; & in eadem quoque continere volens fratres suos filios Israël: Tob. 1. vers. 15. *pergebat ad omnes qui erant in captivitate, & monita salutis dabat eis.* Idipsum incumbit per visitationes Ministris Provincialibus faciendum, ut corrigant Fratres, si quos invenerint à primæva Regulæ & Constitutionum observantia deviantes: quos verò per Dei misericordiam sanos invenerint in bonis voluntatibus, & bene viderint gradientes, *moneant eos*, ut qui justi sunt, justificentur adhuc. Vide Bonav. Apol. Pauperum Resp. 1. c. 1. Notissima est Religiosorum omnium obligatio, incessanter pergendi per angustam semitam perfectionis: ad quod sunt continuis hortationibus exstimulandi; quemadmodum dilectus Dei Apostolus faciebat fidelibus Ephesinis dicens: *Obsecro vos, ut dignè ambuletis, vocatione quâ vocati estis, cum omni humilitate &c.* Ephes. 4. vers. 1. Idem erga filios suos præstitisse sanctum Patrem nostrum & fundatorem Franciscum, scribit Cardinalis seraphicus Bonaventura, his verbis: *Doctus doctrice gratiâ, doctus experientiâ quæ sunt perfectionis, hæc Fratres docet omnia, tam factis, quàm frequentiâ mellifui sermonis.* In Offi io D. Franc. ad Laud.) Monitionibus talibus inflammabat eorum animos ad studia perfectionis. Certè si ducis unius oratio emphaticè dicta, sic militum acuit animos, ut alacriter in pericula proruant, mortisque præsentissimæ timorem extinguant; multò magis poterit Religiosi Superioris oratio Fratrum animos, per se propensos ad bonum, ad gloriosam acuere virtutem; in qua nullum subest periculum, sed solius expectatio præmii. Præter bonæ conversationis exemplum, addenda etiam est sermonis exhortatio, quotiescumque se obtulerit occasio; maximè tempore visitationum, quæ sunt ad inspirandum, fovendum & augendum bonum spiritum institutæ. Eccles. 37. vers. 26. *Vir sapiens erudit plebem suam, & fructus sensûs illius fideles sunt.* Dum videlicet ipse primùm doctus experientiâ quæ sunt perfectionis, eadem explicat aliis, & apponit in mensa, velut fideles & probatos fructus, suaves atque salubres. Unde discipulum suum monet iterum Sapientia: Prov. 22. vers. 17. *Appone cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cùm servaveris eam in ventre tuo; & redundabit in labiis tuis.* Dum spiritum pietatis Prælatus hauserit largiter & cum gustu, flumina spiritualium eloquiorum fluent de ventre memoriæ ipsius, & Beata illa abundantia in eorum labiis largissimè redundabit.

Magnus Apostolus S. Paulus, in Ecclesiæ primordiis, fuit hujusmodi lingua cœli, & Spiritûs Sancti calamus: *Placuit ei*, inquit, *qui me segregavit ex utero Matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus.* Gal. 1. vers. 15. Novissimis autem temporibus idem misericors Dominus & miserator, pauperculum segregavit Franciscum, ut in ipso dilectum suum Filium revelaret, & nobis evangelizaret. Revelavit autem eum in ipsius corpore per crucifixionem, dolorumque communicationem. Revelavit in corde per Obedientiam integram ad Patrem, per humilitatem sub pedibus omnium, per ardentem & inextinctam Charitatem. Revelavit eumdem Dei Filium in ore, ut evangelizaret divitias gratiæ ipsius, & omnes ad eum attraheret, qui seipsum à terra in crucem voluit exaltari. Hæc est igitur vera discipulorum Francisci perfectio, ut sint sicut magister suus, ut Christus Dei Filius reveletur in eis, & constet omnibus, quòd sint Christum in ore suo, in corde, & in corpore circumferentes. Hujus perfectionis studium debet nobis primarium esse atque incessabile: ut nec ardenti nimis externarum scientiarum studio præpediatur: nec timore laboris in virtutum exercitio sustinendi negligatur: neque per nimias extroversiones aut per jocos, risus, collocutiones inutiles, & curiosas, talis contrahatur ariditas, ut spiritualia nobis penitùs insipida fiant, & tamquam spinarum aculei horreantur. Sic nauseabant ingrati Israëlitæ datum de cœlo panem. *Recordamur*, inquiebant, *piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man. Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Numer. 11. vers. 5. Ita de spiritualibus exercitationibus censent tepidi, qui Num. 21. vers. 5. solâ contenti vivunt exteriori aliquâ & ceremoniali religiositate, nullam intantùm veræ virtutis

tutis internæ habentes rationem : & si quæ per traditionem audierunt de austeritate, assiduitate orationis, paupertate seniorum, cogitant fuisse sanctorum privilegia, non aliis imitabilia.

Tales sunt omnimodâ instantiâ commonendi, ut eo errore deposito, animos sumant, præclara pietatis facinora aliorum similis conditionis & statûs hominum, alacriter imitandi. Fuerunt illi homines passibiles, similes nobis, qui ad nos tam illustria justitiæ exemplaria transmiserunt, & decet nos pari quoque fidelitate factis verbisque ad nostros proximos derivare, ut ita virtuosè vivendi successio perpetuetur. Ad quod videtur Sapiens respexisse, dum ait:

Eccles. 30. vers. 3.

Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit & lætatus est in illo &c. reliquit defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Ut autem subditi tales efficiantur, hortationes faciendæ sunt, non frigidè & perfunctoriè, quæ cum aura sonoque evanescant & tradantur oblivioni; sed ita seriò atque efficaciter, ut menti audientium medullitus hæreant.

Isaiæ 8. vers. 16. In cap. 8. Isa.

Liga testimonium, ait Dominus per Isaiam, *signa legem in discipulis meis.* Ubi noster Adamus Sasbout observat, Metaphoram esse sumptam ab iis, qui timentes, ne rei, cujus meminisse volunt, obliviscantur, ad manum vel in digitis suis ligant quippiam, quo inspecto si fortè oblivioni esset tradita redigitur ad memoriam. Itaque non obiter proponenda lex & testimonium, sed taliter inculcanda, ut quasi alligata memoriæ, nullatenus excidere permittantur.

Porrò ne vereantur Superiores (præsertim juniores) monere subditos, viros graves, senes & eruditos, sciendum suaviorem & efficaciorem modum eos commonendi, & commovendi, esse per exempla rectè factorum potiùs, quàm per verba. Hæc forma est superioribus in divina Apocalypsi cælitus delineata.

Apoc. 4. vers. 9.

Cùm darent quatuor *animalia* mysteriosa *gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum &c.* Ex mente D. Boneventuræ, Prælati sunt velut illa cœlestia animalia, senis alis ornati. Quòd si ipsi fervore seraphico laudent Deum & honorent die ac nocte illico seniores similiter descendent de thronis, deponent in omni humilitate coronas suas, & ad dignum Dei cultum pariter accendentur. Efficaciùs movet sanctitas conversationis, quàm verbum exhortationis. Unde rectè D. Hieronymus monuit :

Epist. ad Sabul. 128.

Tanta debet esse sanctitas, scientia & eruditio Pontificis Dei, ut gressus ejus & motus, & universa, vocalia sint: veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit Apostolorum.

Super omnia verò cavere debet Prælatus, ne destruat pravitate vitæ, quod vocis monitionibus ædificavit. Mala Superiorum exempla faciliùs conspiciuntur, & vehementiùs præcipitant subditos ad æmulationem. Ægyptii (refert subtilis quidam scriptor nostri temporis) rectorem populi depingebant cum eclypsato Sole in sinistra manu, & cum horologio in dextra, hac addita subscriptione. *Non nisi cum deficit, spectatorem habet.*

Momigab Direct. Serm. 14.

Solem, quamvis lucidissimus sit, nemo multùm miratur; nisi quando eclypsatur : tunc nullus est, qui non curat ad Eclypsim conspiciendam. Sic contingit sæpenumero, ut quàmvis Prælatus aliquis lucidissimus sit splendore virtutum, vix tamen aliquis respiciat ad imitandum; si verò Solem illum contigerit eclypsari, & per defectum aliquem obscurari, omnium popularium oculi ad eum censurandum intendunt, & eclypsatum cœli lumen; tamquam mundi portentum, per ora currit universorum. Insuper Horologium est hieroglyphicum Superioris; & ubi apud Isaiam nos legimus :

Isaiæ 52. vers. 7.

Quam pulchri sunt super montes pedes annunciantis bonum, transferunt Septuaginta: *Sicut hora super montes*, id est : *sicut Horologium super montes.* Cùm multæ campanæ sonant in civitate, rarissimi observant quando, quàm multæ, vel qualiter sonent; nec attenditur, an concors sit sonus, an confusus; sed quando Horologium committit errorem aliquem, sive cesset à sonando, aut horam octavam sonet pro decima; totus populus miratur, & murmurat adversùs horologium, ejusque factorem & directorem; sic ut horologium non possit minimam committere deordinationem, quæ non observetur ab omnibus, & arguatur, eò quòd ipsum constitutum sit tamquam regula omnium motuum aliorum, & omnes populi actiones per horas ipsius mensurentur. Simili modo Prælatus positus est in sublimitate turris, & in Ecclesiastica dignitate : *sicut hora super montes*; & quemadmodum horologium est *mensura motus*, sic ille est *mensura morum.* Quare consideret bene, qualiter sonet, qualiter vivat qualiter loquatur, qualiter vestiatur, qualiter converseiur; quia mores ipsius *transeunt in exemplum*, & sunt regula ac mensura actionum per subditos exercendarum. Cœli inferiores se regulant juxta motum primi mobilis, & umbra imitatur figuram corporis unde derivatur. Solon Atheniensis solitus erat dicere, subditos esse Principis umbram; nam sicut umbra sequitor corpus, sic vulgares homines mores Principis imitantur, Si igitur curvum fuerit hoc corpus, quomodo poterit umbra esse recta? Si Prælatus obliquè gradiatur, quomodo poterit subditus rectâ incedere, Sequetur certè juxta motum præcedentis. Notandum, quòd Christo nato quærebant eum Magi & inveniebant, habentes stellæ ducatum. Quærebat etiam Herodes : *ubi est qui natus est &c.* non tamen inveniebat, quàmvis ei Doctores locum demonstrarent : *In Bethleem Juda &c.* Cur non inveniebat Herodes, sicut Magi inveniebant? Ratio (ni fallor) est, quia stella, quæ erat horum comes, non tantùm significabat eis locum, sed ad eundem *antecedebat eos.* Sed Doctores Herodis firmi consistebant, & minimè movebantur: Sic est etiam de Prælato, qui monet quidem & docet verbo; sed non etiam antecedit exemplo,

TEXTVS & §. IV.

Et corrigant eos.

SVMMARIVM.

Correctio per visitationes Religiosorum adumbrata in Apocalypsi. Rectè facta correctio, est opus charitatis in delinquentem. Item in Communitatem. Ob impunitatem filiorum Heli, & ipse; & populus punitus gravissimè. In delinquentium castigatione relucet decor & majestas Justitiæ. Corriguntur excusationes aliquæ Superiorum.

Apoc. 11. vers. 1. D. Joannes in sacra Apocalypsi scribit de semetipso: *Datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem quod est foris templum, ejice foràs.* Calamus mensorius erat, quo templum Domini metiretur, & adorantes in eo. Erat autem *similis virgæ*, primò quidem ut significatet divinæ mensuræ & justitiæ æquitatem ac rectitudinem. Secundò ut Deum Judicem metuamus, inquit, Viegas, utpote paratum statim cædere eum, quem noceotem vel minùs habentem repererit in mensurando. In ea igitur apocalyptica narratione mysticè descriptum intelligere possumus officium Visitatoris. *Datus est* ei *calamus*, sacra oimirum Regula, quam ei pro vivendi formula tradidit Religionis Fundator, & dixit ei: *Surge & metire templum Dei*, hoc est Ordinem Religiosum, qui est in templum Domini consecratus; *& adorantes in eo*, sive professos totâ vitâ Deum colere ibidem & adorare. Hi examinandi sunt ad Regulæ calamum, & metiendi. Est autem *calamus* ille *similis virgæ*: quia potestatem præbet non solùm ad ea, quæ sunt congrua, commonendi, verùm & subditorum vitia corrigendi. Quod evidenter apparet in seraphica Francisci Regulâ, quæ non modò præscribit Ministris Provincialibus suæ Religionis, ut inter visitandum moneant Fratres suos, quod ad virtutum pertinet exhortationem; sed etiam *corrigant eos*, quod ad vitiorum pertinet extirpationem. Quasi Prælato visitanti & metienti templum Religionis, dictum voluerit Domini verbum: *Atrium quod est foris templum, ejice foras*: elimina subditorum actiones, quascumque extra præscriptum Regulæ & Constitutionem repereris exorbitare. Sic illi, qui non moventur amore virtutis, compelluntur formidine pœnæ ad rectitudinem festinare. Multiplex est ejusmodi correptionis utilitas.

Prov. 20. vers. 30. Primò, Bonum proprium, & salus animæ delinquentis. *Livor vulneris absterget mala, & plaga in secretioribus ventris*; quia dum exteriùs percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam revocamur, atque ante oculos nostros cuncta, quæ à nobis malè gesta sunt, reducimus, & per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Nihil autem infeliciùs impunitate peccantium, quâ finalis nutritur impœnitentia, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Verissimè siquidem Sapiens dixit: *Equus indomitus evadet durus, & filius remissus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius.* Hoc directè quidem parentibus dicitur, æquè tamen universos concernit rectores animarum. Atque taliter intellexerunt multi sancti homines Dei. B. Rogerius licet in communi conversatione & statu subditi esset benignus valde & affabilis, attameo aliis præfectus ex zelo animarum & divini honoris, in correptionibus durus erat & inflexibilis, ita ut ipsos terreret inoocentes. Ut impositas remitteret pœnitentias, quàmvis flexis genibus rogaretur, flecti non poterat, illâ adductâ ratione: *Moyses mitis, & populo quem regebat summè addictus, ut ei Deus misereretur & peccata dimitteret instantissimè orabat; & aliundè ipse non verbis, sed gladio eorum castigabat errores. Ego me etiam teneri scio, ut pro Fratrum peccatis orem, sed Dei offensam, ut ipse faciliùs indulgeat, duriori debeo corrigere disciplinâ.* Ecclesi. 30. vers. 8. Annal. Tom. 2. an. 1587. num. 11.

Inveniri possent, etiam in Religiosorum congregatione, apud quos neque verborum monita neque pœnatum comminationes proficerent, non ideo debet conatus sistere Prælatorum; sed clamores non audientibus, subjicere debet, pro qualitate delictorum, calcaria punitionum. Ab imperitis quidem vel malitiosis, severitas illa ut crudelitas traducetur; sed eorum censuram minimè esse reputandam pulchrè docet sapientissimus Lipsius, dicens: *Odia qui nimium timet* Polit lib. 4. cap. 11.

timet, regnare neſcit: odia dico plebeia & levia; omnis enim populo ineſt malignum quiddam, & querulum, in imperantes. Regium eſt, audire male, cùm facias bene. Satis eſt, ſi hoc habemus, ne quis nobis malè facere poſſit. Immobiliter ſtaudum in eo, quod prævià prudenti deliberatione juſtum fuerit judicatum, neglectis malè fundatis adverſantium opinionibus. Cùm reprobaſſet Dominus aliquando doctrinas aliquas & facta Phari-

Matth. 15, verſ. 12. ſæorum; ſuggeſſerunt ei diſcipuli: *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos.* Et quàmvis frequens eſſet murmur de eo inter turbas, & ipſos Sacerdotes, & Legis Doctores; non tamen ideo deſtitit eos commonere & corripere, ut corrigerentur.

Palladium quemdam ob malevolorum ſubditorum murmurationes & detractiones ſe affligentem, ſolatur D. Gregorius, & quàm parum curandi ſint oſtendit, dicens: *Ha-*

Lib. 6. Epiſt. 45. 2. Cor. 1. verſ. 12. Job. 16. verſ. 19. *bemus Paulum dicentem*: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *Job quoque dicit*: Ecce in cœlo teſtis meus. *Si ergo nobis eſt teſtis in cœlo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant; ut unde plùs detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi tamen ſunt etiam ipſi, & tranquillè admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus debet. Si autem ſatisfieri ſibi ex veritate noluerint, habes conſolationem quam in ſancto Evangelio conſpicias: quia cùm Domino dictum*

Matth. 15. verſ. 12. *fuiſſet*: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? *Reſpondit*: Sinite illos, cœci ſunt & duces cœcum. In continuo teneantur timore, & bene erit eis, totique communitati. Joannes Ferus ſcribens in il-

Matth. 18. lud: *Erit tibi ſicut Ethnicus*, rectè dicit, indicium eſſe boni regiminis, ſi in commonitate aliqua juſti quietè, injuſti in timore vivant. Ubi autem bonis timendum eſt, mali autem ſinè timore vivunt, ſignum tyrannici regimiois eſt.

A rectè ſentientibus intelligitur, correptionem fratris, non inter odii, ſed inter dilectionis & miſericordiæ opera computari. Sic ipſe *Dominus quem diligit, caſtigat; fla-*

Hebr. 12. verſ. 6. *gellat autem omnem filium quem recipit.* Unde commonet Apoſtolus fideles Hebræos: *In*

verſ. 7. *diſciplina perſeverate. Tamquam filiis vobis ſe offert Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo adulteri & non filii eſtis.* Si paternus Dei affectus in filios, eo modo ſe prodit per caſtigationes, ſimili tribuendum eſt charitati, dum per Prælatos flagella peccantibus ſubditis incutiuntur.

verſ. 11. *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.* Si liceret audire beatos innumeros in cœlo, qui ſeveriùs fuerunt à ſuis correpti judicibus, & à via ſua mala per correptionem abſterriri, & liberati pariter à futurorum æternorum ſuppliciorum, quemlibet audiremus dicen-

Jerem. 31. verſ. 18. tem: *Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus.* Et: *Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* Temporalis caſtigatio, è pœnis me eripuit ſempiternis. Plurimis beatis ſpiritibus obtigit ea magna felicitas, beneficio correptionis. Hujus pia violentia, ſimilis eſt illi, quam juſto Lot Angeli intulerunt. Poſtquam monuerant eum, de Sodomis ut egrederetur, *cogebant eum*, dicentes: Surge & egredere. *Diſſimulante illo, apprehen-* Gen. 19. verſ. 15. & 16.

derunt manum ejus..... eduxeruntque eum. Felix coactio, felix violentia, quæ compellit hominem, ut è periculis egrediatur. Quis indignetur ejuſmodi charitativæ compulſioni? Quis lapſus in flumen, & proximus ſubmerſioni, ægrè ferat, ſe ab aliquo per capillitium arripi, ut ſic ex aquarum vorticibus extrahatur? Nemo ſanæ mentis. Sic eſt de correptione delinquentis. *Tu virgâ percuties eum:* Prov. 23. verſ. 14.

& animam ex inferno liberabis.

Secundò, Præter ſingularem ipſorum caſtigatorum ſalutem & emendationem, communitas ipſa luculentum commodum experitur, propter quod ſolum, numquam foret intermittenda juſtitia, ſiquidem caſtigatio peccatorum communia avertit flagella, terrorque per ſeveros judices injectos peccantibus, in pace continet univerſa, & in ordine atque ſecuritate. Cum propter peccatum Achan populus Domini ab hoſtibus cæderetur, ex ſententia Joſue lapidavit eum omnis Iſraël: & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. *Et averſus eſt furor Domini ab eis.* Cùm etiam Joſue 7. verſ. 26.

David populum videret terribili percuti flagellò, ſeque ſciret criminis reum, quo illa Domini iracundia provocabatur, cilicio veſtitus, in lachrymis & pœnitentia, ſemetipſum obtulit ad vindictam in perſona propria ſuſcipiendam, & invocatâ Dei miſericordiâ, obtulit ſacrificium expiationi, *Præcepitque Dominus* 1. Paral. 21. verſ. 27.

Angelo populum percutienti: *& convertit gladium ſuum in vaginam.* Hæc eſt efficacia pœnitentiæ, ſive per Superiorem impoſitæ, ſive ſponte ſuſceptæ, ipſius voluntate delinquentis, ut publicam avertat calamitatem, quietemque reſtituat. Eſt enim infallibiliter conſequens, ut dum unicuique quod ſuum eſt redditur, & juſtitiæ violatores & ſcelerati ſcandaloſique exterminantur, pax & tranquillitas publica ſtabilior fiat, & populus juſto conjunctus Principi, contra quamcumque violentiam externorum reddatur inſuperabilis. Conſtantes juſtitiæ obſervatores dextera proteget Omnipotentis. Daoielis adverſarii miſerant eum in lacum leonum. Quænam concipi poſſit formidoloſior circumſtantia periculorum? Salvatus tamen eſt: idque ex cauſa quam ipſe recenſet, dicens: *Miſit* Dan. 6. verſ. 22.

Dominus Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, non nocuerunt mihi: quia coram eo juſtitia inventa eſt in me. Rationem eamdem alibi Sapiens allegavit: *Abominabiles regi qui a-* Prov. 16. verſ. 12.

gunt impiè, quoniam juſtitiâ firmatur ſolium illius. His divinæ Scripturæ principiis, in-

ſiſtens F. Hugo de Dina, Sancto Ludovico Francorum Regi memorabile tradidit documentum: (Martyrol. Franc. ad 22. Febr.) *quòd ſi diu pacificè vivere vellet, & obſequi votis populi, æquiſſimus eſſet; nam numquam ſe vidiſſe aſſerebat, ſive inter Chriſtianos Principes, ſive apud infideles, terram aliquam aut dominationem, vi tranſlatam fuiſſe ab uno Domino ad alterum, niſi defectu juſtitiæ, æquitatiſque adminiſtrandæ. Propterea magnoperè animadverteret, ut unicuique adminiſtraretur juſtitia, ſi vellet optimâ pace gaudere.* Si hæc punitio delinquentium tantam affert regnis ſæcularibus pacem & ſecuritatem; quantò magìs eamdem religioſis confert congregationibus, meliùs aliundè diſpoſitis ad eamdem?

Vice versâ, quemadmodum privatorum peccata in communem vergunt perniciem, ita maximè peccandi libertas & impunitas ſolet pacem publicam perturbare. Hoc iterum divinæ Scripturæ teſtimonio comprobemus. (1. Reg. 2. & 3. & 4.) Heli, ſummus Pontifex Hebraiſmi, taliter indignum ſe reddidit divinâ clementiâ, ut Deus, cum ignominia ſempiterna tolleret ab ipſo & à domo ejus ſupremi Sacerdotii dignitatem, faceret ipſum cadere ſubitaneâ morte, & ordinaret ut duo filii ejus, Ophni & Phinees, in die uno occiderentur ambo, Arca Domini caperetur, & caderent de populo Dei triginta millia hominum, vincentibus in prælio Philiſtæis; aliæque calamitates innumeræ, venirent in illo tempore, ſuper miſerabilem Synagogam. Quodnam autem erat grande illud peccatum Heli, quod tam horrendam & irremediabilem merebatur caſtigationem? Reſpondet ipſe ſacer Textus, rationem fuiſſe tepidam & immoderatam Heli manſuetudinem erga filios peccatores. (1. Reg. 3. verſ. 13) *Prædixi ei, quòd judicaturus eſſem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quòd noverat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* Certus erat, quòd filii ejus eſſent inſolentiſſimi, & res peſſimas facerent; & Heli hæc ſciebat per totius populi relationem; ſciebat in toto Iſraële ex eorum ſceleribus ſcandalum generari; ſciebat quòd violarent mulieres, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi, quæ velut religioſæ erant Domino conſecratæ; ſciebat quòd per fuſcinulam tridentem cum violentia furarentur ex lebete de carnibus ſacrificii; ſciebat quòd propter malam eorum vitam homines à Dei cultu & ſacrificiis retraherentur: nihilominus videns omnia cum oculo conniventi, erat ad eos indulgentior, & unâ quidem vice dedit ſignum rigoris per verbum aliquod reprehenſionis: unâ dumtaxat die dixit eis cum verborum teneritudine: (1. Reg. 2. verſ. 23.) *Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio res peſſimas ab omni populo? Nolite filii mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio.* Quid vobis videtur? Tractabat de ſcandalo publico, de ſacrilegio abominabili, de latrocinio in rebus ſacris, de impedimento in divino cultu, de inhoneſtate in perſona religioſa, de ſacrarum mulierum violatione. Hæccine tranſire poterant cum uno: *Quare facitis?* cum uno: *Nolite facere*, cum uno: *Nolite filii mei?* Tantoperè diſplicuit Deo illa indiſcreta dulcedo, illa manſuetudo immoderata, illa flaccida indulgentia, ut eam vocaverit iniquitatem: *Propter iniquitatem.* Cùm tempus eſſet comminandi & caſtigandi, tonitruandi & fulminandi, dicebat frigidus ſenex: *Filii mei.* Quare Deus ipſum cum tanta excepit ſeveritate, ut privaret Pontificatu, & morte ſubitaneâ faceret interire. Unde Petrus Damianus facit pro Prælatis omnibus conſequentiam: *Si ergo Heli propter duos filios, quos non eâ, quâ digni erant caſtigatione corripuit, cum eis ſimul, & cum tot hominum multitudine periit: quâ arbitramur ſententiâ dignos eſſe, qui in aula Eccleſiaſtica præſident, & ſuper non ignotis criminibus ſceleratorum hominum tacent?* (Epiſt. 6.) Caveant igitur Heli punitionem, illi Prælati, qui ſic omnimodà ſunt conditi dulcedine, ut auſcultare timeant ad culpas cujuſpiam inſolentis, ut trepident aliquem caſtigare vel contriſtare, ex cujus vita ſcandaloſa innumerabiles ruinæ naſcuntur in Religione.

Tertiò, In delinquentium caſtigatione, relucet decor atque majeſtas Juſtitiæ: pro cujus manutenentia non modò judices temporales, ſed Deus ipſe damnat ſceleratos, quia ſic juſtitia dictat, ut peccatum omne, ſua conſequatur pœna, & nullum, quocumque ſe abſconderit antro, tranſeat impunitum. Hinc quando Iſaïas caſtigationes retulerat impiorum, inſuper addit, quòd *dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino: & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes glorioſique ejus ad eum.* (Iſaiæ 5. verſ. 14.) Hujus rigoris addidit finem: *Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus Sanctus ſanctificabitur in juſtitia.* (verſ. 16.) Cùm itaque animarum rectores ſint Juſtitiæ miniſtri, non eam deſpici permittant vel extingui, ſed pro ea intrepidè gladium exerant auctoritatis. *Data eſt à Domino poteſtas vobis,* ait rectoribus divina Sapientia, (Sap. 6. verſ. 4.) *& virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem Juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.* (verſ. 5.) Ideoque terribilem eis faciens comminationem: *Horrendè*, inquit, *& citò apparebit vobis; quoniam judicium duriſſimum, his qui præſunt, fiet.* (verſ. 6.) Muneris eorum eſt, non ſolùm juſta decernere, ſed etiam ſubditos ad præceptorum compellere executionem. Cùm enim leges per ſe minimè conſtringant voluntarios infractores, ſeque permittant peſſundari, opus fuit tutoribus earumdem, atque ad hoc ſunt miniſtri juſtitiæ conſtituti, ut ſervet ligatos, ne legum vincula dirumpant, datumque eſt eis mandatum ſimile à Domino, ſicut olim Jehu ſuis impoſuerat militibus: *Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus veſtras, erit anima ejus pro anima illius.* (4. Reg. 10. verſ. 24.)

Sanctus noſter Bernardinus expendens illud Zachariæ: *Aſſumpſi mihi duas virgas; unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum: & pavi gregem;* (Zachar. 11. verſ. 7.) in hunc modum de Paſtore gregis rationalis interpretatur: *Decus Principis eſt, leges juſtas ſancire. Virga quoque funiculum habet,* (Tom. 2. Serm. 56. art. 1. cap. 2.) *cùm tranſgreſſores juſtarum legum per indiſſolubilem Juſtitiam punit. Hæc enim virga, à rectitudine veritatis flecti non debet; nec retrò, nec antè: nec à ſiniſtris,*

ſiniſtris, neque à dextris. Retrò flectitur per timorem, antè per ſpem: à ſiniſtris per odium, à dextris verò per amorem. Nulla in principatu beſtia ſævior, quàm impunitas delinquendi. Nihil tantùm regimina Principum infirmat, quàm languor juſtitiæ, ſub nomine pietatis. Quid enim talis falſa pietas, quâ ad preces injuſtè ſupplicantium impii dimittuntur impuniti, niſi juſtitiæ interitus, multiplicatio ſcelerum, violatio pacis, libertas peccandi, & fractio junctarum omnium conſtitutionum? Si talis mollities pietas eſt, ad quid tanto labore inſtituuntur leges? Unâ pietate conſummari poſſet provideri cum impia pietati, ſi igne comburuntur omnia juſta legum inſtituta. Debent igitur Prælati defenſores eſſe & vindices legum atque juſtitiæ; atque ideò Superioribus immediatis Conventuum Regularium neceſſaria eſt continua ſuper ſua communitate vigilantia, & ſedulitas ſuper abuſibus omnibus intendendi; Miniſtris autem Provincialibus opportuna viſitatio, ut ſi quid minùs rectè agatur, ſcire valeant, atque dum deprehenderint, modis congruis ſtudeant reſecare: nec enim fas eſt, tutores juſtitiæ videre læſionem ipſius & diſſimulare; ſed ad eos pertinet D. Gregorii dictum: *Qui proximi mala reſpiciunt, & tamen ſi-*
Paſtor. p. 3. admon. 15. *lentio linguam premunt, quaſi conſpectis vulneribus uſum medicaminis ſubtrahunt, & eò mortis auctores fiunt, quò minùs quem poterant curare noluerunt.* Et iterum: *Super ea mala quæ propria ha-*
Hom. 12. in Ezech. *bemus, etiam alienas mortes addimus; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi & tacentes videmus.*

Nec propter hoc debet Superiorum aliquis animo concidere aut ſui dimittere muneris obligationem, quòd videat ſe circa aliquos hactenus non profeciſſe, tametſi non ſolùm verborum hortatu, verùm & pœnitentiarum ſtimulis frequenter eos urſerit, ut ſaperent meliora. Verum quidem eſt, infractam videri pervicaciam aliquorum, ita ut *ſi contuderis*
Prov. 27. verſ. 22. *ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus;* nihilominus neque de his dimittenda eſt cura regiminis, & inſtantia correctionis. Taliter fortè ſe præparat Deus, ut cùm Prælati ſuum cœperint præſtare officium, exteriùs feriendo, ipſe velit cor peccatoris interiùs ſalutari percutere compunctione. Non eſt veſtrum, O mortales, noſſe tempora vel momenta, quæ ipſe in ſua poſuit poteſtate. Tamdiu medicus & toties, mordacia vulneribus adhibet emplaſtra, donec conſumpta ſit putrida caro: tamdiu mulier pannum confricat, pice oleove infectum, donec macula fuerit emundata, ipſi canes toties è tricliniis percuſſione fuſtium abiguntur, quouſque redire diſſueverint. Dum pertinax eſt malum, conſtans quoque debet eſſe remedium: & quemadmodum maligni dæmones, non uno vel altero dumtaxat exorciſmo à poſſeſſis corporibus ejiciuntur; ſic neque mentis vitia profundiùs radicata. Moderatæ ſeveritatis aſſiduitas, vincet inanem confidentiæ ſpem, & meliores imprimet delibe-
rationes. Ideo *qui diligit filium, inſtanter e-* Prov. 13. verſ. 24.
rudit. Verùm etſi neque ſpes foret emendationis in delinquente; reſpectu tamen aliorum, punitio non fruſtrabitur utilitate: nam
mulctato peſtilente, ſapientior erit parvulus: & ſi ſe- Prov. 21. verſ. 11.
ctetur ſapientem, ſumet ſcientiam. Hâc conſideratione, ſæculares judices pœnâ mortis feriunt criminoſos, licèt emendationem millies polliceantur: necnon plerique Sancti gravia ſumpſerunt de peccatoribus ſupplicia, ut populus reliquus exemplum vindictæ ſumeret, ſceleribus ſimilibus infligendæ, & à plagarum modo menſuram ſcelerum diſceret æſtimare.

Timet fortè Superior aliquis, corripere defectum ſubditi, eò quod & ipſe ſemetipſum agnoſcat pariter defectuoſum: ac propterea tacet, ne ſibi contingat quod Scribis & Phariſæis, qui coram Redemptore noſtro mulierem adduxerant in adulterio deprehenſam, quibus cùm Dominus peccata propria in memoriam reduxiſſet, dicens: *Qui ſine pecca-* Joan. 8.
to eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat; verſ. 7.
unus poſt unum exibant, dimiſsâ adulteræ correctione. Tangit objectiunculam hanc Joannes Ferus in hunc locum, & ſic ei ſatisfacit: *Non hoc vult Chriſtus, ut omninò ſine peccato ſit Judex, alioqui nullus umquam facinoroſus plecti poſſet, quando nullus juſtus judex, qui omninò ſine peccato ſit, reperiatur. Nec in hoc judex criminoſus peccat, quòd in facinoroſum ſententiam fert; hoc enim ſui muneris eſt. Sed peccat, quòd ipſe non reſipiſcat, & in ſe non arguat id, quod in alio jure punit.*

Finaliter igitur, ex Petro Bleſenſi, ad Rectorem animarum concluſivam Apoſtro-
phen dirigamus: *A te priùs, & deinceps à* Epiſt. 130.
ſubjectis explantare ſtudens veternoſas propagines diſſolutionum, quas inſolentiæ mater, longa impunitas, radicare permiſit. Omni diligentiâ cuſtodi cor tuum, ut exemplo ſis aliis, & liberiùs auferas ſcandala de regno Dei, quod intrà vos eſt; nec in anima tua diſcrimen, reſerves hoc officium Angelis meſſoribus. Pone in animo tuo, quòd tui monaſterii novus fundator accedas, ſciens quia laudabiliùs eſt reformare corrupta, quàm formare informia. Ideoque tuorum anteceſſorum laxiores habenas non cogites. Eorum ſimplicitas, aut potiùs negligentia, & ruina, circumſpectiorem te faciat. Mittas manum ad fortia, & ſcias quia diſſoluta eſt omnis domus, in qua non imperat diſciplina.

TEX-

TEXTVS & s. V.

Humiliter corrigant.

SVMMARIVM.

D. Augustinus eleganti similitudine docet Prælatos humiliter corrigere delinquentem. Forma Prælati quoad hoc à S. Francisco descripta, & à quibusdam Franciscanis Provincialibus practicata. Differentia per Christum posita inter spirituales Rectores & sæculares. Apostolorum exemplis docetur miscenda in regimine humilitas cum districtione. Idem docetur apposità similitudine, & per Joannis XXII. & D. Bernardi sententiam.

QUando viator aliquis equitat, & sub equi pede spina quædam subintrat, eumque claudicare facit, & multùm io soo retardat itinere; mox eques desilit è jumento, seque profundè inclinat, pedem arripit animalis, & spinam extrahit cum dexteritate. Modo consimili Prælatus, quando videt subditum in via Domini claudicare, aut io errorem aliquem impingere, aut in via bonæ observantiæ minimè progredi; non eum urgere debet asperè cum rigoris calcaribus, sed accommodando seipsum ejus miseriæ, sese per humilitatem inclinare, & tractare beoignè, ut sinè repugnantia spinam extrahere valeat, quæ eum in divino servitio retardabat. Ad metapho-

Serm. 206. De Tempore. ram istam sanctus alludens Augustinus: *Nemo*, inquit, *potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare.* Humili & condescensivâ Superioris correptione, corrigitur animus subditi delinquentis. Idipsum Seraphicus Patriarcha probè cognovit, atque ideo suæ Religionis præfectis confratris suos visitaturis providè Præscribit, ut delinquentes *humiliter corrigant*; quasi dicat: inclinent se ad iovestigandum peccati spinam, & cum benigna ejiciant dexteritate. Io eo autem positam esse desideratam io

Tom. 2. Serm. 16. art. 3. c. 1. Rectoribus humilitatem docet S Beroardinus, quòd potestatem soam super Fratres alios à Deo esse existimeot, non autem sibi adnatam, vel aliqoo jure debitam; quin potiùs se illâ multis esse titulis indignos: tributam tameo misericorditer, non ad factum proprium, sed in bonum subjectorum. *Nemo potest jacentem erigere, si se* taliter *noluerit inclinare.*

Pleniori stylo ipse D. Pater Franciscus & vivacioribus coloribus Prælatorum à se exop-

Opusc. Tom. 1. collat. 27. tatorum depingit imaginem, dicens; *Vellem Fratres, Provinciales Ministros affabiles esse minoribus, & tantâ benevolentiâ præditos, ut eorum affectui non vereantur se committere delinquentes. Vellem eos moderatos esse in præceptis, propitios in offensis; ferre magis peccatores, quàm inferre injurias. Hostes vitiis, medicos vitiosis. Tales denique esse vellem, quorum vita cæteris esset spectaculum disciplinæ. Hos tamen vellem omni honore venerari & diligi, sicut qui pondus portant sollicitudinis & laboris. summis eos præmiis apud Deum reputarem esse dignos, qui tali formâ talique lege traditas sibi animas gubernarent.* Præclaram hanc vitorum formulam, multi Provinciales ex ejus Ordine, ipso facto luculenter io suis moribus expresserunt. F. Bartholomæ- Martyrii. Fran. ad 18. Decemb. us à S. Anna tantâ cum omnibus agebat humilitate, quasi novitius esset, cunctisque vilioribus se mancipabat officiis, agens etiam interim quæ vigilantissimi sunt rectoris. F. Christo- Ad 15. Octob. phorus Plateanus ex humilitate nil sibi præ cæteris Fratribus indulgendum existimabat; ita ut neque propter senectam, nec ob sui muneris occupationes à communi fratrum vita haud ullo deflecteret tempore; quò fiebat, ut efficaciter à subditis reposceret quòd ipse primitus faciebat. F. Joseph à S. Maria tam assi- Ad 24. Decemb. duè atque humiliter in omnibus Religionis muniis obeundis versabatur, ut socius videretur potiùs quàm Prælatus; absque ulla differentia, nisi in praxi virtutum; & ad quamcumque veniret communitatem, sequebatur eamdem, uti loci illius novissimus ioquilinus.

Optimè intelligebant viri illi differentiam, quam Rex Ecclesiæ Christus esse voluit inter officiarios sui regni, sive Prælatos spirituales, & Reges gentium, sæcularesque Magistratus: hi enim *dominantur, & qui majores sunt, potestatem exercent* in subditos, velut in ser- Matth. 20. vers. 25. vos. Spiritualibus autem Prælatis dicit Salvator; *Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus.* Itaque in fratribus corrigendis non est iuduenda regia & dominativa mentis altitudo; sed spiritus servi alicujus, cui demandata sit cura abstergere pedes sordidus domesticorum, eosque nitidos conservare. Quòd si vobis, O Prælati, præsumptuosa quædam opinio de vestra innocentia & probitate, in delinquentium comparatione, fastum suggeret contemptivum eorumdem, deprimetis illum atque ad justam compelletis humilitatem, illâ salutari D. Gregorii in libris Moralium monitione:

monitione: *Dum quosdam non despecta conversationes viros, iracunde vel nimiè defendere terrena conspicimus, debemus hoc in illis per charitatem reprehendere, nec tamen eos reprehendendo desperare, quia plerumque uni eidemque homini & insunt quadam reprehensibilia qua apparent, & magna qua latent. In nobis autem sapè magna in facie prodeunt, & nonnumquam qua reprehendenda sunt occultantur. Hinc ergo humilianda est mentis nostra elatio, quòd & eorum infirma sunt publica, & nostra secreta; & rursum fortia illorum secreta sunt, & in publicò nostra vulgantur. Quos ergo de aperta infirmitate reprehendimus, superest ut de occulta fortitudinis astimatione veneremur: & si de aperta se firmitate nostra mens elevat, occulta sua infirma considerans, sese in humilitate premat. Sapè enim nonnulli multis praceptis obsequuntur, & quadam pauca pratereunt; & nos multa pratermittimus, cum pauca servamus. Necesse est igitur, ut in quibus alios reprehendimus, elationem sollicita nostra cogitationis inclinemus; quia si sublimiorem se caeteris noster animus conspicit, quasi in pracipitio singularitatis ductus, eo pejùs ruit.*

Idem ipse sapientissimus Prælatorum instructor, eos alibi præmonet ex opposito invigilare, ne, sub humilitatis specie, regendi minuatur auctoritas, & rigor torpeat disciplinæ: tradirque artem utraque conjungendi.

D. Gregor. lib. 1. Epist. 24. *Cùm me*, inquit, *ad considerandum confero, qualis in humilitate, qualisque esse Rector debeat in districtione, perpendo quoniam necesse est, ut & bene agentibus sis per humilitatem socius, & contra delinquentium vitia per zelum justitia erectus; quatenùs & bonis in nullo se praeferas; & cùm pravorum culpa exigit, Prioratus sui potestatem agnoscat; ut & honore suspenso, aequalem se subditis bene viventibus deputet, & contra perversorem culpas ex zelo justitia excrescat. Hinc est namque quod Petrus, auctore Deo S. Ecclesia principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente, immoderatiùs venerari recusavit,* Actor. 10. vers. 26. *seque illi similem recognovit, dicens:* Surge, ne feceris: & ego homo sum. *Sed cùm Ananiæ & Saphyra culpam reperit, mox quanta potentià super caeteros excrevisset, ostendit. Hic communionem aequalitatis meruit sanctitas actionis, illic zelus ultionis vim aperuit potestatis. Hinc est quòd Paulus bene agentibus Fratribus Praelatum se esse* 2. Cor. 1. vers. 23. *nesciebat, cùm diceret:* Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri: fide enim statis. *aequales enim vobis sumus, in quo stare cognoscimus. Quasi Praelatum se esse* 2. Thessal. 2. vers. 7. *Fratribus nesciebat, cùm diceret;* Facti sumus parvuli in medio vestrûm. *Et rursùs;* Nos 2. Cor. 4. vers. 5. autem servos vestros per Christum. *Sed cùm culpam, qua corrigi debuisset, invenit, illicò se magistrum esse recoluit, dicens;* Quid vultis; 1. Cor. 4. vers. 21. in virga veniam ad vos: *Summus itaque locus bene regitur, cùm is qui praeest, vitiis potiùs quam fratribus dominatur. Bene acceptam potestatem regit, qui & tenere illam novit, & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa caeteris in aequalitate componi.* Hæc & plura Gregorius.

Observastis aliquando dexteritatem, cum qua solet chirurgus putridum dentem extrahere? Facit sedere patientem, tenusque absconditum extractionis instrumentum, quod posset horrorem incutere, confortat eum benignis sermonibus: Bono sis animo, amice, hunc dentem tibi volo sinè dolore extrahere. Deinde parvum accipiens ferramentum suavi contractu inquirit dentem, eumque carnibus discooperit circumcirca, tandemque ex improviso denti-frangibulum arripit, dentem firmiter apprehendit & extrahit; ecce, inquiens, qualiter extraxi eum absque dolore. Et quàmvis patiens in ipsa doloris vehementia edat aliquem ejulatum, postea tamen benignum illum & habilem chirurgi rigorem mille prosequitur benedictionibus. Moraliter *dens putridus* peccatum est. Quando Prælatus vult illum extrahere de corde Religiosi, non rectè faciet imperiosè apprehendendo illum, cum præcipitato rigoris denti-frangibulo; sed primùm paulatim debet eum cum dexteritate bonis sermonibus discooperire, ut eo modo possit finaliter officium exercere rigoris. Sic Nathan Propheta, extracturus è corde Davidis regis dentem putridum peccati, primùm adinstar chirurgi per parabolam Pastoris discooperuit eum, & foràs trahens dicebat; *Tu es ille Vir.* David unum tantùm edidit clamorem: *Peccavi*; & in unico tractu dens fuit ablatus: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Prov. 25. vers. 19.

2. Reg. 12.

Istud est temperamentum acrimoniæ correptionis, quod Joannes XXII. requirebat ab universis Prælatis Ordinis in generali Capitulo congregandis, ex D. Gregorio scribens: *Disciplina vel misericordia minùs destruitur, si una sinè alia tenentur: propter quod circa subditos inesse debet rectoribus & justè consolans misericordia, & piè saeviens disciplina. Hoc profectò sic à vobis Rectoribus optamus summoperè observari, ut nec in disciplina rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine destructionem disciplinae aliquatenùs deseratis; quatenùs nec à compassione pietatis obdurescatis, dum contumacem corrigitis, nec disciplina rigorem molliatis, cùm vos infirmiorum contingit animos consolari. Regat ergo in vobis rigor disciplina mansuetudinem, & mansuetudo curet servare rigorem, sicque alterum condiatur ex altero, ut nec rigor sit rigidus, nec misericordia dissoluta.* Hoc B. Philippus Aquilanus egregiè practicavit, de quo legimus, quòd erat in redarguendo vehemens, in monendo suavis, in præcipiendo nullius animum exulcerabat, probè considerans quòd Prælatus indiscretus subditum facit inobedientem. Justitiam & misericordiam ita contemperabat, ut delicta non remanerent impunita, neque delinquens exasperatus. Etenim justitia sinè misericordia, severitas est: & misericordia sinè Justitia, incentivum præbet delinquendi. Utrinsque temperata mixtura, est præclarum illud regendi artificium, quod D. Bernardus memorat, dicens: *Sicut boni fidelesque Praepositi, languentium sibi curam animarum creditam; non pompam: cùmque internum murmur cujuspiam illarum querula vocis indicio deprehendunt, etsi in ipsos usque ad convitia & contumelias prorumpentis, medicos se & non dominos agnoscentes, parant confestim adversùs phrenesim anima, non vindictam, sed medicinam.* Hujusmodi

Annal. Tom. 3. an. 1334. num. 29.

Annal. Tom. 6. an. 1456. num. 239.

Serm. 25. in Cant.

modi mansueta rectoris humilitas, vim habet, ea quæ corripit io subditis, eorrigendi.

E contrà verò ab atrogaotium imperiis & monitionibus minimè sequitur morum emendatio; qui potiùs murmur & indignatio, atque obstinata ad prætensiooes eorum resistentia: semper enim dedignatur superbia domari à superbis; & quàmvis ad tempus per fortiorem prematur potentiam, noo tameo extinguitur malus animus; sed latet, omnemque observat occasiooem io effectum denuò prosiliendi quia apprehendit Superiorem ooo ita quærere delictorum eradicationem, quàm potestatis & eminentiæ propriæ ostentatiooem. Atque ita fit, quod Sapiens futurum esse prædixit: *Synagogæ superborum non erit sanitas; frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.* Ecclef. 3. verf. 30.

TEXTVS & §. VI.

Et charitativè corrigant eos.

SVMMARIVM.

Charitas commendatur Prælatis per Joannem in Apocalypsi. *Item per Franciscum. Facilè sequuntur subditi Prælatum præditum mansuetudine dilectionis. Ne in faciendis correctionibus charitatis limites prætergrediatur, comprimere debet iram propriam: differre punitionem, donec deferbuerit turbatio delinquentis. Habeat quoque necesse est rationem personarum & lapsuum: servetque famam rei quoad fieri poterit. Aptum motivum quo possit Superior ad severitatem & ad charitatem excitari.*

PRæclatè laudat Dominus, Angelum sive Episcopum Ephesinum, à zèlo suo atque labore: *Scio opera tua & laborem, & patientiam tuam; & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt Apostolos & non sunt, & invenisti eos mendaces, & patientiam habes & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Eximiæ certè erant perfecti Prælati dotes. Verùm defectus n[illegible]us glotiam imminnebat: *Sed habeo*, inquit, *adversùm te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Noster Litaousiaæc applicans in sensu morali ad Religiosus Superiores, pet charitatem primam reliquisse, defectum intelligit à primævo fervore, in quo fuerat Ordo fundatus. Quis verò est primævus ille fervor in Ordine Franciscano? Primæva charitas, quâ ex intimo corde invicem diligeremus. Hanc autem Seraphicus Institutor specialissimè Rectoribus Ordinis commendavit, in delinquentium correctionibus observandam. Unde Fratri Eliæ Generali suo Vicario scripsit aliquando: *In omnibus, Frater Elia, quæ feceris, plurimùm tibi commendo charitatem & patientiam: multos enim te tolerare oportet ... In lege veteri summus Sacerdos portabat in rationali judicii, quod ex humeris super pectus pendebat, nomina duodecim tribuum Israel, significans in hoc, quod ut Prælatus subditos, quos in humeris portet, necesse est, ut eos gestet in pectore; nam tolerare non poterit, quos amare desierit. Jesus Christus Dominus noster, quando voluit Petro dare Ecclesiam suam, priusquam oves traderet illi, eum de amore examinavit. Vide ergo ne ullus Fratrum peccet; sed si peccaverit, à facie tua non abeat sine misericordia & correctione.*

Apoc. 2. vers. 2.

vers. 4.

Epist. 7.

Exod. 28 vers. 29.

Joan. 21. vers. 15.

Et aliàs scribit eidem: *In hoc solùm cognoscam si tu es servus Dei, si errantem fratrem cum misericordia reducas ad Deum, & si graviter errantem amare non desieris. Et si aliquando timore humano misericordiam petere non audeat, pete ab eo si misericordiam cupit.* Hæc est prima charitas, à Prælatis omnibus retinenda; ne postquam laboraverint multùm in discursibus ad visitationes, zelumque ostenderint quo noo possunt sustinere malos, audire tameo cogantur divinum improperium: *Habeo adversùm te quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Charitatem, inquam, primitus à Francisco tantopere commeodatam, & præscriptam in Regula Visitatoribus, ot *charitatè corrigant* delioquentes, adducendos faciliùs ad Domioum, eo beoignitatis atque dilectionis experimento. Epist. 6.

Totus scopus Sancti Joaonis Baptistæ erat, universum populum attrahere ad Christi Domini devotionem, prædicando antiquitatem originis ejus cum sanguinis nobilitate, atque exaggerando personæ ipsius excellentiam cum vitæ ejus sublimitate, dicens: *Hic erat quem dixi: qui post me venturus est, ante factus est, quia prior me erat.* Item: *ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* His tamen mediis nullius permovit animum ut Dominum sequeretur. Sed quando dicebat: *Ecce Agnus Dei*, tunc *audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.* Quando intellexerunt Christum benignum esse & mansuetum velut Agnum, eum illico sequebantur; quia nulla est in Prælato conditio magis efficax ad obtinendum sequaces & multitudinem colligendam

Joan. 1. vers. 15. vers. 27.

vers. 35. & 36.

ligendam, quàm dulcedo affabilitatis cum subditis atque dilectio. Delibemus aliquid de aureo Chrysostomi flumine, super isto passu Evangelii; *Intuere hoc loco*, inquit, *quod neque cùm dixit*; Post me venturus est qui ante me factus est; *neque cùm*: Non sum dignus solvere ejus corrigiam calceamenti, *quemquam lucratus est*; *verùm cùm in humiliorem sermonem descendere cœpit, nempe*: Ecce Agnum Dei, *tunc secuti sunt discipuli*. Similiter Prælatus, subditos habebit suis monitis obsequentes, eorumque tollet peccata, dum eum velut Agnus Dei viderint, in charitatis mansuetudine corripientem.

De sex alis Seraph. cap. 4.

Quo circa Seraphicus Cardinalis, describens alas Ecclesiastici Seraph, secundam constituit pietatem sive fraternam compassionem, ut sicut eum Charitas Dei ad zelum justitiæ inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam etsi vitiis debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente Propheta: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Et Paulo Apostolo: *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semi-vivi relicti infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis. Ejusdem fuit sententiæ D. Bernardinus, qui Principem, & in Principe Prælatos omnes, instruit in hunc modum: Quantumcumque riguerit foris per justitiæ severitatem, intùs tamen servet compassionis suavitatem: & licèt virgam teneat manu districtionis, in pectore tamen gerat ubera maternæ compassionis. Unde ad talem Principem dicitur: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: & : *Reges eos in virga ferrea.* Quid enim in ferro nisi sustentatio misericordiæ denotatur? Sic interpretatur D. Bernardinus.

Psalm. 22.
1. Cor. 4. vers. 21.
Tom. 2. Serm. 16. art. 1. c. 3.
Psalm. 2. vers. 8.

De Planctu Eccles. lib. 2. cap. 69.

Alvarus Pelagius, qui totus est in persuadenda Superioribus hac temperatura charitatis, inter alia motiva hanc adhibet rationem: Divinum est arguere & castigare quos amas, qui autem arguunt illos quos non amant, persecutores potiùs censendi sunt, quàm patres; quod caveri volens Apostolus, monet Thessalonicenses, ut eum qui verbo suo non obediret, notarent quidem & separarent; sed tamen *nolite*, inquit, *quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Peccatores, homines sunt; cùm auditis peccator; corripite quia peccator est; cùm auditis homo, misereminí, quia ejusdem naturæ & vocationis consors est; nec omnino liberabitis hominem, nisi persecuti fueritis peccatorem. *Corripiet me justus in misericordia.* Si verè justus est, facit quod debet; qui verò sinè misericordia corripit, hoc ipso probat quòd justus non est: justitia enim, quam fingit exercere, sinè misericordia cæcus furor est, talisque zelus cæcus sagittarius, qui cùm deberet peccatum impetere & conficere, peccatum non contingit, sed ipsam animam & vulnerat & occidit. Itaque *audiant Prælati, qui sibi commissis gregibus semper volunt esse formidini. Discite subditorum vos matres esse debere, non dominos. Studete magis amari, quàm metui: & si interdum severitate opus est: paterna sit, non tyrannica. Mansuescite, ponite ferocitatem; suspendite verbera, producite ubera.*

Apoc. 3. vers. 19.
2. Thes. 3. vers. 15.
Psal. 140. vers. 5.
D. Bern. Serm. 23. in Cant.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Varia autem observanda sunt, ne contingat hos Charitatis limites in faciendis correctionibus præteriri. Primùm debet Prælatus iram propriam comprimere, & restringere sub ratione potestatem seu potestatis usum; & si quando mentem concitatam & ferventem sentiat ad feriendum, nil dicat aut faciat, donec redierit ad tranquillitatem. Tempore namque commotionis, quidquid egerimus putabimus justum, quod tamen postea nobis aliter apparebit, excussâ jam nube turbationis. Ideo quidquid agat Superior in punitionibus delinquentium, morosè & discretè agat, ne iracundiæ turbine præcipitetur. Ante omnia curet seipsum regere; quòd si nesciat, malè alios gubernabit. In hoc admirabilem se præbuit F. Petrus Xeresius, qui licèt sæviret in discolos, numquàm visus est passione mutatus, sed æquali semper patientiâ, prudentiâ atque sagacitate. Non admittendam propter peccatum alicujus conturbationé, suprà fusiùs hortati sumus; & quæ ibi dicta sunt, multùm possunt huic proposito deservire.

Martyrol. Francis. ad 2. Mart.
Ad cap. 7. §. 12.

Deinde indispositio Rei ad suscipiendas correptiones, nonnumquam attendi debet, ut suspendantur ad tempus. Quod enim communiter prodesset infirmo, excrescente morbi malignitate oberit, nisi expectetur, donec aliquantulum vis illa remiserit. Videmus aliquando turbatum subditum, seque parantem ad audendum flagitiosum aliquid, si irritetur; tunc cùm demersa sit ratio, dominetur furor, nec sit auditus ad qualcumque monitiones, nullaque ad pœnitentiam dispositio, contrarium erit charitati, stantem in limine præcipitii, novo stimulare impulsu, ad sese in subjectam voraginem procipiendum. Igitur in hujusmodi casu *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Vascula vitrea sunt, quæ si ad purgandum indiscretè tractentur, in purgantis fortiùsque tergentis manibus constringuntur, & fiunt in perpetuum inutilia. Indiscretio illa potissimùm oritur ex præcipitantia puniendi. Ea propter B. Joannes Bonvisius rogatus à quodam Superiore, ut boni Prælati partes explicaret, & regulas bene regendi præscriberet, inter alia documenta hoc posuit: *Subditum numquam corripiat, in mærore, aut tribulatione constitutum; differat correctionem donec nubilum evanescat, & resipiscat. Præceptis refragantem non tentet statim flectere, det tempus mutandi consilium.* Alioqui natum est fieri, ut propter præcipitantiam Superioris, præcipitanter etiam subditus pravam aliquam arripiat resolutionem; quam semel acceptam, velit postea pertinaciter retinere. Itaque *non incendas carbones peccatorum arguens eos; & ne incendaris flammâ ignis peccatorum illorum*; illâ siquidem indiscretione accendes contra te ignem odiorum & amarulentiæ. Hæc mala prævenire poterit pia charitas, si zelum regere permittatur. Omnia tuta sunt, & intentum consequetur Prælatus effectum pœnitentiæ, si zelum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia; ut sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Quo verò ferventior est zelus, eò vigilantiori opus est scientiâ atque discretione, ut temperetur per charitatem, & ordinetur.

Colos. 3. vers. 21.
Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 47.
Eccles. 8. vers. 13.

Præterea dictat Charitas, habendam esse ratiouem personatum, quæ suut corripiendæ. Junioribus necessatium est frænum timuris, nec adcò magua injustitia est unetare nondum icos facti, qui fomitem in se setunt insulentiæ brevi erupturæ, nisi præveniatur & contun-
1. Tim. 5. vers. 1. datur. De senioribus regula est: *Seniorem ne increpaveris; sed objecra ut patrem.* Rectores statum immediati, numquam publicè corripiuntur sinè imminutione auctoritatis, & reverentiæ subditis debitæ; quæ tamen semper est ad regimen necessatia, sicut nervus in humanu curpore: quem si abscideris, aut coutractum reddideris, jam etit membrum factum inutile, totique corpori onerusum. Vidi quaudoque pastutes ovium, qui arietem gtegis ducem, paulò tardiutem, non verberibus & calcibus propellebant, sed pauis frustulo, ut pergeret, allieiebant. Vix umquam probrosæ Rectorum correptiones, vel ipsis, vel subditis prosunt, si debeant in regimine coutinuari. Item primis lapsibus & personis raro labentibus, mitiur debetur tractatio, quàm effrontibus, relapsis & obturatis. Ferrum multâ indiget ingeniique fabrorum malleatione, ac prævio procuditur igne; molli verò manu permittit se cera ductilis effurmari. Similiter censendum est de diversurum conditionibus ingeniurum.

Monet etiam Chatitas, ut si secreta sit culpa, nec in detrimentum vergat cæterorum, licèt secreta servetur, secretò adhibeudam esse correctionem, ut illæsa fama permaneat. Conservatiu famæ, nondum coruptæ, validum est frænum à malis; sicut è contrà eâ extinctâ liberior concipitur impudentia ad turpitudinem quamlibet admittendam: idcircu obligat charitas, ut fama criminosurum, non tantùm propter eorum bonum temporale, sed etiam propter æteroam salorem, quoad fieri poterit, conservetur. Ipse Christus, Prælatorum Magister, volens de quibusdam defectibus corrigere Samaritanam, noloit sub ea
Joan. 4. vers. 8. actione præseutes esse Apustolos: *Discipuli enim abierant in civitatem* Super quæ verba commé-
Tom. 4. tr. 20. tans doctissimus Salmerun, ait: *Quia Christus Dominus Samaritanæ peccata objecturus erat, jussit Discipulos recedere, ut pudori solitudine consultum esset, & ut liberiùs posset ejus flagitia detegere: ac ut nos inde discamus, proximum secretè primùm atque salubriter corrigere.* Et ideò, Direct. Serm. 4. puncto 1.
inquit R. P. Momigoo, multùm errant illi Prælati, qui visitatiooem pateroalem in præsentia testium faciunt, vel cum assistentia Secretarii vel alteri personæ ostendunt scripta visitationis. Unde noo possunt nasci nisi rixæ, malevolentiæ, odia, discordiæ & persecutiones: & contiogit aliquando, quòd Superior per visitationem bellum ponat, ubi pax iuveniebatnt. Latiùs videri potest apud Ema- Tom. 2. qq. regul. q. 51. art. 9.
nuelem Rudtiquez, quantâ circumspectione sit fama subditi coofervanda.

Denique ut inter severitatem & pietatem justum æquilibrium teneatur; juvabit pro servanda disciplinæ districtione, si cogitet Prælatus, quàm atrocia serveutur supplicia peccatis in hoc sæculo minimè castigatis; & justam insuper Dumiui sententiam: *quia dimisisti vi-* 3. Reg. 20. vers. 42.
rum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus. Juvabit autem ad pietatem, si cogitet, quàm sensibilis foret sibi-metipsi ea confusio, & pœna, quam infligit alteri, si esset ipse in statu repositus obedientiæ, & pro delictis, quorum sibi conscius est, eamdem severus aliquis censor imponeret castigatiunem. Dum autem in hoc sæculo ob status eminentiam non infligitur, ad alterum reservatur; ubi fratres simplices, hîc humiliati, divinam evadent severitatem, & pro miti sua patientia cordialique compunctiune altiùs præmiabuntur. Tali seusu dixit aliquandu Salvator Principibus Sacerdotum & Seniuribus populi: *A-* Matth. 21. vers. 31.
men dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Vos, inqoam, superbieutes, & sancta præsumentes de vobis-ipsis, eritis longè meritis inferiores, quàm notorii peccatores, quos humilis compunctio facit Deu proximures. Cùm igitur eos humiliatos diligat Deus, similiter eos Superiur tantâ diligat sinceritate, ut ipsius charitate velut igne ad resipiscentiam penitùs emulliantur. Sic aliquando visum est fieri in Clerico quodam, qui à S. Joaune Eleëmusynario ob sua scelera excommunicatus, perfractè suam impœnitentiam ostendebat. Hunc couvênit sanctus Ad 23. Janua. n. 12.
Archi-Episcopus, atque ad pedes ejus prustratur, veniam petiit, si eum fursitan offeudisset. Ad tandam humilitatem & charitatem, territus peccator, & commotus, resipuit, & vitæ melioris aggressus est institutum.

TEX-

PARAGRAPHUS. VII.

Qualiter se habebunt Subditi in Correctionibus.

SUMMARIUM.

Officia subditi cira corripientem Superiorem, eliciuntur ex sententia quadam, quam scribit Apostolus ad Thessalonicenses. Alia quinque à Fratribus observanda, post Visitationes sive capitula circa inquietos, pusillanimes, infirmos sive turbatos, incorrigibiles &c. Quantùm ædificent, qui bono animo castigationes suscipiunt, & adimplent pœnitentias.

Prov. 15. vers. 12. HIc est unus è pessimis humanæ superbiæ fructibus quòd *non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* Cùm enim sagacitas corripientis scandalosa ejus facta trahat ad lucem, & terrore injecto cursum retardet corruptelæ latiùs manaturæ, omnesque retrahat ab amicitia & consiliis istius hominis pestilentis; consectaneum est, ut non amet corripientem, neque libens ad ejus sapientiæ monita gradiatur. Coi malo remedi- 1. Thess. 5. vers. 12. um appositurus Apostolus: *Rogamus vos Fratres*, inquit, *ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantiùs in charitate, propter opus eorum; habete pacem cum eis.* Ubi brevi verborum compendio copiosam paravit medicinam subditis, qoi imprudenter contra suos exulcerantur Superiores.

Primò quidem; *noveritis eos*, inquit; agnoscatis potestatem, qoàm habent à Domino, tuendi pietatem, & malitiam insectandi: nec solùm potestatem, verùm & mandatum eam penitùs extirpandi; multò strictius eo, quod datum erat Sauli, oniversum Amalec de- 1. Reg. 15. moliendi. Dum hoc saragont adimplere, quis eis justè valeat indignari? Si crudeles vobis videntur, scitote quia crudelem medicum facit æger intemperans. *Qui laborant inter vos*, non modò assiduâ sollicitudine atque vigilantiâ; sed & Ipsâ corrigendi difficultate, dum contra suam suavem inclinationem omnibus beoefaciendi, coguntur infligere tristitia; quibus vehementiùs affliguntur aliquando, quàm ipsi pœnitentiati: præsertim dum vos animadvertunt non adeò humiliter & patienter, quod justum est suscipere, nec ad veram dispositos emendationem. Unde duplex in eis consurgit tristitia, primùm quidem à peccatis vestris, negligentiis, divinique officii detrimentis: deinde ab afflictione, à quo non potuerunt vos salvâ justitiâ & conscientiâ liberare. Crux illa tam gravis fuit sanctissimo Patri nostro, ut quàmvis dolores corporis aliasque afflictiones in finem usq; potuerit tolerare, hanc tamen tamquam intolerabilem sibi, coactus fuerit deponere, unà cum officio Generalatûs. *Et præsunt vobis in Domino & monent vos.* Magnum divinæ clementiæ beneficium erat olim, quod populo suo Prophetas mitteret, qui ei præessent atque monerent, & eventura mala peccatoribus minitarentur. Quibus monitoribus correctoribusque subtractis signum erat divinæ derelictionis & dissipationis instantis, sicut legimus in Sapiente: *Cùm Propheta defecerit, dissipabitur populus.* Prov. 29. vers. 18. Et Isaïas rebelli populo pro gravissimo judicio comminatur, quoniam Dominus *claudet oculos vestros, Prophetas & principes vestros, qui vident visiones, operiet!* Isaiæ 29. vers. 10. Officium illud Propheticum deinceps Superioribus datum est, ut similiter ipsi præsint nobis in Domino, & moneant nos. Quia verò nil aliod optat inIquitas, quàm ut liberè cursum suum prosequi permittatur, nemine reclamante, obmutmutant aliqui beneficio correptionis; similes iniquo Achab, qui cùm gravi castigaretor sterilitate, accurrenti sibi Eliæ Prophetæ dixit indignabundè: *Tune es ille qui conturbas Israël?* 3. Reg. 18. vers. 17. Sic illi querulantur contra Superiores, velut fratrum & Religionis turbatores. Sed respondendum est eis quod sanctus Propheta isti regessit peccatori: *Non ego turbavi Israël sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini.* vers. 18. Non igitùr Prælatum suo fungentem officio turbulentiæ insimulemus, sed agnoscamus benevolentiam monentis, & excitantis, ut tempestivè à periculosa recedamus securitate: qui si & ictum unum impingat, idem agit quod Angelus, qui *percusso latere Petri excitavit eum, dicens; Surge velociter*, & exi de carcere. Actor. 12 vers. 7. Contra talem Angelum fremere, quis non judicaverit prodigiosum;

Rectè itaqoe pergit Apostolus monere: *Ut habeatis illos abundantiùs in charitate, propter opus illorum.* In ipso correptionis instanti id satis difficile videtur, dum remurmurat impatientia, eamque depingit velut injuriam; eò quòd sibi non bene examinatum factum, aut ultra meritum aggravata sententia vel inflicta ex odio videatur. *Cùm vera vox*, inquit Gregorius, *pravorum se auribus admovet, memoriam culpa mordet, & in redargutione vitiorum*, Moral. lib. 10. c. 3.

quò intùs cognitione mens tangitur, foris ad studium contradictionis excitatur. Ferre vocem non valet, quia tacta in vulnere sui reatûs dolet, & per hoc quod generaliter contra perversos dicitur, se impeti specialiter suspicatur. Quod enim intùs egisse se meminit, audire foris erubescit; unde mox se ad defensionem præparat, ut reatûs sui verecundiam per verba prava refutationis tegat. Sicut enim recti de quibusdam quæ ab eis non rectè gesta sunt, correptionis vocem, ministerium charitatis æstimant; sic perversi contumeliam derisionis putant. Illi se protinùs ad obedientiam sternunt, isti ad insaniam suæ defensionis eriguntur. Illi correptionis adjutorium, vitæ suæ patrocinium deputant, per quod dum præsentis vitæ culpa corripitur, venturi judicis ira temperatur; isti cùm se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussionis credunt: quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, præsentis gloriæ opinio fœdatur. Hinc per Salomonem dicit
Prov. 9. vers. 9. *Veritas*: Doce justum & festinabit accipere. Ita lenitet, qui sedato animo attendet correptionis utilitatem, & facilior ei reddetur ad corripientem dilectio.

Sequitur: *Pacem habete cum eis.* Per quod illi conveniuntur, qui statim interponunt appellationes à sententia, lites intentant, suamque probare volunt innocentiam, aut ostendere non sufficienter suam probatam fuisse iniquitatem; cujus tametsi reos esse conscientia clamet, contendunt tamen se juxta juris apices non satis esse convictos. His dicitur in Ecclesiastico:
Eccles. 8. vers. 17. *Non judices contra judicem, quoniam secundùm quod justum est judicat*, licèt aliter tibi sententiato videatur. *Qui contendit cum paribus*, inquit B. Climacus,
Gradu 4. *fortè poterit sanari per reprehensionem majorum. Si autem litigat cum Superioribus, insanabilis est apud homines; qui enim non est subditus verbo, manifestum est quòd non erit subditus operi: & qui infidelis est in minimo, erit etiam in maximo.*
Chron. p. 3. lib. 8. cap. 42. Utinam spiritum haberent F. Polydori, qui ex Senatore Romano factus Frater laicus, cùm fuisset culinæ officiis mancipatus, & ut eorum omninò ignarus, plures committens errores, satis frequenter & graviter corripiebatur & puniebatur; cum tanta tamen animi pace, ut singularem in pœnitentiis istis præ se ferret lætitiam: tantùm aberat ab appellationibus, aut rixis cum reprehendentibus, vel innocentiæ allegatione. Sic ille qui alios cum terrore judicaverat, amore cœlestis Judicis, ab iniquis judicari & condemnati, permittebat se à vili & ignaro fraterculo judicari & castigari. Beatus etiam
Annal. Tom. 6. an. 1456. num. 224. Gabriel Anconitanus, cùm Guardianum agens, aliquid sui officii ignoranter omisisset, B. Jacobus à Marchia, Provinciæ Vicarius, præcepit ut publicè coram fratribus in capitulo pœnam subiret. Hilari vultu mandatum excepit, hilariori peregit, & donariolum remisit pretium injunctæ pœnitentiæ. Ab horum humilitate atque modestia multùm absunt subditi, quos superiùs perstrinximus; itemque alii, qui *cùm correpta in se mala*, inquit Gregorius,
Lib. 20. Moral. c. 3. *defendere nequeunt, ex verecundia pejores fiunt, ac sic in sua defensione superbiunt, ut quadam vitia contra vitam corripientis exquirant; & eò se criminosos non æstimant, si crimina & aliis imponant; Qui cùm vera invenire nequeunt, fingunt; ut ipsi quoque habeant quòd non impari justitiâ increpare videantur.*

Porrò quia post datas correptiones sæpenumero Fratres alii præbent alicujus impatientiæ occasionem, aut jam per se impatientes, non student ad rectam mentem revocare; hos etiam Apostolus instruit, ut ad procurandum finem correctionum Superioribus cooperentur. Ait ergo.

Rogamus autem vos Fratres Corripite inquietos, eos scilicet qui severiori acceptâ sententiâ, non tam insurgunt in Judicem, quàm in hos vel illos, quos suspicantur accusatores, vel testes suorum fuisse defectuum. Horum curiosa inquisitio atque scrutinium, prætérquam quòd frequenter impingat in innocentes, magnam quoque causat iniquitatem in communitate. Cùmque hæc accidant post Ministri discessum, Fratrum est illos corripere inquietos, & cordium eorum sedare turbationem. Hoc fuerit opus misericordiæ, eos ad Deum adducere, hujus confusionis & castigationis auctorem; quoniam scriptum est: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Eccles. 11. vers. 14. Et: *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* Amos 3. vers. 7. Quis verò audeat ei dicere, cur ita fecerit?

Consolamini pusillanimes, qui supra modum dejiciuntur, putantque ea pœnitentia temporali remansuram perpetuam confusionem. Crux illa remanens, molestior est eâ quam subierunt pœnitentiâ; soletque malignus spiritus, tribus illis cogitationibus, in graviora mala miseros præcipitare. *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutem, & flectit cervicem tristitia cordis.* Eccles. 38. vers. 19. Sepelit virtutem omnem, ne valeat exerceri, & dejicit caput atque cervicem, ne sursùm erigatur ad Dominum: *Mœror in corde viri humiliabit eum, & sermone bono lætificabitur.* Prov. 12. vers. 25. Hunc sermonem bonum debemus Fratribus nostris, ut postquam Superior vulneribus eorum vinum infuderit, nos oleum infundamus. Dulci congressu, signisque non fictis veræ compassionis, tollenda est à contristatis illis falsa persuasio permanentis confusionis. Foret autem maximè perniciosum afflictis insultare irridendo, novamque superaddendo afflictionem. Si prohibuerit Deus: *cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam,* Prov. 24. vers. 17. & fortè transferat ad insultantem; quantò magìs ei displicebit, si frater & amicus in amici gaudeat miseriis, easque vertat in fabulam & subsannationem? Gemet in cordis sui amaritudine, & gemitum illius audiet Dominus, & reddet ultionem retributionis.

Suscipite infirmos. Magna sanè infirmitas esset illorum, qui levi affecti reprehensione & pœnitentiâ, eam suâ æstimatione ita gravem facerent & intolerabilem, ut dicere auderent: hoc ego non possum facere. Rem exiguam, quam alios nihili faceret, tenellus iste, molestiis non assuetus, & per superbiam factus infirmior, frequenter revolvit animo, ac importabile onus æstimat. Dum horum aliquis

apud

apud nos cum confidentia suas deposuerit querimonias, suscipiamus infirmum in visceribus compassionis, & ad tolerantiam totis nervis ingenii confortemus; rationibus adductis sive à Scripturis sanctis, sive à Beatorum exemplis, sive ab ipsis facti & afflictionis praesentis circumstantiis. Eo modo fiat pectus nostrum sincerum refugium afflictorum, sustentaculum debilium, umbraculum ab aestu, directio aberrantium, tutela fratrum contra diabolicas tentationes. Istud est officium illius Angeli, qui Christo posito in agonia, de caelo apparuit confortans eum. Itemque alterius, qui *descendit cum Azaria & sociis ejus in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.*

Luc. 22. vers. 43.

Dan. 3. vers. 49.

Satanicum autem ministerium exercerent, qui non modò non consolidarent infirmum & impatientem; quin potiùs ex adverso malignis consiliis atque susurris ad furores majores accenderent, castigantis superioris aggravando rigorem, dicta in pejus interpretando, promittendo adjutorium ad reddendam ultionem; dicendo se admirari tam excessivam in tanta injuria patientiam, factum judicis ab omnibus improbari, & alios plerosque de similibus conqueri indiscretionibus. Utinam tales in nullis Religionibus inveniantur! Si qui verò sint, isti ad animarum jacturam insidiantes suis consiliis pessimis atque susurriis, in eam intromittunt Diabolum, & miseros irremediabili subjiciunt torturae, dum speciem prae se ferre videntur amicabilis adjutorii. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris*, ad animam ipsam, ex qua postea non nisi difficillimè ejiciuntur. Eorum consilia erunt simili repellanda fervore, quo olim S. David suggestionem Abisai repulit, qui eum castimulabat, ut de maledicentia Semei sumi permitteret ultionem. *Quid mihi*, inquiebat pius Rex, *& vobis filii Sarviae? Cur efficimini mihi hodie in satan?* Amici videbantur; non alio tamen loco quàm satan habebantur, quia suggerebant amarulenta.

Prov. 26. vers. 22.

2. Reg. 19. vers. 22.

Denique concludit Apostolus: *Patientes estote ad omnes.* Cùm in communitatibus omnibus inveniantur onerosi aliqui, quibus est jugiter invigilandum: ingrati aliqui, qui non agnoscant sibi exhibitam charitatem; aliqui defectu sapientiae non adeò capaces rationum atque monitionum; item morosi, quibus impossibile sit per omnia satisfacere: desidea etiam, qui onera omnia in humeros rejiciant aliorum; *patientes estote ad omnes*; praesertim dum post visitationes Ministrorum atque correctiones adhibitas, in eodem permanserint statu. Fecerunt Ministri quod potuerunt, & quod ab illis jure perebatis; herbam adhibuerunt monitionum & malagma punitionum; sed haec non sanarunt infirmum, sermone Domini nondum interiùs insonante. Quid restat, nisi ut patiamur eos, & expectemus in patientia, donec germinet semen injectum in cor ipsorum, & fructum ferat in tempore suo? Quis scit si non proferet germen bonum, dum illud calore charitativae confoverimus longanimitatis? Demus verò eos desperatae esse obstinationis, secundùm externam faciem, & incorrigibiles; si meminerimus nos in peccatis nostris tamdiu toleratos, non à Deo solùm, sed ab ipsis etiam hominibus, erubescere nos oportebit, si non eandem reddemus aliis supportationem. Sed neque illi qui se sanos reputant, nullisque plagis obnoxios, ab illa se possunt eximere condescendendi infirmioribus obligatione, Apostolo dicente: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Si verè tam integri estis quàm vosmetipsos existimatis; unde hoc vobis? Non utique ex vobis, sed ex Deo, qui non permisit ut essetis tales sicut caeteri imperfectiores. Hos itaque sustinete, donec consolidentur Deo respiciente, & de stercore pauperes elevante.

Rom. 15. vers. 1.

Videatur S. Prosper De Vita cont. lib. 2. cap. 5.

Ex altera parte summè laudabile erit, si quilibet de communitate religiosa se talem studeat exhibere, ut nihil in ipso reperiatur, quod ab aliis oporteat supportari. Et cùm in defectum aliquem labi humanâ fragilitate contigerit, humili spiritu se reum agnoscat, alacri mente sententiam in se prolatam adimpleat, & totum se ad vitae correctionem impendat, juxta data sibi à Deo, per manum Superioris, consilia, atque monitiones. Tunc qui fuit odor mortis in mortem, fiet odor vitae, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae & thuris. Et sicut ast in caeli gaudium super uno peccatore poenitentiam agente, sic erit gaudium in sancta congregatione; quod S. Bernardus perpendens, congratulatoriè dicit: *Vides à quantis malis se & nos liberas, qui correptus mansuetè respondet, verecundè acquiescit, modestè obtemperat, humiliter confitetur? Hunc ego animam in omnibus me profitear debitorem: huic me ministrum & servum, tamquam dignissima Domini mei Sponsa & quae revera dicere possit:* Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum, grata suavitate respergat.*

Serm. 42. in Cantic.

Cant. 1. vers. 11.

TEXTVS & §. VIII.

Non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam.

SVMMARIVM.

Plurimùm interest boni communis rectè præcipi à Rectoribus. Hos contra suam animam præcipere aliquando contingit. 1. *Ex Infidelitate.* 2. *Ex Superbia.* 3. *Ex Iracundia.* 4. *Ex Invidia.* 5. *Ex Avaritia.* 6. *Ex consiliis pravis adulatorum, Superioribus assistentium.*

INter eos qui fuerunt auxilio Davidi ad stabiliendum regnum ejus, referuntur in historia facta fuisse *de filiis Issachar, viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israël, Principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur.* (1. Paralip. 12. vers. 32.) Plurimum sanè momenti habet ad politici corporis stabilem constitutionem, rectè præcipientium copia: legumque præscripta solidum ei conferunt firmamentum. Ea propter, Seraphicus noster Institutor, regnum cupiens perfectionis Evangelicæ in suæ Religionis congregatione firmari, viros requisivit eruditos, qui singulas nossent circumstantias, ad præcipiendum quid facere deberent subditi, quorumque consilia sequerentur. Ideo Prælatos huic muneri deputatos, commonet præsenti textu, *non præcipere subditis aliquid, quod sit contra animam suam.* Latissimam fecit eorum potestatem; sed in ædificationem, non in destructionem. In hoc solo restrictam voluit quo Deus ipse restrinxit, ut nil præcipiant quod sit contra propriam animam (de quo nunc agimus) vel animas subditorum, de quibus acturi sumus inferiùs Textu & §. 14.

Sex prodigiosæ insaniæ abduxerunt in transversum incautos Principes sæculares, ut in Dei jura involarent, ad suarum perniciem animarum. Ut ab eis sibi cavere possint Religiosi Superiores, consultum fuerit easdem hic breviter recensere.

Primò, Tyrannos antiquos ethnicos, & hæreticos recentiores, acerrimos fecit Infidelitas, & pertinacitas contra Veritatem, ut sacrilega juberent & impia; nec non imperata suppliciis ac persecutionibus stabilirent. Hæc quidem facinora minime locum habent in Prælatis Religiosorum: minota tamen proponere possent, spiritus infernales, & ea quandoque sine damnationis suspicione contingeret acceptari. posset, eis in rebus agibilibus error obrepere, qui postea vel inquisitione propriâ, vel aliorum perspicaciâ detegeretur. Cavendum eo casu, ne pertinaces sint adversùs sententias meliores & ne prævalente eis pudore credendi aliis, gradu minoribus, dictum suum vel decretum iniquum obstinatiùs tueantur, & quod evincere nequeunt evidentiâ rationum, clamosâ velint perstringere auctoritate. Species est impietatis, suâ pertinaciâ circa turbas communitatis: Vir *impius*, ait Sapiens, *procaciter obfirmat vultum suum*, (Prov. 21. vers. 29.) dum non solùm alienis convictus rationibus; sed propriæ quoque judicio conscientiæ se cognoscit errare, ac nihilominùs actus inhabitante superbiæ spiritu, infractè in præconceptis persistit mandatis. Haud parum subditi perturbantur, dum non libenter repugnant armato potestate Superiori, nec ex adverso possunt justitiam, & cognitam deserere veritatem.

Secundò, Alios elevavit horribilis Superbia, quâ tamquam Dii haberi voluêre, quorum jussis cedere deberent omnia divina & humana. Talis erat Nabuchodonozor, & alii, qui conati sunt subditos ad sui cogere adorationem. Quàm male arrogantes ejusmodi suam tueantur auctoritatem, D. Gregorius explicat, dicens: *Sæpè qui in potestate sunt, ea quæ rectè faciunt, quia elatè cogitant, amittunt, dumque se ad cuncta utiles æstimant, etiam impensa utilitatis sibi meritum damnant. Ut enim cujuslibet facta digniora sint, necesse est, ut ei apud se semper indigna videantur, ne eadem bona actio cor agentis sublevet, & sublevando plus auctorem de elatione dejiciat, quàm ipsos fortè quibus impenditur, juvat. Hinc est enim quòd Rex Babylonia dum elatâ mente apud se volveret, Nonnè hæc est Babylon quam ego ædificavi? in irrationale animal protinùs versus est. quod enim factus fuerat, perdidit, quia humiliter noluit dissimulare quod fecit. Et quia elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis, amisit.* (Lib. 5. moral. cap. 8.) Ita ut qui auctoritatem, ut Rex antè habuerat, nec auctoritatem ut homo retinere posset. *Potestas* itaque (pergit Gregorius) *cùm habetur & cogitanda est ad utilitatem, & dissimulanda propter tumorem; quatenus is qui eâ utitur, & ut prodesse debeat, posse se sciat: & ut extolli non debeat, posse se nesciat.*

Hoc monitum recondendum est in animo alterius cujuscumque Superioris, ne superbia similis inspiret ei non animum patris induere, sed alicujus fastuosi regis, qui velit licitum esse quidquid dictaverit; sive conforme sit Dei legibus, receptisque dudum sanctis consuetudinibus, sive difforme. Nec verbum aliquod

aliquod excuſatorium patitur, nec dilationem ad momentum temporis, neque deprecationem; ſed perrumpit omnia, atque conculcat, quaſi ſupremâ prorſùſque independenti polleat auctoritate. Talibus dicitur per Prophetam:
Amos 6. verſ. 12. *Convertiſtis in amaritudinem juſtitiam, & fructum juſtitiæ in abſynthium: qui lætamini in nihilo: qui dicitis: numquid in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua?* Non modò contemptibilis, verùm & odioſiſſima eſt ſuperciliosa illa auctoritatis oſtentatio: & Deus, qui ſuperbis reſiſtit, juſto permittit judicio, ut aliquis ſubditorum imperterritâ reſiſtentiâ confundat faſtum Imperantis. Quod licèt à ſubdito perperam fiat, à Deo tamen permittitur illius abſurditatem hujus abſurditatibus caſtigari: cùm enim ſuo faſtu ille contemnat Deum, viciſſim contemnit illum Deus, ne protegat eum à flagellis contradictionibuſque linguarum. Eâ judicii ſeveritate ſceleratus Jeroboam in elatum Roboam inſurgere permittebatur.

Tertiò, Principes alios præcipitavit Iracundia furioſa, quâ prædominante ſunt ſubditis uſi ad crudeles vindictas, eorumque quos oderant oppreſſiones: ut Saul ad Davidis occi-
Textu & §. 6. ſionem. Superiùs monuimus attendendum eſſe Prælatis, ne in correptionem prodeant ſubditorum, dum mentem ſuam ſentiunt iracundiâ concitatam: nunc idem dicendum de præcipiendo vel prohibendo, ne videlicet mandata ebulliant ſub indignationis fervore: timendum ſiquidem eſt, ne prodeant ex cupiditate illum in quem iracundiâ concitatus eſt contriſtandi aut gravandi præ cæteris: item ne ſcandalum erumpat ex minarum acerbitate, modiſque præcipiendi contemptivis & provocativis; unde appareat præcipientem eſſe malo Saulis ſpiritu concitatum.

Matth. 2. Quarto, invidiæ dolor, præcipua inſania
verſ. 16. eſt, quæ urſit Herodem, ut mittens occideret omnes pueros qui erant in Bethlehem, & omnibus finibus ejus, novo Rege Chriſto in lucem edito: & quæ etiam nunc Regibus perſuadet Chriſtianis, ut arment ſua regna in vicinorum oppreſſionem, ne ſibi fortè quid detrimenti ab eorum potentiâ valeat evenire; vel ut integros contra eos immittant exercitus, ſolâ acti vicinæ gloriæ invidentiâ. Iſta crudelitas herodianæ invidiæ, quàm longiſſimè à ſacris Religionibus arceatur. Oritur aliquando in eis novum Chriſti regnum, nova quædam exurgit reformatio: & inde futurum eſt, ut ferventioribus Religioſis ad ejuſmodi reformationis congregationem tranſeuntibus, ſubditorum numerus prioribus Superioribus minuatur: itemque rectores meliores ex eadem poſtulentur reformatione. Hinc excitari poſſet in aliquibus zelus amarus, novam hanc & innocentem ſobolem extinguendi, omneſque ſuæ factionis aſſeclas excitandi, ne ſuum regnum dividi ſinant, & tradi genti facienti bonos fructus ejus, Deoque reddendi. Viſæ ſunt aliquando, prô dolor! tempeſtates ejuſmodi ſcandaloſæ, à ſpiritu conſimili ſuſcitatæ. Si quæ in poſterum ſimiles occurrerent occaſiones, illi qui tunc præerunt, profundè indagent & diſpiciant, probentque ſpiritus commoventes, ſi ex Deo ſint, & num eorum molitiones non tendant ad extinctionem virtutis, quam non amant, vel nondum ſunt aſſecuti; in qua vident dolentque ſe ab iis recentioribus ſuperari: caveantque ſollicitè ne quid aut præcipiant, aut prohibeant contra animam, quod poſſit eis in judicio Dei à Seraphico Franciſco vel aliis Fundatoribus exprobrari. Offerent ſe forſitan ardeliones, urgentes ad arma ſumenda, in exurgentis regni reſiſtentiam; quemadmodum olim Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo; verùm in melius ſalubriuſque conſilium ſint eximii aliqui noſtri Ordinis Primiceri, qui per nullos tumultuarios perſuaderi potuère, ut ſuâ abuterentur poteſtate, in malum exurgentium reformationum, & melioris obſervantiæ regularis. Illi fuerunt F. Raymun- Annal.
dus Gaufredi, F. Thomas Frignanus, F. Leo- Tom. 4.
nardus Giffonenſis, F. Henricus Alferus, F. an. 1368.
Angelus à Piteto, F. Franciſcus Samſon, aliique permulti.

Quintò, Regem Achab, & alios plures A- 3. Reg. 21.
varitia dementavit, ut ſibi falſos teſtes adſciſcerent, ad bona ſubditorum in fiſcum proprium derivanda. *Hæc eſt amphora egrediens*, Zachar. 5.
quam vidit Propheta Zacharias, *& dixit: Hæc* verſ. 6.
eſt oculus eorum in univerſa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os ejus..... Et ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milvi: & levaverunt amphoram inter terram & cælum. Super qua Prophetica viſione, talem S. Antonius Paduanus ſcribit interpretationem: *Per Amphoram intelligitur Avaritia, cu-* Serm. Do-
jus os non clauditur, ſed ſemper apertum eſt in min. 23.
ambitu temporalium. Hæc eſt oculus in univer- Penthec.
ſa terra, *quia omnes ſciunt Avaritiam, & ad eam oculos habent. Comes avaritiæ eſt* maſſa plumbea, *ſive globus in ore, ſcilicet æterna pœna, quæ nec ejici poteſt, nec tranſglutiri.* Duæ mulieres, *ſunt rapina & furtum. Rapina attenditur in altis perſonis: furtum in minoribus. Hæ dicuntur habere* alas milvi, *qui rapinæ intendit.* Milvus *dicitur quaſi* mollis avis, *eſtque viribus & volatu rapaciſſimus, & domeſticis avibus inſidiatur: ideoque rapacem elatum ſignificat. Iſta amphora* levatur inter cœlum & terram, *quia avarus neque cum Angelis in cælo, neque in terra cum hominibus; ſed in aëre, cum Juda proditore, atque dæmonibus ſibi locum elegit. Hæ mulieres dimittunt avarum, donec conſtituant eum* in terra; Sennaar *id eſt in loco fœtoris, ſive in inferno* Sennaar *enim* fœtor *interpretatur.* Huçuſque D. Antonius.

Hæ mulieres multos apprehendunt hujus
ſæculi Principes, & qui *æſtimaverunt luſum* Sap. 15.
eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ com- verſ. 12.
poſitam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere. Per miniſtros ſuos, tamquam milvorum alas, quaquaverſum ad prædam evolant. Vaſallos ſuos, baillivos, milites, & officiales ſuos fideoriores, in omnem terram emittunt, ut undique ſatagant apportare. Sic præcipiunt miſeri contra animam ſuam, ut ab omnibus eorum avaritiæ ſerviatur. Mandant eis per verba ſenis Iſaac; ſed diſſimili ſpiritu:
Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere Gen. 27.
forâs; verſ. 3.

foràs: cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, & thesauros, sicut velle me nosti, & affer, ut benedicat tibi anima mea. Oramus Deum omnipotentem, ut similis concupiscentiæ pestis, numquam irrumpat in electam Domini hæreditatem; in sanctos, inquam, Ordines Religiosorum: ne Superiores, quibus concredita est Evangelicæ observantia Paupertatis præcipiant contra animam suam, ultra necessitatis mensuram, cum continua subditorum inquietudine, cum functionum religiosarum atque divini officii detrimento, eleëmosynas sine modo, mensurâ & numero comportare. De conquisitione necessariorum non est quæstio, neque scrupulus faciendus; Cap. 4. Regula. imò sollicita cura pro illis, Superioribus demandatur; sed:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque, nequit consistere rectum.

Res foret deploranda, Prælatos constitutos in animarum pastores, in œconomos converti, patresfamilias & procuratores solorum temporalium, suisque domesticis uti non ut Dei servis ad cultum ejus solemniorem (nisi forsitan accessoriè) sed principaliter ut mancipiis, ad augendam rem familiarem. Nolo tamen Prælatos in hoc censuræ suorum subjicere subditorum; sed propriæ eos remittimus conscientiæ, suorumque judicio Superiorum.

Sextò, Denique corruptela regiminis est, à consiliis pravis circumstantium Principem adulatorum, Hi postquam hypocriticis complacentiis ejus gratiam occupârint, se præsumunt ingerere ad suggerendum sua sensa, in omnibus spectantibus ad gubernationem; cùm tamen sint in negotiis regiminis inexperti. Hinc suscitatur odium populi in familiares istos, qui nonnisi quæ sua sunt animadvertuntur quærere: & despectus in Principem ipsum, quem nonnisi pro statuâ habent, & nullius auctoritatis, eò quòd collatam in se gubernaculi potestatem; præter mentem Regni Procerum in vilem hominem transtulerit, aut pravum, aut inexpertum. De talium hypocritarum auctoritate, non aliter homines opinantur; quàm de locustis illis execrabilibus, quas describit B. Joannes in Apocalypsi: *Super capita earum tamquam coronæ similes auro, & facies earum tamquam facies hominum, & habebant capillos sicut capillos mulierum.* Apoc. 9. vers. 7. Sic sese componunt ad complacendum Rectoribus, & ad coronas regiminis aureas suis propriis capitibus imponendum; nil enim nisi commodum proprium præ oculis habent, totamque Superioris auctoritatē, in suum favorem, aliorumque præjudiciū convertere moliuntur. Unde *Dentes earum* locustarum *sicut dentes leonum erant, & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum.*

Alibi diximus, proborum & expertorum assistentiam consiliatiorum, apprimè utilem; imò necessariam fore Superioribus Religiosorum, ut eorum consiliis prudenter in omnibus dirigantur. Hic autem venit considerandum, haud gratum fore communitati; imò pluribus displiciturum, si Prælatum videant, unius solius, aut paucorum sibi familiarium, in omnibus consilia sequi, eis omnia communicare negotia subditorum, & dictamen eorum velut oracula infallibilia venerari; quidquid ab aliis magis probatis & expertis in contrarium profeciatur. A tali Prælato quidquid ordinetur (tametsi rectè) odiosum subditis est, quia auctor consilii odiosus habetur; atque inde præceptum efficitur contemptibile. Noster Emanuel Rodriguez tom. 2. qu. 8. art. 2. rectè docet Prælatos, quantùm debeant amicos vitare speciales, quàmque circumspectè sit cujuspiam familiaritas admittenda.

Concludam hanc materiam de rectè præcipiendo cum Apostolica ad universos animarum Præsides exhortatione: *De cætero Fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate*, hæc præcipite. Philipp. 4. vers. 8. *Quæ didicistis & accepistis & audistis & vidistis* in Francisco Patre nostro, *hæc agite; Et Deus pacis erit vobiscum.*

TEXTUS & §. IX.

Et contra Regulam nostram.

SUMMARIUM.

Regula Francisci ab ipso Christo Domino dictata. Discursus D. Bernardini quo demonstratur nil contra eam præcipi posse. Quàm iniquum sit Constitutiones condere illi contrarias. Quid censendum de Privilegiis relaxativis, & laxis consuetudinibus. Quòd deceat superiores aliquando cedere subditis timoratis, cùm incipiunt ab eis quadam ut magìs conformia Regulæ observari: nec hi statim rejiciendi sint ut scrupulosi.

Postquam Apostolus diversis sermonibus suam aperuisset Corinthiis potestatem, mox de eadem subjungens quo limite circumscribatur: *Non in immensum*, inquit, *gloriabi-* 2. Cor. 10. vers. 13.

gloriabimur , sed secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus. Ad eumdem modum noster sanctissimus Institutor, postquam futuris suæ Religionis Prælatis potestatem dedisset amplissimam præcipiendi, eamdem duobus voluit limitibus circumseptam; primùm quidem communibus Dei legibus, ne quippiam contra propriam præcipiant animam: deinde specialibus præscriptis Regulæ, quam Domino promittimus observare, ne videlicet, quæ mandat Superior sint, *contra Regulam nostram*, Sed ut verbo loquamur Apostolico, *secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus.* Quod verissimè de illa Regula dici potest, quam nobis tradidit pauperculus Christi Franciscus: siquidem ipse Deus, & non homo aliquis, eâ nobis mensus est formam Evangelicæ perfectionis: Christus ipse dictavit; excepit autem scripsitque Franciscus. Clarum & apertum est de hac re B. Birgittæ viduæ testimonium, dum ita sibi à Christo Jerosolymis revelatum refert: *Istius Francisci Regula, quam ipse incepit, non fuit dictata & composita ab ipsius humano intellectu & prudentiâ; sed à me, secundùm voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea scriptum est, à Spiritu meo sibi fuit aspiratum, & posteà ipse aliis Regulam illam protulit & porrexit.* Ipsa est igitur mensura regulæ, quâ nobis, Franciscanis, mensus est Deus: & ipsa limes est, quem Franciscus posuit potestati præcipiendi, volens ut ab Ordinis Rectoribus nil ei contrarium præcipiatur.

Revelat. lib. 7. c. 20.

Hujus constitutionis rationem luculento discursu D. Bernardinus aperuit, dicens: *Cùm enim Prælati regularis imperium ad Regulæ observantiam ordinetur (nam propter observantiam Regulæ, tamquam propter finem sui principalem, sunt Prælati in Religionibus instituti) impossibile est quòd ejus præceptum obliget ad aliquid, quod puritatem Regulæ labefaciat. Præterea cùm hujusmodi Prælati non habeant potestatem præcipiendi nisi ab ipsa Regula, nulla regula veritatis sibi-ipsi contradicit, aut sui destructionem & diminutionem intentat. Hinc patet, quòd hujusmodi nullam habent ex Regula potestatem præcipiendi aliquam Regulæ impuritatem. Ampliùs. Quis sanæ mentis dicet, quod Christus consulendo & instituendo Evangelicam perfectionem, dederit consilium aliquod, alligans hominem ad diminutionem illius perfectionis, quam consulebat? Vel quòd unum de supremis inter consilia, includat in se alligationem ad aliquam imperfectionem seu impuritatem? Tale est consilium obedientiæ cui correlativa est potestas præcipiendi. Unde sequitur, eos quibus præcipiendi jus est, cohiberi ne præcipere possint, quæ puritatem Evangelicæ perfectionis in Regula traditæ, mortaliter aut venialiter labefactant.*

Tom. 3. dial. de Obed. post Aug. 12.

Nihilominus inventi sunt aliquando temerarii Regulæ supplantatores, quibus cùm displiceret ejus rigor, nec eum possent aperto marte expugnare, subdolis astibus concinnarunt Statuta quasi pro restituenda & firmanda meliori politia, immistis articulis aliquot materiam Regulæ concernentibus, quibus sub specie discreti temperamenti, permittebantur, quæ Regula & declarationes Pontifici prohibebant. Quibus statutis, præter unius Ministri Generalis auctoritatem, & aliquot illi adhærentium Provincialium, conati sunt Apostolicam appendere approbationem, cum solemni mandato, ut his omnes colla submitterent, & hanc elaboratam reformationem absque contradictione reciperent. Verùm adfuit Pontifici & collegio Cardinalium S. Franciscus ad defendendam suam Regulam & Institutum, atque confusibiliter rejectum fuit impium ac temerarium illorum hominum attentatum. Deus optimus maximus de cætero conservet omnes ab ejusmodi nequitia: & conditores, revisores, aut compilatores Statutorum, vel in illa consentientes, inspiciant accuratè quæ proponantur eisdem, priùsquam alicui subscribant sententiæ, quæ vel minimum posset suspecta videri. Seraphici Patris nostri timeant indignationem. Ipsi certè est eadem mens de sua Regula, quæ olim erat Apostolo de Evangelio, quando dicebat: *Licèt nos, aut Angelus de cælo, evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit: sicut prædiximus vobis, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quis non horreat tam severum anathema, & justam indignationem? Tonat etiam desuper Deus: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt.* Portam aperiunt mille angustiis Fratrum pauperculorum, qui possent & auderent obviare præceptis personalibus unius Superioris, dum manifestam continent prævaricationem; sed difficulter, aut nullatenus possunt impetum cohibere unius statuti, ex Capituli auctoritate publica promulgati. Per ipsum tale Statutum, Viri boni quasi rediguntur in servitutem malè agendi, & libertate privantur servandi Regulam, quam S. Pater tantopere semper voluit esse intemeratam. Illi igitur quorum interest, prædictum *Væ* divinum ad se noverint pertinere, si temerè vel inconsideratè in ejusmodi leges iniquas fuerint suffragati. Verissimè siquidem dixit Cyprianus: *Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur ut divina dispositio violetur. Procul ab ejusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancrum & pestem fugiendo vitate.* Cùm Regula nostra sit ipsa divina dispositio, certè adulterum erit atque sacrilegum, quidquid contra ipsam contigerit ordinari.

Gal. 1. vers. 8.

Isa. 10. vers. 1.

Lib. 1. Epist. 8.

Aliam quoque fraudem deplorat Alvarus Pelagius, quæ latet sub impetratione Privilegiorum, puritatem rigoremque Regulæ relaxantium. Hæc ipse damnat absolutè, votisque Francisci demonstrat esse contraria. Nolumus nos censores fieri summorum Pontificum, qui bono animo Privilegia ejusmodi olim aliquando concesserunt; sed non agnoscimus pro fidelibus seraphici Patris discipulis, qui propriâ victi sensualitate impossibilem sibi sanctam Regulam reddiderunt, quorum insanabili, jam dudum contractæ, infirmitati, oportuit condescendere, ne per lamenta continua Sedem Apostolicam pergerent fatigare. In hoc etiam imprimis culpabiles forent, si pios subditos dispensationis illis Privilegiis non indi-

gentes, animumque habentes & fortitudinem, Regulam quam voverunt litteraliter observandi, secum trahere vellent in ejusdem consortium relaxationis, ad servandam, ut ajunt, conformitatem. Si tales aliqui reperiantur misericordes fautores sensualitatis, noverint se simili feriendos sententiâ, quæ ad calcem Apocalypsis apponitur contra addentes vel dementes illi Libro contra sancti Spiritûs intentionem:

Apoc. 22. vers. 18.

Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem illius de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto. Tametsi enim Regula nostra non pertingat ad sacræ Scripturæ sublimitatem, quia tamen ipso Deo dictante, atque sancta Ecclesia promulgante, confirmante & declarante, tot jam sæculis persistit, & per eam salvati sunt innumerabiles sancti Dei homines: qui contra hanc perfectionis Evangelicæ formulam aliquid iniquè moliuntur, contradicente Christo ejusque Evangelio, Ecclesiâ, & Francisco Regulæ defensore, portabunt judicium, quicumque sint illi.

Job. 15. vers. 25.

Tetendit impius, ait S. Job, *adversùs Deum manum suam; & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Quid tandem? *Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam &c.*

Solantur forsitan semetipsos, quòd non ampliùs illicita sint ea quæ præcipiunt, sed jam facta licita per dispensationem. D. Bernardo olim similia responderunt. Audiamus verò quid senserit de iisdem:

Epist. 7. ad Adam monachū

Non solùm divinis humana, sed & communibus privata vos prætulisse imperia ad probationem sufficiat, quod vestra illa & novitas insolita, & insolens præsumptio, non tantùm nostri Ordinis universitas, sed & omnium monasteriorum & consuetudo & institutio reclamare videtur. Quod & vos quoque non immeritò timentes, nec satis de propria causa fidentes, remordentes conscientias Apostolicâ conati estis definire licentiâ. O frivolum satis remedium, quod non est aliud, nisi more protoplastorum cauteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apostolicam, inquiunt, licentiam quæsivimus, & impetravimus. Utinam non licentiam quæsissetis, sed consilium, id est, ut non liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? Facere itaque volebatis quod non licebat. Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio quæ in malum tendebat. Nisi fortè tale hoc fuisse dicatur, quod absque licentia quidem non liceret, liceret autem si cum licentia fieret. Et cùm scandalum (de quo ibi disputat) ostendisset nec justè præcipi posse, nec innoxiè consentiri; sicut nec in nostro proposito voti transgressio sinè necessitate, sic prosequitur; *Hujus tamen patrandi mali quærendam esse putatis licentiam. Sed ad quid? an quantò licentiùs, tantò securiùs, & quò securiùs, eò & periculosiùs peccaretis? Mira cautela & stupenda providentia.* Hæc suis Bernardus, & hæc suis etiam Franciscus.

Nolim tamen ea in RR. Patres Conventuales intorqueri, qui prævaricatores dici non possunt eorum, quæ minimè promiserunt, cùm jam sublatus sit usus, quædam ex Regula promittendi, potiùs per jus novum atque decretum, quàm per Privilegium. Eos alloquimur, qui ore scriptoque protestantur se stare à parte Regulæ, ad litteram, juxta Pontificum Nicolai & Clementis declarationes: & facto interim atque opere se suosque subditos secundùm usurpata tentarent tegere Privilegia, sive juxta consuetudinarios potiùs abusus, de quibus nec ullam possent Papalem licentiam exhibere. Quid de illis Bernardus diceret, quando tam rigidè loquitur de licentiatis?

Ab iis etiam cavendum est, qui pondus dare vellent iniquis suis præceptis, dicendo: Patres nostri, viri simplices atque devoti sic fecerunt, nec aliquem in hoc scrupulum invenerunt. Itane ergo indubitata est Patrum istorum sanctitas & sapientia, ut Regulæ prævaleat sanctitati? Quid si Patres illi simplices à malignis quibusdam doctoribus instructi foerint,

Job. 22. vers. 15.

Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? Maledictus qui errare facit cæcum in itinere

Deut. 27. vers. 18.

Is autem errare facit, qui vel trahit ad manum per avia, aut miserè aberrantem in errore confirmat, ut non quò tendit queat pervenire. Allegatores illos Patrum suorum laxiorum, retundit cum stomacho D. Bernardus:

Epist. 91.

Recedant à me & à vobis, qui dicunt: volumus esse meliores quàm patres nostri; tepidorum & dissolutorum se filios protestantes: quorum memoria in maledictione est, qui manducaverunt uvas acerbas, quibus dentes filiorum obstupescunt.

Fieri potest ut cæcutiant quandoque Superiores, simplicibus subditis clariùs videntibus viam veritatis: quemadmodum videmus equum viâ rectâ procedere, eo qui insequitur dormiente. Et Patri suo cœlesti Christus Dominus confitetur,

Matth. 11. vers. 25.

quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Temporibus B. Paulutii de Triucis, Laici simplicis, in Ordine florebant viri celebres in omni genere scientiarum, Prælati graves & spectabilis prudentiæ, quorum plurimis tamen non apparuit eximius ille minoriticæ perfectionis intellectus, ad quem erat Ordo reformandus, & qui fuit illi sòli inerudito laico revelatus. Sic olim sermo Domini factus est super parvulum Samuelem, Heli seniore posthabito. Itaque non solùm Patrum erunt sequenda vestigia, sed potiùs filiorum, dum major in iis videbitur rectitudo. Commune quidem Pastoris officium est, quòd

Joan. 10. vers. 4.

cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; Scio tamen alicui dictum in Cantico Canticorum:

Cant. 1. vers. 7.

egredere & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos &c. Non erubescere debet Prælatus suorum sequi vestigia subditorum, eosque duces virtutis accipere, dum Dei spiritum in eis viderit inhabitantem: & in quibuscumque reperta, meliora carismata convenit æmulari. Sic Moyses

Exod. 18. 2. Reg. 14.

non dedignatus est suscipere consilium Jethro; David mulierem audivit pro Absolone exule

4. Reg. 5. exule deprecantem: Naaman sororum acceptavit servorum consilium, ut in Jordane septies Galat. 2. lavaretur; Princeps Apostolorum excepit humiliter D. Pauli informationem. Atque de hoc, B. Joannes Lucensis generalem tradidit Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 47. regulam: *Prælatus non debet ita super subditos exaltari, ut eos contemnat. Expedit ut aliquando eorum imploret consilia & sequatur, ut humiliùs de se sentiat, qui humilium indiguit & usus est consiliis.*

Hinc igitur concludendum erit, quòd timorati subditi sæpenumero in simplicitate sua Regulam ad litteram capiant, & subtiles evasiones ignorent rigoris litteralis, & sensum illius veriorem securioremque assequantur. Atque adeò, cùm ab his quædam incipiunt sponte ot magis conformia puritati Regulæ observati, non statim præpediri debent velut novitates, singularitates, superstitiones, hypocrises & scrupulositates. Cæco nato recta monenti mox insultabat superbia Pharisæorum: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Non Joan. 9. vers. 34. sic debet humilitas Religiosorum; sed suspendendum est judicium exemplo prudentissimi Jacob Patriarchæ, qui licèt Josephum filium de narrationibus somniorum paternè & probatoriè increpasset: *rem tamen tacitus considerabat.* Gen. 37. vers. 11. Deponatur igitur opinio magna de sapientiæ propriæ irrefragabilitate, facti rationes sedato animo audiantur & ponderentur, dumque convicerint, eisdem humiliter acquiescatur; præsertim quando periculum est, commissam Superioris custodiæ, sacrosanctam Francisci Regulam temerandi.

TEXTUS & §. X.

Fratres verò qui sunt Subditi.

SUMMARIUM.

Multa sunt quæ Subditos meritò contentos faciant, imò gaudentes de statu suæ subjectionis. 1. Quia in Professione receptus est ad Obedientiam, non ad Prælaturam. 2. Quia status ille quietem tribuit contemplationis. 3. Exercitium virtutum præcipuarum, Humilitatis, Simplicitatis & Obedientiæ. 4. Securum præsidium contra molestissimas tentationes. 5. Amabilem reddit confratribus. 6. Liberat à reddendis supremo Judici rationibus, pro subditorum animabus.

HUmilitatis & obedientiæ forma Franciscus, non tam præesse voluit quàm subesse, nec tam præcipere, quàm parère; unde Generali cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. E- Vita cap. 6. num. 5. rat quoque solitus dicere Fratribus: *In Prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate Subditi, anima lucrum est. Cur ergo periculis plus quàm lucris attendimus, cùm accepérimus tempus ad lucrum?* Deploranda sanè hominum illorum obcæcatio, qui felici securàque subjectionis sorte minimè contenti, ad periculosum aspirant gradum Superioritatis. Quilibet partem haberet beatitudinis, etiam in hoc sæculo, si viveret suâ sorte contentus, atque quietus, sinè anxio statûs alterius desiderio; prout Apostolus suos monuit Corynthios, dicens: 1. Cor. 7. vers. 20. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es; Non sit tibi cura: sed & si potes fieri liber, magis utere* statu servitutis, ad exercitium humilitatis. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.*

Parimodo diceret: Superior vocatus es? servus es Christi, ejusque mandatis obnoxius. Item vocatus es subditus? Christi servitute, potes æqualis esse Superiori: imo in cœlo teraque fieri honore sublimior; cùm plurimorum nomina sanctorum subditorum in perpetua vigeant memoria, de quorum Prælatis nulla nunc apud homines superest recordatio. In ea igitur subditi vocatione quâ vocatus es, in ea conteutus permaneas: *Sed & si potes fieri liber*, si potes fieri de subdito Superior, *magis utere* securâ tranquillitate subjectionis; certus ex sanctissimi nostri Patriarchæ pronuntiato, quoniam *in Prælatione casus; in humilitate subditi anima lucrum est.* Specialiter autem Franciscanus religiosus, multis debet rationibus, felicem illam submissionis appetere conditionem.

Primò, Quia finito probationis anno, admissus est atque receptus *ad obedientiam*, ut Cap. 2. Reg. §. 14. superiùs expendimus; receptus est, inquam, non ad Prælaturæ Superioritatem, sed ad subjectionis *obedientiam*. Et ista fuit prima cogitatio nostra, dum omnimodâ postulavimus instantiâ, ut ad hunc sacrum Ordinem admitteremur. Quòd si eoi postmodum illapsa sit alicogitario, atque præeminentiæ concupiscentia, vetendum est, haoc non esse à Spiritu Sancto, sed ab eo qui dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Illi simi- Isaiæ 14. vers. 14. lem studet arrogantiam incautis suadere animabus, ut eas à sua decidere faciat felicitate; eosque magis infatuat, qoi magis inidonei sunt,

sunt. Quibus evenit, quoad B. Gregorius observavit: (Lib. 1. ... 5.) *Dum temporali honore suffulti fert videntur surgere, intùs cadunt. Allevatio ipsa, ruina est; quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloria vera evacuantur,* (... 16. v. 20.) *Hinc dicit* (scilicet Psalmista) Deficientes ut fumus deficient. *Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia unde ostenditur ut altus sit; inde agitur ut non sit.* Hos fumos prævenit & disjicit opportunè continua primæ nostræ postulationis memoria, quæ nonnisi subjectio fuit atque humilitas.

Secundò, Attrendenda est atque æstimanda suavissima quies eaque licita & honorabilis, non quam procurat ignavus amor otii, sed quam præbet Deus ipse, subditum in eo detinens statu. Propter eam quietem perditam quantas edit D. Gregorius lamentationes. (Lib. 1. Epist. 25. ad Anastasium.) *Durum valde fuit,* (scribit ad Anastasium) *quòd amor vester terrena me portare onera præcepit, & quem priùs spiritualiter diligebatis, postea, ut existimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis: ita ut omnem mentis rectitudinem perdens, contemplationisque aciem amittens, dicam:* (Psal. 118.) *Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque: tanta me quippe occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenùs erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, & post illa quietis otia tumultuosa vita tempestatibus affligor, ita ut rectè dicam:* (Psal. 68.) Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Et *Epist.* 24. in similia prorumpit lamenta, enumerans multa quæ summam ipsi formidinem incutiebant. Sic qui gustarunt donum Dei, in divinorum contemplatione, intelligunt quanti referat liberum esse à molestiis Marthæ inquietudinibus, quibus Mariæ otium interturbatur; & sentiunt optimam esse partem sedere ad pedes Dominini, & audire interiùs verbum illius. Hoc otium permittit subditi status; qui licèt obnoxius sit externis obedientiæ occupationibus, eas tamen adimplet absque pungente sollicitudine, directè quietem oppugnante: quapropter licet ei inter medias occupationes coram Deo manere, atque ipsius fovere attento animo familiaritatem. Qui inhiant Superioritatis inquietudinibus, satis ostendunt se sanctas illas delicias haud intelligere; prudentiores verò non se fatigabunt ad excolenda aliena, quamdiu non vocantur, gaudentque; se liberos relinqui ad animæ propriæ curam, in qua sat inveniunt occupationis. Imò refugiunt poni custodes in vineis alienis; ne à custodiendis propriis distrahantur.

Tertiò, Subministrat hic status subditis ingentem materiam virtutum insignium exercendarum. Humilitatis imprimis, dum apud homines pro gregaris habentur militibus, ad solùm natis laborem, nec ad digniorum virorum admittuntur familiaritatem. Dum etiam multa videre debent non adeò proprio consona judicio, & tacere nihilominus, propriumque judicium attemperare alieno; fructuosissima illa est humilitas, ex secura insipientia, de qua Sapiens: (Prov. 26. vers. 12.) *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens,* ille nimirum qui se respectu aliorum reputat insipientem. Atque de tali iterum scriptum est: *Melior est homo qui minuitur sapientiâ, & indiget sensu in timore Domini, quàm qui abundat sensu & transgreditur legem Altissimi.* (Eccles. 19. vers. 21.) Ista est simplicitas voluntaria, ex timore procedens sese aliis præferendi. Deinde circa Regulæ curam vigilantior est ordinariè subditus, cui semper imminet oculus Superiorum. Non paucos invenire est, quibus dum timor abest, facillimi sunt ea quæ sunt Ordinis, præsertim non obligatoria prætermittenda, seque abduci permittunt ad noxias libertates, qui tamen irreprehensibiles sunt, quamdiu sub oculis ambulant Superiorum. Obedientiæ quoque perfectæ gloria nonnisi in hoc statu apparet humiliori. Hujus amore Franciscus à gradu descendit Generalatûs, & D. Bernardinus & alii oblatos recusarunt Episcopatus, omnique instantia se subtraxerunt à muneribus officiorum, eligentes exemplo Christi Domini ministrare potiùs quàm ministrari, atque cupientes metere copiosissimam illam segetem meritorum, de qua Franciscus Dei famulus asserebat: *Tam uberem judico sanctæ Obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ejus colla subjiciunt, nullum abire possit tempus iners, nec sinè emolumento hora aliqua inaniter pertransire.* (Opusculo Tom. 3. Oraculo 20.)

Quartò, In hoc statu, securum est præsidium contra molestissias tentationes, quæ concutiunt Præsidentes. Una de importunissimis est, honor ille qui ex obligatione defertur Superioribus; quem cum affectu suscipere complacentiæ, est humilitatis perditio; suscipere verò, nec affici, plusquam communis humanæ virtutis. Et quia iam pronus est appetitus ad istas lambendum blanditias, nil securius æstimarunt sancti Dei homines, quàm tales manere quos nullus aspiceret, suspiceret vel honoraret, sive vere sive fictè. Nobiliùs quidem est, tam immotum habere animum, qui nec benedictione nec maledictione moveatur. Sed quid aget, qui sibi de tanta diffidit virtutis soliditate? Declinabit utique à montibus Prælationis, ad humilis subjectionis convallem, quò non descendunt superbiæ venti, quibus sublimes quercus montium convelluntur.

Aliam suscitant tentationem, quotidianæ & multiplices subditorum imperfectiones, contemptus & negligentiæ, quæ miserum Superiorem in scopulos impellunt impatientiæ atque tristitiarum. A dextris & à sinistris, à magnis & parvis, à sapientibus & insipientibus, provenire possunt, quæ à Superiore debeant tolerari. Qui si non fuerit de perfectioribus, ad singula momenta fatigabitur; & si quid ei acciderit impatientiæ, tam mirabiliter illud accipitur à subditis, quasi non foret ipse sensitivus sicut cæteri hominum; quasi non posset ipse contristari, sed gaudenter deberet ab omnibus ingrata pati, & nihilominùs incessanter omnibus benefacere. Decretum illi videtur quod dixit Ecclesiasticus: *Pascet & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.* (Eccles. 29. vers. 32.) Sic ille multos & importunos dominos acquisivit; subditus autem unum dumtaxat supportandum habet Superiorem, cui si morigerum sese exhibeat, amicum sentiet, fautorem, &

patrem,

pattem, ipse ab omni onere liberatus. Prælatum verò, cui totius incumbit familiæ sollicitudo, bene monuit B. Joannes Lucensis, ut quidquid agat in communitatis emolumentum, *à subditis non speret remunerari, sed à Deo; illi enim frequenter multiplex Superioris beneficium insigni compensant ingratitudine.* Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 74. Cogitare debet ipse se positum illis quasi signum ad sagittam. Felix itaque conditio subditi, in infimo derelicti, ad quem ejusmodi jacula minimè diriguntur,

Quintò, Nil habet humana vita dulcius, quàm amari, nec alicujus incurrere odium. Hoc autem faciliùs potest subditus obtinere; Prælatos verò admodum difficulter evadet odia domesticorum & externorum: oportet enim eum pugnare adversùs Ordinis inimicos, qui numquam desunt; modò sæculares, modò Ecclesiastici, modò aliorum Ordinum Religiosi. Aliis cogitur frequenter importuna denegare servitia, vel alia, quæ cum quietis vel disciplinæ regularis præjudicio postulantur; unde quandoque suscitatur gravis indiscretorum supplicantium indignatio, & omnium præteritorum obsequiorum eis impensorum oblivio, & sicut vulgò dicitur: *Ondanck in fine laborum.* Quæ omnia, innocenti licèt Prælatò, communiter imputantur. Domi verò, dum pro sui muneris ratione tueri debet reprehensionibus & pœnitentiis disciplinam, necesse est ut nonnulla interdum dicat quæ imperfectiores non audiant libenter. Porrò notissimum est, & quotidianis probatum experimentis, quòd *veritas odium parit.* Sic Superiori venit undique dolor & labor & afflictio spiritus. Subditus autem si pacificè cum æqualibus conversetur, efficere se potest cunctis amabilem: dulcescet ad ipsum mutua familiaritas, & amici & confidentes congressus, promptitudo hilaris ad succurrendum, in afflictionibus compassio, cum charitate non ficta, & poterit experiri, quòd sicut Prov. 27. vers. 9. *unguento & variis odoribus delectatur cor, sic & bonis amici consiliis anima.*

Sextò, Quòd si convertamus oculum ad futuras cum Supremo Judice rationes, in quibus positum est æternæ nostræ felicitatis momentum, quantò beatior apparebit subditorum conditio præ sorte Superiorum? His fatè incumbit reddere Dominorationes, de suis legibus bene vel malè custoditis, de servata Regulæ integritate, de concreditis sibi ovibus, si fortè aberraverit aliqua per ejus incuriam aut conniventiam, & maximè si perierit in æternùm. Sufficerent eis onera propria, & superabundarent; quid putamus eis animi fore, dum respondere debebunt etiam de alienis? *Viri mali* quidem *non cogitant judicium*; sed Prov. 28. vers. 5. prudentes jugiter expavescunt. Subditi de se solis cogitare habent & respondere; potissimam etiam suarum actionum seriem, quas fecerunt ex mandatis obedientiæ, in humeros conjiciunt Superiorum. Exiguis ipsis conceditur super erratis misericordia, quia tametsi fortè priùs judicium & justitiam non fecerint; tamen passi sunt, & impositam delictorum satisfactionem humiliter sustinuerunt. Idenque experientur quòd *sapientia humiliati exaltabit caput* Eccles. 11. vers. 1. *illius, & in medio magnatorum consedere illum faciat* Et quòd *qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Job 22. vers. 29. Hæc ab illis non considerantur, quorum oculi omne sublime vident, & ascendendi languent cupiditate, & spe fatigantur ambitionis, si quo modo imponere se valeant super capita aliena. Itemque, qui jam in alto positi, futurorum obliti judiciorum, pascuntur & inflantur præëminentiæ vanitate, secteràque consumuntur tristitiâ, dum à gradu deponendi sunt, & ad aliorum redigendi æqualitatem. At verò sapientes viri, & novissima prævidentes, & securitatem illius horæ periculosissimæ sollicitè desiderantes, in extremas se solitudines abdiderunt, finxerunt amentiam, aliisque multis mediis usi sunt, ut onera subterfugerent Prælaturæ, seque immunes à novissimis illis redderent angustiis. Eâ ratione B. Franciscus Fabrianensis, adduci non potuit, ut curam susciperet Annal. Tom. 3. an. 1322. num. 9. Provinciam visitandi, dicens, se nescire qualiter alios visitare auderet, qui munus visitationis erga seipsum nondum exercuisset.

TEXTUS & §. XI.

Recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.

SUMMARIUM.

Perfecta est voluntatis propriæ abnegatio, quæ fit ex motivo divinæ charitatis. Eam Christus factis docuit, & sermonibus. Qui per votum abnegârunt voluntatem propriam, & facto resumunt. 1. Fiunt hominibus odibiles. 2. Sibi-metipsis graves. 3. Divinam incurrunt maledictionem, tamquam perjuri, & fures rei oblatæ Domino in holocaustum. Cautè vitandum illud crimen in desideriis bonorum operum.

Job. 42. vers. 11. POst transactam ingentem Jobi patientissimi afflictionem, *venerunt ad eum omnes fratres sui &c. & dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem unam.* Per Jobum, qui vir

dolens describitur, dicit Glossa ordinaria allegoricè Christum intelligi, qui dolores nostros portavit; Fratres autem ejus appellantur qui
Marci 3. vers. 35. Patris ejus perfecerint voluntatem: adeòque non inconvenienter illi intelliguntur esse Religiosi, qui satagunt divinas exequi voluntates, non præceptorum modò, verùm & consiliorum: Hi permoti compassione Christi passionum & cupientes iisdem communicare, *venerunt ad eum*, amplectentes arctum pœnitentiæ statum: *& dederunt ei unusquisque ovem unam & inaurem auream unam*. Quod io hunc modum Magnus Gregorius interpretatur:
Lib. 35 moral. cap. 14. *Cum in aure ovis, & cum ove inauris offertur: quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante*: O-
Joan. 10. vers. 27. ves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. *Sic profectò Redemptori suo non obedit, qui innocens non est: & innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Quia verò ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est; non terrore pœnæ, sed amore justitiæ, cuncti inaurem auream obtulisse perhibentur, ut videlicet, in eo quae exhibetur obedientia, Charitas fulgeat, qua virtutes omnes quasi auri more cætera metalla transcendat.* Ex illo auro divinæ Charitatis motivo, desiderabat Princeps Apostolorum in Christianis omnibus inaurem obedientiæ efformari, quando dice-
1. Petri 2. vers. 13. bat: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*, quæ vobis legitimè præposita fuerit; non quomodocumque, sed *propter Deum: sive ducibus tamquam ab eo missis &c. quia sic est voluntas Dei*. Idemque motivum Apostolus geotium præfigit Obedientiæ filiorum ad parentes, & servorum ad dominos, elevans aam super na-
Colos. 3. vers. 20. turalem civilemque respectum. *Filii*, inquit, *obedite parentibus per omnia*. Quo jure? *Hoc enim placitum est in Domino*. Sufficiat vobis supremi beneplacitum Gubernatoris. *Similiter servi obedite per omnia dominis carnalibus*. Quo fructu? quâ mente? numquid forsitan ut evadaris flagella? *Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Nobilem hunc respectum, format pius amor Dei, divinæque justitiæ, quo regi solet anima christiana: qui cuncta supergradiens temporalia, sive timenda, sive speranda, illi uni placere satagit, qui delectatur miti propriæ voluntatis abnegatione, promptâque sub Commissariis suis obedientiâ. Talem fuisse à nobis factam in sacra professione propriæ voluntatis oblationem supponens Franciscus, sic commonet præsenti textu, dicens: *Recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates*.

Ipse Dominus Jesus Christus perfectissimum se nobis præbuit hujus faciendæ abnegationis exemplar, diligentissimè colens Obedientiam, in mundi hujus ingressu, progressu,
Joan. 6. vers. 38. atque egressu. De ingressu fatetur ipse: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. In vitæ pro-
Luc. 2. vers. 51. gressu, cum parentibus *descendit Nazareth, & erat subditus illis*, & factus grandior, ait: *Non*
Joan. 5. vers. 30. *quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me*.

Cùm autem esset è modo egrediendum per angustam crucis portam, dicebat: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Cùmque io Joan. 14. vers. 31.
oratione se Patris resignasset voluntati, ad eamque implendam se in manus tradere odientium animam suam, & Petrus inciperet repugnare, illum illicò repressit his verbis: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Denique io Joan. 18. vers. 11.
cruce *consummatum est* opus obedientiæ, quod fuerat ei pro hujus vitæ mortalis curriculo demandatum, quando *inclinato capite tradidit spiritum*. Imò nec eum vitæ termino positum Joan. 19. vers. 30.
ab eo fuisse terminum obediendi, D. Gregorius scribens in illud: *Non possum ego à meipso facere quidquam, sed sicut audio, judico*, Lib. 35 moral. cap. 11.
subtiliter observavit: *Nobis*, inquiens, *obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem si sicut audit, judicat, tunc quoque obedit, dum judex venit. Ne igitur usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster sicut audit, judicat, & eam etiam dum judex venerit, servat*. Quis verus Christi discipulus non toto animo hanc æmuletur perfectionem, quam adeò constanter à suo Magistro dignissimo conspicit observari?

Ejusdem materiæ doctrinam ore suo sacrosanctotradidit, tamquam unam de primis legibus perfectionis. *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Luc. 14. vers. 33.
Quam legem in hunc modum Vir Dei Franciscus interpretatur: *Ille homo renuntiat omnibus quæ possidet, & perdit corpus suum, qui seipsum totum præbet ad obedientiam in manibus sui Prælati; & quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat quòd non sit contra voluntatem ejus (dum bonum sit quod facit) vera obedientia est. Et quando subditus viderit meliora, & utiliora animæ suæ, quam ea quæ sibi Prælatus præcipiat, suam voluntatem sacrificet Domino: quæ autem sunt Prælati opera, studeat adimplere*. Ejusdem erat opinionis B. F. Ægidius Frater quidam ei quandoque Opusc. Tom. 1. sacr. admonit. cap. 3.
conquerebatur jussum se à Guardiano ire Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 7.
mendicatum panem, cùm tamen ipsi videretur longè præstabiliùs vacare precibus, quàm petendis Eleemosynis. Respondit autem ei Ægidius: *Necdum didicisti, quid sit orare Deum. Vera enim oratio est, si subditus pareat voluntati Superioris sui. Est autem non obscurum superbiæ argumentum, si quis nolit caput suum subdere obedientiæ jugo, sed illud potiùs ei subducere conatur, ut aliâ gradiatur viâ, quæ ei perfectior videatur. Et tamen videmus, dum bos jugum patitur imponi collo suo, horrea frumento compleri*.

Hoc Dominus suis insinuabat sequentibus; cùm diceret: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Ipse Christus per humilitatem fuit parvum frumenti granum, in terram cadens per incarnationem; & inclinato capite sub obedientia mortuum, multum attulit fructum. Nos quoque minima frumenti grana, miseratione cœlestis agricolæ, projecti in terram bonam & pinguem Seraphicæ Religionis, & mortui per solemnem obedientiæ professionem, non multum affectamus fructum, si conemur Joan. 12. vers. 24.

mur in sensu proprio reviviscere, & à verme voluntatis propriæ corrodamur. Vera divini Verbi sapientia est sanctè odisse & perdere in hoc mundo animam suam, ut io vitam æternam custodiatur. Tale professi sumus exercere animæ odium, dum potiorem ejus potentiam, quæ voluntas est atque libertas, sic abnegavimus solemni obedientiæ voto, ut nullus ad eam pateret regressus. Beatum certè odium; cujus utilitatem noster Alphonsus Madriliensis commemorat, dicens: *Ob id potissimùm nos odio habere debemus, ut anima nostra evacuata nostri amore, impleatur amore Dei. Nihil enim adeò ritè perfici potest, quàm si oderimus omnia nostra sensualia desideria, atque ita in nostra voluntate regnet sublimis voluntas Dei, sive ipse Deus.* Evacuandam ait animam amore propriæ voluntatis, ut in ea sola regnet Dei voluntas. Enimvero quod ex agreste ac naturali prodit oleastro, agreste est atque contemptibile; verùm si bona inseratur oliva, ramusque frugifer, radix & truncus alioquin inutilis, optimos proferet fructus, juxta insertæ naturam olivæ. Radix nostra agrestis est, & volnotas propria truncus inutilis: cui tamen, si propositum inseratur divinæ voluntatis, cum tam firmis ligaturis, ot in nnum pariter coalescant, jam omnes fructus iode prodeuntes salnbres erunt atque divini. Insertus est surculus ille cœlestis, votique solemnis ligatus vinculo; solùm restat curandum, ne arefiat vel evellatur; & ut agrestes surculi, à trunco inferiùs pertinaciter erumpentes, studiosè rescindantur, ne occasio sint arefaciendi insertum meliorem surculum superiorem, verùm, resectis antiquis omnibus desideriis, succos omnis radicis voluntatis in nutrimentum serviat & augmentum illius, qoam professi sumus Obedieotiæ. *Hæc est via perfectionis ad vitam æternam velociter per viam amoris deducens*, inquit noster Salutius, *seipsum abnegare, in omnibus alteri subjectum esse, semperque appetitui, ac voluntati, judicioque proprio contraria facere ac sequi. Hæc est via quam multi docent? sed pauci ingrediuntur.*

De arte serviendi Deo part. 2.

Parad. contempl. c. 95.

Recordentur itaque Religiosi, quòd abnegaverint propriam voluntatem, & quòd voluntariè hanc viam arctam ingressi sint, judicio quidem mundanorum valde gravem; sed reipsa levem & delectabilem, in comparatione angustiarum, quibus undique vita impetitur libertinorum, & propriis servientium voluntatibus; qui rametsi felices videantur, quia quæ voluerint faciunt; mala tameo volentes, ionumeris doloribus opprimuotur.

Primùm quidem ab extrà: reoaces enim voluntatum propriarum æmulatores, omnibus quibuscum vivunt, odibiles sunt, velut homines protervi, morosi, præsumptuosi & illiberales, qui cuncta voluor ad snom dirigi beneplacitum, nil aliis permissum volunt nisi quod probaverint ipsi, contradiennt alienis quantumenmque rationabilibus consiliis & desideriis, aspernantor legitimam super se potestatem: superbi, immorigeri, pertinaces, & contentiosi sunt in omnibus, manus eorum contra omnes, & consequenter manus omnium contra ipsos: illis etiam odibilis est ista protervia, qui minimè læduntur eâdem, sicut scriptum est: *Qui potestatem sibi sumit injustè, odietur.* Maximè dum non solùm supra æquales, verùm & supra superiores sibi arrogat potestatem ad eorum prætereundum voluntates. Igitur qnemadmodnm talis onerosus est aliis, erunt eidem alii similiter onerosi & contradicentes; quod sanè miserrimum est.

Eccl. 10. vers. 8.

Secundò, Plus dicit S. Bernardus, quòd talis tormento sit sibi-metipsi. *Nullum*, inquit, *mihi importabilius onus me ipso, nulla sarcina gravior est. Factus sum mihi met talentum plumbi, & resedit iniquitas super illud. Isti ut excuterent jugum Domini leve, emerunt sibi quinque juga boum, gravia, dura & propria bestiarum; qui ut excusent se à nuptiis perfectionis, malunt ire probatum illa, & experiri duritiem & pondus tot & tam vilium jugorum.* Sic homo efficitur sibimet-ipsi gravis, & sibi bellum indicit, ad quod nullo sit opus externo milite, sed proprium ipsi pondus sufficiat ad opprimendum. Illud est judicinm inevitabile, ut corruptioni suæ malè liber serviat, qui benè servus de incorruptionis libertate gaudebat. Salubrem quippe humilitatis arcem deserens ad infirmitatis jugum superbiendo pervênit, & cervicem cordis erigendo supposuit; quia qui subesse divinis jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit. Est autem illa gravedo tam iodivulsè conoeaa libertati, ut audeat dicere Ludovicus Blosius: *Si quis in cœlo foret propria voluntatis, contra voluntatem Dei, is certè non beatus, sed miser esset atque infelix. Apud inferos verò, si quis propria moriens esset voluntatis, in liberrimam voluntatem Dei, is utique non arderet.* Cui consonat vulgatum istud ea D. Bernardo: *cesset voluntas propria, & infernus non erit.*

In Declamationib.

In Tabella spirit. in fine.

Tertiò, Potissimum onus super propriam Religiosorum voluntatem, ab ipso Domino est. Audite explicationem volantis voluminis quod ostensum fuit à Domino Zachariæ: *Hæc est*, inquit, *maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; & omnis jurans ex hoc judicabitur similiter. Educam illud, dicit Dominus exercituum. & veniet ad domum furis: & in domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna, & lapides ejus.* Ille profectò est jurans in nomine Domini mendaciter, qui Deo solemniter vovet obedientiam, partesque cæteras perfectionis, & minimè servat. Idem quoque fur est, juxta S. Bonaventuræ sententiam: *Tu enim*, inquit, *dedisti te magistro tuo propter Dominum & propter regnum cœlorum, & jam non es tuus, sed ejus cui te vendidisti, & ideo nihil tibi licet agere de te, sine ejus voluntate; ipse enim est dominus voluntatis tuæ. Et contrectatio rei alienæ invito domino furtum est. Fur autem cœlo non appropiat. Ipsi Rectores sunt vicarii Dei super nos: & ideo debemus eis sicut Domino obedire, & non sicut hominibus: quia non propter ipsos, sed propter Deum ipsis subjacemus. Talem te exhibeas ei, ut liberè jubeat facere vel omittere, quidquid viderit expedire: quia si ipse timet te, jam servus est major Domino suo & discipulus est super magistrum.* Quod igitur fur ille habet expectare nisi maledictionem;

Zachar. 5. vers. 1.

Instit. Novit. part. 1. cap. 2.

Ego

Isaiæ 61. vers. 8.

Ego Dominus, inquit apud Isaïam, *diligens judicium & odio habens rapinam in holocausto.*

Neque solùm voluntatis suæ rapinam committunt inobedientes, postquam obtulerunt eam Domino in holocaustum, sed ipsius etiam quodammodo rapinam Divinitatis. Enimverò dum repudiant veri Dei directionem propositam per Superiores, nec alicui volunt obsequi nisi sibi solis, quid aliud agunt quàm seipsos constituere Deos, in veri Dei injuriam? Ista est divinitas quam serpens Evæ proposuit, quam & ipsa affectans propriâ fuit usa voluntatis, atque Adamum in eamdem pertraxit ambitionem. *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ.* Per hanc malam voluntate propriæ usurpationem, & furtivam appetentiam divinitatis, intravit in mundum totius mali seminarium; & factum est, ut loco desideratæ scientiæ boni, potiùs mali scientia & concupiscentia in omnes homines pertransiet. Quod graviter expendit Seraphicus noster Patriarha, dum ait: *Dixit Dominus ad Adam*: De omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. *De omni ligno paradisi commedere poterat Adam: quia dum non venit contra obedientiam, nec peccavit. Ille enim comedit de ligno scientiæ boni & mali, qui sibi suam voluntatem appropiat, & se exaltat de bonis quæ Dominus dedit, & operatur in ipso: & sic per suggestionem Diaboli, & transgressionem mandati, factum est ei pomum scientiæ mali. Unde oportet quòd sustineat pœnam*, & per miseriam discat, non appetere esse sicut Deus.

Opusc. Tom. 1. In sacr. admon. cap. 2.

Nos igitur, qui per sacrum obedientiæ votum, propter Deum proprias abnegavimus voluntates, caveamus rapinam in sancto isto committere holocausto. Quænam erit ista in nostrum Dominum contumelia, si rem ei donatam primitus & consecratum, denuo postea præsumamus contra ejus beneplacitum usurpare? Numquid hoc est Christum triumphanter cum acclamationibus velut Regem Israël suscipere, eumque cum inconstante Judaico populo post dies aliquot negare, & cum ejus exclusione Cæsarem acclamare? Memioerimus itaque liberæ istius sponsionis, & sacræ renuntiationis, quam acceptavit Deus, lætantibus & applaudentibus Angelis. Et hæc memoria sit nobis frænum, ne extra metas evagemur, à nobismet ipsis constitutas: sit nobis in novum illius firmi pacti stabilimentum: sit nobis in suscitationem illius primæ magnanimitatis, quâ perduellem illum & contumacem hostem divinorum voluntatum alligavimus, semperque tenere promisimus alligatum. Sic vigilemus, ut non elabatur, nec pergat ampliùs debachari; sed liberum maneat Dei regnum super nos & in nobis, & cum ejus regno vera nostræ mentis libertas, sanctique amoris aptitudo non impedita.

Cavendus in primis subtilis & fortis laquens, quem præparat dæmon meditautlbus opera bona, ut horum occasione propriam obfirment voluntatem, sub specioso Constantiæ titulo: quam quidem in operibus indifferentibus erubescerent tueri; sed in sanctis se ostendere inflexibiles, autumant gloriosum. Verùm nec in hac materia beneplacitum est Domino in abnegatæ voluntatis propriæ usurpatione. Olim insipientes aliqui querebantur: *Quare jejunavimus, & non aspexisti; humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Et mox subjungebat Dominus rationem: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Sanctissima sint quæ agas, si in iis inveniatur rapina voluntatis ad te non ampliùs pertinentis, haud dubium quin sint abominabilia. Fuit hoc aliquando cælitùs demonstratum F. Marco Cortoniensi. Hic cogitaverat Ordinem deserere, quia non permittebatur vacare suis orationibus, sed mittebatur ad foris mendicandum. Tum ei Christus apparuit, dixitque severâ voce: *Vade, apostata, quòcumque placuerit; quomodo possum tibi favere, quum cogites Ordinem deserere quem ego tantoperè diligo*: Illa reprehensio multos adhuc alios redarguit, de quibus vir illuminatissimus Thaulerus, qui certas orationes legere proponunt, aut alia bona opera facere, diversosq; modos privatos, & diversa assumunt exercitia; à quibus, si per obedientiam evocentur, innotescit illicò quam in se pacem habeant. Invenies quod ægrè obedientiam privatis illis præponent exercitiis. Cur verò hoc, nisi quia judiciis & desideriis propriis inhærent cum proprietate? Paupertatem nobis suasit Deus, quia ipse nostri curam suscipere disponebat, interim quòd toto corde quæreremus regnum Dei & justitiam ejus: eâdem ratione nobis Obedientiam suasit, ut ipse solus director noster esset atque consiliarius. Sciebat quàm incertæ atque imbecilles essent providentiæ nostræ, quàm contraria saluti nostræ desideria propria, quàm obnoxia erroribus consilia nostra, de iis etiam quæ speciem præferunt pietatis; ideo Patrem constituit agere, dummodo nos ageremus ut filii, & nos ipsos cum plena resignatione sapientiæ ipsius & providentiæ committeremus. Hoc egimus, eumque ut Patrem agnovimus, cum pacto, ut sub tutoribus & actoribus hominibus essemus, usque ad præfinitum tempus à Patre: leges etiam passuri præfinitas à Patre, & traditas tutoribus istis sive tradendas. Sub illius paternæ providentiæ confidentiâ, rediimus ad puerilem istum simplicis obedientiæ statum, quem indicari ostendit Liranus noster, in illis verbis: *Si non humiliter sentiebam, & subjeci animam meam* (secundùm Hebraicum sensum.) Ubi subdit Propheta qualis sit illa subjectio: *Sicut ablactatus est super matre sua*; quia non tentat in magnis & mirabilibus ambulare; sed in cunctis, sive parvis, sive magnis, noxiis vel utilibus, maternæ nititur directioni.

Isaiæ 58. vers. 3.

Chron. p. 3. lib. 7. cap. 42.

Serm. 1. in Domin. 3. post Trinit.

Psal. 130. vers. 2.

TEX-

TEXTUS & §. XII.

Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris.

SUMMARIUM.

Obediens Jesus, [illegible] docet obediendi. Ut eum assequamur, cæci fiamus in d[illegible]cernendis sufficientiis Prælatorum. Quanti æstimata fuerit humilis subjectio à D. Bonaventura, alijsque præcipuis Ordinis viris. D. Bernardinus obedientes equo comparat in præliis victorioso. Ipsi enim victores sunt dæmonum, sui-ipsius, Dei, & beatissimæ Virginis. Moriens in obedientia servitii peste infectorum, cœlesti gloriâ remuneratus.

JEsus annorum duodecim, perditus, & à Maria matre & Joseph nutritio inventus post triduum in templo Jerosolymitano; *descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* (Luc. 2. vers. 51.) Hanc formam obediendi puer Jesus pueris sanctis tradidit, sive Religiosis, qui ejus amore humiliant se & sicut parvuli efficiuntur. *Sequi illos in Nazareth non despexit*, ait D. Bernardus (Serm. 20. in Cantica.), *Magister discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia fabrum & fœminam; Et erat, inquam, subditus illis.* Hoc raro miroque exemplo confunditur superbia nostra, qui dedignamur quandoque Præpositis obedire, cùm tamen audiamus Dominum majestatis duobus illis pauperculis hominibus subditum in omnibus, & obsequentem. Multis utitur technis humani generis inimicus ad subvertendam obedientiam nostram. Quod probè sciens inclitus noster Fundator, ut necessitatem & importantiam obligationis obediendi clariùs intelligeremus & temerare formidaremus, præter voti vinculum editum in sacra Professione, strictum superaddidit præceptum, dicens: *Firmiter præcipio Fratribus, ut obediant suis Ministris.* Ubi non soli Ministri Provinciales, sed Superiores quoque locales veniunt intelligendi, prout & usus obtinuit, & ipse Vir Sanctus observavit, & Testamento suo scriptum reliquit his verbis: *Firmiter volo obedire Generali Ministro hujus Fraternitatis, & illi Guardiano, quem sibi placuerit, mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam & voluntatem suam, quia Dominus meus est.*

Ut ad hanc sanctissimi Patris pervenire possimus Obedientiæ perfectionem, debemus in primis nos-ipsos cæcos efficere in discernendis sufficientiis Prælatorum. Dum ii, quorum interest, Rectores domibus præficerunt, qualitates eorũ discusserunt, & ad hoc officium nominârunt, internæ suæ paci quàm plurimùm consulent subditi, si non ulteriùs eorum mores discutiant & imperfectiones, ne discutiendo aliquem imbibant contemptum & adversionem, vel alios ab eorum abstrahant veneratione. Equi non dirigunt aurigam, neque de illius judicant peritia: sæculares homines ei Regi subsunt, quem fortuna præposuit; & plurima mundi pars, ab eis regitur magistratibus, quos elegerint alii. Non sit igitur grave viro Religioso à judicationibus cavere Præpositorum, eorumque ductum in omnibus per cæcam subsequi obedientiam. Huic proposito deservit exemplum, quo usus fuit aliquando Franciscus: *Vide*, inquiebat, *multoties cæcum quemdam, qui non habebat nisi caniculam pro duce itineris sui. Caniculam, quòcumque ducebat, sequebatur, ad illius ductum ambulabat; viæ vel itineris hujus vel illius rationem non flagitabat à duce: si præibat per petrosa, sequebatur; si per plateas & plana, comitabatur, si ad templum ducebat, orabat; si domos introibat, eleemosynas petebat; ita omnia pro caniculæ ducentis voluntate faciebat, nec aliquò sinè illius ductu pergebat. Talis esse debet verus & perfectus obediens. Ad obedientiam, cæcum esse expedit, oculos in obsequium Prælati claudere, ut de præceptis non velit nec valeat discernere, sed quod præcipitur, humiliter & promptè complere: quocumque Prælati præceptum vel voluntas præcedit, sequi; invia & petrosa pro obedientiæ merito hilariter contemnere, ac si per plana ambularet, pergere. Non præcepti difficultatem; sed præcipientis auctoritatem, & obedientiæ meritum, decet & debet verus obediens in omnibus considerare.* (Opuscul. Tom. 3. Exemp. 1.)

Tametsi vilis foret Prælatus instar caniculæ, sufficit tamen nobis ad vitæ ducatum. Id solùm consideravit in Superiore Franciscus. Unde dixit aliquando Sociis: *Inter alia quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter novitio unius* (Vita cap. 6. num. 4.)

hora obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo Fratri. Subditus, inquit, *Prælatum suum non hominem considerare debet, sed eum, pro cujus est amore subjectus.* Qui non libenter obediunt nisi doctis, maturis, honoratis, liberalibus & suavibus Patribus, numquid præsumi possent non propter Deum, sed propter sibi placentes homines obedire? Fateor equidem, electoribus Prælatorum habendam esse rationem, ut iis officia committantur, qui cum minori gravamine subditorum ea valeant administrare. Si qui tamen, aut ex errore, aut ex meliorum penuria præficiantur, meminisse decet ejus quod B. Pe-

1. Petri 2. vers. 18. trus monuit: *Servi subditi estote cum omni timore Dominis; non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Et rationem addit pro solatio

vers. 19. subditorum: *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam, sustinet quis tristitias patiens injustè.* Tam enim gratiosa est, & meritoria, ut angelicam obedientiam superet. Ad quod probandum, hujusmodi utitur ratiocinatione

De Grad. Virt. c. 2. Seraphicus Doctor: *Obedientia altus gradus est obedire Creatori, Redemptori, Remuneratori nostro, qui vult bonum nostrum, &c. Altior videtur gradus, cùm obedimus homini propter Deum, sive quasi in persona Dei: cùm, inquam, obedimus homini discreto & perfecto. Altissimus videtur gradus, dum obedimus homini indiscreto, dyscolo & distorto, in persona Dei: qui multa imperat cum impetu, & sinè discretione. Prima est Angelorum; sed vos secundam, & sæpè tertiam subitis. Item aliqualis gradus obedientia est, obedire in eo quod aliqualiter suave & leve est. In hoc sunt Angeli. Altior autem est obedire in gravibus, & ad longum tempus: imò toto tempore vitæ in isto gradu statis.* Ad amovendum autem obedientiæ impedimentum, quod posset ex consideratione imperfectionum rectoris suboriri, opportunum erit remedium, quod B.

Grad. 4. Joannes Climacus suggessit: *Quando cogitatio tua*, inquiebat, *te inducit ad judicandum pastorem tuum, ab ea discedas cum tanto horrore, sicut à fornicaria cogitatione; cùm æquè tendat ad voti violationem, sicut impura cogitatio.*

Sub quibuscumque fuerimus constituti Præfectis, proficua nobis semper erit obedientia. Verissimum est enim de ea prolatum à sancto

Opusc. Tom. 3. Orat. 27. Patre nostro elogium: *Obedientia est fidei opus, probatio vera spei, argumentum charitatis, mater humilitatis, & genitrix pacis Dei, quæ exuperat omnem sensum.* B. Jordanus, in Fratre Minore

Annal. Tom. 1. an. 1230. num. 16. nulla sanctitatis signa, nisi cum obedientia conjuncta venerabatur, aut alicujus æstimabat momenti. B. Franciscus Papiensis tanto hujus virtutis æstuabat amore, aliisque eam instantissimè commendabat, ut exclamaret aliquando:

Chron. parte 3. lib. 3. c. 43. *O sancta Obedientia, quàm tu es grata in oculis Dei! quam beata anima, quæ te possidet! ea enim omnes possidet virtutes, nec ei quidquam mali potest accidere.* Interrogatus interdum, quid fieri posset acceptissimum Domino, respondebat: *Humiliate vos, humiliate vos: in hoc enim posita est perfectio nostra. Pluris enim facio obedire perfectè, quàm mortuos suscitare: & si offerenda esset candela Sanctis, minorem offerrem putanti miraculu, majorem verò ei, quem viderem mortuum per abnegationem sui in manibus Prælati.*

S. Bernardinus luculenter deprædicans ejusdem virtutis eximia bona, inter alia dicit: Equus, ascensoris circumvolutionibus assue- Tom. 3.
tus, ad voluntatem ipsius faciliùs flecti potest; Serm. 13.
assuescit autem diversis inclinationis propriæ art. 2. c. 3.
mortificationibus. Equus iste domitus, est Religiosus, cui appositum est obedientiæ frænum; & de talibus scriptum est apud Zachariam: *Posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.* Zachar. 10.
Operatur enim Deus per obedientiam in viro vers. 3.
Religioso salutifera & gloriosa, ut meritò equus gloriæ dici possit. Si non assuescat ad voluntatem sui Prælati loco Christi; nunc ad dextram prosperitatis, nunc ad sinistram adversitatis; in die belli profectò succumbet, quando ei aliquid grave præcipitur. Liceat insuper de iis dicere, quod subdit Propheta prædictus: *Et erunt quasi fortes conculcantes lu-* vers. 5.
tum viarum in prælio, transeuntes sinè respectu vel timore luti, aut obstaculi cujuscumque vel cœnosæ profunditatis, *& bellabunt, quia Dominus cum eis*, dans fervorem in voluntate, in facultate membrisque vigorem, & amorem in obedientiæ executione.

Inde consequitur, quòd obediens loquetur victorias. Primò quidem contra hostem malignum triumphabit, qui antea velut sessor dominus, voluntatem circumducere moliebatur; quem si excutit à se, confundit egregiè: quemadmodum addit Zacharias suprà designans obedientem: *Et confundentur ascensores equorum*, hoc est maligni spiritus ascensores & directores propriarum voluntatum. Hi Vita S.
quodam tempore civitatem Aretii intestinis Franc. c. 6.
tumultibus succeedens, visi fuerunt à Fran- num. 10.
cisco supra urbem mirabiliter exultare. Ut autem Vir Dei seditiosas illas fugaret aëreas potestates, Fratrem Sylvestrum præmitit, dicens: Vade ante portam civitatis, & ex parte Dei omnipotentis, dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter. Accelerat verus obediens Patris jussa perficere, & hostibus infernalibus profligatis, pacis & concordiæ jura inter se cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Humilis enim obedientiæ arduâ promerente virtute, super spiritus illos rebelles atque protervos, tam potestativum fuerat Franciscus assecutus imperium, ut & ipsorum feroces protervias premeret, & importunas violentias propulsaret.

Deinde seipsum vincit obediens, ut propriæ salutis domesticum hostem, cui contradicere, & in omnibus contra judicium proprium sequi beneplacita Superiorum est operosissimum. Potissima verò victoria est super invictum cœli terræque Regem, quem nobis facimus obedire, dum propter ipsum nos-ipsos subjicimus homini æquali, vel etiam imperfectiori. Ista est charitatis obedientia, de qua scripsit S. David: *Voluntatem timentium se fa-*
ciet. Quid est, quòd Dei Filium fecit subditum Psal. 144.
Mariæ voluntatibus, nisi quia ipsa primitùm vers. 19.
divinis beneplacitis obedivit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum?* Ipsa quoque pia Mater se vinci patitur per homines obedientes. Cuidam innocenti Novi- Chron.
tio, injunxerat suus Guardianus, ut à Deipa- p. 2. lib. 1.
ra peteret, quænam sit ipsi gratissima oratio? c. 36.

neque

ncque comederet, biberet aut dormiret nisi habito responso: cùmque per diem integrum perseverasset, atque per magnam noctis partem, allegans se non posse inde absque responso discedere, victa est piissima Virgo, eique apparens, revelavit, hymnum *O gloriosa Domina* sibi acceptissimum esse.

Tales Franciscus agnoscit suos esse discipulos, nec deserit eos, quamdiu quantumcumque ardua & periculosa conantur implere. Sic (Chron. p. 1. lib. 7. cap. 19.) Fratri Damiano à Ripa, per obedientiam misso, atque eunti ad servitium pestiferorum, pius Pater se comitem in via præstitit, ut eum ad opus illud arduum redderet alacriorem. Ad (Ibid. lib. 8. cap. 30.) idem opus atque periculum destinatus F. Ambrosius Lombardus se statim quidem accinxit itineri, sed non absque formidine. Addebat ei animum quidam è confratribus, monens ut promissæ meminisset obedientiæ, simulque rogabat, ut si forsitan mori contingeret, de suo statu se redderet certiorem. Respondit ille certò se scire moriendum sibi esse in eo servitio: malle tamen mori, quàm non obedire. Atque ita accidit; & juxta condictum, confratri apparuit ingenti lumine circumfusus, & pretiosissimâ redimitus coronâ, dicens: *Hac sum per simplicis obedientiæ meritum consecutus.* Cui ille: Ergone, inquit, mortuus es? Respondebat: *Non Frater mi, non sum mortuus; sed nunc primùm incipio vivere.* Ardua quidem illa fuerat obedientia; sed gloriosus secutus est fructus, & præmium incomparabile.

TEXTUS & §. *XIII.*

In omnibus quæ promiserunt Domino observare.

SUMMARIUM.

Per figuram S. Scripturæ significatur permanentia obligationis relictæ ex sacra professione. Promissæ obedientiæ violatio, pro consequente pœna, habet carnis propriæ rebellionem: & quandoque apostaticum recessum à Religione, ad quem gradatim perveniunt inobedientes. Franciscus qualiter punierit inobedientiam. Qualiter Deus. Detestabiles sunt dissuasores obedientiæ & discussores mandatorum. Item qui nihil curant quod non sub peccato præcipitur. De obediendo præceptis actuum internorum. Obedientiæ impletio omnibus aliis functionibus anteponenda.

JOsuë Ductor Israëlitici populi, priusquam viam ingrederetur universæ carnis, tam efficaciter supremis sermonibus commonuit populum, de sua erga Dominum oligatione, (Josue 24. vers. 21.) ut unanimiter conclamarent: *Serviemus Domino, quia ipse est Deus noster.* Et subinferente Josuë: *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei*: Responderunt: *Testes*, & iteratis denuò vocibus acclamârunt: *Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.* Scripsitque Josuë omnia verba hæc in volumine legis Domini, & tulit lapidem pergrandem, & posuit eum in testimonium initæ sponsionis. Simili planè modo nos Religiosi per sacram professionem elegimus Dominum, ut serviremus ei; hominibus audientibus, & applaudentibus Angelis diximus: *Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.* Fœdus inivimus coram Domino, dicentes: *Voveo servare Regulam &c.* Et omnia verba hæc scripta sunt in volumine legis Domini; in divino, inquam, intellectu, ut numquam à contracta obligatione sit integrum resilire. (Josue 4. vers. 26.) *Et tulit* Josuë *lapidem pergrandem*, posuitque eum in testimonium. Per alios lapides, quos per duodecim viros electos de medio Jordanis alveo sublatos, jam antè idem Josuë collocaverat in Galgalis, Seraphicus Doctor præcepta intelligit Regulæ Franciscanæ; (Expos. Regulæ in c. 1.) potestque adeò per lapidem hunc pergrandem, præsens præceptum significari, quo Franciscus mandat suis Fratribus, ut Prælatis obediant, *in omnibus quæ promiserunt Domino observare.* Hic est lapis positus in testimonium, & continuam nobis testicans memoriam factæ promissionis, per quem nobis sanctus Pater quasi jugiter ingerit, illud: *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei*, ut Rectoribus obediatis ipsius vices obeuntibus.

Magna nos manet punitio, si recedentes à pacto illo sacro, non servaverimus promissam Obedientiam. *Si dimiseritis Dominum*, ait Josuë, *& servieritis Diis alienis*, propriarum sequentes dictamina voluntatum, *convertet se, & affliget vos, atque subvertet.* (Josue 24. vers. 20.) Sic planè etiam nunc punire solet Deus inobedientiam per evidentem derelictionem, suæque gratiæ subtractionem. Justum illud Dei judicium

TEXTVS & §. *VIII.*

Non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam.

SVMMARIVM.

Plurimùm interest boni communis rectè præcipi à Rectoribus. Hos contra suam animam præcipere aliquando contingit. 1. Ex Infidelitate. 2. Ex *Superbia. 3.* Ex *Iracundia. 4.* Ex *Invidia. 5.* Ex *Avaritia. 6.* Ex *consiliis pravis adulatorum, Superioribus assistentium.*

INter eos qui fuerunt auxilio Davidi ad stabiliendum regnum ejus, referuntur in histo-
1. Paral. 2. vers. 32. ria sacra fuisse *de filiis Isachar, viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, Principes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur.* Plurimùm, sanè momenti habet ad politici corporis stabilem constitutionem, rectè præcipientium copia; legumque præscripta solidum ei conferunt firmamentum. Ea propter, Seraphicus noster Institutor, regnum cupiens perfectionis Evangelicæ in suæ Religionis congregatione firmari, viros requisivit eruditos, qui singulas nossent circumstantias, ad præcipiendum quid facere deberent subditi, quorumque consilia sequerentur. Ideo Prælatos huic muneri deputatos, commonet præsenti textu, *non præcipere subditis aliquid, quod sit contra animam suam.* Latissimam fecit eorum potestatem; sed in ædificationem, non in destructionem. In hoc solo restrictam voluit quo Deus ipse restrinxit, ut nil præcipiant quod sit contra propriam animam (de quo nunc agimus) vel animas subditorum, de quibus acturi sumus inferiùs Textu & §. 14.

Sex prodigiosæ insaniæ abduxerunt in transversum incautos Principes sæculares, ut in Dei jura involarent, ad suarum perniciem animarum. Ut ab eis sibi cavere possint Religiosi Superiores, consultum fuerit easdem hic breviter recensere.

Primò, Tyrannos antiquos ethnicos, & hæreticos recentiores, acerrimos fecit Infidelitas, & pertinacitas contra Veritatem, ut sacrilega juberent & impia; nec non imperata suppliciis ac persecutionibus stabilirent. Hæc quidem facinora minimè locum habent in Prælatis Religiosorum: minora tamen proponere possent, spiritus infernales, & ea quandoque sine damnationis suspicione contingeret acceptari. posset eis in rebus agibilibus error obrepere, quæ postea vel inquisitione propriâ, vel aliorum perspicaciâ detegeretur. Cavendum eo casu, ne pertinaces sint adversùs sententias meliores & ne prævalente eis pudore credendi aliis, gradu minoribus, dictam suum vel decretum iniquum obstinatiùs tueantur, & quod evincere nequeunt evidentiâ rationum, clamosâ velint perfringere auctoritate. Species est impietatis, suâ pertinaciâ ciere turbas communitatis: Vir *impius*, ait Sapiens, *procaciter ob-* Prov. 21.
firmat vultum suum, dum non solùm alienis vers. 29.
convictus rationibus, sed propriæ quoque judicio conscientiæ se cognoscit errare, ac nihilominùs actus inhabitante superbiæ spiritu, infractè in præconceptis persistit mandatis. Haud parum subditi perturbantur, dum non libenter repugnant armato potestate Superiori, nec ex adverso possunt justitiam, & cognitam deserere veritatem.

Secundò, Alios elevavit horribilis Superbia, quâ tamquam Dii haberi voluêre, quorum jussis cedere deberent omnia divina & humana. Talis erat Nabuchodonozor, & alii, qui conati sunt subditos ad sui cogere adorationem. Quàm male arrogantes ejusmodi suam tueantur auctoritatem, D. Gregorius ex-
plicat, dicens: *Sæpè qui in potestate sunt, ea quæ* Lib. 5. moral. cap. 8.
rectè faciunt, quia elatè cogitant, amittunt, dumque se ad cuncta utiles æstimant, etiam impensæ utilitatis sibi meritum damnant. Ut enim cujuslibet facta digniora sint, necesse est, ut ei apud se semper indigna videantur, ne eadem bona actio cor agentis sublevet, & sublevando plùs auctorem de elatione dejiciat, quàm ipsos fortè quibus impenditur, juvat. Hinc est enim quòd Rex Babyloniæ dum elatâ mente apud se volveret, Nonnè hæc est Babylon quam ego ædificavi? in irrationale animal protinùs versus est. quod enim factus fuerat, perdidit, quia humiliter noluit dissimulare quod fecit. Et quia elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis, amisit. Ita ut qui auctoritatem, ut Rex antè habuerat, nec auctoritatem ut homo retinere posset. *Potestas* itaque (pergit Gregorius) *cùm habetur & cogitanda est ad utilitatem, & dissimulanda propter tumorem; quatenus is qui eâ utitur, & ut prodesse debeat, posse se sciat: & ut extolli non debeat, posse se nesciat.*

Hoc monitum recondendum est in animo alterius cujuscumque Superioris, ne superbia similis inspiret ei non animum patris induere, sed alicujus fastuosi regis, qui velit licitum esse quidquid dictaverit; sive conforme sit Dei legibus, receptisque dudum sanctis consuetudinibus, sive difforme. Nec verbum

aliquod

aliquod excusatorium patitur, nec dilationem ad momentum temporis, neque deprecationem; sed perrumpit omnia, atque conculcat, quasi supremâ prorsùsque independenti polleat auctoritate. Talibus dicitur per Prophetam: Amos 6. vers. 12. *Convertistis in amaritudinem justitiam, & fructum justitiæ in absynthium; qui lætamini in nihilo; qui dicitis: numquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Non modò contemptibilis, verùm & odiosissima est superciliosa illa auctoritatis ostentatio: & Deus, qui superbis resistit, justo permittit judicio, ut aliquis subditorum imperterritâ resistentiâ confundat fastum imperantis. Quod licèt à subdito perperam fiat, à Deo tamen permittitur illius absurditatem hujus absurditatibus castigari: cùm enim suo fastu ille contemnat Deum, vicissim contemnit illum Deus, ne protegat eum à flagellis contradictionibusque linguarum. Eâ judicii severitate sceleratus Jeroboam in elatum Roboam insurgere permittebatur.

Tertiò, Principes alios præcipitavit Iracundia furiosa, quâ prædominante sunt subditis usi ad crudeles vindictas, eorumque quos oderant oppressiones: ut Saul ad Davidis occisionem. Textu & §. 6. Superiùs monuimus attendendum esse Prælatis, ne in correptionem prodeant subditorum, dum mentem suam sentiunt iracundiâ concitatam: nunc idem dicendum de præcipiendo vel prohibendo, ne videlicet mandata ebulliant sub indignationis fervore: timendum siquidem est, ne prodeant ex cupiditate illum in quem iracundiâ concitatus est contristandi aut gravandi præ cæteris: item ne scandalum erumpat ex minarum acerbitate, modisque præcipiendi contemptivis & provocativis; unde appareat præcipientem esse malo Saulis spiritu concitatum.

Matth. 2. vers. 16. Quartò, invidiæ dolor, præcipua insania est, quæ ursit Herodem, ut mittens occideret omnes pueros qui erant in Bethlehem, & omnibus finibus ejus, novo Rege Christo in lucem edito: & quæ etiam nunc Regibus persuadet Christianis, ut arment sua regna in vicinorum oppressionem, ne sibi fortè quid detrimenti ab eorum potentiâ valeat evenire; vel ut integros contra eos immittant exercitus, solâ acti vicinæ gloriæ invidentiâ. Ista crudelitas herodianæ invidiæ, quàm longissimè à sacris Religionibus arceatur. Oritur aliquando in eis novum Christi regnum, nova quædam exurgit reformatio: & inde futurum est, ut ferventioribus Religiosis ad ejusmodi reformationis congregationem transeuntibus, subditorum numerus prioribus Superioribus minuatur: itemque rectores meliores ex eadem postulentur reformatione. Hinc excitari posset in aliquibus zelus amarus, unam hanc & innocentem sobolem extinguendi, omnesque suæ factionis asseclas excitandi, ne suum regnum dividi sinant, & tradi genti facienti bonos fructus ejus, Deoque reddendi. Visæ sunt aliquando, prô dolor! tempestates ejusmodi scandalosæ, à spiritu consimili suscitatæ. Si quæ in posterum similes occurrerent occasiones, illi qui tunc præërunt, profundè indagent & dispiciant, probentque spiritus commoventes, si ex Deo sint, & num eorum molitiones non tendant ad extinctionem virtutis, quam non amant, vel nondum sunt assecuti; in qua vident dolentque se ab iis recentioribus superari: caveantque sollicitè ne quid aut præcipiant, aut prohibeant contra animam, quod possit eis in judicio Dei à Seraphico Francisco vel aliis Fundatoribus exprobrari. Offerent se forsitan ardeliones, urgentes ad arma sumenda, in exurgentis regni resistentiam; quemadmodum olim Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo; verùm in melius salubriusque consilium sint eximii aliqui nostri Ordinis Primiceri, qui per nullos tumultuarios persuaderi potuêre, ut suâ abuterentur potestate, in malum exurgentium reformationum, & melioris observantiæ regularis. Illi fuerunt F. Raymundus Gaufredi, F. Thomas Frignanus, F. Leonardus Giffonensis, F. Henricus Alferus, F. Angelus à Pireto, F. Franciscus Samson, aliique permulti. Annal. Tom. 4. an. 1302.

3. Reg. 21. Quintò, Regem Achab, & alios plures Avaritia dementavit, ut sibi falsos testes adsciscerent, ad bona subditorum in fiscum proprium derivanda. *Hæc est amphora egrediens*, Zachar. 5. vers. 6. quam vidit Propheta Zacharias, *& dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus..... Et ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis eorum, & habebant alas quasi alas milvi: & levaverunt amphoram inter terram & cælum.* Super qua Prophetica visione, talem S. Antonius Paduanus scribit interpretationem: *Per Amphoram intelligitur Avaritia, cujus os non clauditur, sed semper apertum est in ambitu temporalium.* Serm. Domin. 23. Pentheс. Hæc est oculus in universa terra, *quia omnes sciunt Avaritiam, & ad eam oculos habent. Comes avaritiæ est* massa plumbea, *sive globus in ore, scilicet æterna pœna, quæ nec ejici potest, nec transglutiri.* Duæ mulieres, *sunt rapina & furtum. Rapina attenditur in altis personis: furtum in minoribus. Hæ dicuntur habere* alas milvi, *quia rapinæ intendit.* Milvus *dicitur quasi* mollis avis, *estque viribus & volatu rapacissimus, & domesticis avibus insidiatur: ideoque rapacem elatum significat. Ista amphora* levatur inter cœlum & terram, *quia avarus neque cum Angelis in cælo, neque in terra cum hominibus; sed in aëre, cum Juda proditore, atque dæmonibus sibi locum elegit. Hæ mulieres dimittunt avarum, donec constituant eum* in terra; Sennaar *id est in loco fœtoris, sive in inferno* Sennaar *enim* fœtor *interpretatur.* Hucusque D. Antonius.

Hæ mulieres multos apprehendunt hujus sæculi Principes, & qui *æstimaverunt lusum* Sap. 15. vers. 12. *esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Per ministros suos, tamquam milvorum alas, quaquaversum ad prædam evolant. Vasallos suos, baillivos, milites, & officiales suos fidentiores, in omnem terram emittunt, ut undique satagant apportare. Sic præcipiunt miseri contra animam suam, ut ab omnibus eorum avaritiæ serviatur. Mandant eis per verba senis Isaac; sed dissimili spiritu: *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foràs:* Gen. 27. vers. 3.

feras: cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, & thesauros, *sicut velle me nosti, & affer, ut benedicat tibi anima mea.* Oramus Deum omnipotentem, ut similis concupiscentiæ pestis, nunquam irrumpat in electam Domini hæreditatem; in sanctos, inquam, Ordines Religiosorum: ne Superiores, quibus concredita est Evangelicæ observantia Paupertatis præcipiant contra animam suam, ultra necessitatis mensuram, cum continua subditorum inquietudine, cum functionum religiosarum atque divini officii detrimento, eleëmosynas sinè modo, mensurâ & numero comportare. De conquisitione necessariorum non est quæstio, neque scrupulus faciendus; imò sollicita cura pro illis, Superioribus demandatur; sed: Cap. 4. Regula.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra, citraque, nequit consistere rectum. Res foret deploranda, Prælatos constitutos in animarum pastores, in œconomos converti, patresfamilias & procuratores solorum temporalium, suisque domesticis uti non ut Dei servis ad cultum ejus solemniorem (nisi forsitan accessoriè) sed principaliter ut mancipiis, ad augendam rem familiarem. Nolo tamen Prælatos in hoc censuræ suorum subjicere subditorum; sed propriæ eos remittimus conscientiæ, suorumque judicio Superiorum.

Sextò, Denique corruptela regiminis est, à consiliis pravis circumstantium Principem adulatorum, Hi postquam hypocriticis complacentiis ejus gratiam occupârint, se præsumunt ingerere ad suggerendum sua sensa, in omnibus spectantibus ad gubernationem; cùm tamen sint in negotiis regiminis inexperti. Hinc suscitatur odium populi in familiares istos, qui nonnisi quæ sua sunt animadvertuntur quærere: & despectus in Principem ipsum, quem nonnisi pro statuâ habent, & nullius auctoritatis, eò quòd collatam in se gubernaculi potestatem; præter mentem Regni Procerum in vilem hominem transtulerit, aut pravum, aut inexpertum. De talium hypocritarum auctoritate, non aliter homines opinantur, quàm de locustis illis execrabilibus, quas describit B. Joannes in Apocalypsi: *Super capita earum tamquam coronæ similes auro, & facies earum tamquam facies hominum, & habebant capillos sicut capillos mulierum.* Sic sese componunt ad complacendum Rectoribus, & ad coronas regiminis aureas suis propriis capitibus imponendum; nil enim nisi commodum proprium præ oculis habent, totamque Superioris auctoritatē, in suum favorem, aliorumque præjudiciū convertere moliuntur. Unde *Dentes earum* locustarum *sicut dentes leonum erant, & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum.* Apoc. 9. vers. 7.

Alibi diximus, proborum & expertorum assistentiam consiliariorum, apprimè utilem; imò necessariam fore Superioribus Religiosorum, ut eorum consiliis prudenter in omnibus dirigantur. Hîc autem venit considerandum, haud gratum fore communitati; imò pluribus displiciturum, si Prælatum videant, unius solius, aut paucorum sibi familiarium, in omnibus consilia sequi, eis omnia communicare negotia subditorum, & dictamen eorum velut oracula infallibilia venerari; quidquid ab aliis magis probatis & expertis in contrarium proferatur. A tali Prælato quidquid ordinetur (tametsi rectè) odiosum subditis est, quia auctor consilii odiosus habetur; atque inde præceptum efficitur contemptibile. Noster Emmanuel Rodriguez tom. 2. qu. 1. art. 2. rectè docet Prælatos, quantùm debeant amicos vitare speciales, quàmque circumspectè sit cujuspiam familiaritas admittenda.

Concludam hanc materiam de rectè praecipiendo cum Apostolica ad universos animarum Præsides exhortatione: *De cætero Fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate*, hæc præcipite, *Quæ dedicistis & accepistis & audistis & vidistis* in Francisco Patre nostro, *hæc agite; Et Deus pacis erit vobiscum.* Philipp. 4. vers. 8.

TEXTVS & §. IX.

Et contra Regulam nostram.

SVMMARIVM.

Regula Francisci ab ipso Christo Domino dictata. Discursus D. Bernardini quo demonstratur nil contra eam præcipi posse. Quàm iniquum sit Constitutiones condere illi contrarias. Quid censendum de Privilegiis relaxativis, & laxis consuetudinibus. Quòd deceat superiores aliquando cedere subditis timoratis, cùm incipiunt ab eis quædam ut magis conformia Regulæ observari: nec hi statim rejiciendi sint ut scrupulosi.

Postquam Apostolus diversis sermonibus suam aperuisset Corinthiis potestatem, mox de eadem subjungens quo limite circumscribatur: *Non in immensum*, inquit, *gloriabi-* 2. Cor. 10. vers. 13.

gloriabimur, *sed secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus.* Ad eumdem modum noster sanctissimus Institutor, postquam futuris suæ Religionis Prælatis potestatem dedisset amplissimam præcipiendi, eamdem duobus voluit limitibus circumseptam; primùm quidem communibus Dei legibus, ne quippiam contra propriam præcipiant animam: deinde specialibus præscriptis Regulæ, quam Domino promittimus observare, ne videlicet, quæ mandat Superior sint, *contra Regulam nostram*, Sed ut verbo loquamur Apostolico, *secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus.* Quod verissimè de illa Regula dici potest, quam nobis tradidit pauperculus Christi Franciscus: siquidem ipse Deus, & non homo aliquis, eâ nobis mensus est formam Evangelicæ perfectionis: Christus ipse dictavit; excepit autem scripsitque Franciscus. Clarum & apertum est de hac re B. Birgittæ viduæ testimonium, dum ita sibi à Christo Jerolymis revelatum refert: *Istius Francisci Regula, quam ipse incepit, non fuit dictata & composita ab ipsius humano intellectu & prudentiâ; sed a me, secundùm voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea scriptum est, à Spiritu meo sibi fuit aspiratum, & posteà ipse aliis Regulam illam protulit & porrexit.* Ipsa est igitur mensura regulæ, quâ nobis, Franciscanis, mensus est Deus: & ipsa limes est, quem Franciscus posuit potestati præcipiendi, volens ut ab Ordinis Rectoribus nil ei contrarium præcipiatur.

Revelat. lib. 7. c. 20.

Hujus constitutionis rationem luculento discursu D. Bernardinus aperuit, dicens: *Cum enim Prælati regularis imperium ad Regulæ observantiam ordinetur (nam propter observantiam Regulæ, tamquam propter finem sui principalem, sunt Prælati in Religionibus instituti) impossibile est quòd ejus præceptum obliget ad aliquid, quod puritatem Regulæ labefaciat. Præterea cùm hujusmodi Prælati non habeant potestatem præcipiendi nisi ab ipsa Regula, nulla regula veritatis sibi-ipsi contradicit, aut sui destructionem & diminutionem intentat. Hinc patet, quòd hujusmodi nullam habent ex Regula potestatem præcipiendi aliquam Regulæ impuritatem. Ampliùs. Quis sanæ mentis dicet, quòd Christus consulendo & instituendo Evangelicam perfectionem, dederit consilium aliquod, alligans hominem ad diminutionem illius perfectionis, quam consulebat? Vel quòd unum de supremis inter consilia, includat in se alligationem ad aliquam imperfectionem seu impuritatem? Tale est consilium obedientiæ cui correlativa est potestas præcipiendi. Unde sequitur, eos quibus præcipiendi jus est, cohiberi ne præcipere possint, quæ puritatem Evangelicæ perfectionis in Regula tradita, mortaliter aut venialiter labefactant.*

Tom. 3. dial. de Obed. post Aug. 12.

Nihilominus inventi sunt aliquando temerarii Regulæ supplantatores, quibus cùm displiceret ejus rigor, nec eum possent aperto marte expugnare, subdolis astibus concinnarunt Statuta quasi pro restituenda & firmanda meliori politia, immistis articulis aliquot materiam Regulæ concernentibus, quibus sub specie discreti temperamenti, permittebantur, quæ Regula & declarationes Pontifici prohibebant. Quibus statutis, præter unius Ministri Generalis auctoritatem, & aliquot illi adhærentium Provincialium, conati sunt Apostolicam appendere approbationem, cum solemni mandato, ut his omnes colla submitterent, & hanc elaboratam reformationem absque contradictione reciperent. Verùm adfuit Pontifici & collegio Cardinalium S. Franciscus ad defendendam suam Regulam & Institutum, atque confusibiliter rejectum fuit impium ac temerarium illorum hominum attentatum. Deus optimus maximus de cætero conservet omnes ab ejusmodi nequitia: & conditores, revisores, aut compilatores Statutorum, vel in illa consentientes, inspiciant accuratè quæ proponantur eisdem, priùsquam alicui subscribant sententiæ, quæ vel minimum posset suspecta videri. Seraphici Patris nostri timeant indignationem. Ipsi certè est eadem mens de sua Regula, quæ olim erat Apostolo de Evangelio, quando dicebat: *Licet nos, aut Angelus de cœlo, evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit: sicut prædiximus vobis, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quis non horreat tam severum anathema, & justam indignationem? Tonat etiam desuper Deus: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt.* Portam aperiunt mille angustiis Fratrum pauperculorum, qui possent & auderent obviare præceptis personalibus unius Superioris, dum manifestam continent prævaricationem; sed difficulter, aut nullatenus possunt imperium cohibere unius statuti, ex Capituli auctoritate publica promulgati. Per ipsum tale Statutum, Viri boni quasi rediguntur in servitutem malè agendi, & libertate privantur servandi Regulam, quam S. Pater tantopere semper voluit esse intemeratam. Illi igitur quorum interest, prædictum *Væ* divinum ad se noverint pertinere, si temerè vel inconsideratè in ejusmodi leges iniquas fuerint suffragati. Verissimè siquidem dicit Cyprianus: *Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur ut divina dispositio violetur. Procul ab ejusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut cancrum & pestem fugiendo vitate.* Cùm Regula nostra sit ipsa divina dispositio, certè adulterum erit atque sacrilegum, quidquid contra ipsam contigerit ordinari.

Gal. 1. vers. 8.

Isa. 10. vers. 1.

Lib. 1. Epist. 8.

Aliam quoque fraudem deplorat Alvarus Pelagius, quæ latet sub impetratione Privilegiorum, puritatem rigoremque Regulæ relaxantium. Hæc ipse damnat absolutè, vitæque Francisci demonstrat esse contraria. Nolumus nos censores fieri summorum Pontificum, qui bono animo Privilegia ejusmodi olim aliquando concesserunt; sed non agnoscimus pro fidelibus seraphici Patris discipulis, qui propriâ victi sensualitate impossibilem sibi sanctam Regulam reddiderunt, quorum insanabili, jam dudum contractæ, infirmitati, oportuit condescendere, ne per lamenta continua Sedem Apostolicam pergerent fatigare. In hoc etiam imprimis culpabiles forent, si pios subditos dispensationis illis Privilegiis non indi-

gentes, scimumque habentes & fortitudinem, Regulam quam voverunt litteraliter obſervandi, ſecum trahere vellent in ejuſdem conſortium relaxationis, ad ſervandam, ut ajunt, conformitatem. Si tales aliqui repetiantur miſericordes fautores ſenſualitatis, noverint ſe ſimili feriendos ſententiâ, quæ ad calcem Apocalypſis apponitur contra addentes vel dementes illi Libro contra ſancti Spiritûs intentionem: Apoc. 22. verſ. 18. *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem illius de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Tametſi enim Regula noſtra non pertingat ad ſacræ Scripturæ ſublimitatem, quia tamen ipſo Deo dictante, atque ſancta Eccleſia promulgante, confirmante & declarante, tot jam ſæculis perſiſtit, & per eam ſalvati ſunt innumerabiles ſancti Dei homines: qui contra hanc perfectionis Evangelicæ formulam aliquid inique moliuntur, contradicente Christo ejuſque Evangelio, Eccleſiâ, & Franciſco Regulæ defenſore, portabunt judicium, quicumque ſint illi. Job. 15. verſ. 25. *Tetendit impius*, ait S. Job, *adverſùs Deum manum ſuam; & contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adverſùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt.* Quid tandem? *Non ditabitur, nec perſeverabit ſubſtantia ejus, nec mittet in terra radicem ſuam &c.*

Solantur forſitan ſemetipſos, quòd non ampliùs illicita ſint ea quæ præcipiunt, ſed jam facta licita per diſpenſationem. D. Bernardo olim ſimilia reſponderunt. Audiamus verò quid ſenſerit de iiſdem: Epiſt. 7. ad Adam monachū *Non ſolùm divinis humana, ſed & communibus privata vos prætuliſſe imperia ad probationem ſufficiat, quod veſtra illa & novitatis inſolita, & inſolentis præſumptionis, non tantùm noſtri Ordinis univerſitas, ſed & omnium monaſteriorum & conſuetudo & inſtitutio reclamare videtur. Quod & vos quoque non immeritò timentes, nec ſatis de propria cauſa confidentes, remordentes conſcientias Apoſtolicâ conati eſtis defendere licentiâ. O frivolum ſatis remedium, quod non eſt aliud, niſi more protoplaſtorum cauteriatis conſcientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apoſtolicam, inquiunt, licentiam quæſivimus, & impetravimus. Utinam non licentiam quæſiſſetis, ſed conſilium, id eſt, ut non liceret, ſed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? Facere itaque volebatis quod non licebat. Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio quæ in malum tendebat. Niſi fortè talis hoc fuiſſe dicatur, quod abſque licentia quidem non liceret, liceret autem ſi cum licentia fieret.* Et cùm ſcandalum (de quo ibi diſputat) oſtendiſſet nec justè præcipi poſſe, nec innoxiè conſentiri; ſicut nec in noſtro propoſito voti tranſgreſſio ſinè neceſſitate, ſic proſequitur; *Hujus tamen patrandi mali quærendam eſſe putatis licentiam. Sed ad quid? an quantò licentiùs, tantò ſecuriùs, & quò ſecuriùs, eò & periculoſiùs peccaretis? Mira cautela & ſtupenda providentia.* Hæc ſuis Bernardus, & hæc ſuis etiam Franciſcus.

Nolim tamen ea in RR. Patres Conventuales intorqueri, qui prævaricatores dici non poſſunt eorum, quæ minimè promiſerunt, cùm jam ſublatus ſit uſus, quædam ex Regula promittendi, potiùs per jus novum atque decretum, quàm per Privilegium. Eos alloquimur, qui ore ſcriptoque proteſtantur ſe ſtare à parte Regulæ, ad litteram, juxta Pontificum Nicolai & Clementis declarationes: & facto interim atque opere ſe ſuoſque ſubditos ſecundùm uſurpata tentarent regere Privilegia, ſive juxta conſuetdinarios potiùs abuſus, de quibus nec ullam poſſent Papalem licentiam exhibere. Quid de illis Bernardus diceret, quando tam rigidè loquitur de licentiatis?

Ab iis etiam cavendum eſt, qui pondus dare vellent iniquis ſuis præceptis, dicendo: Patres noſtri, viri ſimplices atque devoti ſic fecerunt, nec aliquem in hoc ſcrupulum invenerunt. Itane ergo indubitata eſt Patrum iſtorum ſanctitas & ſapientia, ut Regulæ prævaleat ſanctitati? Quid ſi Patres illi ſimplices à malignis quibuſdem doctoribus inſtructi fuerint, *Numquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?* Job. 22. verſ. 15. *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere* Deut. 27. verſ. 18. Is autem errare facit, qui vel trahit ad manum per avia, aut miſerè aberrantem in errore confirmat, ut non quò tendit queat pervenire. Allegatores illos Patrum ſuorum laxiorum, retundit cum ſtomacho D. Bernardus: *Recedant à me & à vobis, qui dicunt: volumus eſſe meliores quàm patres noſtri – tepidorum & diſſolutorum ſe filios proteſtantes: quorum memoria in maledictione eſt, qui manducaverunt uvas acerbas, quibus dentes filiorum obſtupeſcunt.* Epiſt. 91.

Fieri poteſt ut cæcutiant quandoque Superiores, ſimplicibus ſubditis clariùs videntibus viam veritatis: quemadmodum videmus equum viâ rectâ procedere, eo qui inequitat dormiente. Et Patri ſuo cœleſti Chriſtus Dominus confitetur, *quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Matth. 11. verſ. 25. Temporibus B. Paulutii de Trincis, Laici ſimplicis, in Ordine florebant viri celebres in omni genere ſcientiarum, Prælati graves & ſpectabilis prudentiæ, quorum plurimis tamen non apparuit eximius ille minoriticæ perfectionis intellectus, ad quem erat Ordo reformandus, & qui fuit illi ſòli ineruditо laico revelatus. Sic olim ſermo Domini factus eſt ſuper parvulum Samuelem, Heli ſeniore poſthabito. Itaque non ſolùm Patrum erunt ſequenda veſtigia, ſed potiùs filiorum, dum major in iis videbitur rectitudo. Commune quidem Paſtoris officium eſt, quòd *cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit; & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus;* Joan. 10. verſ. 4. Scio tamen alicui dictum in Cantico Canticorum: *egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos &c.* Cant. 1. verſ. 7. Non erubeſcere debet Prælatus ſuorum ſequi veſtigia ſubditorum, eoſque duces virtutis accipere, dum Dei ſpiritum in eis viderit inhabitantem; & in quibuſcumque reperta, meliora cariſmata convenit æmulari. Sic Moyſes Exod. 18. non dedignatus eſt ſuſcipere conſilium Jethro; 2. Reg. 14. David mulierem audivit pro Abſolone

exule

[4.Reg.5.] exule deprecantem: Naamao fuorum acceptavit servorum consilium, ut in Jordane septies lavaretur; [Galat.2.] Princeps Apostolorum excepit humiliter D. Pauli informationem. Atque de hoc, B. Joannes Lucensis geoeralem tradidit regulam: [Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 47.] *Prælatus non debet ita super subditos exaltari, ut eos contemnat. Expedit ut aliquando eorum imploret consilia & sequatur, ut humiliùs de se sentiat, qui humilium indiguit & usus est consiliis.*

Hinc igitur concludendum erit, quòd timorati subditi sæpenumero in simplicitate sua Regulam ad litteram capiant, & subtiles evasiones ignorent rigoris litteralis, & sensum illius veriorem securioremque assequantur. Atque adeò, cùm ab his quædam incipiunt sponte ut magis conformia puritati Regulæ observari, non statim præpediri debent velut novitates, singularitates, superstitiones, hypocrises & scrupulositates. Cæco nato recta monenti mox insultabat superbia Pharisæorum: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* [Joan. 9. vers. 34.] Non sic debet humilitas Religiosorum; sed suspendendum est judicium exemplo prudentissimi Jacob Patriarchæ, qui licèt Josephum filium de narrationibus somniorum paternè & probatoriè increpasset; *rem* tamen *tacitus considerabat.* [Gen. 37. vers. 11.] Deponatur igitur opinio magna de sapientiæ propriæ irrefragabilitate, facti rationes sedato animo audiantur & ponderentur, dumque convicerint, eisdem humiliter acquiescatur; præsertim quando periculum est, commissam Superioris custodiæ, sacrosanctam Francisci Regulam temerandi.

TEXTUS & §. X.

Fratres verò qui sunt Subditi.

SUMMARIUM.

Multa sunt quæ Subditos meritò contentos faciant, imò gaudentes de statu suæ subjectionis. 1. Quia in Professione receptus est ad Obedientiam, non ad Prælaturam. 2. Quia status ille quietem tribuit contemplationis. 3. Exercitium virtutum præcipuarum, Humilitatis, Simplicitatis & Obedientiæ. 4. Securum præsidium contra molestissimas tentationes. 5. Amabilem reddit confratribus. 6. Liberat à reddendis supremo Judici rationibus, pro subditorum animabus.

HUmilitatis & obedientiæ forma Franciscus, non tam præesse voluit quàm subesse, nec tam præcipere, quàm parêre; unde Generali cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Erat quoque solitus dicere Fratribus: [Vita cap. 6. num. 3.] *In Prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate Subditi, animæ lucrum est. Cur ergo periculis plùs quàm lucris attendimus, cùm acceperimus tempus ad lucrum?* Deploranda sanè hominum illorum obcæcatio, qui felici securâque subjectionis sorte minimè contenti, ad periculosum aspirant gradum Superioritatis. Qoilibet partem haberet beatitudinis, etiam in hoc sæculo, si viveret suâ sorte contentus, atque quietus, sinè anxio status alterius desiderio; prout Apostolus suos monuit Corynthios, dicens: [1. Cor. 7. vers. 20.] *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es; Non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere* statu servitutis, ad exercitium humilitatis. *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.*

Parimodo diceret: Superior vocatus es? servus es Christi, ejusque mandatis obnoxius. Item vocatus es subditus? Christi servitute, potes æqualis esse Superiori: imo in cœlo terraque fieri honore sublimior; cùm plurimorum nomina sanctorum subditorum in perpetua vigeant memoria, de quorum Prælatis nulla nunc apud homines superest recordatio. In ea igitur subditi vocatione quâ vocatus es, in ea contentus permaneas: *Sed & si potes fieri liber*, si potes fieri de subdito Superior, *magis utere* securâ tranquillitate subjectionis; certus ex sanctissimi nostri Patriarchæ pronuntiato, quoniam *in Prælatione casus; in humilitate subditi animæ lucrum est.* Specialiter autem Franciscanus religiosus, multis debet rationibus, felicem illam submissionis appetere conditionem.

Primò, Quia finito probationis anno, admissus est atque receptus *ad obedientiam*, ut [Cap. 2. Reg. §. 24] superiùs expendimus; receptus est, inquam, non ad Prælaturæ Superioritatem, sed ad subjectionis *obedientiam.* Et ista fuit prima cogitatio nostra, dum omnimodâ postulavimus instantiâ, ut ad hunc sacrum Ordinem admitteremur. Quòd si cui postmodum illapsa sit alia cogitatio, atque præëminentiæ concupiscentia, verendum est, hanc non esse à Spiritu Sancto, sed ab eo qui dixit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* [Isaiæ 14. vers. 14.] Illi similem studet arrogantiam incautis suadere animabus, ut eas à sua decidere faciat felicitate; eosque magis infatuat, qui magis inidonei

sunt. Quibus evenit, quoad B. Gregorius observavit: *Dum temporali honore suffulti foris videntur surgere, intùs cadunt. Allevatio ipsa, ruina est; quia dum gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloria vera evacuantur, Hinc dicit* (scilicet Psalmista) Deficientes ut fumus deficient. *Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia unde ostenditur ut altus sit; inde agitur ut non sit.* Hos fumos prævenit & disjicit opportunè continua primæ nostræ postulationis memoria, quæ nonnisi subjectio fuit atque humilitas.

Lib. 18. Mor. c. 5. — Psal. 36. vers. 20.

Secundò, Attendenda est atque æstimanda suavissima quies eaque licita & honorabilis, non quam procurat ignavus amor otii, sed quam præbet Deus ipse, subditum in eo detinens statu. Propter eam quietem perditam quantas edit D. Gregorius lamentationes. *Durum valde fuit,* (scribit ad Anastasium) *quòd amor vester terrena me portare onera præcepit, & quem priùs spiritualiter diligebatis, postea, ut existimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis: ita ut omnem mentis rectitudinem perdens, contemplationisque aciem amittens, dicam: Incurvatus sum, & humiliatus sum usquequaque: tanta me quippe occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenùs erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, & post illa quietis otia tumultuosa vita tempestatibus affligor, ita ut rectè dicam*: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Et *Epist.* 24. in similia prorumpit lamenta, enumerans multa quæ summam ipsi formidinem incutiebant. Sic qui gustarunt donum Dei, in divinorum contemplatione, intelligunt quanti referat liberum esse à molestis Marthæ inquietudinibus, quibus Mariæ otium interturbatur; & sentiunt optimam esse partem sedere ad pedes Dominini, & audire interiùs verbum illius. Hoc otium permittit subditi status; qui licèt obnoxius sit externis obedientiæ occupationibus, eas tamen adimplet absque pungente sollicitudine, directè quietem oppugnante: quapropter licet ei inter medias occupationes coram Deo manere, atque ipsius fovere attento animo familiaritatem. Qui inhiant Superioritatis inquietudinibus, satis ostendunt se sanctas illas delicias haud intelligere; prudentiores verò non se fatigabunt ad excolenda aliena, quamdiu non vocantur, gaudebuntque; se liberos relinqui ad animæ propriæ curam, in qua sat inveniunt occupationis. Imò refugiunt poni custodes in vineis alienis; ne à custodiendis propriis distrahantur.

Lib. 1. Epist. 25. ad Anastasium. — Psal. 118. — Psal. 68.

Tertiò, Subministrat hic status subditis ingentem materiam virtutum insignium exercendarum. Humilitatis imprimis, dum apud homines pro gregariis habentur militibus, ad solùm natis laborem, nec ad digniorum virorum admittuntur familiaritatem. Dum etiam multa videre debent non adeò proprio consona judicio, & tacere nihilominus, propriumque judicium attemperare alieno; fructuosissima illa est humilitas, ex secuta insipientia, de qua Sapiens: *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens,* ille nimirum qui se respectu aliorum reputat insipientem. Atque de tali iterum scriptum est: *Melior est homo qui minuitur sapientiâ, & indiget sensu in timore Domini, quàm qui abundat sensu & transgreditur legem Altissimi.* Ista est simplicitas voluntaria, ex timore procedens sese aliis præferendi. Deinde circa Regulæ curam vigilantior est ordinariè subditus, cui semper imminet oculus Superiorum. Non paucos invenire est, quibus dum timor abest, facillimi sunt ea quæ sunt Ordinis, præsertim non obligatoria prætermittenda, seque abduci permittunt ad noxias libertates, qui tamen irreprehensibiles sunt, quamdiu sub oculis ambulant Superiorum. Obedientiæ quoque perfectæ gloria nonnisi in hoc statu apparet humiliori. Hujus amore Franciscus à gradu descendit Generalatûs, & D. Bernardinus & alii oblatos recusarunt Episcopatus, omnique instantia se subtraxerunt à muneribus officiorum, eligentes exemplo Christi Domini ministrare potiùs quàm ministrari, atque cupientes metere copiosissimam illam segetem meritorum, de qua Franciscus Dei famulus asserebat: *Tam uberem judice sancta Obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ejus colla subjiciunt, nullum abire possit tempus iners, nec sine emolumento hora aliqua inaniter pertransire.*

Prov. 26. vers. 12. — Eccles. 19. vers. 21. — Opusculo Tom. 3. Oraculo. 20.

Quartò, In hoc statu, securum est præsidium contra molestissimas tentationes, quæ concutiunt Præsidentes. Una de importunissimis est, honor ille qui ex obligatione defertur Superioribus; quem cum affectu suscipere complacentiæ, est humilitatis perditio; suscipere verò, nec affici, plusquam communis humanæ virtutis. Et quia tam pronus est appetitus ad istas lambentium blanditias, nil securius æstimarunt sancti Dei homines, quàm tales manere quos nullus aspiceret, suspiceret vel honoraret, sive vere sive fictè. Nobiliùs quidem est, tam immotum habere animum, qui nec benedictione nec maledictione moveatur. Sed quid aget, qui sibi de tanta diffidit virtutis soliditate? Declinabit utique à montibus Prælationis, ad humilis subjectionis convallem, quò non descendunt superbiæ venti, quibus sublimes quercus montium convelluntur.

Aliam suscitant tentationem, quotidianæ & multiplices subditorum imperfectiones, contemptus & negligentiæ, quæ miserum Superiorem in scopulos impellunt impatientiæ atque tristitiarum. A dextris & à sinistris, à magnis & parvis, à sapientibus & insipientibus, provenire possunt, quæ à Superiore debeant tolerari. Qui si non fuerit de perfectioribus, ad singula momenta fatigabitur; & si quid ei acciderit impatientiæ, tam mirabiliter illud accipitur à subditis, quasi non foret ipse sensitivus sicut cæteri hominum; quasi non posset ipse contristari, sed gaudenter deberet ab omnibus ingrata pati, & nihilominùs incessanter omnibus benefacere. Decretum illi videtur quod dixit Ecclesiasticus: *Pascet & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.* Sic ille multos & importunos dominos acquisivit; subditus autem unum duntaxat supportandum habet Superiorem, cui si morigerum sese exhibeat, amicum sentiet, fautorem, & patrem,

Eccles. 29. vers. 32.

patrem, ipse ab omni onere liberatus. Prælatum verò, cui totios incumbit familiæ follicitudo, bene monuit B. Joannes Luceosis, ut quidquid agat in communitatis emolumentum, *à subditis non speres remunerari, sed à Deo; illi enim frequenter multiplex Superioris beneficium insigni compensant ingratitudine.* Cogitare debet ipse se positum illis quasi lignum ad sagittam. Felix itaque conditio subditi, in infimo derelictt, ad quem ejusmodi jacula minimè diriguntur,

Annal. Tom. 6. an. 1472. num. 74.

Quintò, Nil habet humana vita dulcius, quàm amari, nec alicujus iocurrere odium. Hocautem faciliùs potest subditus obrinere; Prælatus verò admodum difficulter evadet odia domesticorum & externorum: oportet eoim eum pugnate adversùs Ordinis inimicos, qui numqnam desunt; modò sæculares, modò Ecclesiastici, modò aliotum Ordioum Religiosi. Aliis coguur frequenter importuna denegare servitia, vel alia, quæ cum quietia vel disciplinæ regularis præjudicio postulantur; unde quaodoque suscitatur gravis indiscretorum supplicantium indignatio, & omnium præteritorum obsequiorum eis impensorum oblivio, & sicut vulgò dicitur: *Ondanck in fine laborum.* Quæ omnia, innocenti licèt Prælatò, communiter imputantor. Domi verò, dum pro sui muneris ratione tueri debet reprehensionibus & pœnitentiis disciplinam, necesse est ut nonnulla interdnm dicat quæ imperfectiores non andiant libenter. Porrò ootissimum est, & quotidianis probatum experimentis, quòd *veritas odium parit.* Sic Superiori venit undique dolor & labor & afflictio spiritus. Subditus aotem si pacificè cum æqoalibus converfetor, efficere se potest cunctis amab l.m: dulcescet ad ipsnm mutoa familiaritas, & amici & confidentes congressus, promptitudn hilaris ad succurrendnm, in afflictionibus compassio, cum charitate non ficta, & poterit experiri, quòd sicut *unguento & variis odoribus delectatur cor, sic & bonis amici consiliis anima.*

Prov. 17. verf. 9.

Sextò, Quòd si convertamus oculum ad futuras cum Supremo Judice rationes, in quibus positum est æternæ nostræ felicitatis momentum, quantò beatior apparebit subditorum conditio præ sorte Superiorum? His sat è incumbit reddere Domino rationes, de suis legibus bene vel malè custoditis, de servata Regulæ integritate, de concreditis sibi ovibus, si fortè aberraverit aliqua per ejus incuriam aut conniventiam, & maximè si perierit in æternùm. Sufficerent eis onera propria, & superabundarent; quid putamus eis animi fore, dum respondere debebunt etiam de alienis? *Viri mali* quidem *non cogitant judicium*; sed prudentes jugiter expavescunt. Subditi de se solis cogitare habent & respondere; potissimam etiam suarum actionum seriem, quas fecerunt ex maodatis obedientiæ, in humeros conjiciunt Superiorum. Exiguis ipsis coocceditur super erratis misericordia, quia tametsi fortè priùs judicium & justitiam non fecerint; tamen passi snot, & impositam delictorum satisfactionem humiliter sustiouerunt. Ideoque experientur quòd *sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciat.* Et quòd *qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Hæc ab illis non considerantur, quorum oculi omne sublime vident, & ascendendi languent cupiditate, & spe fatigantur ambitionis, si quo modo imponere se valeant super capita aliena. Itemque, qui jam in alto positi, futurorum obliti judiciorum, pascuntur & inflantur præëminentiæ vanitate, secretâqoe consumuntur tristitiâ, dum à gradu deponendi sunt, & ad aliorum redigeodi æqualitatem. At verò sapientes viri, & novissima prævidentes, & securitatem illius horæ periculosissimæ sollicitè desiderantes, in extremas se solitudines abdideruot, finxerunt amentiam, aliisqoe multis mediis usi sunt, ut onera subterfugerent Prælaturæ, seque immunes à novissimis illis redderent angustiis. Eâ ratione B. Franciscus Fabrianensis, addoci non potuit, ut curam susciperet Provinciam visitandi, dicens, se nescire qualiter alios visitare auderet, qui nuous visitationis erga seipsum oondum exercuisset.

Prov. 18. verf. 5.

Eccles. 55. verf. 1.

Job 21. verf. 29.

Annal. Tom. 3. an. 1322. num. 9.

TEXTUS & §. XI.

Recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.

SUMMARIUM.

Perfecta est voluntatis propriæ abnegatio, quæ fit ex motivo divinæ charitatis. Eam Christus factis docuit, & sermonibus. Qui per votum abnegârunt voluntatem propriam, & facto resumunt. 1. Fiunt hominibus odibiles. 2. Sibi-metipsis graves. 3. Divinam incurrunt maledictionem, tamquam perjuri, & fures rei oblatæ Domino in holocaustum. Cautè vitandum illud crimen in desideriis bonorum operum.

Job. 42. verf. 15.

POst transactam ingentem Jobi patientissimi afflictionem, *venerunt ad eum omnes fratres sui &c. & dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem unam.* Per Jobum, qui vir

dolens delcribitur, dicit Glossa ordinaria allegoricè Christum intelligi, qui dolores nostros portavit; Fratres autem ejus appellantur qui [Marci 3. vers. 35.] Patris ejus perfecerint voluntatem: adeòque non inconvenienter illi intelliguntur esse Religiosi, qui satagunt divinas exequi voluntates, non præceptorum modò, verùm & consiliorum: Hi permoti compassione Christi passionum & cupientes iisdem communicare, *venerunt ad eum*, amplectentes arctum pœnitentiæ statum: *& dederunt ei unusquisque ovem unam & inaurem auream unam.* Quod in hunc modum Magnus Gregorius interpretatur: [Lib. 35 moral. cap. 14.] *Cum in aure ovis, & cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientia jungitur, Domino attestante:* O- [Joan. 10. vers. 27.] ves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. *Sic profectò Redemptori suo non obedit, qui innocens non est: & innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Quia verò ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est; non terrore pœnæ, sed amore justitiæ, cuncti inaurem auream obtulisse perhibentur, ut videlicet, in ea quæ exhibetur obedientia, Charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quasi auri more cætera metalla transcendat.* Ex illo aureo divinæ Charitatis motivo, desiderabat Princeps Apostolorum in Christianis omnibus inaurem obedientiæ efformari, quando dice- [1. Petri 2. vers. 13.] bat: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*, quæ vobis legitimè præposita fuerit; non quomodocumque, sed *propter Deum: sive ducibus tamquam ab eo missis &c. quia sic est voluntas Dei.* Idemque motivum Apostolus gentium præfigit Obedientiæ filiorum ad parentes, & servorum ad dominos, elevans eam super na- [Colos. 3. vers. 20.] turalem civilemque respectum. *Filii*, inquit, *obedite parentibus per omnia.* Quo jure? *Hoc enim placitum est in Domino.* Sufficiat vobis supremi beneplacitum Gubernatoris. *Similiter servi obedite per omnia dominis carnalibus.* Quo fructu? quâ mente? numquid forsitan ut evadatis flagella? *Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus; scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Nobilem hunc respectum, format pius amor Dei, divinæque justitiæ, quo regi solet anima christiana: qui cuncta supergrediens temporalia, sive timenda, sive speranda, illi uni placere satagit, qui delectatur miti propriæ voluntatis abnegatione, promptâque sub Commissariis suis obedientiâ. Talem fuisse à nobis factam in sacra professione propriæ voluntatis oblationem supponens Franciscus, nos commonet præsenti textu, dicens: *Recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates.*

Ipse Dominus Jesus Christus perfectissimum se nobis præbuit hujus faciendæ abnegationis exemplar, diligentissimè colens Obedientiam, in mundi hujus ingressu, progressu, [Joan. 6. vers. 38.] atque egressu. De ingressu fatetur ipse: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* In vitæ pro- [Luc. 2. vers. 51.] gressu, cum parentibus *descendit Nazareth, & erat subditus illis*, & factus grandior, ait: *Non* [Joan. 5. vers. 30.] *quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Cùm autem esset è mundo egrediendum per angustam crucis portam, dicebat; *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* [Joan. 14. vers. 31.] Cùmque in oratione se Patris resignasset voluntati, ad eamque implendam se in manus tradere odientium animam suam, & Petrus inciperet repugnare, illum illicò repressit his verbis: *Calicem quem* [Joan. 18. vers. 11.] *dedit mihi Pater, non bibam illum?* Denique in cruce *consummatum est* opus obedientiæ, quod fuerat ei pro hujus vitæ mortalis curriculo demandatum, quando *inclinato capite tradidit* [Joan. 19. vers. 30.] *spiritum.* Imò nec cum vitæ termino positum ab eo fuisse terminum obediendi, D. Gregorius scribens in illud: *Non possum ego à me-* [Lib. 35 moral. cap. 22.] *ipso facere quidquam, sed sicut audio, judico*, subtiliter observavit: *Nobis*, inquiens, *obedientia usque ad mortem servanda præcipitur. Ipse autem si sicut audit, judicat, tunc quoque obedit, dum judex venit. Ne igitur usque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster sicut audit, judicat, & eam etiam dum judex venerit, servat.* Quis verus Christi discipulus non toto animo hanc æmuletur perfectionem, quam adeò constanter à suo Magistro dignissimo conspicit observari?

Ejusdem materiæ doctrinam ore suo sacrosancto tradidit, tamquam unam de primis legibus perfectionis. *Qui non renuntiaverit om-* [Luc. 14. vers. 33.] *nibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quam legem in hunc modum Vir Dei Franciscus interpretatur: *Ille homo renuntiat omnibus* [Opusc. Tom. 1. sacr. admonit. cap. 3.] *quæ possidet, & perdit corpus suum, qui seipsum totum præbet ad obedientiam in manibus sui Prælati; & quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat quod non sit contra voluntatem ejus (dum bonum sit quod facit) vera obedientia est. Et quando subditus viderit meliora, & utiliora animæ suæ, quàm ea quæ suus Prælatus præcipiat, suam voluntatem sacrificat Domino: quæ autem sunt Prælati opera, studeat adimplere.* Ejusdem erat opinionis B. F. Ægidius Frater quidam ei quandoque [Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 7.] conquerebatur jussum se à Guardiano ire mendicatum panem, cùm tamen ipsi videretur longè præstabiliùs vacare precibus, quàm petendis Eleëmosynis. Respondit autem ei Ægidius: *Necdum didicisti, quid sit orare Deum. Vera enim oratio est, si subditus pareat voluntati Superioris sui. Est autem non obscurum superbiæ argumentum, si quis nolit caput suum subdere obedientiæ jugo, sed illud potiùs ei subducere conatur, ut aliâ gradiatur viâ, quæ ei perfectior videatur. Et tamen videmus, dum bos jugum patitur imponi collo suo, horrea frumento compleri.*

Hoc Dominus suis insinuabat sequacibus; cùm diceret: *Nisi granum frumenti cadens in* [Joan. 12. vers. 24.] *terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ipse Christus per humilitatem fuit parvum frumenti granum, in terram cadens per incarnationem; & inclinato capite sub obedientia mortuum, multum attulit fructum. Nos quoque minima frumenti grana, miseratione cœlestis agricolæ, projecti in terram bonam & pinguem Seraphicæ Religionis, & mortui per solemnem obedientiæ professionem, non multum afferemus fructum, si cone-

mur

mur in sensu proprio reviviscere, & à verme voluntatis propriæ corrodamur. Vera divini Verbi sapientia est sanctè odisse & perdere in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiatur. Tale professi sumus exercere animæ odium, dum potiorem ejus potentiam, quæ voluntas est atque libertas, sic abnegavimus solemni obedientiæ voto, ut nullus ad eam pateret regressus. Beatum certè odium; cujus utilitatem noster Alphonsus Madriliensis commemorat, dicens: *Ob id potissimùm nos odio habere debemus, ut anima nostra evacuata nostri amore, impleatur amore Dei. Nihil enim adeò citè perfici potest, quàm si oderimus omnia nostra sensualia desideria, atque ita in nostra voluntate regnet sublimis voluntas Dei, sive ipse Deus.* Evacuandam ait animam amore propriæ voluntatis, ut in ea sola regnet Dei voluntas. Enimvero quod ex agreste ac naturali prodit oleastro, agreste est atque contemptibile; verùm si bona inseratur oliva, ramusque frugifer, radix & truncus alioquin inutilis, optimos proferet fructus, juxta insertæ naturam olivæ. Radix nostra agrestis est, & voluntas propria truncus inutilis: cui tamen, si propositum inseratur divinæ voluntatis, cum tam firmis ligaturis, ut in unum pariter coalescant, jam omnes fructus inde prodeuntes salubres erunt atque divini. Insertus est surculus ille cœlestis, votique solemnis ligatus vinculo; solùm restat curandum, ne arefiat vel evellatur; & ut agrestes surculi, à trunco inferiùs pertinaciter erumpentes, studiosè rescindantur, ne occasio sint arefaciendi insertum meliorem surculum superiorem, verùm, resectis antiquis omnibus desideriis, succus omnis radicis voluntatis in nutrimentum serviat & augmentum illius, quam professi sumus Obedientiæ. *Hæc est via perfectionis ad vitam æternam velociter per viam amoris deducens*, inquit noster Salutius, *seipsum abnegare, in omnibus alteri subjectum esse, semperque appetitui, ac voluntati, judicioque proprio contraria facere ac sequi. Hæc est via quam multi docent? sed pauci ingrediuntur.*

De arte serviendi Deo part. 2.

Parad. contempl. c. 95.

Recordentur itaque Religiosi, quòd abnegaverint propriam voluntatem, & quòd voluntariè hanc viam arctam ingressi sint, judicio quidem mundanorum valde gravem; sed reipsa levem & delectabilem, in comparatione angustiarum, quibus undique vita impetitur libertinorum, & propriis servientium voluntatibus; qui tametsi felices videantur, quia quæ voluerint faciunt; mala tamen volentes, innumeris doloribus opprimuntur.

Primùm quidem ab extrà: tenaces enim voluntatum propriarum æmulatores, omnibus quibuscum vivunt, odibiles sunt, velut homines protervi, morosi, præsumptuosi & illiberales, qui cuncta volunt ad suum dirigi beneplacitum, nil aliis permissum volunt nisi quod probaverint ipsi, contradicunt alienis quantumcumque rationabilibus consiliis & desideriis, aspernantur legitimam super se potestatem: superbi, immorigeri, pertinaces, & contentiosi sunt in omnibus, manus eorum contra omnes, & consequenter manus omnium contra ipsos: illis etiam odibilis est ista protervia, qui minimè læduntur eâdem, sicut scriptum est: *Qui potestatem sibi sumit injustè, odietur.* Maximè dum non solùm supra æquales, verùm & supra superiores sibi arrogat potestatem ad eorum prætereundum voluntates. Igitur quemadmodum talis onerosus est aliis, erunt eidem alii similiter onerosi & contradicentes; quod sanè miserrimum est.

Eccl. 10. vers. 8.

Secundò, Plus dicit S. Bernardus, quòd talis tormento sit sibi-metipsi. *Nullum*, inquit, *mihi importabilius onus me ipso, nulla sarcina gravior est. Factus sum mihi met talentum plumbi, & resedit iniquitas super illud. Isti ut excuterent jugum Domini leve, emerunt sibi quinque juga boum, gravia, dura & propria bestiarum; qui ut excusent se à nuptiis perfectionis, malunt ire probatum illa, & experiri duritiem & pondus tot & tam vilium jugorum.* Sic homo efficitur sibimet-ipsi gravis, & sibi bellum indicit, ad quod nullo sit opus externo milite, sed proprium ipsi pondus sufficiat ad opprimendum. Illud est judicium inevitabile, ut corruptioni suæ malè liber serviat, qui benè servus de incorruptionis libertate gaudebat. Salubrem quippe humilitatis arcem deserens ad infirmitatis jugum superbiendo pervênit, & cervicem cordis erigendo supposuit; quia qui subesse divinis jussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit. Est autem illa gravedo tam indivulsè connexa libertati, ut audeat dicere Ludovicus Blosius: *Si quis in cœlo foret propria voluntatis, contra voluntatem Dei, is certè non beatus, sed miser esset atque infelix. Apud inferos verò, si quis propria mortuus esset voluntati, in liberrimam voluntatem Dei, is utique non arderet.* Cui consonat vulgatum istud ex D. Bernardo: *cesset voluntas propria, & infernus non erit.*

In Declamat. initio.

In Tabella spirit. in fine.

Tertiò, Potissimum onus super propriam Religiosorum voluntatem, ab ipso Domino est. Audite explicationem volantis voluminis quod ostensum fuit à Domino Zachariæ: *Hæc est*, inquit, *maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur: & omnis jurans ex hoc judicabitur similiter. Educam illud, dicit Dominus exercituum. & veniet ad domum furis: & in domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna, & lapides ejus.* Ille profectò est jurans in nomine Domini mendaciter, qui Deo solemniter vovet obedientiam, partesque cæteras perfectionis, & minimè servat. Idem quoque fur est, juxta S. Bonaventuræ sententiam: *Tu enim*, inquit, *dedisti te magistro tuo propter Dominum & propter regnum cælorum, & jam non es tuus, sed ejus cui te vendidisti, & ideo nihil tibi licet agere de te, sine ejus voluntate; ipse enim est dominus voluntatis tuæ. Et contrectatio rei alienæ invito domino furtum est. Fur autem cælo non appropiat. Ipsi Rectores sunt vicarii Dei super nos: & ideo debemus eis sicut Domino obedire, & non sicut hominibus; quia non propter ipsos, sed propter Deum ipsis subjacemus. Talem se exhibeat ei, ut liberè jubeat facere vel omittere, quidquid viderit expedire: quia si ipse timet te, jam servus est major Domino suo & discipulus est super magistrum.* Quod igitur fur ille habet expectare nisi maledictionem;

Zachar. 5. vers. 3.

Instit. Novit. part. 2. cap. 2.

Ego

Ifaiæ 61. verſ. 8. *Ego Dominus*, inquit apud Iſaïam, *diligens judicium & odio habens rapinam in holocauſto.*

Neque ſolùm voluntatis ſuæ rapinam committunt inobedientes, poſtquam obtulerunt eam Domino in holocauſtum, ſed ipſius etiam quodammodo rapinam Divinitatis. Enimverò dum repudiant veri Dei directionem propoſitam per Superiores, nec alicui volunt obſequi niſi ſibi ſolis, quid aliud agunt quàm ſeipſos conſtituere Deos, in veri Dei injuriam? Iſta eſt divinitas quam ſerpens Evæ propoſuit, quam & ipſa affectans propriâ fuit uſa voluntatis, atque Adamum in eamdem pertraxit ambitionem. *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* Per hanc malam voluntate propriæ uſurpationem, & furtivam appetentiam divinitatis, intravit in mundum totius mali ſeminarium; & factum eſt, ut loco deſideratæ ſcientiæ boni, potiùs mali ſcientia & concupiſcentia in omnes homines pertranſiret. Quod graviter expendit Seraphicus noſter Patriarha, dum ait: *Dixit Dominus ad Adam*: De omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. *De omni ligno paradiſi commedere poterat Adam: quia dum non venit contra obedientiam, nec peccavit. Ille enim comedit de ligno ſcientiæ boni & mali, qui ſibi ſuam voluntatem appropiat, & ſe exaltat de bonis quæ Dominus dedit, & operatur in ipſo: & ſic per ſuggeſtionem Diaboli, & tranſgreſſionem mandati, factum eſt ei pomum ſcientiæ mali. Unde oportet quòd ſuſtineat pœnam*, & per miſeriam diſcat, non appetere eſſe ſicut Deus. (Opuſc. Tom. 1. In ſacr. admon. cap. 2.)

Nos igitur, qui per ſacrum obedientiæ votum, propter Deum proprias abnegavimus voluntates, caveamus rapinam in ſancto iſto committere holocauſto. Quænam erit iſta in noſtrum Dominum contumelia, ſi rem ei donatam primitus & conſecratum, denuo poſtea præſumamus contra ejus beneplacitum uſurpare? Numquid hoc eſt Chriſtum triumphanter cum acclamationibus velut Regem Iſraël ſuſcipere, eumque cum inconſtante Judaico populo poſt dies aliquot negare, & cum ejus excluſione Cæſarem acclamare? Meminerimus itaque liberæ iſtius ſponſionis, & ſacræ renuntiationis, quam acceptavit Deus, lætantibus & applaudentibos Angelis. Et hæc memoria ſit nobis frænum, ne extra metas evagemur, à nobiſmet ipſis conſtitutas: ſit nobis in novum illius firmi pacti ſtabilimentum: ſit nobis in ſuſcitationem illius primæ magnanimitatis, quâ perduellem illum & contumacem hoſtem divinarum voluntatum alligavimus, ſemperque tenêre promiſimus alligatum. Sic vigilemus, ut non elabatur, nec pergat ampliùs debachari; ſed liberum maneat Dei regnum ſuper nos & in nobis, & cum ejus regno vera noſtræ mentis libertas, ſanctique amoris aptitudo non impedita.

Cavendus in primis ſubtilis & fortis laqueus, quem præparat dæmon meditantibus opera bona, ut horum occaſione propriam obfirment voluntatem, ſub ſpecioſo Conſtantiæ titulo: quam quidem in operibus indifferentibus erubeſcerent tueri; ſed in ſanctis ſe oſtendere inflexibiles, autumant glorioſum. Verùm nec in hac materia beneplacitum eſt Domino in abnegatæ voluntatis propriæ uſurpatione. Olim inſipientes aliqui querebantur: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti; humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Et mox ſubjungebat Dominus rationem: *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* (Iſaiæ 58. verſ. 3.) Sanctiſſima ſint quæ agas, ſi in iis inveniatur rapina voluntatis ad te non ampliùs pertinentis, haud dubium quin ſint abominabilia. Fuit hoc aliquando cælitùs demonſtratum F. Marco Corronienſi. Hic cogitaverat Ordinem deſerere, quia non permittebatur vacare ſuis orationibus, ſed mittebatur ad foris mendicandum. (Chron. p. 3. lib. 7. cap. 42.) Tum ei Chriſtus apparuit, dixitque ſeverâ voce: *Vade, apoſtata, quòcumque placuerit; quomodo poſſum tibi favere, quum cogites Ordinem deſerere quem ego tantoperè diligo?* illa reprehenſio multos adhuc alios redarguit, de quibus vir illuminatiſſimus Thaulerus, qui certas orationes legere proponunt, aut alia bona opera facere, diverſoſq; modos privatos, & diverſa aſſumunt exercitia; à quibus, ſi per obedientiam evocentur, innoteſcit illicò quam in ſe pacem habeant. (Serm. 1. in Domin. 3. poſt Trinit.) Invenies quod ægrè obedientiam privatis illis præponent exercitiis. Cur verò hoc, niſi quia judiciis & deſideriis propriis inhærent cum proprietate? Paupertatem nobis ſuaſit Deus, quia ipſe noſtri curam ſuſcipere diſponebat, interim quòd toto corde quæreremus regnum Dei & juſtitiam ejus: eâdem ratione nobis Obedientiam ſuaſit, ut ipſe ſolus director noſter eſſet atque conſiliarius. Sciebat quàm incertæ atque imbecilles eſſent providentiæ noſtræ, quàm contraria ſaluti noſtræ deſideria propria, quàm obnoxia erroribus conſilia noſtra, de iis etiam quæ ſpeciem præferunt pietatis; ideo Patrem conſtituit agere, dummodo nos ageremus ut filii, & nos ipſos cum plena reſignatione ſapientiæ ipſius & providentiæ committeremus. Hoc egimus, eumque ut Patrem agnovimus, cum pacto, ut ſub tutoribus & actoribus hominibus eſſemus, uſque ad præfinitum tempus à Patre: leges etiam paſſuri præfinitas à Patre, & traditas tutoribus iſtis ſive tradendas. Sub illius paternæ providentiæ confidentiâ, rediimus ad puerilem iſtum ſimplicis obedientiæ ſtatum, quem indicari oſtendit Liranus noſter, in illis verbis: *Si non humiliter ſentiebam, & ſubjeci animam meam* (ſecundùm Hebraicum ſenſum.) (Pſal. 130. verſ. 2.) Ubi ſubdit Propheta qualis ſit illa ſubjectio: *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua*; quia non tentat in magnis & mirabilibus ambulare; ſed in cunctis, ſive parvis, ſive magnis, noxiis vel utilibus, maternæ nititur directioni.

TEX-

TEXTUS & §. XII.

Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris.

SUMMARIUM.

Obediens Jesus, nos modum docet obediendi. Ut eum assequamur, cæci fiamus in discernendis sufficientiis Prælatorum. Quanti æstimata fuerit humilis subjectio à D. Bonaventura, aliisque præcipuis Ordinis viris. D. Bernardinus obedientes equo comparat in præliis victorioso. Ipsi enim victores sunt dæmonum, sui-ipsius, Dei, & beatissimæ Virginis. Moriens in obedientia servitii peste infectorum, cœlesti gloriâ remuneratus.

JEsus annorum duodecim, perditus, & à Maria matre & Joseph nutritio inventus post triduum in templo Jerosolymitano; *descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* (Luc. 2. vers. 51.) Hanc formam obediendi puer Jesus, pueris sanctis tradidit, sive Religiosis, qui ejus amore humiliant se & sicut parvuli efficiuntur. *Sequi illos in Nazareth non despexit*, ait D. Bernardus, (Serm. 10. in Cantica.) *Magister discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia fabrum & fœminam: Et erat, inquam, subditus illis.* Hoc raro miroque exemplo confunditur superbia nostra, qui dedignamur quandoque Præpositis obedire, cùm tamen audiamus Dominum majestatis duobus illis pauperculis hominibus subditum in omnibus, & obsequentem. Multis utitur technis humani generis inimicus ad subvertendam obedientiam nostram. Quod probè sciens inclitus noster Fundator, ut necessitatem & importantiam obligationis obediendi clariùs intelligeremus & temerare formidaremus, præter voti vinculum editum in sacra Professione, strictum superaddidit præceptum, dicens: *Firmiter præcipio Fratribus, ut obediant suis Ministris.* Ubi non soli Ministri Provinciales, sed Superiores quoque locales veniunt intelligendi, prout & usus obtinuit, & ipse Vir Sanctus observavit, & Testamento suo scriptum reliquit his verbis: *Firmiter volo obedire Generali Ministro hujus Fraternitatis, & illi Guardiano, quem sibi placuerit, mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam & voluntatem suam, quia Dominus meus est.*

Ut ad hanc sanctissimi Patris pervenire possimus Obedientiæ perfectionem, debemus in primis nos-ipsos cæcos efficere in discernendis sufficientiis Prælatorum. Dum ii, quorum interest, Rectores domibus præfecerunt, qualitates eorũ discusserunt, & ad hoc officium nominârunt. internæ suæ paci quàm plurimùm consulent subditi, si non ulteriùs eorum mores discutiant & imperfectiones, ne discutiendo aliquem imbibant contemptum & adversionem, vel alios ab eorum abstrahant veneratione. Equi non dirigunt aurigam, neque de illius judicant peritia: sæculares homines ei Regi subsunt, quem fortuna præposuit; & plurima mundi pars, ab eis regitur magistratibus, quos elegerint alii. Non sit igitur grave viro Religioso à judicationibus cavere Præpositorum, eorumque ductum in omnibus per cæcam subsequi obedientiam. Huic proposito deservit exemplum, quo usus fuit aliquando Franciscus: *Vide*, inquiebat, *multoties cæcum quemdam, qui non habebat nisi caniculam pro duce itineris sui. Caniculam, quòcumque ducebat, sequebatur, ad illius ductum ambulabat; viæ vel itineris hujus vel illius rationem non flagitabat à duce: si præibat per petrosa, sequebatur; si per plateas & plana, comitabatur; si ad templum ducebat, orabat; si domos introibat, eleemosynas petebat; in omnibus pro caniculæ ducentis voluntate faciebat, nec aliquò sine illius ductu pergebat. Talis esse debet verus & perfectus obediens. Ad obedientiam, cæcum esse expedit, oculos in obsequium Prælati claudere, ut de præceptis non velit nec valens discernere, sed quod præcipitur, humiliter & promptè complere: quocumque Prælati præceptum vel voluntas præcedit, sequi; invia & petrosa pro obedientiæ merito hilariter contemnere, ac si per plana ambularet, pergere. Non præcepti difficultatem; sed præcipientis auctoritatem, & obedientiæ meritum, decet & debet verus obediens in omnibus considerare.* (Opusc. Tom. 5. Exemp. 2.)

Tametsi vilis foret Prælatus instar caniculæ, sufficit tamen nobis ad vitæ ducatum. Id solùm consideravit in Superiore Franciscus. Unde dixit aliquando Sociis: *Inter alia quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter novitio unius horæ* (Vita cap. 6. num. 4.)

neque comederet, biberet aut dormiret nisi habito responso: eùmque per diem integrum perseverasset, atque per magnam noctis partem, allegans se non posse inde absque responso discedere, victa est piissima Virgo, eique apparans, revelavit, hymnum *O gloriosa Domina* sibi acceptissimum esse.

Tales Franciscus agnoscit suos esse discipulos, nec deserit eos, quamdiu quantumcumque ardua & periculosa conantur implere. Sic Fratri Damiano à Ripa, per obedientiam missio, atque eunti ad servitium pestiferorum, pius Pater se comitem in via præstitit, ut eum ad opus illud arduum redderet alacriorem. Ad idem opus atque periculum destinatus F. Ambrosius Lombardus se statim quidem accinxit itineri, sed non absque formidine. Addebat ei animum quidam è confratribus, monens ut promissæ meminisset obedientiæ, simulque rogabat, ut si forsitan mori contingeret, de suo statu se redderet certiorem. Respondit ille certò se scire moriendum sibi esse in eo servitio: malle tamen mori, quàm non obedire. Atque ita accidit; & juxta condictum, confratri apparuit ingenti lumine circumfusus, & pretiosissimâ redimitus coronâ, dicens: *Hac sum per simplicis obedientia meritum consecutus.* Cui ille: Ergone, inquit, mortuus es? Respondebat: *Non Frater mi, non sum mortuus; sed nunc primùm incipio vivere.* Ardua quidem illa fuerat obedientia; sed gloriosus secutus est fructus, & præmium incomparabile.

Chron. p. 1. lib. 7. cap. 39.

Ibid. lib. 8. cap. 30.

TEXTUS & S. XIII.

In omnibus quæ promiserunt Domino observare.

SUMMARIUM.

Per figuram S. Scripturæ significatur permanentia obligationis relictæ ex sacra professione. Promissæ obedientiæ violatio, pro consequente pœna, habet carnis propriæ rebellionem: & quandoque apostaticum recessum à Religione, ad quem gradatim perveniunt inobedientes. Franciscus qualiter punierit inobedientiam. Qualiter Deus. Detestabiles sunt dissuasores obedientiæ & discussores mandatorum. Item qui nihil curant quod non sub peccato præcipitur. De obediendo præceptis actuum internorum. Obedientiæ impletio omnibus aliis functionibus anteponenda.

JOsuë Ductor Israëlitici populi, priusquam viam ingrederetur universæ carnis, tam efficaciter supremis sermonibus commonuit populum, de sua erga Dominum obligatione, ut unanimiter conclamarent: *Servíemus Domino, quia ipse est Deus noster.* Et subinferente Josuë: *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei*: Responderunt: *Testes*, & iteratis denuò vocibus acclamârunt: *Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.* Scripsitque Josuë omnia verba hæc in volumine legis Domini, & tulit lapidem pergrandem, & posuit eum in testimonium initæ sponsionis. Simili planè modo nos Religiosi per factam professionem elegimus Dominum, ut serviremus ei; hominibus audientibus, & applaudentibus Angelis diximus: *Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.* Fœdus inivimus coram Domino, dicentes: *Voveo servare Regulam &c.* Et omnia verba hæc scripta sunt in volumine legis Domini; in divino, inquam, intellectu, ut nunquam à contracta obligatione sit integrum resilire. *Et tulit* Josuë *lapidem pergrandem*, posuitque eum in testimonium, Per alios lapides, quos per duodecim viros electos de medio Jordanis alveo sublatos, jam antè idem Josuë collocaverat in Galgalis, Seraphicus Doctor præcepta intelligit Regulæ Franciscanæ; potestque adeò per lapidem hunc pergrandem, præsens præceptum significari, quo Franciscus mandat suis Fratribus, ut Prælatis obediant, *in omnibus quæ promiserunt Domino observare.* Hic est lapis positus in testimonium, & continuam nobis refricans memoriam factæ promissionis, per quem nobis sanctus Pater quasi jugiter ingerit, illud: *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei*, ut Rectoribus obediatis ipsius vices obeuntibus.

Josue 24. vers. 21.

Josue 4. vers. 26.

Expos. Regula in c. 1.

Magna nos manet punitio, si recedentes à pacto illo sacro, non servaverimus promissam Obedientiam *Si dimiseritis Dominum*, ait Josuë, *& servieritis Diis alienis*, propriarum scilicet dictamina voluntatum, *convertet se, & affliget vos, atque subvertet.* Sic planè etiam nunc punire solet Deus inobedientiam per evidentem derelictionem, suæque gratiæ subtractionem. Justum illud Dei judicium consideret

Josue 24. vers. 20.

considerat D. Gregorius primis inobedientibus, quibus permisit Deus carnis concupiscentiam dominari. Lib. 26. Moral. cap. 12. *Sæpè, inquit, spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super Spiritum sublevatur. Habet quippe Spiritus commissam sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitima servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure & à subjecta carne prælium suscipit. Unde & ille inobediens primus, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit; quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invênit: & qui auctori suo subditus esse noluit, jus carnis subdita, quam regebat, amisit; ut in seipso videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret, quod elatus amisisset.* Hoc judicium expertus est infelix ille, de quo in Vitis Patrum, qui cùm inter sæculares abiisset, præter Moysis Abbatis mandatum, ibi lapsus est in fornicationem; natum autem infantem in humeros sustulit, & reversus ad fratres, flens & ejulans coram eis, clamabat: *Hic est fructus inobedientiæ, cavete à similibus laqueis.* Lib. 5. c. 3. de inobedientia. n. 35.

Ulterius adhuc procedit hæc ira Dei super inobedientes, dum eos permittit ab Ordine apostatare, & spoliare seipsos gratiâ, bonisque status Religiosi. His autem gradibus ad eam malitiæ voraginem perveniunt. Primùm incipiunt quædam agere in speciem bona, & de iis dedignantur consilium petere vel licentiam Superioris. Ista libertatis usurpatio deinde extenditur per temerariam epicheiam, ad alia multa, quæ propriæ serviunt sensualitati, curiositati & recreationi. Tum exiguas res imperatas, velut nullius momenti, nec obligatorias, perficere negligunt; & ita frequenter, ut neglectus ille transeat in consuetudinem. Ulteriùs si quædam gravioris ponderis à Prælato strictè serióque urgeantur, discutiunt apud se & quandoque cum aliis etiam, num rationabilia sint, utilia & obligatoria. Et quàmvis nihil contra mandati inveniant æquitatem, tardiùs tamen obediunt, & cum querimoniis. Ac deniqueeò deveniunt amentiæ, & oblivionis suæ professionis, ut planè & pertinaciter in aliquibus recusent obtemperare. Cùmque hanc rebellionem oporteat castigare, & ad iterationem frequentem, castigationes etiam iterare & augere, in furias tandem vertitur pervicacia; utque finem imponant his miseriis, jugum excutiunt penitus, & in infames erumpunt apostatas. Meriti erant, ut per sententiam à congregatione velut ejus conturbatores abscinderentur; sed benignissimus Deus, misertus sanctæ communitatis, liberat eam à molestiis processuum & litigiorum, eâdemque severitate cum talibus agit, quâ cum Juda proditore & contumaci, ut sponte recedant à sancto collegio, & aliquando etiam in angustias cordis inextricabiles, & desperationem acti, infeliciter pereant, observate omnes, quós aliquando vidistis ab Ordine discessisse, & invenietis in eorum conversatione inemedabilē ordinariè præcessisse contumaciam, contemptumq; Superiorum ac mandatorum; & sic demum excutientes suave jugum obedientiæ, fuisse diabolicæ traditos disciplinæ.

Ab illa miserabili dæmonis servitute, quemdam è nostris B. Pater Noster misericorditer eruit. Quodam tempore Vicarius ejus tenebat capitulum: ipse verò in cella orans, sequester erat, & medius inter Fratres & Deum. Vita ejus cap. 11. n. 16. Cùm igitur unus ex ipsis, defensionis quodam contectus palliolo, non se subderet disciplinæ: videns hoc Vir Sanctus in spiritu, vocavit quemdam de fratribus, & dixit ad eum: *Vidi, Frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem adstrictum; qui tali sessore subactus, obedientiæ fræno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas.* Et cùm rogarem Deum pro Fratre, subitò dæmon confusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, ut obedientiæ sanctæ jugo collum sinè mora submittat. Monitus per internuntium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes Vicarii humiliter se projecit. Alium reduxit ad mentem meliorem cum severitate rigidiori. Increpatu enim vehementer, jussit ut vestes exueret. Deduxit mox in altam foveam, præcepitque fratribus, ut stanti terram circumducerent, & vivum ita subterrarent; fecerunt ita fratres, fossamque repleverunt, donec ad mentum jam frater coopereretur. Annal. Tom. 1. an. 1218. num. 5. Cui tunc Franciscus: *Esne mortuus frater?* Quo humiliter respondente: *Ita Pater; vel saltem propter meum peccatum mori debueram.* Jussit pius Pater ut extraheretur, dicens: *Surge, & si verè mortuus es (ut probum religiosum, mundo & concupiscentiis mortuum decet) obedito Prælatis ad nutum, nec ampliùs reluctere præceptis, quàm homo mortuus, qui in nullo potest repugnare.* Stupendo quoque portento Deus exterruit Moniales aliquas refractarias & ambitiosas. Martyrol. Franc. ad 13. Decemb. Hæ cùm in electione Abbatissæ vota sua malitiosè in quamdam abjecissent Berengariam, quam inutilem reputabant, præter opinionem delusæ sunt, & iratæ detrectarunt eidem obedire. Cùmque de religioso more capitulum celebranti adessent paucissimæ, illa ex divino instinctu, maximo fervore ait: *Quandoquidem meæ sorores mihi renuunt obtemperare, neque legitimam earum Superiorem aspernantur; surgite vos quæ hoc loco dormitis, mihique paretote.* Illico septem Moniales ibidem sepultæ de suis locellis egredientes præstò sunt, nec recedunt priùs, quàm illis ab ea fuit imperatum. Quo facto, reliquæ quæ illi tergiversabantur, redditæ sunt obedientes.

His itaque permoti rebellium castigationibus, collum humiliter subjiciamus obedientiæ. Cùm esset Dominus in procinctu ut disperderet Core, Dathan & Abiron, contra Moysen rebellantes, dixit Moyses ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Numer. 16 vers. 26. Idem quoque vobis, ô Religiosi, dictum accipite: Recedite à temerariis illis, qui audent obedientiam violare, & vobis eamdem instillare audaciam cum æternæ damnationis periculo. Fugiendi sunt pestes animarum, & ipsius dæmonis mediatores, qui simplicitatem pervertunt obedientiæ religiosæ, suis sermonibus audaciam inspirantes simplicibus, ad negligendum verba Majorum, & velut per jocum dictitantes non esse in istis taliter scrupulizandum,

Quod

Quod hæretici faciunt circa obedientiam ad Prælatos Ecclesiæ, & Anabaptistæ ad Magistratum civilem, id faciunt moriones & libertini in Ordine Religioso, & quidem cum periculo majori; cùm strictior multò atque sacratior sit obedientia religiosa ad suos Superiores, quàm cæterorum subjectorum Christianorum ad Prælatos Ecclesiæ. Tametsi verò non conentur ad eam negandam omninò, sicut hæretici, vilem tamen & languidam faciunt potestatem, ut tantò liberiùs contemnatur; quod non mediocris est impietatis.

Eadem de causa cavendum est etiam à tepidis illis, qui quamvis absolutè non audiant obedientiam dissuadere; disquirendo tamen & disputando apud se, num intendat Superior ad hæc vel illa, quæ præcipit, obligare sub peccato; resolvunt facilè quòd non, & sub ea scabiosa persuasione negligunt obedientiam. *Species contumaciæ est*, inquit Petrus Blesensis, *de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere aut differre. In contractu obedientia non habet disceptatio locum; nam si in discussionem aut suspicionem ea quæ sunt tibi mandata deduxeris, ad lignum scientiæ boni & mali manum prævaricationis extendis. Nimis delicata est hæc obedientia, transiens in deliberativum genus causa. Non est hoc in auditu auris obedire: non est hæc regularis obedientia sine mora, sed astutia tergiversatrix & aperta superbia.* Dissuasit quidem Franciscus Prælatis, ne faciles aut præcipites essent ad præcipiendum per obedientiam, nec primò jacularent fulmen, quod debet esse postremum. Quid enim est in temerario præceptore auctoritas imperandi, nisi gladius in manu furiosi? Ex altera tamen parte, exoptavit subditos non ita servilem habere animum, ut in extremis illis serperent limitibus obedientiæ; sed ea quoque studerent adimplere, quæ licèt Superior non sub peccato præcipiat, & in plenitudine potestatis, tamen indicat se desiderare. Hanc, inquam, politiæ formam inter nos exoptavit, ut Rectores cum suis subditis agant velut cum ingenuis cœli civibus; subditi verò cum Superioribus velut cum Angelis cœli, ad quorum voluntatem solo nutu demonstratam, cum omni obediant reverentia, amore ac resignatione.

Epist. 131.

Alvar. Pelag. lib. 2. cap. 69.

Disputatur inter alia communiter, num in internis mentis actibus teneatur subditus obedire? Præter cæteros litterales Regulæ Commentatores, etiam D. Bernardinus hoc quæsitum examinavit, & resolvit in hunc modum: *In illis actibus, ad quos sic potentes sumus, quod adstringi ad illos quando à Prælatis præcipiuntur, nihil habet periculi, nihil vani aut mali, se extendit obedientia ista; non autem ad illos, ad quos adstringi periculosum est, aut quia non sumus plenè potentes ad illos, aut quia multas habent perplexitates, & altercationes, ac etiam immixtiones motuum vitiosorum.* Rationes ejus possunt eo loco videri. Porrò actus interni possibiles sunt intentiones in celebrando aliisque bonis operibus, acquiescere sententiæ Prælatorum in regularibus dubiis, discere ea, quæ nos expedit scire, atque his similia. In istis quidquid sit de potestate coactiva Superiorum, nemo tamen ambigit de directiva, quæ sufficiet ad flectendam mentem obedientis discipuli, in prosecutione Evangelicæ perfectionis. Sanè, cùm perfectionis exercitatio internis potissimùm actibus efficiatur, manifesto sese exponet erroris periculo, qui in hujusmodi noverit admittere directionem, sed propriò duntaxat stare cupiat magisterio.

Tom. 3.

Dial. de Obedientia ad 6. argu.

Itaque *judicium patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis* Sic agite, ut non in damnationem cedat vobis defectus instructionis, & multò magis neglectus obedientiæ, quæ jubet instructionibus acquiescere, & compellit ad perfectiora. Interrogatus F. Dominicus de Lionesta ab aliquo juniore, quanam in re se deberet potissimùm occupare, ad proficiendum in spiritu; respondebat: *Fili obedias semper simpliciter. Deinde vaca orationi; demum studiis litterariis: sed eo ordine, ut pro obedientia relinquas orationem, & pro oratione relinquas studium.* Ejusdem erat opinionis illuminatissimus F. Ægidius, dicens: *Pro certa judica, quòd si admissus foret ad colloquium Angelorum, eodemque instanti vocaretur à Prælato, relinquendos esse Angelos, & illi promptè obediendum.* Hæc senserunt eximii illi perfectionis Magistri; nos autem in miseris illis versamur temporibus, in quibus ordo præposterus servatur à plurimis; sic ut prævaleat & primas teneat ardor studii, & quod superest temporis frigidæ impendatur orationi; ac novissimum denique locum Obedientia sortiatur; ità ut & studio judicetur debere cedere, & tali quali orationi, assumptæ ex motu propriæ voluntatis. Videatur de paucitate benè obedientium D. Bonaventura, in Stimulo divini Amoris part. 3. cap. 12.

Eccles. 3. vers. 2.

Chron. p. 3. lib. 7. cap. 31.

Chron. p. 1. lib. 7. cap. 39.

considerat D. Gregorius primis inobedientibus, quibus permisit Deus carnis concupiscentiam dominari. *Sæpè*, inquit, *spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super Spiritum non levatur. Habet quippe Spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitima servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure & à subjecta carne prælium suscipit. Unde & ille inobediens primus, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit; quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invênit: & qui auctori suo subditus esse noluit, jus carnis subdita, quam regebat, amisit; ut in seipso videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret, quid elatus amisisset.* Hoc judicium expertus est infelix ille, de quo in Vitis Patrum, qui cùm inter sæculares abiisset, præter Moysis Abbatis mandatum, ibi lapsus est in fornicationem; natum autem infantem in humeros sustulit, & reversus ad fratres, flens & ejulans coram eis, clamabat: *Hic est fructus inobedientiæ, cavete à similibus laqueis.*

Lib. 26. Moral. cap. 12.

Lib. 5. c. 5. de inton sim. n. 35.

Ulterius adhuc procedit hæc ira Dei super inobedientes, dum eos permittit ab Ordine apostatare, & spoliare seipsos gratiâ, bonisque status Religiosi. His autem gradibus ad eam malitiæ voraginem pervenitur. Primùm incipiunt quædam agere in speciem bona, & de iis dedignantur consilium petere vel licentiam Superioris. Ista libertatis usurpatio deinde extenditur per temerariam epicheiam, ad alia multa, quæ propriæ serviunt sensualitati, curiositati & recreationi. Tum exiguas res imperatas, velut nullius momenti, nec obligatorias, perficere negligunt; & ita frequenter, ut neglectus ille transeat in consuetudinem. Ulteriùs si quædam gravioris ponderis à Prælato strictè serióque urgeantur, discutiunt apud se & quandoque cum aliis etiam, num rationabilia sint, utilia & obligatoria. Et quàmvis nihil contra mandati inveniant æquitatem, tardiùs tamen obediunt, & cum querimoniis. Ac denique eò deveniunt amentiæ, & oblivionis suæ professionis, ut planè & pertinaciter in aliquibus recusent obtemperare. Cùmque hanc rebellionem oporteat castigare, & ad iterationem frequentem, castigationes etiam iterare & augere, in furias tandem vertitur pervicacia; utque finem imponant his miseriis, jugum excutiunt penitus, & in infames erumpunt apostatas. Meriti erant, ut per sententiam à congregatione velut ejus conturbatores abscinderentur; sed benignissimus Deus, misertus sanctæ communitatis, liberat eam à molestiis processuum & litigiorum, eâdemque severitate cum talibus agit, quâ cum Juda proditore & contumaci, ut sponte recedant à sancto collegio, & aliquando etiam in angustias cordis inextricabiles, & desperationem acti, infeliciter pereant, observate omnes, quós aliquando vidistis ab Ordine discessisse, & invenietis in eorum conversatione inemédabilè ordinariè præcessisse contumaciam, contemptumq; Superiorum ac mandatorum; & sic demum excutientes suave jugum obedientiæ, fuisse diabolicæ traditos disciplinæ.

Ab illa miserabili dæmonis servitute, quemdam è nostris B. Pater Noster misericorditer eruit. Quodam tempore Vicarius ejus tenebat capitulum: ipse verò in cella orans, sequester erat, & medius inter Fratres & Deum. Cùm igitur unus ex ipsis, defensionis quodam contectus palliolo, non se subderet disciplinæ: videns hoc Vir Sanctus in spiritu, vocavit quemdam de fratribus, & dixit ad eum: *Vidi, Frater, diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem adstrictum; qui tali sessore subactus, obedientiæ fræno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas.* Et cùm rogatem Deum pro Fratre, subitò dæmon confusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, ut obedientiæ sanctæ jugo collum sinè mora submittat. Monitus per internuntium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes Vicarii humiliter se projecit. Alium reduxit ad mentem meliorem cum severitate rigidiori. Increpato enim vehementer, jussit ut vestes exueret. Deduxit mox in altam foveam, præcepitque fratribus, ut stanti terram circumducerent, & vivum ita subterrarent; fecerunt ita fratres, fossamque repleruni, donec ad mentum jam frater cooperiretur. Cui tunc Franciscus: *Esne mortuus frater?* Quo humiliter respondente: *Ita Pater; vel saltem propter meum peccatum mori debueram.* Jussit pius Pater ut extraheretur, dicens: *Surge, & si verè mortuus es (ut probum religiosum, mundo & concupiscentiis mortuum decet) obedito Prælatis ad nutum, nec ampliùs reluctaris præceptis, quàm homo mortuus, qui in nullo potest repugnare.* Stupendo quoque portento Deus exterruit Moniales aliquas refractarias & ambitiosas. Hæ cùm in electione Abbatissæ vota sua malitiosè in quamdam abjecissent Berengariam, quam inutilem reputabant, præter opinionem delusæ sunt, & iratæ detrectarunt eidem obedire. Cùmque de religioso more capitulum celebranti adessent paucissimæ, illa ex divino instinctu, maximo fervore ait: *Quandoquidem meæ sorores mihi renuunt obtemperare, neque legitimam earum Superiorem aspernantur; surgite vos quæ hoc loco dormitis, mihique paretote.* Illico septem Moniales ibidem sepulturæ de suis locellis egredientes præstò sunt, nec recedunt priùs, quàm illis ab ea sit imperatum. Quo facto, reliquæ quæ illi tergiversabantur, redditæ sunt obedientes.

Vita ejus cap. 11. n. 16.

Annal. Tom. 1. an. 1218. num. 5.

Martyrol. Franc. ad 23. Decemb.

His itaque permoti rebellium castigationibus, collum humiliter subjiciamus obedientiæ. Cùm esset Dominus in procinctu ut disperderet Core, Dathan & Abiron, contra Moysen rebellantes, dixit Moyses ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Idem quoque vobis, ô Religiosi, dictum accipite: Recedite à temerariis illis, qui audent obedientiam violare, & vobis eamdem instillare audaciam cum æternæ damnationis periculo. Fugiendi sunt pestes animarum, & ipsius dæmonis mediatores, qui simplicitatem pervertunt obedientiæ religiosæ, suis sermonibus audaciam inspirantes simplicibus, ad negligendum verba Majorum, & velut per jocum dictitantes non esse in istis taliter scrupulizandum.

Numer. 16 vers. 26.

Quod

Quod hæretici faciunt circa obedientiam ad Prælatos Ecclesiæ, & Anabaptistæ ad Magistratum civilem, id faciunt motiones & libertini in Ordine Religioso, & quidem cum periculo majori; cùm strictior multò atque sacratior sit obedientia religiosa ad suos Superiores, quàm cæterorum subjectio Christianorum ad Prælatos Ecclesiæ. Tametsi verò non conentur ad eam negandam omninò, sicut hæretici, vilem tamen & languidam faciunt potestatem, ut tantò liberiùs contemnatur; quod non mediocris est impietatis.

Eadem de causa cavendum est etiam à tepidis illis, qui quamvis absolutè non audiant obedientiam dissuadere; disquirendo tamen & disputando apud se, num intendat Superior ad hæc vel illa, quæ præcipit, obligare sub peccato; resolvunt facilè quòd non, & sub ea scabiosa persuasione negligunt obedientiam. *Species contumaciæ est*, inquit Petrus Blesensis, *de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere aut differre. In contractu obedientiæ non habet disceptatio locum; nam si in discussionem aut suspicionem ea quæ sunt tibi mandata deduxeris, ad lignum scientiæ boni & mali manum prævaricationis extendis. Nimis delicata est hæc obedientia, transiens in deliberativum genus causa. Non est hoc in auditu auris obedire; non est hæc regularis obedientia sine mora, sed astutia tergiversatrix & aperta superbia.* Dissuasit quidem Franciscus Prælatis, ne faciles aut præcipites essent ad præcipiendum per obedientiam, nec primò jacularent fulmen, quod debet esse postremum. Quid enim est in temerario præceptore auctoritas imperandi, nisi gladius in manu furiosi? Ex altera tamen parte, exoptavit subditos non ita servilem habere animum, ut in extremis illis serperent limitibus obedientiæ; sed ea quoque studerent adimplere, quæ licèt Superior non sub peccato præcipiat, & in plenitudine potestatis, tamen indicat se desiderare. Hanc, inquam, politiæ formam inter nos exoptavit, ut Rectores cum suis subditis agant velut cum ingenuis cœli civibus; subditi vero cum Superioribus velut cum Angelis cœli, ad quorum voluntatem solo nutu demonstratam, cum omni obediant reverentia, amore ac resignatione.

[Margin: Epist. 131.]

[Margin: Alvar. Pelag. lib. 2. cap. 69.]

Disputatur inter alia communiter, num in internis mentis actibus teneatur subditus obedire? Præter cæteros litterales Regulæ Commentatores, etiam D. Bernardinus hoc quæsitum examinavit, & resolvit in hunc modum: *In illis actibus, ad quos sic potentes sumus, quod adstringi ad illos quando à Prælatis præcipiuntur, nihil habet periculi, nihil vani aut mali, se extendit obedientia ista; non autem ad illos, ad quos adstringi periculosum est, aut quia non sumus plene potentes ad illos, aut quia multas habent perplexitates, & altercationes, ac etiam immixtiones motuum vitiosorum.* Rationes ejus possunt eo loco videri. Porrò actus interni possibiles sunt intentiones in celebrando aliisque bonis operibus, acquiescere sententiæ Prælatorum in regularibus dubiis, discere ea, quæ nos expedit scire, atque his similia. In istis quidquid sit de potestate coactiva Superiorum, nemo tamen ambigit de directiva, quæ sufficiet ad flectendam mentem obedientis discipuli, in prosecutione Evangelicæ perfectionis. Sanè, cùm perfectionis exercitatio internis potissimùm actibus conficiatur, manifesto sese exponet erroris periculo, qui in hujusmodi noverit admittere directionem, sed propriò duntaxat stare cupiat magisterio.

[Margin: Tom. 3.]

[Margin: Dial. de Obedientia ad 6. argu.]

Itaque *judicium patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis.* Sic agite, ut non in damnationem cedat vobis defectus instructionis, & multò magis neglectus obedientiæ, quæ jubet instructionibus acquiescere, & compellit ad perfectiora. Interrogatus F. Dominicus de Lionesta ab aliquo juniore, quanam in re se deberet potissimum occupare, ad proficiendum in spiritu; respondebat: *Fili obedias semper simpliciter. Deinde vaca orationi; demum studiis litterariis: sed eo ordine, ut pro obedientia relinquas orationem, & pro oratione relinquas studium.* Ejusdem erat opinionis illuminatissimus F. Ægidius, dicens: *Pro certo judico, quòd si admissus foret ad colloquium Angelorum, eodemque instanti vocaretur à Prælato, relinquendos esse Angelos, & illi promptè obediendum.* Hæc senserunt eximii illi perfectionis Magistri; nos autem in miseris illis versamur temporibus, in quibus ordo præposterus servatur à plurimis; sic ut prævaleat & primas teneat ardor studii, & quod superest temporis frigidæ impendatur orationi; ac novissimum denique locum Obedientia sortiatur; ità ut & studio judicetur debere cedere, & tali quali orationi, assumptæ ex motu propriæ voluntatis. Videatur de paucitate benè obedientium D. Bonaventura, in Stimulo divini Amoris part. 3. cap. 11.

[Margin: Eccles. 3. vers. 2.]

[Margin: Chron. p. 3. lib. 7. cap. 31.]

[Margin: Chron. p. 1. lib. 7. cap. 39.]

TEXTVS & §. XIV.

Et non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ.

SVMMARIVM.

Quàm iniquum sit obedire hominibus contra Deum & animam, ex D. Bernardo luculenter docetur. Taliter obedientes, comparantur iis, qui metu tormentorum idolis sacrificabant. Æquè iniquum est prætextu lædendi conscientiam, in rebus licitis obedientiam detrectare. De quo arguuntur. 1. Devoiarii quidam. 2. Scrupulosi. 3. Sapientes in oculis suis. 4. Qui sub specie zeli volunt statuere Reformationes.

2. Cor. 10. vers. 8. S. Paulus Apostolus arrogat solùm sibi datam à Domino potestatem *in ædificationem, & non destructionem* fidelium subditorum; ut normam præberet Apostolicis viris, Rectoribus animarum, non aliam quoque usurpandi potestatem: subditosque informaret, quòd non teneantur in aliis obedire. Huic Apostolicæ doctrinæ insistens Seraphicæ Regulæ promulgator, postquam arctam imposuit filiis suis necessitatem Superioribus obediendi, præsenti Textu significat, non eam extendi ad illa, *quæ sunt contraria animæ & Regulæ nostræ.* Potestas est *in ædificationem, non in destructionem.* Quàmvis autem ea limitatio per se satis intelligi videretur, fuit tamen addenda, ad retundendam expressiùs insolentiam aliquorum, qui gauderent sibi præripi mala, ut hoc prætextu ea liberiùs perpetrarent, putarentque se optimam nactos suæ prævaricationis excusationem.

Neque fundamentum defuit formidandi talem abusum, quandoquidem eum inveniamus D. Bernardi temporibus irrepsisse, virumque sanctum contra illum acriter decertasse. (Epist. 7. ad Adam Monachum.) *Valde perversum est*, inquit, *profiteri te inobedientem, in quo nosceris superiorem propter inferiorem, id est divinam, propter humanam solvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli, clamant quippe dicentes*: Melius est obedire Deo, quàm hominibus. (Actor. 5. vers. 29.) *Hinc Dominus in Evangelio Pharisæos increpans*: Quare & vos, *inquit*, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? (Matth. 15. vers. 3.) *Et per Isaiam*: Sinè causa autem, *ait*, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. (Isaiæ 29. vers. 13.) *Et item ad Protoplastum*: Pro eo quòd obedisti voci uxoris tuæ, plùs quàm meæ, maledicta terra in opere tuo. (Gen. 3. vers. 17.) *Igitur facere malum, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potiùs inobedientiam.* Et iterum, recensitis malis, in quibus Adam monachus male obediens fuerat, & de quibus se insulsè excusabat, ipsum omnesque alios allegantes similia, perstringit hoc modo: *His ergo tam gravibus malis dare assensum, exhibere obsequium, impendere adjutorium, tu mihi obedientiam nominas, modestiam nuncupas, appellas mansuetudinem? Tu, inquam, conaris pessima vitia virtutum palliare nominibus? .. Vanissimam præsumptionem, turpissimam levitatem, crudelissimam dissensionem; obedientiæ, modestiæ, mansuetudinis nominibus velas, & velatis sordibus sacra illa vocabula maculas. Hanc ego nunquam æmulor obedientiam &c. Verùm tu ut tua patientia dares vel caperes experimentum, nihil discutiens trahi te passus es, non solùm præter voluntatem tuam; sed & contra conscientiam. O patientia omni digna impatientiâ! non possum, fateor, non irasci huic contentiosissimæ patientiæ.*

Attendant hæc timidi illi & molles obedientes, qui nesciunt resistere malo, sed humano respectu atque timore in prava abducuntur; eo ferè modo, quo antiqui illi imbecilles Christiani, qui formidine tormentorum damnorumque temporalium cedebant voluntatibus Ethnicorum tyrannorum, eorumque sacrificabant idolis. Qui tamen, licèt modis horrendis tentarentur ad fidei desertionem; à sanctis Patribus admodum severè correpti sunt, velut inconstantes, perduelles, & indigni nomine Christiano. Istis ignavis obedientibus exprobrat Oseas, quòd *in malitia sua lætificaverunt Regem & in mendaciis suis Principes*, (Oseæ 7. vers. 3.) sive Superiores. Optimam tradidit rationem B. Joannes Lucensis, cur non expediat in rem illicitam consentire, ex timore offendendi homines vel scandalizandi; *quia*, inquit, *offensio transit; sed peccatum manet.* (Chron. p. 3. lib. 7. cap. 40.) Demus etiam quòd ad tempus maneat offensio & displicentia humana; manet tamen anima in se tranquilla, indignationis humanæ pro Dei amore tolerantia, à Domino in gratissimum suscipitur sacrificium. *Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in Domino sublevabitur. Multi requirunt faciem Principis*, (Prov. 29. vers. 25.) quærentes ei placere quâcumque viâ, sive bene obtemperando sive malè, in desideriis ejus quibuscumque. Interim *judicium à Domino egreditur singulorum*, tam præcipientium, quàm obtemperantium. Huic si displicere præeligat subditus, ad mortali

homini

homini complacendom, super ipsum judicium 4. Reg. 1. Domini regredietor. Sic igne cœlesti consumpti sunt milites, qui Ochoziæ regi obeditæ voluerant, capturam Eliæ Prophetæ præcipienti. Dan. 3. Sic & illos, qui fornacem accendebant de mandato Nabuchodonosor, flamma ignis in sua iniqua devoravit obedientia.

Vereor tamen, ne dum pusillanimes erigo ad staodum contra præcepta illicita, iisdem argumentis refractarii confirmentur ad justa respuendum mandata, qui occasione hujus exceptionis de non obediendo *contra animam & regulam*, pertinaciter interpretari vellent illicitum esse, quod tamen justum & sanctum est. Hoc modo non leviter turbaretur ordo regioiois, atque regentium quies, dum aliqui malè feriati subditi statim atque eis aliquid contra suam phantasiam gustumque præcipitur, undecumque scrutantur effugium aliquod, & maximè si quo modo valeant allegare, id quod mandatum est, animæ suæ vel regulæ contrariari. Ut hæ vulpeculæ vineam obedientiæ demolientes, faciliùs captantur, juverit hic earum latibula demonstrare.

Primò, Videas aliqoos Devotarios, adeò tenaces suorum mentalium exercitiorum, ut qoidquid eos ab electitiis eorum abstrahit vel impedit speculatiooibus, id profanum esse & contra perfectionis puritatem arbitrentur. Vidimus aliquos, ex qoibuldam nostri P. Henrici Herpii, aliorumve magnorum spiritualium sententiis (qui docent seponendas res omnes & cogitationes exteriores, dum homo ad divinam se vocari senserit unionem) erroneè hausisse, nescio quam, ab omni opere externo exemptionem; etiam ab illo, quod injungeret obedientia. Sed mirum est, quòd ita cæci sint, ut suam audeant astruere pervicaciam ex auctoribus illis, qui nihil clamant frequentiùs, quàm judicii proprii atque voluntatis omoimodā abnegationem: atque in ea constitount apicem perfectionis, totisque affectibus ad eam invitaot, atque ab hac obedientia & abnegatione ingentes promittunt fructus, rarasque Dei visitationes & consolationes. Qund & multis compertum est experimentis, præstari talia à Dumino devotariis obedientibus. Unom referamus è multis. F. Franciscus Durasso, cocum agens, totum tempus antemeridianum Missarum servitio impendebat. Opus utique oprimom erat; quod tamen omitti voluit Guardianus. Primæ Missæ servitium assignavit, & ut reliquum tempus in suæ culinæ cura perageret. Doluit quidem vir pius; obedivit tamen. Cùm verò in die qoadam solemoi, sigoum audiret ad elevationem sanctissimi Sacramenti, versâ ad templum facie, flectisque genibus, dixit: *Tu scis, Salvator dulcissime, quan-* Chron. p. 3. lib. 8. cap. 28. *tâ devotione in templo Te sui solitus adorare: nunc quando hoc bono sum per obedientiam spoliatus, sit nomen tuum per omnia benedictum.* Mirabile dictu! His prolatis, illico aperti sunt muri quatuor, inter ipsum & altare interjacentes, ita ut Deum suum conspicere posset & adorare: atque adoratione finitâ dennò reducti sunt ad locum suum junctùramque priorem. Sic ei nil nocuit obedivisse; sed profuit potiùs ad auctarium consolationis spiritualis. Videantur quæ de præponenda orationi Obedientiâ diximus ad calcem Paragraphi præcedentis.

Secundò, Præcedentibus affines sunt Scrupulosi, qui sub specie puritatis conscientiæ quidlibet reformidant, & quod sibi finxerint peccatum esse, clamant se non posse *contra suam animam* facere. Et quidquid dicant doctissimi quique, suis tamen hærent infixi persuasionibus, haud aliter quàm asini jacentes in luto medio, qui quandoque nec verberibus adigi possunt ad exiliendum. Molestissimum sanè genus hominum, qui non modò divinæ clementiæ injuriam irrogant, non de ea lentientes in bonitate, & confessarios fatigant intolerabiliter, atque à melioribus impediunt exercitiis; sed seipsos quoque tristitiis conficiunt & anxietatibus: nec non præcipuum faciunt imperum in sanctam obedientiam, quam evertunt, abnegant, & exterminant in seipsis. Ideoque quamvis timoratæ videantur esse conscientiæ; revera tamen non sunt, quamdiu Præfectis, quibus legitimè debent esse subjecti, non acquiescunt; & ut non acquiescant, renuunt ab eis, qui sibi in Magistros & Angelos Dei dati sunt, judicium de re licita vel illicita acceptare, non attendentes apertam Domini de Prælatis sententiam: *Qui vos audit, me audit; &* Luc. 10. vers. 16. *qui vos spernit, me spernit.* Mirum certè, quòd non in eo potiùs scrupulum, imò veram conscientiam faciant, quòd tam apertè suum Dominom aspernentur. Clavum igitur clavo trudant, & hoc vero judicio futilem illam expellant scrupulositatem. Optimam formam scrupulos deponendi, & in mentis tranquillitate per vias securissimas ambulandi B. Joannes Lucensis edocuit. Huic etiamsi summopere displicerent conventus magnifici, divesque supellex; dum tamen loca talia per obedientiam incolere jubebatur, nullam in eo faciebat difficultatem, dicens: *Sufficit ut cor istis super-* Chron. p. 3. lib. 5. cap. 41. *fluitatibus non apponamus, conscientia maneat imperturbata, caveamus à ventis vanitatis & ambitionis, existimemus alios nobis esse meliores, resignemusque nos in manus Dei: Ubicumque enim obedientia nos collocaverit, ibi inveniet nos Deus, & suum beneplacitum in nobis perficiet.*

Tertiò, Aliam turbam inobedientium, educit propria voluntas eorum, qui tam sapientes sunt in oculis suis, ut non solùm mandata Majorum audeant examinare, verùm & tamquam inutilia judicare, atque proinde non observanda. Creditum volunt, quòd sua consilia sint magis è re communitatis, & lectanda velut utiliora. Hoc ipso morbo videntur Corinthii laborasse, quibus scribebat Apostolus: *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ* 2. Cor. 11. vers. 1. *meæ, sed & supportate me*, tametsi vos ut insipiens regere videar. *Timeo autem ne sicut ser-* vers. 3. *pens Hevam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.* Serpentis astutia fuit, curiosam Hevam inducere ad investigandum: *Cur præcepit Dominus?* Et ad judicandum deinde, quòd melius foret consilium contrarium: ex qua disceptatione judicioque, resolvit denique contra præceptum agere tamquam inutile. Sed simplicitas, quæ est in Christo, docet nos sicut oves fieri sub ductu pastoris, absque

ullo

nullo eorum examine quæ præcipiuntur, & simpliciter obedire, donec mandati injustitia appareat evidenter. Subditum non eximit ab obligatione parendi, quòd non ei appareat legis utilitas, sed neque quòd ejus appareat inutilitas. Sed numquid, inquies, judicare debemus ut rationabile, quod manifestè stultum est? Subtiliter ad hoc respondet noster Doctor

In 4. dist. 3. q. 4. n. 6. subtilis, quò in eo casu, *liceat tam consilium quàm præceptum Superioris contemnere, id est irrationabile & infructuosum judicare* (dum re verâ tale est) *sed non liceat, dum est Prælatus, contemnere, non observando; quia dicit Matth. 13. Super cathedram Moysi sederunt &c.* Licet ergo in eo casu in mente judicare sicut est; sed in executione, facere oportet sicut præcipitur.

Si quis eorum, qui exciderunt à simplicitate, quæ est in Christo, illi interfuisset præceptioni, quam aliquando S. Pater noster fecit Fratri Massæo, haud dubiè fatuam judicasset.

Chron. p. 1. lib. 1. cap. 118. Duobus ipsis simul itinerantibus, bivium incidit. Petiit à sancto Patre Massæus, quo esset eundum? Ille respondit: quò placebit Deo. At, inquit Massæus, quo modo sciemus quid velit Deus? Per te, ait Franciscus; tu in gyrum te verte, puerorum more, donec ut quiescas, mandavero. Promptè obedivit Massæus, in præsentia plurium viatorum, qui hærebant ut istam aspicerent stultitiam. Et postquam sæpiùs fuisset à vertigine collapsus, clamavit Vir Sanctus ut cessaret, petiitque quònam tenderet via quàm aspiciebat? Quo respondente: Senas; eò pariter perrexerunt. Hæc est sapiens sanctorum stultitia, quam sapientes hujus sæculi non cognoverunt.

Quantò periculosior est turma zelantium absque scientia, quorum quantò major est ignorantia, tantò furiosior impetus, ad resistendum illis, quæ apprehenderint perfectioni Regulæ contrariari, quàmvis verè talia non sint, sed licita & justa, Regulæque conformia. An illi sincero zelo bonâque fide moveantur, an verò solâ impellantur cupiditate apparendi ut rigorosi suæ Regulæ observatores, ille judicet qui novit omnia. Aliqua tamen sunt indicia, quæ cupiditatem solius arguunt apparentiæ. Puta, quòd in iis quæ sunt hominis interioris, in cultu mentalis orationis, in patientia & resignatione, in humilitate ac mansuetudine, in compunctione & charitate, nulli sunt; sed totum eorum studium esse videatur in quibusdam exterioribus, iis maxime quæ concomitantem habent gloriam aliquam suique provocent admirationem. Si quid his contrarium fieri videatur, protinus infamatur ut relaxativum, ut reformationis destructivum, & Regulæ prævaricatio. Atque sub hoc prætextu liberè quandoque à talibus violatur respectus, & debita legitimis Prælatis obedientia, nec non linguæ laxantur & calami in calumnias Superiorum, confratrum, omniumque qui eorum impetuosis conatibus contradicunt. Omnia interim detrimenta pacis, charitatis, quietis propriæ, & regularium observantiarum, hoc solo verbo sufficientissimè judicant excusari: *Decertamus pro Regula.* Illustrissimus P. Josephus Bergaigne Cameracensis Archi-Episcopus, dum adhuc in Ordine ageret Belgicum Commissarium Generalem, talibus impingebat gnomen illam blasphemam, quam à se olim Apostolus excutiebat: *Faciamus ma-* Rom. 3.
la ut veniant bona; quorum damnatio justa est. vers. 8.
Censebatque reformationes illas, quantumvis speciosas, non posse esse à Spirito Sancto, quæ promoverentur cum mille peccatis mortalibus, tum ipsorum promoventium, tum pusillorum aliorum, qui ante in pace viventes bonâque conscientiâ, per turbulentos illos & efferatos spiritus, ad odia, schismata, rixas & impatientias accenduntur. Incredibile est, quas clades inferat Ordinis nomini veræque virtuti, zelus ejusmodi, armatus pertinaciâ contra legitimam superiorum obedientiam. Timendum talibus est, ne à suæ Religionis Fundatore cogantur aliquando improperium audire, quod olim Jacob Patriarcha pronuntiavit: *Simeon & Levi fratres, vasa* Gen. 49.
iniquitatis bellantia. In consilium eorum non ve- vers. 5.
niat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea &c. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.

Finaliter itaque nulli devotarii, scrupulosi, præsumptuosi, mandatorum superiorum discussores & excussores, palpent conscientias suas, haud bene munitas, & falsis excusent prætextibus, ad obedientiam excutiendam. Non mentiatur iniquitas sibi, nec blandiatur de Regulæ defensione, quoniam hujus præceptum primarium, & sæpiùs repetitum, de obedientia est, Superioribus exhibenda. Hujus igitur zelo, præ omnibus effervescant. Audiant ad hoc sanctissimi nostri Paduani exhortationem. *Vade, ô homo, & considera humanitatem* Ad Dominicam
Christi. Attende ipsius humilitatem, deprime tui Quinquagesimæ.
cordis tumorem. Vade, inquam, passibus amoris; accedere cordis humilitate, dicens cum Propheta:
In Veritate tua humiliasti me. *O Pater*, in Ve- Psal. 118.
ritate, *id est in Filio tuo humiliato, egeno, peregrino* vers. 75.
humiliasti me; *egeno in præsepio pecoris, peregrino in patibulo crucis, humiliato in utero Virginis. Nihil sic humiliat superbum peccatorem, sicut humilitas humanitatis Christi*, qui non erubuit subjectus esse hominibus, eorumque judiciis ac voluntatibus mitissimè cedere, absque ullius repugnantiæ significatione. Hæc humilitas intimè considerata, persuadebit sufficienter obedientias exequi, quas superbia, quæsitis ineptis rationibus, hypocriticè finget se non audere aliquatenùs acceptare.

TEXTUS & §. XV.

Et ubicumque sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere.

SUMMARIUM.

In quo consistat spiritalis Observantia Regulæ. Quænam sint interiora hujus observantiæ impedimenta. Superiorum est, ad ea tollenda subditos adjuvare. Item ad tollenda impedimenta Externa, quæ hic simpliciter recensentur. Deficientibus circa hujusmodi adjutorium Ministris Provincialibus, erit ad Generales recurrendum. Recessus alicujus ad observantiam strictiorem (cum legitima obedientia) non debet vitiosa difformitas reputari. Salutare consilium pro Superioribus, reformationis negotium aggressuris. Aptum quoque ad hoc medium, Sanctorum Ordinis invocatio.

NOster D. Bernardinus Spiritualem observantiam Regulæ definit in hunc modum: *Spiritualiter observare Regulam, est, eam in sua puritate, & sinceritate & spirituali perfectione servare.* Regulæ *Puritas* intelligitur, quæ maculata non est mandatis, vel statutis, aut consuetodinibus contra Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam ordinatam, aliaque præcepta Regulæ; estque procul remota non à transgressionibus solùm, sed à periculis quoque & occasionibus vehementioribus transgressionum & Impuritatum. *Sinceritas* Regulæ, in eo consistit, quòd non sit adulterata contortis interpretationibus, contra mentem Legislatoris, & planum litteralem legis intellectum, nec etiam alterata per Privilegia, & dispensationes non necessarias, aut subreptitiè impetratas. *Spiritualis perfectio* Regulæ est, quæ non contenta observatione exteriori (quæ potest etiam in hypocritis reperiri) potissimùm interioribus invigilat virtutum radicibus: ut quidquid est paupertatis, obedientiæ, castitatis, jejuniorum, nuditatis, exercitiorum fraternæ charitatis, correctionum & cæterorum; id ab interioribus motibus & fontibus amoris Dei, pœnitentiæ, sanctæ æmulationis Crucifixi Jesu, zeloque divinæ gloriæ procedat, & impetretur. Deinde ad spiritualem Regulæ observationem pertinent, non ea solùm quæ præceptoriè tradita sunt, verùm etiam quæ per modum consilii & hortationis, ad perfectiorem Evangelii observantiam, altioremque sanctitatem specificantur. Pro ista Puritate, Sinceritate & Spirituali perfectione Regulæ, decertârunt omnes fideles reformationum promotores, & nunc etiam qui veraciter amant ejusdem Regulæ integritatem, omnibus conatibus intendunt in has tres partes Spiritualis observationis. Quia verò Vir Dei Franciscus noverat, varia iis objicienda esse impedimenta, qui hujus spiritualis observantiæ desiderio tenerentur, præsenti Textu remedium adfert eisdem, dicens: *Ubicumque sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere.*

Tom. 3. in Dial. De Obed. circa fin.

Porrò duplicis generis sunt ejusmodi impedimenta, quædam nimirum interna, quædam exteriora, & utrorumque cohortibus superandis aut avertendis dati sunt Superiores in subsidium à Deo, qui debiles corroborare queant, & incautos de insidiis præmonere, armaque subministrare. Ab his Pastoribus oviculæ Christi contra truculentam luporum rabiem defensantur. Dum heroës Machabæi cordi habuerunt Rempublicam Judæorum, diu omnia sequentibus exercitibus prosperè successerunt. Signanter de Juda dicitur, quòd ipse *& universi qui se conjunxerant Patri ejus, præliabantur prælium Israel cum lætitia, ... Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione, & persecutus est inimicos, perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis, & repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus &c.* Talis animi debent esse Prælati nostri, in zelo & fortitudine propulsandi impedimenta legum Seraphicarum, & adjuvandi fratres suos, & omnes qui se in mundi fuga Francisco conjunxerunt.

1. Mach. 3. vers. 2.

Primùm de internis impedimentis, & nocentissimum est, Ignorantia, sive oblivio propriæ vocationis. Hanc facillimè dissipare possunt, & avertere Superiores, docendo & exhortando, tùm in hujus vitæ primordiis tempore Novitiatûs: tùm quandocumque viderint suos adhuc eâ ignorantiâ laborare. Et cùm sæpè distrahantur fratres, nonnulli studiorum assiduitate ad concinnandas conciones, nonnulli actionis externæ multiplicitate, nonnulli fortè (quòd pejus esset) otio somnolento; fecundissimum fructum facient Superiores, si eis interdum, etiam non petentibus instructionem, memoriam refricent, & affectum primitivum vitæ spiritualis.

Alterum vehemens impedimentum est, Ignavia formidolosa, procedens ex nimio sui-ipsius amore, dum ea occurrunt servanda, quæ displicent carni & sanguini. Ad superandam hanc Pusillanimitatem, juvabit timor severi alicujus Superioris, quo propellente, subditus in rectâ semita perget ac permanebit. Hoc adjutorium, quia insuave est, vix umquam à subditis postulatur: verùm etiam non postulatum exhibetur ab iis Superioribus, qui salutem propriam amant, & sibi commissorum. Quinimò, in non obligatoriis materiam subministrant exercendæ virtutis excellentioris, dum in aliqua anima largiores deprehenderint vires gratiæ, quas non auderet ipsa-met exercere, nisi providentia Superioris eam de suo exciteret loco ad agendum quid magni, & servo Dei singulari dignum.

Tertium vulgare impedimentum, maximè in Religiosis tepidis, est, Pusillanimitas, quâ quis non audet esse primus ad bene agendum: parati quidem sunt ad sequendum alacriter, si quis inciperet in medium prodire, sed opus sibi impar existimant aggredi, quod nullus aliusa usus sit attentare. Ea est enim humanarum perversitas opinionum, ut probo ducatur, si quis bene quippiam incipiat, quod nullus è præsentibus visus sit agere, vel quod communem superet usum; gloriam verò æstiment auctorea esse novarum vanitatum, & facinus aliquod audere, quod alius nullus fuerat ausus. His opinionibus terrentur aliquando ipsi contemptores mundi, trepidantque ad solam umbram minimi probri. Ad hos dirigitur salutare monitum Hebræi Sapientis: *Ne pro his omnibus confundaris, & ne accipias personam, ut delinquas, de lege Altissimi & testamento.* Ne scilicet propter respectum motionis alicujus irridentis, reformides tueri legem & testamentum Altissimi. Eâdem fronte debemus aggredi restituere legem Franciscanam, & Patris Seraphici Testamentum, si forsan alicubi forent obsoleta, eâdem, inquam, constantiâ, quâ olim Apostoli *erant unanimiter omnes in porticu Salomonis*, tametsi pro illo tempore cæterorum nemo auderet se conjungere illis. Si qui verò privari Religiosi non câ sint præditi fortitudine, eorum imbecillitatem optimè poterit Superior sublevare. Hic enim si incipiat religiosiùs agere, seque ducem faciat meliorum, non habet timere cujuspiam offensionem, sciunt enim omnes eam esse ipsius officii obligationem. Deinde quàmvis aliquis videretur offendi, non tamen auderet murire contra virum armatum auctoritate. Demùm libentiùs atque fidentiùs sequuntur simplices Primarium Virum quàm gregarium aliquem, à quo non tantum sperant in eventuris contradictionibus patrocinium.

Eccles. 42. vers. 1.

Actor. 5. vers. 12.

Pro externis quoque impedimentis Regulam spiritualiter observandi, idem suppetit remedium recursûs ad Ministros. Tale impedimentum in primis erit, si subditus per localem Superiorem tantis obruatur occupationibus, & tam alienis à religiosâ vocatione, ut nisi difficulter vacare possit functionibus & exercitiis religiosis, sed tota mens ad sæcularia abrepta extravagetur. Præsertim dum occupationes illæ nec ad servitium referuntur communitatis, nec ad spiritualem proximi profectum, sed ad mera temporalia lucra, vel ad vilem mundi complacentiam, aut alias vanitates. Casus contigit D. Bernardi temporibus. Monachus aliquis, à suo Abbate rotis diebus impendebatur, ad visitandum & curandum sæculares, more Doctoris Medici. Cùmque ea de causa confugisset ad reformatos Cistercienses, & illi, à quibus recesserat, de ipsius admissione graviter conquererentur, causam illius & suam sic agit D. Bernardus, qui eum post unam repulsam susceperat: *Post primam, ait, repulsam idipsum à nobis requirere non erubuit. Rursus nos admonentes eum de reditu, cùm causam sua discessionis ab eo requireremus: Abbas, inquit, meus habebat me non Monachum, sed medicum. Cogebat servire, imò ipse serviebat per me, non Deo, sed sæculo: quando ne sæcularium malevolentiam Principum incurreret, mederi me compellebat etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis. Quod animæ meæ periculum, cùm ei nunc privatim, nunc palàm suggessissem, nec proficerem, quorumdam tandem sapientum virorum consilio fretus, fugio meam damnationem, non congregationem; perditionem non regionem. Consulite saluti meæ quærenti: aperite pulsanti. Cujus nos videntes constantiam, audientes causam, & nullam contra eum calumniam, annuimus intrantem, probavimus susceptum, adstruximus probatum, tenemus professum.* Idem iterum aliâ occasione dicit: *Si morum conversio, & obedientia quasecundùm Regulam sit, pro improbitate & irreligiositate cohabitantium obtineri nequeant, duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad alium locum, ubi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua: quidem cum sancto sanctus eris & cum perversa perverteris.*

Epist. 67.

Lib. de Præcep. & Dispens.

Psal. 17. vers. 27.

Atque in hac secunda sententia, innuit Mellifluus Doctor alterum gravissimum externum impedimentum observantiæ regularis, nimirum dum consuetudines pravæ ita firmiter in aliqua congregatione radicatæ sunt, ut nec immediatus Superior eas extinguere valeat; sed iis omnes miserè abripiantur: quibus si quispiam se noluerit conformare, perit pax, & apertis impetitur inimicitiis, & ab

ab omnibus defertur, velut suspectus censor atque delator communitatis. Hæc mala omnino timenda forent alicui probo degenti in congregationibus, quales olim plangens Alvarus Pelagius, depingebat: *Ubi religio est sinè charitate, habitus sinè humilitate, conjura sinè paupertate, silentium oris sinè quiete cordis, jejunia cum gastrimargia, psalmodia sinè concordia, exterior oratio & vocalis apparens & interior vagatio, sterilis meditatio & nulla compunctio, continua missarum celebratio & vitiorum augmentatio, visitatio & semper excusatio sinè velatio peccatorum, veritatis lucrativa prædicatio & ejusdem per malam vitam impugnatio; corporalis in eundo, cantando, comedendo, serviendo combinatio, & interna divisio ac reciproca persecutio; in choro & missa benedictio, & extrà intràque in corde maledictio, detractio, murmuratio, contentio, mendaciorum multiplicatio, cacchinnatio, subsannatio; pacis labiorum altrinsecà datio, & interior cordis indignatio ac mala cogitatio. Vallis ad quos Pharisæorum vitia devenerint, regulares irregulares, tanquam perversi, & ad vitia mundi reversi, cænobitæ, & sarabaitæ, claustrales, & nobilium commensales, monachi vagantes, forenses advocati & defensores, procuratores, mercatores, nuntii dominorum mundi & cursores, cavillosi disputatores, quæstores præsumptuosi, vanè gloriosi, aliorum Religiosorum contemptores; paupertatis professores & hæreditatum successores. Ordinum in quos ingrediuntur deceptores, regulæ inimici, versipelles; omnibus aliis superbiores, cùm debeant esse ex sua professione humiliores; Theologiæ & legum professores & vitâ largiores; fratres, sed fratrum persecutores, & religionum scissores; dæmonibus immolati & concupiscentiis mundi renati: qui miserunt manum ad aratrum, & aspiciunt retro; ascenderunt tectum, & descenderunt tollere divitias & honores; spoliaverunt se tunicâ, & iterum induerunt illam; laverunt pedes, & rursum inquinant illos; pennata animalia iverunt, & reversa sunt; debebant esse obliti eorum quæ retro sunt, sed ad anteriora se non extendunt; iverant è Sodomis ad montem ut ibi salvarentur, sed ibidem fornicantur, vel retrospiciunt & in statuas convertuntur, facti sal infatuatum ad nihilum valens. Exeuntes de Ægypto, & illuc revertentes; qui cucurrerunt aliquamdiu, sed bravium non acceperunt; baptizati à mortuo, & iterum tangentes illum; qui ad tempus crediderunt & in tempore tentationis recesserunt; vocati quidem à Christo, sed qui redierunt sepelire mortuos suos; stellæ non manentes in ordine suo, sed de cælo cadentes.* Hactenus Alvarus.

Lib. 1. de Planctu Eccl. c. 33.

Ubi foret communitatis alicujus religiosæ negotium sub hujusmodi miseriis constitutum, & subditus aliquis incorporatus eidem, quàmvis præditus sincerâ voluntate suis votis satisfaciendi, non posset, etiam cum adjutorio Prælati localis, evincere occurrentia impedimenta, ad suos Ministros Provinciales potest recurrere. Providè tamen requirit in hoc Textu Seraphicus Pater, ut taliter recursuri, sint reipsâ difficultatem experti, sic ut non timeant solùm ac suspicentur; sed *sciant & cognoscant se non posse Regulam spiritualiter observare.* Quod est contra inquietos aliquos & suspiciosos, qui propter quamcumque apprehensionem inobservantiæ in aliqua communitate, vel propter imaginatam solùm difficultatem vivendi juxta sui statûs perfectionem, præsumerent passim Ministros suos importunis recursibus fatigare. Alterum etiam addit noster sanctissimus Legislator, quòd illi, qui veram habent recurrendi necessitatem, non modò *possint*, verùm *& debeant ad suos Ministros recurrere*; hoc est, non ad alios possint, illis prætermissis. Penes hos enim in primis residet auctoritas tollendi impedimenta prædicta, & subministrandi commoditates Regulam spiritualiter observandi. Atque eo præceptivo verbo restringuntur illi, inquieti qui declinare vellent oculos suorum Ministrorum, quibus probè cogniti sunt, & præpostero recursu procul abire vellent ad Generalem Ministrum aut Summum Pontificem, ubi minùs noti, studerent fictâ humilitate fictisque suspiriis clamare misericordiam, & in multis suos Superiores & Provincias accusare; ubi difficulter audiri potest altera pars, ob locorum distantiam, bellorumque tumultus. Unde fieret aliquando, ut accusati Provinciales, quàmvis innocentis vitæ, & promptissimi, ac sufficientes ad satisfaciendum bonis subditorum desideriis, traducti apud Ecclesiæ Proceres, manerent pro aliquo tempore diffamati. Illis igitur temerariis viam præcludere voluit noster sanctissimus Legislator, & ordinavit eos accedere primùm ad Prælatos viciniores, qui statum locorum, unde veniunt isti recurrentes, eorumque conditiones, mores, & motus meliùs nosse possunt & dijudicare, atque conventiora suppeditare remedia.

Quòd si Provinciales Ministri suo defuerint officio, sive ex voluntatis vitio, sive ex impotentia subdito providendi, fieri potest ordinatus processus, ad ipsum Generalem, vel ejus Commissarios recurrēdi, apud quos potentior reperitur auctoritas, & residere præsumitur uberior clementia, pro bonorum solatio filiorum. Hanc experti sunt quàmplurimi singulis sæculis, qui secundùm ordinem supra-scriptum confidenter ad sinum suorum Generalium confugerunt. B. Joannes de Vallibus cum sociis aliquot sibi adhærentibus à F. Gerardo Odone, (alioqui non adeò strictæ vitæ Generali) locum solitarium impetravit, ubi in paupertate & regulæ cultu quietè Domino deservirent. Ipsius discipulus B. Paulutius Trincius faventem sibi habuit & Provincialem suum, & postmodum F. Thomam Frignanum Generalem Ministrum. Qui reformationem in Francia sunt auspicati, ad Generalem Antonium de Pireto recursum habuerunt, quibus ille favit egregriè. F. Joannes Lucensis ex Arragonia (ubi initiatus fuerat) in Italiam transiit ad suum Generalem, à quo impetravit Observantinis fratribus aggregari. F. Martialis Boulier, Vicarius Generalis Observantium, ne vetus ardor & rigor observantiæ labefactaretur, humiliores quasdam domos, ab hominum frequentia semotas, in singulis Hispaniæ tum Provinciis tum Custo-

Annal. Tom. 3. an. 1334. num. 24.

Annal. Tom. 4. an. 1368. num. 10.

Gonzaga pag. 8.

Chron. p. 3. lib. 5. cap. 48.

Gonzaga p. 1. pag. 24.

diis selegit, in quibus fratres, qui strictioris vitæ studio tenerentur, commorari possent, quod anno 1502. constitutum est, sed in effectum deductum per F. Franciscum de Angelis, Generalem, circa annum 1525. quod in hodiernum usque diem sanctissimè perseverat, & extra Hispanicas quoque Provincias usu frequenti magnâque utilitate receptum est. Fecit etiam F. Bonaventura à Calatagirona circa annum 1597. ut in Belgicis Provinciis assignarentur sufficientes Conventus iis fratribus qui puriorem & strictiorem observantiam efflagitabant; eosdemque F. Franciscus à Sosa Generalis multipliciter protexit, auxit, suisque favoribus animavit.

Nemo vero, suæ Provinciæ vel Familiæ ductus affectu, reputet per separationem ejusmodi, vitiosam fieri difformitatem. In domo Patris nostri mansiones multæ sunt, diversis diversimodè sub debita Superiorum directione, ad spiritualem Regulæ observantiam aspirantibus. D. Bernardus redargoens aliquos quoad hoc sui temporis obtrectatores, recentiorum etiam ignorantiam & æmulationem præclarè corripit & erudit:
Epist. 7. circa finem. *Si enim*, inquiens, *displicet hoc, & murmuras adversùs hominem quærentem salutem suam, respondebit pro eo salutis auctor*: Nonné oculus tuus
Matth. 20. vers. 15. nequam est, quia ille bonus? *O quisquis es, qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ. An nescis* quòd invidiâ Diaboli intravit mors in orbem
Sap. 2. vers. 24. terrarum? *Attende itaque tibi, si enim ubi invidia, ibi mors, profectò non potes simul & invidere, & vivere. Quid molestus es fratri tuo, quoniam satagit quemadmodum quæ processerunt de labiis suis, non faciat irrita? Si quærat homo, quomodo, & ubi quod pollicitus est, Deo persolvat, quid tu perdis? Fortassis si aliquanta pecunia tu eum debitorem teneres, circuire cogeres mare & aridam, donec usque ad novissimum quadrantem redderet universum. Quid igitur de te meruit Deus tuus, quoniam non vis, ut & ipse à suo quod suum est debitore recipiat? Imò tam invidens, duos tibi reddis infensos, dum & Dominum servi obsequio, & domini gratiâ servum fraudare conaris. Tu quare potiùs illum non imitaris, & ipse videlicet persolvendo quod debes? Putasne tuum non requiretur debitum? An potiùs magis propter hoc irritas impiè Deum, quia dicis in corde tuo*: Non requiret?
Psal. 10. vers. 13. Hæc sanctus ille Doctor, non solum invidis profectûs alieni, sed aliis quoque nimis insulsè consodales amantibus, quos non æquanimiter patiuntur à se disjungi, ut evolent ad strictiora.

Superioribus autem, Reformationis negotium aggressuris, idem ille Magister mellifluus sapientissimum tradit consilium, dum Abbatem aliquem bona meditantem, sed inter involuntarios constitutum, in hunc modum consolatur:
Epist. 85. *Ad tempus, præpositi tui tibique consentientium rigorem sic temperes, ut infirmiorum salutem non negligas. Invitandi quippe sunt ad arctiorem vitam, non cogendi..... Illis autem qui altiùs vivere desiderant, aut condescendere imbecillioribus ex charitate (quantum sine peccato possunt) suadendum est; aut ibidem tenere quod cupiunt, permittendum, si absque utrarumque partium scandalo fieri potest: aut certè de congregatione liberos dimitti, fratribusque aliis secundùm eorum propositum viventibus, sociari oportet.* Interim verò, illi fervidi Regulæ zelatores, in cœlesti confidant adjutorio, & per Sanctorum suffragia divinam implorent gratiam, medium efficax sua pia desideria perficiendi. Eos potissimùm interpellent Sanctos, qui sub eâdem militârunt Regulâ, & pro ejus conservatione impigrè decertârunt. Acceperunt illi possessionem suam in terra promissionis; verumtamen ad eos quodammodo noscitur pertinere lux data Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ Tribui Manasse: dum inducendi essent Hebræi reliqui in possessiones suas ultra Jordanem: *Transite*,
Josue 1. vers. 14. inquiebat Josuë, *ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut & vobis dedit, ut possideant & ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis.* Ad hæc adjutoria per eos impetranda, non mediocrem nobis ingerit confidentiam D. Bernardus, dicens:
In Cantica serm. 77. *Quid? Ipsi transierunt per ignem & aquam, & educti sunt in refrigerium: & nos in mediis ignibus vel fluctibus derelinquent, nec saltem porrigere manum dignabuntur periclitantibus filiis? Non est ita.*

TEX-

TEXTUS § *XVI.*

Ministri verò benignè & charitativè eos recipiant.

SUMMARIUM.

Recurrentes ad Ministros pro meliori Regulæ observantia, sunt benignè & charitativè recipiendi: tum quia suâ ad bene vivendum sollicitudine, exonerant conscientias Superiorum: tum quia eis servire possunt tamquam perficiendæ Reformationis Ordinis instrumenta: tum quia ad eos missi à Patre cœlesti, & à Seraphico fundatore. S. Bonaventuræ exemplo docentur Prælati, non denegare audientiam pauperculis ad se recurrentibus: etsi videantur gravioribus negotiis occupati. Quàm monstruosa sit Superiorum erga subditos morositas & impatientia. Qualiter B. Franciscus, suâ benignitate, recurrentem ad se subditum, à gravi liberaverit tentatione.

NOster Seraphicus Bonaventura exponens hunc Regulæ textum, dicit hîc fieri monitionem, ut *Ministri charitativè* in corde, *& benignè* in vultu & sermone, *Fratres recipiant*, recurrentes ad ipsos, pro inquirenda via Regulam puriùs observandi, Dominoque commodiùs observandi. (*Expos. in Regulam.*) Sanè, si respectu omnium subditorum, se debet Generalis Minister fratrem exhibere, iisque fraternâ esse devinctus charitate; multò magis debet ipse omnesque Provinciales Ministri eos complecti visceribus intimæ dilectionis, quos ita vider de sua salute sollicitos, ut exonerent ipsos formidandâ illâ necessitate, reddendi pro eorum animabus in tremendo die judicii rationem. Quid potest Prælatis timoratis optabilius & amabilius evenire?

Ampliùs etiam urgebuntur ad eos amandum, si utilitatem æstiment ab eis toti religiosæ familiæ resultantem. Cùm enim supremum Prælatorum desiderium sit, aut esse debeat, ut sibi commissa congregatio adspiret jugiter ad meliora, eòque illorum studia oporteat collimare, illos agnoscent & diligent ut optimos cooperatores, quorùm consilia fidelia & operæ erunt efficaciores, tum ad suadendum æqualibus: tum ad præcedendum exemplo, factisque comprobandum, non ita difficilem duramque esse Regulam, nec reformationem adeò impossibilem, quemadmodum vulgus timidum eatenùs æstimavit. Quod non prævalerent Superiores auctoritate, statutis armatis, multisque sermonibus & minitationibus; isti familiaribus evincunt suasionibus: imò muta simplicique conversatione, silenter ad cor aspicientium penetrante. Quo favore non suscipientur tam utiles operarii, publicam promoventes salutem, Ministrosque laboribus gravissimis exonerantes? Cùm venisset Abner ad David in Hebron, ut reduceret ad eum universum Israël, & elevaret thronum ejus super Israël & super Judam à Dan usque Bersabee, *fecit David Abner & viris ejus qui venerant cum eo convivium* (2. Reg. 3. vers. 20.) Nõ contemnendam judicabat operam istam, dudum desideratam. Similem præstant Prælatis operam, fideles illi fratres; qui alios detortos ad regularem reducunt obedientiam; suntque adeò ampliori dilectione & comitate suscipiendi, velut aptissima aggrediendæ quandoque reformationis instrumenta. *Si tibi est servus fidelis*, monet Ecclesiasticus, *sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* (Eccles. 33. vers. 31.)

Tametsi verò Ministri nullum prædictorum commodorum expectarent à subditis illis ad eos recurrentibus, eo tamen solo, respectu forent omni cum benevolentia excipiendi, quia à Patre cælesti & Seraphico Fundatore ad eos directi sunt, ut ipsorum nomine illis paterna charitatis viscera exhibeantur. Dum S. Joannes Baptista suos ad Christum misisset discipulos, humanissimè sunt excepti, non solùm ex innata Domini benevolentia, sed specialiter quoque ob respectum maximi & amicissimi viri, qui miserat eos pro justo sanctoque negotio. (Math. 11) Simili dilectione atque benignitate D. Petrus Cornelium suscepit Centurionem, & Ananias Saulum, qui sibi à Deo transmissi erant ad instructionem, suæque salutis adjutorium. (Act. 10. & 9.) E contrà verò, ex hac etiam parte Judas fuit infelicissimus, quòd in angustiis sui agniti criminis, recursum habuerit ad pravos & inclementes Scribas & Sacerdotes, qui miserum contempserunt, nec ad æterna pro- (Math. 27.)

petantem tormenta retrahere studnerunt. Caveant Prælati, ne cum eis sit pars eorum, ne Dei filios ad se confidenter transmissos dedignentur, & absterreant vultu vel voce severiori, & abigant vacuos expetito solatio. Bonam quidem immisit eis Dominus voluntatem; sed fortassis adhuc teneram, quæ confortari debeat & confoveri. Cùm Naaman Syrus instinctu Dei missus esset ad Eliseum Prophetam, pro requirendâ suæ lepræ curatione, & non per omnia susciperetur ab illo prout 4. Reg. 5. vers. 11. fuerat imaginatus, *iratus recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu suâ locum lepræ, & curaret me*; & jam se verterat, & abibat indignans. Non rectè id quidem fecit Naaman; fecit tamen, ex ignorantia & fragilitate. Quis scit, si non æquè infirmi sint, brevisque patientiæ, illi quos ad vos, O Ministri, mittit Deus? Vestræ benevolentiæ sinu complectendi sunt, & tenera bonæ voluntatis eorum semina, sollicitè confovenda vestræ calore dilectionis. Bonus Pastor, tantùm abest ut oviculam negligat, ad se pro securitate recurrentem, ut etiam aberrantem requirat Luc. 15. vers. 5. solerter, donec inveniat. *Et cùm invenerit eam imponit in humeros suos gaudens*, domumque reportat.

Neque reputent Prælati, se posse subditis, pro salutis negotio ad eos recurrentibus, audientiam denegare, ob negotiorum, quibus implicantur multiplicitatem, vel ut satisfaciant priùs frequentiæ circumstantium digniorum. Salutis æternæ promotio & obligatio charitatis, quibuscumque aliis prævalere noscitur occupationibus. Præclaro id exemplo docuit Generalis Seraphicus Bonaventura. Annal. Tom. 2. an. 1269 num. 5. Hic dum ad Capitulum pergeret Assisii celebrandum, evênit ut quidam frater Fulginas, afflictus, dum illic in patria non posset ipsum suum Primicerium pro relevanda calamitate (propter plurimos circumdantes, & itineris comites) alloqui, præcesserit Hispellum, atque ad oppidi radices in via occurreris Generali, non parvo fratrum sociorumque comitatu stipato, claráque voce transeunti dixerit: *Venerande Pater, ego percuperem pro mea consolatione te alloqui: & humiliter rogo, ne tuum contemnas subditum, quantumvis humilem fraterculum, tua tamen cura commissum.* Recessit aliquantulum à comitatu Bonaventura, sedensque humi, humaniter & placidè cum misello, candidè audivit, patienter tulit prolixiùs dicentem, & misericorditer consolatus est deprecantem. Commoti Fratres ob tantam moram, expectantes in via submurmurabant, dixeruntque supremum Ordinis Virum non ita se deprimere debere, ut occurrenti in via fraterculo, assideat in terra, adeò longo tempore, relictis gravioribus partibus sodalitii, qui eum comitabantur. Quibus ille: *Non licuit, Fratres, aliter facere. Ego minister sum & servus; ille meus dominus: frequenter enim illa Regula commemoro verba*: Ministri benignè & charitativè fratres recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis & facere, sicut domini servis suis. Nam ita debet esse, quòd Ministri sint servi omnium fratrum. *Ego servus, obtemperare debui domini voluntati, & compati laborantis infirmitati.*

Multùm ab hac abessent benignitate Prælati illi, qui tumidi & indignabundi, nec præsentiam, nec nomen, nec supplicationes aliquorum pati possent, pauperculorum, improperantes eis currendi pruritum & inquietudinem, ac pro injuria computantes si, à recurrentibus ad se, in suis studiis litterariis, nec dicam recreationibus, interrumpantur. Qui in iram erumpunt, dum incipiunt audire gravamina, quæ velut nugas reputant, nolentes intelligere quantùm iisdem misellus subditus opprimatur. Si qui tales alicubi reperiantur, audiant, sibique dictum credant quod olim D. Chrysostomus de Iracundis scripsit Episcopis: *Videre est sunt eos, qui animi virtutibus plurimùm possunt, ad hæc tanti velut animi vertigine laborare, ut vel immanissimis belluis faciliùs exasperentur. Hujusmodi ingenio præditi, ab Episcopatûs* (sive Superioratûs) *cancellis procul arcendi sunt. Nam Episcopum* (sive Prælatum) *mediâ minimè cruciari, sumeundem nudis pedibus non ingredi; id certè nihil incommodabit Ecclesiæ universitati. At verò aggressiores animi ferocitas furorque, tum Domino possessorique suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum auctor sæpè fuit. Hinc si popularem magistratum credas, fiet ut instar feræ alicujus à multis undique exstimulata, neque quieto unquam animo esse queat, & commissos sibi populos in infinita incommoda distrahat. Nihil enim sic ingenii perspicuitatem hebetat, ut ira, nullum ordinem servans, ab animi impotentis impetu nutu. Ita enim & prudentes perdit: Quasi enim in nocturna pugna aliqua, obtenebratus animi oculus, non internoscit amicos ab inimicis, neque ignobiles à claris, sed omnes simul uno loco habet.* Et quidem, turbari aliquem propter peccatum alicujus, ignoscendum videri posset humanæ fragilitati, noluit tamen Franciscus permissum esse suæ Regulæ professoribus; quantò minùs permissum eis erit conturbari, propter bonum opus mente conceptum, sed propositum eorum cerebro tunc forsitan malè constituto?

Demus etiam, postulationes recurrentium ad Ministros, non tanto niti judicio & ratione; quò infirmiores sunt, eò majori sunt charitate tolerandi, quâcumque tentatione premantur aut afflictione, & tunc aspirante divino auxilio, atque cooperante Superiorum, ad quos recurritur, benigna condescensione, à suis miseriis excitabuntur. Veniebat aliquando ad Annal. Tom. 1. an. 1226. num. 19. B. Franciscum F. Ricerius Bononiensis, Marchiæ Anconitanæ Minister, magnam excussurus tentationem ad sancti Patris conspectum, modò paternè ab eo reciperetur: persuasit enim Diabolus Virum Sanctum eum odio habuisse, quia damnandum præsciebat, ut malus spiritus suggerebat. Admonitus sui filii periclitantis, duos ex sociis, Massæum & Leonem in occursum ejus misit, qui eum benignè reciperent: *Ite*, inquit, *obviam fratri Ricerio, qui huc me visum venit, & ex mea parte illum amplexantes & osculantes, dicite illi, quòd ipsum præ omnibus fratribus totius mundi totis diligo visceribus.* Quod dum fecerunt, titubantis animus firmabatur in fide, & totus homo subitò est liquefactus ex gaudio. Deo ergo gratias agens, quòd

quòd prosperum fecerit iter suum, ad sanctum virum pervênit, qui magìs fervore incensus, quàm corporis robore firmatus, in occursum ejus exilit, & in collum ejus procumbens, paterno dixit affectu: *Charissimi fili Riceri, inter omnes fratres nostros te intimè ex corde diligo.* Deinde fronti ejus crucis imprimens signum, & eodem in loco insigens oscula; *Charissime Fili*, inquit, *hac tentatio data est tibi ad magnum tuum profectum; at si non vis hujusmodi lucrum, nullam tibi imposterum hac tentatio, neque alia quævis, inferet molestiam.* Mirabile dictu: præsens statim evanuit tentatio, nec ulla postea successit afflictio.

TEXTUS & § XVII.

Et tantam familiaritatem habeant circa ipsos.

SUMMARIUM.

Expenditur ob quam causam Apostoli tam familiariter ausi fuerint agere cum Rege cœlorum Christo Domino. Ea fuit mitissima Salvatoris Humilitas. Similem exhibeant Superiores subditis. Prudenter tamen caveant à malitiosis quibusdam ad se recurrentibus: item ne familiaritas nimia contemptum pariat & subditorum elationem. Non pascant etiam recurrentes solis bonis verbis, absque effectu. Quâ arte poterit explorari sinceritas recurrentium. Et quid agendum, quando de ipsorum propositis dubitatur.

VAlde mirandum videtur, quòd Apostoli, scientes Magistrum suum Dei Filium esse, Regemque universorum, ausi fuerint coram ipso, & cum ipso, loqui tam familiariter, & agere. Commune siquidem est, quòd apud intelligentes homines, eos præsertim, qui obscuræ sunt conditionis (quales erant illi piscatores) resideat respectus quidam reverentialis, qui cohibeat eos, ne tam familiariter cum superioribus velut cum æqualibus agant: adeòque subinde excrescit, ut eos non audeant convenire ad suas exponendum necessitates; cujus contrarium Apostolos fecisse, liquet ex totius Evangelicæ decursu historiæ. Quid causæ est, quòd humiles illi viri, cum isto Rege tremendæ majestatis, è cujus vultu splendor divinæ gloriæ radiabat, cum tanta confidentia & familiaritate tractarent? Nil videtur posse convenientiùs responderi, quàm quòd eorum mentes prævenerat, timoremque absorbuerat sensus eximiæ Christi charitatis, quâ se verissimè diligi nullatenùs ambigebant. Concurrebat etiam mitissima Domini humilitas, coæquans eum atque attemperans simplicibus illis hominibus; quâ fiebat, ut cum eo haud aliter quàm agni cum agno conversarentur, tamque facilè auderent illi suas exponere necessitates, sicut eas solet matri suæ puerulus enarrare. Similem exoptavit Vir Dei Franciscus intervenire confidentiam inter suæ Religionis subditos & Superiores, eamque volens per congruum medium excitare, præsenti textu Ministros commonet, ut *tantam familiaritatem habeant circa ipsos* subditos, quæ illos erigere valeat, ut non obstante potestatis superioris eminentiâ, & reverentiali respectu audeant liberè suas Ministris proponere necessitates. Enimvero per affabilitatem Prælati ex charitate suscitatam & humilitate, subditi ad ejusmodi confidentiam mirabiliter eriguntur; quemadmodum Divus testatur Ambrosius: *Popularis & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facilè illabatur humanis sensibus.* Lib. 2. Offic. cap. 7. *Ea si mansuetudine morum, facilitate animi, moderatione præcepti, affabilitate sermonis, verborumque honore, patientique sermonum vice, modestiaque adjuvetur gratiâ, incredibile est quantùm procedit ad cumulum dilectionis.* Id intellexit optimè Rudolphus Austriacus, quem cùm frequentior adiret concursus populi, adverteretque satellitium submovere quosdam fortunæ tenuioris, non sinè stomacho dixit: *Per Deum, sinite homines ad me venire; non enim ideo ad imperium vocatus sum ut includar in arcula.* Beyerlinck in Theat. V. Affabilitas. Eadem fuit, & est modestia plurimorum Seraphici Ordinis Prælatorum, qui quò altiori se gradu constitutos cernebant, eò se fortiùs in demisso humilitatis Minoriticæ fundo detinebant, ut tantò faciliùs & confidentiùs parvuli sub eorum confugerent alas, certumque munimen sibi ab eorum promitterent fidelitate. F. Petrus à Neapoli Vicarius Generalis subjectis fratribus se accessibilem & affabilem per omnia exhibebat; ideoque degens in conventibus, Chron. p. 3. lib. 6. cap. 38. rariùs admittebat salutationes aut congressus Majorum, ut tantò major fieret copia parvulis & libertas ipsum adeundi. Similia affabilitatis argumenta in Chronicis Minorum de F. Angelo de Clavasio, de F. Francisco Titelmanno aliisque quàm plurimis referuntur. Ibid. c. 41. Item lib. 9. cap. 31.

Quia tamen in magnis subditorum communitatibus quidã subinde repetiuntur procaciores, apud quos posset benigna Prælati condescensio

censio atque familiaritas generare contemptum, debet ille prudeotem adhibere circumspectionem, ne per nimiam sui-ipsius submissionem Superioritatis auctoritas evacuetur. Hoc beatus Job circa sibi subditos studuit ob-
Job. 29. vers. 24. servare. *Si quando ridebam ad eos*, inquit, *non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.* Quod D. Gregorius in hunc modum exponit:
Lib. 20. moral. c. 3. *Sed cùm superius patrem se pauperum, viduarum verò consolatorem fuisse perhibet; magnâ valde discretione res indiget, quomodo in tanto terrore regiminis, tantâ quoque affuerit lenitas, & mansuetudo pietatis: Sinè magna enim benignitatis lenitate, non fuit hoc, quòd se patrem pauperum & viduarum consulatorem dicit. Sed rursum, sine magna severitate, non potuit etiam ridens timeri. Qua in re quid aliud docemur, nisi quòd talis debet esse dispensatio regiminis, ut is qui praeest, eâ se circa subditos mensurâ moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari? ut cum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. Sæpè enim subjectos frangimus, dum plùs justò vigorem justitiæ tenemus. Qui profectò vigor jam justitia non erit, si se sub justo moderamine non custodit.* Videamus igitur, quibus oporteat Prælatū in hac cōdescendētia uti circūspectionibus.

Primò, Cavere debet, ne nimium tribuat audientiæ malignis aliquibus, qui aures ambiunt Præfectorum; non tam suæ salutis regulæque studio, quàm cupiditate nocendi, per detractiones, & ubiquè concinnatas accusationes. Facilitas enim istis exhibita, nō tā est necessariæ charitatis exercitatio, quā potestatis Prælaturæ prostitutio, in communem boni publici turbationem. Præfecti virtus, non in abusum improborum servire debet, sed in emendationem. Necesse erit eum à bonis haberi odio, si malis eum amicum intelligant & familiarem. Sagaciter ipse Prælatus subolfaciet virus è verbis eorum, si hypocrisim, jactantiam, aliorum contemptum, singularitatem, aut vanam aliquam redoleant novitatem: talesque prudenter informabit de suarum periculo animarum & tranquillè dimittet, eoque aliquando rigore repellet, quo D. Petrus Simonem magum dicens;
Act. 8. vers. 21. & 23. *Cor tuum non est rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.*

Secundò, Curandum, ne dum Superior Comitati studet, evadat in adulationem. Nimia familiaritas, apud incapaces, imperii contemptum parit & elationem. Si enim adulatio dominorum animos corrumpit turpiter ad arrogantiam, multò magis excessus familiaritatis præcipitabit ad audaciam & procacitatem animos subditorum. Prodigiosa res accidit circa
Annal. Tom. 5. an. 1445. num. 16. Fratrem quemdam Justinum, tanti quondam æstimatum, ut propter frequentes extases sanctus ab omnibus haberetur. Ejus auditâ famâ sanctitatis, Eugenius IV. Pontifex hominem accersivit, ac pedes osculari volentem ulnis excepit & osculo, jussitque propè sedere, admirantibus qui adstabant aulicis: longo deinde protracto sermone, munuscula addidit & indulgentias. Sed qui per superbiam ex spiritu cælesti Diabolus effectus est, eas subdolè immisit cogitationes, per quas arroganter se extulit
Chrysost. hom. 5. in Matth. Justinus, & Pharisæo similis, *qui cùm ad ipsum virtutis cacumen ascendisset; amittens simul universa descendit, quia scilicet non retinuit bonorum omnium genitricem. Humilitatem*, insolito intumuit honore, & favoribus Pontificiis exaltatum est cor ejus, & elati sunt oculi, ita ut miserè *in superbiam elatus in judicium incideret* 1. Tim. 3.
Diaboli. Domum regressus alter ab illo qui erat egressus, cœpit corporis habitu, & verborum vanitate jactitare Pontificis erga se benevolentiam. Capistranus ejus Superior id videns, & ingemiscens, ait: Heu! fraterculе, ita dementatus es his pauculis honoribus, ut monstruosam hanc circa te factam mutationem non apprehendas? Angelus abiisti, Diabolus rediisti: ex cœnobio in palatiū ascendisti speciosus; ex palatio in cœnobium descendisti maculosus: resipisce miser, superbiam exue, tumorem depone, & humiliare sub potenti manu Dei, qui *humilia* Psal. 137.
respicit, & alta à longè cognoscit; qui *superbis re-* Jacob. 4.
sistit, & humilibus dat gratiam. At ille noluit in- vers. 6.
telligere ut bene ageret, sed insolentior quotidie factus, & fratribus intolerabilis, cœpit rixari, percutere, lædere. Ob quæ detrusus in carcerem, factus tandem apostata, multorumque criminum reus, in vinculis miserè decessit. Misellum istum, bono animo Pontifex honoravit, & inde casus tam miserabilis. Sic & alii imperfecti possent facilè Prælatorum favoribus insolescere.

Tertiò, In aliud deflectit vitium humanitas nimia, dum recurrentes ad se bonis pascit verbis, absque ullo effectu. Speciosa magis est, quàm prudens; quippe cujus infidelitas & turpitudo tandem prodit, eòque fit abominabilior, quò promissa fuêre gloriosiora. Tolerabile fuerat postulata denegasse; sed illusoriè promisisse, aut temerè, quod mandati non poterat executioni, additamentum est minimè condonandum, virisque magnis indecentissimum; cùm & privati tenuesque ducant sibi dedecori, post blanda beneficæ voluntatis indicia, post fidem promissione obligatam, eamdem fallere, & ineptis quibusdam puerilibusque subterfugiis suam velle nequitiam excusare. *Non decent stultum verba composita, nec prin-* Prov. 17.
cipem labium mentiens. Intollerabile foret, vers. 7.
Prælatum aliquem, recurrente ad ipsum subdito, pro obtinenda meliori observandæ Regulæ commoditate, solis eum suavibus pollicitationibus delinire, intendere autem revera moras in longum nectere, donec vel expiret sui officii tempus, vel fatigati tædio subditi desistant insistere postulatis.

Fateor equidem difficilem esse in congregationibus discretionem verorum zelatorum à fictis, nec præcipitandam esse approbationem omnium, qui magna præ se ferunt, sublimioremque postulant sanctitatem; hoc præsertim sæculo, quo à nonnullis doceri videtur non tam vera virtus quàm larva virtutis. Verùm evidens est, nil esse commodius ad exploranda cuispiam interiora, quàm amicam familiaritatem, per quam datur, auribus oculisque haurire, frequentiora latentis spiritûs indicia. Inspiciatur, quæ sit communis eorum conversatio, quibus sermonibus & exercitiis delectentur; ex his accipietur securitas de propositis eorum desideriis judicandi. Quòd si non clarè perversa appareant & indiscreta, sed adhuc

dubia maneant, suaserim eis acquiescere: præstat enim errare faciendo misericordiam cum eis, quàm in dubio eam denegando. Si non sint à Deo, sponte se prodent; fit enim communiter, ut qui ex adulterino spiritu magnis conatibus efflagitant strictiora, concessis commoditatibus expetitis sensim flaccescant, easque fastidientes, minùs agant quàm cæteri, & in antiqua hæreant tepiditate. Quibus si fuisset in primis suis momentaneis fervoribus contradictum, acuissent sese ad ardentiorem suorum votorum prosecutionem, ad confundendum Prælatos cælum terramque movissent, & omnia contradictionibus miscuissent, Superioribus interim in aliquo scrupulo remanentibus. Dum autem eis cesserunt placidè, ostiumque ad ardua aperuerunt, ex effectibus tepidis instabilitatis eorum confusio oritur, quâ justo Dei judicio puniantur. Elati erant eorum oculi, & ambulabant in magnis & mirabilibus super se, apprehendere nitebantur altitudinem collis, & exaltare velut aquila nidos suos; sed inde vacui omnino Dei gratiâ, confusibiliter detrahuntur. Quòd si verus & pius fuit spiritus eos movens, & cœlestis gratia comitetur, obtentut constanter comoditatibus attributis, cedetque Prælato, qui concessit, in meritum meritisque solatium, dum per pios istos filios servabitur honor & vigor regularum & constitutionum, atque glorificabitur Deus. Propter quod alicui scripsit Mellifluus Doctor:
Tibi Pater Reverende tam tuâ certitudine quàm Epist. 94.
nudâ veritate ego dixerim, omnino non expedire spiritum velle extinguere. Noli, *inquit*, prohi- Prov. 3.
bere eum, qui potest benefacere, sed si vales, vers. 27.
& ipse benefac. *Gloriari autem magìs oportet in profectibus filiorum, quoniam filius sapiens gloria est patris.*

TEXTUS & §. XVIII.

Ut dicere possint eis & facere, sicut domini servis suis: nam ita debet esse, quòd Ministri sint servi omnium Fratrum.

SUMMARIUM.

Prælaturas ad servitutem ordinari, non ad dominationem, Christi & Apostolorum exemplo monstratur. Ea servitus, non vilis est, sed sublimis, utpote officium Angelorum. Non tenentur Prælati omnibus servire desideriis subditorum; non enim dum indiscreta sibique noxia postulant, dum fugiunt labores, dum irrationabiliter postulant à Superiore vel Confratribus separari. Monitio D. Gregorii ad subditos, ne Superiores imperfectiores judicent, neque contemnant.

ALvarus Pelagius, perpendens summam Christi Domini dignationem, in quàm plurimis humilitatis ministeriis exequendis, dirigit ad Prælatos universos discursum hujus-
Lib. 2. de planctu Eccl. art. 18. modi: *Prælati meminerint, quòd Christus eis sui proponit exemplum, ut si dicta parvi pendant, erubescant ad opera. Venit ministrare, & non ministrari. Debent igitur imitari accessibilem, loquentem simplicibus, pueris manus imponentem, lavantem pedes discipulorum. Non extollat Præsidentem dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat. Noveris autem, quòd humilitas vera plurium ministerium est. Sicut enim qui pluribus ministrat vulneratis eorumque abstergit saniem, non sumit ministerium istud in causam elationis: sic multò magìs, cui commissa sunt cura fraternarum languorum, non de prælationis jactantia sit, sed de humilitate contentio. Si multùm decepti non estis, nihil vos existimate plùs accepisse à magnis Pontificibus & magnis Apostolis, è quibus Paulus dicebat*: Sapientibus & insipientibus debitor
Rom. 1. vers. 14. sum. *Hoc nomen, potiùs congruit servienti, quàm dominanti; cui curandum est quomodo & qui sapiunt non desipiant, & qui non sapiunt sapiant, & qui desipuère resipiscant.* Debet itaque Superiores ad Christi Apostolorumque imitationem suum officium taliter exercere, ut sciant, & re ipsâ demonstrent, se non aliorum Dominos, sed servos & ministros esse; officiumque suum non fastu & supercilio, sed beneficiis, sollicitudine, & labore ostendant; suamque auctoritatem, non violentiâ, sed benefactis & benevolentiâ tueantur. Specialiter autem id faciendum incumbit Prælatis Minoriticæ Religionis, quibus suus Institutor disertè præscripsit, tam humilem erga suos subditos habere familiaritatem, *ut dicere possint eis & facere, sicut Domini servis suis: nam ita*, inquit, *debet esse, quòd Ministri sint servi omnium Fratrum.*

Hæc porro Servitus, cui Ministri mancipati sunt, non erubescendam continet vilitatem, sed præclaram prorsus sublimis officii dignitatem. Illud est ut amantissimo puero Domini

sive subdito suo, istud exhibeant, quod fuit ei à cœlesti Patre promissum, & à Propheta regio denuntiatum: (Psalm. 90. vers. 11.) *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Si tibi daretur, tenellos Regis terreni filios post Regem inter tua brachia deportare, donec ad regium pervenirent palatium, numquid servitutem illam non oneris esse censeres, sed honoris? Ipsi sanè Angeli Dei sunt (Hebr. 1. vers. 14.) *in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Vile non est, quod angelicum est, & in quo occupantur Angeli, nec erubescunt. *In domo justi viventis ex fide* (inquit Augustinus) (De civit. lib. 19. c. 14.) *etiam qui imperant, serviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ.* Quin imò non solùm in domo justi fidelis, verùm & in animis infidelium ea veritas reperitur innotuisse. Refert Justus Lipsius dictum quoddam Tiberii Cæsaris, (Lib. 2 polit. exempl. c. 7) in hæc verba: *Dixi & nunc & sæpè aliàs P. C. bonum & salutarem principem, quem vos tantâ & tam liberâ potestate instruxistis, Senatui servire debere & universis civibus; sæpè ac plerumque etiam singulis: neque id dixisse me pœnitet.* Servire debet, id est audire & obsequi Senatui bonisque consiliariis; servire debet universis, in bono omnium procurando, servire debet singulis, in arcenda injuria & in justitia administranda. Si taliter servire debet ipse mundi Imperator, nil habet quòd de hujusmodi servitio conqueratur Evangelicæ professor humilitatis. Itaque, ex mente Seraphici Patris, meritò *sic debet esse, quòd Ministri sint servi omnium Fratrum.*

Verùm, ne subditi sub horum prætextu verborum æstiment suis omnibus desideriis esse serviendum, scire debent examinanda esse à Superioribus, ac reprobari debere, & recusari, si contra Deum esse reperiantur.

Primò, Si indiscreta sint, & vires superent postulantis. Quæ obligant ex voto, sic librata sunt, ut cuicumque tolerabilia sint: robustioribus quibusdam etiam asperiora quandoque conducunt, & utiliter indulgentur. Sed cùm ea æmulari cupiunt aliqui debiliores, quorum infirmitates corporales jam perspectæ sunt, prudenter erunt deneganda; cùm certum sit nec eos in cœptis perseveraturos, nec duraturas vires, quibus viâ communi pergere possint cæterorum. Istis obsequi, est eos in certam mittere perniciem, & laxare ad præcipitium. Oportebit fortè Prælatum à talibus obloquia pati, & audire lamentationes. Ad hæc obsurdescere pietas est; beneficium est denegare. Ipsis jumentis in præceps currentibus frænum contrahimus, cur non & filiis? Id facit Apostolus (Rom. 12. vers. 1.) Romanis scribens: *Obsecro vos, Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Super quo loco noster Guevara observat, requiri corporũ hostiam *viventem*, non *occisam & mortuam* per indiscretiones: (Orat. Relig. cap. 32) quod dum subditi nesciunt observare, eos in vita conservare, sollicitudinis est Superiorum.

Secundò si desideria illa vergant ad fomentum otii, & ad utiles subterfugiendum labores, quod fortè non animadvertunt ipsi desiderantes; instruendi sunt, & clarè explicanda fraus earum inspirationum, quæ sub colore contemplativæ vitæ, quietis, & solitudinis, ad veram aspirant segnitiem, & à bonis operibus vacationem. Difficulter hoc credent de seipsis, cùm jam ambulare cœperint in magnis & mirabilibus supra se; sed velint nolint in ergastulo activæ vitæ cohibendi sunt. *Servo malevolo tortura & compedes*, ait Sapiens, *mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum: sic enim condecet illum.* (Eccles. 33. vers. 28.)

Tertiò, Si quos vexet immediatorum suorum Superiorum aversio, & ad postulandam propellit loci mutationem; cedendum quidem erit aliquando, ad solatium fratris afflicti, qui alterius medelæ capax non est. Quandoque tamen non erit ei indulgendum, si capere possit quantùm proficiat ad sanctæ mortificationis augmentum, durioribus subesse Præfectis. Alioquin gravis est & periculosa tentatio sui Rectoris odio venenari; quò fit, ut non correptiones modò, verùm & ipsa beneficia rancorem adaugeant, ac vertantur in in pejus, & facilè peste consimili corda inficiant aliorum. Eâque ratione, nos Franciscani, maluimus stabilitatem in loco (in Monachis plurimis usitatam) non promittere, ut huc & similibus infirmitatibus faciliùs possemus occurrere. Ne tamen id levitati serviat, & impatientiæ hominum inquietorum, dum istæ postulantur mutationes; præcavenda sunt & alia mala, quæ ex ea levitate possent enasci. Siquidem fieri posset, ut ab illis solum quærantur Superiores aliqui dissimulantes cum imperfectionibus: vel sperent suas pravas inclinationes non tam citò in novo domicilio perspectas fore; vel aliud simile motivum impertinens eos urgeat. Non facilè proindè cedendum est illis, qui nusquam quieti manere possunt, & quòcumque migrare permittantur, internam tamen radicem suæ circumferunt inquietudinis.

Quartò, Torquentur alii, non tam aversione Superiorum, quàm contemptu Confratrum suorum, quos quia vident aliquibus obnoxios imperfectionibus, judicant non dignos esse se suoque convictu. Quæ mala pariat malorum societas, & qualiter, & quousque sit fugienda, videri potest latè deductum à S. Bernardino Tom. 4. Serm. 7. Verùm supposito, quòd Conventus aut Provincia quam illi fugere meditantur, non sit adeò corruptis moribus, nec tam infensa piis & pietati, quin vota sua servare possint perfectionique studere, adhibitâ quâdam supportatione fraternâ, servatisque præscriptis vitæ spiritualis, abstractionis, silentii & propriæ mortificationis, docet eos sapienter D. Augustinus, quid in hac occasione agendum sit, simulque liberat Superiores à necessitate separandi eos impatientes à contubernio reliquorum; sic enim de iis disserit: *Separaturus est se qui bene proficit, ut nullam omnino hominem patiatur? Quid si & ipsum antequam proficeret, nemo vellet pati? Si ergo quia proficit nullum hominem vult pati, eo ipso quo* (In Psal. 99.)

non

non vult aliquem hominem pati, convincitur quòd non profecerit..... Non habes quod in te alius sustineat? Miror, si non est. Sed ecce non sit. Eo robustior es ad cæteros sustinendos... Non sustineris? Sustine cæteros. Non possum, inquies, Ergo habes, quod in te alii sustineant.... Separabo me, inquit aliquis, cum paucis bonis; cum illis mihi bene erit. Cui proderit? nam nulli prodesse, impium & crudele est Sed cum paucis istis bonis tamquam in portu eris; numquid ibi securitas? Quid dicturus est mihi quisquis talibus locis fortè præest, imò servit fratribus? Cautus ero, nullum malum admittam. Omnesne nudis cordibus ad te veniunt. Ipsi se non noverunt, quantò minùs tu? Et cùm idem S. Doctor multis ostendisset in omni statu ac societate malos reperiri qui supportandi sint, subdit: *alii autem dicunt: quietem volumus, neminem volumus pati, removemus nos à turbis, bene erit nobis in quadam securitate. Si quietem quæris, quasi lectum quæris. Et inde unus assumetur, & alter relinquetur. Nemo vos fallat Fratres, si non vultis falli, & vultis amare Fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos.* Ubi igitur securitas? Servite Domino in jucunditate. Vos alloquitur quicumque in charitate omnia toleratis, & spe gaudetis. Servite Domino, non in amaritudine murmurationis, sed in jucunditate dilectionis. Hoc Viri sanctissimi consilium dum adimpleverint, si perseveret adhuc tantum observandæ Regulæ impedimentum à malevolis fratribus, ut separatione sit opus, agant Ministri quod debent, atque in tuto collocent animas periclitantes, ut possint de iis in die judicii reddere rationem. Tunc meminerint se illorum Ministros esse atque Custodes, quemadmodum S. Joseph custos fuit Christi Domini, quem salvavit sollicitè de persecutione Herodis, eum transferens ad locum securitatis. Quòd si Claudius Lysias Tribunus intellectis
Actor. 23 insidiis, quæ S. Paulo struebantur, subduxit eum cum securo salvo conductu; multo majori ratione, intellectis insidiis spiritualibus molestiisque subditorum, sollicitos convenit esse Prælatos, ut è periculis educantur, Dominoque tranquillè deserviant.

Ne tamen hoc verbo subditis videar audaciam aliquam tumultuandi, seque contra Superiores erigendi præbuisse, judico præveniendam hîc esse persuasionem, quam malus spiritus in eorum caput tentaret injicere. Invenirentur enim aliqui forsitan, qui audientes Superiores suos *Servos* constitui, contra eos inde tumoris ansam sumerent: maximè cum eos considerant in aliquibus imperfectos. Caveant ne illi istis meritò connumerentur, quos depingit D. Gregorius: *Cùm subjectorum cor*
Lib. 34. Moral. cap. 18. *Superbia instigat, hoc summoperè nititur agere, ut opera sua funditùs considerare negligant, & semper tacitis cogitationibus Rectoris sui judices fiant; qui cùm in illo, quod reprehendere debeant importunè respiciunt, in semetipsis quod corrigant nunquam vident. Unde & tantò atrociùs pereunt, quantò à se oculos avertunt. Et quidem peccatores se asserunt; nec tamen tanùm, ut tam noxia in regimine persona traderentur, considerant. Et dum ejus facta respiciunt, cum præcepta contemnunt, ad tantam usque insaniam devolvuntur, ut Deum res humanas curare non æstiment, quia ei, qui quasi jure reprehenditur, esse se commissos dolent. Sicque dum contra Rectorem superbiunt, etiam contra judicia Conditoris intumescunt? & dum Pastoris sui vitam dijudicant, ipsam quoque sapientiam omnia disponentis impugnant. Sæpè autem Rectoris sui dictis protervè obviant, & eamdem vocis superbiam, libertatem vocant. Hi nimirum, quia humilitatem, quæ mater virtutum est, nesciunt, usum laboris sui perdunt, etiamsi quæ bona sunt, operari videantur: quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruinæ crescit quod ædificant, quia ante molem fabricæ humilitatis fundamina non procurant.* Hæc magnus ille morum Magister.

Quicumque verò tales sint, credant se remotissimos esse à Regulæ spiritu, & præ cæteris inutiles ad Reformationem, quam si seriò postulant & in veritate, hinc auspicandum est, ut substrati pedibus Superiorum, suscipiant quæ illi de ipsis dictaverint & ordinaverint: quibus dum mentem suam in omni candore explicârunt, de ea judicent atque decernant illi, quod Deo & sibi placuerit. Ipsorum judicio, subditus in resolutionibus tutò stare potest, dum concesserint quippiam aut negaverint, nisi proborum omnium judicio manifestum esset eos errare & contra Ordinis præscripta judicare. Si contingeret igitur Superiores aliquos esse imperfectos & minùs reformatos, non ita præ se ferentes paupertatem externam & austeritatem, nemo tamen subditus eos ideo dedignetur aut detrectet ab eis corrigi & gubernari. Unusquisque sibi applicet salutare Apostoli monitum: *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles & dilecti.* Vidimus aliquando Superiores in semetipsis imperfectiores, sanctitatem subditorum suorum reveritos esse atque egregiè promóvisse. Humilis etiam ad eos subjectio, apud misericordem Dominum promeretur, ut Prælato gratia conferatur emendationis, vel alius magis exemplaris præficiatur. Crediderim autem, Deo permittente, laxiorum quorumdam Superiorum regimen aliquando diutiùs continuari, in pœnam contemptùs, quem subinde circa eos committunt subditi superciliosi.

1. Tim. 6. vers. 1.

TEXTVS & §. XIX.

Moneo & exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni Superbia.

SVMMARIVM.

Superbia meretrici Apocalypticæ comparata. Religiosus non contentetur solâ externâ Humilitatis apparentia; sed internam etiam habeat veritatem. Ad hoc nos multùm adjuvat Deus, relinquendo in nobis animi & corporis imperfectiones. In veritate sumus purissimum Nihil. *Ad hoc rectè perpendendum, multùm valet mortis judiciique memoria. Malo ambitiosorum exemplo non dimoveamur ab Humilitatis studio. Qualiter se habeant Religiosi non promoti ad Ordinis dignitates, vel ab eis amoti.*

INter alia recondita divinæ Apocalypseos mysteria: *Vidi*, inquit Joannes, *mulierem sedentem super bestiam coccineam..... Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus.* (Apoc. 17. vers. 3. & 4.) Quod in hunc modum interpretatur D. Antonius Paduanus: (In eum locum Apocalypsis.) *Mulier est vanitas mundi, quæ sedes super bestiam, id est Diabolum. Poculum & calix aureus in manu ejus, est mundi gloria, foris aurea, sed intus omni spurcitiâ & abominatione plena. Hoc calice inebriantur Reges mundi, & aliqui Prælati Ecclesiæ & Religiosi aliqui & Religiosæ.* Non sistit maledicta Superbia in palatiis Principum, sed ad claustra quandoque penetrat Religiosorum. Consultò proinde Franciscus suis etiam filiis ab ejus veneno timuit, & inclamavit: *Moneo & exhortor, in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni Superbia.* Dominus certè Jesus Christus, in omnibus factis, dictisque suis, viam nobis præmonstravit Humilitatis. Idem Paduanus considerans unum solum passum illius itinerarii Filii Dei, scilicet; quòd *descendit cum Maria & Joseph, & venit Nazareth, & erat subditus illis*, (Luc. 2. vers. 51.) contra Superbiam totis exclamat viribus præcordiorum: O meretrix! (Domin. 1. post. Epiph.) quæ sedes super bestiam coccineam plenam blasphemiæ, descende cum Jesu. Erubescat jam infrænata Superbia. Concidat turgida arrogantia, quia patientia Dei descendit. Miser homo manibus & pedibus reptans ad honores, sui dedecoris gradum nititur ascendere: & bonus Jesus, ad interrogationem piæ matris, dicentis: *Fili quid fecisti nobis sic?* (Luc. 2. vers. 48.) Usque ad triginta annos negotium distulit, quod inceperat duodennis, & de templo, in quo in medio Doctorum sedebat, descendit. Hæc ille ferventissimus Ecclesiastes.

Quæ quidem ad omnes communiter pertinent Christianos; ad eos tamen specialiùs, qui arctioris vitæ semitas ingredientes, parvulumque secuti Franciscum, elegerunt esse de societate sectatorum humilium Crucifixi. Non decet hos solâ externâ humilitatis formâ esse contentos, foventes interim in imis præcordiis maledictam ejus inimicam. Securior est ipsa veritas humilitatis, realiter expellens è corde Superbiam. Vitium illud, subtile malum est, latêre studens sub apparentiâ humilitatis. *Hoc*, (Gradu 23.) inquit Joannes Climacus, *præcipuum inferens animæ malum, quod quò magis in ea dominatur, eò minùs creditur ibidem habitare. Quidam enim antiquus frater, plenus discretione, alterum superbum admonuit cum charitate, ut dimitteret superbiam. Et ille cæcus respondit: Parce mihi, Pater, non sum superbus. Tunc senex probus subintulit: qualem probationem potes, Fili, facere de tua Superbia majorem istâ, dicendo: Non sum superbus?* Hanc pestem omnes detestantur, ipsimet arrogantissimi subtiliter & ferventer eam declamationibus scriptisque proscindunt: nullus est, qui non eam in alio abominetur & horreat: ubique abominabilis est, præterquam in subjecto proprio, in quo inesse satagit, sed neutiquam apparere. Verùm nisi ex animo extirpetur, progerminabit exteriùs suorum surculos effectuum, quantumcumque eosdem studuerit occultare. Illos enumerat Alvarus è Divo Gregorio, (Lib. 2. de planctu Eccles. art. 77.) quòd vulgariter sit superbo *in loquela clamor, in taciturnitate amaritudo, effusio in lætis, risus irrationalis, in societate tristitia, in responsione rancor, facilitas in sermone: sitque ipse expers patientiæ, incompassivus, audax ad contumelias, ad tolerandum pusillanimis, ad obediendum difficilis, nisi in quo eum voluntas sua prævenerit, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecundas voluntates proprias infirmus, ad cedendum aliis durissimus, incapax consilii.* Sed propagines illas pessimas volumus à nobis omnino rescissas, ponamus securim ad radicem, & superbiæ truncum è nostris cordibus funditùs eruamus.

Ad illud perficiendum, nos multùm adjuvat Deus,

Deus, qui nostram nobis ostendit nihileitatem, & sensibilibus convincit argumentis, quòd viles simus & contemptibiles. Permittit nos sentire miserias corporis, infirmitates animi, frequentissimos lapsus, quotidianos fœtus stultitiæ nostræ, & externos aliquos nostrarum personarum contemptus. Numquid hæc frustrà? Certè ut arrogantiam retundat, ut ad veritatem, & nostræ reducat conditionis agnitionem, taliterque cogat Superbiam eliminare. In eumdem finem reliquit in fundo cordis pungentem conscientiæ spinam, incessabiliter redarguentem & humiliantem, ut si fortè decepti à nobis sint correptores externi, qui nesciunt quid sit in homine, & fortè laudant ac honorant indignum, ipsa vice cœlestis Judicis nobis enuntiet veritatem ipsâque veritate occultam flagellet nequitiam. Erubescamus saltem coram nobismetipsis, istique sancto & implacabili Superbiæ adversario consentiamus.

Numquid etiam præstat vanitatem istam virulentam extinguere tempestivè cum merito, quàm expectare quousque natura ipsa per mortem omnem illius exsufflet materiam? Hodie superbimus, & cras in cinerem revertitur quidquid fabricavimus ad Superbiam, & unde inflamur. Projicitur corpus in sterquilinium, transeuntium pedibus conculcandum; imponitur linguæ jactabundæ silentium, cooperitur vultus superciliosus, in fumum abit memoria nostra, & de nobis remanet putum *Nihil*. Unde nunc superbimus, imaginatum quid est, nihilque realiter. Quid igitur tantoperè laborat quod *nihil* est, ut possit velut *aliquid* apparere, sibique dicere gloriabundè: Tu quis es? quàm magnus, quàm præclarus; Præveniamus itaque seriâ consideratione veritatem nostræ nihileitatis, quam æquè bene post modicum tempus, mors nostra sinè ulla manifestabit utilitate. Sed quid erit, quando cum ingenti detrimento trahetur anima ad divini lucem judicii, ut examinetur, quibus sit affectibus implicata? Quid erit, si reperiantur animi pleni Superbiæ malignitate, in fronte ferentes characterem bestiæ, formamque Diaboli. Tunc judicabimur non secundùm errorem nostrum, & falsam opinionem, quam concepimus de nobisme-tipsis & fovimus, sed secundùm eam, à qua nunc avertimus oculos, veritatem. Tunc justus Judex *retribuet abundanter facientibus Superbiam*.
Psal. 30. vers. 24. Isaiæ 2. vers. 11. Tunc oculi sublimes hominis humiliabuntur, *& incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illa: quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur*. Profundissimè verò humiliabitur anima Fratris Minoris, si per Superbiam à sui statûs degeneraverit humilitate.

Videbimus forsitan aliquos gloriâ florentes inter homines, longè latèque nominatos, honoratos ubique, & seipsos ambitionis artificio promoventes, & simul nobis incider aliqua hujus altitudinis admiratio, cum nonnulla glorio-

læ similis concupiscentia. Sed in mentem tunc veniat Prophetæ Regii commonitio: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident*. Psal. 36. vers. 1. Cum ipsis nos quoque aresceremus & decideremus. Docuit nos humilis B. Ægidius, quid Fratrem Minorem ad aspectum talium oporteat agere. Hic postquam rescivit Fratrem Heliam se Pontifici immorigerum præbuisse, atque ab eo anathemate plexum; totum se humi prosternens, quantùm maximè potuit ad terram corpus apprimebat. Rogatus cur id faceret? *Volo*, inquit, *quoad fieri potest, in ima me deprimere, quandoquidem Helias tam profundè corruit, dum voluit nimium in sublime scandere*. Annal. Tom. 2. an. 1261. num. 7. Sic aget omnis perspicax sui statûs & vocationis æstimator; procul abest, quòd superborum delirium æmulabitur.

Hinc & illi Religiosi, qui non promoventur ad Ordinis dignitates, aut ex illis ad gradum deponuntur inferiorem, non ægrè ferent Matrem suam Religionem eos à lubrica deducere summitate, & in loco convenienti ponere atque securiori, si profundè recogitent, quàm terribilis sit finis superbiæ, per Deum ad infima præcipitatæ, cum collisione totali. *Adonias filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo.... Nec corripuit eum pater suus aliquando*; 1 Reg. 1. vers. 5. & 6. & hâc suâ dissimulatione ei pessimè consuluit, permittens eum usque ad malum finem in sua ambitione proficere. Meliùs de suis filiis cogitat judicatque pia Religio, cujus dispositionibus acquiescere, salutis securitas est. Per ipsam ordinat & exequitur Deus, quod unicuique magis noverit expedire. Visus est aliquando, qui bene moratus & humilis esset, dum in loco maneret inferiori, sed *qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime*, Prov. 30. vers. 32. id est, qui seipsum ignoravit factus dux gregum. Sunt qui non veniant ad sui cognitionem, & modestiam, nisi jubeantur abire post vestigia gregum suorum, & in infimo collocentur. Paternæ pietatis est, eos ad veram adducere sapientiam. Boni etiam aptique Religiosi, suam possunt conferre Ordini utilitatem, tametsi in infimis relinquantur. In arbore rami eminent, magnificè frondent, fructus ferunt cum aliqua gloria: truncus quoque suam gloriam foris ostentat, ramos suo robore sustentando, & succum necessarium transmittendo. At quia radix sub terra est in loco depressiori & numquam apparens, numquid de corpore arboris non est? numquid inutilis? numquid justè querulari posset quòd nunquam appareat? Certè si appareret, ac supra terram collocaretur, arescens continuò soli igni apta fieret; latère eam oportet, quin & stercorari aliquando, ut succum reddat meliorem. Si præpostero situ sursum erigatur, arescit & incendio præparatur. Sic igitur aliquos tenet Deus in imo, ut fructum meliùs afferant, & à gehennæ incendiis præserventur.

TEXTUS & §. XX.

Vanâ gloriâ.

SUMMARIUM.

Perfectionis professoribus ampliùs cavendum à Vana gloria. Rari inventi quos illa non attigerit. Quibus modis se contra eam munierint S. Franciscus, Ægidius, aliique. Ab ea sibi caveant positi in dignitate, Lectores, Concionatores, Clerici, & quicumque servi Dei. Breve remedium, dum importuna est.

Matth. 6. vers. 1.

PRæsens monitum Seraphici Fundatoris, cum eo coincidit Evangelico Christi consilio: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Tam subtile est malum inanis gloriæ, ut etiam ad selectiores penetret Dei servos, qui generosis fervoribus professi sunt plenam mundi abrenuntiationem, omniumque desiderabilium ejus, qui potuêre divitias contemnere, patri, matri, futuris uxoribus & amicis omnibus valedicere, carnem propriam edomare, plurimasque superare difficultates. Hi, inquam, eminentes viri, nobiliorem ingressi perfectionis palestram, hujus meretricis spiritualis blanditiis, Vanæ gloriæ dico titillationibus, sæpenumero decipiuntur. Propter quod Salvator dilectis discipulis suis periculum intimat, dicens: *Attendite.* Et suis quoque Franciscus: *caveant fratres à Vana gloria.* Cùm enim, ex vocationis suæ præscripto, cum sanctis operationibus in publicum prodire debeant, cavendum erit, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intùs à mercede evacuetur. Hanc enim pœnæ conditionem Salvator adjecit: *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Si de bono opere gloriam apud homines quærimus, non habebimus apud Deum.

Domin. 3. post. Epiph.

O infelix commercium, exclamat B. Antonius Paduanus, *pro vento humani oris, vendere præmium regni cœlestis!* Non igitur nobis gloriam attribuamus, sed si quid honoris, si quid gloriæ videtur occasione nostrorum operum exoriri, in eum, qui tribuit posse & operari, in misericordem, inquam, largitorem bonorum omnium referatur.

Histor. p. 3. tit. 23. c. 7. § 9.

Rari fuerunt inventi viri tam sublimiter elevati, ut ad eos inanis gloriæ vapor minimè valeret attingere. De Angelico Doctore D. Antoninus scriptum reliquit, eum aliquando fuisse Deo regratiatum, quòd numquam de sua scientia & cathedra Magistrali, seu de actu aliquo Scholastico, motum sensisset inanis gloriæ, qui animum suum à sede moveret.

Chron. parte 4. lib. 5 c. 57.

Noster B. Salvator ab Horta præter vitæ sanctimoniam, innumeris clarebat miraculis: de quibus, dum suus Guardianus cum quadam ageret nobili fœmina, fratrique Salvatori paululum distanti allati essent carbones ardentes, eis ambos pedes imposuit, qui non adurebantur; sicque miraculum est interpretatus: *Per Dei gratiam non aduror igne laudum vestrarum, & admirationum; sicut per eamdem gratiam pedes mei non sunt adusti carbonibus istis. Utrobique Dei sunt opera, qui solus in iis glorificandus est.* Sanctum quoque Patrem nostrum servavit Deus immissâ sanctissimâ consideratione, ne istâ abriperetur gloriæ vanitate.

Annal. Tom. 1. an. 1212. num. 6.

Quodam enim tempore à Cetona rediit Assisium ad Quadragesimæ principium, Sancti & Deo chari, adeptus ubique per castella & civitates opinionem: verbis enim & factis mirabilem se ostendit, & verè à Deo missum. Propter quod turmatim omnes ad eum confluebant, quidam vestimenta tangebant, alii etiam pedum vestigia venerabantur, & qui ipsum attrectare, vel manus aut pedes ejus osculari poterant, felicissimos se reputabant, omnemque sibi possibilem honorem exhibebant. Unde factum est, ut Socius admiraretur valdè; sed inde validiùs, quòd Vir Sanctus honorificantes non repellebat. Simplici proindè audaciâ admonere voluit, fugiendos hominum honores, dicens: Pater, non animadvertis, quæ circa te fiunt? non attendis ad istos applausus humanos? Tantùm abest, ut hos pro christiana humilitate repellas, ut potiùs ex affectu humano videaris in eisdem complacere. Quænam, hæc, Pater, complacentia, tam aliena à Dei servis? Cui Vir Sanctus majorem admirationem incussit, hâc suâ responsione: Licèt plurimus tibi videatur mihi honor impensus, attamen scias, me reputare, hos parum aut nihil mihi exhibere illius honoris, quem deberent impendere. Ad hos sermones, infirmi Socii penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus ad scandalum, cujus ut subveniret infirmitati humilis Pater, subjunxit: *Vide Frater & intellige; omnem hanc reverentiam ad Deum remitto, nihil illius mihi tribuo, nec approprio; sed meipsum conservo, & confirmo magis in face mea humilitatis & vilitatis. Velut lapidea statua, aut lignea effigies, quibus debitus offertur cultus, nec tamen hinc extolluntur, aut tument; sed sub eadem permanentes materia, omnem honorem transmittunt ad suos prototypos, propter quos adorantur. Homines autem ex hoc non modicum lucrantur, quia Deum recognoscunt & honorant in suis creaturis, & in me omnium vilissimâ.* Quâ piâ & discretâ ratiocinatione, delevit ex mente discipuli, quod obvenerat offendiculum.

Non tamen se semper immunem existimavit ab illo dæmonio meridiano; unde timens aliquando

quando ne suæ menti obreperet, eamque incautè deliniret, adhibuit media quibus illius prohiberet accessum. Dum enim videret semel Episcopum aliquem cum suis adventantem, ut ipsum exciperet cum honore, nec ullum pateret effugium ut averteret tentationem; ipse propè acervum argillæ conspicatus, pro formandis vasculis præparatum, protinùs cum socio cœpit eum alacriter & festinò subigere pedibus, donec homines illi, eos stultos existimantes, relinquerent sinè honore, & in silentio pertransirent. Quas artes F. Juniperus & F. Jacoponus adinvenerint, ut eam gloriolam à se se excuterent, ea alibi dictis notissimum est. Sciebant quippè, quàm subtiliter penetret ad intima mentis, si vel à longè permittatur accedere, & omnisi lentè ac frigidè repellatur. Summum illum virum, cum Deo plùs quàm cum hominibus conversantem, B. Ægidium sperâtuor maligni Spiritus hoc laqueo irretire, atque ad ima pertrahere. Dum enim oraret solus in cella, audiebat sibi adstantes, veluti inter se colloquentes, & invicem dicentes: *Ut quid bonus hic vir adeò se fatigat? ut quid ita impensè in virtutibus acquirendis laborat? Jam omnes plenè acquisivit? jam sanctus est, jam unctus est, jam extaticus est.* Probè verò intelligens suggestiones esse diabolicas, signo se crucis munivit, cœpitq; humiliùs de semet sentire. Si dæmones ausi sunt tam robustas aggredi columnas quid non attentabunt in teneras & flexibiles arundines, quæ quò infirmiores sunt, eò ventis frequentioribus agitantur, & quò virtus exilior est, eò grandioribus opinionibus de seipsis inflari consueverunt.

Chron. p. 1. lib. 1. cap. 89.

Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 23.

Jure igitur meritissimo, S. Franciscus monet & exhortatur in Domo Jesu Christo, universos suæ Religionis professores, ut *caveant à vana gloria.* Cavebunt Prælati, si semper illius meminerint D. Gregorii sententiæ: *Miro judicio Prælatus intùs foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatis quippè Angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur.* Quæ autem potest illi esse gloria, qui ad infamem redactus est colluviem apostatarum? Lectoribus etiam & Concinnatoribus, quibus amplius communicata est doctrina, & plures offeruntur occasiones in actibus publicis apparendi, amplior cautela necessaria est, ne hanc pestilentem hauriant auram. Videant, ne cathedra salutis alienæ, de qua ad justitiam erudiunt multos, fiat eis per complacentiam vanam cathedra pestilentiæ. Caveant, ne in eos intorqueatur, quod Ezechiel contra Principem Tyri ex Dei nomine prophetavit: *Eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde maris, cùm sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Quid tandem fiet de te? *Idcirco adducam super te alienos, robustissimos gentium, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & pollvent decorem tuum*, infamem facient gloriam quam aucuparis, manebisque confusus. Sic infamiam furum incurrunt, qui sapientiâ inaniter gloriantur, siquidem alienam rem contrectant invito Domino, sibique appropriant; soli enim Deo debetur gloria, qui sapientiam dedit, juxta confessionem illius qui dixit: *Danti mihi sapientiam dabo gloriam.* Hujus ipse Dominus est ita zelotypus, ut eam reservet sibi reddendam primariò, & aliis pro suo beneplacito communicandam. Exhibeamus nos veros discipulos divini Doctoris, qui de sua sublimissima sapientia humiliter confitebatur: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Itemque discipuli sinus D. Thomæ Aquinatis, qui (ut suprà retulimus) numquam de actu aliquo Scholastico fuit inaniter gloriatus.

a Part. Pastor c. 6.

Ezech. 28. vers. 2.

vers. 6.

Eccles. 51 vers. 23.

Joan. 7. vers. 16.

Clerici quoque caveant, ne in cantu, solemnibus cæremoniis, pompâ ornamentorum, &c. non tam devotionem quærant, quàm curiositatem, & propriæ gloriæ sterilem delectationem. Num per hæc divinis oculis placere quæritis, an humanis? Concedam hæc ad magnificentiorem Dei cultum referri posse, propter quem eis utitur Sancta Dei Ecclesia; sed curandum sollicitè, ne ostentatio aliqua, vel propriæ laudis & admirationis aucupium eisdem immisceatur. Generaliter deniquè Religiosi omnes, qui mundi favoribus præventi estis, qui apud Magnates habemini in reverentia, qui accepti estis apud populum levia quædam admirantem in vobis; cavete, ne confusibilius judicium subrearis, si virtus interior vulgati non respondeat opinioni, vel si in virtutis vestræ publicatione vobis pueriliter complaceatis. S. N. Patriarcha stultum judicabat de mundanis extolli favoribus, à summo esse dictum Magistro commemorans: *Quod autem est apud homines abominatio est apud Deum.* Sed & verbum hoc dicere solitus erat: *Quantùm homo est in oculis Dei, tantùm est, & non plùs.* Non igitur eam sectemur stultitiam, ut pasci velimus gloriâ & laudibus hominum; multò verò remotiùs à nobis sit appetitus venandi ejusmodi vanitates, ex sola apparentia sanctitatis: *quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Quid ni spernat eos, qui dilexerunt magìs placere vermiculis, quàm sibi? *Dissipavit ossa eorum*, quia nullam prætendere poterunt suæ damnationis excusationem; si enim sciverunt solam virtutis umbram apud homines esse tam gloriosam, ignorare non potuerunt veram virtutem Domino placituram, quam tamen, ipsumque Deum tam fatuè contempserunt.

Vita ejus cap. 6

Luc. 16. vers. 15.

Psal. 52. vers. 6.

Quòd si nos importunè divexet, etiam nolentes, illa inquietissima cogitatio, fugiamus & abscondamus in cœno peccatorum nostrorum, cum humili Francisco dicentes: *Ecce omnes creaturæ, ô homo, secundùm se serviunt, cognoscunt, & obediunt Creatori suo, meliùs quàm tu. Et dæmones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum, & adhuc crucifigis delectando te in vitiis & peccatis. Unde ergo potes gloriari? nam si ita esses subtilis & sapiens, quod omnem scientiam haberes, & scires interpretari omnia genera linguarum, & subtiliter de rebus cœlestibus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari; quia unus dæmon scivit de cœlestibus magis, & modo scit de terrenis plùs quam homines, licèt aliquis fuerit, qui summa sapientiæ cognitionem à Domino receperit specialem. Similiter si esses pulchrior & ditior omnibus, & etiam si faceres mirabilia, ut dæmones effugares, omnia ista tibi sunt contraria, & nihil ad te pertinent. In his nihil potes gloriari, sed in hoc possumus gloriari, in infirmitatibus nostris, & bajulando quotidie sanctam crucem* *Domini*

Opusc. To. 1. Admon. 5.

Domini nostri Jesu Christi. Sic ingrediamur quàm possumus profundissimè proprias infirmitates, & de profundis istis clamemus ad Dominum qui veritas est, & cognoscamus nos sicut cogniti sumus ab eo, & speremus quòd sic ea vanitas evanescet. Facto dictoque insigni nos instruxit B. Petrus Pectinarius, qui cùm à sanctitate laudaretur, ajebat: *Furfur vento expositis: omnis creatura nisi à Deo consolidetur, instabilis est, & veluti arundo, vanagloria vento facilè agitatur*; quibus dictis, statim aufugit. Annal. Tom. 2. an. 1289 num. 36

TEXTUS & § XXI.

Invidiâ.

SVMMARIVM.

Aureum B. Ægidii dictum de Invidia & virtute contraria. Qualiter Invidia Novitios vexet, studiosos & ambitiosos. Infernalis est Invidia quæ circa majorem confratrum probitatem versatur. Notabilis præcautio duorum Sanctorum Generalium, Ordinis Prædicatorum & Minorum, contra hoc malum, Laudabile Statutum Generale Minorum, de omnibus Religiosis, præsertim Societatis Jesu, *charitate complectendis. Quid agendum, quando Invidiæ passio cordi inhæret obstinatiùs.*

Jerem. 9. vers. 4. Apud Surium ad 23. April.

INterrogatus à quodam Fratre B. Ægidius, quid sibi velit, quòd Propheta ait: *Omnis amicus fraudulenter incedet?* Respondit: *Fraudulentus ego sum in te, quòd bonum tuum non efficio ut sit meum, quanto enim magis ego studeo, ut tuum bonum meum fit, tantò minus in te fraudulentus sum: & quò quisque plùs lætatur alterius virtutibus, eò illarum erit magis particeps; sicut è diverso quantò plùs gaudet de alteriùs malis, tanto quoque fit ampliùs eorum particeps. Itaque si vis omnium mortalium participare virtutes, eorum fac virtutibus læteris.* Itaque secundùm divinam illius idiotæ sapientissimi Philosophiam, lætitia de virtutibus alienis, atque tristitia de vitiis, medium est sibi comparandi virtutes illas, & vitia propulsandi; ac vice versâ. Infelix igitur Invidus, qui dolet de bono proximi & de malo lætatur; necesse enim est, secundùm B. Ægidii ratiocinationem, cumulatissimum fieri vitiis, omnibusque virtutibus evacuatum. Franciscani proinde aliique Religiosi, ad virtutum acquisitionem, & perfectionis apicem aspirantes *caveant* in primis *ab omni Invidia.* Hæc est radix amaritudinis sursum germinans, in robustam evasura arborem, mille spinas, venenatos fructus & mortem ipsam allatura, nisi statim ab initio evellatur. Hanc occultiùs serere satagit inimicus, in ipsis annis teneris tyrocinii religiosi. Hinc siquidem aliquando videmus.

Primò, Inter Novitios dolorem aliquem implacabilem, si plùs uni quam alteri favor aliquis exhibeatur, si dissimuletur cum culpis, si major impendatur sollicitudo, si frequentiùs ad Magistri colloquium admittatur. Quandoque non admittent rationes, quòd infirmior ille pluribus egeat fomentis, aut gravioribus urgeatur tentationibus; sed potiùs id fieri credent, quia ille meliùs adulari noverit & alios accusare, aut quia conterraneus Superioris, vel quid simile puerile suspicabuntur, plerumque sinè causa. Hæc est tentatio, quæ concussit, & ad nefandum facinus adegit filios Jacob, qui fratri suo minimo Joseph invidebant; *Videntes quòd à patre plùs cæteris amaretur.* Nec mirum, quòd pueros adhuc inexpertos hæc abducat stultitia; cùm legamus quòd & F. Heliam invaserit, Patris N. Francisci Vicarium Generalem. Plures veniebant Fratres ex diversis orbis partibus Franciscum visum, quos cùm ille benignissimè reciperet, Helias Vicarius omnium erga eos exhibebat humanitatem, juxta tamen eorum gradus, respiciens ad hominum qualitates; doctrinâ aut dignitate eminentioribus primos attribuens accubitus, humilioribus verò posteriores; nimis aliquando horum res negligens, illorum verò commoditati prospiciens, juxta illud quod reprehendit Apostolus: *Intendens in eum qui indutus est veste præclarâ, & dicens ei: Tu sede hic bene: pauperi autem: Tu sta illic aut sede sub scabello pedum meorum.* Ægrè ferebat, S. Pater in personarum acceptione haberi fidem Domini nostri, & præcipuè inter ejusdem sodalitatis professores tantam fieri differentiam; quare accedentibus quibusdam variæ conditionis fratribus, post mensam benedictam duos inferioris nominis ex utroque latere sibi consedere fecit, gravioribus neglectis. Indignam rem putavit Helias secumque obmurmurans, dixit: Heu F. Francisce, quàm certam ruinam hæc tua nimia simplicitas advehet Religioni. Collaterales tuos facis illiteratos & simplices, eruditos verò, qui suis litteris Religionem suffulciunt, confundis. Non latuerunt Virum Dei, Invidiosi hominis cogitatus, quos & acriter confutavit.

Gen. 37. vers. 4. Annal. Tom. 1. an. 1221. num. 33. Jacob. 2. vers. 3.

Secundò, Non evulsa radix in illis Novitatûs initiis, germinat altiùs in Juventute, dum studiis intenti Fratres, certatim laborant in

doctrina

doctrina se mutuò superare. Cavendus hîc ille livoris scopulus, in quem Scribæ & Legisperiti impegerunt, qui in Apostolos concitabantur, quòd scirent antè idiotas fuisse, & tunc conspicerent summâ repletos sapientiâ, quodque doctrinam eorum mundus sequeretur universus. F. Benedictus, cognomento Hydropicus, cùm in adolescentia litteris operam daret, invidiâ, quæ juxta B. Ambrosium ipsos sanctos adussit; in quendam ex consodalibus exardens, mirabili visione vocatus in judicium, ob livoris ignes, æternis cruciandus est adjudicatus. Sanctorum Francisci & Antonii, qui judicio adstabant, precibus liberatus, ex visione rediens sanctissimam & mirabilem sibi proposuit vitæ rationem, atque humanis valedicens scientiis, divinam cœlitùs infusam accepit. Si quis Religiosus quid similis amarulentiæ patiatur, non quidem suaserim continuò abjicere litteraria studia, quorum occasione stimulus iste exscitor; sed ut ad humilitatem, in mediocri suo ingenio, & ad charitatem, in ampliori æqualium doctrina se componat, sperans Dei gratiam tantùm luminis suppleturam, quantùm necessarium erit, ad opus sanctum, cui ipsum sancta obedientia mancipabit.

Annal. Tom. 2. an. 1470. num. 29. Lib. de S. Joseph c. 1.

Tertiò, Ulteriùs cum ætate posset ea pessima radix in materiis altioribus & vehementioribus surgere, dum tempus honorum advenit, & administrandorum officiorum. Tabescunt dolore insani hujus mundi ambitiosi, si quis alius præferatur eisdem. Horribilis iste furor invidiæ per sacram historiam in Saule proponitur. Cùm reverteretur percusso Philistæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israël, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. *Et præcinebant mulieres, ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste: dixitque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David, à die illa & deinceps.* Admirationi & horrori est infaoia similis in sæcularibus: quomodo deterior non erit in Religiosis, humilitatem profitentibus, & qui omnimodam elegerunt abjectionem? Quicumque es Religiosus, qui ab illo spiritu malè torqueris, depone malitiam, & sanus eris. Abjice primò concupiscentiam rei istius exilis, quæ ad nil tibi prodesset, quàmvis adepta plenissimè. Desine deindè contra Dominum indignari, cujus nutu & dispensatione, hi vel illi suis gregibus præficiuntur, pro capacitate quam tribuit eis, aut disponit tribuere: cùm enim ad eum pertineant greges, ipsius est pastores præficere, à quibus districtam exiget rationem. Depone quoque opinionem erroneam de iis qui electi sunt, quasi tibi derelicto insultareor, in tuoque contemptu recrearentur, & quid magni se reputarent adeptos. Jungere potiùs voluntatibus Domini, in teipso tuere charitatem, in qua vera consistit gloria, & per quam beatus evades, illisque beatior quibus hæc temporalia obtigerunt.

1 Reg. 18 vers. 7.

Quartò, Quòd si per subreptionem sic illapsa nobis fuerit gutta aliqua amaritudinum prædictarum, ut eam sentiamus priùs quàm animadvertemus, præcipuam saltem caveamus diabolicam & infernalem, quæ est de meliori virtute, ac probitate confratrum: quæ licèt non de ipsa in se doleat sanctitate, sed de concomitantibus eam, puta bonâ famâ, redditisque pro virtute favoribus; impia tamen & execrabilis est, ac propria spirituum damnatorum. Inviderunt illi primitùs humano generi imaginem SS. Trinitatis, ad quam creati fuimus, & expectationem præparatæ nobis beatitudinis & immortalitatis; ex eaque invidia mors introivit in orbem terrarum. Invident gloriam beatorum eaque invidia est eis unum è summis tormentis. Quemadmodum de Invido, adhuc viatore, dixit S. Antonius Paduanus, quòd *magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria Paradisi; quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximi, & à luce beatitudinis ipsorum.* Idem veneum Invidiæ diabolus Caino inspiravit, quoniam respiciente Domino ad Abel & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera ejus non respiciente, *iratus est Cain vehementer, & concidit vultus ejus*, & malitiâ fumente incrementum *consurrexit adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Inviderunt Judæi Christo Domino sanctitatem & potentiam miraculorum, atque exuberantem beneficentiæ facilitatem: cujus invidiæ stimulo, in eas furias acti sunt, quas legimus in Evangelio. In illis imaginibus se contemplentur, qui veræ virtuti invident, & honorabilioribus muniis Fratrum religiosiùs ambulantium.

Serm. Fer. 4 Domin. Pass.

Genes. 4. vers. 5.

Vers. 8.

Caveant etiam Religiosi quicumque, ne de aliorum Ordinum gloria, privilegiis, fama & favoribus doleant, aut murmurent inter se, & interpretentur in pejus, quæ non satis plenè intelligunt: minus verò foràs elabi permittant verbum aliquod aut factum invidiosum, quo sæculares catholici, imò & ipsi hæretici gravitet offendantur. Optarim summo desiderio, semper nobis præ oculis esse, quæ piissimi quondam Generales, Humbertus Prædicatorum, & Joannes Parmensis Minorum, suis subditis indixerunt, nempe: *Ne familiares & benefactores alterius Ordinis aliquis à sua devotione audeat avertere, & ad Ordinem suum convertere, ut ad alterutrum Ordinem derivetur fructus devotionis hujusmodi, qui alii proveniret. Item ne loca aquâ aliqui pro domibus construendis accipere proponunt, præsentientes hoc alii, cunctè surripiant, alios excludendo. Item, ne Eleemosynas, quas devotio fidelium aliquibus facere proponit, alii impediant ut ipsi habeant; sed potiùs cum interfunt testamentis, aut aliis negotiis, bonâ fide sint memores aliorum, pias subventiones illis fieri procurando. Item, ne alii Sermones impediant aliorū, vel auditores subtrahant, aut ipsos sermones sibi subripiant alternatim. Quæ enim esset charitas subtrahere personas? subtrahere amicos? subtrahere loca? subtrahere sermonem? cùm secundum charitatis regulam, non quæ sunt nostra, sed quæ sunt alterius, suadente Apostolo, quærere debeamus. Cavendum est, ne quis nostrùm sic Sanctos suos, sic statum suum imprudenter extollat, quòd in aliorum depressionem laus taliter fieri videatur. Item, ne quis obloquatur de aliis: non solùm coram multis in publico, sed nec in clanculo coram externis, nec inter fratres proprios in secreto. Item, ne si sinistrum aliquid* alis

Annal. Tom. 2. an. 1255. num. 12.

1. Cor. 10. vers. 14.

aliis fecerunt, aliis denudent, ubi nulla est utilitas nec fructus: sed potiùs sic culpabiles, charitative corripiant, vel ostendant correctoribus eorumdem. Cavendum insuper, ne quis mala sibi relata de aliis, facta vel dicta, vel injuriam aliorum leviter credat, vel hujusmodi inter fratres suos referat, & referendo aggravet, corda fratrum coacitet: & sic in eis charitatem concutiat, in quibus potiùs fuerat confirmanda. Cavendum prætereà, ne nostrûm aliqui, si læsi fortasse fuerint interdum ab aliis minùs justè, patientia, quæ de charitate producitur, obliti, sic suam ostendant impatientiam, quòd propter unius vel paucorum stultitiam, contra alterius vel aliorum fratrum innocentiam moveantur. Illud autem omnino caveadam, ne fratres, qui in se abhorreat hæc & similia, in aliis dissimulent, sed potiùs, si tale quid in aliquo viderint, zelo sancto succensi, statim fraternâ correctione utantur, vel per illos quorum interest, corrigi faciant hujusmodi delinquentes. Illi autem, qui curam habent aliorum, super omnes reprehensibiles judicantur, si in prædicta correctione fuerint negligentes. Hæc & plura illi duo sancti charitatis amatores, ad extinguendas scintillas Invidiæ, quæ inter utramque sanctam Religionem excitari potuissent.

Capit. Gener. 58. Vallisol. In Capitulo Generali quinquagesimo octavo nostri Ordinis Vallisoleti celebrato anno 1565. est nobis indicta similis confœderatio charitatis respectu reliquarum Religionum, præsertim Societatis Jesu. Verba constitutionis, hæc sunt: *Cùm noster Ordo, Fratrum Minorum existat, atque in humilitate præcipua & charitate fundatus: noverint Fratres omnes ubique terrarum dispersi, Religiosos cujuscumque Religionis humiliter & humaniter tractare; tum maximè eos qui de Societate fuerint Jesu, quos diligere debent & honorare, eosque ad actus litterarios & festorum nostrorum celebrationem, aliosque publicos actus, ad quos solent Religiosi convenire, cum charitate invitare & suscipere: neque nostrorum quisquam audeat eis publicè vel occultè detrahere.* Hoc decretum, nos Franciscani, studeamus tam firmiter observare, ut non ab eo dimoveamur, tametsi nobis à Religiosis aliis non eadem charitas rependeretur, nosque vilipenderent, & apud devotos suos nostra diminuerent præclara facta, sibique solis adscriberent, quidquid præclari in toto geritur universo. Illa si fiant, fiunt à particularibus quibusdam malè feriatis, qui gloriam apud homines aucupantur: nos eam quæ apud Deum est expectemus. *Non qui seipsum commendat* & blasphæmat alios, *ille probatus est, sed quem Deus commendat.* In silentio & spe erit fortitudo nostra, & silentibus nobis pugnabit orbis terrarum pro innocentibus contra insensatos. Talis invidia non est Ordinibus integris tribuenda, in quibus plerique ducuntur spiritu Dei, & procul absunt ab ejusmodi vilissima æmulatione. 2. Cor. 10. vers. 18.

Quid porrò remedii, si cordi nostro venenum Invidiæ inhæreat obstinatiùs? Quo pharmaco cor amaricatum ad dulcedinem reducetur? Placet quod præscripsit B. Bartholomæus Salutius: Fortiter, inquit, resistas serpenti illi, cum voluntate benefaciendi personæ, cui invidere incipiebas. *Quòd si adhibitâ resistentiâ nihilominus remanet aliquis adhuc dolor, confide in gratia Dei: cujus signum est, dum facere niteris quantùm vires patiuntur in amando Deo, eique serviendo; maximè verò benefaciendo, venerando, orando Deum pro ista persona, & numquam contra eam murmurando.* Schola divini Amoris cap. 27. Hâc theriacâ tuti erimus, dissipatâ sensim veneni virtute; præsertim dum supernæ medelæ cooperationem instanter à Domino postulaverimus. Signum verò adeptæ perfectæ sanitatis erit, si bonum proximorum reputemus nostrum, atque de illo velut proprio gaudeamus, præsertim de bono virtutis, gratiæque cœlestis; de qua sic ait D. Bernardus: *Quam quidem beatitudinem non invidemus tibi: nec enim communicata tibi, nobis minuitur; nec nostri proinde termini restringuntur, si & tu regnaveris. Quænam verò Invidiæ causa esse potest, ubi sortium magnitudini consortium multitudo nihil detrahit?* Epist. 103. Procul igitur abactâ invidentiâ, sic nobis in formam sancti justique affectûs Angelorum de humana exaltatione complacentia. Ipsi enim, B. Rogerio teste, ob humanitatis deificatæ, & supra se exaltatæ reverentiam, exoptant tantoperè hominum beatificationem, ut vellent eos supra se ad eminentiores gradus gloriæ sublimari. Chron. p. 1. l. 4. c. 52. Quòd si principes illi sic diligunt inferiores se; quid impedit, quò minùs nos æquales in natura, verum bonum pro fratribus exoptemus?

TEXTVS & §. XXII.

Avaritiâ.

SVMMARIVM.

Avaritia comparata draconi. Odiosissima est, præsertim in Religiosis. Excutiuntur prætextus eorum, quibus conantur suam Avaritiam palliare. Describuntur avari proprietatis.

Apoc. 16 vers. 13. QUod vidit sublimium mysteriorum contemplator Joannes *de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudo prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum, qui sunt spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium*; sic exponit S. Bernardinus, scribens in eum locum: *Draco est animal fetibundum, & significat Avaritiam*; Avarus non implebitur pecuniâ. *Tres autem spiritus immundi, qui de ore ejus exeunt,* Eccl. 5. vers. 9.

sunt,

sunt, sagacitas in acquirendo, tenacitas in conservando, imprudentia in expendendo & distribuendo. Isti tres spiritus faciant signa, quia pecuniæ
Eccl. 10. vers. 19. obediunt omnia. *Et dæmones de inferno procedunt ad congregandos reges terræ in prælium, quid enim incitat reges Christianitatis, nisi radix cupiditatis?* Radix *enim* omnium malorum cupi-
1 Tim. 6 vers. 10. ditas. *Avaritia* igitur hujus viri sancti judicio draco est. Quis non horreat, quis non fugiat ab ore draconis? Sic planè, qui non vult perire, *caveat ab Avaritia*, non admittat omnino spiritus illos pessimos exilientes de ore draconis. Lugendum est, videre præclaros Ordines Religiosorum, in doctrina mirabiles & sanctitate, potentes gratiâ apud Deum & homines, afflatu & fuligine draconis hujus deturpatos, & patère maximæ omnium mundanorum invidiæ, eò quòd divitias (quas mundus tantoperè amat) tantas congregarint, ut illis inhient universi. Beneficio quidem singulari nos Franciscani sumus immunes ab illa inquietudine, propter constantem pecuniarum atque possessionum omnium abnegationem; Supponens tamen Franciscus, nos non universim usquequaque tutos ab hac tentatione, affectus interiores titillante, sub specie variarum quarumdam excusationum, quas sibi possent aliqui imprudentes assumere, monuit: *caveant ab Avaritia.*

Primo, Quidam possent existimare, satis esse quòd non sibi congregent, sed vivant paucis contenti; licitum verò esse congregare communitati quam amant & obligantur amare.
Cap. 4. §. 4. 5. 7. & 8. Diximus superiùs, quousque se extendat cura sollicita Ministrorum, quam ex obligatione Regulæ habere debent pro necessitatibus infirmorum & fratribus induendis, eamque optamus modis omnibus observari. Hìc verò cum S. Patre nostro cavendum monemus, ne ea sollicitudo congregandi, ad vitiosum procedat excessum. Sanè reliquimus mundum, & matrimonii statum, prolesque vitavimus, ne in eam præcipitaremur voraginem sollicitudinis; an in locum prolium & uxoris sic Fratres substituemus, ut eis insatiabiliter congregemus? Minuitur eâ ratione felicitas status matrimonialis, quòd pater semper incitetur thesaurizare pro filiis, tantâ subinde vehementiâ, ut salutis propriæ, honestatis, legumque divinarum obliviscatur, præ sollicitudine thesaurizandi pro parvulis. Caveamus, ne nos eadem involvat tentatio. Carnales parentes perstrin-
Eccl. 2. vers. 18. git Ecclesiastes, dicens: *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboravi: habiturus heredem post me, quem ignoro, utrùm sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis quibus desudavi & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum? ..... Nam cum alius laboret in sapientia, & doctrina, & sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo, vanitas, & magnum malum.* Contingere posset, multa congregata, & avarè coacervata, à successoribus prodigaliter devorari, aut in vanos usus absumi. Quid tunc præparavit antecessor, nisi laqueos, quibus illi suspendentur? Quid nisi lignorum struem, quâ successores vehementiùs ardeant?

Dernoye Medulla S. Evangelii.

Quòd non tam aliis, quàm sibimet congregent aliqui, ut fruantur parte sua, & lætentur de labore suo, eumdem Sapientem censorem habent, dum ait: *Omnia quæ desideraverant oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor* Eccl. 2. vers. 10.
meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Quid
tandem? *Cumque me convertissem ad universa* Vers. 11.
opera quæ fecerunt manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem, & nihil permanere sub sole. Si de seipso, homine sæculari, sic censuit rex ille dum rectè saperet, quid censeret de Religioso, qui mundum deseruit ideo, ut negaret oculis & cordi quæ possent desiderare, omnique renuntiavit voluptati? Minimè permisisset ei cupiditatem rerum terrenarum, atque coacervationem ad oblectandum se contra vocationem suam & professionem.

Secundò, Fortassis aliqui suæ Avaritiæ tenacitem obtegere niterentur sub nomine œconomicæ prudentiæ, parcimoniæ, religiosæque paupertatis. Ne vitium hìc virtutum tegminibus involvatur, sed ab eis clarè discerni valear, videamus quibus coloribus describat D. Bernardinus Avari proprietates: *Avarus* In cap. 16.
ad petendum promptus, ad dandum tardus, ad Apo al. ad
negandum frontosus. Si quid expendit, totum vrs. 26.
vertit tristis, querulus, & morosus: sollicitus suspirat, dubius hæret, invitus impendit. Magnificat datum, & vilificat dandum; largus in alieno, sed avarus in proprio; gulam evacuat, ut arcam impleat; corpus extenuat, ut lucrum extendat. Avarus igitur habet damnationem vitæ quæ nunc est & futuræ. Est igitur Avaritia animi pestis, cupiditas acquirendi vel recipiendi, divitiis inhians. Ex his notis intelligi datur, non excusandos eos fore ab Avaritiæ vitio turpique temporalium tenacitate, quibus cùm plena sint promptuaria, debitam tamen recusarent exhibere pauperibus & hospitibus charitatem; imò proprii monasterii inquilinis ægrè necessaria suppeditarent. Miratur Sapiens unam ridiculam, simulque lugendam mundi stultitiam, dicens: *Est & aliud ma-* Eccl. 6.
lum, quod vidi sub sole, & quidem frequens vers. 1.
apud homines: Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo. Ab hac stultitia, non eximerentur Religiosi, quibus cùm totus mundus oblatus sit per divinam providentiam, nihilque eis defuerit hactenus, nec sit imposterum defuturum, habeantque de facto ad manum quæ suis consodalibus tribuant; non tamen seipsos cogere possent ut iisdem utantur aut usum permitterent indigentibus. Certè hoc vanitas & miseria magna est.

Plura de concernentibus Avaritiam superiùs tradita sunt, puta ad cap. de receptione pecuniarum. Item ad cap. 5. dum laboritio corporali modum imposuimus & scopum. Item ad cap. 6. dum proprietatis malignitatem expendimus. Ibi requirantur, quæ viderentur hìc de illa materia desiderari.

TEXTVS & §. XXIII.

Curâ & sollicitudine hujus sæculi.

SVMMARIVM.

Quàm malè arca Dei collocabatur juxta Dagon, tam malè Dei servitium agitur cum negotiis sæculi. Quatenùs conveniat Religioso, ex charitate, gerere negotia miserabilium personarum. Non debet quis facilè se reputare sufficientem ad agendum simul Dei & mundi negotia. Rejicitur eorum excusatio, qui dicunt se ideo intendere sæcularibus, quia nec concionibus nec aliis conventùs muniis idonei sunt. Negotia eorum ut plurimùm non benè succedunt. Franciscanis nimis indecentia sunt. Quomodo temperanda sit publicorum eventuum anxietas.

CUm asportassent Philistiim arcam Dei à Lapide adjutorii in Azotum, *intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon*. Indignatus verò Dominus, quòd sacram sui fœderis arcam juxta profanum collocassent idolum, aggravavit manum suam super Azotios,& demolitus est eos,&,immissis muribus, percussit magnæ mortis confusione. Haud aliter quàm Azotii, agunt Religiosi viri, qui cùm ab adjutorio Dei statum assumpserint perfectionis Evangelicorum consiliorum, & sacræ professionis fœdere se divinæ in perpetuum adstrinxerint servituti, ad curas negotiorum sæcularium convertuntur, sic volentes Dei negotia cum hujus sæculi conjungere sollicitudinibus. Quæ verò eos manet pœnas? *Mures ebullientes de terra*, inquit Petrus Blesensis, *ut corrodant extales eorum, qui ponunt arcam Domini, id est administrationem Ecclesiasticam, juxta Dagon, qui temporalia non minùs quàm spiritualia, & fortasse diligentiùs administrant; quorum anima tabescit sicut aranea, dum se eviscerat in texendis telis ad capiendas vilissimas muscas.* Dum videlicet ob finem lucri cujuspiam temporalis, vel adipiscendorum honorum & officiorum, sibi imponunt aut ab amicis permittunt imponi, occupationes merè sæculares, aut quæ statûs religiosi dedeceant abstractionem, & à stipendiariis procuratoribus, sollicitatoribus, nuntiis & famulis peragi possunt & solent: in eisque & seipsos & tempus suum stulto consumunt labore. Istæ occupationes, sunt muscæ, exterminantes suavitatem unguenti devotionis; quemadmodum præclarus devotionis Magister D. Bonaventura notavit, dicens: *Occupatio exterior pluribus modis impedit orantem & contemplantem, non solùm dum ipsa occupatio durat, sed etiam postea: & primò reddendo mentem sollicitam & inquietam circa id quod fecit vel facere habet, & relinquendo imaginationem & phantasmata quæ multùm impediunt contemplantem.* Franciscus volens hanc molem sæcularium negotiorum, damnaque consequentia à suis Minoribus amoliri, monet eos in præsenti, ut *caveant à cura & sollicitudine hujus sæculi*, ut Domino fideliter & sedulò militantes, non se negotiis implicent sæcularibus.

1. Reg. 5. vers. 2.

Epist. 16.

Medit. vitæ Christi cap. 55.

Ut autem hîc ab usu legitimo separemus abusum, examinandæ sunt rationes, quibus se conantur defendere illi Religiosi, qui negotia habent pro sæcularibus dirigenda.

Primò Dicitur, quòd nullus jure condemnare possit charitatem, & opus misericordiæ, in miserabilibus adjuvandis, qui nec industriâ nec auctoritate, nec pecuniis instructi sunt ad defendendum seipsos, & eruendum de tyrannide potentiorum. Quæ cùm aliquando per Religiosos efficaciùs fieri possint, quàm per sæculares, quibus plerumque deest vel bona voluntas & compassio miserorum, vel audacia, vel fidelitas; durum foret nos etiam indurari ad proximorum ærumnas, & modicum subterfugere sollicitudinis, ne delicata nostra quies in tantillo inquietetur. Ipsa sanè divini Verbi historia nos docet non esse taliter incompatientes. Spontaneam siquidem exhibuit Elisæus 4. Reg. 4. promptitudinem ad agendum negotia Sunamitidis apud regem vel principem militiæ,cùm tamen & ipse foret legis veteris religiosus.Hæc objectio facta pro defensione negotiantium, non latuit doctissimum Abulensem, qui satisfacit ei permittendo viris religiosis expedira negotia miserabilium personarum, quæ aliàs peritura essent, eò quòd ipsæ illa per se non possent expedire: vel sese impendere ad bonum publicum, sive consulendo, sive admonendo, sive habendo negotiorum administrationem ex officio imposito: *Ista tamen*, inquit, Ibid. quæst. 12. *quæ possunt facere viri boni & religiosi in domibus principum, licèt sint valde fructuosa, tamen nimis appetenda non sunt: quia diuturna communicatio in talibus locis difficillima est viro virtuoso desiderantis tranquillitatem cordis, & castigare vitia ad unguem. Et quia Apostolus jubet, quod in quocumque opere, quod pietatis causâ exhibemus aliis, principaliter attendamus, ne nos tentemur. Utilius est viro religioso abstinere à fructu copioso*

quem fortè inducere posseat in curiis principum, ne ipsi à rigore virtutis dissolvantur ad quamdam mollitiem, quàm quod aliis proficiendo, ipsi aliqualiter reprobi efficiantur. Unde Elisæus non erat assiduè in curia, sed tota occupatio sua erat visitando conventus prophetarum, discurrendo de uno in alium. Si quis tamen religiosus vir publicæ utilitati insudans à intemeratâ virtute, & non declinans à rigore ejus, manere potest in curiis principum; non increpo, sed potiùs approbo. Huic resolutioni, tamquam discretissimæ, nihil addimus vel demimus. Juxta eam se dirigant, qui ex publico munere pro tractandis negotiis sæcularibus evocantur. Privati quoque Religiosi confidere possunt, quòd Dominus conservabit eorum mentes, dum per Superiores missi, pro Dei nomine foràs exierint ad exercendam in miseros misericordiam; scientes quoniam *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem* (Jac. 1. vers. 27.) *hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Semper autem unusquisque sic studeat *visitare*, ut simul valeat *immaculatum se custodire*; quod tunc securiùs assequetur, cùm egressum ad negotium instituerit potiùs ex obedientiæ directione; quàm ex propriæ voluntatis electione.

Secundò, Quidam ideo se forsitan negotiis ingerunt sæcularibus, quòd se putent ad utrumque paratos, scilicet & sæcularia tractare dum fert occasio, & loqui spiritualia dum ratio postulabit. Si Spiritus sancti gratia sic eorum prævenerit mentem, ut in seipsis sentiant adimpletum promissum Domini: (Isaiæ 43. vers. 2.) *Cùm transieris per aquam, tecum ero; & flumina non operient te*, non refragamur potentiæ gratiæ Dei. *Illos autem*, juxta B. Gregorium, (Lib. 6. Epist. 5.) *flumina operiunt, quos actiones hujus sæculi mentis perturbatione confundunt. Nam qui S. Spiritûs gratiam tenet in mente, transit aquas, & tamen non operitur; quia etiam inter medias populorum turmas sic peragit gressus sui itineris, ut non submittat actionibus sæculi caput mentis.* Sanctissimus verò Pater noster, dum nos monuit cavere *à cura & sollicitudine hujus sæculi*, timuit ne dum fluctus mundanos ingrederemur ad alios adjuvandum, ab eis potiùs retraheremur in profundum, quàm eos nos inde extraheremus: maximè, cùm frequenter ii, quorum cura suscipitur, non à vorticibus mundanis exurgere quærant, sed in iisdem manere ad propria commoda expiscanda. Quomodo igitur credemus, eum quem videmus se gerendis illorum negotiis importunè ingerere, sic caput habere exertum super fluctus hujus sæculi nequam, ut simul quæ sursum sunt perfectè sapiat & quæ sunt super terram; ut simul & Deo bonam militet militiam, & negotiis sæcularibus implicetur? Credo magis venerabili Guilberto, uni (serm. 16. in Cant.) talium exprobranti: *Sinè causa gladium portas tu, qui belligerandi sufficientem non habes peritiam, aut si doctus es belligerare, magis te exerces ad negotia sæculi, quàm ad negotia Christi: forensi jure plùs uteris, quàm Ecclesiastico; plùs sæculari, quàm spirituali certamine calles. Paratum* (1. Petri 3. vers. 15.) *vult virum Ecclesiasticum Princeps Ecclesiæ, ad reddendam rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe. Et quonam pacto, piger & imperitus ad ista, gloriaris, si promptè respondeat de jure publico? Decentiùs multò in ore clerici, in ore monachi sacra quàm sæculares littera sonat. Quid in Hierusalem vis loqui linguâ Ægyptia? Non sic Isaias:* In die illa, *inquit*, erunt quinque civitates in (Isaiæ 19. vers. 18.) Terra Ægypti loquentes linguâ Chanaan, *scilicet, quia penitus Hebræâ non poterant.* Quid vis media ex parte loqui Azoticè, qui Judaicè (2. Esdræ 13 vers. 24.) debes? *Loquere linguis, non hominum, sed Angelorum: Angelus enim Dei es, qui sacri professoris verbi mysterium.*

Tertiò, Nec audiendi essent, qui dicere vellent ideo se istis intendere sæcularibus, quia nec concionibus, nec aliis muniis idonei sunt. Certum est enim hos nondum intelligere munia proprii statûs, quàm utilia sint, quàm necessaria, quàm multiplicia. Invenirent satis, quid agere, si meminissent opus suum esse, mundi totius peccata plangere, advocatum agere apud Patrem pro peccatoribus, afflictos & castigatos in suis angustiis consolari, orationibus pugnare contra hostes Ecclesiæ & veritatis, morientibus auxiliari, ad instantia sui judicii assecurationem, cæteraque suæ Religionis præscripta peragere, & ad omne opus bonum obedientiæ paratos esse. Caveant itaque Religiosi, ne ex horum neglectu officiorum, in tædia rerum spiritualium devoluti, ad sæcularia convertantur, eligentes magis agere rabulam in foro, quàm angelum in choro; indagantes subtiliùs technas causidicorum, quàm sacrorum mysteria Evangeliorum; præeligentes per diem integrum vagari ab una audientia ad aliam, quàm per horam mediam cum Deo in oratione persistere. Vocati illi ad nuptias spirituales statûs religiosi, venerunt quidem; sed mox foràs excurrunt, unus ad villam, alius ad suam negotiationem: admissi ad sequendum Christum, statim cogitant de abeundo, ut eant sepelire mortuos suos, & curare quæ parentum sunt & cognatorum. Totos vult habere Christus, & non divisos discipulos; liberos, non mundi servos; sibi præsentes, non distractos; paratos ad opus suum, non aliis impeditos. Dum olim Judas Machabæus congregaret viros bellatores, *dixit his qui ædificabant domos, & sponsabant* (1. Mach. 3 vers. 56.) *uxores, & plantabant vineas ..... ut redirent unusquisque in domum suam*, quia secùndum legem inidonei militiæ reputabantur propter inhærentes cordi sollicitudines. Multò magis eredidetim similes exauctorari à Christo, & privari cingulo militiæ spiritualis; cum hæc multò attentiores & expeditiores requirat animos, quàm militia sæcularis.

Observatum est frequenter, eas res non succedere prosperè, quæ à Religiosis extra suam sphæram geruntur, ut matrimonia, forenses processus, bellicæ molitiones, politicæque consilia. A contrariis enim partibus, & filiis hujus sæculi, qui prudentiores in generatione sua sunt, facilè decipiuntur; cùm non tantam habeant experientiam; aliique fortiores sunt brachio pecuniarum, quo his diebus multa negotia politica perficiuntur. Non succedente verò negotio, risus exoritur apud mundanos, qui tam ineptum judicant, Religiosum virum se talibus immiscere, quàm si sæcularis aliquis suggestum ascenderet, concionaturus, aut mu-

lier in armis ſtaret pro excubiis, aut nobilis aliquis ad colum ſederet filis deducendis intentus. Appoſitè ſemel miles aliquis ingrediens civitatem quamdam, videnſque Religioſum intrà chordam inconcinnè gladiatum, haſtamque manu tenentem (trepidatio erat ob rumorem advolantis hoſtis) Eja Fratercule, inquit, eja hæc tibi non conveniunt, nec tu illis: diſciplina in manibus & Breviarium in oratorio tuo, plùs nobis prodeſſent quàm ille hiſtrionicus habitus. Similia ſubmurmurat mundus, contra Religioſos, geſtores ſæcularium negotiorum. Ipſi etiam amici, qui eorum operam imploraverant, re non ſuccedente, præſtitam operam frequenter nonniſi maledictis & odiis compenſabunt, accuſabunt eorum ſocordiam & ſtupiditatem, & quandoque etiam infidelitatem. Si verò intentum fuerint aſſecuti, id vel propriæ tribuent largitati, vel favoribus aliorum. Et ſæpè continget, eos poſtea minùs amicos Ordini fore, quàm fuerant antè; cùm enim erubeſcant fateri promotionem ſuam à pauperibus proveniſſe Religioſis, magis ab eis ſe ſubtrahunt, ut ipſo facto poſſint hominibus oſtendere, ſe nullam ad eos agnoſcere obligationem. Atque ita perditur amicus Ordinis, qui antea habebatur: & inſuper plures comparati inimici, nimirum omnes illi, qui ad eamdem aſpirantes dignitatem, norunt inſtantias factas pro alio.

Hæc omnia, non ſic intelligi velim, quaſi credam hoc tempore abuſum illum curarum ſæculi in noſtris Religioſis vel in aliis inveniri; ſed quia conſtat fuiſſe aliquando, & ne qui fuit, iterum invaleſcat. Sanè D. Antonius Paduanus ſcribens ſuper illud; *Operuerunt* (Locuſtæ) *univerſam ſuperficiem terræ*, de ſuis temporibus ait: *Hodie non fiunt nundinæ, non celebrantur curiæ ſæculares, vel Eccleſiaſticæ, in quibus non invenias monachos, & Religioſos: emunt & revendunt, ædificant & deſtruunt, mutant quadrata rotundis: in cauſis parentes provocant, coram judicibus litigant de neceſſitatibus, & legiſtas conducunt, teſtes inducunt; cum ipſis parati jurare pro re tranſitoria, frivola & vana: Dicite mihi, ô fatui Religioſi, numquid in Prophetis, vel Chriſti Evangelio, vel Pauli Epiſtolis, numquid in Regula B. Benedicti vel Auguſtini iſtas litigationes vel evagationes, & cauſarum pro re tranſitoria & peritura, acclamationes & proteſtationes inveniſtis?* Quantùm etiam ad ſollicitationes in curiis pro negotiis amicorum, fuiſſe quandoque abuſum aliquem, conſtat ex diplomate Regio ab aliquot annis ſuper hoc directo in Belgium, ad Provinciales omnium Religionum. Speramus, quòd omnes ſe conforment eidem, & abſtracti à ſollicitudinibus hujus ſæculi nequam, ſecundùm ſuæ vocationis ſtatum, in ſpiritûs tranquillitate ſtudeant Domino famulari.

Exodi 10. verſ. 15.

Tametſi verò invenirentur adhuc aliqui aliorum Ordinum Religioſi, qui ſibi mundum ejuſmodi obſequiis devincirent, nec ullis parcerent diſcurſibus, expectationibus ad atria Magnatum, ſcriptionibus & curis ut negotia ſuſcepta promoveant; nos tamen, Franciſcani, æmulemur chariſmata meliora, audiamus vocem Patris noſtri, caventis nobis *à cura & ſollicitudine hujus ſæculi*. Sic practicârunt præſtantiſſimi viri hujus Seraphicæ Religionis, qui quàmvis confeſſarii forent Principum, numquam ab amicis adduci potuerunt, ut ſe impenderent ad faciendum pro eis rerum temporalium ſollicitationes, neque voluerunt ſe negotiis publici regiminis ullatenus immiſcere. F. Stephanus Molina, unus è primis auctoribus Reformatorum in Romana Provincia, ſuadebat ſuis abſtractionem à magnis civitatibus, & ſingulariter, ne conventum admitterent in urbe Roma, ne periculum eſſet multorum negotiorum, familiaritatum, ambitionum, & impedimentorum recollectionis internæ, regularíſque perfectionis. Eâdem conſideratione, noſter Antonius de Guevara prudenter noſtros Religioſos admonuit, ne ſpecie gratitudinis offerant ſeſe ad agenda eorum negotia, à quibus hoſpitaliter excipiuntur, ne ſibi viliter aggregent diſtractiones, & debeant moleſti eſſe Superioribus pro licentia ad hujuſmodi impetranda.

Chron. p. 4 lib. 8 c. 58.

Orat. Rel. lig. cap. 29.

Alia quoque nimis noxia *cura & ſollicitudo hujus ſæculi* quoſdam inquietat ob diverſos eventus Reipublicæ, ob regiminis Eccleſiaſtici vel politici inſufficientiam & deordinationem. Exoptant hujus vel illius regni victorias, & exinde uruntur curioſitate ſciendi, quid ibi vel alibi actum ſit, quidve ſit eventurum, & ſuper illis mille formant phantaſias: & in collocutionibus, pro affectu ſuo de illis ſententiant. Sic vertunt ſe ad ea quæ fiunt ſub ſole, & vident calumnias, & lachrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos. Et laudant magìs mortuos quàm viventes, qui coguntur videre & pati tot indiſcretiones, tyrannides atque calamitates. Rurſum contemplantur omnes labores hominum, & induſtrias animadvertunt patêre invidiæ proximi. Hæ contemplationes occupârunt etiam Sapientem. Quid verò de illis ipſe concludit? *In hoc vanitas, & cura ſuperflua eſt.* Et iterum ait: *Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & ſubverti juſtitiam in provincia, non mireris ſuper hoc negotio: quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alii, & inſuper univerſa terra rex imperat ſervienti.* Cùm enim qui poteſtatem habent, avari, maligni & vindicativi ſint, audacter abutuntur ſuà poteſtate, & cùm ſuperbi ſint, ſupra ſe habent adhuc ſuperbiores. Sed non ideo turbandi eſtis. Univerſæ terræ iſtique poteſtati ſubordinatæ, Rex imperat cœleſtis, qui deordinationem illam ad ordinem finemque reducet optatum.

Eccl. 4.

Verſ. 4.

Eccl. 5. verſ. 7.

Sancta ſunt & juſta judicia Dei hæc omnia permittentis: in quo conquieſcere poſſumus, omnemque deponere turbationem. Si pergamus de illis cogitare, judicare atque optare meliora, non ideo emendabuntur defectus aut minuentur. Si de illis affligamur, erit nobis inutilis afflictio ſpiritûs. Si garriamus de illis, mutuos nobis invicem communicabimus dolores atque ſuſpiciones, & audita mendacia; & ex omnibus nonniſi vanitas remanebit, & jactura temporis pretioſi. Nil ſecuriùs, quam Anachoretarum more ſe retrahere

in ſoli-

in solitudinem mentis, & non aliter admittere curam hujus sæculi, quàm ad agendum cum divina misericordia, ut meliùs regimen in majoribus, patientiam in subjectis, justitiam in magistratibus, ordinem in populis, remissionem scelerum, quæ Dei iracundiam provocarunt, largiri dignetur.

Excusâ jam anxiâ sollicitudine de mundi statu & tempestatibus, dum de iis quippiam audire contigerit, non erit nobis difficile mentem ad Deum elevare cum devota gratiarum actione, quòd ab iis nos misericorditer eripuerit, vel cum humili adoratione judiciorum ejus talia permittentium, vel cum admiratione patientiæ tantæ, tam enormes injurias tolerantis, vel cum ardenti supplicatione, ut afflictas animas, tam horrendè agitatas, in suæ protectionis sinum suscipiat, nec permittat desperationis vorticibus absorberi. Quòd si sollicitudo importunè recurrat, cum mentis turbatione; remedium erit, cogitare, quid agonizans aliquis ageret instante morte, si horâ illâ tales ipsi narrationes nugatoriæ proponerentur. Quid scimus, an mors hâc ipsâ horâ nobis non immineat? Eâdem seriositate contemnamus nova illa sæcularia, quâ obsurdesceremus, si jam punctum mortis instaret, & ingressus in æternitatem. Dum de peccatis propriis ferendâque super illis sententiâ verè solliciti fuerimus, evanescet facilè inutilis illa de mundanis casibus memoria & sollicitudo, eritque nobis pertinde, quis hic vel illic dominetur aut expellatur, & quæ rerum facies his & illis temporibus sit in mundo futura.

TEXTUS & § XXIV.

A Detractione.

SUMMARIUM.

Detractio figurata in Apocalypsi per plagam tertiæ partis hominum destructivam. Gravis in eam invectiva D. Bernardini. Peccatum grave est, præsertim in Religiosis. Quàm severus contra eam fuerit S. P. Franciscus. Quanta sit temeritas, ore per Detractionem infecto, ad S. Eucharistiam *accedere. Benedictio S. P. Nostri Francisci, erga filios ejus, adversarios detractionum. Superiores examinent relata susurronum: itemque subditi repellant asperè, nec auscultent detractores.*

Familiaris est hominibus otiosis, & cælestem ignorantibus conversationem, alienæ vitæ consideratio, & ex innata malignitate, observatio potiùs defectuum, quàm operum bonorum. Eodem otio invitante, mox dilabuntur ad colloquia de vita & actibus alienis, & quod malum de aliis mente revolverunt, id ore effutiunt inconsideratè, nil penitùs attendentes, si ex his lædatur fama proximi, vel ejus æstimatio minuatur. Quàm sit communis hæc temeritas, in quibuscumque congressibus sæcularium, nullus ignorat. Strages quam edit in animabus tanta est, ut designata videri possit per plagam Apocalypsis, tertiæ partis hominum destructivam: *Et numerus equestris exercitûs*, ait Joannes, *vicies denu millia. Et audivi numerum eorum. Et ita vidi equos in visione: & qui sedebant super eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas & capita equorum erant tamquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.* Horribilis certè plaga; sed horribilior illa spiritualis, quam D. Bernardinus dicit per hanc sigulariter designari, explicans pessimum vitium Detractionis: cujus ortum ostendit esse ex crudeli superbia, quâ se existimant detractores aliis meliores: ex crudeli amentia, quæ similis est dæmoniaco illi qui legione possidebatur: item ex crudeli invidia, quæ pati non potest bonam sui proximi famam. Hinc de venenato corde venenosa prodeunt verba, vel modo dissimulatorio, per speciem condolentium alieno malo, quasi ex zelo bono: vel modo recitatorio, quasi ex ore aliorum jam publicata referentes: vel inverecundè ostendentes malam suam diffamandi voluntatem, & exaggerantes defectus, quos quidem, ut fratres, secretos esse cuperent, sed qui ad ipsius confusionem toti mundo propalari mereantur.

Apoc. 9. vers. 16. — Tom. 1. Serm. 25. — Matth. 5.

Alibi cùm idem Sanctus fusiùs descripsisset detractionis originem, processum atque successum, excandescens in illud, sic tandem exclamat: *O igitur lingua nequam detractoris! ô crudelitas infernalis! ô impia odii & invidia proles! ô pestifera lepra! Tu es quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas justos, paris scandala, perjuria, falsa testimonia, accusationes iniquas multiplicare non cessas. Tu lingua sæva punis insontes, inter conjuges scandala ponis, infamas viduas, fallis & defloras virgines. Tu pias & sacras Religiones confundis, simplices conscientias conturbas: tu rancores, tu jurgia, tu iras & contentiones, contumelias & scissuras suscitare non cessas, partialitates nutris: tu sola proditiones generas, incendia accendis, homicidia patras, in conjurationibus occuparis, multiplicas inimi-*

Tom. 2. Serm. 29.

inimicos, dissipas civitates & destruis regna, confoves tyrannos. Tu charitatem extinguis, deprimis justos, magnificas impios, fidem destruis, spem constringis, cæteras virtutes impiâ crudelitate persequeris, omnia scelera vivificas. Tu Angelos in dæmones convertisti, profundasti primos parentes nostros, & de paradiso ad temporales & æternas miserias destinasti. Denique Dei Filium tu sola in crucis patibulo confixisti.

Si monstrum hoc in ipsis mundanis tam abominabile est, quid erit in viris, qui Religiosi vocantur, & esse debent cultores præcipui charitatis? Discipulis D. Bernardi semel imputata fuit hujus nota iniquitatis, sed eam velut infamem illicò sollicitè repulit, ostendens simul quàm sit absona Religiosis:

Apol. ad Guiliel. Abbatem initio.

Itane, inquit, *sub vestimentis ovium, non quidem lupi rapaces, sed pulices mordaces, imò tineæ demolientes bonorum vitam, quia palàm non audemus, in occulto corrodimus? &c.* Et alibi tractans illud: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*, sic docet:

Cant. 1. vers. 6. Serm. 29. in Cantica

Nec cavendum solùm a gravioribus offensis v. g. ab aperto convitio seu maledicto, sed a clandestino & venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his & similibus, cavenda sunt & levia. Si tamen leve debeat dici, quodcumque in fratrem præsumpseris intentione lædendi. Nam quod tu leve putas, & ob hoc levius præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie & secundùm faciem judicans, paratus festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem. Non enim omnium est charitas illa quæ omnia credit: proni autem sunt sensus hominis ad malum potiùs suspicandum, quàm ad bonum credendum. Consequenter exaggerat turbationes, quas in corde læsi fratris suscitat acceptæ injuriæ ruminatio.

Eodem zelo loquitur S. Bernardi discipulus:

Gilbertus Serm. 46. in Cantica,

Quid tu? Quid fratrũ mavis vitia numerare quàm virtutes, damna quàm bona, condemnare quàm commendare; Si te ad commendationem adjuratam non sentias, non es jam Hierusalem filia Babylonis. Dedisce Babylonis filia esse, barbaros depone mores. Desine in sanctis numerare magis detrimenta quàm lucra, Sufficiat tibi injuriandi malitia. Noli saltem foris nuntiare, noli prædicare sodalibus tuis. Nam sodales Sponsi aurem non accommodant, si deroges Sponsæ. Ipse Sponsus ægrè audit injurias dilectæ. Cuicumque dicis, illi dicis;

Sap. 1. vers. 10.

auris *enim* zeli audit omnia. *Temerarium est dilectam condemnare dilecto. Num ignoras animas omnes, maximè Religiosas, Sponsas esse Christi?* Ita Gilbertus.

Audiamus quid etiam sapientia pauperis

Legenda cap. 8. n. 5.

Francisci de eadem materia sentiat. *Detractionis vitium*, inquit de ipso Bonaventura, *inimicum fontis pietatis & gratiæ, tamquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & pissimo Deo abominabile fore firmabat: pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat.* Et alibi.

Opusc. Tom. 3. collat. 18.

Tantò major, inquit, *est detractorum impietas quàm latronum, quantò lex Christi quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum nos adstringit optare salutem.* Et ibidem Detractores dicit esse de generatione Cham, qui verenda patris non operuit, sed discoperuit, eosque dicit veluti porcos in immunditiis volutari & spurcitiis vel defectibus, quos in fratribus curiosè quærũt, vel fortè falsò se invenisse aut vidisse affirmant, se ingurgitare & ali immundorum more animalium, in conscientiis suis immundiores. *Tales*, ait, *boni student videri, non fieri; accusantes vitia, nec vitia deponentes; solos eos laudant, quorum cupiunt auctoritate foveri, silentes à laudibus, quas ad laudatum non æstimant reportari.*

B. Bartholomæus Salutius ingrediens in considerationem indignitatis teterrimæ, quam Detractores committunt, dum nondum abluti Confessione Sacramentali, & nondum factâ famæ proximi reparatione, sese audent ingerere sacratissimis altaribus & Sacramentis; non

Convivii Spir. c. 48

sinè causâ luget amarissimè illatam Deo contumeliam, & periculum cui se committunt, qui tantumdem egerunt, ac si corpus proximi cultrorum ictibus vulnerassent, qui Christum Jesum vivum per linguas suas transmittunt quas acuerunt sicut serpentis, & in viscera trajiciunt quæ antea famam sui proximi devorârunt. Maximè verò lugendum foret, si peccatum hoc abominabile, ad ipsa Religiosorum Religiosarumque monasteria ingrederetur. Intolerabile autem, si etiam relinqueretur, & contemneretur, neque scrupulus fieret de neglecta ablatæ famæ (res antiquissima præ omnibus & optatissima est) consodalium restitutione. Egredere igitur fera pessima, si penetrasti uspiam ad claustra personarum Domino dicatarum. Tu de Religiosis obedientibus faceres contumaces; privares Superiores amore, obedientiâ, reverentiâ & fide, quam à subditis expectabant; & hactenùs erant experti; non viderent nisi contemptum, odium, rebellionem & dolos, creatos à secretis ardelionibus, quos te contigerit occupare: ignorantibus interim bonis Prælatis, unde tanta supervenerit mutatio, & ob ignorantiam causarum non valentibus adhibere remedium malis suis, falsisque opinionibus subditorum. Egredere igitur fera pessima, maledicta Detractatio procul de finibus Religiosorum.

Sanctissimus Pater noster specialiter beatificavit filios suos, qui perniciosissimum illud vitium detestantes fraternam foverent dilectionem: simulque remedium judicavit, quo valeamus malum illud à nobis eliminare.

Opusc. Tom. 1. admonit. 24.

Beatus ille, inquit, *qui tantùm diligit fratrem suum, cùm est longe ab ipso, sicut quando est cum eo; & non diceret aliquid post ipsum, quod cum charitate non posset dicere coram eo.* Ecce antidotum illi veneno contrarium, ut dum prurit lingua ad narrandum quippiam de absente, interroges te ipsum, num illud ipso præsente auderes edicere; an contentus sis, ut hoc ipsum per aliquem resciat referentem; & an eo dicto non præbebis justam occasionem amicitiam rescindendi, juxta naturalem divinamque legem, quæ dicit: *Qui convitiatur amico dissolvit amicitiam.* Et:

Eccl. 22. vers. 25. & 27.

Ad amicum si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio; excepto convitio, & improperio, & superbiâ, & mysterii revelatione, & plagâ dolosâ. In his omnibus effugiet amicus. Plagam nullam æquè dolosam aliquis inferre potest, quàm à tergo hostiliter detrahendo, & interim in præsentia sinceram amicitiam simulando. Si vete-

tis,

tis, ne resciat absens quæ de illo garrire tentabis, tace, & periculum evasisti.

Aliud quoque remedium Sapiens suggerit, Prov. 25. vers. 23. dicens: *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Si quis ostendat se non libenter detractorum sermones audire, faciet ut ubi non erit auditus, non illi suum venenatum effundent sermonem; quemadmodum ubi non sunt furtorum emptores, desinunt ventitare atque furari venditores. Ideo Prov. 4. vers. 24 *remove à te os pravũ, & detrahentia labia sint procul à te.* Sic nos Franciscus docuit sollicitus charitatis amator. Opusc. Tom. 3. Apophtheg. 17. Audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius, conversus ad Vicarium suum, dixit: *Surge, surge, discute diligenter: & si accusatum fratrem innocentem reperis, accusantem durâ correctione cunctis redde notabilem. Instant Religioni discrimina, nisi detractoribus obvietur; cito multorum suavissimus odor fœtebit, nisi fœtidorum ora claudantur. Summâ volo cures providentiâ, ne pestifer iste morbus latiùs se diffundat.* Timent elancularii isti sagittarii, ne si videantur, retundantur, & in lucem trahantur mendacia & nequitiæ suæ, sicque evanescat fides calumniarum suarum, & ipsi in propriis verbis proditoriis confundantur. Ideoque expedit quandoque per Superiores, facto examine diligenti, è latibulis suis extrahi vulpes illas parvulas, quæ demoliuntur vineas, & in nequitia deprehensas condignis punitionibus castigari. Ibid. *Frater*, inquiebat ibidem Vir sanctus, *qui alium fratrem fama gloriâ spoliaverit, habitu est spoliandus, nec oculos ad Deum levare poterit, nisi priùs quod abstulerat, reddiderit.* Per pœnam publicam talium, imposterum fides eorum dictis pestiferis detrahetur.

Vos verò, privati Religiosi, cavete ab auditione mala Detractionis. Recessistis à mundo, qui non est nisi sylva ferarum invicem devorantium: ut tuti sitis, ne unam quidem detrahentem bestiam in ovile vestrum admittite. Quòd si irrepserit, semper vobis præ oculis versetur salubertimum monitum Sapientis: Eccl. 13. vers. 16. *Cave tibi, & diligenter attende auditui tuo: quoniam cum subversione tua ambulas. Audiens verò illa quasi in somnis vide, & vigilabis.* Securi eritis, si narrationes illas velut somnia, aut in somno existentes audiatis; quibus tunc nec adhibetis fidem, nec memoriâ retinetis, neque conscientiam gravatis; quia somnia sunt, præter vestram voluntatem illapsa. Hâc arte cor illæsum servabitis, liberum, simplex, atque pacificum. Et sicut beatus est ille Dei servus, qui ab evomenda cavet maledicentia: sic nihilominùs hic etiam beatus, qui cavet ab ea auscultanda, quique cum eis tantummodo commoratur, qui sollieiti sunt linguam & animam suam & charitatem sui proximi conservare. *Quis habitabit in tabernaculo tuo*, rogabat Dominum S. David, Psal. 14. vers. 1. *& requiescet in monte sancto tuo?* Et respondetur, quòd inter cæteros ille, *qui non accepit opprobrium adversùs proximum suum.* Qui abigit à se pestilentes illos charitatis suæ corruptores, alienorum stercorum portitores, ministros diaboli ad deferendum infernalem ignem discordiarum, subversores humanæ societatis. Vice versâ fermè cum maledicto Caino veniunt comparandi, qui tacentes ad proximorum injuriam per detractores illatam, quasi dicunt cum Cain in corde suo: *Num custos fratris mei sum ego?* Gen. 4. vers. 9. Imò verò, custodes ejus nos convenit esse, dum leni reprehensione possumus os commordentium obturare. Nec umquam honestæ puræque animæ placere possunt sordes illæ per os detractoris egestæ; sicut bene S. Chrysostomus annotavit, dicens: *Sicut sæpè humorum nimietas stomachum perturbat omniaque* Homil. 31. in Act. 14. *evacuat; ita & hic, scilicet in iracundo, caloris nimietas perturbat animam, nec sinit latere quæ silere deceret; sed dicenda ac non dicenda effutit &c. Sicut igitur vomentes fugimus, ita & irascentes*, ejicientes mala proximi, quæ eorum stomacho servabantur. Alioquin si dissimulanter suscipimus narrationes illas, id expectemus quod Sapiens admonet: *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur:* Eccl. 21. vers. 31. *& qui cum eo manserit, odiosus erit*, tamquam resorbens vomitum susurronis.

T E X T U S & §. XXV.

Et Murmuratione.

S U M M A R I U M.

Traditur modus extinguendi pruritum murmurandi de sæcularibus, de confratribus, de Superioribus. Quàm noxium sit hoc venenum. Quomodo retinendus animus inter audiendum murmura. Et qualiter, pro defensione proximi, sit auditis murmurationibus occurrendum.

REversis exploratoribus, qui missi fuerant ad considerandam Terram promissionis, & occasione narrationis de terræ atque habitatorum conditionibus, exortâ apud Israëliticum populum murmuratione, Numer. 13 vers. 31. *Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus & possideamus terram &c.* In eundem modum, Minoritici populi ductor Franciscus, in præsenti *compescens murmur populi*, cum magna instantia monet & exhortatur,

tur, ut *Fratres caveant à Murmuratione*, quæ nata est eos maximè remorari ab ingressu terræ illius desiderabilis, ad quam suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Nos itaque sancti Patris monitioni obsequentes, ex abundantia humilitatis propriæque cognitionis, cæci fiamus ad alienos defectus, verecundi ad loquendum de aliis, simplices, & quasi sinè intellectu, ad non animadvertendum quid agatur ab aliis. Sufficiat nobis confidentia de Superioribus vigilantibus, ad reædificandum, quidquid displicet nobis, & verè malum existit. Et quia frequens ingruit ten-4 tatio murmurandi, ob quotidianas eorum quibuscum vivimus Imperfectiones, necesse erit, ut unusquisque induat animum constantem ad os proprium obstruendum, & juxta quasdam regulas internos suos componat affectus.

Primò, Certum est, numquam ab ore amaras istas querimonias exilire, nisi priùs in corde disputatæ fuerint, concoctæ, atque pro rationabilibus judicatæ. Imponamus igitur legem illam cordibus nostris, ut disceptationes cogitationum, rixas interiores, meditationesque de imperfectionibus alienis neutiquam admittamus: & si quæ displicentiæ voluerint pertinaciter insidere, divertamus intellectum ad alia contemplandum objecta salubriora, & alia nobis colloquia mentalia efformemus. Aliàs, si otiosæ menti speculationes illæ murmuratrices, & imaginatæ contentiones insederint; facilè adveniente aliquo similiter otioso, verbum elabetur ab ore ex illa uberi amaritudinum collectione: unum verbum parabit viam ad alterum, & si fuerit auditum, totum cor in maledicentiam effundetur. Hanc methodum apertè Christus Domious insinuavit. Dum enim quemdam paralyticum à suis absolvisset peccatis, præsentibus criticis quibusdam Scribis & Pharisæis, hique inciperent inde in suis cordibus murmurare: priusquam foràs erumperet indignatio, pius medicus accurrit & occurrit, dicens: *Quid cogitatis in cordibus vestris?* Dumque eorum pravas sanat & corrigit cogitationes, eò ipsò linguas prævenit, ne quid impium effutirent.

Secundò, Juverit etiam, hanc murmurandi præcipitantiam, in iis cohibere, quæ minùs periculosa videntur & noxia, suntque ipso usu ita communia, ut nullus de iis sibi conscientiam formet. Hæc sunt familiares querimoniæ de malo regimine principum, de pauperum oppressionibus, de scandalis publicis sæcularium & Ecclesiasticorum, de gravaminibus propriis & amicorum; quæ vera sunt, & nota, atque citra detractionis periculum referuntur. Videtur afflictis aliquod esse solatium de his querulari, nec illicitam esse de istis murmurationem, cùm publica sint, omniumque judicio intolerabilia videantur. In magna securitate constituemus nosmetipsos, si licentiosam hanc consuetudinem rescindamus, nobisque interdicamus, quæ mentes alioqui præpararet ad mortales maledicentias parvipendendum. Hujus circumspectionis utilitatem [Chron. p. 1.] F. Massæus aliquando quemdam amicum edo- [lib. 6. c. 25.] cuit, qui cùm frequentaret Fratres, ordinariè de pravis sæculi motibus, suorumque concivium defectibus querulabatur. Non adeò patienter hæc audiebat Massæus; & tandem aliquando separatim deductum, sic affatus est; *Fili, crede mihi tamquam seniori & saniora suadenti. Solicitus esto semper præ oculis & in ore habere præclara facinora Sanctorum, & bona opera proximorum: ex his enim si nondum bonus es, emendaberis: si sanctus, sanctior evades. Vitia autem aliorum nec eloquaris, nec etiam audire patiaris: inde enim si bonus esses, corrumpereris in pejus, & similiter auditores tuos in eamdem traheres corruptionem.* Quod profectò verissimum esse quicumque comperiet, si pristinorum effectus colloquiorum secum sinceriori oculo intueatur. Ad minùs secretâ quâdam deceptione fit, ut inter eorum malorum narrationes, confirmetur arrogans quædam opinio nos meliores esse, vel non ita vitiosos, ac illi quos adducimus in medium; ea opinio utcumque sinceritatem humilitatis adulterat.

Tertiò, Nisi pravum sistamus progressum, à sæcularibus deveniemus ad fratres proprios traducendum. Cùm enim novi quotidie succrescant defectus & obliviones, semperque inveniantur aliqui non ita providi & accurati in rebus suis, suique officii partibus adimplendis; quotidie etiam novæ succrescunt displicentiæ, quas impatientes cohibere non possunt, quò minùs effundant, atque ad easdem accendant & alios: nam *in ore fatuorum*, [Eccl. 21. vers. 29.] *cor eorum.* Si quid viderint non adeò consonum consuetudinibus, cæremoniis communibus, monitionibus suis, propriisque conceptibus, id audire debent omnes, & publicatur quasi voce præconis, eorumque severâ censurâ percellitur. Utinam omnes præditi essemus, pulchrâ illâ, amabili, & discretâ mentis serenitate, quæ in B. Joanne ab Alvernâ sive Firmano emicuit. Nihil hic videbat, quod [Annal. Tom. 2. an. 1273. num. 23.] non placeret: ex amplis & instructis monasteriis, Dei laudandi occasionem sumebat, qui dabat servis suis affluenter, inserebatque eorumdem monasteriorum incolas, viros esse religiosos & probos, erga quos fideles adeò se beneficos exhibebant. In parvis verò cœnobiolis spiritum paupertatis & humilitatis commendabat; neque quidpiam ei potuit offerri, quod in obloquium vel grave ferendum judicium æquam & candidam mentem posset attrahere. Hinc religiosum ei ubique silentium, murmur nullum; sed tranquillus & pacatus animus in eo semper effulsit.

Quartò, Licèt hæc impatientia de Fratrum defectibus intolerabilis videatur, intolerabilior tamen est, quæ contra ipsos erigitur Superiores. Hæc videtur esse Rectorum universalis sors, ut positi sint quasi signum ad sagittam, & linguis expositi subditorum, ad syndicandum quidquid agunt, dicunt aut cogitant; imò & quæ numquam cogitârunt; quasi cuique potestas esset de eis liberrimè sententiandi, & in eos agendi quæcumque voluerit. Propter quod, eos noster Guevara Christo Domino [Lib. 2. Monte Calvariæ cap. 47.] comparat, qui in passione sua spectaculum factus est atque ludibrium universorum astantium, & in quem Judæi ac Romani fecerunt quæcumqua voluerunt. Si qui fortè inveni-

ventilantur Religiosi, qui indignis ejusmodi modis suos exagitant Superiores, rogamus eos & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut dimittant spiritum illum filiorum Belial, neque mittant deinceps manum in Christos Domini, neque principibus populi maledicant, & in animum suum profundè dimittant sententiam quam illuminatissimus F. Henricus Herpius

Lib. 2. Myst. Theol. c. 7.

de illo crimine pronuntiavit: *Certò certiùs scias, nihil homini damnabilius esse coram Deo, Murmuratione, præsertim contra Prælatos & Superiores; quia, ut S. Augustinus ait, in nullo populus Israel in veteri testamento Deum tantùm offendit, sicut quòd murmuraverint contra Deum, hoc est adversùs Superiores, Moysen & Aaron, quos Deus ordinaverat. De hujusmodi hominibus vix est spes, quòd proficient in virtutibus; quia Murmuratio est unica filia dæmonis infernalis, cui cuncta pascere monasteria permisit, & quam isti sibi desponsarunt. O maledictum peccatum! O bestia odibilis! nam omnia bona opera devoras. Tu prænuntia es æternæ damnationis: tu fomentum es ignis infernalis: tu pauperem animam non desformem, sed dæmoniformem efficis.*

Hujus sententiæ veritas, fuit aliquando B. Bernardino Feltrensi sub terrifico spectaculo revelata. Vidit enim noctu in refectorio Conventûs Ceredani, plures fratres mœstos in circuitu sedentes, unumque è suggesto dicen-

Annal. Tom. 7. an. 1476. num. 57.

tem: *Ambitio, Refectio & Murmuratio deduxerunt nos ad tartara.* Neque mirum sanè, quòd vitium hoc tam extremo supplicio puniatur; quoniam ea murmura non contra homines Superiores, sed contra eorum directorem Dominum evomuntur. Murmurantibus contra Moysen & Aaron filiis Israël, compescentes

Numer. vers. 9. & 27.

eos Josuë & Caleb, monebant: *Nolite rebelles esse contra Dominum.* Et Dominus ipse: *Usquequo*, inquit, *multitudo hæc pessima murmurat contra me?* Et in sceleris ultionem, juravit, quòd nulli eorum qui murmuraverant, in terram promissionis ingrederentur.

Perspicaces servi Dei hujus mali gravitatem & subsequentia pericula considerantes, ab eo, si quando per inconsiderantiam illaberetur,

Annal. Tom. 1. an. 1221. num. 34.

protinùs resiliebant. Cum S. Pater noster, in trivio positus, quà iret, nesciret, socium F. Massæum circumagi fecit in gyro, puerorum more, donec eum stare ipse juberet. Ille jam fermè ea gyrovago motu dolorem capitis contraxit, quando hærere præcepit, & per oppositam semitam jussit ut ambularet coram facie sua. His accessit quòd è quodam loco discesserit manè diluculò insalutato Episcopo, in cujus ædibus omni fuerat reverentiâ susceptus. Ad has res summè admirans Massæus, nimiæ simplicitatis & inurbanitatis incusare cœpit Franciscum, secum submurmurans in via: Quid hic bonus vir fecit, me velut puerum circumrotare fecit, & amicum benevolumque Prælatum nec salutavit discedens. Alia his addebat: donec altiùs Francisci sinceritatem, vitamque inculpabilem Dei instinctu expendit, & secretum in seipsum murmur retorsit. Itane, inquit, superbis Massæe, ut hominem Déo charum contemnas? Ita malus, ut maligneris in sancto? Insane opera divina temerè judicas; ipso inferno dignus es, qui Deo per Franciscum operanti vanâ & superbâ discretione tuâ resistis. Adeòne malum exitum res istæ habuerunt, ut facilè à te condemnarentur? Nonne ex incerto motus circulo in certam te semitam deduxit? Nonne ut auram fugeret popularem, & ulteriores sibi ab Episcopo exhibendos honores præveniret, aufugit?

Hæc pro ipsorum Murmurantium instructione dicta sint, nunc ad eorum auditores convertamus sermonem. Hos adhortamur in Domino, ut eâdem curâ fugiant murmurantem, quâ fugerent effutientem obscœna. Quòd si non tanta sit inæqualitas statûs & personarum, quin possint talia garrientes redarguere, Christum imitentur, qui murmuratores contra Magdalenam repressit, eamque excusavit modestè, atque protexit. Aliud quoque remedium suggerit Sapiens: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Spinæ istæ sunt Eccl. 28. vers. 28.

propriorum memoria & remorsus delictorum; quorum attentâ consideratione occupatâ mens, erubescit ad propria, dum sic audit exaggerari aliena, suis multò minora: unde concludit apud se: Heu mihi, quid ille de me diceret, si etiam mea scelera nosset? Ne verò dictis illis nimis leviter fidem tribuamus, meminerimus, quàm falsum sæpè de nobis fuerit murmuratum, cùm certò sciremus oppositum; sicut & de aliis conficta fuisse iniqua & falsissima non ignoramus. Neque majorem fidem demus his quæ nunc dicuntur, etsi qui dicunt alicujus nominis & auctoritatis esse videantur; nam & hi possunt à quodam susurrone esse decepti. Denique qualitercumque sit, juxta sanctum illud age consilium: *Audisti verbum adversùs proximum tuum? commoriatur in te.* Eccl. 19. vers. 10.

Tamdiu vivit malum illud verbum, quamdiu serpit; serpit autem ulteriùs, dum creditur & renarratur. Dum ad nos usque pervenerit, commorietur, si nec quod audimus crediderimus, neque retulerimus ultrà.

Quòd si propter evidentiam facti, malum quod narratur excusari non possit, compensari potest proximi detrimentum productione aliorum ipsius operum meliorum. Charitas & compassio dictat, absentis, qui læditur, suscipere patrocinium, eo modo quo fieri potest; si enim insidiosè feriturum cohibemus, ne corpus sui percutiat adversarii; quantò magìs obligamur cohibere transverberantem de facto cor fratris per iniquam maledicentiam? Si verò murmurator hujusmodi obtegere velit nequitiam suam justi zeli pallio, retundatur eo modo, quo legitur Climacus tales aliquos detractores artificiosos coërcuisse. Cùm enim hi viro sancto satisfacere vellent, dicendo, Hæc se ea ejus charitate & cura, de quo dicebatur, narrasse, replicabat ille: *Quiescite, atque ab hujusmodi charitate cessate, ne ille injustè fecisse videatur, qui dixit:* Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Zelus qui à charitate Dei & proximi nascitur, emendationem quærit delinquentis; non nudam confusionem: ipsimet delinquenti suum malum aperit, aut ut ei aperiatur opportunè ad pœnitentiam, sollicitus est; non autem apud vulgus egarrit cum timore ne resciat ille, de quo dictum est. Si res jam emendata est, aut in conatu ad emendationem, tacet, ac

Clima. gradu 10. Psal. 100 vers. 5.

tantummodo apud Deum agit, ut majus auxilium gratiæ, ei qui emendare debuerit, conferatur: atque inde delinquentis compunctio & emendatio generatur, & amor in corripientem. E contra, quia hæc non intendit clancularia illa de fratrum defectibus enarratio, ex ea nil nisi odium oritur, rixæque & taliones. Ephes. 4. vers. 5. Itaque, Fratres charissimi, studete ut *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Dat gratiam audientibus candida factorum alienorum excusatio, vel alleviatio, rectè factorum bonorumque morum approbatio, spes concepta de secutura commemoratorum delictorum emendatione.

TEXTVS & §. XXVI.

Et non curent nescientes litteras, litteras discere.

SVMMARIVM.

D. Bonaventuræ responsio contra errorem Magistri Innominati, circa hujus textus intelligentiam. Verus intellectus hujus litteræ est, Studium solis Laicis; non etiam Clericis prohiberi. Adducitur locus Apostoli, aptus ad persuadendum ut Fratres Laici à Studio debeant abstinere. Multa adducuntur motiva, quibus suadetur, Laicos non ideo contristari debere, quod Studio priventur. Multi idiotæ doctrinam acceperunt infusam. Etiam indocti Laici lucrari possunt animas proximorum, & certo modo participare de meritis Concionatorum & Confessariorum.

Circa textûs præsentis intelligentiam, exortus fuit olim error Magistri cujusdam Innominati, qui putavit hic studium litterarum omnibus generaliter Fratribus Minoribus prohiberi: eosque proindè condemnabat, quòd studerent, recitarent, scriptitarent & scholasticis occuparentur, etiam Philosophicis: & asserebat non videri tantæ humilitatis professoribus posse competere nomen Magistri; cùm hoc videatur Dominus in Evangelio suis discipulis inhibere, quorum nos dicimus imitatores, tamquam professores Evangelii Jesu Christi. (Matth 23. vers. 8.) Ad hæc respondens Seraphicus Doctor, dicit Regulam solis illitteratis & laicis vetare Studium, non clericis & fratribus omnibus universim: (Epist. ad Magist. Innomin.) *Alioquin*, inquit, *ipse S. P. Franciscus transgressor fuisset, qui cùm paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in Ordine; non solum orando, sed etiam legendo. Unde ut scias quantùm sibi placuerit Studium S. Scripturæ, audivi ego à Fratre qui vidit, quod cùm Novum Testamentum venisset ad manus suas, & plures Fratres non possent simul habere, dividebat per folia, & singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret.* (In Testam. S. Franc.) *Clericos etiam quos recipiebat ad Ordinem, in summa reverentia habebat, & in morte mandavit Fratribus, ut Doctores S. Scripturæ in summa reverentia haberent, tamquam illos à quibus reciperent verba vitæ. Unde cùm nomen Doctoris veneraretur, intelligebat hoc Evangelium non vetuisse. Alioquin Paulus Apostolus Evangelio contradiceret, qui se prima Epistola Timothei* (1. Tim. 2. vers. 7.) Magistrum gentium *vocat: quod majoris impudentiæ videtur, quàm si ab aliis vocaretur. Dico ergo, quòd secundùm Evangelium pompa hujus nominis condemnanda est, & nullatenus appetenda; sed officium assumendum. Quos enim magis decet Evangelium docere, quàm qui Evangelium profitentur & servant? Nam cùm dicat Evangelium:* Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; (Matth. 5. vers. 19.) *quis sanæ mentis dicat, quod Magister & Frater Alexander, dives debuerit prædicare & docere:* Beati pauperes spiritu; (Ibid. vers. 3.) *& pauper effectus, debuerit reticere? Certè si Fratres decet addiscere & ruminare tamquam munda animalia verba divina, & sibi-ipsis sufficiunt in docendo; quis tam stultus est, ut dicat quod doctrinam quam eos decet facere & docere, debeant à non facientibus mendicare? Condemno igitur tecum in Magisterio pompam; sed commendo officium.* Damno Fratrem Minorem pomposum, & dico eum Magisterio penitùs indignum; sed commendo studiosum, credens quod nulli magis quàm tali competat auctoritas docendi Evangelium Jesu Christi. *In Philosophantibus si displiceat tibi curiositates, displicent & mihi. Sed scias vix posse colligi grana absque paleis, & verba divina absque humanis. Hæc autem omnia separantur per zelum compunctionis, & fletum devotionis, quæ faciunt triticum veritatis à verborum paleis separari. Et fortasse videntur aliqui curiosi, qui magis sunt studiosi &c.*

Hæc ideo duxi latiùs ponenda, ex fidissimo D. Francisci interprete Bonaventura, quòd videatur etiam Vir doctissimus P. Franciscus Sua-

Tom. 4. de Relig. l. 2. de variet. Relig. cap. 7. Suarez mentem B. Patris in hoc Regulæ textu minùs rectè penetrasse. Comparans enim Prædicatorum Religionem eum Religione Minorum, dicit utrinsque Patriarchas circa studium litterarum diversum spiritum habuisse. *Nam Dominicus*, inquit, *litterarum studium præcipuè suis alumnis commendavit. Franciscus verò in capite 10. suæ Regulæ præmonuit, ut qui litteras nescirent, illas non discant.* In quibus verbis, ut intelligeretur discrimen aliquod inter utrumque Ordinem assignari, supponendum esset, litterarum studium, hoc Textu Regulæ, etiam Clericis prohiberi vel dissuaderi. Quod non ita esse, patet; tum ex prædicto Bonaventuræ discursu: tum quia ipse Pater Sanctus D. Antonium à Padua S. Theologiæ Lectorem instituit, qui sui Ordinis Clericos erudiret: *Opusc. S. Franc. Tom. 1. Epist. 3.* tum quia eos prædicatores esse voluit cap. 9. ex quo prædicationis onere nobis imposito, litterarum studium colligit Nicolaus III. Pontifex, hisce verbis: *Extrav. Exiit qui seminat, art. 7.* *Constans est, quod hæc supponunt scientiam, scientia requirit Studium, exercitium verò Studii convenienter haberi non potest sine usu librorum.* Ubi rectè infertur, quòd cùm Franciscos examen prædicandorũ eloquiorum præcipiat, præcipere studium censeatur, sinè quo nec examinata eloquia esse possunt. Si verò intelligat ille Auctor, verbis istis: *Et non curent nescientes litteras, litteras discere*, solos Minoritarum Laicos admoneri, nullum in hoc discrimen inveniet inter nostram & Dominicanam Religionem; nam etiam in Constitutionibus Prædicatorum idem eorum Laicis interdicitur. Et in ipsa quoque Societate Jesu, amantissimâ studiorum, in ejus Communibus Regulis disponitur, ut *nemo eorum qui ad domestica ministeria admittuntur, aut legere discat, aut scribere: aut si aliquid scit, plus litterarum addiscat: nec quisquam eum doceat sinè Præpositi Generalis facultate: sed satis eis erit, sanctâ cum simplicitate & humilitate Christo Domino nostro servire.* *D. 2. cap. 15 ut citat P. Nigronus.* Videatur P. Nigronus super illam Regulam scribens. *Lib. 3. c. 10.* Item noster Sedulius in suo Apologetico, ubi disputat adversùs hæreticum quemdam nostræ Regulæ calumniatorem, qui in impio quodam libello, quem inscripsit *Alcoranum Franciscanorum*, allegans hunc textum, accusat Seraphicum Patrem, velut asininæ inscitiæ atque ignaviæ patronum, ut exterminatorem litteratiorum thesaurorum, & humanæ excellentiæ inimicum.

Dicimus igitur eum Doctore Seraphico, quòd Regula non vetet Studium litteratis; sed illitteratis & laicis. Vult enim Vir Sanctus, ut *unusquisque*, juxta Apostolum, *in ea vocatione quâ vocatus est, permaneat.* *1. Cor. 7. vers. 24.* Quod etiam in aliis Religionibus est salubriter constitutum, ut illi cum sancta simplicitate & humilitate possint Christo Domino deservire. *Cap 4. Regulæ.* Quemadmodum etiam ipse Franciscus, in Superioribus, circa quæsitionem rerum temporalium, ad vitam sustentandam conducentium, modum adhibuit contra avaritiam imminentem, & pro securitate majori subditos ab ista abduxit sollicitudine, solos in ea relinquens Superiores: ita etiam circa acquisitionem scientiarum, pruritum nimium voluit temperare, & quosdam à libris arcere, ne se inutilibus laboribus fatigarent, & à melioribus studiis ac operibus impedirent. Primùm quidem, eos qui nondum litteras norunt & ea prima elementa, quæ debent altioribus studiis subservire. Cùm enim his imbuendis occupari debeat ætas tenerior cum exercitatione prolixiori; qui jam processerunt in diebus suis, atque ad hæc rudimenta facti sunt ineptiores, aliisque jam occupationibus mancipati, non sinè detrimento studia à tam remotis initiis auspicarentur. Ad hos reducuntur illi Clerici, qui licèt utcumque intincti sint litteris humanioribus, tamen obtusi sunt ingenii ad theologica capienda, memoriæ labilis, atque iis destituti qualitatibus, quæ ad faciendum fructum in salutem proximi requiruntur. Sanè, sicut in designandis Prædicatoribus expedit haberi delectum, sic quoque delectus eorum habendus est, qui tempus impendant studiis, eorumque intuitu à quibusdam aliis regularibus exercitiis eximantur. Si qui reperiantur, quorum probitas, zelus, ingenium, cæteræque dotes non faciant spem probabilem eos populo profuturos, utiliùs ad sola sua Breviaria relinquentur, & divinis in choro laudibus, aliisque humilibus obedientiæ officiis aptabuntur. Hinc est illa interrogatio in Regulis brevioribus, S. Basilio facta: *Numquid unicuique permitti debeat, ut arbitratu suo litteras discat, vel legendis libris operam det?* *In Reg. brevior. num 96.* Cui respondet: *Calamitosum esse, id si cuique liberum permittatur.*

Aptus est ad hoc persuadendum, locus Apostoli, ubi dicit: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* *Rom. 12. v. 4.* Non malè B. Dorothæus Pauli similitudinem aptat cœnobio, quod unum esse debet mutuâ charitate: *Serm. 6.* in quo caput sunt, ex ejus sententia, qui gubernant; oculi, qui speculantur & corrigunt; os, qui sermone prosunt; aures, qui obediunt; manus autem, qui opera exercent: pedes, qui huc atque illuc ad ministeria diriguntur. Ex hac contemplatione habemus, manus & pedes esse in hoc corpore Minoritico Laicos (quod Joan. Gerson alicubi multis probat) *Tom. 3. tract. de exerc. simplic. cap. 3.* qui partim operando manibus, partim labore pedum, quà percurrendo, quà supportandis oneribus, corpori Fraternitatis deserviunt. Jure Paulus ait: *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* Jure & nos diceremus: *Si totum corpus pes & manus, ubi oculus & lingua?* *1. Cor. 12. vers. 17.* Est ergo necessaria societas oculorum & pedum; linguæ & manus. Ideo bene subjicit: *Non potest autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii;* *Ibid. vers. 21.* quia verè utrisque egent utraque, ne corpus cæcum sit, aut claudum; neve capite truncum aut manibus. Ceterùm introspicientibus artificium naturæ, propter caput factas manus, & datos pedes apparebit. Itaque tales conservari debent, quales constituti sunt, qui manibus & pedibus significantur: non oculati, non auriti, non loquentes.

Neque durum illis Fratribus videatur, quòd honorabilioribus non aptentur ministeriis, spesque præscindi videatur ad altiora conscendendi. Integri Ordines, & illi quidem illustrio-

res, elegerunt exercitla solitudinis, seque totaliter à concionibus & confessionibus sæcularium abstraxerunt; licèt viris abundent præclaris, aptissimisque ad hæc munia, qui intetim apicem tenent sanctitatis, & columnæ sunt sanctæ Dei Ecclesiæ. Eadem est sors vestra, O Fratres, ac illorum, eritque præmium idem, si angelicis illis officiis exequendis gaudenti devotàque mente intendatis, & vos credatis verè Angeloa esse, quos dedecet promiscuè oculis apparere mortalium. In bona igitur mentis pace vos continete, Deique in hoc agnoscite dispositionem, & memores estote, vos non ad Ordinem accessisse, ut magni coram mundo fieretis magistri; sed ut Domino serviretis in operibus obedientiæ atque humilitatis, & per hanc viam iretis ad regnum cœlorum. Hujus resignationis præclarum exemplum habemus in F. Peregrino Fallerono. Hic cùm nobilis esset adolescens è Piceno, concione B. Francisci ad res humanas relinquendas adductua est: & habitum postulantem, vestivit Vir Sanctus, futurumque vivendi genus præscripsit dicens: *Tu Peregrine viam sectaberis Humilitatis.* Quod summâ resignatione fecit: neque enim, quàmvis doctus esset & in sacris canonibus versatus, aliquando ad clericatum aspiravit, sed in humili Laicorum seu Conversorum statu per omnem vitam permansit: quàmvis Socius ejus, F. Rogerius à Mutia, unà cum ipso Conversus & vestitus, eò usque promotus fuerit, ut Provincialis factus sit Marchiæ Anconitanæ.

Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 7.

Hinc discant Laici cavere, ne in cordibus eorum umquam locum inveniat cogitatio stulta de studiis ambiendis; quàmvis dono ingenii prædití, & quibusdam initiis litterarum ad majora dispositi viderentur. Alioquin eis in nauseam vertentur quælibet officia pietatis, eorum statui præscripta, onerosa fiet obedientia, vita tristis, & meritum laborum omnium cariosum, & divinæ gratiæ charismatibus (quæ dantur humilibus) privabuntur. Expertus hoc est F. Franciscus à Castro Miliano. Dum in culinæ sordibus humiliter versaretur, à Deo frequentet ad extases usque visitabatur. Non contentus autem suâ sorte, cœpit studia, chorum, & statum concupiscere sacerdotalem: & quia felicis erat ingenii, B. Jacobus à Marchia, tunc Generalis Vicarius, acquievit. Sed ecce, dum per hanc viam gestit ascendere, à Deo relinquitur, donumque subtrahitur contemplationis: donec tandem ad pristina rediret officia humilitatis; ad quæ divina visitatio revertebatur. Alterius Fratris Laici pruriginem animi, levi remedio Franciscus sanavit. Dum enim inquietè tentatus, licentiam peteret litteris operam dandi: *Addisce*, inquiebat, *Frater charissime versiculum hunc*: Gloria Patri, *& Scripturam omnem retinebis.* Quod ut fecit, nullam ampliùs sensit molestiam, & tentationem omnem litterarum addiscendarum superavit.

Chron. p. 3. lib. 5. cap. 29.

Annal. Tom. 1. an. 1221. num. 30.

Quis scit, si quòd illitteratis plurimis concessit Deus, ut infusam acciperent scientiam, non etiam vobis, Fratres Charissimi, largietur, si in humilitate permanentes instanter spiritum colueritis devotionis. Idiotam certè Patrem nostrum, ad tantam mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continuâ exercitatione virtutum perduxerat; ut quàmvis non habuerit Sacrarum Litteratû peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectûs scrutaretur acumine. Penetrabat enim, ab omni labe purum ingenium, mysteriorum abscondita, & ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Interrogatus Senis à quodam religioso viro, Theologiæ Sacræ Doctore, de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tantâ claritate doctrinæ divinæ sapientiæ patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet Vir ille peritus, & cum admiratione referret: *Verè Theologia sancti Patris istius, puritate & contemplatione, tamquam alis in altum subvecta, est aquila volans; nostra verò Scientia ventre graditur super terram.* Nec mirum, si Vir Sanctus Scripturarum à Deo intellectum acceperat: cùm, per imitationem Christi perfectam, veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere: & per sancti Spiritûs unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.

Legend. cap. 11. § 1. § 2.

Eamdem ob rationem S. Didacus, Frater laicus, simplicianus, simili illustratus scientiâ, resolvebat ea, in quibus Doctores litteratissimi hæsitassent. Unde doctissimus Didacus de Celada hoc edidit de ipso elogium: *Sic Complutensis Lycæi gloria, & Fratrum Minorum decus S. Didacus fuit; feliciter idiota, ut esset sapienter felix; ad mensuram indoctæ simplicitatis, mutuatus sublimiorem sapientiam sanctitatis.* Sic & F. Ægidius, tertius B. Francisci Socius, quamquam esset idiota & simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem, nam per multa curricula temporum, sursum actionibus incessanter intentus, adeò crebris in Deum rapiebatur excessibus, quemadmodum ego (ait Bonaven.) oculatâ fide conspexi, ut magis censeretur inter homines vitam angelicam agere, quàm humanam.

In cap. 11. Judith. § moral. 39.

Bonav. in Vita S. Franc. cap. 3. § 3.

Attamen in hac Scripturarum sanctarum intelligentia, & divinæ lucis infusione, non est posita summa perfectionis. Fervor amoris Dei totum facit, sanctosque constituit; qui non tam per libros acquiritur, quàm per bonorum operum dispositionem, magnarumque sui ipsius mortificationem, & per desideriorum ardores. Hæc sinè litteris acquiri & possideri, ex innumeris constat experientiis, simplicium Fratrum laicorum, ac ipsarum etiam mulierculatum. Venit aliquando ad S. Bonaventuram tum Ministrum Generalem F. Ægidius, & dixit: *Multis te, Reverende Pater, gratia sua donis auxit præpotens Deus. Nos verò simplices & idiotæ, quidnam faciemus, ut salvi esse queamus?* Respondit S. Bonaventura: *Etiamsi nullam aliam homini gratiam conferret Deus, nisi ut ipsum diligeret, sufficeret ei ad obtinendam salutem.* Et Ægidius: *Potestne*, inquit, *homo indoctus, æquè atque doctus diligere Deum?* Sancto Bonaventura respondente, posse etiam simplicem aniculam non minùs diligere Deum, quàm Sacræ Theologiæ bene doctum Doctorem, Frater Ægidius exiliens ferventi spiritu, in hortum ingressus est, stansque ex ea parte quæ respicit civitatem,

Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 14.

altâ

altâ voce clamavit: *O vos paupercula, simplices & indocta anus, diligite Dominum Deum vestrum: poteritisque majores effici quàm sit Frater Bonaventura, qui est Doctor celebris, & S. Theologia Magister.*

Vexabit fortasse mentem cupiditas aliqua juvandi proximos, instruendo, hortando & conscientias quietando. Si verus tales urget zelus, ex eo, quod tamquam Christiani sciunt, prodesse plurimùm possunt apud homines idiotas & exiguæ capacitatis, qui meliùs capere solent discursus simplices, aut candidè propositam justitiam, quàm si doctè atque subtiliter exponeretur. Non fuerunt omninò steriles Fratrum quotundam simplicium hortationes, factæ quandoque Religiosis, peccatoribus magnis, Principibus, hæreticis & paganis, dictæ non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtutis & spiritûs ostensione.

Quòd si neque gratia suppetit privatim hortandi, & consolandi; non tamen fraudabuntur à communicatione meritorum, quæ à Prædicatoribus & Confessariis in suæ doctrinæ exercitio congregantur. Modum quo de illis valeant participare tradit noster doctissimus P. Franciscus Quaresmius in suo præclaro opere *Elucidationis Terræ sanctæ*, nimirum, si fideles inveniantur in eorum ministerio, qui laborant in Evangelio, & in hilari statûs sui observantia. Quàmvis enim eorum ministerium non tam nobile videatur, quàm eruditorum Magistrorum, cuilibet tamen membro pro Deo laboranti, sua redditur merces, juxta capacitatem ejusdem. Quod potest obviâ quâdam similitudine declarari. Amanuensis aliquis, ad scribendum conductus, animum applicat ad percipiendum ea quæ dictantur, aures ad audiendum, oculos ad videndum, digitos ad exarandum. Unum tamen stipendium integro redditur homini, quo potitur membrum quodlibet, sicut capax est: nec digiti suo frustrantur alimento, licèt non ita nobiles sint, nec tam nobiliter laboraverint, quam oculi vel intellectus. Tom. 1. lib. 1. cap. 13. & 14.

TEXTUS & §. *XXVII.*

Sed attendant, quòd super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini.

SUMMARIUM.

Obtinendi Spiritum Domini medium aptissimum, ejus efficax desiderium est. Ejus perfecta cognitio proponitur, ut efficaciùs desideretur. Quantùm desideraverit eum F. Massæus, aliique viri sancti. Quod aliqui petentes non accipiant, est, quia non desiderant eum super omnia: *& quid sit* super omnia *desiderare. Quæ sint signa Spiritûs jam inhabitantis, ex D. Bernardini, & D. Bernardi sententiâ.*

QUamvis dona sancti Spiritûs non obtinentur, nisi donante Deo, qui dividit singulis prout vult: optima tamen ea obtinendi dispositio est, eorum efficax ex intimo corde desiderium, sicut scriptum est: *Initium Sapientia verissima est disciplina concupiscentia.* Et tandem *concupiscentia Sapientiæ perducit ad regnum perpetuum.* Eapropter, cùm in Francisco, circa conversionis ejus initia, ex frequenti orationis usu flamma desiderii cœlestis vehementer excresceret, contigit ut ipse thesaurum illum absconditum Spiritûs Domini reperiret, ac velox prudens negotiator margaritam inventam divenditis omnibus compararet. Eamdemque voluit mentem suis esse sequacibus, ut dimissâ omni temporalium cupiditate, rerum, honorum, & ipsarum quoque scientiarum, si immodica fuerit & inordinata, omnes suos conatus, labores & desideria converterent ad cœli divitias obtinendum. *Attendant*; inquit, *quòd super omnia desiderare debent habere Spiritum Domini.* Iste igitur sit scopus noster, divitiæ nostræ, perfectio & summa sanctitatis, felicitas nostra, & tota in terris gloria, *habere Spiritum Domini*, ad eumque acquirendum omnes extendere vires, ingenium atque potentias, & acquisitum semel, desideriis ineffabilibus conservare. Maxima est humana infelicitas duci spiritu mundi; quo mentes hominum sunt intoxicatæ, ut nonnisi quæ carnis sunt sapiant, laudent, æstiment & concupiscant; *Spiritum* autem *veritatis non possit mundus accipere, quia non videt eum, neque scit eum.* Quàmvis enim multi disputent multùm de Persona tertia Sanctissimæ Trinitatis, de gratia ejus & efficacia, de donis, de virtutibus, summisque perfectionibus; quia tamen oculos suos statuerunt declinare in terram, & solùm quæ carnis sunt sapiunt, ideo non apertè vident quæ Dei sunt, sicut illi, quibus donatum est sentire vim illius atque gustare. Sap. 6. vers. 18. & 21. Joan. 14. vers. 17.

Utinam daretur nobis scire saltem donum Dei, ut eo intellecto & probè cognito in illius con-

concupiſcentiam accenderemnt! Præclarè D. Bonavenmura principinm ipſius, modum & finem attingit, & media oſtendit, qnibus ad ipſnm perveniatur: *Omne donum perfectum*, inquiens, *operatur idem Spiritus, ut ſic per Verbi incarnati, & dati ruminationem, & Spiritûs ſancti ſpirati & donati inflammationem, reducamur ad luminoſi & amoroſi Patris veram cognitionem & fervidam dilectionem: & ex his ad ejus perfectam unionem, iſta enim unio eſt finis largitionis luminum, ut per eam reducamur ad Patris deificam ſimplicitatem, & perfectam unitatem.* Hæc eſt incipientis animæ beatitudo, uniri cum ſuo Patre, ei adhærere, atque in eum taliter transformari, ut nil cogitet, nil loquatur, nil amet aut æſtimet, niſi quod amat & æſtimat ille. Ad quam unitatem & conformitatem tandem pertingit, ſi vitam & mores Jeſu Chriſti tam ſibi familiares faciat aſpectu continuo & meditatione, ut ejus ſpiritum imbibat omninò, omnes malignorum ſpirituum inſtinctus & carnis deſideria evacuando. Tunc, inquit idem Seraphicus Doctor, Spiritus ſanctus per ſua dona primò ſibi domum mentalem in jucundum habitaculum ſanctumque manerium præparat. Nam *Donum Sapientiæ*, virtutibus ædificat mentis domum. *Donum Intellectus*, illam illominat contemplatione. *Donum Conſilii*, gubernat prudentiâ. *Donum Fortitudinis*, defenſat & ſtabilit patientiâ. *Donum Scientiæ*, multipliciter ditat & cibat divinis veritatibus. *Donum Pietatis*, divino cultu perornat. *Donum Timoris*, mundam conſervat, & expellit omne peccatum. Item Dona ſancti Spiritûs, totam mentalis domûs familiam, ſeu animæ vires habilitant, atque diſponunt, ad expeditè Deo miniſtrandum & faciliter obediendum. Inſuper erudiunt animæ familiam contra tentamenta & defectus ſeu naturales ſeu acquiſitos, quibus quandoque ſecundùm divinam diſpoſitionem exercetur, ne otioſa tepeſcat in delectabili donorum tranquillitate; & obliviſcatur amiſſibilia eſſe omnique ſollicitudine cuſtodienda. Sic contra humanam mundanamque ſtultitiam, *Sapientia* datur: contra hebetudinem, *Intellectus*: contra præcipitationem periculoſam, *Donum Conſilii*: contra timorem, ut eſt paſſio, *Fortitudo*: contra ignorantiam, *Donum Scientiæ* luminoſæ: contra cordia duritiam, *Donum Pietatis* benignæ: contra pertinacem ſuperbiam, *Donum* humilis *Timoris*. Hæc latiùs Bonaventura.

Lib. 7. de donis Spiritus S. cap. 1.

Ibid. cap. 4.

Hæc eſt infinitus ille theſaurus, qui in illis datur intelligi verbis: *habere Spiritum Domini*. Qui ipſius pretium intellexerunt, mirum eſt quantis æſtuaverint deſideriis, ut eo potirentur. Confabulatus aliquando Maſſæus cum ſociis de rebus divinis, intellexit quantam Deus Franciſco contuliſſet gratiam humilitatis, & quanta ulteriùs dona ſpiritualia per humilitatem. Æmulatus ipſe chariſmata meliora ferventiſſimum concipiens tantæ virtutis deſiderium, oculis ac manibus in cœlum erectis, altâ clamavit voce: *Domine ſpiritu hoc principali, ac ſolido virtutum fundamento confirma me, & donum hoc perfectæ humilitatis mihi benignus concede. Quod dum à te, qui das omnibus affluenter, non obtinuero, numquam perfectè lætabor.* Deinde orabat inceſſanter, & gemitibus inenarrabilibus, vel clauſus in cella, vel ſolitarius in nemore, Dominum pro Humilitatis virtute interpellabat. Triſtabatur de gratiæ dilatione, & omni macerandæ carnis ingenio ſe affligebat, ut ad optatam perveniret virtutem, donec quodam die ingredienti ſylvam, convenmi proximam, & validos clamores, lacrymoſaque ſuſpiria freqnenter emittenti, Chriſtus, factâ ei voce de cœlo, dixit: *Frater Maſſae, quid vis dare ad hanc gratiam poſſidendam?* Cui Maſſæus, divinam confeſtim vocem agnoſcens, reſpondit: *Domine, dabo oculos capitis mei.* Et Dominus ad eum: *Ego volo, ut tu deinceps & oculos, & gratiam hanc habeas.* Hoc erat veraciter *Spiritum Domini deſiderare*; ideoque deſiderium ſui pauperis Dominus exandivit.

Annal. Tom. 1. an. 1210. num. 34.

Aliquando S. Pater noſter diſcipulis ſuis hunc Spiritum explicuit, ſignumque dedit quo ſe eum habere cognoſcerent; *cùm Dominus*, inquiebat, *operatur per ipſum aliquid boni, ſi nec caro ejus, nec mens exinde ſe exaltat quia ſemper cõtraria eſt omni bono; ſed ſi magis ante oculos ſuos ſe habere vellet viliorem, & in omnibus, aliis hominibus ſe minorem exiſtimaret.* B. Bartholomæus Salutius contemplans Spiritum Domini ſub forma Amoris (ſicuti verè amor eſt) admirandi deſiderii veſtigia in ſuis reliquit Opuſculis, in quibus exarurt ſui cordis exuberantiam, formamque præbuit ardenter deſiderandi *habere Spiritum Domini*. Huic mundo, inquit, omnibuſque rebus creatis abrenuntiës, & ad amorem hujus Dei continuò aſpires: ad hunc voces, ad hunc ſuſpiria mittas: hunc ſolum cures, hunc ſolum, omnes alios floccipendendo, deſideres: ad hunc clames ſemper: *Deus meus da mihi Amorem tuum, Deus meus da mihi Amorem tuum:* ſufficientque verba iſta, modò ea ſemper in ore & corde tuo geras, eaque rumines, vel amore ignito & accenſis ſuſpiriis proferas. Hoc fuit primum & ultimum, & continuum, momentis omnibus repetitum exercitium B. Joannis Hortulani, cui nil erat aliud in ore niſi: *O mi Amor Jeſu Chriſte! O mi Amor Jeſu Chriſte!* Quo ſuſpirio veluti flabello, tantos in ſe ignes accendit, ut ſemper & ubique nil niſi charitatis ſpirare videretur incendium.

Opuſc. Tom. 1. Admon. 12.

Parad. contemp. cap. 20.

Chron. p. 3. l. 8. c. 11.

At, inquiet aliquis, ego deſidero, & jam pridem in hoc defixæ ſunt cogitationes meæ; neq; tamen me quippiam ſentio conſecutum. Quicumque hoc dicis, & lamentaris, deſideraſtine hanc gratiam *ſuper omnia*, an infra omnia, vel aliquid eorum? Numquid fortaſſe cùm illa quid aliud deſideraſti, aut per hanc ſecretum quippiam, quod ſupereminebat in corde tuo, tamquam finis, ad quem referretur hoc donum? Si deſideraſti taliter, non *ſuper omnia* deſideraſti, ſed infra aliquid, ideoque non fuiſti dignus ut obtineres. Conſilium optimum fuit F. Angeli Oſtrovil pro iis, qui ſe aridos querebantur; dicebat enim: *Sive ſapiat, ſive deſipiat oratio, ſive proficiat, ſive ſterileſcat, ab ea non recedatis. Perſiſtite, pulſate, petite; tandem exaudiemini, dabitque Dominus orandi gratiam. Credite mihi, Fratres, animæ cibus eſt oratio, qui ſumere neglexerit, certò morietur.*

Annal. Tom. 7. an. 1481. num. 15.

Quòd ſi non infra aliquid, ſed quid aliud æqualiter ſicut Spiritum Domini deſideraſti,

ne me-

ne mireris quòd non impetraveris, ex quo injuriam fecisti donis Dei, quibus in corde tuo terrenum aliquid enæquasti. Indignus est dono, qui non illud, prout est, æstimat, cuique non sufficit Deus, sed alio quopiam adjuncto se sperat fore beatum. In te ipsum ingredere, interroga te, quid ames, & quantùm? num tantumdem acturus sis pro divini Spiritûs acquisitione, quantùm pro eo agis quod est extra Deum, & invenies, an justa tibi gratia fuerit denegata. Formam itaque justi desiderii sume ex

De 7. itin.ætern. dist. 5. art. 2.

D. Bonaventura: *Ad tertium*, inquit, *gradum violenti Amoris ascendit, quando omnem alium amorem excludit: quando nihil præter unum, vel propter unum diligit. In hoc tertio gradu nihil omnino satisfacit præter unum, sicut & nihil sapere potest nisi propter unum. Unum amat, unum sitit, unum concupiscit, ad unum anhelat, in uno inardescit, in uno conquiescit: unum solum est in quo reficitur, ex quo satiatur, nil dulcescit, nil sapit, nisi hoc uno condiatur. Quidquid ultrò se offerat, quidquid sponte occurrat, citò rejicitur, citò conculcatur, quod suo affectui non militat. Omne desiderium expellit, omne studiū excludit, omne exercitium realiter opprimit, quod suæ concupiscentiæ non deservit. Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imò intolerabile videtur, nisi in unum solum sui desiderii finem concurrat. Dum autem eo frui potest quod diligit, omnia pariter se habere credit.* Hæc Seraphicus ille Doctor Amoris.

Non putemus, quòd qui taliter desideravevit Spiritum Domini, sit dimittendus vacuus, sinè exauditionis effectu. Dabit Deus Spiritum bonum taliter petentibus se. Imò ipsa sola continuatio suspirandi, signum est magnum Spiritûs jam inhabitantis, sinè quo nemo posset dicere: *Dominus Jesus*. Præparate vos solùm ad flexibilitatem & mobilitatem Obedientiæ, ut non resistatis quòcumque vos illa pepulerit, & ad omnes dispositiones illius, judicia, & voluntates, resignati sitis & voluntarii, & non deerit Dei Spiritus, qui vos feliciter regat in omnibus, vestrique cordis acquirat possessionem ac tueatur. Quod nunc factum esse confidere possumus, dum hæc quæ S. Bernardinus observavit signa in nobis deprehenderi-

Tom. 4. Serm. 8.

mus, 1. *Si compunctionem de peccatis præteritis sentiamus.* 2. *Dum suspiramus ad meliora, & ad sinceram vitæ nostræ emendationem.* 3. *Si utcumque discernamus bonum à malo, & justum ab injusto: hoc enim vix datum est occupatis jam à spiritu mundi, & offuscatis propriâ carne.* 4. *Dum palato sapiunt opera bona, & quæ Dei sunt animam delectant.* 5. *Si quales nos sumus candide confiteamur, omni cum humilitate.* 6. *Si Deum, quem summè bonum & magnum cognoscimus, gratanter collaudemus.* 7. *Si omnem abhorrentes simulationem & mendacium, loquamur veritatem in quocumque negotio.* 8. *Si etiam in aliis, abhorrentes omnem injuriam Dei, opportunâ increpatione illam avertamus, ad tuendum honorem illius.* 9. *Si libenter audiamus verba fieri de Deo, quem amamus.* 10. *Si expeditè perficiamus, quæ noverimus ei placere.* 11. *Si ad eadem opera bono exemplo nostro alios etiam attrahamus.* 12. *Si ad quascumque immissiones duras non expavescamus, sed tamquam dilecti munera grato animo suscipiamus.* Hic sanè nil prætermisit Sanctus iste illuminatissimus.

Gratiam referant æterno fonti gratiarum, quibus has arrhas dederit Spiritûs inhabitantis, divinæque signa filiationis, ne obliviscantur umquam inhabitationem hanc non suis cœpisse meritis, nec ita permanentem esse, quin suis demeritis possit amitti. Atque ideo, quâ sollicitudine primum ejus desiderārunt adventum, eâdem desiderent indesinenter, & instanter efflagitent continuationem, & invigilent undequaque, ne quid committant, quo penitùs deseri mereantur. His enim desideriosis orationibus, vigilantiâque pascitur, & gratia retinetur. Audiamus super hoc negotio mellifluum Bernardi eloquium: *Quæramus hunc Spiritum, Fratres, totâ sollicitudine operam demus ut mereamur habere hunc Spiritum: ut quem jam habemus, abundantiùs habeamus..... Testimonia præsentiæ ejus præbent opera ipsa salutis & vitæ, quæ nullatenus agere possemus nisi Spiritus, qui vivificat, Spiritus Salvatoris adesset. Quæramus ut dona sua multiplicet, qui primitias dedit. Nullum enim certius præsentiæ ejus testimonium, quam desiderium gratiæ amplioris..... Sed fortassis multi respondent: Desideramus, sed invenire non possumus. Et ego dico: propterea non invenitis, quia non quæritis: non accipitis, quia non petitis: petitis & non accipitis, eo quod negligenter petatis. Nihil aliud expectat Deus, nisi ut sedulè & cum desiderio requiratur. Quando autem negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat ut petant? .... Petite ergo sine intermissione, sinè hæsitatione &c. dulcissimi istius Spiritûs præsentiam & auxilium invocate.*

Serm. 2. de S. Andrea.

TEXTVS & §. XXVIII.

Et ſanctam ejùs Operationem.

SVMMARIVM.

Quæ ſit Operatio Spiritûs, quam deſiderare ſuademur. Quantò animo exequendæ ſint operationes magnæ. Dum ſupra vires ſunt, compenſari poſſunt aliis poßibilibus. De paßivis Operationibus Spiritûs ſancti. Quòd ad eas ſe quilibet diſponere debeat. Quæ ſit ordinaria præparatio ad eximias illas Dei viſitationes.

UNum ex inhabitantis Spiritûs officiis, Pſalmiſta Regius Domino confitetur, dicens; *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* In gratiam animarum hunc ductum Spiritûs ſequi volentium noſter Seraphicus Bonaventura ſcrutatus eſt ingenioſè certa Æternitatis itinera, eaque demonſtravit clariſſimè in Libro quem inſcripſit: *De ſeptem itineribus Æternitatis*, quæ ſunt, æternorum recta intentio, æternorum ſtudioſa meditatio, limpida contemplatio, charitativa affectio, ſecreta revelatio, & experimentalis prægustatio. Quibus fuſiùs explicatis, ſic ſeptimum iter aggreditur: *Quid modo reſtat, niſi quòd ſpiritualis homo ingrediatur per Deiformem & meritoriam Operationem? Quidnam prædicta omnia valerent, ſi ea Deiformis Operatio non conſummaret? Non enim perfectum facit cognitio veritatis, niſi ſubſequatur habitus virtutis in operatione.* Iſtius igitur ſanctæ Operationis neceſſitatem explicat & obligationem, modum & multiplicitatem ſecundùm naturam corporalem & ſpiritualem: Deiformitatem, ad modum ordinum Angelicorum: Species, ſecundùm gradus perfectionelque virtutum: Ordinem ſervandum in activis, & deindè in contemplativis. Demùm, mutuatis verbis è Cantico Salomonis, attentam invitat animam: *Surge, propera amica mea, columba mea, ſpecioſa mea, & veni. Jam enim hyems tranſiit &c.* Ad eamdem nos invitat *Sanctam Spiritus Operationem* noſter ſanctiſſimus Patriarcha; ad Operationem, inquam, initiatam à Spiritu ſancto, ſed noſtra cooperatione conſummandam. Eodem nos invitat argumento, quo olim F. Bernardus Antichus ſeipſum jam nonagenarius excitabat: *Ferventer age, ne tempus breve creditum deſinat inane.* Eadem nobis inſtat brevitas temporis, & accurrit mors, omnia in cinerem reductura exceptis operibus bonis. Ille ignis mortis probabit, ſitne verè aurum, argentum & lapides pretioſi, quod congregavimus; an verò ligna, fœnum & ſtipulæ.

Pſal. 142. verſ. 10.

De ſeptimo itin. diſt. 1.

Cant 2. verſ. 10.

Annal. Tom. 5. an. 1422. num. 2.

Operarii ſtrenui quos conduxit Dominus & miſit in vineam ſuam, numquam deſides reperiri volunt & otioſi, ſed jugiter nocte dieque revolvunt, quomodo ampliùs placeant Deo, & ſatagunt magis ut per bona opera certam faciant vocationem ſuam & electionem. His optimum conſilium præbuit F. Michaël Magothi. Rogatus ille ab adoleſcentioribus, quânam capeſcendum eſſet profectionis iter? Reſpondit: *Filii, toto corde perficite, quod faciendum Deus primùm aperuit: mox plenâ fide replicate: Domine, quidquid faciendum docuiſti, feci: ſi vis ut ampliùs in opere progrediar, tu ipſe doceas, & paratus ſum exequi. Tunc ipſe, Doctor Doctorum, cæteris altiùs inſtruet.* Profunda ſanè Theologia, & idonea profectibus ſervorum Dei regula, ut pulſent, quærant humili corde, & inveniant.

Annal. Tom 3. an. 1334. num. 22.

Aliqui ad bonas voluntates interiùs incitari, ſed viribus deſtituti, ſuſpirant, optantque ut bonum quod vident in cæteris, & in quo ſibi complacent, exequi poſſint. Velle quidem adjacet illis, ſed proficere non inveniunt. Si verè non poſſint, per ætatem aut valetudinem, aut per factam eis prohibitionem, aliudve obſtaculum, illi ſe conſolentur in hoc, quod monuerit S. Pater N. Sanctam Domini operationem, ſaltem *deſiderare ſuper omnia.* Neque plus exigit Dominus, cujus oculi noſtrum vident imperfectum. Dum ei placuerit ipſe vires dabit, virtutem, & operationem. Quis novit, ſi non id agat ſingulari diſpenſatione ſuavi, ut bonæ voluntatis noſtræ ſacrificium offeramus, atque interim, dum nos nihil egiſſe reputabimus, in humilitatis præſidio mens noſtra & merita conſerventur? Placet ei quandoque magis concluſus in præcordiis fervor, qui per facta non poteſt erumpere, & circumſeptus eſt humilitate, quàm palam ſplendens flamma geſtorum, & fœtens admiſto alicujus ſulphure vanitatis, & in momento vento inanis gloriæ exſufflata.

Perplacet etiam urens deſiderium, in factis quibuſdam heroicis Domino ſerviendi; quorum præceſſerunt exempla in quibuſdam inſignioribus Dei ſervis; præſertim ſi talia ſint, quæ vel magnam habeant conjunctam abjectionem, vel carnis afflictionē, caſtigationemq; ſenſualitatis. Ea fuerunt deſideria martyriorū, contemptuum, jejuniorum, laborum in adjuvandis animabus, continuatum orationum, & obedientiarum difficilium pro gloria Dei. Quæ quidem conſideratâ deſiderantiū inhabilitate, aut contrariâ cœleſti providentiâ, erant impoſſibilia; attamen haud dubiè coram Deo pretioſæ fuerunt piæ iſtæ promptitudines voluntatū, ſuiſque dignæ coronis. Harum magnarum indicium voluntatum erat, dum compenſarent operibus aliis, quod ex primo inſtinctu fuerat inſpiratum, aut olim practicatum, pro quo

tunc

nunc vires minimè suppetunt. Ut sunt illi, qui consumptâ jam ætate in concionibus & corporalibus austeritatibus, dum senectus ea non permitteret amplius, orationis continuatione præterita exercitia compensabant; qui liquescentes pauperum peccatorumque compassione, cùm non possent eis per externa succurrere media, tum eorum apud Deum agebant efficaciâ suffragiorum. Ad quas suppletiones suggerendas & explendas, mirum quàm sit vigorosa Charitas & ingeniosa.

Præter vulgeres istas Spiritûs vehementias, quibus ad agendū animæ impelluntur, describuntur aliæ à Doctoribus mysticæ Theologiæ, quibus agi videntur potiùs quàm agere; suntque sancti Spiritûs operationes tam subtiles, mirabiles & insolitæ, ut meritò dicat Herpius noster, quòd *processus istos nemo comprehendere possit profunditate scientiæ, vel subtilitate intelligentiæ vel quibuslibet exercitationibus; sed solâ felicissimâ experientiâ, cui divina liberalitas hanc ipsam sua bonitate communicavit. Hæc est enim illa doctrina præcelsa, quam increata Sapientia sibi soli reservare voluit, ac dignè se præparantibus dumtaxat largissimè communicare.* Præparatio verò, modusque quærendi ejus intellectum, est, per virilem, indefessam & integram executionem eorum, quæ jam scimus Deo placere. Quòd autem hæc scientia mystica per libros minimè acquiratur, affirmat etiam expertissimus D. Bonaventura, qui enumeratis sex gradibus ad Dei fruitionem ascendendi; de septimo, qui excessus mentalis & mysticus est, in quo requies intellectui datur, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte, ait: *Hoc autem est mysticum & secretissimum, quod nemo novit, nisi qui accipit: nec accipit, nisi qui desiderat: nec desiderat, nisi quem ignis Spiritûs sancti medullitùs inflammat, quem Christus misit in terram. Quoniam igitur ad hoc nihil potest natura, modicum potest industria; parum est dandum inquisitioni, & multùm unctioni; parum est dandum linguæ, & plurimùm internæ lætitiæ: parum est dandum verbo & scripto, & totum Dei dono, scilicet Spiritui sancto: parum aut nihil dandum est creaturæ, & totum creatrici Essentiæ, Patri & Filio & Spiritui sancto.* Si ergo juxta hujus Magistri spiritualis mentem hæc dona non accipiuntur nisi desiderentur, hæc sit prima dispositio nostra, ut ad ea convertamus vim totam nostrorum desideriorum: non ad gratiam revelationum, Prophetiarum, miraculorum, raptuum & similium, quæ planè necessaria non sunt; imò & fortè nobis noxia forent; sed ad vehementioris amoris argumenta, in quibus semper sibi complacet Deus, majorq; reperitur certitudo salutis.

In Præfat. lib. 3. de Myst. Theolog.

Itiner. mentis in Deum c. 7.

Non de illis simus pusillanimibus & desidiosis, qui alta hæc desideria infamant nomine præsumptionis, & temeritatis, volentis ambulare in mirabilibus super se. Numquid præsumptio est appetere atque sperare ipsum lumen gloriæ, & deificationem centuplò intimiorem in æternitate? Cur non liceat hîc minorem desiderare, per quam ad illud gaudium Domini præparemur? Non est eodem pede metienda mundanorum honorum, divitiarumque ambitio, & cupiditas gratiarum. Neminem dedecet; sed à quacumque hominum conditione appeti potest eminentia gratiarum. Quis autem ad eam poterit decentiùs aspirare, quàm nos Religiosi, electi ut simus lux mundi; & quorum interest alios docere in his semitis, atque dirigere. Quòd si viribus propriis & humanis industriis hæc suaderemus acquirenda, meritò præsumptionis argueremur; nunc autem à Domino petenda dicimus, & expectanda. Ordinata quoque debent esse desideria; nec enim promittimus, quasi imparatos, atque in mediis adhuc jacentes immortificationibus, à Domino visitandos. Et hinc est, quòd plurimi vehementer desiderantes sanctam Spiritûs operationem, nondum perceperint: quia non se vivaciter exercuerunt in frequenter iteratis mortificationibus, seque ab immissis afflictionibus subduxerunt, inter amicos, recreationes, commoditates, libertates & ignavum otium: atque inde apparuit eos Spiritum Domini non *super omnia* desiderasse, quandoquidem ei quietem propriam, & temporalem aliquam præposuerint prosperitatem.

Nec etiam statim ad prima suspiria rorem illum cœlestem dicimus delapsurum: prout erroneè sperant impatientes & molliores aliqui spirituales, nondum intelligentes longanimitate delectari Deum; qui suos aliquando ad decem annos, aut viginti gemere sinit & expectare: tum ut veritatem exploret desideriorum; tum ut eâ dilatione crescere faciat: tum ut donorum suorū pretium meliùs notificet, quæ tam ardentes & longas postulent quæsitiones. Nostrum est interim ad fores divinæ benignitatis vigilare quotidiè, si fortè misericorditer aliquando vultum suum ostendat in ea claritate, prout ei beneplacitum fuerit, & cor nostrum in ea tangat parte, quæ medicâ ipsius manu ampliùs indiguerit. Interim verò, cum omni humilitate, in minoribus Domini nostri obsequiis, nos sedulos exhibeamus. Sic enim aliquibus suasit extaticus noster Ægidius: *Si facitis bona quæ nostis, etiam ad ea bona quæ non novistis pertingetis.* Idem cum universis contemplativæ vitæ magistris docet Bartholomæus Saluttius, *Paradisi Contempl. c. 13.*

Annal. Tom. 2. an 1261. num. 5.

Ejus rei experimentum, viderunt nostris temporibus, Fratres Conventûs Audomarensis, in F. Guilielmo du Crock. Ille cùm desoris ab humilitatis obedientiæque rediret operibus, genuflexus hærebat immobiliter ante summum altare, brachiis extentis ad unam aut alteram horam. Quæ, dum à fratribus vi ad naturalem dispositionem reflecterentur, illico, ad modum arcûs violenter curvati, ad extensionem & rectitudinem resiliebant. Conjiciamus quid interiùs sentiebat. Premebat quidem silentio suos sensus extaticos, stillabat tamen quandoque verbum unum, iam fervens atque devotum, ut non solùm æquales verùm & Provinciales, Patresque doctiores gauderent ab ore laici istius stillantem colligere monitionem. Alius quoque Laicus Provinciæ Flandriæ, F. Joan. Barnabæ, tam ebrius erat à Spiritu Domini in Deum abreptus, & in tantam immersus suavitatem, ut diceret quandoque Confessario suo, F. Petro Coppin, se tantam, in familiari cum Deo congressu, sentire dulcedinem, ut non majorem se experturum putaret in Paradiso. Fre-

quens est in Provinciis aliis usque hodie donorum similium experientia, replens totam Seraphici Ordinis domum, ita ut necesse non sit, antiquas aperire Sanctorum nostrorum apothecas, ad nos alliciendum, ut in odorem curramus unguentorum Sponsi. Sic nos disponamus, ut ipsi-met testes simus è nobil-met-ipsis, quòd *prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Psal. 144. vers. 18.

T E X T V S & S. XXIX.

Orare semper ad Deum.

S V M M A R I V M.

Orare ad Deum semper, non impossibile est, sed perfectum. Vel enim significat, semper debitis orare temporibus: vel non cessare ab Oratione, quoad illud quod petitur, impetretur: vel crebras ad Deum dirigere jaculatorias orationes: vel habere jugiter æternæ vitæ desiderium. Referuntur sparsim Viri sancti è Seraphico Ordine, qui modis prædictis semper oraverint.

Quod discipulos suos Dominus in Evangelio docuit, *quoniam oportet semper orare, & numquam deficere*, multùm difficile visum est immersis sæculo atque infirmioribus animabus. Eidem tamen sententiæ Salvatoris, insistens D. Paulus Apostolus scribit ad Thessalonicenses: *sinè intermissione orate;* & suis quoque sequacibus, Vir Apostolicus Franciscus, ut attendant *orare semper ad Deum.* Ostendamus igitur, quòd in illis verbis non impossibilia præscripserint, sed perfecta. Quod utique demonstratum erit, si adductis diversis eorum verborum Domini expositionibus, quas sancti Patres ediderunt, ostenderimus multos præclaros viros, illius Evangelicæ sententiæ doctrinam, ipso opere complevisse. (Lucæ 18. vers. 1. — 1. Thessal. 5. vers. 17.)

Primam interpretationem tradit Beda: illum *semper orare*, qui debitis temporibus semper orat, neque umquam certis temporibus precari desinit. *Quis*, inquit, *potest ita semper orare, & sinè intermissione precibus insistere, ut nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat; Aut ergo dicendum est, eum semper orare & non deficere, qui canonicis horis quotidiè, juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis, Dominum laudare & rogare non desistit. Aut certè omnia, quæ justus secundùm Deum gerit, & dicit, ad orationem esse reputanda.* Probari potest hæc interpretatio ex Actis Apostolorum, in quibus Cornelius Centurio dicitur fuisse Vir religiosus, & *deprecans Deum semper.* Cibum, somnumque capiebat Cornelius, negotiis aliis vacabat, multorum militum dux; orare tamen dicitur *semper*, quia omnibus diebus frequenter orabat. (Lucæ 18. — Actor. 10. vers. 2.)

Secundùm hanc expositionem apparet, quàm non sit difficile nobis Franciscanis *orare semper ad Deum.* Enimverò sapientissima Seraphici Ordinis providentia sic universa exercitia nostra disposuit, ut non sint nisi Oratio vel promoventia ad Orationem. Noctu divinum officium, disciplina, & recollectiones, ipsissima Oratio sunt. Matutina comparitio ad Capitulum coram Superiore, nos manuducit ad comparitionem coram Judice Deo, à quo est misericordia pro delictis nostris multiplicibus exoranda. Primæ officium, cæterarumque horarum, & Missæ Sacrificium, iterum Oratio sunt. Studium, quod subindè in schola vel cellis sequitur, quid aliud est nisi veritatis amandæ atque laudandæ conquisitio, & materia nomen Domini sanctificandi, si juxta formulam Doctoris nostri Seraphici studeamus, qui omnia quæcumque subtiliter cogitaret, aut ad scribendum pararet, ne doctrinis tepesceret Oratio, in formam vertebat modumque piæ precationis? Refectionis tempore, lectio mensalis instituta est ad mentis refectionem, quæ ibi haurire potest, unde sanctum pascat amorem. Pomeridianum colloquium, si de rebus sit religiosis (prout esse debet) ad Deum vehementiùs provehit, ipso sese inter pia simplicium colloquia insinuante. Prout *factum est, dum* duo discipuli in Emaus euntes *fabularentur & secum quærerent* de Jesu Nazareno, quòd *& ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.* Ipsa quandoque subsequens Recreatio corporalis, tametsi videatur animum dissipare, reddit tamen potiùs vegetiorem, dum humores abstergit melancholicos, gravedinemque aliquam, somno similé, quæ huic operi solet magno esse impedimento, excutit, alacritatē concitat, amori Dei bonisque operibus apprimè necessariam, dissipatque suaviter nubilum quoddam, quod inter silentiarios fratres facilè posset esse concretum. Reditur ad Vespertinas Dei laudes, ad iteratas recollectiones, & examen conscientiæ. Hinc subsecutus somnus, meditativis Religiosis, vivam repræsentat mortis imaginem. Sic fieri potest, ut omnis nostra diei totius Oratio & operatio, à Deo semper incipiat, & per ipsum cœpta finiatur. (Sadul. vita S. Bonav. c. 6. num. 9. — Lucæ 24. vers. 15.)

Secunda Interpretatio hujus loci est, illum dici *semper orare*, qui cùm aliquid à Deo petit, non abjicit animum, sed instat & pulsat, donec impetret. Hæc ex ipsa probatur parabolâ Viduæ, quam Salvator adducit, sic enim illa Judicem oravit semper, donec quod petebat est (Lucæ 18. vers. 1. &c.)

asse-

assecuta. Continuant aliqui orationis exercitia, quamdiu in illis spirituales gustantur dulcedines, & quædam quasi præambulæ delitiæ Paradisi; verùm, cùm eâ cœlesti annonâ subtractâ, illorum anima per molestam exerceri cœperit ariditatem, illico dimittunt devotionis opera, quæ fuerant alacriter auspicati. Aliter nos docuit Evangelicæ Parabolæ Vidua, quæ licèt haud suaviter & benevolè, ab eo, quem orabat Judice, exciperetur; perseveravit tamen, & impetravit. Quæsivit aliquis à B. Petro Pectinario, quid sibi cum tædio oranti, & consolationem nullam recipienti, esset faciendum? Respondit Petrus, in eâdem perseverandum: multoties enim Dominus consolationes in opportuniores differt horas; neque semper animæ expedit illas excipere, utiliùsque aliquando orationis præmiū differtur, quàm statim conferatur. Idipsum dicebat recitantibus cum tædio divinum officium, asserens illud ipsum tædium perseverantibus, & patienter ferentibus, potiùs in præmium, quàm in supplicium cessurum.

Annal. Tom. 1. an. 1289. num. 33.

Vult quandoque Dominus, earum subtractione consolationum, orantis animum explorare, an amore proprio ferveat, an divino. Vana devotio flaccescit eâ recreatione subtractâ, vera persistit in ipsa derelictione. Ad alliciendum offertur illa dulcedo, non ad satiandum; sicut F. Michaël Magothi per parabolam respondit cuidam, qui sæpiùs in vocatione ad orationem, Deo præveniente cor ejus dulcedinem sentiebat, quam mox orationi incumbens amittebat. *Frater*, inquit, *tibi nihil cogitanti & vacanti, per forum occurrit qui vinum vendat, ut emas invitat, & quàm sit pretiosum poculum propinat, ut magis ex sapore & colore ad emendum alliciat: ut probes, liberaliter invitat; ut emas, avarè vendit, & caro pretio. Ita Dominus Jesus te feriantem, & vagum nunc in lectione, nunc in concione, nunc occulta inspiratione, diligenter invitat, ut gustes quam suavis sit Dominus, cœlestis dulcedinis modicum cordis ori ingerit; sed transitorium hoc est, quod non ad ebrietatem aut satietatem, sed ad allectamentum offertur: unde si ampliùs expetas, vendibile est, & oportet ut emas, sed carè; quia dulcedo spiritualis, nonnisi afflictione corporis, & requies labore comparatur.* Certè donum Dei est, multâ expectandum longanimitate, & labore quærendum.

Annal. Tom. 3. an. 1334. num. 52.

Non igitur ex ejus subtractione tepescat animus: quin potiùs ampliùs accendatur, ab experientia propriæ paupertatis; clametque fortiùs, ut ei reddatur lætitia salutaris sui. Quòd si renuntiet ac improperet conscientia, in vindictam delicti cujuspiam, aut negligentiæ, sive complacentiæ vanæ, aut iracundiæ subitæ, vel nimis facilis extroversionis subtractam esse gratiam, non ideo fugiat sicut Cain à facie Domini; sed duplicatis & centuplicatis gemitibus, indignatum revocet Sponsum, pulset ad ostium, & orationem redintegret humilitatis amaritudine, donec vehementis amoris dulcedine refocilletur. Vel potiùs quâcumque se visitatione reputet indignum, quemadmodum humilis Franciscus suos instruebat familiares, dicens. *Quando servus Dei orans visitatur divinitùs, dicere debet: Istam consolationem, mihi peccatori & indigno, de cœlo misisti Domine: & ego illam tua committo custodia, quia thesauri tui me sentio esse latronem.* Hanc doctrinam B. Jacoponus cum stupenda practicavit humilitate. Reperiens enim in cella sua Christum, ingenti lumine circumfusum, dixit ei; *Foràs Christe.* Cui Dominus: *Veni, intra Fili.* Et ille: *Non intrabo*, inquit, *nisi exieris.* Haud enim se tali judicabat dignum solatio; eâque humilitate dignior factus est.

Vide S. Franc. cap. 10. num. 4.

Alterum orationis continuandæ impedimentum esse posset, malignus Sathan; tum per interiores tentationes, tum per molestias exteriores. Qualiter nos in iis geramus, instruimur exemplis fortibus aliquorum nostri Ordinis athletarum. Ipse Seraphicæ militiæ ductor Franciscus, cùm dæmonum pugnas horribiles frequenter sustineret; qui nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare, armis munitus cœlestibus, quantò vehementiùs impetebatur ab hostibus, tantò fortior in virtute, & ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Christum: *Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Ad dæmones autem: Facite quidquid in me valetis, maligni spiritus & fallaces, non enim potestis, nisi quantùm vos manus superna relaxat: & ego ad perferendum omnia, quæ infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes, abscedebant confusi. F. quoque Clemens Tuscus, Vir eximiæ sanctitatis, plurimas hostis maligni pugnas visibiles & insectationes patienter toleravit. Semel de nocte in oratione positus, dum genuflexionibus crebrò insisteret, ad singulas malignus hostis in maxilla cedebat. Similes patiebatur molestias F. Franciscus à Zamorra, & alii, quas tamen forti constantiâ, in cœpto pietatis opere perseverantes, superârunt. Hos itaque sic æmulemur, ut neque propter cœlestium subtractionem suavitatum, neque propter infernalium ingruentiam vexationum, impediamur *orare semper ad Deum*, ut inveniamur non esse de illis, de quibus scripsit Ecclesiasticus: *Est amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Et: *Est amicus socius mensa, & non permanebit in die necessitatis.*

Vita c. 10. num. 2.

Psal. 16. vers. 8.

Annal. Tom. 1. an. 1241. num. 10.

Martyrol. Francisc. ad 11. Maji

Eccl. 6. vers. 8. Vers. 10.

Tertiò, D. Chrysostomus in Homilia de fide Annæ, cum existimat *sinè intermissione orare*, qui crebras ex intervallis precationes Deo offert. *Christus*, inquit, *& Paulus jussit breves, sed crebras fieri precationes ex paucis intervallis. Nam si in longum extenderis verba, cùm frequenter parùm sis attentus, multam audaciam diabolo suppeditasti, ut accedat supplantetque, ac mentem ab iis quæ dicuntur, avocet. Quòd si frequenter, ac subindè oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facilè poteris esse sobrius ac vigilans, ut precationem multa cum attentione perficias &c.* Hinc est illud S. Augustini, quòd Fratres in Ægypto dicantur crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio &c. Qui ergo longiori orationi destinata habet tempora, præterea verò

In Epist. 121. ad Probam.

totâ die crebris Deum orationibus precatur, is semper orare dicetur. Hoc quoque modo nos convenit *orare semper ad Deum*, ut in cunctis actionibus nostris, extra divini tempus officii, aspirationes aliquas & orationes jaculatorias interseramus, quæ sunt veluti gemmæ, opus nostrum exornantes, & velut argentum, quo murenulæ aureæ bonorum operum vermiculantur.

[*Homil. de Martyre Julitta.*] Hanc praxim olim suasit D. Basilius: *Accumbens*, inquit, *mensæ, ora: esitans panem, largitori gratiam rependito..... Tunicam indueris? gratias age benigno datori; amiceris pallio? fac ut te augescat interior erga Deum charitas, qui integumenta gratuitò largitus est &c.* Exercuit eam praxim modo perfectissimo F. Bartholomæus Salutius, dirigens ad Deum frequentissimè septem amorosissima suspiria, O Jesu *tibi offero*. O Domine *à te peto*. O Domine & Pater benignissime *gratias tibi ago*. O Domine *te laudo*. O Domine *transforma me totum in te*. O Domine *unis me tecum inseparabiliter. O Deus meus & omnia.* Et postquam explicavit Deo, quæ volet per horum desideriorum unumquodque significari, pergit exprimere ferventissimam voluntatem, hæc suspiria, velut ignita quædam jacula, ad Dominum frequentissimè dirigendi, concludens his verbis: *Quoniam dum vivo numquam respirare, id est, anhelitum emittere & attrahere cessabo: quotiescumque halitum emisero, intendo totis viribus, toto corde & totâ efficaciâ Tibi Offerre, Tibi Gratias agere, Te Laudare, ut in Superioribus Suspiriis scriptum est. Quotiescumque verò halitum attraxero, intendo petere illa quæ in secundo Suspirio continentur: & perfectam tecum Conformitatem & Unionem postulare, uti in quinto & sexto Suspirio dixi.*

[*Lux Animæ p. 2. c. 6*] Alibi nobis idem B. Bartholomæus consilium suggerit, ut diebus singulis unâ consistentâ horâ aliquem eligamus articulum vitæ vel Passionis Christi, sub quo totis viginti quatuor horis Deum nobis præsentem semper aspiciamus, atque omnia quæ agimus, dicimus, vel cogitamus, ad eum ore vel cogitatione referamus & offeramus: & si quando evagetur imaginatio, suaviter ad propositam speciem reducatur. Ne quis autem id lentè & oscitanter exequatur, meminerit omni die homines universos in aliquo detineri opere, idque seriò: alii detinentur in pecoribus pascendis, alii in agricultura, alii in vestimentis, vel calceamentis consarciendis: alii in fabrilibus, textrinâ, studiis, venationibus occupantur: & erubescat Vir religiosus, se, quoad exercitia spiritûs, ab iis superari, qui in sordidis aut vanis corporis exercitiis animo & corpore per dies integros fatigantur, & perseverant nihilominùs in iisdem.

Hæc & similia perpendentes alii viri verè spirituales ex Ordine nostro, ita continui erant in dirigendis ad Dilectum animæ suæ jaculatoriis orationibus, ut nedum diebus, verùm & noctibus, quoad fieri potest, eisdem incessanter intenderent: atque ea de causa conatibus magnis oppugnârunt inclinationem dormiendi, ut superessent moræ longiores orandi. [*Chron. p. 3. l. 7. cap. 17.*] F. Vitalis superiùs sibi crines alligabat ad trabem, ut dum contingeret dormitare, caputque collabesceret, hoc excitaretur dolore. [*Ibid. c. 18.*] F. Petrus de Travanda hanc sibi mensuram imposuerat, ut nonnisi duabus dormiret horis: quam ne transgredi contingeret, numquam jacens dormire voluit. Eundem servavit rigorem B. Petrus de Alcantara, qui nonnisi sedens aut genuflexus somnum corpori indulgebat. B. Bernardus à Quinta-Valle, sancti Patris nostri [*Annal. Tom. 1. an. 1241. num. 8.*] primogenitus, eam consuetudinem adeò constanter servavit, quòd ne quidem in ultima infirmitate jacere voluerit, sed vel in lecto sedens, aut vix inclinatus, exitum, securus & vigil in Oratione positus, expectavit: à qua, sicut alter Martinus, indefessum spiritum numquam laxabat. Quòd si intercurrente somno, & humorum impellente motu, elevatæ intentionis quies interrumpebatur, aut aliorum phantasmatum tactu, mens aliò vel minimùm à suo Creatore digrediebatur, statim in se reversus, concusso capite seipsum reprehendebat, dicens: *Cur sic cogitavi?* Atque ut aliquid de nostratibus & recentioribus adjungamus, pientissimus ille Pater Bartholomæus à Middelburgo Vir Spiritu Prophetiæ collustratus, lecto, culcitræ cervicalibus numquam indormivit; sed operiens caput pallio geniculabat, totus immersus divinis meditationibus. Exhausto corpusculo nonnihil brevi somno recreato, perpetuus in oratione ac pietatis operibus. Talis perseveravit ad ætatis annum septuagesimum nonum. Hæc ex Sedulio (qui virum vidit & novit) in M. S. Historia Provinciæ Germaniæ inferioris.

[*Epist. 121. ad Probam cap. 9.*] Quartò, D. Augustinus respondit illum *semper orare*, qui semper vitam beatam & æternam desiderat. *Quod*, inquit, *ait Apostolus* 1. *Thessal.* 5. Sinè intermissione orare, *quid est aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc à Deo desideremus, & oramus semper &c.* Ut iste igniculus divini desiderii in nostris possit cordibus congregari, docet Seraphicus Bonaventura necessariam esse reductionem affectionis ab omni amore creaturæ; *quoniam*, inquit, *amor creaturæ non proficit: & si proficit, non reficit: & si reficit, non sufficit.* [*Incendii Amoris cap. 1.*] Deinde inflammandus est, ait, ex conversione affectionis super amorem Sponsi, & in eum solum totis viribus sublevandus. Materiam copiosissimam tractandorum cum Deo in oratione, tradit idem Amoris divini excellentissimus Magister, in illo eodem Opusculo quod *Incendium amoris* intitulavit, diversificans hoc opus Orationis per modos varios: atque rudiores, perfectiores & perfectissimos manu ducit ad Sapientiam, quæ est merus Orationis actus: in qua dirigitur perfectè Ratio ad sciendum, Synderesis ad sententiandum, Conscientia ad testificandum, sibique applicandum materias cum Deo tractatas; & tandem Voluntas ad eligendum & amplectendum quod bonum, justum & sanctum est. Easque materias tractandas proposuit, 1. per Meditationem, 2. per Orationem, 3. per Contemplationem. Quæ omnia, cùm in illo divino Opusculo persequatur pulcherrimo ordine, mirabili artificio, & clarâ brevitate, ibi videantur.

Modum

Vita c. 10. num. 1. Modum hunc *orandi semper ad Deum*, ipso facti exemplo nos docuit S. P. N. Franciscus. Sentiens quippe se corpore peregrinum à Domino, cùm jam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset iosensibilis factus; ne foret absque consolatione Dilecti, sinè intermissione orans, spiritom Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum superuarum circuitu mansionum, Angelorum concivis jam factus, ferventi desiderio quærebat Dilectum, à quo solus eum carnis paries disjungebat. Sulpcodebatur multories tanto contemplationia excessu, ut supra semetipsum raptus, & ultra humanum sensum aliqoid sentiens, quid ageretur circa se exteriùs, ignoraret. Beatus item Joannes Lucensis in tytocinii fervore adeò fuit in Deum transformatus & absorptus, ut nihil Annal. Tom. 6. an. 1272. num. 40. humanum seotire aut operari videretur. Horis duodecim cœlestia contemplatus mysteria, interrogatus quomodo potuerit tamdiu immobilis hærere? respondit: *animam Deo hærentem nullatenus sentire corporis incommoda, magisque esse ubi amat, quàm ubi animat.* Idem meAnnal. Tom. 4. an. 1376. num. 20. rità dicere poterit F. Matthæus Sanctorzacius laicus, qoi noctes plurimas sub dio ducebat iosomnes in oratione Dei, nive aliquando, io muri modum, undique circumdatus & tectus, intactus & illæsus intrà nivium ambitum, veluti si io sacello deprecaretur.

Tales viri Dei, sic à mundanorum sensu elongati, non mirom, si continuò Seraphicis desideriorum ardoribus sursùm agebantur in Deum, & eorum aliqui tanto æstuarent amoris incendio, ut etiam flammæ in corporibos exAnnal. Tom. 5. an. 1448. num. 10. teriùs apparerent. B. Petrus de Regalada, eo orabat fervore, ut totus igniret. Sæpissimè viderunt consodales igneo circumdatum splendore, & à terra elevatum multis horis immobilem. Viderant aliquando oppidani iotempestâ nocte domum in qua orabat igne undique accensam, accurreruntqoe celeriter extincturi. Excitatis magno strepitu Fratribus, compererunt incendium totum ex Petri orantis pectore prodiisse, atque illic ortum, summum ædis fastigium superasse. Quod etiam circa eomdem Uxamensis Episcopus observavit, & flammas quæ à Sacra hac fornace in cœlum tendebant, eò reverti vidit unde erant emissæ. Simile refertur in Ordinis nostri An- An. 1368. num. 10. oalibus de B. Paulutio. Is ei semel fuit orationis fervor, ot tota turris, in qua orationi vacabat, ignita videretur, superante verticem flammâ copiosâ. Accurrit populus ignem exincturos, sed nullum reperit præter Paulutium toto corpore æstoantem, mirabili hoc igne circumseptum. In monasterio item Salmantino nocte Annal. Tom. 2. an. 1272. num. 33. ferventer orantibus duobus fratribus laicis pietate commendatis, apparuerunt super Ecclesiam & sacellum majus ingeotes flammæ igneæ. Accurreruot quidam fratribus auxiliaturi ot ignem extinguerent; quos dum magno strepitu & festinatione expergefacerent, io Ecclesiam admissi iuvenerunt medio in aëre hærentes viros sanctissimos; atque ex eorumdem pectoribus flammas illas tectum penetraotes prorupisse.

Isto fervore Seraphico, deliciisque cœlestibus, obrutus dictus Paulutius Fulginas, dum in quadam turri reclusus esset à suo consanguineo Fulginei Domino, ut persequentium declinaret molestias, & suas Domino commendaret afflictiooes, tantâ repletus est coosolatione, & divinæ gratiæ augmeoto, ut vehementer clamaret: *Satìs est Domine, satìs est.* Exta- Annal. Tom. 4. an. 1390. num. 6. ticus quoque F. Rogerius, deficiens præ vehemeotia spiritûs, ibat repetens magno cum singultu: *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Coron. p. 2. l. 4. c. 50. Causam interrogatus hujus querelæ, respondit: Psalm. 30. *Nonne infirmata est vehementer virtus animæ meæ, quæ non potest ulteriùs sustinere Deum meum? qui dum intimè se mihi communicat, & nimiâ replet dulcedine, cogit exclamare: Domine recede à me, quia non possum tuæ suavitatis abundantiam sustinere.*

TEXTVS & §. XXX.

Puro corde.

SVMMARIVM.

Oratio labiorum dumtaxat, pharisaica est; Christus Dominus cordis requirit Orationem, & puri cordis. Ad hoc in primis necessaria est commissorum peccatorum confessio. Deinde & cogitationum malarum, & contaminativorum affectuum, qui enumerantur. Generalis modus ostenditur cor mundum conservandi.

PHarisæi, bonæ virtutis mali pictores, externam quandam justitiæ imaginem depingebant, de corde parum solliciti eraot. Externum pingebant vultum, exterminantes facies Matth. 15. vers. 8. suas. Pingebant item os & labia: *Populus hic,* ait Dominus, *labiis me honorat.* Cor autem parùm curabant: *Cor,* ioquit, *eorum longè est à me.* Gratiæ prioceps & auctor Christus, pulcherrimæ justitiæ & beatitudiois pulcherrimus pictor, non externam solùm virtutis effigiem: sed

sed internam quoque medullam & cor, divinis verbis præscribit, dicens: *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patem in spiritu & veritate.* Non secundùm faciem dumtaxat, & labiorum honore, & externo solùm corporis obsequio; sed in veritate, mundi cordis & spiritûs sacrificio. Nam tales adoratores requirit Deus, sicut scriptum est: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem*, ejusque familiari colloquio dignus habebitur. Hoc probè cognoscens Vir Dei Franciscus, cum filios suos hortaretur, orare semper ad Deum; illicò modum subjungens, quem sciebat à Deo in adoratoribus desiderari, dixit: *puro corde.* Etsi verò sit opus Dei, cor mundum in nobis creare, & spiritum rectum in nostris visceribus innovare; vult tamen ut præparatoriis cooperemur gratiis, quas se daturum liberaliter repromisit.

Joan. 4. vers. 23.

Prov. 22. vers. 11.

Primò, Cùm peccata jam admissa intolerabiliter maculent animam, turpem, fœtidam, & abominabilem, & sibi-metipsi odiosam efficiant, quæ latent adhuc nondum ejecta per sacramentalem confessionem, si puritatem amamus, nos statim curabimus emundare. Quin imò, tametsi solùm venialia sint, minimè patiemur nos vel ad momentum conspersos his pulveribus inveniri, ne quid minimum sit, quod possit oculis Sponsi purissimi displicere. Mirum est, quantùm aliqui timuerint has maculas, quantoque studio nitorem conscientiæ procurârint. S. Ludovicus, Missarum solemnius numquam voluit interesse, nisi peccata confessus. Et Sacerdos factus, ferè quotidie confessione præmissâ operari divinis non intermittebat. B. Rogerius perfectissimâ contritione & intensissimo cordis dolore obtinuit à Domino plenariam omnium peccatorum remissionem. Confitebatur tamen sæpissimè, idque magnâ cordis amaritudine, septies vel octies die uno: & quinquies in anno generaliter omnes recensebat reatus, ea diligentia & claritate, ut inordinatos quosque motus mentis & corporis, exprimeret perfectè. Sæpiùs audivit eum suus confessarius hæc verba promentem: *Tantâ curâ vitarem veniale minimum, quâ mortale maximum peccatum.* Ea sanè perfectorum virorum conditio est, ut vel in minimis, Deum quem summè diligunt, offendere perhorrescant, & quidcumque potiùs pati velint, quàm peccatum aliquod perpetrare. Quibus meritò Subtilem Magistrum nostri Ordinis possumus annumerare, qui ex generoso Dei amore tantum peccatis bellum indixit, ut præclarè scripserit, non id curandum quòd creatura, sed quòd Deus offendatur; quod ne committatur, eligendum potiùs putat in nihilum reduci, idque propter sincerum Dei amorem, non propter pœnas gehennæ fugiendas. Nobilis sanè doctrina & charitatis excellentissimæ argumentum, velle potiùs non esse, quàm Deo offenso superesse.

Sedul. in vita cap. 6

Annal. Tom. 2. an. 1287. num. 9.

Scotus in 4. dist. 50. quæst. 2. num. 9.

Hæc prima munditia à peccatis, & ab affectibus peccatorum, iam est necessaria ad exercitium orationis, ut nonnisi mera sit impudentia, se divinis ingerere congressibus, haud expurgatâ mente; vel nisi ad eam expurgandam, per lamenta & humiliationes, suam coram Deo quis instituat orationem. Alioquin illotis manibus & affectibus niti ad amplexus Sponsi, eum fugare est, non allicere. Propter quod Apostolus scripsit: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* Et ea res, viros eximiè deditos pietati, multùm sæpè sollicitos reddidit, de suorum remissione peccatorum. De B. Christophoro S. Patris Francisci socio, refert D. Antoninus, quòd juvenculum quemdam fratrem sub se habebat, moribus erudiendum, Petrum nomine, qui præ sui maxima puritate merebatur videre columbam candidam, quæ sæpè super celebrantis Christophori caput sedebat; itemque Angelum sui Custodem conspicere frequenter, & alloqui. Hic autem Christophorus, considerans quod Scriptura dicit *de propitiato peccato noli esse sine metu*, etsi quotidie pro commissis lugeret, metuebat tamen ne fortè adhuc de eis veniam consecutus non fuisset: ideoque prædicto suasit adolescentulo, angelico Petro, cujus perfectionem noverat, & allocutionem ejus cum Angelo, ut de statu ejus aliquando requireret. Quod cùm Petrus ille implesset, blando sermone respondit Angelus: *Non timeat Christophorus de commissis; sed de bonis inchoatis fidelis sit usque ad mortem, & recipiet coronam vitæ.* Cùm F. Sanctus à Ripa, in profundis B. Mariæ dolotibus contemplandis absorptus esset, eamque per dolores eosdem precaretur, ut ipsi cordis munditiam conferret, apparuit ei pia Mater, interrogans quid tantâ instantiâ postularet? dixit: *O Virgo Virginum, cordis puritatem.* Tum ipsa ad pectus ejus appositâ manu, dixit: *Accipe puritatem istam.*

1. Tim. 2. vers. 8.

Hist. part. 3. tit. 24. §. 13.

Eccl. 5. vers. 5.

Chron. p. 4. lib. 10. c. 18.

Secundò, Eadem sollicitudo urget omnea Deum timentes, & ejus ambientes familiaritatem, ut cùm pro remissione præteritorum pro posse laboraverint; ab affectibus quoque, imò & ab ipsis caveant cogitationibus, quæ ad peccatum quodcumque, vel minimum pellicere videntur. Perpetim eorum auribus imminet ea feria commonitio: *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Cùm enim Salvator ipse docuerit, quod de corde exeant cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes &c. curant cor ipsum, harum cogitationum fontem, mundare, unde solebat abominabilis peccatorum sanies emanare; ut ipsum sanatum, nonnisi cœlestes sanctasque pariat cogitationes, & per cogitationes, sanctas etiam operationes.

Jerem. 4. vers. 14.

Matth. 15.

A quibus autem affectibus & impuritatibus lavandum sit cor, latè declaravit Barthol. Salutius, integro Libello qui *Lux animæ* dicitur. Ubi inter alia pro impuritatibus numerantur, Affectio inordinata ad res sensuales, quæ quinque sensibus percipiuntur. Timor nimius pœnarum infernalium, destitutus spe in Deum, & resignatione ad divinam justitiam peccatores castigantem. Inquietudo & impatientia cordis ob res minimas & contradictiones. Curiositas sciendi nova, & habendi rara & pulchra, & ut ad mentem nostram omnia disponantur. Distractio cordis, quod permittimus liberè ubique ad præterita, præsentia, & futura quæ-

Salutius.

quælibet evagari. Delectatio cogitationum, intellectualium speculationum, & conceptuum subtilium, sinè ab inventione propria, sive è libris collectorum. Recreationes nimiùm effusæ, frequentes & sæculares, risusque dissoluti. Nimia confidentia in propriis inventionibus, propositis & sapientiâ. Pusillanimitas diffidens evincere peccata, aut aggredi opera bona, etiam ardua. Metus nimius spectatorum. Scrupulositas turbulenta & pertinax. Desiderium sive complacentia dulcedinum spiritualium, visionum, similiumque donorum, quæ nec ab amore Dei formaliter oriuntur, nec continent eum, & imprudentioribus possunt esse periculo. Has maculas explicat fusiùs, modosque apponit singulas eluendi.

Nonnemo forsitan existimasset horum aliqua non posse cor ullatenus maculare: attamen qui ad jugem adspirârunt orationem, suô damno senserunt, quantùm hi pulveres mentis oculum impedirent, quàmque molestè inter Deum & animam interponerent, ne possent eò in plena frui pace ac libertate. Quòd si ad corporales figuras in speculo vel oculo recipiendas impedit lutum adhærens, imò & solus vapor leviter afflatus; non minùs intellectum impediunt hæ maculæ ad suscipiendum formas intellectuales: præsertim spiritualissimas illas, quæ divinitatem aliaque objecta spiritualia repræsentant. Multò magis impediunt vim amativam, ea bona inferiora; hæc enim quia viciniora videntur, cor afficiunt, occupant & deprimunt sensum multa cogitantem. Quâ infidelitate Sponsus offensus recedit, & in miseris illis electitiis, stultam deserit animam, velut suis indignam amoribus. Cor nostrum est veluti vas pretiosum recondendis cœlestibus aromatibus præparatum. Quod si stercoribus, aut terrâ solâ repletum inveniat, quomodo suos in illud infundet liquores? Imò si pravum dumtaxat odorem contraxerit, quo posset infici balsami spiritualis gustus atque suavitas, ne speres quòd sapiens Sponsus electuaria sua pretiosa in cor immittet infectum. Multùm illustris Deoque amabilis sponsa erat B. Clara de Montefalco, cujus corpus etiamnum integrum perseverat: nulla etiam videtur esse posse noxia levior quàm aliqua complacentia vana. Hanc tamen ita graviter accepit Deus, ut sanctæ isti animæ, per annos quindecim solitum subtraxerit influxum divinæ dulcedinis, aut spiritualis illuminationis, nec priùs ad ipsum, etiam per lacrymas multas atque labores, redire potuerit.

Herpius lib. 2. de myst. theol. cap. 8. Salut. Lux animæ cap. 12.

Tertiò, Qui veraciter hanc ambiunt puritatem, eâ utantur generali Methodo, quam Seraphicus Patriarcha præscripsit iis practicandam, qui verè mundi corde sunt. *Vere mundo corde sunt*, inquit, *qui terrena despiciunt, & cælestia quærunt; & semper adorare & videre Dominum Deum vivum & verum, mundo corde & animo non desistunt.* Adhærentes enim purificatori mentium, atque ipsi puritati, & conversantes in cœlis ipsis, ubi nihil ingreditur inquinatum, fit ut impolluti ac nitidi perseverent. Quòd si tantopere corporalem quærimus nitorem, eumque amamus, etiam in domibus, vestibus, utensilibus, & personis omnibus quibuscum conversamur; cur non eumdem curiositate meliori pro animæ nostræ facie procuremus? Certè *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Præclara sanè retributio, quæ vehementem mereatur conatum prosecutionis, & quam viri sancti magnis instantiis postulârunt. Moyses ait: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te.* Alius item: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Tribus Apostolis radius unus Christi gloriæ ostensus est, & sic abrepta est mens eorum, ut peterent in monte tabernacula figere, & numquam deinceps ad mundi inferiora descendere. Quibusdam in visione, benedicta Jesu facies apparuit, cujus imago sic menti mansit impressa, ut nullo umquam tempore potuerit eradi; quemadmodum beato accidit Rogerio. Totis igitur viribus animæ contendamus ad cordis puritatem, sinè qua nemo videbit Deum.

Opusc. Tom. 1. admonit. 16.
Matth. 5. vers. 8.
Exodi 33. vers. 13.
Joan. 14. vers. 9.
Matth. 17. vers. 4.

TEXTUS & §. XXXI.

Et habere Humilitatem & Patientiam in persecutione.

SUMMARIUM.

Aureum B. Ægidii dictum de Patientia. Nulla virtus probata est, & perfecta censetur, nisi per Patientiam in persecutione. Sicut ex superbia ortum habet impatientia, sic Patientia ex Humilitate, quæ cunctas persecutionum amaritudines, efficit dulces. Quid agas, ex doctrina D. Bonaventuræ, cùm in te maledicus insurgit, sive detractor. Persecutionem patiens, quantùm fortificetur consideratione Christi passionum. In tolerandis persecutionibus simus Martyrum imitatores. Patientia Fratris Tentialbene, & quanti hunc B. Juniperus æstimaverit. Leves confratrum morositates toleranda patienter.

FRater quidam aliquando percunctatus eſt ex B. Ægidlo, quid faciendum eſſet ſi multæ afflictiones ipſis acciderent ? Accepit autem ejuſmodi ab ipſo reſponſum : *Etiamſi Deus à cœlo lapides & ſilices plueret ; non poſſent tamen officere nobis, ſi tales eſſemus, quales eſſe deberemus.* (Surius ad 23. Aprilis) Sanè in divinæ Sapientiæ conſiſtorio decretum eſt, quoniam *omnes qui volunt piè vivere in Christo Jeſu, perſecutionem patientur.* (2. Tim. 3. verſ. 12.) Quod non ſolùm prædixit Apoſtolus, ob immanes illas crudelitates, in Chriſtianos primitivos ſuſcitatas; ſed propter odium implacabile Sathanæ in eoſdem; cui etiamſi deſint aliquando tyranni, ejus crudelitatis miniſtri, numquam tamen deſunt vel è Chriſtianis ipſis falſi fratres, qui ei in ſua ſubſerviant malevolentia. Quid igitur remedii, ut ingruentes moleſtiæ nobis non poſſint officere ? *ut tales ſimus*, inquit Ægidius, *quales eſſe deberemus*, ſcilicet humiles, patientes, in divinis circa nos diſpoſitionibus reſignati. Tunc nulla electis Dei nocebit adverſitas, cùm nulla dominabitur iniquitas ; ſed *in paucis vexati, in multis bene diſponentur*, quoniam Deus tentat illos, ut inveniat poſſit dignos ſe, (Sap. 3. verſ. 5.) dignos ſuo diſcipulatu, dignos Apoſtolico officio, bene patientes ut annuntient, dignos ſui ſocietate triumphi; quibus dicere poſſit : *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum &c.* (Lucæ 22. verſ. 28.)

Neque ſolùm perſecutionibus illis fidem noſtram explorat Deus, ſed charitatis quoque fidelitatem & veritatem, obedientiam, juſtitiam, pœnitentiam, humilitatem &c. quæ non debent credi eſſe veræ virtutes, niſi per inſignem probatæ ſint Patientiam, B. Jacobo dicente : *Patientia opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* (Jacob. 1. verſ. 4.) Reliquæ virtutes ſuſpectæ ſunt, ſi deſtitutæ ſint Patientiâ : nondum perfecti Religioſi ſumus & integri, ſi ſumus impatientes, ſignum enim eſt, quòd ſimus in aliquo deficientes. Ideoque ſeraphicæ noſtræ Regulæ Promulgator, non ſatìs eſſe duxit diſcipulis ſuis ſanctam commendare paupertatem, obedientiam, caſtitatem, concionandi fervorem & aſſiduitatem, ſtudium continuum orationis &c. niſi quoque curarent, *habere Humilitatem & Patientiam in perſecutione.* Sinè his, neque veſtimentorum æſtimat vilitatem, neque gratiam contemplationis, neque diſciplinas & rigoroſa jejunia, neque frigorum niviumque tolerantiam ; prout ipſe in *Opuſculo de perfecta lætitia* ſignificavit apertè ; quod nos alibi latiùs allegavimus.

Hinc judicemus, dum perſecutionem à quibuſdam patimur Eccleſiaſticis, qui de veritate religioſitatis noſtræ nolunt meliùs judicare, ideoque nos in minori habent reſpectu, & ſuos nobis favores ſubtrahunt, qualiter nos debeamus humiliare. Dum contradictionem patimur à Magiſtratibus ſæcularibus, in privilegiis & exemptionibus, in noſtrorum proſecutione negotiorum, aliquando etiam infamando, & modis aliis juſtè vel injuſtè gravando. Item, dum confratres aut Superiores invenimus, aut ſaltem imaginamur, erga nos minùs eſſe benevolos, vel aliquid in noſtram moliri confuſionem. In his, inquam, caſibus, verè exiſtentis vel apprehenſæ perſecutionis, meminerimus quòd moneat nos S. Pater & exhortetur in Domino Jeſu Chriſto, ut attendamus quòd ſuper omnia deſiderare debemus *habere Humilitatem & Patientiam.* Primùm quidem *Humilitatem* : quia, ut ait D. Bonaventura, (Expoſ. in Reg. hoc loco.) fundamentum eſt Patientiæ, ſicut è contrariò Superbia eſt fundamentum Impatientiæ ; unde *inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt.* (Prov. 13. verſ. 10.) Siquidem ad primos ventos alicujus adverſitatis, videmus ejuſmodi homines ex inſtinctu Superbiæ judicare ſe illam non meruiſſe ; vel ſi meruerint, non debuiſſe moleſtiam illam tam injurioſè inferri & confuſibiliter, habendamque fuiſſe rationem bonorum multorum, quorum intuitu ſecum oportuiſſet diſſimulari. Unde hæc interna litigia, propriæque patrocinia iniquitatis, niſi à Superbia ?

Aliter in occaſionibus ejuſmodi dictat Humilitas, ad pacis internæ compoſitionem : ſtatim enim ſibiipſi ſuaviter inſuſurrat : *Nos digna factis recipimus* ; imò nec ſatìs atrocia, nec multa ; cùm omnis creatura deberet armari contra te inſenſatum, ad tuorum ultionem peccatorum. Hoc rectè perpendens B. Ægidius, dicebat : *Si agnoſcis te offendiſſe Deum Creatorem tuum, fatearis etiam dignum te eſſe, quem creatura omnes perſequantur, ulciſcanturque injurias à te illatas Domino tuo.* (Apud Surium loco cit.) Hunc ſenſum Humilitatis in animum ſuum profundè demiſerat inſignis illa pœnitens Margarita Cortonenſis, quæ in ſuo fervore juſtitiæ, non ſe potuit continere, quin è domo prorumpens, Cortonenſes altâ voce compellaret : *Surgite boni viri, & fideles hujus urbis cuſtodes. Ut quid inter vos permittitis commorari feminarum omnium ſceleratiſſimam ? Abjicite, procul facite mulierum impudentiſſimam, quæ tot impudicitiis & nequitiis ſemet involvit. Abigite, lapidibus obruite, quæ mundum ſcandalis replevit. Illa ego peccatrix in civitate, quæ tot peccata commiſi.* (Annal. Tom. 2. an. 1277. num. 17.) Si hoc ſpiritu Humilitatis animata fuerit Patientia, facilè vincet omnia ; nec erit aliqua tam amara moleſtia, quæ non illius condimento dulcorabitur. Unde S. Antonius Paduanus exclamat : *O ſtella maris ! O Humilitas cordis ! quæ mare amarum & horridum convertis in lac dulce & jucundum. O quàm dulcis amaritudo, quàm levis tribulatio quam electi ſuſtinent pro nomine Chriſti ! Lapides Stephano, craticula Laurentio, carbones ignis Vincentio dulces fuerunt. Inundationes maris quaſi lac pro Chriſto ſuxerunt.* (Serm. Domin. infra Oct. Nativ.) In quo verbo *ſuxerunt*, notat impotiari aviditatem cum delectatione ; & concludit : *Sola humilitas, cum ſpiritûs aviditate & delectatione, novit ſugere tribulationem & dolorem.*

Videmus eos affligi vehementiùs ex illatis injuriis, qui credunt firmiùs ſe minùs eas meruiſſe, quòdque animo inferantur iniquiori. Porrò doloris illius vehementiam temperant optimè, rationes aliquot D. Bonaventuræ, attentiùs conſideratæ : *Cùm*, inquit, *detrahi tibi intelligis, non movearis, quia ſi verum eſt quod dicitur, non eſt inconveniens hoc loqui homines, quod facere auſus es. Si autem verum non eſt, non tibi nocet eorum locutio : ut ſi albus eſſes, & diceret quis te nigrum eſſe, quid obeſſet tibi illud* (Inſtit. Novit. p. 2. cap. 11.)

dico-

dicere? Nihil, cùm tu esses, quod es; & non aliud. Et si quis æstimaret te capram esse, tamen homo es. Si autem ad primos motus hujusmodi adversitatis turbaris, & inflammaris, ex Patientia reprime iram, & sustine ad modicum: sicut qui sustinet adustionem cauterii vel secationem chirurgi, cogitans utilitatem Patientiæ, & quòd ipsa sit purgatio peccati, vitii lima, virtutis exercitatio, meritum gloriæ & præparatio pacis. Si te quis ex odio vexet, & te videat exacerbari, jam habet quod quærebat, & tantò fortiùs instat quomodo gravet, quantò plùs videt valere conatus suos ad id quod intendit. Si autem viderit quòd patienter sustines & pertransis, ac si non sentias, confunditur in seipso, & confringens tumentes fluctus suos, ex indignatione quiescit, videns se non posse efficere quod quærebat, scilicet ut te conturbaret: vel certè confusus compungitur, & corrigitur exemplo tuæ Patientiæ emendatus. Quòd si obstinatiùs persistit te persequi, graviùs seipsum torquet, quàm te. Qui autem seipsum laniaret in odium tui, quid te læderet? Ad contumelias transi, quasi non audiens. Alias fire-mordes & redarguis, sicut odibile est vitium detractionis in alio, ita etiam esset in te. Nemo autem in odium adversarii sui sibi-met præcidit nasum, vel eruit oculos. Si patienter tuleris, alii compatientur, & diligent te. Si autem vindicare volueris, contendere & repercutere, aspicient vos invicem mordentes, ridebunt & scandalizabuntur. Hæc S. Bonaventura.

Quòd si fortè obstinatus sit persecutor, nec corrigitur nec persequi desistit, discamus aliquid pati propter Deum, & in imitationem
1. Petri 4. vers. 1. & compensationem Christi Passionum. *Christo passo in carne*, ait Princeps Apostolorum, *& vos eâdem cogitatione armamini.* Idipsum Redemptor noster docuit aliquando B. Joannem Pe-
Annal. Tom. 2. an. 1278. num. 30. chanum, aliàs Pecchanum. Fuit qui hunc traduceret (neque enim virtuti sua tinea deest) apud Generalem Ministrum, & de quibusdam accusaret. Doluit ille valde, ob inustam honori maculam, & famam denigratam. Dum coram imagine Christi crucifixi ferventiùs oraret, sed & lacrymosè conquereretur injustè tantas se pati calumnias, atque id à Domino permitti; intonuit ex altero Crucifixus, gravem dulcemque ei ingerens correptionem, his verbis:

Et ego quid demerui pendens inter latrones?
Oravi, nec obtinui carnis petitiones.
Calicem mortis sorbui, Patri placere studui, per carnis passiones.

Et consequenter, allegans per singula, quæ ipse in amara sua passione patienter sustinuerit à Judæis, tandem concludit:

Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre quæris. His auditis bonus Pater obstupuit, & spirituali dulcedine repletus, patienter deinceps tulit calumnias inimicorum.

Admiramur aliquando & veneramur invictam virtutem Martyrum beatorum, qui tanta tormenta, tamque iniquas tolerârunt persecutiones, & mitem, tranquillum, constantemque animum servaverunt. Dumque præclaras eorum victorias, & ingentes fructus animarum, ipsorum partos patientiâ, legimus, nobis incidit ejusdem gloriæ desiderium. Sed *nos volumus*, inquit Augustinus, *gaudere cum Sanctis,* Serm. 47. de Sanctis.
& tribulationes mundi nolumus sustinere cum illis. Si ejusdem veræ virtutis desiderium est, & non solùm annexæ gloriæ, materiam habemus opportunam in calumniis, detractionibus, & persecutionibus quotidianis, quas inferunt invidi, osores, contemptores, & ficti amici nostri. Agere fortia, & dura pati, servorum Dei sincera probatio est, prout dixit aliquando Franciscus: *Non potest cognosci servus* Opusc. Tom. 1. admonit. 13.
Dei, quantam habeat Patientiam & Humilitatem, dum satisfactum est ei secundùm voluntatem, vel necessitatem suam. Cùm autem venerit tempus, in quo illi qui deberent satisfacere ei, faciunt sibi contrarium; quantam habet Patientiam ibi & Humilitatem, tanta est, & non plùs. Hoc etiam contra illos est qui gloriantur apud semetipsos, quòd jam imperturbabiles sint, qui dudum impetiti non sunt, & in quiete relicti; qui tamen ad occasionem minimam, velut aqua agitata mirabiliter in corde fluctuant, suæque impatientiæ impetum nequeunt cohibere.

Rarum Patientiæ gradum assecutus fuerat Vir sanctissimus & perdilectus B. Juniperi socius discipulusque F. Tentialbene. Si quis eum toto verberaret die, nec mussitabat. Eâ exercebatur ante in Patientia, antequam Juniperi foret socius, ut transmitteretur ad illa Annal. Tom. 1. an. 1313. num. 24.
loca, ubi res erant magis turbulentæ & adversæ, quas summâ ferebat æquanimitate. Tantoperè dilexit hominem Juniperus, illud aliud magnum Patientiæ speculum, ut cùm mortem ejus intellexisset, omnia validis replens clamoribus, frequenter repeteret: *Nihil boni est ampliùs in mundo, postquam talis homo decessit.* Et arripiens perticam, pro peregrino illo more suo culinam ingressus obvia quæque infringere cœpit, dicens: *Abeat in ruinam universus mundus, post tanti hominis mortem. Ut quid amplius edamus aut bibamus? moriamur cum eo. Credite mihi, Fratres, perfectæ virtutis fratrem amisimus; sed bonum patrem & sequestrum in cœlis obtinuimus.*

Quantùm hunc æstimavit Juniperus, tantùm quoque Franciscus æstimat omnes ei similes. Hi sunt enim, super quibus velut immotis rupibus & petris, nostra fundatur Religio & persistit incolumis: qui non velut lignum putrescunt, nec velut arena à fluctibus commoventur, nec defluunt sicut terra pluviis diluta; sed inter adversa semper sibi eodem animo constantes persistunt, ad omnia tranquilli atque impavidi. Hi ad omnia quantumvis ardua parati, quibus nil nimis grave videtur aut laboriosum; quin & fortiores fiunt & indurescunt, quò atrociora vident instare certamina. Neque mirum sit tanti eum facere pugiles istos: recognoscit enim in ipsis Deum inhabitare, juxta signum illud infallibile, quod ipse Dominus beatam edocuit Angelam: *Dimitto in te*, inquiebat, *u-* Vitæ, 29.
num amorem de me, quo anima tua erit ebria, calida & fervens de me, ita quòd tribulationes amore mei tolerabis. Et si quis dixerit tibi malum vel fecerit, tu habebis in gratia, & clamabis te

indignam istâ gratia. Istum enim amorem habui ad vos, qui fuit tantus, quòd pro vobis omnia sustinui patienter & cum humilitate. Tunc igitur cognosces, quòd ego sum in te, si quando quis dixerit vel fecerit malum tibi, tu habeas non solùm patientiam, sed hoc habeas in magno desiderio & pro gratia: & hoc est certum signum gratiæ Dei.

Utinam horum quoque meminerint illi, qui ob leves, quas patiuntur consodalium morositates, illicò recurrere volunt ad Prælatos, sive locales, sive superiores, ut liberentur ab illis. Quos si tolerare possent, non minori laude præmioque digni censerentur, quàm B. Eleuchadius, de quo B. Petrus Damianus: *Non contemnendum pertulit in ipsa Ecclesiæ pace martyrium; quandoquidem etsi non cum perfidè credentibus, tamen cum perversè viventibus infœderabilem probatur habuisse conflictum.* Serm. 6.

TEXTUS & §. XXXII.

Et infirmitate.

SUMMARIUM.

Exaggerata S. Jobi patientia, per accurratam omnium infirmitatum ipsius enumerationem. Ejus item patientiæ admirandum exemplum in Francisco. Suos etiam ad illam adhortatur. Quanta merces, hanc infirmitatum tolerantiam maneat in altero sæculo. Hujus consideratio multos nostri Ordinis athletas erexit ad fortiter & gaudenter sustinendum. Arguuntur ex sententia SS. Bernardi & Francisci, qui ægrotantes, nimiam habent curandi corporis sollicitudinem. Meliùs ea cura corporis Superioribus relinquitur; ut infirmus ipse, totus vacare possit disponendæ animæ suæ, ad felicem ingressum æternitatis.

INgeniosus quidam nostri temporis Scriptor, exhibiturus S. Jobum speculum perfectissimum *Patientiæ in infirmitate*, deducit è sacri textûs historiâ eum laborasse simul infirmitatibus omnibus, qui in humano corpore compossibiles sunt, imò & quæ incompossibiles; idque arte dæmonis. (Speranza in Scrip. selectis puncto 52.) Ab eodem Job omnes enumerantur. *A planta pedis usque ad verticem capitis*, (Job. 2. vers. 7.) in unoquoque membro, morbis, quoad se, mortiferis laboravit; etsi jussu Dei non perimentibus. *Ulcere pessimo*, (Ibid.) quo ait Chrysost. totum corpus perforatum habuisse, & inde tabifici humoris rivulos & vermium fontes manasse: quo cum Ulcere, ex Galeno, Elephantiasis lepra, quæ totam carnem depascit, juncta est. Podagrâ: *Posuisti in nervo pedem meum.* (Cap. 13. vers. 27.) Articularibus doloribus: *Ad nihilum redacti sunt omnes artus mei.* (Cap. 16. vers. 7.) Vermibus undique: *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus.* (Cap. 17. vers. 14.) Pediculari morbo: *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.* (Cap. 30. vers. 18.) Pessimâ dysenteriâ: *Effudit in terra viscera mea.* (Cap. 16. vers. 14.) Renum dolore & morbo colico. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos.* (Ibid.) Pleuritide, anginâ, asthmate ex difficultate respirandi & thoracis contorsione: *Spiritus meus attenuabitur.* (Cap. 17. vers. 1.) Pagnin. *Spiritus meus corruptus est.* Septuag. *Pereo spiritu agitatus*, uti qui hisce morbis laborant. Vigilia, ut mox capto somno à terroribus excitaretur: *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.* (Cap. 7. vers. 14.) Et: *Noctem verterunt in diem.* (Cap. 17. vers. 12.) Inappetentiâ: *Antequam comedam, suspiro.* (Cap. 3. vers. 24.) Febri hecticâ: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. Ossa mea aruerunt præ cauma te, in meipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.* (Cap. 19. vers. 20.) Dolore cordis: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* (Cap. 17. vers. 11.) Septuaginta: *Convulsæ sunt compages cordis mei.* Alii: *Rupti sunt articuli cordis mei &c.* Oculorum vitio: *In amaritudinibus moratur oculus meus.* (Cap. 17. vers. 2.) Ipsorum unguium morbo: *Testâ saniem radebat.* (Cap. 2. vers. 8.) Chaldaicè: *Accepit Testam ad scalpendum se*; quòd Ungues ad scalpendum aptos non haberet. Dolore capitis; omnium partium ea interiori æstu, quo totus ardebat ea mordaci pestiferoque humore. His omnibus morbis, censet S. Theodorus Studita (Apud Baron. Tom. 9.) eum annos quindecim laborasse. Linguam solam servavit illi Sathan, quâ Deum malediceret: sed deceptus est; nam hâc Deum benedixit, ac pro tot doloribus ei gratias egit: *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* (Cap. 19. vers. 20.) His æquum est uti ad Deum benedicendum. Hæc est Jobi patientia, docens nos *habere Patientiam in Infirmitate.*

Didicit eam perfectissimè Vir Dei Franciscus, (Vita c. 14. num. 2.) cui ut cumulus accresceret meritorum, quæ omnia verè in Patientia consumantur, infirmitates multi-modæ divinâ dispositione tam graviter acciderunt, ut vix in eo membrum aliquod remaneret, absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas, ac continuas ægritudines deductus est, ut consumptis jam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cùmque diris corporis angeretur dolo-

doloribus, illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum. Cùm autem semel graviùs solito, dolorum urgeretur aculeis, quidam Frater simplex dixit ad eum: *Frater, ora Dominum, ut mitiùs tecum agat; manum enim suam plùs debito, super te gravare videtur.* Quo audito, Vir sanctus, cum ejulatu exclamans, ait: *Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium; qui ausus fueris circa me divina judicia reprehensibilia judicare.* Et licèt totus esset attritus gravis prolixitate languoris, projiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum: *Gratias*, inquit, *tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis: Teque mi Domine rogo, ut centuplum, si placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas; cum tua sanctæ voluntatis adimpletio, sit mihi consolatio superplena.* Videbatur propterea Fratribus, quòd quasi alterum Job viderent: cui cùm languor cresceret carnis, crescebat simul & vigor mentis.

Sic ipso facto præcessit Ductor militiæ nostræ per *patientiam in infirmitate:* verbisque hortatus est, ut nos ejus commilitones taliter sequeremur. Unde capite decimo suæ primæ Regulæ, quam scripsit nobis, ait: *Rogo fratrem infirmum, ut referas de omnibus gratias Creatori, & qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret, sive sanum sive infirmum; quia omnes quos Deus ad vitam præordinavit æternam flagellorum atque infirmitatum stimulis & compunctionis spiritu erudit, sicut dicitur in Apocalypsi: ego quos amo, corrigo & castigo.* Gloriandum igitur est cum Paulo, ut in infirmo inhabitet virtus Christi, dum ejus lubens suscipit flagellum. Maximè ex eo toleranda est Infirmitas, quòd sæpissimè flagellum sit delictorum commissorum, vel cautio patrandorum. *Quosdam enim*, inquit Hugo, *præsciens Deus multa peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis ne peccent, ut eis utiliùs sit frangi languoribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.* Hoc fuit Patri nostro sanctissimo, cælesti desuper revelatione, monstratum.

Opusc. Franc. Tom. 2. Regula 1. Minorum cap. 10.

Apoc. 3. vers. 19.

Lib. de Anima.

Cùm ægrotanti Viro Dei persuasum fuisset à Fratre Elia & Cardinali protectore Hugolino, ut aliquam sibi medicinam permitteret adhiberi, curârunt pauperculam ei ædificari cellulam, juxta Sanctum Damianum, ut Virgo Clara & consociæ, juxta tenerum mulierum affectum, & sincerum filiarum amorem, sui Patris curam susciperent. Dati insuper socii, qui continuò assisterent, F. Massæus, F. Rufinus, F. Leo, & F. Angelus Reatinus. Jacuit ibi per dies quadraginta, absque requie tamen & somno, ingravescente quotidiè oculorum cruciatu, & si aliquando dormire tentabat, non poterat præ molesto strepitu multorum murium hinc inde discurrentium, lecto etiam & mensæ tam audacter & fastidiosè insilientium, ut planè constiterit dæmonum fuisse tentamenta. Tot itaque malis Vir sanctus circumdatus, vultum ac mentem ad cœlos extollens, humiliter ita deprecatus est: *Domine Deus meus, in auxilium meum respice, & da gratiam, ut infirmitates istas valeam patienter tolerare.* Cui statim responsum; *Francisce, quo poterunt æstimari pretio, per quæ regnum inæstimabile obtinetur? Scias æstimabiliores hos tuos dolores; universis mundi opibus, neque debere eos vendi pro orbe universo, etiamsi ita partes ejus transformarentur, ut montes omnes fierent aurum purissimum, lapides omnes evaderent pretiosi, & vasta maris aqua converterentur in balsamum.* Ad quæ Franciscus: *In hoc pretio habeo, Domine, quos tu immittis cruciatus; novi enim te hic mea punire peccata, ut pro tua misericordia ignoscas in æternum. Lætare ergo*, (inquit vox superna) *hàc itur ad cœlum, quo tibi sternitur via, & semita paratur.*

Annal. Tom. 1. an. 1224. num. 32.

Non hæc soli credamus dicta Francisco, sed aliis etiam omnibus in simili constitutis infirmitatum afflictione. Eadem spes reposita est in sinu nostro, si eâdem resignatione, humilitate ac patientiâ nostras miserias toleremus. *Ante languorem* igitur *humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. Non impediaris orare semper: & ne verearis usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei manet in æternum.* Dum sanus es, *ante languorem* ne arroganter te reputes impassibilem, neque cujuspiam indigere; sed *humilia te*, sciens te posse sanitatem quam habes amittere: *in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam*, ipso opere demonstra, num virtus quam antea ostentasti, solida sit & constans, & quantùm tu diligas Deum, eique substratus sis. Imò & in isto tempore *non impediaris orare.* Fateor equidem non facilem esse mentis exercitationem inter corporis tormenta, & hæc imperfectioribus esse frequenter impedimentum, ne intendant orationi; juvat tamen plurimùm ad sedandas impatientias interdum oculos aperire mentales, & ab experimentali sensu præsentis doloris, per ratiocinationem ad earum transire pœnarum æstimationem, quæ castigandis peccatis sunt in altero sæculo præparatæ. *Et ne verearis usque ad mortem justificari*, non solùm in postulanda peccatorum remissione, verùm & in persolvenda pro eisdem satisfactione per tolerantiam, & in augendis meritis, vitæque perfectionibus, per lætam flagellorum susceptionem; *quoniam merces Dei manet in æternùm*, levi illo tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus in nobis operante.

Eccl. 18. vers. 21.

Hæc consideratio, multos insignes nostri Ordinis erexit athletas, ut in hac infirmitatum palæstra strenuè decertarent. B. Bartholus Tertiarius, occulto Dei judicicio fœdissimâ leprâ percussus, asperum hoc carnis supplicium pro Christi amore tulit patienter. A planta pedis usque ad verticem capitis nulla fuit in eo sanitas, & velut alter Job in sterquilinio sedens, per singulas corporis partes vehementissimos sensit cruciatus. Mortificatâ namque carne, deciderunt ungues & capelli, nasus putrefactus, oculi deturpati, in manibus & pedibus digitorum sunt convulsæ juncturæ. Demùm per totum corpus corrodentibus vermiculis, ipsâ carne per dissipatas partes diffluente, nervi carne expoliati, nuditi apparebant. Sic marcescens humoribus, privatus luminibus, laceratus ulceribus, putrefactis visceribus per viginti annos vili strato decumbens, non solùm impatientiæ verbum non protulit, sed frequenter

Annal. Tom. 2. an. 1300. num. 7.

gratias Deo referebat, & excrescentibus doloribus Deum sua dona augere dicebat. Similem in morbis gravissimis patientiam servavit F. Chron.p.1. lib.7.c.28. Petrus de Travanda. Cui hoc suavissimo erat solatio, quòd meminisset infirmitates immitti, à Dilecto suis amicis, in signum dilectionis specialis. Annal. Tom. 5. an. 1418. num. 6. F. Philippus Tudertinus, qui aliorum curabat infirmitates, passus est ipse annis quinque gravissimam. Hydropisi aliisque morbis, perpetuò decumbens, numquam conquestus est; sed alia superaddi mala rogabat, dum ita Deo placeret, & animæ saluti expediret.

Quomodo hîc excusabunt teneritudinem & pusillanimitatem suam, delicati isti, qui ad minimas indispositiones aut debilitates, sese dejiciunt quasi mox animam exhalaturi, pro medicis instant & pharmacopolis, atque illicò ab omni religioso desistunt exercitio? Cùm sani essent, neglexerunt fortè carnem suam conquisitis crucifigere austeritatibus, atque ideo Deus per se illam misericorditer humiliavit. Cui verum inesset odium atque contemptus illius sociæ petulantis, numquam de ipsius conquereretur refrænatione. Audiant impatientes illi, Epist. 321. quid D. Bernardus suis dicat Religiosis: *Minimè competit Religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti; nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc aliquando fieri solet. At verò species emere, quærere medicos, accipere potiones: religioni indecens, & contrarium puritati, maximèque Ordinis nostri nec honestati congruit nec puritati. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scimus autem quia qui in carne vivunt Deo placere non possunt. Spiritualibus proinde spiritualia comparanda, & quærenda potiò humilitatis, & clamandum toto corde:* Psal. 40. Sana animam meam Domine, quia peccavi tibi. *Huic sanitati, Fratres dilectissimi, operam date, hanc sectamini, hanc servate; quia vana salus hominum.*

Hæc Abbas ille mellifluus suis disserebat Cisterciensibus; neque multùm his dissimilia suis Minoribus Franciscus. *Si fortè infirmus Frater*, inquit, *nimis sollicitè postulaverit medicinas,* Opusc. Tom. 2. cap 10. 2. Regula Minorum. *nimis desiderans liberare carnem citò morituram, quæ est animæ inimica; à malo sibi evenit, & carnalis est, & non videtur esse de Fratribus, quia plùs diligit corpus quàm animam.* Verum quidem est, quòd pientissimus Pater N. demandaverit Ministris Provincialibus & Custodibus Cap. 6. Regulæ. sollicitam curam gerere pro necessitatibus infirmorum; nihilominùs textu præsenti fratres infirmos suæ quoque commonet obligationis, ut caveant ipsi à nimio desiderio sanitatis, & *nimis sollicitè postulare medicinas*: Quod illi facere convincerentur, qui pro levibus indispositionibus pretiosas appeterent medicinas, & qui solâ intentione semet-ipsos ab infirmitatibus præservandi, medicinalibus istis naturam assuefacerent sinè necessitate: quod certè nec animæ nec corporis saluti congruit: neque altissimæ nostri Ordinis paupertati. Satiùs erit, indicatâ Superiori corporali necessitate, sollicitudinem ei providendi mente simplici eidem committere, ut ipse conformiter suæ obligationi de medico provideat & medicinis. Sic B. Bernardus de Quinta-Valle, laborans eâ infirmitate, quæ peregrinationi ipsius finem imposuit, sui corporis integram dispositionem in manus cujusdam fratris medici assistentis renuntiavit, ut ne vel in necessariis sui juris esse videretur. *Nolo*, inquiebat, *mihi inesse curam* Annal. Tom. 1. an. 1241. num. 3. *mei corporis, seu cibi aut potûs: sed tibi committo: si dederis accipiam; sin minus, acquiescam.*

Aliorum quoque præclarorum virorum generositas permovere nos debet, ne tam commodi simus, ut ob levem corporis indispositionem, nimis facilè communia Religionis exercitia dimittamus. F. Bartholomæus ab Ang- Chron p. 2. lib. 8. c. 31. laria tanto rigore suum corpus tractabat, ut licèt molestissimis febribus & morbis aliis afflictaretur, jejunia tamen & alias regulares superadderet asperitates, quousque per obedientiam cohiberetur. B. Gerardus Florentinus, quam- Martyrol. Francisc. ad 15. Julii. vis ab anno septuagesimo quinto ætatis podagrâ & iliacis doloribus torqueretur; quò acriùs urgebatur cruciatibus, eò se magis in Deum psalmorum cantu divinisque laudibus erigebat. In hunc modum, sancti Dei homines, infirmitatibus exercitati, easdem velut apparitores quosdam excipiebant, à Domino missos, ad denuntiandum instare vitæ mortalis exitum & ingressum æternitatis. atque ideo ferventiùs instantes divinis obsequiis, solliciti erant ad faciendum liquidas, quas redderent æterno Judici rationes. Ligneus planè sit, qui ad has quasi citatorias literas, stupidus maneat, non de instanti cogitans negotio, unde status pendet æternitatis; sed solâ recuperandæ sanitatis curâ & evadendi ictus mortalis absorbeatur; sibique longiores promittat terminos, cùm tamen quotidie plures, è morbis brevissimis ad tremendum illud tribunal videat evocari.

Quàmvis autem abusus hujusmodi damnabilis negligentiæ, in hominibus sæculi hujus sæpè contingat, de viris tamen Religiosis confidimus meliora; nimirum, quòd patienter ferentes infirmitatem, cogitabunt se per eam in societatem vocari crucifixi Domini sui Jesu Christi, seque cum eo crucifixos in doloribus, tædiis, & angustiis per voluntatem Patris æterni. Tunc non fatigabuntur animis deficientes, sed tranquillâ mente vires omnes animæ colligent, ut feliciter in domum ingrediantur æternitatis. Taliter animabat semetipsum B. Joannes Lucensis, dum in gravissimis existens angustiis, propositâ sibi patientiâ Christi, à Patre in mortis articulo derelicti, ita seipsum alloquebatur: *Bono animo esto, Frater Joannes, noli* Chron p. 3. lib. 5. c. 41. *dejici. Si enim Pater innocentissimum Filium suum reliquit in angustiis; tu, qui plenus es sordibus peccatorum, non patieris hanc crucem & derelictionem, factus similis Filio Dei? Bibe, bibe, Frater Joannes, hunc amarum calicem; est enim salutaris.* Cùm autem Vir ille sanctus optasset dudum Dominum per martyrium honorare, divina providentia hoc ipsius desiderium per varias supplevit ægritudines. Eratque adeò earum avidissimus, ut numquam pro voto ipsius satis atroces immitterentur. Conflictans aliquando cum una gravissima, dicebat astantibus: *Jam Dei beneficio assecutus sum desiderium meum.* Nobilis certè animus, & supra naturam altiùs elevatus, animæ potiùs quàm corporis intendens saluti, qui pulsanti Domino per ægritudinis molestias, confestim aperit, *& lætus judicem sustinet, & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.*

TEXTUS & §. XXXII.

Et diligere eos, qui nos persequuntur.

SUMMARIUM.

Inimicorum dilectio, tamquam arduus actus, virtuosus est, magisque meritorius. Qualiter nos gerere debeamus erga eos, qui nos causâ bonorum operum persequuntur, docetur exemplo Christi & Apostolorum. Item qualiter erga persecutores famæ, corporum & fortunarum. Sui ipsius odium, est aptissimum medium eos diligendi. Non est excusabilis illorum indignatio, qui zelant contra persecutores Ordinis nostri vel amicorum. Imitatores simus Patris cœlestis & Christi Domini, quorum ille solem suum oriri facit; hic verò Sanguinem suum è cruce pluere, super justos & injustos, suosque persecutores.

Dilectionem exiguis amicorum finibus Judæi circumscribebant: *Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum.* At Christus ejusmodi metas transgressus, ad inimicos jubet extendere: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros.* Hic triumphat Charitas, cùm in re ardua difficilique versatur. Amicum diligere, facilè est; diligere inimicum, arduum & difficile. *Si diligitis eos qui vos diligunt*, ait Dominus, *quam mercedem habebitis*, rei facillimæ non à Charitate, sed ab ipsa natura profectæ? Nonne Publicani & Ethnici, nonne & animantes ratione carentes, nonne ipsi etiam serpentes hoc faciunt? *Amas amantes te filios*, ait D. Augustinus, *& parentes; amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & ursi.* Qui solos amicos diligunt, adhuc in hac parte publicanis, & gentibus, & bestiis similes sunt. Ut ergo superiores simus & gentibus & bestiis, etiam persecutores & adversarios diligamus. Quale sit autum, non in molli lana, sed in duro lapide lydio exploratur; qualis verò sit charitas, non in amico dulci; sed in duro persecutore. Propter quod Franciscus volens nos probatam habere dilectionem, monet & exhortatur in Domino Jesu Christo, ut attendamus *diligere eos qui nos persequuntur.* Ut autem hoc meliùs perficiamus, oportet nos considerare, propter quid nobis persecutio inferatur: non enim in personas nostras fervent inimici, sed in aliquid quod considerant in nobis, & unde cum displicentia amaricantur.

Matth. 5. vers. 41.

Vers. 44.

Serm. 61. de Temp.

Primò, Bonum nostrum aliquando displicet eis, illudque impedire nituntur aut sindicare; quo modo Judæi in Christum & Apostolos exarserunt, Tyranni in Christianos, Hæretici in Catholicos, invidi in meliores &c. Raró lapidabimur de opere bono, præsertim quamdiu inter bonos vivimus & amantes virtutis. Si tamen contingeret aliquem nostræ pietatis invidum, eo intuitu moliri quippiam, non ideo ab eo nostra erit dilectio subtrahenda: quin potiùs, quò deteriori laborat cordis ulcere, eò majori laborandum erit compassione, ut curetur, si fieri possit. Hæc discitur à benedicto Domino Jesu, qui nobis in hoc absolutissimam tradidit formam charitatis, ut & nos similiter cum nostris æmulis faciamus. Primò siquidem, abscondit nonnumquam opera sua, & præcepit abscondi, ne malè dispositi suorum æmolorum oculi tantâ luce offenderentur, & horum occasione in blasphemias erumperent acriores. E quibus exemplis colligere possumus, hoc coram ipso charitatem æstimari, si quæramus secretum, ad non irritandum adversarios fidei, humilitatis, nostræque Religionis, dum periculum foret, ne ex nostris perperam intellectis operibus offenderentur.

Aliàs non solùm abscondit opera sua divina, verùm & à piis heirisque abstinuit aliquando, & in meliorem distulit occasionem. Gloriosum fuisset pro veritate lapidari, & è monte præcipitari; sed fugit à malevolis discretus Dominus, & sese abscondit. Venerunt ad eum aliquando dicentes: *Magister volumus à te signum videre.* Sed quia hoc in majorem cessisset invidiam, abstinuit, & nos docuit quandoque à supererogatoriis & liberis operibus abstinere, ad servandum animas adversariorum, facta nostra explorantium. Tunc præsertim, cùm tam infirmi judicii sunt, ut discernere nequeant inter veram fictamque virtutem, inter obligatorium opus & odiosam singularitatem: dumque arbitraturi sunt, à nobis illud fieri ad confundendum ipsos, & eorum imperfectionibus insultandum. Eam amaritudinem providè prævenire, sanctum est, & pro benevolentissima computabitur charitate.

Joan. 8. Lucæ 4.

Matth. 12. vers. 38.

Aliàs, & frequentissimè, Dominus Jesus exulceratos hostes pacare tentavit, vel rationibus evidentibus, vel testimoniis Scripturarum, vel ostentis miraculorum; quibus eorum reformaret errorem, & iram abstergeret ex errore conceptam. Potuisset dedignari malignos illos, in suisque relinquere erroribus; sed non

id ejus

ad ejus dulciſſima charitas permittebat, verùm mediis inter homines uſitatis humiliter præbuit ſatisfactionem, maluitque ſæpenumero inutiliter coram eis diſcurrere atque docere; quam ſuæ deeſſe clementiæ, & per inſtructiones ſufficientes ægris illis non ſuccurrere animabus. Apoſtoli quoq; non dedignati ſunt, populis Principibuſque ob ſuæ doctrinæ novitatem frementibus, ſatisfactionem dare, ſuam declarare innocentiam, & quantùm poterant ab erroneis reducere opinionibus; non ſolùm ſpe evitandæ afflictionis propriæ, verùm etiam ut eos à tanto peccato furoris iniqui liberarent, atque ab atroci judicio quod imminet perſequentibus veritatem. Eâdem de cauſa, frequens erat in ore Sanctorum Martyrum coram Tyrannis, & judicibus monitum, de judicio Dei pœniſque infernalibus, quo eos à à tanto absterrerent facinore atque diſponerent ad ſalutem. Qund ſanè non è minimis eſt charitatis operibus erga perſecutores, dum uon in commodum proprium; ſed ad animarum earum ſalutem talis inſtituitur informatio.

Baron. ad annum 178. num. 5.

Act. 24. verſ. 26.

Quòd ſi opus bonum, cujus causâ in nos armantur perſecutores, nec abſcondi expedit, nec dimitti poteſt, quia obligatorium eſt, nec apud obſtinatos ulla ipſius operis admittitur excuſatio; ſtemus fortiter in illo bono opere juxta Chriſtianas regulareſve obligationes; ſalvâ tamen ſemper adverſariorum charitate: quæ tunc cenſebitur intemerata, ſi noſter eorum contemptus non appareat, eiſque optemus ex animo bonum illud, eamque gratiam, pro qua viriliter decertamus. Non vulgare ſpecimen hujuſmodi charitatis D. Paulus præbuit, dum ſic diſſeruit coram Præſide Feſto & Rege Agrippa, ut regem moveret ad dicendum: *In modico ſuadet me Chriſtianum fieri.* Et cùm ei reſpondit: *Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his.* Igitur hæ ſint Regulæ Dilectionis erga perſecutores virtutis noſtræ ſanctarumque voluntatum.

Act. 28. verſ. 26.

Secundò, Communior ſcaturigo perſecutionum eſt, vel ab invidia in temporalibus, vel ab eorumdem cupiditate, vel à vindictæ libidine, ob injurias, aut detrimenta terrena: ſoletque in eiſdem ſe exerere malevolentia, & proximos divexare. Hinc rapinæ, damnaque fortunarum, ipſorum corporum afflictiones, famæ diminutiones, pacis quietiſque perturbationes; dumque directè non poſſunt inviſas attingere perſonas, earum amicos aggrediuntur, & ob unius quandoque privati imprudentiam, ſodalitium integrum ab exacerbatis patitur adverſariis. Verùm quid in his omnibus eſt, unde odiſſe liceat nos perſequentes? Non amemus immundicè quiſquilias temporales, nec carnem propriam, nec bonum nomen, nec carnales amicos, nec homines ullos: nil horum adhæreſcat cordi, & non lædemur ſi auferantur; non magis, quàm ſi tranſeuntibus nobis ſecus viam, quiſpiam folia excuteret ex arbore ad nos minimè pertinente. Inſanus judicabitur, qui aut illum minùs amabit ideo, aut odio proſequetur.

S. Elzearius, Comes Ariani, Tertiarius Franciſcanus, tantâ animi fortitudine ferebat injurias illatas à perſecutoribus, ut nullus domeſticorum aut familiarium ob quamcumque moleſtiam quidquam eum dixiſſe vel feciſſe impatienter & iracundè potuerit animadvertere. Atque eâ causâ B. Delphina conjux intrà conclave ajebat ei aliquando: *Quid hominis es tu, Elzeari, qui numquam erga illos qui te injuriâ afficiunt, commoveris? Videris eſſe trunci inſtar aut ſtatua, nihil ſentientis: & tamen paſſibilis es, & homo mundanus. Aut fortaſſis vel neſcis, vel non potes iraſci. Et quid, obſecro, officeret malis, qui interdum injuſte te lædunt, ſi te quandoque iratum illis oſtenderes?* Ad hæc homo leniſſimus reſpondit: *Et quid verò, Delphina, prodeſt iraſci? Nihil profectò: attamen explicabo ego tibi arcanum pectoris mei. Noveris me interdum ſentire aliquam in animo adverſùs infeſtantes me indignationem; ſed illicò me converto ad cogitandas injurias Chriſto illatas, eumque imitari cupiens, dico mihi ipſi: Etiamſi famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi impingerent, nihil eſſet ad Dominum tuum, qui majora perpeſſus eſt: certumque habeas, Delphina, me numquam ceſſare à commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus meus planè ſit tranquillatus. Atque hanc fateor me à Domino habere peculiarem gratiam, ut eos qui mihi injurioſi ſunt, vel æque ut antè, vel plùs etiam amem, & pro eis ſpecialiter orem: agnoſcamque & confitear, me majoribus & atrocioribus injuriis dignum eſſe.*

Sodal. in vita c. 23.

Tantâ contentione deſiderabat B. Maſſæus hanc eamdem gratiam, ut eum Fratres animadverterent non contentum, ſed melancholicum & ſuſpirantem. Quibus cauſam interrogantibus, ingenuè reſpondebat: *Hæc triſtitia mea ratio eſt, quia cogito, quòd ſi quis mihi manus truncaret & pedes & erueret oculos, tametſi parcerem ei; mihi tamen videtur, quòd non ita tenerè ſicut antè amarem eumdem. Hunc amorem à Deo inceſſanter exopto; quem dum mihi conceſſerit, ero contentus.* Quod exoptavit ille, ſe conſecutum fuiſſe monſtravit confrater ejus Juniperus. Siquidem cùm maligno ſpiritu procurante captus fuiſſet veluti proditor & incendiarius, tortus aſperrimè ad criminis confeſſionem, damnatus ad ſuſpendium, ductus eſt publicè ad ſupplicii locum. Quod poterat majus eſſe periculum & contumelia? Agnitus verò à noſtris, ad conventum reducitur, à tormentis præteritis refocillandus. Cùmque ei ab amicis compatientibus variæ mitterentur Eleëmoſynæ, ſi quid inter eas meliùs videbatur, iſti Nobili, à quo taliter exceptus fuerat, gratitudinis ergo tranſmittebat, aſſerens ſe nulli mortalium tantoperè obligari, quia nullus tam perfectè ſuum deſiderium adimpleſſet, eumdemque, quoad in illis partibus commoratus eſt, ſæpiùs amicabiliter viſitavit.

Chron. p. 1. lib. 6. c. 24.

Annal. Tom. 1. an. 1232. num. 26.

Carnalibus hominibus mirabilis videbitur hæc Philoſophia, omneſque ſuperans humanas rationes, ſic eos honorare qui nos ſummo afficiunt dedecore. Solidiſſima tamen eſt, verèque divina, quam B. Franciſcus edoctus à Deo ſuos illos eximios diſcipulos docuit, quibus aliquando dixit: *Multi ſunt, qui orationibus & officiis inſiſtentes, multas abſtinentias & afflictiones in ſuis corporibus faciunt; ſed de ſolo uno verbo,*

Opuſc. Tom. 1. admonit. 14.

quod

quod viderent injuriam esse suorum corporum, vel de aliqua re quæ sibi aufertur, scandalizantur statim & conturbantur. Hi non sunt verè pauperes spiritu; quia qui verè pauper est spiritu, seipsum odit, & alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam. Cujus sententiæ rationem fundamentalem tradit B. Jacoponus, eximius hujus Philosophiæ professor ex natura veri & non suspecti amoris. [Annal. Tom. 3. an. 1306. num. 23.] *Princeps indicium*, inquit, *Deum à me super omnia amari, hoc est; si quando rem quampiam ab illo efflagito, quam mihi negat, tum vehementiùs ipsum, quam priùs amem; sique quando ille facit adversum & contrarium ei quod ego de integro ab illo exposco, tunc illum duplo magis amem quàm antea. Amoris in alterum hoc est argumentum, si offensus, nihilo quàm antè minùs diligam offendentem; si enim minùs diligerem, argumento esset, non illum, sed meipsum priùs esse à me dilectum.* Idem ipse Seraphicus Philosophus explicat & extollit odium sui-ipsius, tamquam omnis boni radicem, primumque mobile patientiæ hujus dilectionisque persecutorum. Quo posito, simulque considerato proximo persecutore, ut Dei ministro, qui totus amabilis est; non poterit ipse non amari, tum quòd dilecti Dei minister sit, tum quòd cum sui odore conspiret in odiosissimam creaturam.

Tertiò, Impatientiam suam putant aliqui excusatam, quòd non exeat contra personæ propriæ persecutores, sed fratrum suorum; quos quia impensiùs diligunt, tangi ab aliis indignantur. Amorem eorum defensionemque nemo reprehendit, nec quisquam suadebit eis, persecutorum favere malevolentiis. Nemo tamen similiter est, qui rectè suadeat eos odisse. Nemo potuit Christo propinquior vel amantior esse, quàm Mater propria; certum tamen est numquam fuisse contra condemnatores tortoresve Filii exacerbatam, sed salutem eorum ut propriam exoptasse. Unus è nostris, [Chron. p. 2. lib. 5. c. 22.] F. Bonifacius de Riparolo, sic premere potuit & excutere dolorem odiumque in sui fratris proprii homicidam, ut eum amicè visitaverit, comederit cum eo, & numeraverit inter amicos; ad abstergendam omnem cujuscumque vindictæ suspicionem, quæ virum dedecet Religiosum, ipsâ carne superiorem. Neque confratres nostri, nec integer Ordo, optant à nobis hunc zelum amarum; sed eo sunt animo, quo S. David, qui nolebat ut milites sui malum redderent persecutoribus ejus, pro malo quod inferebant. [1. Reg. 24. vers. 7. & 26. Vers. 9. 2. Reg. 16. vers. 10. Joan. 18. vers. 10. Lucæ 22. vers. 51.] Habent illi in cœlis, qui videat, & judicet. Pro defensione Christi Simon Petrus fervore subitò *eduxit gladium, & percussit Pontificis servum* missum ad sui Domini capturam: *& abscidit auriculam ejus;* sed illicò gravi repressus est correptione, sanatoque Malchi vulnere, docuit mansuetissimus Agnus, qualiter cum intempestivis illis propugnatoribus nostris, simulque cum malevolis hostibus agere debeamus; compescendo nimis effervescentes amicos, iisque benefaciendo, qui cùm nos lædere cogitarent, ipsi contra nostram læsi fuerint voluntatem.

Quòd si dolor, acceptarum vel personæ propriæ vel Ordinis injuriarum, cordi sit iam profundè impactus, ut harum consideratione rationum sanari minimè possit, convertamus nos attentè ad suavissimum cor Dei, qui fons est, fomentum, & forma verissimæ charitatis. *Solem suum*, inquit Salvator de Patre *oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* [Matth. 5. vers. 45.] De Filio quoque istius benignissimi Patris, ait Apostolus: *Ut quid Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* [Rom. 5. vers. 6.] Si dum adhuc inimici essemus, tantam nobis exhibuit dilectionem, nobis immeritis, imò merentibus iram, ingratis & denuò peccaturis; & sic dilexit nos nullius utilitatis propriæ causâ, verùm ex sua merissima benignitate: nos Patris illius filii simus, & eamdem in cordibus nostris exprimamus imaginem charitatis. Etenim ipsa character est, quem ab iis exigit, qui filiorum ejus nomine gloriantur. *Ut sitis*, inquit, *Filii Patris vestri qui in cœlis est.* [Matth. 5. vers. 45.]

Diligamus igitur inimicos, ut simus filii & Patris nostri qui in cœlis est & Christi, Patris nostri, qui in cruce fuit. Aspice in cruce Solem increatum orientem super bonos & malos, sanguine pluentem super justos & injustos. Cerne Patrem nostrum Christum, pro inimicis, à quibus vitâ privabatur, orantem, ipsumque sanguinem pro illis & vitam profundentem. Imitemur Patrem, si filii sumus, nostris quoque inimicis beneficia, precesque pro nostra tenuitate conferamus. *Quod*, inquit Augustinus, *exemplum Domini secuturi sumus?* [Serm. 61. de temp.] *Numquid ut mortuos suscitemus? Numquid ut supra mare pedibus ambulemus? Non utique: sed ut simus mites & humiles corde; & non solùm amicos, sed etiam inimicos toto animo diligamus.* Christus in cruce fixus erat, & tamen per viam charitatis currebat, dicens: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* [Lucæ 23. vers. 34.] Simili nos quoque ratione, quàmvis fixi in cruce persecutionis, charitatis affectu moveri non desinamus erga inimicos, ut simus filii Patris nostri, ut in creatura sua Creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.

TEXTVS & §. XXXIV.

Reprehendunt & arguunt.

SVMMARIVM.

Qui sapientes sunt, pro beneficio reputant, si pro commisso errore reprehendantur, etsi non debitis observatis à reprehendente circumspectionibus. Salubre est, quandoque corripi, ubi culpa non est. Hoc permittit Deus, aut in aliorum præteritorum punitionem, aut in futurorum præcautionem. Idem censendum de reprehensionibus, quæ à Prælato fierent indiscretè. Maxima autem dilectionis & misericordiæ materia est, rationabilis arguitio delinquentis.

HOc textu, conjuncto cum præcedenti, monemur, secundùm expositionem D. Bonaventuræ: *diligere eos qui nos persequuntur facto, & reprehendunt* irrationabiliter, *& arguunt* rationabiliter. Cùm autem de primo egerimus proximè, nunc restat videndum de duobus reliquis, qualiter circa reprehendentes & arguentes, non odii, sed dilectionis materiam elicere debeamus. *Expos. in Reg. hic.*

Ad irrationabilem *reprehensionem* pertinere videtur, cùm ferventior aliquis, ex indignatione præcipitata, contra regulares defectus aut negligentias in correptionem erumpit, non observatis præcisè circumspectionibus, quas suprà præscripsimus Superioribus observandas. *Hoc cap. §. 6.* Quo facto, aliquis ex opposito, non adeò humilis ac patiens, verbum audiens inexpectatum, mirabitur aliquando malum existimari, quod ipse tacitâ apud se cogitatione laudabile reputabat: vel si scivit malum esse, miratur citò notatum ab aliis & deprehensum: vel si notorium fuit, ægrè fert quòd sibi ab aliis in faciem objiciatur; præsertim si tales sint, quorum jurisdictioni non subest, & à quibus potiùs reverentiam expectabat. Sic B. Monicæ contigit, prout Sanctus narrat Augustinus; *Lib. 9. confess. cap. 8.* quòd cùm ipsa juvencula esset, & de more, tamquam puella sobria, juberetur à Parentibus de cuppa vinum depromere, primoribus labris sorbebat exiguum: itàque ad illud modicum quotidiana modica addendo, in eam consuetudinem lapsa erat, ut propè jam plenos mero caliculos inhianter hauriret, atque ita surreperet ei vinulentia. Ancilla verò, cum qua solebat ad cuppam accedere, litigans aliquando cum illa, objecit hoc crimen, amarissimâ insultatione, vocans meribibulam. Irrationabilis sanè reprehensio, duriter ab ancilla in Dominam contorta, cui debuerat reverentiam exhibere. Minimè tamen illa ab Augustino ut odii vel nocumenti materia accipitur, sed ut diligibilis utilitatis, ab ipso Deo provisa misericorditer: *Nonne protulisti* (confitetur Domino) *durum & acutum ex altera anima convitium, tamquam medicinale ferrum* *Loco cit.* *ex occultis provisionibus tuis, & uno ictu putredinem illam præcidisti?* Quî verò magne Pater Augustine? *Hoc illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimque damnavit, & exuit.* Si quis igitur nobis occurrat casus similis reprehensionis irrationabilis, non omittamus diligere reprehensorem. Fortè disponit Deus, per eum nobis similem impendere medicinam. Ipse siquidem etiam mala contorquens ad usus suos bonos, novit de alterius animæ insaniâ, sanare alteram.

Magis apparentem querelæ rationem videntur habere, qui non peccârunt, nec ullam præbuerunt correptionis occasionem. Hi, cùm innocui sint, reputarent fortè se meritò indignari, si absurdus quispiam propriis actus suspicionibus vel mendaciis alienis, improperet ea, de quibus illi nec cogitaverint umquam: quique si vel levissimam dignatus fuisset præmittere inquisitionem, facilè veritatem, eorumque innocentiam deprehendisset. Crediderim hæc ita quandoque contingere; non ideo tamen licitè, professor humilitatis & patientiæ, in odium concitabitur reprehensoris. Præclarum nobis in hoc reliquit exemplum F. Antonius de Stronconio. *Chron. p. 3. lib. 5. c. 3x.* Cùm enim triginta vites secretò fuissent è vinea præcisæ, suspicati quidam Antonium fuisse facti auctorem, quòd magnus haberetur paupertatis amator, apud Provincialem accusârunt. Eum ipse durâ excepit correptione, & ad totidem condemnavit disciplinas, quot vites destruxisse dicebant. Ille pœnitentiam subiit, ne vel minimo ostenso impatientiæ signo, nec quippiam attulit quo suam innocentiam indicaret.

Beatus item Damianus invidiâ improborum hominum aliquando falsi criminis insimulatus, à suo Primicerio fuit carceri mancipatus. *Annal. Tom. 5. an. 1415. num. 8.* Sed ubi veritas facti, divino Dei nutu patefacta, in lucem prodiit, mox & integritas vitæ sanctissimi hominis, ex eo magis magisque illuxit. Quare tandem à custodia egredienti, monasterii Præpositus statim occurrit, qui tum primùm veri conscius, & facti pœnitens,

nitens, errori suo ab eo veniam postulabat, quòd per impudentiam injustè ei tantum intulisset opprobrium. At ille mirâ animi alacritate, utrâque manu, anteriorem tunicæ partem expandens; *Ecce*, inquit, *Pater, capax gremium ad recipiendas ejusmodi pro Christo calumnias, si quæ restant: gratias ea quidem a me expectare debes, pro his afflictionibus; & tu veniam errori tuo à me postulas? Quando ex eis sane tibi non accusator, sed debitor magis factus sum.* Sapientium Christi servorum ea mens est, ut pro delictis satisfactionem offerre quærant divinæ justitiæ, nec eis aliqua umquam satis gravis appareat. Cujus satisfactionis occasionem, si in importunis objurgationibus & castigationibus nanciscantur, ambabus arripiunt manibus, considerantes, quòd etsi respectu præsentis facti videantur iniquæ, tamen justæ fiunt si ad alia referantur oblita crimina vel obsoleta, quæ nihilominùs in recenti manent memoriâ Dei.

Vide de hoc Sorium ad 1. Febr. in Vita S. Ephrem.

Insuper suavis & admirabilis supremi Rectoris providentia, in eo nonnumquam occupatur, ut animum innocentis hominis quandoque cunctis fiat ejusmodi tempestate, quò per eam disjiciat aliquam eidem imminentem peccati tentationem. Quod quidem pro tunc ignorat homo ille; novit tamen, qui novit omnia Deus. Eam salutarem industriam, imitatus est aliquando, quidam sapiens Archimandrita. Innotuerat ei vehemens subditi tentatio circa carnalia. Ad eam curandam hujusmodi praxim inivit. Curam dedit fratribus variis, qui eum alacriter accusarent; & testantes unanimiter, quasi convincerent objecti criminis: quibus coram Superiore deductis, in teterrimum carcerem conjectus est. Ibi verò interrogatus, num adhuc cum istis spurcitiis confli-ctaretur, cum fletu respondit: *Vivere non licet præ tristitia, & fornicari luberet?* Sic iniquis illis accusationibus pertinax ille dæmon excussus est.

Apud S. Bernardin Tom. 1. Serm. 8. cap. 2. Et Hieron. Epist. ad Rust. Monach. post medium.

Disquiramus nos, an otiosis nostris mentibus insideat nescio quæ adulatrix complacentia, nostrique æstimatio. Quis meliùs pellet deceptorem hunc diabolum, nobiscum interiùs fabulantem, quàm rusticus aliquis obtrectator, aut plures simul juncti, qui fronti nostræ miserias nostras affricent, & aliter se de nobis ostendant opinari, quàm credebamus? Nulli certè efficaciores exorcismi ad dissolvendum vanas illas fascinationes, jamque conceptam stultitiam excutiendum. Agnoscamus igitur beneficium taliter liberantium nos, eisque sinceram rependamus charitatem. Multum absit, ut processus instituamus pro nostra demonstranda innocentia, honoris restitutione, & accusatoribus confundendis. Hæc omnia gentes & sæculares inquirunt. Unâ lege reguntur discipuli Christi, quam Paulus Apostolus registravit: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi; sed date locum iræ.* Et eamdem ipse Dominus observavit, dum in gravissimis accusationibus, ad stuporem usque tacuit, coram Senatu Judæorum, coram Pilato totoque populo, coram Herode & aula ejus universa. Quod silentium velut magnum virtutis miraculum, & admiratione atque imitatione dignissimum, sic

Rom. 12. vers. 19

prænuntiavit Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* *Isaiæ 53. vers. 7.*

Et hæc quidem, quæ de reprehensionibus irrationabiliter per privatos factis dicta sunt, erunt etiam extendenda ad correptiones, in quibus Prælati videbuntur modum debitum excessisse. B. Paschalis acres quandoque accepit Superioris reprehensiones, pro rebus levissimis. Quem cùm Fratres ei compatientes turbatum putarent, atque ad patientiam hortarentur, ille placidè respondebat: *Verè Spiritus sanctus per os Prælati locutus est; quis autem justè indignetur in nuntium, qui ex Dei nomine missus, ejus mentem exponit atque judicium?* Filius suos, qui sic in mansuetudine verbum susciperent correptionis, multipliciter beatificabat sanctissimus Pater noster Franciscus: *Beatus servus*, inquiebat, *qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ab aliquo ita patienter sustinet sicut à semetipso. Beatus servus, qui reprehensus benigne acquiescit, verecundè obtemperat, humiliter confitetur, & libenter satisfacit. Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam, & reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.*

Chron. p. 4. lib. 5. c. 22.

Opusc. Tom. 1. admonit. 22.

Nunc verò ad eos veniendo qui *nos arguant* rationabiliter, ampliores suppetunt rationes, propter quas eos *diligere* debeamus. *Meliùs est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Amicos eos existimemus, qui nobis veritatem aperiunt de nobis ipsis, quam nos amore proprio cæcutientes conspicere non poteramus. Amara quidem est illa veritas, & cordi vulnus infligit; sed *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*, sive adulantis, & in superbiam efferentis. Sapientes intelligunt optimè sinceram eorum amicorum dilectionem, & amicitiæ recognoscunt utilitatem. Etenim si vera sunt, quæ eis objiciuntur, laudant in animo suo, venerantúrque justitiæ zelum, & odium mali cujuscumque in fratribus istis, qui nesciant in peccatis militer dissimulare, neque vel minimam pati pietatis eclypsim. Venerantur etiam candorem animi, qui nesciat tacitè in animo contemnere, & foris amicitiam simulare; seu apertè quod displicet, proferunt: ut si fortè aliqua subsit displicentis facti excusatio, eam audire valeant: malunt que sibi-met explicari defectus, quàm clanculum cum aliis teri in speciem murmuris aut detractionis. *Ad amicum enim etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, ne timeas: est enim concordatio;* non autem à plaga dolosa.

Eccl. 7. vers. 6.

Prov. 27. vers. 6.

Eccl. 22. vers. 26.

Insuper, sapiens non potest non amare, quos de suo videt honore sollicitos, timentésque dedecori & pœnis delicta secuturis: qui cum audiant passim murmura de se sparsa, quæ ignorat ipse, fideles eos experitur; qui de periculo monent, retrahunt ab odiosis istis & infamatoriis moribus, urgentque ad id quod honestum est. Opportunus monitor, speculum est, monstrans maculas faciei, omnibus apparentes, præterquam soli maculato. Quis autem taliter desipiat, ut frangere velit speculum, vel irascatur eidem, quia suam sibi turpitudinem repræsentat? Præcipuum hujus

officii commodum, agnoscet animæ suæ salutem, divinæque amicitiæ redintegrationem. Eò enim tendit anxia cura piorum istorum monitorum, ne ipse quem arguunt, divinâ privatus gratiâ, in æternum labatur interitum. Regiam & magnificam legimus Assueri in Mardochæum gratitudinem, eò quòd paratas sibi detexisset insidias, eumque à nece præservasset. Ad eamdem se gratitudinem illis fatebitur obligatum, qui jam accensam Dei Iram, mortisque contra se dictatam sententiam denuntiabunt, & compellent ad postulandam tempestivè misericordiam, seque supplicanti jungere volunt ad pariter intercedendum. Potestne satis amari, laudarique mirabilis illa charitas Sanctorum quorumdam, qui linguâ propriâ purgabant putrescentia ulcera leprosorum? Hoc agit fratri suo defectuoso monitor opportunus, fœtentem illius saniem abstergendo suâ linguâ atque sanando. Quis autem sanæ mentis ita propriam amabit saniem, ut injuriam computet, & non beneficium potiùs, suum ulcus molliter discooperiri, suique fœtoris tolli materiam?

Esther 6.

Diligamus igitur eos qui nos arguunt, tamquam eos quos divina Providentia, nostri recordata, miserit ad aperiendum oculos, ad ostendendum salutis nostræ periculum. Unde enim moventur isti ad declarandum scelera nostra, aut delicta minutoria, nisi ab eo, qui suscitavit Prophetas antiquos ad clamandum & increpandum Reges, Sacerdotes, & populos peccatores? Censeamus eos sancti Spiritûs vices agere, quem promittens Salvator dicebat: *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato &c.* Et iste sanè Spiritus, Paraclitus est & consolator, quoniam summæ consolationis argumentum est & misericordiæ, redarguitio peccatorum; sicut è converso iræ summæ indicium, dum justo judicio, Deus Prophetarum linguas adhærere faceret palato eorum, ne ampliùs loquerentur. Sic iratus Dominus per Oseam comminabatur: *Unusquisque non judicet, & non arguatur vir: populus enim tuus, sicut hi qui contradicunt sacerdoti;* indignus scilicet qui moneatur ultrà, quia pertinax & indomabilis est. Hoc grave Dei judicium perpendentes quicumque viri oculati, studuerunt semper audire & obedire voci Dei, defectus suos arguentis per ora Superiorum. Mirabilis apparuit in eo studio F. Joannes de Zummaraga, primus Archi-Episcopus Mexicanus, qui in ea existens dignitate omnibus sextis feriis (quando de more Ordinis Fratres suas culpas agnoscebant, & pro delictorum ratione corripiebantur) ad Fratrum Conventum properabat, seque cum reliquis ad pedes Gardiani submissè demittebat, sua agnoscens errata, & super his monitiones illius reverenter auscultans. Sic fovit Humilitatem suam, & in Humilitate illustres alias virtutes, quæ usque hodie in universo illo novo orbe refulgent.

Joan. 16. vers. 8.

Oseæ 4. vers. 4.

Chron. p. 4. lib. 2. c. 4.

TEXTUS & §. XXXV.

Quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.

SUMMARIUM.

Ratio præcipua diligendi inimicos, quia dicit Dominus. *Quòd sic dixerit, est, quia vult pacem esse inter filios suos. Item, quia sibi soli reservavit vindictam persecutorum. Item, quia vult nos sic mereri peccatorum remissionem. Item, quia sic assimilamur Patri cœlesti. Præcipuus actus charitatis illius est, pro ipsis orare. Quatuor singularia sunt inimicis à Domino postulanda.*

QUàmvis jam multa producta sint, probantia justam esse atque salubrem dilectionem inimicorum, intellectum tamen jam obnubilatum non evincent, si malè apprehenderit hanc non esse consentaneam rationi: neque cor ad verum movebunt inimici amorem, si præoccupatum fuerit amore tenaciori propriorum commodorum, quæ subtrahi solent per adversarios: nec monitores admittent, cùm vitiis adhæserint obstinatiùs, aut esse viria nondum potuerint persuaderi. Quid igitur remedii, ut non permittantur in amaritudine animæ suæ pergere, extra viam charitatis fraternæ? Ad id quod videbatur eis contrarium rationi, velut cæci trahendi sunt, & contra malignæ naturæ pondus sursùm elevandi per amoris Christi reverentiam, hâc unicâ ratione: *Quia dicit Dominus*, ut videlicet viriliter agant, quod dicit Dominus, quàmvis renitente naturâ, & ratione propriâ non intelligente; ideo solùm, *quia dicit Dominus.* Hoc sufficiat amantibus eum, jamque scientibus eum fidelissimum, sapientissimum atque justissimum esse, qui noxia non suadeat, falsa non dicat, nec iniqua præcipiat vel impossibilia. Et fuit potentissima ratio, quæ innumeras animas simplices ad quæcum-

que

que ardua impulit & reddidit imperterritas in difficillimis certaminibus, *quia dixerat Dominus*, eumque verbi sui sperabant adjutorem, & juxta suam fiduciam experti sunt. Cùm verò liceat similium Christi præceptorum atque consiliorum indagare rationes, quasdam referamus, suaviter consolantes laborem hujus mortificationis, circa dilectionem inimicorum.

Vide Canfeld. Reg. perfect. p. 1. cap. 8.

Primò, Quòd Dominus hanc dilectionem insserit, quia Pater est omnium nostrûm, qui summum illud bonum vult universis filiis suis, ut unanimes sint atque concordes. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Adeòque non aliter potuit, quin serio gravique interdicto à filiis suis cunctas arceret inimicitias. Non ignorabat inter imperfectos quædam succrescere odiosa, & in corde pronasci fibras aliquas amaritudinis, & à spiritu nequam in agro suo zizania seminari. Sed abundantiorem esse voluit charitatem, quæ suo fervore cuncta absumeret contraria, omnia sufferret & multitudinem operiret peccatorum, & pro nihilo reputaret displicentes quascumque mutuas collisiones. Ut sicut manus aliquando palato cibum apponit nimis calidum, unde aduratur; neque tamen continuò vult eam abscindi, neque detrectat ex vindicta alimentum admittere, unde manus quæ deliquit alatur. Aut si dentes inopinatè linguam mordeant, non ideo tamen vult eos excuti, vel procul à se amoveri: sic etiamsi, quis nos cum dolore lædat, non ideo tamen fraternam amicitiam rescindamus.

1. Cor. 14. vers. 33.

Secundò, Demus ab imperfectioribus committi quæ mereantur vindictam, aut per vim timoremque debeant cohiberi; non ideo tamen Deus iras & inimicitias permittere potuit, quæ modum tenere nesciunt, justamque servare mensuram, & quibus frequenter se spiritus miscet crudelitatis, natans libenter in lacrymis & sanguine miserorum. Idcirco ipse Pater sibi vindictam reservavit: *Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.* Cùm igitur hujus casûs sibi dominium reservârit, numquid decet eum in hoc ut dominum honorare, cavendo ne denegatam nobis usurpemus auctoritatem? Deponamus itaque vindictæ cupiditatem, & reponamus ad Domini manum, *quia dicit Dominus.* Si necesse sit ac justum, ipse vindicans vindicabit, nobis interim in pace manentibus, & coronam expectantibus invictæ nostræ charitatis & patientiæ. B. Luchesius Tertiarius semel infirmum graviter affectum & attenuatum humeris gestabat. Obvius autem ei juvenis quidam vanus & lubricæ vitæ, factum improperavit, *Quodnam*, inquit, *hoc pondus tuum F. Luchesi? Nonne sentis diabolum tibi insidere?* Ad tantam insipientiam Vir sanctus illacrymatus respondit: *O miser, & miserabilis*, inquit, *mihi diabolus nequaquam insidet, sed Christus in suis pauperibus, qui dixit:* Amen dico vobis, quamdiu uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. Sancti sui verba secuta est Dei virtus & ultio: blasphemus porrò statim obmutuit, qui manum Altissimi recognoscens, in lacrymas & pœnitentiam fusus, quibus potuit signis opem viri Dei supplex implorat. His ille inflexus, & injuriæ immemor, Domino salutem ejus, factâ

Rom. 12. vers. 19.

Annal. Tom. 1. an. 1242. num. 7.

Matth. 25. vers. 40.

oratione, commendat. Vix eâ absolutâ, alter solutâ linguâ in gratiarum actionem: *Gratias*, inquit, *Domino, & tibi, frater Luchesi, cujus meritis lingua in Deum blasphema, & in pauperes suos contumeliosa, debitam ultionem evasit.* Socii quoque Fratris Liberati, fideles nostræ Regulæ propugnatores, ob id in gravem adducti invidiam falsò sunt hæresens insinuati apud Inquisitorem. Hic eos pœnis torsit inauditis, per menses quinque teterrimis carceribus mancipavit, & virgis cæsos per plateas Neapolitanas, in exilium ablegavit. Sed justus Dominus, qui justitiam diligit & æquitatem videt vultus ejus, ulcisci non omisit illatam tantam misellis injuriam. Etenim paulò post obiit Inquisitor, clarâ voce confessus, iniquè se oppressisse, & injustè condemnasse viros, quos non potuit juridicè de ulla culpa convincere, neque de sui Instituti aut fidei injuriâ redarguere.

Annal. Tom. 3. a°. 1307. num. 3.

Tertiò, Præcipuum honorarium illarum insignium animarum est, suorum indulgentia peccatorum. Est enim impossibile, ut non ei parcat Deus, qui propter verbum suum, & in Domini gratiam, parcit conservis suis. Etenim ne Pater misericordiarum videatur in misericordia superari à creatura, cogitur ipse parcere, & in gratiam recipere misericordem. Qui si insuper benefacere cogitet inimico, ad eamdem Deum provocat beneficentiam, ut concedat quidquid magna ejusmodi anima desideraverit. Allegat experientiam S. Bernardinus, in B. Bernardo, Francisci primogenito filio. Hic paulò ante obitum ab extasi rediens, dicebat: *Fratres, gratias mecum agite, quia Dominus me à pœnis absolvit Purgatorii.* Moxque hujus beneficii subjungebat rationem; dicens: *Non fui Frater Minor, nisi in uno, scilicet, quod numquam offendit me homo, quin specialis quidam amor mihi nasceretur in corde, ad illum ampliùs diligendum, quàm ante.* Atque hâc dilectione meruit Vir sanctus sua vicissim omnia debita condonari.

Tom. 2. serm. 56. art. 2. c. 4.

Quartò, Magnifica certè est liberalitas ista, divinæque proxima, quæ in ingratos, immeritos, & adversarios sese effundit: quia nullo adulteratur affectu commodi temporalis, aut alterius respectûs humani, sed ex eo solo se natam prodit, *quia dicit Dominus*; & ad sui pretii complementum junctam habet insignem suiipsius victoriam atque mortificationem. Hujusmodi fuit pietas illa sanctorum nostrorum Martyrum Berardi & Sociorum, qui Regis Miramolini exercitum, toto triduo siti fatiscentem, in deserto, fonte per miraculum excitato recrearunt, & præservarunt à morte. Nimirum quia didicerant ex Regula dixisse Dominum: *Benefacite his qui oderunt vos.* Quia verò nobis rarò externa suppetunt media adversariis benefaciendi, illud saltem impendamus, quod semper possumus, scilicet, quod nobis altera hujus textus parte commendatur.

Sedul. in Historia eorum.

Luc. 6. vers. 27.

Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Hoc est luculentissimum charitatis opus, quod nos è crucis cathedra divinus Magister edocuit, quando ipse cum clamore valido & lacrymis existens in actu sui propitiatorii sacrificii, simulque exhibens Patri sui sanguinis

& obedientiæ merita, tempore ferventissimorum odiorum, quæ à persequentibus & calumniantibus patiebatur, dum nullam ab eis expectaret gratiam actionem, ipsisque in summo existentibus periculo, in mortis articulo cùm tempus fingendi non est, sed omnia lætiò peraguntur, pro suis tortoribus Patrem oravit. Sic non verbis solis nos docere voluit eam perfectionem, sed & ipso opere monstrare, quo affectu, & quid orandum esset pro inimicis, & in quibus sit ista præcipua charitas exercenda.

Primò, si modis injustis ferantur in nos, ut præsumi possit eos Deum offendere, docemur hanc ante omnia gratiam postulare, ut Pater æternus illam eis noxam remittat, debitamque suspendat castigationem, quam nostri occasione promeriti sunt. Cùm enim Patris ira supremum sit malorum, ipsàque corporali morte horribilius, sic decet nos oblivisci mali nostri levissimi, ut totam nostram sollicitudinem convertamus, ad illud proximi gravissimum avertendum. Sic pius David parum æstimans sibi factam à rebelli filio injuriam, præ horrore judicii, quod imminebat eidem, *præcepit Joab, &*
2.Reg 18. vers. 5. *Abisai, & Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom.* In hoc tamen fuit imperfectior Davidis charitas, præ charitate crucifixi Jesu, quòd ille servis suis salutem commendârit filii persecutoris; Christus verò tortorum suorum salutem Patri commendâtit æterno, à quo solo vera salus atque securitas est expectanda. Ad eumdem nos mittimur, ut propitius fiat adversariis nostris. Ad eum confidenter accedamus, sperantes nos ei gratissimum facturos, acceptissimosque futuros. Sicut enim Dei filius numquam tam efficaciter cor Patris commovit, quàm dum in cruce, mediisque tormentis coram eo lacrymatus est: ita & nos in cruce positi persecutionis, Dei misericordiam commovebimus potentiùs, quàm si in mediis devotionis deliciis liquefieret anima nostra. Estque purior ea oratio & remotior ab amore proprio: cùm enim pro alieno, non pro nostro commodo laboremus, manifestè non nosmetipsos quærimus, sed quæ Jesu Christi sunt ejusque filiorum. Hujus doctrinæ memor generosus Fran-
Annal. Tom. 5. an. 1239. num. 5. cisci discipulus B. Cæsarius Spirensis, cùm lethale vulnus accepisset in capite, in terram cadens, nullam ostendit indignationem, sed mansuetè & patienter percussori veniam dedit, exoransque pro persecutoribus iisdem Christi
Lucæ 23. vers. 34. verbis: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*; atque illa pro se addens: *In manus tuas,*
Ibid. v. 46. *Domine, commendo spiritum meum*, sanctam paulò post efflavit animam.

Deinde, si exauditionis impedimentum durer in adversario pertinaciore, obicem ponente gratiæ à nobis postulatæ, hoc rogemus instantissimè, ut Deus turbulentiam in ejus corde componat & evacuet amaritudinem, non tam studio temperandæ propriæ quam sentimus afflictionis, quam sedandi doloris, quo spiritus ejus transverberatur. Scimus quàm crudele tormentum ira sit & odium, plùs proprium affligens hospitem cui insidet, quàm eum quem odit. Si veraciter amemus, sicut filiam suam energumenam amabat mater Chananæa, eâdem importunitate clamabimus & sollicitudine: *Domine, frater meus malè à dæmonio vexatur, libera eum & restitue cordis pacem.* Sic ad Matth. 15.
Dominum clamaverunt præclari duo martyres Valentini F. Joannes & F. Petrus, qui dum Annal. Tom. 1.
jussu Mahomerani regis ad martyrium rapean. 1231.
rentur, summas egerunt gratias, eam pro bene- num. 47.
neficio reddentes retributionem, ut aliquando Christianam agnosceret & amplecteretur veritatem. Nam defixis aliquantulùm in terra genibus, obnixè oraverunt pro ejus salute, divinomque interiùs acceperunt responsum, se exauditos. Neque inane fuit promissum, nam paucis post annis, & ille lucem accepit Evangelii, & Fratribus suum dedit palatium in monasterium exædificandum. Ejusdem animi cum his sanctis viris erat B. Angela Fulginas, quæ sic de se ipsa fatetur: *Desiderabam, quod totus mun-* In Vita
dus inferret mihi verecundiam, & mors mihi in- cap. 19.
ferretur, cum omni tormento. Et erat mihi multùm delectabile, rogare Deum pro illis, qui mihi hæc facerent. Et non mirabar de illis Sanctis, qui rogaverunt Deum pro interfectoribus & persecutoribus suis; quia non solùm debent rogare Deum, immo etiam conari specialem gratiam pro eis impetrare. Paratissima igitur eram, rogare Deum pro illis, qui mihi malè fecissent, & cum magno amore diligere eos, & illis compati. Quàm grata Deo illa pro persecutoribus intercessio sit, ipse semel B. Elisabeth Thuringicæ revelavit. Cùm Ab Avila
enim orasset Dominum, ut singulos, qui eam Epist. 6.
aliquâ affecissent injuriâ, singulari quodam donaret beneficio, ut injuriæ beneficium responderet, voce divinâ nuntiatum fuit, numquam Deo aliquam ejus orationem ita placuisse sicut illam, & pro ea concedi universorum veniam peccatorum.

Denique, si contingat ex justo zelo aliquem propter pravitates nobis esse molestum, huic debemus maximè orationum suffragia, ut qui bonum nostrum quærat, & æternam salutem; quemadmodum consideravimus §. præcedenti. Quàmvis enim dolorem inferant, tamen inferendo, nostra sanant vitia: quemadmodum chyrurgos, ut pedem luxatum aut brachium ad suam reducat compagem, necesse est aliquem causet dolorem. Item, quid sunt ea quibus nos spoliant cum aliquo sensu, nisi onera & circumstans nos peccatum? Cùm hæc Apostolus Hebr. 12.
deponere suadeat ad currendum expeditiùs vers. 1.
post Christum per patientiam, nos illi adjuvant, qui cum violentia quadam nos istis privant occasionibus peccatorum. Petulantium more puerorum, non poteramus adhuc à vanis vagisque libertatibus cohiberi. Quid pro remedio disponit Deus? Ut aliquis se larvâ induat horribili, simulans se nos auferre velle ac devorare. Sicut autem pueri, talis hominis occursu subitò territi, clamant, & domum fugiunt, ibique manent in tuto, ita nobiscum agitur, Expertus id etiam fuit S. David: *Tribulationem,* Psal. 114.
inquit, *& dolorem inveni, & nomen Domini in-* vers. 4.
vocavi: O Domine libera animam meam, misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur. Custodiens in sinu suo *parvulos* territos *Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.* Usquequò adhuc ita parvuli erimus, ut istos Dei famulos, larvatos quidem terribiliter, sed tamen amicos odiamus? Amemus potiùs, quia terroribus, qui-

quibus nos premunt, ad Deum ire compellunt. Supergressi ignorantiam infantilem, & bonum eorum obsequium intelligentes, reddamus gratiam, & Patrem rogemus cælestem, ut quod nos remunerari non possumus, ipse supplere dignetur. Deduxerat S. Raphael Tobiam juniorem juxta fluvium Tigris; ubi cùm exisset ut lavaret pedes suos, *ecce piscis immanis*
Tob. 6. vers. 2. *exivit, ad devorandum eum.* Nec ideo Tobias in Angelum excanduit, quòd ipsum eò deduxisset: quin potiùs ob multiplicia commoda ex piscis intestinis reportata, gratiam Angelo reddidit, &, ut ampliorem redderet pater, supplicavit. Afflictio momentanea monstrum est, terrens quidem, sed minimè devorans, cujus intima mirabiles operantur medelas. Eam viriliter apprehendite, non nocebit, sed proderit apprehendentibus; & orate Patrē, ut ei retribuat, qui fel istud vobis procuravit, quoniam *fel valet*, ait Angelus, *ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Sic quoque usum intellectûs reparabit inflicta vexatio, & exterminabitur vitiorum albugo, ut videri possit Deus Deorum in Sion.

TEXTUS & S. *XXXVI.*

Matth 5. vers. 10. Beati qui Persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

SUMMARIUM.

Multiplex Justitia, propter quam persecutionem patientes, acquirunt sibi jus regni cœlorum. Et quâ arte, adversitates omnes, undequaque venientes, converti possint in exercitium justitiæ.

BEatum dicit mundus populum, cui datur bonis temporalibus abundare, pace frui terrenâ, in omnibus agere prosperè, à quibuscumque procul esse calamitatibus, dulci foveri amicorum dilectione, nullumque adversarium pati. Sed non ita *dicit Dominus*; verùm contraria
Matth. 5. omnia: *Beati pauperes spiritu &c. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Cùm autem impossibile sit divinam falli Sapientiam certè mundus errat & decipit. Hunc igitur respuentes, illius ductum sequamur ad regnum cœlorum, *per angusta ad augusta.* Suavissimus fructus regni cœlorum, non in primam hujus vitæ, sed in secundam supernæ patriæ mensam infertur. In cruce acetum propinatum est Christo; post Resurrectionem mel comêdit, id quod persecutionem patientibus evenit: acetum, persecutionisque fel & amaritudinem hîc degustant; postea mellis pascuntur dulcedine. Nil tam obvium est in hoc exilio, quàm persecutio, hominumque mutua divexatio: vasa lutea sumus, quæ faciunt invicem angustias. Et quidem inferunt aliqui afflictiones propter justitiam, ut Superiores & judices: alii contra justitiam; & illi iterum vel scienter, vel ignoranter. Quocumque modo veniant, & undecumque; suscipientium est, eas *propter justitiam* pati, ut ita *ipsorum sit regnum cælorum.* Ut autem ostendamus, qualiter ab anima prudenti afflictiones omnes possint eò referri; notandum erit, ex S. Bernardini doctrina, multipli-
Tom. 4. serm 9. Dom. 8. post Pent. art. 3. cem esse Justitiam, quarum aliquam intuentes afflicti, & ex ea confortantes seipsos ad patientiam, se dignos constituant proposito præmio.

Primam vocat Justitiam Evigilantem: quoniam justissimum est, ut qui somno tepiditatis & oblivionis oppressi jacent, neque cum cæteris pergunt pro sui statûs exigentia, alicujus percussione punitionis evigilare cogantur, ne viâ mediâ jacentes, pervenire non valeant ad civitatem. Beatus qui tales habet excitatores, si modò non obstrepat illi justitiæ castiganti, sed æquo animo agnoscat illius misericordiæ beneficium. Sic multi in suis ambulantes libertatibus, nec de propria salute solliciti, persecutione quâpiam indirectâ, vel amicorum infideli derelictione agitati, evigilarunt ad vitæ melioris institutum, & ad præsentem futuramque beatitudinem. De his potuit dictum esse per Isaiam: *Panis comminuetur: verùm non in* Isaiæ 28. vers. 28.
perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum. Et hoc à Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, & magnificaret justitiam; quæ tunc optimè magnificatur, cùm flagella, quæ in vindictam permittit delictorum, à delinquentibus ob amorem justitiæ humiliter suscipiuntur. Unum è mirabilibus consiliis istis fuit rigor Summi Pontificis Clementis VIII. & Ordinis nostri Superiorum, in B. Bartholomæum Salutium, laxiùs viventem, unde ad meliorem vitam excitatus est, & beatitudinem consecutus persecutionem patientium, propter justitiam supradictam.

Altera Justitia est Multiplicans, quæ proprii cordis non contenta limitibus, ad alios simul trahendos extenditur, ut non sola ipsa Deo serviat, sed servorum ejus multiplicet numerum. Quemadmodum enim planta quælibet si viva est, numquam se ipsâ contenta est; sed producit ex se multiplicatum semen, innumeras ex se plan-

plantas producturum, cum eadem seminali virtute: sic & viva Justitia, alias innumeras sui similes justitias germinabit, fœcundissimo zelo. Sed qui conjuravit contra gloriam Dei satanas, invidere non cessat, omnique tempestatum genere benedictam illam concutit multiplicationem, si fortè valeat impedire. At beati, qui hâc occasione persecutionem patiuntur. Propter

2. Cor 12. vers. 10. hoc, ait Paulus: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Eamdemque mentem, desiderans S. Jacobus universis im-

Jacob. 1. vers. 2. Vers. 12. primere Christiania, scribit eis: *Omne gaudium existimate, Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*; & deinceps promittit eis coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, & ex dilectione laborantibus ad servorum Dei multiplicationem. Apparuit in sanctorum Martyrum tolerantiis, quot millia per patientiam acquisiverint Christo, ita ut meritò dixerit S.

Serm. 1. in Natali SS. Petri & Pauli in fine. Leo Papa: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

Tertia Justitia est, Conformans Christo patienti & crucifixo. Justum est enim, servum non melioris esse conditionis quàm sponsorem illius, militem quàm ducem, filium quàm patrem. Cùm igitur nos specialiter vocati simus in societatem filii Dei, tamquam servi, milites, & filii ejus, ipseque sit ingressus in spinas, verbera, clavos, & dolores; an detrectabimus pressuras easdem in Ducis nostri societate? En præ-

1. Petri 4. vers. 13. co ejus D. Petrus clamat ex alto: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.* Hic onus stimulus nobis sufficiat ad magnanimitatem in duris quibuslibet incidentibus. Per sanctam istam æmulationem, duri, infracti atque invicti facti sunt insigniores Fratres nostri, erubescentes non inveniri in paupertate, doloribus, & angustiis, cum Crucifixo suo dilecto. Horum æstuantia desideria velut in imagine delineata videmus in anima Seraphici Bonaventuræ, qui se ipsum celare non potuit, quin exprimeret ea in Opusculo, quod *Stimulum divini amoris* intitulavit, ubi stylo suo Seraphico graphicè declarat, quales cæteri conservi fuerint, & nos esse debeamus.

Quarta justitia, Triumphans sive coronans, mirabiles animos addit ad tolerantiam. Numquam defuerunt, neque deerunt veritatis & pietatis impugnatores, acres ad promovendum regis sui satanæ voluntates. Sed numquam etiam ex adverso generosi desunt viri, quibus displicet gloria & regnum iniquitatis, qui totis nituntur viribus, ut conteratur satanas sub pedibus eorum. Hoc ardenti spiritu correpti Martyres, erexerunt se contra defensores idololatriæ, Sancti Doctores, contra legum transgressiones, Concionatores, contra omne quod Dei imminuit gloriam. Quo in certamine dum fervent Sancti Prophetæ, Apostoli, & intrepidi Concionatores, calumniis impetuntur, confictis diffamationibus, carceribus, verberibus, exiliis, aliisque malis innumeris. *Beati* autem, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ad horum cœtum & gloriam pertinent insignes illi pugiles Regulares, qui propter veram regulæ observantiam, reformationesque promovendas, etiam talia passi sunt. Non tamen illis se quidam reputent annumerandos, qui propter pertinaciam in suo sensu & hypocrisi, propter meliorum contemptum, propter novitates speciosas, quæ ad rem non pertinent, neque conscientiam tangunt, propter iniquas sui Ordinis diffamationes, inobedientias, & impietates alias, zeli nomine palliatas; à Superioribus justo judicio punirentur.

Quinta justitia, Glorificans est, & præmium æternæ gloriæ acquirens viriliter. Non est contenta sibi gratis donari regnum, aut per meritum alienum, neque per nudas suas supplicationes; sed cogitat persolvere magnanimiter pretium, sciens justissimum esse, ut qui tam ingens ambit bonum, depromat modicum illud, quod istius boni exigit distributor. Usitata est apud omnes, etiam barbaros ipsos, hujusmodi justitia commutativa: præsertim dum adjunctam habet tantam datoris liberalitatem, certamque fidelitatem, ut adjuncto levissimo pretio sibi satisfactum fore promiserit. Hoc perpendens nobilis anima, cùm sciat pro passionis tolerantia promissum à Domino regnum cælorum, præ hujus desiderio expectat & exoptat persecutores, & dum veniunt, toto excipit affectu, ut per eos mereri possit quod promissum est, & jus acquirere, quod est ipsi ab ore creatum dominico. Hinc illud admirabile gaudium, gratiarum actio, & vox laudis in mediis vexationibus, & acerbis injuriis, & spes ineffabilis super illo liberalissimo verbo: *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5. vers. 11.

De aliis Justitiis, quas loco citato D. Bernardinus enumerat, alibi superiùs in diversis Paragraphis satis actum est; ut proinde non videantur hîc repetenda.

Porrò, cùm accidat servos Dei angi multipliciter occasione pietatis temeratæ, tametsi nullus persecutor eorum personas directè impetat, existimat Simon de Cassia, non privandos illos hoc solatio, dato in spe regni cælorum, dum ait: *Non solùm persecutio attendenda est in illatis corporaliter pœnis, & in his malis quæ possunt linguâ proferri; sed justis, pati à virtute dissimiles hominum mores, etiam nullis illatis aut dictis adversis, magna persecutio est.* Quam etiam sententiam egregiè docuit magnus Pater Augustinus: *Quid*, inquit, *sic persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum? Non cùm cogit imitari quod displicet; sed cùm cogit dolere, quod videt: quoniam coram pio vivens impiè, etsi non obligat consentientem; cruciat sentientem. Non sæpè & diu impiorum corporibus à sæcularibus potestatibus, & quorumlibet vexationibus parcitur: piorum autem cordibus, à malis hominum moribus numquam parcitur, usque ad sæculi finem.* Hæc est Persecutio, quam patiuntur omnes qui volunt in Christo piè vivere &c. Hæc erat perse-

Lib. 10. cap. 11.

Epist. 145. ad Sebastianum.

cutio

1. Petri 2. vers. 8. entio Lot, de quo D. Petrus: *Lot*, inquit, *habitans apud eos*, id est Sodomitas; *qui de die in diem animam justam* (ipsius scilicet Lot) *iniquis operibus cruciabant*. Hanc persecutionem adumbrat illa Jacob & Esau collisio in utero
Genes. 25. vers. 22. matris: *collidebantur in utero ejus*, id est Matris,
Serm. 78. de Tempore. *parvuli*; prout D. Augustinus interpretatur, dicens: *Sicut duo parvuli in utero Rebeccæ collidebantur; sic in utero Ecclesiæ, duo sibi populi jugiter adversantur. In ventre spiritali Rebeccæ, id est Ecclesiæ, duo populi colliduntur; humiles scilicet & superbi, casti & adulteri &c.* Beati qui etiam hanc persecutionem ita patiuntur, ut non æmulentur facta pessima peccatorum; sed continnam ad eos teneant displicentiam. Ipsorum est regnum cœlorum, pro zelo justitiæ, quem nullatenus dimittunt, in medio nationis pravæ atque perversæ.

TEXTUS §. XXXVII.

Matth. 10. vers. 22.

Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

SUMMARIUM.

Perseverantia in bono, per Legis Veteris sacrificium adumbrata. Dolendum, antiquos aliquos Ordines à primævo defecisse fervore. Causæ unde id provenerit. 1. Quòd se Religiosi illi, ad mundi bona, conversationesque converterint. 2. Quòd etsi quidam mala mundi non fuerint prosecuti; bona tamen quotidie nova attentârunt, & ita inceptis omnibus, nil perduxerunt ad perfectionem 3. Quòd aggressi sint, quæ vires proprias superarent; unde post delapsi sunt ad inferiora. A quibus malis salvus erit, qui perseveraverit usque in finem.

GLossa ordinaria super allegatum S. Evangelii textum, scribit, in illo virtutem doceri Longanimitatis, *non enim cœpisse, vel facere, sed perficere virtutis est.* Unde cauda hostiæ
Levit. 3. vers. 9. jubetur offerri, dicente Domino: *Offerent de pacificorum hostia sacrificium: adipem & caudam totam.* Non reliquæ partes hostiæ sufficiunt Domino, sed *caudam* postulat; neque hujus tantùm partem aliquam, sed *caudam totam.* Cujus legis moralem rationem D. Gregorius adducens ait:
1. Moral. cap. 40. *Caudam in altari offerre præcipimur, ut videlicet omne bonum quod incipimus, perseveranti fine compleamus.* Illud est infirmitatis humanæ non minimum dedecus, quòd licèt divinâ præveniente gratiâ moti, bonum aliquod incipiant homines, non tamen perseverent in eo: seque hæredes ostendunt illius Angeli miseri, qui in veritate non stetit, & eorum parentum filios, qui dono præditi innocentiæ, in eo minimè perseverârunt. Hoc de suis etiam filiis timens Vir Dei Franciscus, ingerit eis Evangelicum illud: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Non illius erit acceptabile sacrificium, pacificum, & salutare, qui caput solùm, sive initium vel etiam progressum aliquem obtulerit religiosæ conversationis, sed qui *caudam totam*, seu qui perseveranti fine compleverit, *hic salvus erit.*

Dolendum est, & amarissimè deplorandum, Religiosos aliquos Ordines à sanctissimis institutos Fundatoribus, secundùm perfectissimas Regulas & discretissimas constitutiones, in omni primitùs exortos splendore sanctitatis; ita succedentibus temporibus à primævo recessisse fervore pietatis, & modestiâ disciplinæ, ut circa eos resumenda videatur lamentatio Jeremiæ: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus &c.? Filii Sion*
Thren. 4. vers. 1. & 2. *incliti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Io nostra etiam Seraphica familia hanc miseriam ità experti sumus, ut ipsis D. Bonaventuræ temporibus, imò coram ipsis sanctissimi Institutoris oculis, inclinante pravitate naturæ, & succrescentibus zizaniis inimici, languere cœpetit disciplina, & ita frigescere succedentibus annis, ut à primæva forma non modicum defecerit, & necesse habuerit vigilantiâ Prælatorum, & zelo ferventium Fratrum (quos Deus & Franciscus providit semper) per crebras restitui reformationes. Nec mirum; nam *& qui serviunt Deo non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem.* Job. 4. vers. 18. Investigemus autem hujus miserabilis instabilitatis originem.

Primò, Exindè frequenter videmus, eos qui gustaverunt donum Dei in religiosa vocatione, ad turpem prolabi inconstantiam, quòd oblatis bonis aliis, imprudens anima stultè sistat gradum: quemadmodum contingit venatricum canem, dum feram deberet insequi, reperto in via cadavere, è cursu desistere, & fraudare suâ operâ venatorem. Simili modo quandoque Religiosi qui currebant bene, non tamen comprehendunt, quia ante metam à cœpto impediuntur itinere. Illi non discipulis Christi veniunt connumerandi; sed turbis. Istis dicit

Lucæ 22. vers. 28. Matth. 15. vers. 32. dicit Salvator: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*, de his verò: *Triduò jam perseverant mecum*. Quis cum Christo non perseveret vitam totam, imò per totam æternitatem? Quis amicus dulcior? Quis rex potentior? Quis dominus munificentior? Quis pater indulgentior? Quis sponsus inveniri potest pulchrior & amabilior? Meritò sanè sacra illa Sponsa: *Teneo*, inquit, *eum, nec dimittam &c. Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium*. Turbæ tamen, postquam manducaverunt & saturati sunt, dimissæ, à Domino recesserunt; sed non ita Discipuli; nam illo interrogante: *Numquid & vos vultis abire?* respondit eorum nomine Petrus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Perseveremus cum Christo, nequaquam deseramus illum umquam, in deserto Religionis, & cruce pœnitentiæ.

Cant. 3. vers. 4. Sapient. 8. vers. 16. Joan. 6. vers. 68.

Si placuit nobis primitùs pulchritudo virtutis, & juxta ejus directionem cœpimus ambulare, cum perseverandi intentione; quid est, unde displiceat postea, ut negligamus eamdem? Eadem semper est suique similis, licèt forsitan animæ cæcutienti, non ita semper placida videatur. Novitatum amatores, in suorum operum initiis fervent, infatigabiles sunt, & laboriosa quæque recreant; non quia bona sunt, sed quia nova: quæ dum usu longiore incipiunt antiquari, fœdent eis, importabilia, imò noxia reputantur, & faciliter abjiciuntur. Illud autem frequentiùs videmus accidere, dum, viri qui mundo renuntiantes ab eo se statuerunt elongare, postmodum iterum plùs æquo negotiis sæcularibus implicantur. Inde obscuratur aurum, & mutatur color optimus; cùm *dispersi sunt lapides vivi, sanctuarii* Religionis, *in capite omnium platearum*, cùm videlicet foris, extra monasterii quietam solitudinem, vanis & inutilibus occupationibus, curiositatem aut sensualitatem momentaneè pascentibus, intermittunt virtuosa conventûs exercitia: quibus per dissuetudinem in fastidium versis, rursum sæcularibus assuescunt moribus, & à religiosa degenerant conversatione; sicut de Judaico populo scriptum est: *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum: & servierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum.*

Thren. 4. vers. 1. Psal. 105. ver. 35. & 36.

Huic instabilitatis occasioni, ut obviaret sapientissima Carthusianorum Religio, hæc tria remedia semper tenaciter observavit. Io primis silentium, & raram etiam cum ipsis confratribus communicationem, per quam solent nnius miseriæ ad plures dimanare. Deiode solitudinem & integram à mundo abstractionem, quem sic omnes ignorare cognutur, ut toti solis rebus cœlestibus præparentur. Denique accuratam severamque visitationem, quæ minimas etiam transgressiones & obliviores severâ perstringit castigatione, atque ita avertit abusus, & Religiosos in uniformi atque absoluta coarctat regularum obedientia. His, inquam, mediis ea præclara Religio perseverat in vigore primævo, seque præservat à necessitate reformationum. Unde natum est commune proloquium: *Per Si-, So-, Vi-, Carthusia manet in vi-*; quod est dicere? *Per Silentium, Solitudinem, Visitationem Carthusia manet in vigore.*

Maubur nus in Rosito exer e.e.p. 8. dist. 8. t. a. cap. 1. memb. 3.

Secundò, Suspicor quosdam alio diverticulo subtiliori à cœpto abduci tramite, quòd nimirum non adhæreant malis; quin imò bona meditentur, sed nova quotidie, sic ut numquam unum prout decet perficiant, unum vitium non eradicent, uni bono necessariò non assuescant, quia omnia probare volunt, nihilque perficiunt. Similes ei, cui in Nundinis omnes merces placent, exponitque pecunias universas; rum io emendo panno, sed qui non sufficiat ad completum vestimentum; tum in emendis coloribus ad picturam, sed sibi tobrum solum comparat vel cæruleum: emit item sclopetum, sed absque nitrato pulvere, plumbeisque glandibus; & cytharam absque fidibus: Quæ omnia completè coëmpta, ab iis qui norunt uti, proficua forent; huic autem fatuo prorsùs inutilia sunt. Ferè similis est illius imprudentia, qui hodie animum adjicit ad regendi prudentiam, qui tamen numquam Superior erit: cras finget se concionatorem, seque disponere volet ad hoc munus, cùm tamen ineptus sit: perendiè cogitabit de fratrum Laicorum officiis, cui tamen, nec vires, nec industria suppetunt. Obliviscitur interim in iis se exercere, quibus à Deo mancipatus est, iisque studere, quæ ad quietem animæ necessaria. His ingeri posset monitio Marthæ directa: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum est necessarium*. Incumbant illi Religiosi necessariæ privarum inclinationum emendationi, & postquam unam earum perfectè subjugaverint, tunc se accingant alteri debellandæ; sic tandem poterunt ad perfectum triumphum, plenamque quietem animæ pervenire. *Ibi recepturi sunt præmium*, ait Sanctus Prosper, *ubi non solùm devicti, sed etiam finitis hostibus triumphabunt: ibi triumphabunt, ubi alterius adversarium non habebunt.* Lucæ 10. vers. 41. De vita Contempl. l. 1. cap. 1.

Tertiò, Alia ratio desistendi ab opere cœpto potest in aliquibus observari, videlicet, quòd non libratis viribus propriis, graviora se per imprudentiam aggrediantur, sub quibus fatiscentes tandem cessare coguntur. Laudabilis est bona voluntas; sed non in hoc, quòd indiscreta sit & præsumptuosa, dum vult heroica facta Sanctorum æquare, ad quæ nec vires, nec fervor, nec ingenium suppetunt. Prudens homo, volens turrim ædificare, prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum: *ne posteaquam posuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Extra periculum sumus à bono opere desistendi, si ad moderatissimam nostram Regulam nos cum cæteris componamus: eaque est sufficiens sanctitas, Regulam observare, in simplicibus parvisque exerciis in ea præscriptis, cum devota ferventique charitate. Secretas autem abstinentias, vigilias &c. ultra vitam communem & contra præscriptum obedientiæ frequentare, periculo plenum est, & merito vacuum. De tali abusu Lucæ 14. vers. 28.

con-

conqueritur D. Bernardus contra Novitios & adolescentes monachos, qui cum zelo indiscreto & salutis periculo ultra communem vitam, contra B. ernardi voluntatem, multa opera laboriosa clam faciebant : [Serm. 19. in Cantic.] *Non sufficit*, inquit, *vobis regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura quam vobis partimur, in vestimentis, & alimentis, privata præfertis communibus &c.* quod ipse velut indiscretam vehementiam, imò intemperantiam potiùs nimiùm obstinatam redarguit.

[Eccl. 7. vers. 17.] His dicitur per Sapientem : *Noli esse justus multùm, neque plùs sapias quàm necesse est, ne obstupescas*; hoc est, ne fortè postea fragilitate victus, cum infamia retrocedas. Sunt enim multi, qui indiscreto fervore ac zelo austeritatis, difficilem arripiunt viam, quam postea continuare non valentes, cum rubore resiliunt, & aliquando postea pejores fiunt quàm fuerant ante, & majori cum libertate laxitatibus indulgent : eo nempè modo, quo aqua repressa, si aditum inveniat, majori impetu fluit : & quò vinum sit antea melius, si acescat, fit acrius acetum, quàm ex ordinario vino. Et tali poterit illud Isaiæ applicari : [Isaiæ 1. vers. 22. Jac. 5. vers. 3.] *Argentum tuum versum est in scoriam.* Et illud Jacobi : *Aurum & argentum vestrum æruginavit.* Vidimus aliquando eos, qui extraordinariis aliquamdiu vacaverant rigoribus, ita fuisse viribus debilitatos, ut necesse habuerint postea etiam in communibus Ordinis exercitiis dispensari. Sic aliis postmodù oneri fiunt, & minùs de austeritatibus habent, quas appetierant magìs; quoniam debent deinceps à communibus abstinere rigoribus, & extraordinariis commoditatibus indulgere. Satiùs est, cum humilitate juxta Regulæ constitutionumque præscripta, & præcepta Superiorum viâ regiâ Sanctæ Communitatis incedere, ut valeamus arreptum opus exitu congruo terminare. Non tamen negamus, quin illi, quibus Deus cum magnis voluntatibus, magnas quoque contulit vires, suâ laude & præmio digni sint, si magna auspicentur; hi enim magno nobilique animo, utique perficient, & in finem usque perseverabunt.

Qui autem perseveraverit usque in finem *hic salvus erit.* Salvabitur à diris illis tempestatibus, quibus innumeri in horrendo mari vitæ hujus absorbentur. Salvabitur ab atrocibus adversariis, qui modò per insidias, modò aperto marte mortem nobis moliuntur inferre. Salvabitur ab isto tenebricoso & fœtido carcere, quo ab aspectu amabili divini vultûs arcetur. Salvabitur ab horribili incendio, quo involvuntur omnes inimici Dei, & ignavi cursores, qui non perseverârunt usque in finem, labore levissimo fatigati. Cum benedicto Domino Jesu, dicet Patri cœlesti; *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* [Joan. 17. vers. 4. 2. Tim. 4. vers. 7.] Et cum Apostolo gentium Paulo : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Hujus coronæ promissio facta est F. Rolandino de Florentia, [Annal. Tom. 1. an. 1241. num. 11.] cui prolixiùs in Ecclesia oranti, apparuit super altare immissus quidam radius, solari non inferior splendore, quem puer quidam ineffabilia decoris & pulchritudinis insedere visus est, coronam auream in manu ostentans, paremque in capite gestans, Fratrem Rolandinum ex nomine vocavit : *F. Rolandine*, inquit, *persevera, hæc tibi reposita est corona.*

CAPUT UNDECIMUM.

Quòd Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.

PRæcipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur Monasteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum; ne hâc occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur.

TEXTUS & § I.

Præcipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia mulierum.

SUMMARIUM.

Quanto studio Castitatem servare debeant omnes Religiosi. Specialiter verò. 1. Contemplationis studiis intendentes. 2. Concionatores. 3. Sacerdotes. 4. Superiores. Vbi per totum ostenditur, quàm periculosa sint his omnibus frequentia Mulierum consortia.

TErtia perfectio, Statum constituens Religiosum, est sancta Castitas, quæ consecrans animam perfectiori sublimiorique Dei servitio, elevans supra mondum, cœlestibus coæquat spiritibus, qui à carnalibus remoti ioquinamentis, solùm solliciti sunt quæ Domini sunt, quomodo placeant Deo. Nos igitur, hujus immaculatæ virtutis professores, oportet continuò meminisse, quid egerimus eo die, quo cor & corpus æterno Deo liberè consecravimus, & animæ nostræ in honorabiles Jesu Christi sponsas assumptæ sunt, hominibus & Angelis applaudentibus. Elegimus, juxta præceptum Dei, solum ipsum amare, & à corde oostro creaturas excludere, illas præsertim, quæ cordi virorum fortiùs dominantur, quarumque amor minus relinquit lumen rationis rectæ, ad dignoscendum verum, vitamque dirigendam. Quàm multis sanctis magnisq; cogitationibus noonumquam sese erigunt uxorati! Sed ecce, dum se parant ad executionem, conjugalis amor, veluti lapis collo alligatus, deorsum trahit miseros, & experiuntur verissimum esse quod dixit Ecclesiasticus:
Eccl. 25. vers. 30. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.* Parum autem refert, si primatum habeat auctoritate usurpatâ, sive affectione dominante. Elegimus non delectati in creaturis; maximè verò, non gustare voluptates illas viles, ad quas vehementiùs hinnit corruptæ oaturæ concupiscentia. Statuimus solius cœlestis Sponsi expectare delicias, prout ipsi placuerit distribuere, & carnalia protsùs nescire delectamenta; tamquam ad formam reducti iosaotilis ætatis, juxta Christi mentem, quam D. Ambrosius observavit. Postquam enim retulit consilium ejus de virginitate sectanda *Matth.* 19. formæ illius explicandæ occasionem sumit ex eo, quòd immediatè post
Matth. 19. vers. 13. propositum consilium, *Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret.* Quod sanctus Doctor io hunc modum nostro præsenti applicat institutn.
Lib. 3. de Virginit. parte 3. operum. *Qui*, ioquir, *corruptela expertes, integritatis munus immaculatâ ætate servarent. Talium est enim regnum cœlorum, qui in puerilem castimoniam, tamquam in naturam infantium, corruptela ignorantiâ remeaverint.*

Nos igitur Religiosi, qui saluberrimum illud Domini Jesu consilium sectati sumus solemni Castitatis professione, illam gemmam pretiosissimam sollicitè custodiamus, caventes ne qoâcumque libidinis immunditiâ ipsam contingat nllatenùs temerari. De conatibus hostilibus contra eam virtutem, nos præmonet B. noster Ægidius: *Caro nostra*, inquiens, Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 10.
instar porci est, cupidissimè ad lutum properantis, & in eo commorantis. Est etiam similis scarabæis, qui semper versant equorum fimum. Caro nostra, hostis nostri diaboli athleta est. Cuidam autem Fratri percunctanti ex ipso, qui se posset ab omnibus peccatis carnalibus tueri, sic respondit: *Qui saxa grandia aut ingentes trabes aliò transferre vult, plùs utitur ingenio &* Ibid.
industria suâ, quàm viribus: ita hic quoque agendum est. Quævis enim vitia officiunt puritati sive castitati, quæ similis est speculo mundo, quod tamen anhelitu obscuratur. Fieri autem non potest, ut ad Dei gratiam pertingat is, cui libet in carnalibus vitiis permanere. Caro nostra semper insidias tendit nobis; & qui edomat eam, omnes vincit hostes suos, & nihil non obtinet. Propter quod D. Ambrosius Virginibus salutarem scribens exhortationem, monet eas hoc uti remedio: *Mortificate membra vestra, ut* Exhort. ad Virgines circa med.
tympani modo (alludit ad tympanum, quo ludebat Maria soror Moysi & Aaron *Exodi* 15.) *nulla in iis lascivia carnis exæstuet, omnisque flagrantia corporalis sensus intereat. Nesciat in iis nisi in mortuis voluptatibus solus spiritus resultare. Si enim mortui fueritis peccato, vivetis Deo. Vivetis autem, si non regnet in corpore vestro mortuo ulla concupiscentia. Versate manibus vestris crucem Domini Jesu, & in vestris eam operibus allevantes, calcate mundi hujus profundum, & pertransite, ut ille sicut equus adhinniens in libidinem, nullum locum inveniat in vobis, & quicumque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur. Dexterâ, lævaque circa vos aquæ murus sit, ut vapor omnis corporis temperetur, donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & septuaginta arbores palmarum, & ad illam magni requiem sabbati, divina vos dignatio perducat, & in monte hæreditatis suæ plantare dignetur, ubi sancta Maria choros ducit.* Hæc Ambrosius.

Secundò, illi quoque, quibus datus est familia-

miliarior ad Sponsum accessus, per contemplationem & singularis prærogativam amoris; curent semper vestiti manere byssino splendenti & candido Castitatis. Incorruptio carnis, quæ facit esse proximum Deo, ipsa est, quæ eos in divina contemplationis cellaria introduxit. In mystico Christi corpore ipsi sunt *oculi, sicut co-* [Cant. 5. vers. 12.] *lumba super rivulos aquarum, quæ lacte lota sunt, & resident juxta fluenta plenissima.* Nimirum *oculi*, ad contemplandum amabilem illam pulchritudinem, æternique Patris divinitatem. *Sicut columba*, simplicissimi scilicet, puri atque sinceri, *super rivulos aquarum*, è fontibus inexhaustæ divinæ essentiæ profluentium; ex qua, quidquid humano intellectui considerabile est, veluti modicus rivulus effluit. *Quæ lacte lota sunt.* Ingrediantur suorum cordium penetralia, videantque num verè loti sint, & an lacte loti, quo candidissimi facti sint; quod utique non fit, nisi medio Castitatis. Quem candorem adeptis, meritò residere permittitur *juxta fluenta plenissima*, opera scilicet humanitatis, divinitatisque Domini Salvatoris. Utinam dentur nobis pennæ sicut columbæ talis, quibus volemus & requiescamus in Domino, & supergrediamur quidquid vile atque terrenum est.

Iterùm, à Castitatis sensu probare possunt suæ contemplationis conditionem, num vera, vel falsa sit. Principes Contemplativorum fue- [Dan. 10.] runt Ezechiel, Daniel, & S. Joannes Evangelista. Post contemplationes eorum, non remanebat in eis fortitudo, sed & species eorum mutabatur in eis, emarcescebant, nec habebant quidquam virium; in corpore scilicet, ob terroris, vel suavitatis vel admirationis excessum. Tametsi hujusmodi naturæ debilitationes non omnibus contingant; quia nec omnibus tanta manifestantur mysteria: semper tamen hoc efficit vera Dei contemplatio, ut vires extinguat concupiscentiæ sensualis, plusquam omnes rigores externi, magnâque ex parte immutet animæ gustum; ita ut nil ei tam amarum, fastidiosum & fœtidum videatur, quàm terrena delectatio, & ex amore cœlestium confirme- [Osee 13. vers. 15.] tur in eis purissima Castitas. *Adducet Dominus*, inquit Propheta, *ventum urentem de deserto, & desiccabit venas mortis.* Quod Gilbertus ad hoc [Serm. 15. in Cant.] nostrum propositum taliter interpretatur: *Quis alius desiccavit venas mortis, nisi Dominus Jesus, quem nobis intemerati ventris desertum refudit? Et nescio*, inquit, *si uspiam libentiùs spirat ventus iste urens, quàm in casta & illæsa integritatis deserto & invio. Hæc loca libenter perflat, & casti corporis animam charitatis fervore decoquit, spiritualibus liquefactam desideriis tenues resolvit in vapores, & veluti fumi virgulam exurgere facit. Bonum desertum caro, castitatis exhausta & desiccata virtute, quæ nullam delectationis immundæ nebulam exhalet, nec ignem extinguat, sed nutriat, quem Domini flatus accendit. Ignis hic aromaticam si invenerit animam, accendit, & in alteram commutat speciem, & quasi virgula fumi exhalat in superiora.* Idem post pauca demonstrat, qualis esse debeat Continentia, ut perfectè placeat Deo. *Bona Myrrha, quæ carnis petulantia reprimit, & fluxos motus lascivire non sinit, & carnem non esse carnalem compellere nititur, Sed Continentia nostra Myrrha corpulenta videtur, & minùs castigata, & quasi vicina carni, nisi fuerit igne cælesti, hoc est amoris divini fervore liquefacta. Bona quidem Continentia Myrrha, quæ pergentem ad illicita cohibet appetitum; sed alterius est suavitatis & gratiæ, quando charitatis ardore liquescens, crassum omnem & carnalem nescit affectum. Igitur, quibus in animo est, ad quieta Contemplationis admitti delicias, hæc prima sit cura, nescire carnales.*

Tertiò, Concionatores etiam, quorum fulgore mundus illuminatur, prodeunte ex ore eorum divini Verbi majestate, considerare debent, quòd sint *Lux mundi*, ad quam nulla pertingere debet immunditia concupiscentiæ. S. P. N. superiùs Cap. 9. commendavit eisdem habere *casta & examinata eloquia*; neq; dubium est, quin magis castos ab eis mores exegerit & cogitationes. Cùm idem sit eorum officium cum intemerata Maria Virgine, similem quoque decet eos induere, quoad fieri potest, integritatem. Istius sacratissimæ Virginis manibus Verbum Dei mundo voluit præsentari, sed tanta cum puritate, ut ad hanc tuendam Spiritus sanctus insolito miraculo dignum judicaverit suam impendere omnipotentiam, ne Verbum Patris per minimas sordes ad nos transiisse videretur. Prædicatoribus commissum est idem Verbum, in corda Christi sponsarum immittendum. Sic itaque illi custodiant semetipsos, ut illud ipsum non dedignetur per eorum ora transire; & tantò majori eum reverentia illud suscipiet populus, quò evidentior honestatis eorum certitudo fuerit atque constantia. Refert Antonius de Guevara, S. Bernardinum Concionatori cuidam aliquando dixisse: *Sicut verba Christi sanctissima* [Orat. Relig. cap. 5.] *sunt, sic etiam castum exigunt eorumdem prædicatorem: aliàs etsi prædicet ut alter S. Paulus, numquam proficiet, si fama fuerit maculata.* F. Robertus à Licio, concionator per universam [Annal. Tom. 5. A. 1449. num. 31.] Italiam celeberrimus erat, & cum multo animarum fructu audiebatur, quamdiu facta ejus verbis respondebant: sed dum ex populi reverentia & Nobilium affectu se abundantiùs pasci, ad convivia vocari permisit, & corpori blandiusculè sensim indulsit, auditorum donariola recepit, & cum matronis specie pietatis protraxit liberiùs confabulationes; paulatim intepuit à fervore virtutis, marcescere cœpit gloria concionum ejus, & à reformatis ad laxiores dilapsus.

Hoc timuit Apostolus, ne dum aliis prædi- [1. Cor. 9. vers. 27.] caret, ipse reprobus efficeretur; atque ideo castigabat corpus suum, & redigebat in servitutem. *Quòd si Paulus hoc timuit*, ait D. Chryso- [Chrys. in eum locum] stomus, *cùm talis esset præceptor, & post prædicationem, & orbis terrarum susceptum patrocinium, formidavit; quidnam nos dicemus?* O quàm necessaria prædicatoribus ista solertissima in corpus animadversio! quam eò majorem adhibere oportet, quò gravius instat periculum ex populi favoribus, & filiorum quos gignunt benevolentiâ. *Muros Jerusalem*, inquit [Lib. 30. Moral. cap. 26.] Magnus Gregorius, *coquorum princeps Nabuzardan destruit; quia virtutes animæ, dum*

arbitror non vacare periculo. Quamquam ad hanc, alia etiam ratio spectanda est: quòd esto vir nullam ipse in animo suo perniciosa cogitationis noxam conceperit, de muliere certè quòd ea quoque idem faciat numquam nobiscum controvertet, quòd ipsa videlicet nullis corporis libidinibus moveatur...... Proinde ne eorum, quæ diximus, quidquam eveniat, danda est opera, ut (si quà fieri possit) mulierum colloquia, congressusque funditùs fugiamus. Sin id non possit, in eo entendum est certè, ut quàm rarissima illa, & quàm brevissima fiant. Hæc magnus ille Basilius, sui temporis Monachia, sapientissimo consilio, differebat.

Conformiter igitur illi doctrinæ, Superiores attendant sibi & universo gregi, cui eos præposuit Spiritus sanctus, ne multiplicentur articuli, de quibus debeant in die judicii respondere, ex eo quòd pusillanimiter, humanis cedendo respectibus, occasiones apertas relinquant coinquinationibus & nominis & animarum. Pro omnibus timere, non modò licèt Superioribus, verùm & necesse est: non quòd tentationibus jam pulsentur, sive consentiant; sed ne pulsentur, & ne quippiam domum referant, unde ipsi postmodum molestentur, aut foris relinquant quippiam, quod contingat alios molestare.

TEXTUS & §. II.

Suspecta consortia Mulierum.

SUMMARIUM.

Quid sit Suspectum consortium ex S. Bonaventuræ doctrina? Cavendum in primis à levioribus mulieribus. 2. A Devotis filiabus. 3. A Matronis honestis. Quàm timorati fuerint in hoc sanctiores Fratres, & quàm in oculis custoditi. Nec abest omne periculum, à consortio cum magnis & nobilibus heroinis. Gravis, circa hanc materiam, sententia, celebris cujusdam nostri temporis Concionatoris.

Expos. Reg. in hunc text. *SUspectum consortium*, juxta Doctrinam Seraphici Cardinalis, *est, non solùm mulieris suspecta, imò cum omni muliere, ubi locus & tempus, gestus, & aspectus, & alia laudabilia indicia suspicionem laudabiliter non excludunt: ut si locus quæratur pro mulierum colloquio solitarius aut obscurus, & tempus nocturnum, vel aliàs opportunum: si gestus sit dissolutus, utpote ex nimia mulieris appropinquatate, vel faciei ad eam conversione, fixis oculis, manibus junctis; omne tale consortium est suspectum: unde Suspecta sunt consortia & colloquia prædictis circumstantiis concurrentibus. Item, si solitaria sint, excluso aliorum auditu; licet non visu, ex intentione, sinè causa pia; maximè si sint solitariè prolongata, aut cum eadem persona sinè ratione evidenti frequentata, Suspecta sunt colloquia. Ad suspicionem autem mulierum facit, ætas & conditio colloquentis.* Hæc sunt verba Bonaventuræ: pro quorum posteriorum ampliori dilucidatione, notandum varios esse status conditionesque mulierum, atque respectu singularum speciali utendum esse cautelâ.

Primò, Quædam apertè leves sunt, minùs verecundæ, procaces, ornatui nimio studentes, cachinnantes & garrulæ. Has qui non timet, insulsus est, & jam dementatus. Aspiciens illas, jam aperit morti ingressuræ fenestras, & in se admittit imaginem non citò delendam, & miras turbas in animo suscitaturam, dum nil minùs cogitabit, & maximè dum de Deo propriaque salute cogitare tentaverit. Viderunt olim filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ; & ex ea occasione *corrupta est terra co-* Gen. 6 vers. 11. *ram Deo, & repleta est iniquitate*, & universali abominatione: quæ destructionem per generale diluvium provocavit. Idem nobis, filiis Dei, eveniet, si eâdem ducamur imprudentissimâ curiositate; atque in lugubrem perniciem ab hoc parvo principio deveniemus. Unde securum non est, earum formarum introrsùs haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Si monuit Sapiens: *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur enim blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet*, quantò magis arcebit nos ab aspectu mulieris, cujus species ingreditur blandè, sed tandem mordet ut coluber fraudulentus, ingressus in viscera, eademque depascens. Erit tibi forma illa velut hamus in visceribus piscis, à quo nullo poteris artificio liberari. Prov. 23. vers. 31.

Præter cogitationes importunas, contra voluntatem redeuntes, aliud malum est. *Oculi tui videbunt extraneas.* Et quid inde sequetur? *Et cor tuum loquetur perversa.* Non quidem lingua semper exteriùs, verecundiâ prohibente, sed cor longos satis formabit discursus cum imagine intromissa, absque timore Dei, ipsius penetralia intuentis. Deinde, post delectationem ab internis illis discursibus, quæretur occasio personam alloquendi: & mirum, si non aliquod intercidet verbum, quo cor profundiùs saucietur. Quòd si & ab ipsa muliere arridente misellus animadvertat se aspici, Ibid. vers. 33.

pici; numquid periculum est, ne eor ejus illicò vulneretur in uno oculorum istorum? Potens est enim fascinare virum, ad dementiam usque, ejusque animam deprædari; quemadmodum scitè monuit *Joannes Benedicti* in sua Summa Cap. de *Luxuria*.

Lib. 3. c. 17. §. 9. Cùm etiam tales studere soleant ornatui corporis, olfactum pascere astantium, vultúsque decoti superaddere admirationis & amoris irritamenta, & inverecundè aliquam quandoque ostentare pectoris nuditatem; qui poterit vir astare familiariter aut assidere, & nil horum videre unde capiatur? Juberis avertere faciem à muliere compta, & non circumspicere speciem alienam: quia *propter speciem* Eccl. 9. vers. 5. *mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Cùm autem difficillimum sit non videre objectum præsens, quod se tuis ingerit oculis, numquid satiùs erit ad illud non accedere omninò? Ad hæc, dum suaviter loqui cœperit, & sermones suos linire super oleum, quæ jacula sunt; numquid ita ferreus eris, ut penetrare non poterint? Solus ipsius halitus prunas ardere facit; quid verba facient dulcia & composita ad lucrandum colloquentis affectum? Multi se aheneos esse putabant, qui ad illius ignis odorem, velut nix liquefacti, miserè defluxerunt, suumque frigus amiserunt atque candorem.

Secundò, Alia mulierum classis esse videtur non adeò periculosa, earum nempe, quæ devotionem promittentes, vero Dei timore & honestatis amore se profitentur adstrictas. Credamus in his rem esse conformem externo habitui, factæque professioni. Quis tamen neget, inter silvas innocentes latere posse insidiatores, & quod sæpenumero in florido virentique prato *latet anguis in herba?* Possunt filiæ istæ nil cogitare aut velle mali, in quarum tamen specie, sexûsque teneritudine, malignus laqueos ponet; quibus stultus quispiam capietur. Hujus rei periculum, singulari quodam facto, filiam quamdam devotam edocuit quidam nostri Ordinis Religiosus, cujusdam Conventûs in Lusitania. Domicella erat nomine Maria Garcia, pietate elata, pedissequa Saociæ Portugalliæ Regis filiæ. Hæc virum illum religiosum, verè quæ religiosi erant curantem, sæpiùs invisebat; quo nihil ei molestius, nec quod magis horreret, aut fugeret. Dum ergo semel orantem per nuntium interpellaret, rogaretque ut se allocuturus in Ecclesiam prodiret, illeque teneretur: illa demùm pro mulierum conditione magis instaret eum lacrymis, suamque causaretur mœstitiam ex denegato sancti viri alloquio, & piâ exhortatione; tandem importunè rogatus, accessit, ignem unâ, paleas alterâ manu ferens: quas ut igni admovit, & subitò succenderentur, adjunxit: *Domina, ideo tantùm, quantumvis piam, recuso consortium, & familiare colloquium; quia idipsum quod paleæ ex approximatione ad ignem lucratæ sunt, lucrantur etiam Religiosi, qui cum fœminis familiariùs aut sæpiùs colloquuntur, ingentemque illam perdunt fructum, quem ex divino alloquio & sancta oratione possent acquirere.* Quo facto, quibusque verbis, cum rubore pia pedissequa discessit, neququam in posterum Religioso importuna. F. Petrus de

Annal. Tom. 1. an. 1217. num. 24.

Chron. p. 1. lib. 7. c. 18.

Travanda, mulierum conversationem velut vi peratum fugiebat, sicut, cum neptis ejus, provectioris licèt ætatis, à remoto accessisset loco eum invisendi gratiâ, adduci vix potuerit ut se præberet conspiciendum. Cùm autem ei locutus esset brevissimè, & benedictionem impertiisset, sese à prolixioribus excusavit, dicens non sibi permissum ab Angelorum Regina, apud ipsam esse diutiùs. Si nos agnosci volumus pro veris ejusdem Matris sanctissimæ filiis, eamdem nobis credamus factam ab illa prohibitionem, quam Sapiens refert: *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea; & à muliere iniquitas viri.* Eccl. 42. vers. 12. Quæ cùm & ipsæ censeri velint Matris ejusdem filiæ, prohibere debet eas materna auctoritas, diutunâ teneri virorum familiaritate.

Neque verò, filiæ istæ devotariæ, in tradita nobis Sanctissimi Patris Nostri doctrina, inveniuntur exceptæ, quando ille sic generaliter pronuntiavit: *Mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis occasio sunt ruinæ, sollicitiùs evitare debemus, Fratres Charissimi, quò sæpiùs per hujusmodi videmus debilem frangi, & fortem spiritum infirmari. Harum contagionem evadere, conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile judico, quàm, juxta Scripturam, in igne ambulare, & non comburere plantas.* Opusc. Tom. 3. Collat. 6. Et post pauca. *Frivolam profectò est quodcumque mulieris colloquium, exceptâ solâ confessione, vel instructione brevissimâ, juxta quod saluti expedit, vel congruit honestati.* Prov. 6. vers. 28. Semper etiam meminerimus, quod à D. Bonaventura didicimus in Novitiatu, vel didicisse debuimus, qui postquam dissuasisset mulieris familiaritatem, tum ob famæ periculum, tum ob timorem tentationis internæ, addit: *Hæc familiaritas magnam generat inquietudinem cordis, dum semper illi ca pis ostendere dilectionem quam habes ad eam, & hoc sibi notum fieri desideras. Et cùm aliquando non fit, doles & times quod indignetur illa, & quod affectus ejus tepefeat, & quòd minùs oret pro te. E contra, etiam ista turbatur, si videt quòd aliam benignè salutes, vel si aliquo tempore differas eam videre vel salutare: improperat quòd aliam diligas præ se, & quòd minùs ores pro ea, & irascitur: quæ verè sunt irrisa & ridicula deceptiones.* De Instit. Novit. p. 1. cap. 19.

Tertiò, Plerique putant minùs esse periculi ab honestis matronis, quæ in virorum suorum custodia sunt, de quibus numquam auditus est sermo malus, imò & earum devotio nota est, & cura honestatis. Credamus ita esse, neque congressum hunc in apertam aliquam egressurum deordinationem, imò nec umquam ex talibus frequentationibus in mentem quidquam sordidum incidisse; numquid ideò permissa censeri debebit licentia longorum familiarium colloquiorum? Nequaquam. Etsi lignum viride diu juxta ignem positum numquam conceperit flammam; siccatur tamen diuturnitate, fitque aptum igni concipiendo, ad minimam occasionem. Mutui crescunt affectus, ex naturali viri ad mulierem inclinatione; & hi divinum imminuunt amorem, animamque cœlestem reducunt ut caro fiat, & insensibiliter inquinata paulatim puritatem amittat, quam inhabitaturus Dei spiritus exigit, ejusque imminuatur libertas & fortitudo, ac

mali-

maligno spiritui fiat aditus, ad aliquid pro sua impudentia in persona alterutra suggerendum; de quo numquam cogitaverat aliàs.

Horum periculorum consideratione, sanctissimi quique Religiosi, se, quoad fieri potuit, à mulieribus elongârunt, sic ut nec aspectum earum in suam vellent transmittere phan-
Chron. p. 3. lib. 5, c. 30. tasiam. F. Antonius de Stronconio, licèt Eleëmosynæ petendæ gratiâ, inter sæculares quotidie versaretur, quadraginta tamen annorum spatio nullam mulierem intuitus est. De Fratre Joanne Barnabæ, è Provincia Flandriæ, à fide dignis testibus accepimus, quòd cùm ei aliquando matrona quædam nobilis objiceret, nec se nec sex filias suas fuisse semel dignas ipsius aspectu, licèt frequentissimè, ut Concionatoris socius, ad mensam illius admitteretur; non tamen potuit obtinere, ut modestissimus vir & innocens, aliquatenus attolleret oculos.
Annal. Tom. 6. an. 1460. num. 12. F. Thomasius tanto studio Castitatem colebat, ut nec aspicere nec alloqui voluerit mulieres. Tamquam venenosas fugiebat serpentes, & aliquando importunè per horti cancellos alloqui volentes, dum verbis non poterat, saxis abigebat. Carnis ejus pudicitiæ, & mentis puritati, tribuebant Fratres, suavissimum, quem semper spirabat, odorem.

Similem sollicitudinem custodiæ oculorum B. Ægidius fratrem quemdam Inculenter edocuit. Hic ad eum accesserat, exultans & jactans se laqueos sibi præparatos evasisse; & tentamenta vicisse diaboli. Sequentis etenim à tergo fœminæ dixit sibi immissam concupiscentiam, eòque validiorem quò propiùs illa accedebat: stetisse verò parumper, atque prætereuntem seriùs aspexisse, mox omnem evanuisse tentationem. Interrogavit gloriabundum vir sanctus, an pulchra esset mulier, vel deformis? an adolescentula, vel vetula? Respon-
Annal. Tom. 1. an. 1262. num. 37. dit anum fuisse deformem. Subjunxit Ægidius: *Quid ergo mirum si præterit tentatio, apposito antidoto? Scias fili mi, potiùs te succubuisse, quàm vicisse. In eo consistebat victoria, quòd prætereuntem non aspiceres; sed demissis vel clausis oculis te tentantem omninò negligeres. Victoria tentationis carnalis non in congressu, sed in fuga, securior & firmior. Cave iterum, ne molestas tibi fœminas, neque in universum ullas in faciem respexeris: nam pro vetula, adolescentula; & pro fœda, speciosa se tibi objiciet, quæ tentationem non remittet, sed augebit; non tollet, sed immittet: quò fiet, ut facilè pro victoria turpem lapsum, & pro gloria perpetuam reportes infamiam.*

Quartò, Arbitrantur alii, nullum subesse periculum, à consortio cum magnis, superbis, & nobilibus heroinis, utpote quæ monachales dedignarentur amores. Verum est, minùs ab his periculi, quàm à personis vilioribus imminere. Quis tamen certus est, quòd ab illarum etiam aspectibus sive colloquiis, cordi suo nihil fœmineum adhærebit? Consultò ergo etiam in earum consortio ad Dominum orabimus: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* *Psal. 118. ver. 37.*
Sic Observantes Franciscani, in Mediolanensibus Comitiis Generalibus congregati anno *Annal. Tom. 6.*
Domini 1457. fecerunt præclaro ædificationis exemplo; *Vide. c. 3. §. 23.* quod superiùs retulimus. *illo anno num. 57.*

Alii plurimi, post castitatem jam & quasi emortuam sensualitatem per abstinentias continuas, cilicia & flagellationes, se, tamquam agrestes feræ, ab omni hominum frequentia subduxerunt. Quidnam igitur timuerunt? Numquid adhuc periculum erat, jam emortuâ sensualitate? Pro omnibus respondit austerus ille senex F. Bernardus Antichus Fabrianensis, qui cùm vitam in abstinentia summa usque ad annum octogesimum produxisset, frater aliquis ei congratulatus est, ob pacem mentis & immunitatem à tentationibus. Cui bonus senex. *Non ita est, Fili: quamdiu enim* *Chron. p. 2. lib. 1. c. 38.*
anima hæc misera carni agglutinata est, non sum absque timore, & ideo sensibus meis continuò debeo invigilare. Quòd si Vir prudens & sanctus, in ætate tam effœta, sibi tutus non fuit; quomodo securitatem sibi audeant polliceri juvenes aliqui leves & audaculi, se temerè in quarumcumque mulierum consortia ingerentes? Dum noster Philippus Bosquier timorem exaltat S. Joannis Baptistæ Herodiadem alloquendi, ex opposito audaciam non timentium admiratur. *Quomodo*, inquit, *qui nihil nisi ventres sunt atque abdomina, qui ora gerunt quâvis purpurâ aut cocco bis tinctâ rubicundiora, audent fabulas & nugas longas cum quavis miscere, inspectare, manus jungere? Tu juvenis annis, moribus junior, ausis quod non audet Joannes & alii ipsi similes, quibus labores, vigiliæ, jejunia &c. rugas & canos ante annos adduxerant? Tu venter, & dromo ausis, quod sic reformidat homo non manducans neque bibens? Quod merus penè spiritus, quod Angelus non audet, tu caro, tu homule audeas? Tu mollibus vestite ut mulier, tu vir sicut fœmina comptus, præfidenter usurpes, quod non audet homo indutus cilicio? Qui fiat, ut actus activorum non sint in patiente tam bene disposito? Audaculos istos, cum vigente juventa, dum mero æstuantes, dum cultu amabiles, in oculis, in fabulis muliebribus & sæpè & diu agunt; si non uruntur flammâ, ac ne fumo quidem libidinis vel tenuissimo fuscantur, mirer magis, quàm tres pueros in Babylonica fornace inter flammas septempliciter auctas non arsisse; præsertim cùm fœmina ignis tam vividus sit, ut montium fundamenta comburat.* Hæc non ex me, sed ex illo celebri Concionatore, in cautelam omnis statûs & conditionis hominum, dicta sint. Videantur etiam, quæ S. Bonaventura Opusc. *de modo confitendi & puritate conscientiæ*: cap. 14. præclarè scripsit, ostendens quanti sit periculi familiaritas mulierum.

TEXTVS & S. III.

Vel suspecta consilia Mulierum.

SVMMARIVM.

Quibus occasionibus, suspecta habeantur. 1. Apud externos, consilia data Mulieribus. Vbi cautelæ assignantur, circa consilia danda filiabus, ad ineundam vitam vel statum spiritualem. Quantâ circumspectione danda consilia conjugatis. 2. Quæ pro Suspectis habeantur apud Fratres & Superiores. 3. Ex quibus circumstantiis, personarum consilia petentium, nobis-ipsis ea suspecta videri debeant. Cavendum etiam ab acceptandis & in praxim applicandis consiliis, quæ à mulieribus suggeruntur.

QUi prudens est, & diligit ordinatè, sic alienæ studebit saluti, ut propriam non adducat in discrimen; neque solùm salutem animæ, verùm & nitorem famæ; maximè dum fama non ità particulari est propria personæ, quin & communis sit numerosissimo Ordini religioso, cui quis existit incorporatus. Quæ profectò eò est custodienda diligentiùs, quò plures & innocentiores contingit ejus jacturâ confundi. Cùm autem sæpe-nomen periculum immineat ex mulierum commercio; quæ tamen licentiùs à Religiosis, piis, austerisque requirunt consilia, & quas adjuvare, tamquam debeliores & indoctiores, christiana jubet pietas; ad securitatem nostram præcepit Seraphicus Patriarcha, ne nos illis aliquatenùs immisceamus, si fuerint *suspecta consilia Mulierum.* Nos igitur Franciscani, imò Religiosi, vel Curatores animarum quicumque, quibus seria inest cura salutis propriæ; dum subindè pro consiliis, resolutionibus, & instructionibus interrogamur, circumquaque conspiciamus, ne cui fortassis ullam demus offensionem, unde vituperari possit ministerium nostrum. Undique enim suscitari possunt suspiciones ex factis nostris atque congressibus, sive apertis, sive secretis, sive confessionibus, sive extra-confessionibus. Circumquaque cautelæ sunt apponendæ, & sistendos gradus, ubi vel nobis apparet periculum, vel ab amicis fidentioribus denuntiatur.

Primò, Apud externos meritò *suspecta* forent *consilia* nostra, data filiabus, vel approbata, ad vitam ineundum spiritualem, ad tertiam Regulam amplectendam, vel monasterium ingrediendum: si videamus interim conversationem earum magnis illis propositis minimè respondere, sed faciles esse ad mundanas levitates, procaces in verbis, superbas in gressu, vagas, garrulas, parum sobrias, societatum amicas, primas ad detrahendum, suæ formæ ostentatrices, domi contumaces & quietis impatientes. Circa has ad minùs à vulgo imprudentiæ argueremur, tamquam non mala quidem, sed tamen altiora personis ineptis & capacibus consulentes. Deinde daremus occasionem suspicandi, nos de rebus aliis tractare quàm spiritualibus, cùm tam exiguus inde fructus appareat, & omnia documenta nostra circa personas tales, videantur potiùs ad externam dumtaxat apparentiam, quam ad realem devotionem atque modestiam terminari. Itaque *nolite sanctum dare canibus,* Matth. 7.
neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Accuratus habeatur personarum delectus, ut illæ vers. 6.
solùm ad nostram disciplinam & spiritualem habitum admittantur, de quibus prudenter spes concipi potest, quòd & sibi per veram pietatem, & aliis proficient per conversationis exemplum, nec sanctum Ordinem exponent aliquatenùs inhonorationi. Propter quod non facilè inducendæ sunt filiæ, ut perpetuam (præsertim in sæculo mansuræ) voveant continentiam: imò nec ad hoc permittendæ sunt, nisi post longum bonæ conversationis experimentum. Semper insideat menti nostræ illa verissima consideratio, quoniam fœmina est animal *varium & mutabile semper.* Quàm sæpè contigit, eas, quæ propositum & habitum susceperant spiritualitatis, ad nuptias postea convolare; ac omnium risui expositos fuisse consiliarios, qui illas voluerant evehere altiùs, quàm volare potuerint.

Eâdem circumspectione cavendum est Confessario, ne votum ab eis acceptet (minùs exigat) exhibendæ sibi obedientiæ. Neque eis minutula præscribat, ad rem domesticam pertinentia, aut insolitas mortificationes, sive nugas potiùs; neque coarctet quò minùs alteri confiteri liberè possint, aut sua secreta communicare. Ex his enim oritur jactura temporis, & conventicula multa, ad exigendam reddendamque vitæ rationem necessaria. Neque nisi cum meliorum dispendio studiorũ & conventus inquietudine fieri possunt; sed cum inconvenientiis multis, & spiritualitatis modico fructu. Quæ omnia prævi-

Regula 1. FF Minorum cap. 11. dens Castitatis amator Franciscus, ait: *Nulla penitus mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam; sed dando sibi consilium spirituale, ubi voluerit, agat pœnitentiam.* Ubi, sicut bene notat in eum locum R. P. Lucas Waddingus, prohibet antiquam quorumdam Religiosorum consuetudinem, etiam in hæc nostra sæcula protractam, fœminarum sæcularium curam suscipiendi, ad quorum nutum & præceptum illæ se victuras spondent, quas vulgò Beatas dicunt, alii Devotas suas vocitant, alii Filias Spirituales. Nomina sancta, si conversatio casta. Sanctum & laudabile exercitium, mulieres docere, & in via Dei instruere; sed in secreto, sine arbitris & cum assiduitate, periculosum. *Bern. vel Auctor Serm. 58. ad Soror.* *Sæpè etenim familiaritas vincit, quos vitium superare non potuit..... Quos voluptas superare non potest, assiduitas superat.* Vide textum egregium 18. quæst. 2. cap. *Diffinimus?* Nec mulieris, quantumcumque devotæ, sanctitati fidendum est, quæ ex fragili sexûs conditione illecebrosum propendet ad crimen. Sanctior mulier ultrà quàm dici liceat, si viro adhæreat, quantumcumque spirituali, instinctu naturali inclinatur tandem ad nefas, & tacitè paulatimque per amorem sanctum fit non sancta dilectio.

Scimus, Deum æquè ab hoc sexu coli velle atque à viris, sibique in eo plures reservasse animas justas, simplices & timoratas, quærentes ambulare in omnibus justificationibus Domini absque querela, quarum prima est cura pudicitiæ, propter communes suæ speciei & fragilitatis insidiatores; ita ut meritò semper & ubique & ab omnibus sibi timeant viris. Hæ cùm non sperent alibi securitatem, eam quærere solent apud timentes Deum Religiosos. Curemus igitur, ut apud nos eam inveniant, & tantam securitatem, quantam sanctissima Virgo Maria apud castissimum Joseph, vel apud Discipulum quem diligebat Jesus, qui hoc pretiosissimum Dei templum cum omni custodierunt reverentia. Nos quoque in timoratis illis mulieribus sanctum revereamur Spiritum, ipsarum cordibus & corporibus inhabitantem, eodemque illas oculo intueamur, quo illarum animas Intuebimur in cœlo unitas Domino Deo nostro. Nec in nobis quid aliud deprehendant nisi cœleste, divinum, & quod redoleat Dei Spiritum in nobis etiam inhabitantem. In privatis quoque conferentiis, sic breves simus, & circumspecti, ne secreta confidentia ineptam præbeat audaciam præsumendi quippiam quo charam Deo pretiosamque animâ offendamus. Scimus quàm acerbè ferret Nobilis aliquis, qui filiam suam in sua præsentia videret contumeliosè tractari, præter decorum suum atque nobilitatem. In oculis igitur Patris, Sponsique cœlestis Jesu Christi non fiant atque dicantur, quæ sponsas filiasque dilectas offendere possent; quarum se non segnem futurum vindicem repromisit.

A Conjugatarum consiliis, æquè periculosæ suspiciones ebulliunt apud maritos, nisi cautelis pluribus muniantur. Malè habet maritos, si advertant, per uxores omnia, quæ in familia geruntur, Confessario communicari, lucra, debita, ancillarum famulorumque negotia &c. Si uxor temporibus exercitiorum suorum, curam non habeat domesticorum, nec magis se intromittat de familia, ac si ad eam minimè pertineret. Si contumax sit marito & refractria, &c. Hæc viros irritant mirabiliter, & sæpè causa sunt, cur omnia in domo jurgiis & blasphemiis misceantur. Cùm igitur ad nos recurrunt conjugatæ mulieres, ratione consilii vel deponendam querelarum, solliciti simus nullam dare ipsis vel maritis occasionem, maledicti gratiâ abstineamus à consiliis minùs spiritualibus, nostroque statui non convenientibus; cùm querelas de marito deponunt, non eas in pervicacia & discordiis foveamus, sed potiùs suadeamus, ut ei debitam impendant charitatem, obedientiam atque subjectionem. Super omnia verò, cavebit prudens Religiosus, ne occasione diuturnitatis aut frequentiæ colloquiorum, pessimas zelotypiæ scintillas in viri cerebrum injiciat. Non ignoramus frequenter viros iniquâ tabescere zelotypiâ, uxoribusque molestos esse, quæ ad nos confugiunt pro solatio. Cùm rationes illius insaniæ secretissimæ sint, nil potest eis suaderi aliud, quàm ut, si fortè noverint zelotypiæ causam, eam non dare vel removere conentur. Quòd etiam hoc permittat Deus ad earum custodiam securiorem, vel ad castigationem quorumdam criminum occultorum. Hæc erunt eis breviter ingerenda.

Sic fecerunt prudenter atque viriliter sancti illi Patres, qui in magno timore Dei semetipsos conservârunt à talium conversationibus immaculatos. Temporibus recentioribus F. Michaël de Hierba in hoc se præclarè ostendit suæ Regulæ memorem. *Chron. p. 4. lib. 8. c. 81.* Cùm enim ab omnibus castissimus haberetur, ageretque portarium, voluit de eo capere quædam fœmina nobilis experimentum. Indicavit se illius captam amore, instititque obnixè, ut eam domi suæ dignaretur invisere, ostendens suæ procacitatis indicia manifesta. Candidè respondit Michaël: Nescis quòd S. P. Franciscus prohibeat nobis suspecta consortia cum mulieribus? Facessant, inquit, mulier, hæ excusationes, tantummodò me redames, prout ego te amo vehementer. Auditâ hâc instantiâ, currit vir simplex, quæritque Regulam suam, & mulieri ostendit strictam hanc obligationem, clausoque ostio, ibi reliquit eam, admirabundam atque optimè ædificatam. Sic perseverans in castitate Vir Dei usque in finem, in extremis vitæ fassus est ingenuè, se contra eam nullo umquam tempore deliquisse. *Ibid. c. 83.*

Secundò, Ea quoque consilia mulierum à mente S. P. Francisci aliena censemur, quæ apud Superiores, Confratres & Religiosos externos, nostram intelligentes perfectionem, suspecta sunt; non dico fœditatis alicujus carnalis, sed temeritatis, vanitatisque perniciosæ. Hujusmodi forent, si Fratres juvenes, inexperti, indocti, & præsumptuosi, in se susciperent resolutiones judiciumque de visionibus & revelationibus, & tentationibus extraordinariis, quibus malignus spiritus sexui huic illu-

dere solet. In his periculum est, ne imprudentes dupliciter hallucinentur. In primis credendo sic omnia accidere, prout à mulierculis illis, ad fingendum eruditissimis, referuntur; accipiendo statim pro spiritu Dei atque indubitata sanctitate, quæ nonnisi præstigiæ sunt, aut saltem grave de se præbent argumentum illusionis. Sciunt eruditi omnes atque prudentes, quàm curiosæ avidæque sint ad figmenta similia, quàm facilè credant eis, & ab aliis quoque credi cupiant; quantùm sibi complaceant in raritatibus istis, & singularis sanctitatis indiciis: quàm ea norint concinnè proponere, tametsi mentiantur se invitas ad hoc adigi à spiritu suo; quàm artificiosè sciant fingere simplicitatem, resignationemque ad omnes sui directoris resolutiones; quàm asseverantèr protestentur se Deum solum in omni quærere sinceritate, cùm tamen re verâ plerumque non quærant nisi ansas diu garriendi, seque mirabiles ostendendi, vel opes suis Patribus subministrandi, quos in suis cordibus deridere noscuntur. Quin & inventæ sunt, quæ implorarent exorcismos, missas, jejunia, disciplinas &c. rigores, quibus se illi nimis creduli homines inutiliter extenuarent.

Superioribus, quibus illæ technæ muliebres pluribus experientiis innotuerunt, & super illis possunt maturiùs judicare, incumbit providere, ne hic cæcus cæco ducatum præstet, unde ambo in foveam cadant. Subditi verò simpliciter eorum admittant censuram, sistantque gradum, ubi illi periculum subesse denuntiaverint. Speramus autem, non inveniendos esse præsumptuosos, qui in his negotiis dicere vellent, se suâ sufficienter regi conscientiâ, & scire satis quid expediat, nilque penitùs curare, quid mundus dicat universus, qui nesciat secretas filiarum suarum miserias, quibus nemo alius subvenire possit, aut saltem non modis adeò congruis: satis esse, si Deo de suis actionibus respondere potuerint; nil esse curandum de hominibus. Talibus dementati cogitationibus, easdem filiarum suarum imprimerent phantasiis, atque ita positâ verecundiâ pergerent in suis exorcismis, conferentiis, patrociniis, aliisque nugis nugarum, quidquid de dimittendis vel temperandis illis, ab amicis, parentibus vel Superioribus diceretur. Utinam talis fera pessima sensûs proprii in nullis Religiosis Ordinibus inveniatur! Noster Hugo de Dina sic æstimat malitiam ejus, ut putet continuationem familiaritatis alicujus post Prælati admonitionem, esse sufficientem, ad fundandam suspicionem, quæ præsenti textu cavenda præcipitur. *Eo ipso*, inquit, *quis reddit se suspectum, quo diffinatum, maximè à Prælatis, non vitat consortium, negligit enim obedientiam & honestatem voluptas.* *Hugo de Dina En pos Reg. hoc.*

Cùm igitur similes ad nos delatæ fuerint quæstiones, in quibus nosipsi suspicemur quippiam, vel nostri deprehenderint Superiores, quod veritatis aut erroris indicium præbeat, meminerimus semper hujus Regulæ prohibitionis; nec ad danda in his consilia nos liberales exhibeamos. Commune vulgi proloquium est;

Fallere, flere, nere, mentiri, nilque tacere
Hæc quinque verè reperies in Muliere.

Multæ fraudulentæ sunt, quæ student qualitet ex intentione decipere valeant: aliæ multæ simplicis intentionis, non quidem decipere volunt, sed ex tenuitate judicii, in immissis per dæmonem phantasmatibus, faciliter decipiuntur. Circa utrasque periculum est, atque adeò prudens adhibenda cautela, ne fortè dono discretionum haud satis imbuti, pro Deo dæmonium suscipiamus, colique permittamus, & in graves ruinas præcipitemus misellas, cum gravi perturbatione familiarum. Ideo nobis ipsis suspecti & diffidentes, consulamus earum rerum magis expertos & intelligentes, qui mulierum technas, & cogitationes maligni, non ignorare putantur. Quales sunt Superiores, aut alii viri prædití divino Spiritu, & longis rerum experientiis eruditi. Accidit temporibus B. Jacobi à Marchia in aula Ducissæ Calabriæ, quòd devota quædam Tertiaria singulis noctibus vacans orationibus, à quodam spiritu visitabatur, qui se S. Joannem Baptistam dicebat, multisque documentis spiritualibus instruebat; imò & suadebat, ut sancto viro Dei Jacobo in omnibus obsequeretur. Omnes domestici, & ipse Confessarius filiæ, credebant firmiter sanctam esse apparitionem. Solus Vir sanctus eam condemnabat, suadebatque filiæ, ut formæ isti apparenti in faciem spueret. Quo facto, spectrum diabolicum viro sancto maledicens, cum horrendo strepitu, relicto intolerabili fœtore disparuit. *Chron. p. 3. lib. 6. c. 10.*

Cùm etiam apud sinceriores suspecta sint quæ geruntur negotia pro matrimoniis, pro litibus filiarum, pro tuendo illarum honore dum occasionem præbuerint oblocutioni, pro cooperiendis earum sordibus sub specie compassionis, pro procurationibus Eleëmosynarum similibusque obsequiis, quæ cum lacrymis, genuflexionibus, magnisque obtestationibus postulant; caveamus à talibus misericordiis, quæ dedecent nos, & absque fructu tricis molestissimis implicarent. Cùm mulier infirma sit viribus atque consilio, & tota ei innitatur qui eorum illius in se suscipit, non erit finis dum inceperimus: totum tempus reposcent quotidiana negotia pro ipsis expedienda; dumque putabimus absolvisse, tunc erit incipiendum; & fortè cùm bene perfecerimus, suâ mobilitate destruent totum, nec ipsis- met consilia nostra laboresque placebunt. Relinquamus ergo consanguineis, tutoribus, causidicis & aliis, quæ ipsis ex officio competunt, nec possunt à nobis salvâ honestate tractari, & ad quorum non possumus concurrere executionem, sine præjudicio obedientiæ & religiosæ tranquillitatis. Teneamus semper limites quos nobis sanctus noster Patriarcha præscripsit, dicens: *Quæ sunt, quæso, viro religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cùm sanctam pœnitentiam vel melioris vitæ consilium religiosâ petitione deposcit? Ex nimia securitate minùs cavetur hostis, & diabolus si de suo capillum potest habere in homine, citò excrescere facit in trabem.* *Opusc. Tom. 3. colla. 6.*

Tertiò Nobis- ipsis quoque suspecta debent esse

esse consortia, dum personæ nostra consilia requirentes, legitimas præbuerint suspicandi occasiones. Puta, si spiritualium consiliorum gratiâ accedentes, compræ incedant, feminudatæ & ornatæ juxta vanas mundi consuetudines, & præter statûs sui decentiam. Quamvis enim propter innaram sexui sese ornandi curiositatem, plusculum sit eis quàm viris indultum; dum tamen talis apparet excessus, indicium est, carnalem prævalere ambitum, & Dei spiritum in tali anima locum minimum obtinere, parumque idoneas esse istas spiritualibus institutis, de quibus tam curiosè scrutantur. D. Bernard. cùm in Virginitate verecundiam laudasset & gloriam quæ est ab intùs, unum verbum dicit quod his possit accommodari; *Ille ille in medium veniat summo decore spectabilis, ipsis quoque Angelis admirandus ornatus; & proferant si quid simile habent filiæ Babylonis, quarum verè gloria in confusione; induuntur purpurâ & bysso, & subindè conscientia pannosa jacet. Fulgent monilibus, moribus sordent.* Et post pauca; *Tu ergo noli æmulari in malignantibus, & mendicantibus pulchritudinem alienam, ubi perdiderint suam. Nativo quippè & interno se produnt decore nudæ; quæ tanto studio & pretio de diversis & variis speciebus, ejus quæ præterit figuræ mundi, foris sibi conficere satagunt, unde oculis insipientium appareant speciosæ.* Igitur dum hinc se prodit cordis vanitas, meritò suspicari licet, eas aliud à nobis quærere quàm Pœnitentiæ formam.

Idem est judicium, si garrulæ sint, rumorigerolæ, de dictis factisque aliorum quælibet effutientes. Credamus has illicò disseminatrices quidquid à nobis audierint seu sanctum seu sæculare, ut gloriari possint se ad nostram admissas esse familiaritatem, quibus talia fuerint communicata. Suspectæ quoque nobis sint adulatrices, quæ apud nos sapientiam nostram, austeritatem, &c. cum admiratione voluerint collaudare. Egregiè exercent illæ suæ Matris Evæ officium, offerentes nobis de vetito fructu, & blanditiis istis veram enervantes virtutem. Quòd si interrogent multa, specie accipiendæ instructionis, & pauca interim exequantur aut nulla; suspectæ sint nobis tales interrogationes, quas forsitan aliis centies proposuerunt, ad explorandum dumtaxat quantùm legerint Patres illi, vel qualiter sint in spiritualibus exercitati. Itaque prudentiæ fuerit se ab inutilitatibus istis breviter expedire, tempusque redimere quod istæ curiosæ exploratrices abligurirent. Sagaciter eas discernit Alvarus Pelagius: *Religionem in initiis simulant aut habent: postea audebunt omnia procaciter. Primâ confabulatione obtutum habent deorsum, loquuntur mitiùs, compatiendo lacrymas fundunt, habitum proferunt honestatis, sciscitantur de pudicitia & cum devotione auscultant. Secundo vidisti & vidisti? Et pusillo innuunt. Rursùm tertiò? Et incedunt procaciter. Subrisisti? Et illa profusè risêre. Exornantur deinde, & evidenter se tibi ostendunt.* De Planctu Eccles. l. 2. art. 73.

Quartò, Æquè suspecta sint ea consilia, quæ non dantur mulieribus, sed suggeruntur ab eis, supra sui intellectûs sortem, & statûs conditionem. Quia Deus, sapientissimus universi gubernator, aliquando purissimis animabus sibique familiaribus usus est ad suas denuntiandum volnotates, ad reformationes Ordinum, aliaque præclara facinora, vulgares quædam se illis forsitan comparare præsument, & in Ecclesia loqui, contra Apostolicam prohibitionem. 1. Cor. 14. Si mariti quid simile debeant ab uxoribus pati in rei familiaris administratione, pacis ergo laudabile est; sed viros Religiosos dedecet ad similem descendere tutelam, & earum audire consilia, quas ipsi potiùs regere debeant. Proinde dum aliquæ nasutulæ suadere voluerint de his vel illis monendis, & visitandis, de vitiis pro suggestu corripiendis, de quibuscumque monasterii gubernationem concernentibus, regeratur eis directivum verbum Apostoli: *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & Lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* 1. Cor. 14. vers. 34. Discere eis competit à viris, non eosdem docere. Raro solida, librata, pura à passionibus & justa sunt earum consilia: nec umquam viri se tutos à dedecore sunt arbitrati, si uxorum suarum aliarumve mulierum consiliis cederent, & deprecationibus. Et, Aristotele teste, parùm interest, si gubernent fœminæ, aut qui gubernant à fœminis gubernentur. 1. Polit. cap. 7.

Fieri posset, ut ab usurpatis mulierum consiliis aut beneplacitis, Religiosi vel eorum etiam Superiores pudore afficerentur, & sæcularium risus & communitatis confusio excitaretur, dum à fœmineis, per religiosos viros executioni mandatis consiliis, viles effectus atque ridiculi nascerentur. Deceotissimum igitur, eis modestum indicere silentium, & ut propriam agnoscentes imperfectionem & ignorantiam, suscipiant consilia potiùs, quàm subministrent.

TEXTVS & §. IV.

Et ne ingrediantur Monasteria Monacharum.

SVMMARIVM.

Quàm honorabilis, utilis, & necessaria sit Monialibus clausura, & perpetua à viris segregatio: primo ad securitatem earum, deinde ad securitatem virorum, ipsorumque Religiosorum. Quanti sint periculi monasteria non clausa. Quàm execrabilis sit amor carnalis Monialium. Insignem formam vincendi circa hoc cor proprium, exhibuit Colomannus Hungariæ Rex.

INter alias suæ Sponsæ laudationes, hanc etiam de ea deprædicat divinus Sponsus in Cantico dramatis: *Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hortus nempe pudicitiæ, qui cunctis conclusus creaturis, uni pateat cœlesti Sponso, qui clavem habet, & flores fructusque servat intactos, & omnem pariter voluptatem; ut de illo solo ipsa dicere possit: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis.* Ipsi soli Castitatis horti deliciæ reservantur; *Hinc ille muralis*, inquit Ambr. *septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus, vitem redolet, fragrat oleam, rosam renidet: ut in vite religio, in oleo pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat.* Talis hortus sunt monasteria Monacharum, *hortus conclusus, fons signatus* supremi Principis sigillo, ad custodiam mundissimam Castitatis. Hæc licèt etiam in matrimonio per Dei gratiam conservari possit, prout raro exemplo conservarunt S. Henricus cum conjuge Cunegunda, S. Elzerius & Delphina, Colomanous Hungarus & Solomea, Boleslaus pudicus & altera Chunegundis: & licèt aliarum virginum in sæculo remanentium frequens sit numerus; prudentiores tamen, ad securiorem thesauri illius conservationem, majoremque cordis libertatem ac puritatem, satiùs judicarunt, sese in monasteriis, velut in arcibus recludere munitissimis: ut sit procul à blanditiis elongatæ, & extra virorum insidias positæ, securiùs consulant propriæ (cujus sibi consciæ sunt) fragilitati, in arctaque clausura excludant occasiones, quibus ad votum suum temerandum pellici possent.

Cant. 4. vers. 12.

Cant. 6. vers. 1.

D. Ambr. lib. 1. de Virgin. aliquantulum ante finem.

Hujus cautelæ consilium S. P. Franciscus dedit nobilissimæ Christi sponsæ S. Claræ, & sectatricibus ejus. Nostræ quoque Annuntiatæ, eamdem sunt amplexatæ securitatem: itemque illæ, quæ honorandæ Conceptioni Virginis immaculatæ se devoverunt. B. Angelina, Tertiarias nostras, in congregatione viventes, ad eamdem, ubicumque potuit, pertraxit solitudinem: & jam in Ordinibus omnibus, de mandato Ecclesiæ, ad hoc laborant reformatrices, ut filias suas intrà muros cancellosque cohibeant, soli sponso Christo Domino placituras. Quod quàm rationabile, honestum, necessarium & antiquitùs receptum sit, latè demonstrat R. P. Petrus Marchant in Baculo Pastorali. Est autem incredibile, quibus dotibus favoribusque Deus fideles istas sponsas honoret, quæ se ipsas quasi perpetuis carceribus mancipàrunt, ut ipsi soli sua corda servarent. Quàm abundè solus ipse sufficiat eis in verarum affluentiâ consolationum, ad supplenda detrimenta & abnegationes vanarum & humanarum, sub uno dumtaxat proponamus exemplo. B. Nicolaus Factor, qui & in se ipso Virginitatem servavit, & in aliis semper extitit summoperè veneratus, fassus est aliquando, quòd cùm accederet ad monasterium Monialium, dictum Hierusalem, in civitate Valentiæ, cor ejus odore singulari & dulcedine confortabatur, egrediente ex illo reclusorio Castitatis. Unde quotiescumque ad limen accederet locutorii, elatâ voce clamabat: *Virginitas, Virginitas: sursum corda, sursum corda: ad Sponsum, ad Sponsum: ad Virginem, ad Matrem sanctissimi Sponsi.* Hæc repetens, tanto fervore & gaudio replebatur, ut etiam ipsius specie corporis immutatâ, vultum videretur angelicum accepisse. Noverat vir ille divinus, quàm amabilis foret, Deoque pretiosa hæc virtus, quàm odoriferus flos horti conclusi, quantusque thesaurus absconditus in agro Ecclesiæ sacrosanctæ.

Marchant in Baculo Pastorali.

Chron p. 4. lib. 8. c. 19.

Ad hunc hortum conclusum, cùm sit generali Ecclesiæ mandato viris omnibus interdictus ingressus, speciali tamen prohibitione suis interdixit noster sanctissimus Institutor: *Non ingrediantur*, inquiens, *Monasteria Monacharum.* Periculum videbatur, ne sub uno respectu permitterentur intrare, nimirum quia sancti sunt vel existimantur. In quo simpliciores aliquæ potuissent facilè persuaderi ad confidentiam aliquam, præsertim si viri sint notæ probitatis, boni nominis, provectioris ætatis, & à quibus nil nisi sanctum expectent. Cùmque de nobis ea sit bona opinio, faciliorem fortè nobis præberent accessum; ideoque de-

crevit

et;vit viri sancti provida circumspectio, nobis- ipsis prohibitionem hujusmodi intimate. Et quidem justissimis de causis. Primò quidem, quòd nec à nobis illæ filiæ satis tutæ sint, quio ad præsentiam nostram malignus Spiritus prava suggerere possit. Si enim de ipsa Deipara Virgine, & de ipso purissimo Redemptore audet in peccatoribus hominibus mala figurare phantasmata, cur non & de nobis, quantumcumque sanctissimis? Hic considerati ne. B. Clara De Monte Falco virum nullum in facie respiciebat, neque Fratri germano F. Francisco Damiani, Ordinis Minorum, nisi obducto velo loquebatur. Conquerenti aliquando hac de te, respondit: *Ad colloquium sola sufficit lingua, visus verò nocet puritati.* Sic Virgo sanctissima, ne quidem à fratre suo itidem religioso, se tutam arbitrabatur. Sanctitas & solitudo virginum, eas non reddit insensibiles: quin imò non malè conjiciunt aliqui, solitarias istas, & insuetas virorum aspectui, fortiùs sibi impressas pati memorias & formas illorum, quàm mulieres alias; quæ ad singula momenta viros habent occurrentes sibi, vel cohabitantes. Unde fuerit charitatis opus, eas non adire, nec alloqui, ne fortè ipsis inopinata quæpiam afferatur luctandi materia; si non quibusdam jam emortuis, uni saltem nondum satis mortificatæ.

Annal. Tom. 3. an. 1308. num. 73.

Alterum, cur ad ea loca nos noluerit Vir sanctus accedere, est, nostrarum securitas animarum. Quis enim in tentationum varietatibus est taliter inexpertus, ut ignoret etiam in sanctis & innocentibus filiabus, in earumque forma, & in humili dulcique alloquio, & ipsâ mutâ præsentiâ, laqueos per insidiatores spiritus collocari? Nihil ita facilè oblivionem inducit propriæ alienæque sanctitatis, & suggerit inverecundiam, quàm admiratio puellaris formæ, atque ex admiratione excussus amor in fomite præparato. Præcessit fortassis amor spiritualis virtutum personæ, adjungitur præsentis pudoris dilectio, itemque simplicitatis in loquendo, humilitatis, in nostri venerati ne, & tenerioris ad nos dilectionis. Corde sic emollito, succedit imperceptibiliter naturalis amor illius sexûs, deindè ipsius etiam venustatis; quibus amoribus via sternitur ad complacentiam aliquam, si non alicujus materiæ crassioris, aspectûs saltem & præsentiæ frequentioris, & amicitiæ familiarioris, litterarum mutuarum, & confidentiæ singularis. His gradibus vecors homo, & de sua nimis confidens firmitate, vadit quò non volnerat ab initio. Calx erat, quasi lapidea, candida, & frigida; sed cùm accedit ad aquam, etiam puram, frigidissimam, castissimamque, tandem enascitur fervor, fragor & fumus. Videatur D. Bonaventura Opusc. *de modo confitendi, & puritate conscientiæ* ubi cap. 14. ostendit, in quos fines deveniant amores ejusmodi leviter concepti. Illa legant & timeant temerarii isti sanctimonialium venatores, qui absque licentia, imò contra sancita summorum Pontificum & Superiorum, illuc currunt pro nugis, & pro nihilo: vel concessis ad accedendum licentiis abutuntur. Ut à peccati periculis districtique Dei judicijs liberentur, attendant ad monitum

D. Bonav. Opusc. de modo confit. & pur. consc. cap. 14.

Ecclesiastici: *In via ruinæ non eas, & non offendes ad lapides. Nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum.* Eccl. 32. vers. 15.

Videamus, quali nobis exemplo præluxerit Beatissimus P. Franciscus. Ne charitas, inter ipsum & electissimam Christi Sponsam S. Claram, altis in exemplum fieret ac ruinam, abstinuit pro posse ab ea visitanda & consolanda, quàmvis innotuisset omnibus rigor vitæ ipsius, sanctitas & pudicitia. Unde cùm ab illa se diutiùs absentasset, rogatus fuit à Vicario suo & Fratribus, ipsâque sanctâ Virgine Clarâ, ut dignaretur aliquam facere Sororibus prædicationem. Acquiesce is eorum instantiis, contulit se ad S. Damianum; & cùm intrasset Ecclesiam, ubi erant Sorores, expectantes eum videre & audire, pro suarum consolatione animarum, Vir sanctus sublatis in cœlum oculis se posuit ad orandum. Et postquam orasset modicùm, petiit adferri cineres, quos humi spargens circuli formâ super pavimentum, & de reliquis sibi caput inspergens, sese ictum modestè composuit ad orandum. Clarissis ancillis Christi expectantibus cum admiratione. Deinde sese erigens è circulo & convertens ad illas, cum ingenti fervore spiritûs, dixit: *Miserere mei Deus &c.* in locum expectatæ prædicationis. Et Psalmo finito, nil proferens aliud, redit ad Conventum, relinquens ancillas Christi perfusas lacrymis, & spirituali consolatione repletas. Quo facto, Vir sanctus docere nos voluit, quo spiritu sint frequentandæ Sorores, quòdque sola pœnitentia, eis verbo, & præsertim opere sit præscribenda. Chron. p. 1. lib. 2. c. 16.

Quidam Simplicianus, discipulus ejus, cum ipso in itinere constitutus, suam culpam ei fassus est aliquando, quòd cum licentia Commissarii Visitatoris, ad monasterium Monialium accessisset, humiliter rogavit, ut ipse sibi talem indulgere vellet accessum. Auditâ Vir Dei postulatione, duriter hominem increpavit, & injuxit in pœnitentiam, ut totus vestitus, in fluvium intraret usque ad mentum, hyemis frigidissimo tempore, mense Decembri. Quod ut fecit humilis pœnitens, Pater sanctus ait ad eum: *Extingue hâc aquâ scintillas, quas in te lenis & mitis, sed periculosus ignis accendit. Lava & absterge his undis secretas sordes, quæ te inscio tibi fortassis hæserunt.* Hic dictis præivit per duo milliaria, Fratre illo cum madefactis vestibus intensissimoque frigore in silentio subsequente. Hæc erat Seraphico viro mens, circa prudentes ad monasteriorum accessum. Ibidem.

Potior tamen timendi ratio, non est de monasteriis, quæ muris cancellisque fortiter muniuntur, & ubi Sorores omnes circumspiciunt invicem ad custodiam sanctiorem, sed major est difficultas de non clausis monasteriis, præsertim ubi laxior est disciplina, & rarior ac negligentior inspectio visitationis: ubi curiosus ornatus, aspectus inverecundus, risus dissolutior, vini, omniumque cupediarum promiscua indulgentia, & cum quibuscumque indifferenter permissa confabulatio. Sunt tametsi illæ filiæ æquè per votum Domino consecratæ, sicut aliæ, apud quas arcta servatur clausura, & disciplina rigidior. De accesso ad talium monasteria Monialium, est circumspectior habenda

soli.

sollicitudo; nec ullatenùs est faciendus, nisi animo prævíis armato dispositionibus, per Dei timotem curamque honestatis.

Non solùm autem à corporali, sed à mentali quoque abstineamus monasteriorum ingressu, ne cuicumque Religiosæ inibi commoranti minùs casto adhæreamus affectu. Cordium inspector est Deus; [1. Cor. 3. vers. 17.] *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum.* Tametsi corpus non violet, quod minimum est, si tamen cor violet, ad suos illud pertrahendo amores, & occasio existat, cur illud impuris speculationibus inquietetur, scimus quàm ægrè id ferer possessor cordium Spiritus sanctus. Non ignoramus etiam, quo dolore atque furore feratur vir in adulterum, suæ sponsæ quam mi- [Prov. 6. vers. 34.] rificè deperit corruptorem. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Non minore fervet zelo divinus Sponsus pro virginibus suo servitio consecratis. Mentalis ergo etiam caveatur ingressus, ne ibi mens morosè detenta polluatur in semetipsa, & inordinatis vincta affectibus, ibi degat potiùs, quàm in corpore proprio. Non minori saltem simus virtute, quàm sæcularis bo- [Job. 31. vers. 1.] mo, miatus gentilibus, qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*; nec nos de illis cogitemus virginibus, quæ sese ad clausuræ ergastulum redegerunt, ut solùm Dei Angelorumque paterent spectaculis, & manerent in omnium terrenarum creaturarum oblivione. Sui facti rationem sub- [Vers. 2.] jungens S. Job: *Quam enim partem*, inqoit, *haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens in excelsis?* Certè nullam; sicut nec in nobis habet; cùm tamen & nos simus integraliter Domino consecrati, ejusque principalis pars hæreditatis in terris.

Itaque cor nostrum, quod Altissimo consecravimus, & ab ipso fuit gratanter acceptatum, numquam turpiter à donatario retrahamus. [Eccl. 26. vers. 31.] Illud omninò verissimum est: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*; non juxta nostram solùm æstimationem, sed ipsius quoque Dei, qui oblatam sibi animæ & corporis continentiam supra omnia æstimat dona. Quidquid offertur Deo, sacratum efficitur, adeò ut nec ligna nec lapides sibi semel in templum aut altare consecrata profanis usibus permiserit applicari. Quid igitur sentiet de sacrilegis illis, qui corda sua, quæ verbis obtulerint professionis, non ipso executionis facto tradiderint? Meminerimus igitur quid simus, & quid Altissimo debeamus. Cives sumus sanctorum & domestici Dei, comedentes de pane ipsius, & bibentes de calice. Caveamus ne in nos proferri ab ipso valeat horrificum illud improperium: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis &c. qui mecum dulces capiebas cibos.* [Psal. 54. vers. 13.] Nostri officii est, placare Dominum sacrificio salutari, super peccata populi, eademque sacramentali absolutione dimittere. *Væ ministris infidelibus*, ait Bernardus, [De Convers. ad Cler. c. 27.] *qui necdum reconciliati reconciliationis aliena negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles se mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt.* Has timentes comminationes, ad continentiæ datorem cum S. Cæcilia deprecemur: *Fiat, Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar.*

Utque nos etiam eatimulent ad virtutis amorem rectè factorum exempla, duos nobis proponamus sanctissimos conjuges, qui statum retinentes matrimonialem; castissimo exercitio, ea quæ suasimus, practicârunt. Illi sunt Colomannus Hungariæ Rex & Salomæa Regina, quæ post mariti obitum ingressa fuit ordinem Clarissarum. Hæc Salomæa, stante ma- [Annal. Tom. 2. an. 1254. num. 36.] trimonio, absente Rege honesta quadam de causa mundo muliebri, & vestibus jucunditatis suæ speciosè circumamicta varietate decoris, multùm sibi adveait pulcbritudinis. Advenit repentè Rex, nec per tempus licuit, neque propter aulicos decuit, adventante viro, lugubri superindui veste, quæ absente induebatur decorè: quare ut erat ornata, cubiculum ingredientem, charo, sed casto recepit amplexu. Commotus ille, & excitatus miro virginia splendore, ulnis exceptam deposuit in lecto, & hærens, & propè stans admiratus claritatem vultûs ejus, sublatis oculis, inquit. *O Domine, quàm libenter hæc propter te dimitto; quàm pronitati sensuum resisto, & delectabilia, sed & mihi etiamnum licita, propter te contemno, ut illicita mihi condones.* Et dimissis in sponsam oculis; *Quàm vehemens tui commercii me invasit appetitus; sed ne me dimittat Deus, ego te propter illum dimitto;* atque ita recessit, sacrâ virgine inoffensâ. Hæc à licitis continentia, viros doceat religiosos ab illicitis abstinere. Habent etiam sanctimoniales virgines quod in hac conjugata virgine studeant æmulari. Sæpiùs [Ibidem.] ipsa excitabatur à Regina Andreæ Regis, sui soceri secunda uxore, ut ad ludos & spectacula aulica prodiret; quod illa constanter recusabat, dicens; *Domina, omnem tibi parata sum exhibere obedientiam; sed vereor in virorum prodire conspectum; mihi timeo comparendo, illo caveo lædenda.*

TEX.

TEXTUS & *§. V.*

Præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis.

SUMMARIUM.

Horto nucum eleganter comparantur Monasteria Monialium. Quænam in eo horto Visitator inquirere & inspicere debeat. Sacrarum virginum curam non contempserunt Sancti Doctores Ecclesiæ. Quænam Visitatorem movere debeant, ut eas, in faciendis correctionibus &c. cum tenera tractet compassione. Agat tamen cum eis tantâ seriositate modestiâque, ut debita erga ipsum reverentia conservetur. Ædificatorios sibi deligat Socios. Quòd non facilè sint accedenda Monasteria Monialium nobis subditarum.

Subtilis ille nostri temporis scriptor R. P. F. Evangelista de Momigno exponens sententiam illam Cantici Canticorum; *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica*, dicit, Hortum nucum pulcherrimum esse symbolum Monasterii Monacharum. Quoniam, inquit, quemadmodum nuces folia habent amara, & fructûs corticem similiter amarum & durum, quo tamen circumquaque concluditur & custoditur ab intùs medulla suavis atque dulcissima, vestita subtili cartilaginis bisso sive membranâ, & secundùm crucis formam in quatuor partes divisâ; sic est Claustrum sacrarum virginum, externâ deforis apparentiâ durum, amarum & asperum, quotidianis mortificationibus & pœnitentiis circumcinctum; verùm si quis per intellectum pertranseat corticis superficiem, & penetret internè vitæ Religiosæ atque monasticæ statum, ô quantam invenit medullæ dulcedinem! ô quam suavitatem! ô quas consolationes Paradisi! ô quantam quietis tranquillitatem! Hunc hortum conclusum esse debere, diximus §. præcedenti, sic ut nullus Fratrum ingrediatur monasteria Monacharum; in præsenti verò, Seraphicus legislator isti generali prohibitioni discretam subjicit limitationem: *Præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis.* Inter quos in primis censendi sunt Visitatores: horum enim muneris est descendere in illum hortum nucum (quem symbolum diximus externorum clausuræ murorum) ut videat & sollicitè scrutetur, an ab intùs inveniantur *poma convallium*, id est *opera humilium*, inquit Litanus, ut item inspiciat *si floruerit vinea*, bonorum floribus desideriorum; *& germinaverint mala punica*, per unionem intimæ charitatis. Pomum granatum, quod sub uno solo cortice multa concludit grana, in simul unita, symbolum est Monasterii, quod intrà claustrum suum tam multas includit animas religiosas, unitas in charitate; Sicut doctissimus Gislerius interpretatur, sanctos Religiosos esse, *qui ita uniti intrà claustra servantur, quomodo intrà corticem grana mali punici clausa advertimus.* Tunc igitur in religiosa Monialium congregatione inveniuntur poma convallium, cùm opera exercentur humilitatis: tunc floret vinea, cùm castitatis bonorum desideriorum fragrant odore: tunc germinant mala punica, dum sub pacis & charitatis unitate consistunt. Tunc porrò dilectus harum animarum Sponsus, descendit in hortum nucum, ut videat & inspiciat, an hæc ita se habeant, cùm per Visitatores claustrum ingreditur, ad examinandum de conversatione communitatis, & de ipsarum disponendum consolatione; quod ex decretis Ecclesiæ & Ordinis constitutionibus fieri temporibus certis optimâ ratione præscribitur.

Cant. 6. vers. 10. Direct. Serm. 18. — In cap. 6. Cant. vers. 10. § 4.

Primò, cùm sic ordinaverit naturæ sapientissimus auctor, ut caput mulieris sit vir, ad gubernandam illam & protegendam, relinquens eam in tali rationis & virium imbecillitate, ut, dum in hac vita exulat, adjutorio indigeat alieno; hæ autem devotæ filiæ singulos sibi non elegerint viros, ne etiam corpora in potestate illorum esse deberent, sed Christum in Sponsum elegerint, ab eoque sint acceptatæ: congruum fuit & necessarium, ut ipsæ in suis imperfectionibus debito non frustrarentur adjutorio, sed ut eis pro hoc Religiosi viri, cœlestis Sponsi nomine, suppeditarentur. Non defuerunt in Ecclesia sanctissimi viri, qui munus hoc non contempserunt, sed pro Jesu Christi reverentia susceperunt. Observavit D. Augustinus, S. Cyprianum in ipso sui martyrii articulo non potuisse commissarum sibi virginum oblivisci. *Quid*, inquit, *illud, quòd cùm in alium diem dilatus esset apud custodes, atque illuc se multitudo fratrum & sororum congregans, præ foribus pernoctaret, custodiri puellas præcepit? Quanta intentione considerandum? quantâ laude præ-*

Apud Baron. an. 261. num. 27.

dicandum? quanto praconio commendandum est? vicinâ corporis morte, non movebatur in animo pastoris, vigilantia pastoralis. Quòd enim militibus omnia conferta essent, ne quid dispendii pateretur virgineus pudor, puellas custodiri mandavit. Neque pepercit sibi D. Ambrosius, prout liquet ex diversis ipsius ad virgines opusculis. Inter quæ dum librum 2. *de Virgin.* auspicatur, suam excusat ad scribendum de tantis materiis insufficientiam, additque: *Quòd si quis nos præsumptionis arguit, arguat potius sedulitatis; quia rogantibus virginibus, nec hoc quidem putavi negandum. Malui enim me in periculum pudoris deduci, quàm non obsequi voluntati earum, quarum studiis etiam Deus noster placido se indulget assensu.* S. etiam Hieronymus, sibi ipsi cæteroquin & aliis rigidus, totus tamen mollitus est ad pias sanctarum mulierum necessitates, etiam usque ad gravium pericula calumniarum.

Ambr. lib. 2. de Virginibus in principio.

Quia igitur ex debilitate sexûs diversis sunt obnoxiæ necessitatibus, in judicando de agendis, in pariter concordando, in stando fortiter, in præcavendis deceptionibus, in depellendis tristitiis, in sedandis perturbationibus, in ferendis quandoque indiscretionibus unius Matris, & aliis mille incidentiis; sunt sapienter instruendæ, in meliorem reponendæ ordinem, si uspiam exorbitaverunt, docendæ contemnere quæ levia sunt, & (quod eis maximo solatio est) audiendæ patienter in suis nugis; quibus, etsi leves sint, non tamen leviter sauciantur; curantur autem, dum solùm edicere permittuntur: quemadmodum aperto apostemate, sanies effluit, & doloris acrimonia mitigatur. Molestum quidem est, muliebres istas nænias excipere longanimiter; meritorium tamen, Deoque gratum, si debitâ fiat intentione. Cùm enim se, Sponsi cœlestia amore, à mundi conversationibus, recreationibus & amicis humanis abstraxerint, seque redegerint ad perpetuæ angustias clausuræ, quæ humano judicio vice perpetui carceris æstimatur, ubi oportet regulares pati rigores, tædia varia, regimen unius fœminæ aliquando indiscretæ, continuam etiam cohabitationem cum aliis naturaliter imperfectis: quæ omnia eis pro longo quodam quasi martyrio computantur, opus fuerit pietatis, necessariam miseris illis impendere compassionem: quam exhibebimus haud difficulter, si consideremus, quid vellemus fieri nobis-ipsis, si in tali concluli carcere sub similibus sudaremus angustiis. Hinc pius ille Cardinalis Hugolinus (qui postmodum fuit Papa Gregor. IX.) cum B. Francisco Patre nostro ordinans & scribens Regulam pro S. Clara & sequacibus ejus, cùm perpenderet rigores, quos Vir Dei, juxta fervorem & mentem illarum, ibi inserebat, non se poterat à lacrymis continere, præ compassione earum, & gaudio sancto, quòd sibi Deus tales elegisset famulas, in tam difficili longoque martyrio persistentes.

Annal. Tom. 1. an. 1217. num. 6.

Optat B. Pater noster, Visitatores earum simili tenerescere compassione, quâ jugum earum amabile redderent atque suave, omnique uti prudentiâ, ad animas illas reddendum alacres, in ferenda Domini cruce, & religiosis oneribus, itemque ad temperandum amaritudines, quibus sive à propriis imperfectionibus, sive à cohabitantium displicentiis, sive à secretis tentationibus sat superque excruciantur. Dùm adhibendæ fuerint correctiones, tantâ eas temperent moderatione, ut illæ infirmiores æquo possint animo tolerare: &, per se satis timidas, non in totalem præcipitent perturbationem; sed ea solùm, eoque modo suggerant, quæ pro justo incutiendo timore sufficiant, & quibus retrahantur à malis. Ideo enim malunt à viris potiùs quàm à fœminis corripi, quia (ut sæpiùs fassæ sunt) à viris minores expectant iras, majoremque misericordiam. Probatum fuit aliquando in Sororibus de Tertia Regula, ut non ampliùs à viris, sed à quadam visitarentur Generali Ministra, quæ nosset meliùs ingenia, defectus, astutias, viresque muliebres, & ut eo modo à periculis conversationum alterius sexûs longiùs ablegarentur. Concessitque summus Pontifex Martinus V. tali Ministræ, per Sorores eligendæ, satis amplam inquirendi & corrigendi subditas potestatem. Et primæ quidem, quia sanctæ erant, à Spiritu sancto se dirigi permittentes, rectè hoc officium exercuerunt; succedentibus verò temporibus, in tantam degenerârunt crudelitatem & indiscretionem, ut visitationes factæ sint panpercutis illis intolerabiles, & concessam potestatem oportuerit revocari virisque restitui.

Annal. Tom. 5. an. 1418. num. 17.

Secundò, Alterum quod à Visitatoribus exigitur, est reverentia ad loca ista, in quibus Christi virgines asservantur, & ad ipsas inhabitantes: sic ut sepositâ consideratione inferioritatis sexûs, & naturalium imperfectionum, ad votum attendatur, quo Regi cœlesti dedicatæ sunt & consecratæ; ad puritatem cordis, quâ beantur in tanta à mundo abstractione; ad simplicitatem illarum humilium animarum; ad teneriorem illum amorem, quo Dominum prosequuntur, & ad Angelos speciali cura sacris illis depositis invigilantes, qui & illas indubiè tamquam Sancti Spiritûs sacraria venerantur. Ipsos etiam Visitatores quodammodo tangit illa B. Petri monitio: *Viri cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ.* In divina sancti Evangelii historia legimus; quòd *cùm vidisset Jesus*, pendens in cruce, *Matrem & Discipulum stantem quem diligebat, dixit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Non utique in sua propria, quibus carebat; sed in obsequia sua, quæ Virgo sanctissima cuperet imperare; quæ & ipsi cum summa exhibuit veneratione, & in hoc obsequio se fuit fœlicissimum arbitratus. Simile credant Visitatores officium suum, huic S. Joannis Evangelistæ, cui à Christo Domino Virgo Mater est commendata, ut custodiret eam, defenderet, & associaret in omnibus, ad quæ virilis opera necessaria videretur, & exigeret virginalis modestiæ, quietis, devotionisque protectio. Nec erit inanis labor in Domino, quem istis Christi sponsis excolendis impenderint: licèt

1. Petri 3. vers. 7.

Joan. 19. vers. 26.

licèt enim hæ fortè fuerint obliviosæ, vel impotentes ad reddendum gratias, non obliviscetur tamen Sponsus illarum, & Pater qui sibi complacet in eis, & in ornantibus eas. Profuit F. Henrico de Balma curam habuisse Beatæ Coletæ, F. Arnaldo adjuvisse B. Angelam Fulginatem, cujus interventu benedictionem accepit à Domino; itemque F. Raymondo Ordinis Prædicatorum egisse curam S. Catharinæ Senensis, quæ ei complura dona spiritualia impetravit.

Martyr. Francisc. 23. Febru. vita c. 50. Sur. ad April. vita num. 18.

Tertiò, Quia plurimùm facit ad profectum obedientiæ, pudicitiæque tutelam, timor erga Superiores & reverentia, tantâ agant ipsi cum sanctimonialibus seriositate ac modestiâ, ut vicissim timeant eos & venerentur, neque de ulla confidant in eorum oculis indecentia. Illud est consilium Sapientis, observandum in primis: *Filiæ tibi sunt? Serva corpus illarum & non ostendas faciem tuam hilarem ad illas.* Si dictum hoc est patri secundùm carnem, inter quem & filiam nullum solet esse periculum impudicitiæ, & ex cujus hilariori facie, non concipit filia procaciorem audaciam, ad inhonestatem; quantò magis debet dictum intelligi spiritualibus patribus, quos non cohibet natura à filiabus, neque filias ab eis? quæ etiam blando vultu, mollioribus verbis, nimiâque ad ipsas condescensione moventur faciliter ad majorem: qui an sanctus sit nec ne, haud ita citò discernunt, & captæ sunt priùs quàm animadverterint ipsæ. Quòd si tantâ sint præditæ gratiæ firmitate, ut non ita facilè capiantur, cùm sagaces sint, suspicabuntur forsan leviusculum esse Visitatorem, & virtutis non adeò solidæ, si non omnes seriositatis gravitatisque lineas in vultu ejus, verba & moribus legant; ac ordinationes ipsius contemnere tentabuntur. Cùm igitur semel dumtaxat in anno videant virum, ita sancta, religiosa atque composita debet esse totius hominis constitutio, ut ex illo aspectu unico in eis impressa remaneat per annum totum imago modestiæ, illâque præsentiâ momentaneâ, ipsarum animi præparentur, ad suscipienda & observanda decreta Visitationis, velut à quopiam Angelo promulgata.

Eccl. 7. vers. 26.

Neque timendum est, ne inde forsan pusillanimes fiant, aut meticulosæ, ad declarandum privatas suas communesque necessitates: quin inde potiùs confidentiam sument, quòd sanctitas Visitatoris in tantùm suæ superemineat. Hoc timore vult regi mulier, atque tunc scilicet suo alienoque periculo amat virum, quem videt ob cultum modestiæ suspiciendum. Talem providerat Deus primis Sororibus nostris Fratrem Philippum Longum, tantæ perfectionis virum, quòd velut alter Isaias calculo ignito per Angeli ministerium, labiorum acceperit munditiam: qui licèt illitteratus, profunda Scripturæ sensa miro rimabatur acumine, & altiora penetrabat mysteria: talisque erat apud virgines illas ipsius conversatio, ut si jam antè non fuissent sanctæ, omnem ab illa possent imbibere sanctitatem.

Annal. Tom. 1. an. 1209. num. 28.

Quartò, Expedit etiam, ut Visitator socios habeat, qui moribus exprimant quod verbis ipse docuerit, quorumque aspectu ad bonum & honestum Sorores ædificentur. Dum seraphicus Pater delinearet boni Generalis Ministri conditiones, hanc quoque velut utilissimam addidit: *Vellem etiam eum habere Socios præditos honestate, rigidos adversùs voluptates, fortes in angustiis, & delinquentibus compassivos, habentes æqualem affectionem ad omnes; nihil de labore suo recipientes, nisi puram corporis necessitatem: & nihil appetentes, nisi laudem Dei, Ordinis profectum, animæ propriæ meritum, & fratrum omnium perfectam salutem: omnibus convenienter affabiles, & omnes convenientes ad eos cum sancta jucunditate recipientes, atque formam & exemplum observantiæ Evangelii, juxta professionem Regulæ in semetipsis purè & simpliciter omnibus ostendentes.* Ad idem D. Bernardus monet Eugenium Papam, ut nempe sibi de Officialibus Curiæ domesticisque provideat, quorum integritas correspondeat summi Pontificis sanctitati: *Quia*, inquit, *si boni sunt, tibi potissimùm sunt: si mali, æquè plùs tibi. Ne te dixeris sanum, dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum, malis innitentem; aut si bonus sis, bonitas tui solius quem fructum afferre potest?* Si hoc summo expedit Pontifici, pariter etiam expedit Visitatori. Unde cùm D. Bonaventura in patentibus Visitatoris alicujus præmisisset ministerium visitationis salutem respicere animarum, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, & quòd fiat inde laus Christo, extirpatio vitiorum, ædificatio virtutum & devotarum consolatio animarum: mox de opportuno medio illud exequendi providens, subjungit: *Et ut prosecutioni hujus officii valeas intendere ut oportet, Minister tuus teneatur tibi, præsentium jussione, de Socio idoneo providere, & ad hoc ipsum Custos, in cujus Custodia Visitationem feceris, si Socium tuum impediri contigerit, sit astrictus.* Itaque bene maturus Socius eligatur, qui cum Visitatore claustrum ingrediens, non modò testis sit integritatis illius, verùm & cooperator ad bonum, conatuumque sanctorum adjutor: absit autem, ut ipse levitate aliquâ destruat, quod Visitator ædificaverit.

Opusc. Tom. 3. collat. 26.

De Consid. lib. 4. ante medium.

Annal. Tom. 2. an. 1264. num. 3.

Et hæc quidem dicta sint de ingressu vel accessu ad monasteria nostrarum Sororum. Quantùm autem ad Moniales externas, Episcopis subditas aliisque Ordinibus, ab iis expedit nos esse ampliùs elongatos; tum quia nec eas frequentare, vel alloqui possumus, sinè Rectorum propriorum zelotypia: tum quia scimus, eas communiter Patres proprios fastidire, atque esse avidas alienorum, quos aut credunt esse spiritualiores, vel sibi placentia locuturos. Illam earum curiositatem nos non foveamus, atque inde nos ideo subtrahentes, permittamus ut à suis, juxta sui instituti spiritum, dirigantur & contineantur; nisi fortè ab ipsis advocemur Superioribus, nec ullum appareret periculum frangendæ pacis, aut turbandi regiminis ordinarii. Aliàs clancularii congressus cum illis, ad docendum vitam spiritualem, furtivæ auditiones confessionum, disputationes num teneantur in his vel in illis obedire Visitatoribus suis vel Abbatissis, inquisitiones curiosæ de statu monasteriorum, patientes audientiæ murmurationum & detractionum, sub specie

illas consolandi, & similia, non ædificant ad charitatem: & dum se putat quis uni tali singulari personæ prodesse ad consolationem, nocet gravissimè communitati, in qua suscitantur exindè suspiciones & amaritudines. Inveniuntur quidem subindè misellæ mirabiliter afflictæ, & de Superioribus & Confessariis diffidentes, verèque indigentes aliquo sublevamine; quas extrahere de abysso suarum secretarum angustiarum non parva est misericordia. Sed eùm negotium non unius horæ sit, talesque animæ quotidiè novas progerminent spinas, aliâ viâ non suspectâ neque furtivâ est ineedendum, & sic sunt ad colloquium admittendæ, ut neque nos inutilem reportemus inquietudinem, nec in nostram Regulam impingamus, nec offendatur ullus aut offendi possit; sintque tales animæ, quæ sanari possint, non fatuæ, non pervieaces, pro quibus, etsi alii plurimi diutissimè laborârint, nil tamen profecerunt; quia miseris illis non est animus salubria sectari & adimplere consilia; sed pruritus aurium novi semper aliquid audire cupientium.

§. 6. Incidentalis.

Cautelæ pro Confessariis Monialium.

SVMMARIVM.

Ex quibus considerationibus B. Bernardinus Feltrensis regimen Monialium acceptavit. Quieti suæ & suarum consulet Confessarius Monialium. 1. Si solum fori interni curam sibi meminerit commissam, & aliis se non immisceat. 2. Si pacem inter illas filias conservare studuerit vel procurare. 3. Si extra Confessionem non longas præbeat audientias. 4. In Confessionibus tamen non sit parcus in audientia concedenda. 5. Nullas habeat Speciales, quibus confidat præ cæteris & afficiatur. Quousque arcere conveniat Sacerdotes alios, ad monasteria accedentes. Qua puritate cum Exitricibus *conversandum.*

CUm B. Bernardinus Feltrensis, electus Provinciæ S. Antonii Definitor, curam & reginien admisisset cujusdam monasterii Clarissarum, & improbarent Patres aliqui hujusmodi periculosum & tædiosum gubernium fœminarum, dixit Vir sanctus: *Periculosum quidem est sed meritorium: tædiosum, sed salutare: & compatiendum est misellis sororibus in carcere perennitibus absque ductore; nostroque aliquali incommodo debet salus procurari proximorum.* Pia planè viri prudentissimi resolutio, ut personæ illæ fragiles per votum Castitatis Domino consecratæ, nec jam à parentibus custoditæ, sed tamquam emancipatæ, Religionis custodiæ traditæ, timoratorum prudentumque virorum committantur curæ, qui charitativâ compassione studeant eis, quæ fuerint ad profectum spiritualem, æternamque salutem necessaria, ministrare. Arduum sanè officium, multâque prudentiâ indigens & circumspectione; quoniam si ars artium est regimen animarum, maximè tale erit regimen fœminarum. Quod perpendentes eximii Doctores Ecclesiæ, Cyprianus, Ambrosius, atque Hieronymus non dedignati sunt illi se muneri applicare, eique præcipuam impendere sollicitudinem; prout memoravimus §. præcedenti. Itemque D. Chrysostomus lib. 2. de Sacerd. paulò ante fin. curam illam ad Principes Ecclesiarum Episcopos asseruit pertinere. Ubi etiam de illius officii momento gravissimo, sic veraciter affirmavit: *Quod ad virginum curam spectat, tantò certè major mihi timor inest, quantò virginitatis donum pretiosius, quantò virginalis grex regalior cæteris &c. Propterea tutissimâ custodiâ ac majori præsidio indiget: nam sanctimoniæ adversarius assiduè adstat, iisque in primis insidiatur, devorare paratus, sicubi virgo aliqua cadat labaturque. Præterea ex hominibus insidiantur permulti &c.* Ut inter ea pericula devotas illas animas rector earum deducat securiùs, devitetque fastidia multa, quæ sibi quotidie possent in eo munere suboriri, documenta sequentia non inutiliter observabit.

Annal. Tom. 7. an. 1461. num. 11.

Primò, Cùm solùm ea, quæ fori sunt interni commissa sint ipsis judicanda, non attentent ulteriora, quæ ad Provinciales pertinent, aut Visitatores, circa externum regimen, vel publicas correctiones. Neque se de quibuscumque intromittant minutiis, quæ ipsis Matribus meliùs permittuntur. Alioquin non modò bonum turbabunt ordinem inter eas, derogabuntque Præfectarum auctoritati, verùm & suo proprio incommodabunt officio, dum necessariam hoc modo impedient confidentiam; ne suas audeant conscientias aperire. Cùm enim genus illud hominum suspiciosissimum sit, apprehendent facilè & timebunt, ne ex iis quæ confessæ fuerint, aliquid statuatur exteriùs, secus quàm optant. Hæc autem vitantur, si vo-

si cognita sit Confessoris abstractio ab externo regimine. Insuper & ipse suæ propriæ consulet paci, quæ singularibus istis quam plurimùm turbaretur, & incessanter modò unius, modò alteriùs, modò plurium malè contentarum importunitate convelleretur. Querulantur aliqui de hoc officio, velut onerosissimo fastidiosoque, de puellarum importunitate tamquam quibus numquam satisfieri possit. Non ipsis solis ea sunt imputanda fastidia; sed iis quoque, imò & maximè, qui ea gratis admittunt; dum se negotiis intricant ad suum officium minimè pertinentibus: & quæ frequenter nec satis intelligunt, quàmvis se credant sincerè atque integrè à suis fidentioribus informatos.

Quòd si defectum plenè planèque intelligant, & fortè sperarent uno verbo corrigere posse regentis Matris vel alterius officiariæ indiscretionem, bene quidem est, ut monitio fiat, si quippiam notabile fuerit; sin verò quid leve, tunc pluris facienda est Patris pax, filiæque libertas, quas tacendo tuebitur, quàm minutularum emendatio indiscretionum, quas assuetæ sunt faciliter oblivisci, quæque momentis singulis inter imperfectas succrescunt, nec earum est finis, earumque occasione nec in Confessariis finis esset inquietudinum. De Minutiis illis veluti de fungis enascentibus est censendum, crescunt subitò & evanescunt: quapropter sicut nemo prudens magnam apponet operam in fungis, mox ut viderit, eradicandis; sic neque discretus Pater, in evellendis minutiis Monialium imperfectionibus.

Secundò, Curare in primis debet, ut Pacem habeant, tam exteriorem, quam interiorem. Licet enim Pax hominibus omnibus perquam necessaria sit, fœminis tamen maximè, quæ sine Pace in nulla sciunt Religionis Observantia perdurare; mollis enim, multùmque passibilis est earum animus, & affectionibus ducuntur potiùs quàm ratione; & ideo propter pacem semper est eis turbationis materia subtrahenda. Propterea (ut probatum est experientiâ) numquam cum fructu Pater aliquid ordinabit, vel novi instituet, quando est contra voluntatem Matris, aut potioris partis communitatis; quia mulieres laudant aut vituperant aliquam ordinationem, quia placet vel displicet: sequuntur enim plerumque non tam rationem, quàm inclinationem; quia licèt aliquando exprimi possit ratio, non tamen capietur, dum adeò tenaciter contraria eis inhæret impressio. Ergo quando non sunt contra animam vel regulam, relinque earum voluntati potiùs, quàm tuo judicio, quamtumlibet saniori; meliùs est enim ut aliquando dissimules & patiatis, quàm ut patiantur illæ, quæ passiones suas nesciunt moderari; mulieres namque multùm proclives sunt ad passiones, neminemque pati possunt; sed sunt quasi ulcera, quæ ad omnem tactum ingemiscunt, flent & querulantur, nec judicant quo fine bono agat Rector earum, sed quòd sustinere non possint.

Et propter hanc etiam causam necessarium est (quod & præmonuimus antè) ne importunus sit & vehemens in correctionibus aut defectibus resecandis: correctiones enim importunæ, licèt ea aliquo fiant rectitudinis zelo, non sanant tamen, sed exasperant vulnera mentium, mulierum maximè. Juniores & tumidiores quâdam auctoritate coërce, ne quidpiam incipiant machinari; neque blandimentis persuasionibusque demulceas: talis enim humanitas libertatem parit in eis, petulantiam, & sensualem affectum. Seniores magis humilitate vincas & ratione, quàm severitate. Cave semper cum eis concertationem habere verborum, quia numquam hoc cedit ad subjectionem earum, sed magis ad subversionem. Nec turbatus vel turbatas multùm agites, sed passione digestâ de temeritate moneas, emendationemque deposcas.

Tertiò, Ad pacem Confessariorum identidem proderit, si extra Confessionem longas frequentesque non præbeant audientias. Raro causam habent loquendi, numquam tamen eis loquendi materia deest. Et quia interiùs ad regulare silentium coarctantur, liberior videtur campus apertus, si Confessarium valeant detinere, à quibus non ita facilè Matres impediunt, ne crudeles contra conclusas conscientias videantur. Multa sanè tam Patribus quàm Sororibus nata sunt ex frequenti confabulatione præjudicia generari. Siquidem si Pater uni concedat hæc spatia, necessum erit concedat & aliis, ut malum possit evadere zelotypiæ: quod si faciat, tunc una post aliam veniet, omnesque successivè, & vir bonus sinè modo gravabitur. Quis non judicet stultissimum esse tot velle servire stultitiis? quæ major inutilitas quàm tempus pretiosum sic terere, quod ad lucrum accepimus? quod majus onus, quàm talibus esse næniis alligatum? Neque minora se tenent ex parte Sororum inconvenientia. Timendum siquidem est, ne eis murmurationum janua & detractionum aperiatur. At, inquiunt, oportet cor nostrum exonerare. Rectè quidem, si non tale solatium requiratur, quale acquirit detractor apud suarum auditorem detractionum, maximè si eum sibi videat credidisse. Absit à medico animarum, ut sui copiam præbeat paupercula cuidam, ad peccandum graviùs, per amarulentias & maledicentias.

Fateor equidem, & verissimum est, conclusas illas animulas, plùs hominibus cæteris obnoxias esse tristitiis; nec domesticis quandoque confidere Sororibus, & sæpè nec consultum esse quòd confidant: atque adeò meritissimo jure à Confessario suo solatium exquirere posse. Certè nullum est eis invidendum solatium, quod absque cujusquam præjudicio admitti possit, atque præstari. Unum tamen monitum velim, ut ultra necessitatem vel utilitatem ejusmodi colloquia non frequententur aut extendantur. Itemque, ut quando cum eis loquendum fuerit, nil umquam dicatur quod tacitum velimus. Non est hominum genus, quòd fidem atque silentium magis exigat, & minùs præstet. Specialiter autem numquam alicui referat, quid sibi una de alia dixerit: hoc enim adduceret inconvenientias, quæ possunt à quolibet facilè considerari. Utile verò remedium Confessario, quo valeat ab inutilibus fabulis liberari, erit, si semper se teneat honestis aliquibus exercitiis, puta studiorum, vel aliis

occupatum. Hoc enim advertentes, faciliùs dimittent virum in pace quæ habet agenda perficere; sicut probatum est experimento. Alioqui si audierint domi degere otiosum, accersent aliquando, putantes gratum ei fore, si ipsum suis pascant alloquiis.

Quartò, Major servandæ brevitatis difficultas, in ipsis erit Confessionibus, ubi volunt incircumcisam sibi tribui libertatem, ad explicandum quidquid in corde habuerint, sive peccata sint, sive dubia, sive tentationes, sive disputationes. Ubi cavendum est Confessario, ne prætextu monitionis prædictæ, sic pœnitentibus tempus abbreviet & ora concludat, ut non eis sua omnia liceat explicare, & recedant magis anxiæ, quàm accesserant. Gloriantur aliqui, quòd tam citò expediverint illas; sed an & tam bene, dubium est. Notum est, quòd cùm ignorantiores sint debiliorisque judicii, non sciant quæ juvare possent ad conscientias quietandum, nisi à doctioribus instruantur. Simul & timidiores sunt, ad umbram periculi minimam trepidantes: & quia magis puritati cordis intendunt, magis quoque obnoxiæ sunt terroribus istis, qui nonnisi absolutis veritatis resolutionibus quietantur. Ut verò resolutiones capiant, non eis succincta sufficit enuntiatio, sed fusiori & clarâ indigent expositione: aliàs contrario modo intelligent dicta, nisi modis diversis repetantur & inculcentur, & communes Doctorum regulæ ad factum proprium applicentur. Hæc autem aliquantò plùs temporis reposcunt. Aliquæ quidem inveniuntur aliis ingeniosiores, quæ faciliùs capiunt omnia; sed hæ quoque fœcundiores sunt in dubiis, è clariori materiarum intellectu emergentibus. Deinde fit sæpe-numero, ut quod unâ hebdomadâ resolveras, alterâ tradiderint oblivioni, & veniant iterum instruendæ. Quæ licèt tædiosa sint viris intelligentibus; quia tamen referuntur ad cordium puritatem, in qua delectatur Deus, & ad pacem conscientiarum, quæ ipsis supremum est bonum, non decet in his parcum esse temporis sive laboris. Dum pueri essemus, nisi ludi magistri cum patientiâ nobis prima inculcassent rudimenta, adhuc stipites essemus ignari. Simili nos convenit uti patientiâ cum sexu illo, quem noluit Deus creare capaciorem, nobisque sustentandum misit & instruendum.

Hoc igitur à prudenti Confessario desideratur, ut neque parcus sit in utilibus aut necessariis audiendis, neque largus in impertinentibus; & tunc legitimè supremi Judicis vice fungetur, & quasi ex ipsius ore sententiam proferet, dum charitativâ discretione, ab utilibus, quæ narrat pœnitens, discreverit inutilia; sicut

Jerem. 15. vers. 19. olim promiserat Dominus Jeremiæ: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Alterum quod anxios reddit doctiores Monialium rectores, est, quòd illæ filiæ videantur nimis frequenter ad confitendum admitti, ita ut ipsi Patres labore fatigentur inutili, si non etiam noxio. Quod tunc esset, quando confessiones non tam ex motu fierent contritionis super admissa peccata, quàm ex consuetudine semper eadem historialiter enarrandi, non allatâ etiam quandoque materiâ sufficienti; vel si hanc afferant, fortè non aderit firmum propositum emendandi illa venialia quotidiana. Multi quidem sancti Dei homines, frequentes fuerunt in exilibus maculis sacramentaliter eluendis; sed ea quæ nobis exilia videntur, ipsis ea singulari mentis lumine grandia videbantur, & ad Sacramentum motivis sublimioribus urgebantur. Cùm autem nil simile sciant aut sentiant vulgares animæ, timendum est, ne sacra mysteria sæpè irreligiosè, & forsan, defectu dispositionis, invalidè frequententur: quapropter expedire videtur, ut quando apparent sic solùm cæremonialiter confiteri, non eis absolutio sacramentalis, sed similiter solùm cæremonialis benedictio conferatur. Si quædam afflictæ scrupulisque agitatæ, remedium quærant è confessionibus, compassio, patientia atque discretio docebunt Confessarios, qualiter cum similibus erit agendum, quousque audiendæ, & qualiter dirigendæ. Pro quibus legatur R. P. Petrus Marchant in suo Tribunali animæ tom. 1. Tract. 5. tit. 6. Marchant Tribun. Tom. 1. tract. 5. tit. 6.

Quintò, Præcipuus lapis offensionis Confessariorum, est, aliquam seligere specialem, aut se offerentem acceptare, cui confidat præ cæteris & afficiatur. Omnibus communis sit Pater, æqualiter diligens omnes in Christo Jesu: nam speciales habendo, inquietabit omnes & semetipsum. Et verò, licèt quis erga omnes æqualem habeat charitatem, vix tamen evadere poterit temerarium mulierum judicium, quæ suos Patres facilè de speciali censurant amore: nam cùm mulier ex natura seipsam amet, quidquid fit alteri plùs quàm ipsi, sibi existimat denegari. Curabit igitur bonus Rector, ut odio quidem non habeatur (ex corde enim vix confitentur ei quem oderint, & à sermonibus ejus auditum avertent) sed ut amet & ametur communiter ab universis: nec amorem earum venetur specialibus quibusdam actionibus eò directis, sed per communem bonam exemplarem & humilem conversationem. Deindè curabit, ut gravitate morum etiam timeatur: quia amore trahentur subditæ ad obediendum, timore autem compescentur earum corda, ne filialis amor in carnis mutetur affectum. De hoc semper certissimus sit, quòd omnis familiaritas & specialitas causabit ipsi regiminis turbationem.

Enimvero, si cum Matre frequentiùs agat & confidentiùs, mox omnia hujus externa negotia in Patris humeros devolventur, & tunc satis habebit quòd currat & agat: & si quædam negotia, non obstante ipsius diligentiâ, minùs feliciter expediantur, *ondanck in fine laborum.* Sic venient ipsi quotidiè foris pugnæ, & nihilò minùs etiam intùs timores. Siquidem correctiones omnes, quæ in Sororem aliquam decernentur à Matre, Patris consiliis attribuentur: quoniam persuasum sibi habebunt, omnes suas miserias eidem à Matre communicari, universumque regimen monasticum, utriusque communicatis arbitriis administrari. Unde continget ulteriùs, omnem prorsùs tolli confidentiam; quæ tamen Sororibus cum primis necessaria est, ut valeant Patri suas conscientias aperire, & in suarum necessitatibus miseriarum fiducialem habere recursum.

Si non

Si non Matri, sed uni de grege adhæreas specialiter, æquè acerbas videbis in monasterio tempestates; præsertim si animadverterint huic longiores indulgeri confabulationes, hanc laudari pro cæteris, & Superioribus ad promotionem commendari, huic uni plùs fidei quàm cæteris adhiberi, hanc defendi & excusari in suis indiscretis præteositionibus, & alias corripi, istius occasione. Indignationi publicæ risus accedet, si hanc suam cæteris reputaverit sanctiorem; cujus tamen conversatio aliter est nota domesticis. Consultissimum erit, ut numquam in particulari laudet aliquam, quod aliis ionotescere possit: eâ contrario siquidem in laudata inanis gloriæ periculum orietur; in aliis zelotypiæ. Si verè sanctæ sint, haud æquanimiter ferent sua præconia divulgari, scientes quòd inventus thesaurus absconditur ut servetur. Venerabilis Pater Henricus de Balma B. Coletæ Director & Confessarius, cùm multa sciret præ cæteris de occultis ejus donis, & charismatibus specialibus, clam ea in scripta redegerat, ne oblivione perirent. Sed id ea Spiritu Dei revelante non ignorans, nec se laudari sustinens, accitum illum acriter reprehendit; asserens se planè & esse & existimari debere magnam peccatricem, quovis etiam opprobrio & ignominiâ dignam. Itaque libellum sibi exhiberi jubet, totumque flammis exurit.

Annal. Tom. 4. an. 1330. num. 18.

Quia verò zelotypia Confessariorum graves ipsis & filiabus parere solet in spiritualibus exercitiis inquietudines, magno sedatoque rationis judicio, vel admittenda est, vel à corde repellenda. Eam, quæ ea meris est suscitata suspicionibus, non legitimâ probabilitate fundatis, suaserim non auscultari: si recurrat importunè, tranquillè repelli: si ad indaginem impellat inutilium secretorum, non obedire; sed ut tentationem, interioris quietis inimicam contemni. Quare sumant in medicinam à Sapiente propinatum antidotum: *Multos supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.* Alioqin si hæc stultitia deprehenderetur, efficerentur ridiculi, & absque ulla apud sibi commissas auctoritate.

Eccl. 3. vers. 26.

Dum verò manifesta fuerit externorum frequentario, præsertim eorum, qui facultatem non habeant absolvendi, si ex vehementibus colligatur indiciis, quòd non nisi bonam Monialium gratiam aucupentur & familiaritatem affectent, justa est contra procos illos iracundia. Si enim parentibus dictum est: *Filia tibi sunt? serva corpus illarum;* multò magis curandum est de spiritibus harum, ne ad amicitias noxias distrahantur. *Neque enim hoc agitur*, inquit Chrysost. *de mariti* vel patris terreni, *sed de Christi neglectu atque contemptu.* Unde si patri filia occultam in animo vigiliam affert, si item cura de eâ suscepta somnum à paternis oculis excutit, ubi corporis tantùm ei cura incumbit; quid erit ei curatum necesse, cui spiritûs rationalis est commissa custodia? Ipse Deus super hoc negotio zelator est; & zelum eumdem exprimebat Apostolus, quando dicebat: *Æmulor vos Dei æmulatione: despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Et: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Mihi

Eccl. 7. vers. 26.

Loco citato

2.Cor. 11. vers. 2.

Vers. 29.

etede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui fœminarum accessibus copulatur. Et nimiâ talium accessuum frequentiâ omnem ex mulierum congregatione sanctitatem expellit. Ideoque potest optimo consilio negari eorum accessus, qui de nugis familiaritatum suspecti sunt; vel à quarum clandestinis consiliis jam compertum est turbas in monasterio provenisse.

Quòd si potestatem habentes absolvendi, ab ipsis Monialibus advocentur, curiositatis instinctu, ut sub specie confessionis agant cum eis de rebus spiritualibus, absque aliquo fructu; cedendum subinde erit infirmitati illi, eas nimium divexanti, ne dum arctiùs cohibita fuerit, vehementiùs accendatur. Freqneotiùs tamen dissipanda est per Matres ipsas, ne totæ & semper ad curiositates illas & congressus anhelent extraneorum. Si videbiris eas ex infirmitate muliebri trepidare aliquando ad suas vobis conscientias explicandum, aut aversione quàpiam abalienatas, ne difficiles sitis in Confessariis aliis secundùm Superiorum beneplacitum admittendis. Dummodo à suis liberentur peccatis, quid ad nos, sive per nostrum sive per aliorum ministerium liberentur? Non plùs debet quis super hoc indignari, quàm S. Paulus cœli claviculario D. Petro indignetur, dum alicui cœli januam aperiret. Mirum, quanta sio vos accrescet filiarum illarum reverentia & confidentia, si io hac indulgentia vos ostenderitis liberales. Si verò recusaveritis, vehementiùs appetent & requirent: quoniam quod de omnibus dicitur, singulariter mulieribus contingit: *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Porrò quàm simplici Castitate sit cum sororibus Externis conversandum, quæ Confessario socioque debent immediatius necessaria ministrara, præclaro nos exemplo totius puritatis amator Franciscus edocuit. Refert de ipso noster Alvarus Pelagius, quòd cùm infirmum ipsum sæcularis quædam virgo nobilis frequentaret, atque humiliter ministraret, numquam eam aspexit in facie. Rationem percunctatori socio respondit: *Quis non timere debet Sponsam Christi? Quæ si oculis pudicis prædicatur & conversatur, magis in sua sanctitate confirmatur. Me illa in facie viderit, non ego illam.* Similiter nos illas honestate nostrâ modestiâque in sui voti observantia confirmemus, ut à timore nostro timere discant, suamque obligationem prout oportuerit æstimare.

Lib. 2. de planctu Eccles. cap. 73.

Concludo finaliter Apostoli verbis: *De cætero, Fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Et io cor vestrum descendat etiam gravissima Matthæi Cardinalis Protectoris Clarissarum ad Minoritas commonitio. *Obsecramus prudentiam vestram, per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ut præmissa omnia sic prudenter & sollicitè exerceantur, quod fructus Deo acceptus, & monasterio utilis, & consolatorius inde proveniat: & tam nostra conscientia, quàm vestrorum conscientia in tuto consistant.*

Philip. 4. vers. 8.

Tom. 2. in Regesto an. 1297. Bul. 29.

TEXTVS & § VII.

Nec fiant Compatres virorum vel mulierum.

SVMMARIVM.

Quandoquidem Compaternitates recuſandæ ſint ſtudio majoris libertatis religioſæ, ad mentem hujus legis faciunt. 1. Qui non admittunt fieri Confeſſarii Magnatum. 2. Qui fugiunt ſæculares quærentes ſolùm quæ ſua ſunt. 3. Qui fugiunt Sacellanias Nobilium. 4. Qui fugiunt caſtrenſia ſervitia. Qualiter & quàm religioſè ſe continebunt, qui ad hæc miniſteria per obedientiam compellentur.

POſt amorem, quem vitum inter uxoremque natura poſuit, ſequitur proximè tenet amor parentum ad proles, & inextinguibilis pro eiſdem ſollicitudo. Qui amores tametſi naturales ſint & neceſſarii, cor tamen, ſi non totum, pro parte ſaltem ſibi vendicant, ac taliter aliquando tenent illaqueatum, ut non relinquant liberum planè ad amores & obſequia Dei. Ab illo priori vehementi ad uxorem amore, atque inquietiſſimo ad proles affectu, liberatos nos voluit, per Caſtitatis votum, miſericors Deus, ut facultatem haberemus ſinè impedimento Dominum obſecrandi. Quia verò ex inſtituto Chriſtianæ Religionis, aliqui ſolent à parentibus in partem aut ſucceſſionem ſollicitudinis advocati, pro concernentibus ſuarum prolium inſtructionem, ab hac etiam, quantumvis ſacra, immunes voluit filios ſuos Franciſcus, decernens *ne fiant Compatres virorum vel mulierum;* ut ſi quæ ad ſæculares adhæſio ex tali poſſet enaſci Compaternitate, hæc præveniretur ejuſmodi providentiâ prohibitionis. Nec enim pueris ipſis, neque parentibus, hâc etiam honeſtâ amicitiâ voluit obligari, ut in cordis pleniſſimam libertatem aſſerti, toti ſimus reſervati ad omnes Dei filios exiſtentes ubique locorum, poſſitque noſtra charitas extendi ad univerſos æqualiter, totaque in unum collecta libertimo curſu in ſolum contendere Creatorem.

Primò, Hujus amore libertatis, viri quidam præclari, Altiſſimo famulantes, non ſolùm exiguas illas erga proles unius familiæ dedignati ſunt obligationes, juxta præſentem Regulæ conſtitutionem; ſed alias quoque honorabiliores, magnique communiter æſtimatas. Aliqui ſiquidem manibus pedibuſque contra Epiſcopalia vincula repugnârunt, ne illis limitati compedibus tenerentur; ſed pede libero poſſent, Evangelii gratiâ, ad plures excurrere diœceſes. Complectebantur animo mundum univerſum, cui ſe obligatos exiſtimabant, illique debito perſolvendo ſeſe ſatagebant integros conſervare, atque etiam impigrè exhibebant.

Cùmque in ſpiritali Magnatum ſervitio libertas ea plurimùm conſtringatur, nec hanc alligaturam pati (licèt honorabilem valde) plerique ſuſtinuerunt. Memorandum in hoc genere eſt, quod magnus ille Dei amicus B. Petrus Alcantara quandoque reſolvit, dum Imperator Carolus V. aliquando cùm voluit ſuum eſſe Patrem ſpiritualem & Confeſſarium. Recuſavit officium, ſuam allegans ineptiam; ſed animadvertens, obortam, ex eo reſponſo, ſubtriſtem Cæſaris alterationem, ſupplicavit humiliter diem horamque dilationis, quibus poſſet negotium iſtud Domino commendare. Acquievit devotiſſimus Cæſar. Accelerans itaque Vir Dei reditum ad ſolitudinem, amabili Deo multis ſuſpiriis conquerebatur, quòd, Sathanæ forſitan artificio, ab ipſius ſe amotum iri timeret amplexibus. Oravit ſe non immergi honoribus & amicitiis Aulicorum, & ipſius Monarchæ familiaritatibus; & exauditus eſt. Similem fecit ei inſtantiam Joanna Philippi II. Regis Hiſpaniarum ſoror, eademque conſtantiâ ſe ab illa etiam expedivit. Formidabat vir prudens, non tam unam Principis perſonam, cui ſerviret à confeſſionibus, quàm alios omnes, qui Confeſſarios Regum adorant, obruunt, & importunè à melioribus impediunt occupationibus. *Marian. à Strict. Obſerv. l. 4. cap. 5.*

Secundò, Eodem inſtinctu, & libertatis amore, ſeſe alii in ſeparatis cellis & antris ſolitariis abdiderunt, vel ad exteras fugerunt regiones, ne amicitiis involverentur humanis, & per amicitias millenis impedimentis ad Dominum aſſurgendi. Minimè quidem damnamus charitatem proximi, nec opera pia inſpirata per eam, quæ viros decent religioſos, Superiorumque judicio probata ſunt atque permiſſa; ſed amicitias illas profanas, quæ donariis perſonalibus, & plerumque inutilibus conciliantur, non propter Deum Ordiniſque amorem oblatis; verùm ad ſenſualitem & curioſitatem Religioſi cujuſpiam particularis, quem ſibi ſæculares ſatagunt obligare, ut in ſuis temporalibus negotiis adjuventur, & in curarum ſollicitudinumque hujus ſæculi pertrahant ſocietatem. Simplicianus aliquis frater, ſe putat amicos nactum, & in graves & iniquos incidit fœneratores, qui importabilem exigunt ſuorum munuſculorum uſuram, & qualicumque ipſius auctoritate nituntur abuti ad ſuas temporarias prætenſio-

tensiones. Hoc quidem mundi ingenium est, quod in eum tantummodo finem suas dirigit amicitias: & licèt veram Initio simulent charitatem, prodit se nihilominùs tandem fictionis intentio, & quæsitio propria, dum subsidia postulantur, quæ nonnisi cum propria fratris & Conventûs totius inquietudine, ac sæpè cum Ordinis dedecore valeant exhiberi. Dum se tales nobis insinuare conantur, primò quidem accessu haud facilè cognosci possunt, quin aliquando decipiant. Prudenter igitur observemus, num de suæ sint animæ salute solliciti, ad quam nos velint adjutores adsciscere, aut num tales sint qui nostram ad hoc sint operam suscepturi, eâque contenti futuri (hæc enim nostræ quadrat vocationi, & justâ à nobis exposcitur, atque præstatur) num verò sola meditentur & æstiment temporalia; & aliàs à nobis tristes, muti & quasi stupefacti recesserint, dum eisdem salutis daremus monita, nec aliud à nobis sperandum ostenderemus. Prudenter pedem retrahamus à talibus, si nostram sartam tectamque servare velimus immunitatem.

Religiosus, qui sæcularium venatur amicitias, nonnisi glaciem quærit in qua ambulet, quæ subitò sub pedibus frangitur, & sub aquas transmittit nimiùm confidentem. Non tamen intendimus amicitias omnium improbare: imò illas probamus, quæ à Superioribus, vel à subditis, de mente Superiorum, cum amicis Ordinis conciliantur aut conservantur. Horum enim opera est utilis ad defensionem, & necessaria in temporalibus subsidia; sinè quibus non possemus Deo in tranquillitate & libertate servire: ad quæ præstanda amici isti ex Dei amore, statûsque religiosi reverentiâ inclinantur. Nec tales umquam quippiam grave nimis aut indecens exigent à nobis, quin verecundabuntur potiùs vel minimum à nobis suscipere servitium, ne apud Deum merces sui operis boni erga nos præstiti minuatur.

Tertiò, Planum etiam est, eos suam vendere libertatem, qui domos affectant Nobilium, ibique morari gestiunt, velut eorum Sacellani; ubi coguntur multis vanitatibus sæcularibus indulgere, petulantias pati domesticorum, contra statûs religiosi decentiam, & quandoque quotidianis abducti exemplis, quasi in sæcularem degenerant conversationem. Expedit quidem aliquando Magnatum servire devotioni, Religiosorum aliquorum præsentiam expetentium propter publicum bonum, quod ab eorum pendet conservatione, si in fide catholica, justitia, pietate, bonisque moribus foveantur; Epist. 107. quemadmodum scitè docuit Petrus Blesensis, monens Clericos habitantes in aula Regis Angliæ. Tunc autem vitæ religiosæ tenorem, in mundo medio, tam constanter oportet servari, ut mundus non ad se trahat Religiosum; sed ut mundum trahat ad se Religiosus, tantâque gravitate, modestiâ, sobrietate & vitæ austeritate ad reverentiam excitet, nullus ut audeat eum à suo sancto proposito, aut à religiosis moribus avocare.

Nollet beatissimus Pater Noster, aliquem ad Aulas emitti Nobilium, cum extorta Superiorum licentia, sed eum liberrimè magnaque deliberatione concessa. Religiosi verò, qui taliter mittuntur, verâ ferveant charitate ad bonum publicum promovendum, nec propriarum sint amatores commoditatum. Insuper tam elevatæ constantisque conversationis, ut tangi ne queant à mundanis illis occasionibus. Super omnia tam solidè humiles in semetipsis, ut nec honoribus, reverentiis, aut favoribus ullis, ab humilitatis suæ statu concuti valeant. Quis verò est hic, & laudabimus eum? Juniperus noster, lepido astu huic semel occurrit tentationi. Importunè rogatus à quodam generoso & pio viro, ut secum per unum aut alterum moraretur diem, noluit acquiescere: sed ad Prælati præceptum oportuit obedire, ut pio hospitis satisfaceret desiderio, qui eum familiariùs alloqui cupiebat, quem verè sanctum judicabat. Sed integro obmutuit die, nec voculam ullam potuit ab eo bonus hospes extorquere. In cubiculum ductus, noctem omnem insomnem duxit in oratione Dei; sed summo manè insalutatis omnibus recessit, lecto incomposito, rebus omnibus susquè dequè projectis. Matutino spectaculo & furtivo recessu vir valde commotus, quem sanctum antea putavit, deinceps censuit insanum; quo audito Juniperus: *Tandem*, inquit, *obtinui, ne circa me bonus vir deciperetur, & qualis sim, talem me verè prædicaret.*

Annal. Tom. 2. an. 1258. num. 18.

Excessus ejusmodi non quidem cuilibet licent; observat tamen noster Didacus Stella mirabile mundi ingenium, quòd cùm quis eum fugerit, & cum eo fuerit rariùs conversatus, in caverna aliqua vel sua habitans solitudine, eò magis demiretur eum, atque revereatur, tamquam animam mundo superiorem, & nonnisi cum cœlestibus occupatam; quam nec à suis audeat exercitiis avocare, nec ejus repellere correptiones; sed excipere, veluti ab ore cujuspiam Deo familiaris prodeuntes.

De Vanit. Mundi lib. 2. cap. 3.

Quartò, Super omnes censendi sunt prodigi suæ pretiosissimæ libertatis, qui milites & castra sequuntur. Nemo negaverit, ingens esse charitatis opus, assistere periclitantibus in bello, recreare atque erigere fatigatos, & ad salutem disponere moribundos; sed timendum est, sacerdotes aliquos (si non multos) reperiri in castris, qui non eam servent temperantiam atque modestiam, quæ statum suum decere dignoscitur; & quorum operis meritum per castrenses absumatur libertates, per dissimulationes injuriarum, & insolentiarum &c. B. Joannes Capistranus, illi interfuit solemni bello, quod contra Turcam temporibus suis in Hungaria gerebatur, & sanctam ibi illustremque navavit operam. Sed cùm non eadem sit virtus, studiumque virtutis modernis castrensium servitoribus, nec eadem in tolerandis laboribus & penuriis patientia, nec ita perseverans cum Deo conversatio, verendum est, ne dum corporaliter pugnantes adjuvant, jam ipsi captivi spiritualiter, vulnerati, & mortui videantur, versâ in oblivionem totaliter vitæ religiosæ disciplinâ. Sat quidem potens est divina gratia, ad mentem inter tot servandum impedimenta; sed vix credo eam dari gratiam illis, qui servitia talia procuraverint sibi, ex obedientiæ, silentiique claustralis tædio, & libertatis amore.

Sedul. in Vita.

Caveant itaque Superiores, ne ad illud servitium

vitium tales dirigant, quos in ipsa domestica solitudine dissolutos viderint & indevotos. Qui non poterunt attentione orare in campo, qui non potuerunt in choro? inter tympana, strepitusque pugnantium; qui non potuerunt in solitudine claustri, & silentio Religiosorum? Qui poterunt inter helluones ebriososque servare temperantiam, cùm non servarent in medio jejunantium? Est ergo periculum, ne iterum abripiantur in mundum, eumque dissolutissimum, tranquillæ devotionis & solitudinis professores, dum sese in turbas præcipitant, illi, quos Seraphicæ nostræ Congregationis Patriarcha tutos esse voluit à vento levissimo sollicitudinis illius, quæ à Compaternitate nasci potuisset. Vident sanè, virum Dei, desiderio elongationis à mundanis, arctâ prohibitione eliminasse ab Ordine honestam eam amicitiam, quæ à susceptione puerorum in Baptismo vel Confirmationis Sacramento contrahitur; & aliis tamen deterioribus & profanis vinculis sese innectunt, quibus à religiosis exercitationibus inextricabiliter impediuntur. Multis argumentis dissuadet hanc vilitatem, & inutiles cum hominibus amicitias *Alexius de Salo*, docetque præcipuam abstractionis illius rationem esse debere, ut corde liberiori divinâ fruamur amicitiâ, cui inimica mundi amicitia constituitur. Ad quod refert se ex ore cujusdam confratrum suorum Capucinorum audisse, quòd tantoperè divinam familiaritatem æstimaret, præ familiaritate creaturarum, ut si ad Angeli alicujus colloquium admitteretur, se vellet ab eo brevibus expedire, ne hinc à divinis retardaretur alloquiis. Quid ille censuisset de hominibus, qui & angelicam longiusculam conferentiam metuebat. *In vita Perf. c. 17.*

TEXTUS & §. VIII.

Ne hâc occasione inter Fratres scandalum oriatur.

SUMMARIUM.

Scandalum invehit in communitatem. 1. Imitationem malorum exemplorum. 2. Destructionem charitatis. 3. Tollit reverentiam. 4. etiam Obedientiam. Discutitur excusatio scandalizantium, petita à facilitate nimia scandalizatorum. Qui etiam monentur, ne facilè accipiant scandalum, dum res excusabilis est.

DUm onus curandi proles sæcularium, quod per Compaternitatem assumitur, Vir Dei Franciscus à suis voluit remotum Fratribus, ne notam incurreret nimiæ quæstionis propriæ, quòd opus pium honestumque repudiaret, ac nimis rigidè videretur suos ab humana segregare societate; illicò legitimam, quâ ad id movebatur rationem, adjunxit: *Ne hâc occasione inter Fratres scandalum oriatur.* Timuit anxius pro filiis Pater, ne scandali malum occasione amicitiæ hujus atque sollicitudinis inter suos domesticos suscitaretur, & bonum vitæ communis amaricaret. Pessimi namque sunt fœtus offensionis & scandali, quæ à malo quocumque, imperfectione, aut mali specie, in oculis oritur intuentium.

Primò enim, naturaliter, imperfectus & fragilis quisque agendi sumit audaciam vel omittendi ea, quæ ab altero agi viderit aut omitti; & ad malum alieno animatur exemplo. Enimverò, tantam vim habet exemplum, ut ad magna quædam supra naturam ipsos trahat ignavos; quantò faciliùs deorsùm pellet peccatorem pondere proprio propendentem ad mala, si videat præsertim, id quod primitùs non audebat, intrepidè & impunè à pluribus & majoribus actitari? Ipsi perfectiores, qui in virtute immobiles & inflexibiles videbantur, sensim molliuntur & franguntur exemplo; & quod tormenta minæque in animum non potuerunt impingere, illud influxit molliter atque persuasit conspecta alterius actio. Ea semper usus est arte dæmon, & instrumento, ad suadendum hæreses, vanitates indumentorum, ebrietates, idololatrias, aliaque scelera, quæ primo aspectu abominabilia videbantur; sed incipiente uno ac præeunte, facta sunt familiaria, evanuitque non modò timor ad committendum, sed & conscientiæ remorsus de commissis, sub hac sola excusatione: quia & alii faciunt eadem atque fecerunt. Pessima vox & persuasio, quæ ad sanctas etiam penetravit subindè societates, viamque ad ruinas stravit irreparabiles. Utinam omnes attenderent ad horribilia judicia, quibus comprehensi sunt in suis malis exemplis patres eorum, quos satagunt imitari, vel etiam in malitia superare: quemadmodum in Oolla & Oolliba extitit præformatum, de quibus Dominus apud Ezechiëlem, qui impiis Oollæ exemplis enarratis, dicit: *quod cùm vidisset soror ejus Oolliba, plusquam illa insanivit libidine, & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter.* Indè verò tale fuit judicium subsecutum: *In via sororis tuæ ambulasti & dabo calicem ejus in manu tua. Hæc dicit Dominus Deus: calicem sororis tuæ bibes, profundum & latum &c.* Ezech. 23. vers. 11. Vers. 31.

Secundò, impossibile est cum scandalis pacem in communitate servari, ubi pii fratres justitiam amant bonamque disciplinam, optant omnia

omnia secundùm ordinem fieri, dolentque non observari, quæ dudum sanctè sunt instituta, & laudabiliter observata. Tametsi enim nitentur aliqui eorum, ora per minas & pœnas obstruere, non ideò conticescent; quin potiùs eorum vox altiùs audietur, & penetrabit ulteriùs, quò fuerint acerbiùs divexati. Etsi verò tacerent, manet tamen extincta charitas, atque dum oderunt vitia, difficulter abstrahent à personis, ut non eas etiam odio persequantur. Optabile est, ut contra seipsos pugnarent, ad non odiendum; illi interim, per quos venit scandalum, minimè sunt à reatu immunes, quòd alios in tantas conjecerint difficultates vincendi seipsos, & provocârint ad amaritudines, charitatemque reddiderint difficiliorem. Quæ autem potest major inferri pernicies communitati, quam pacem illam desiderabilem in se & in aliis exturbare?

Bonum quidem esset, universos zelatores virtutis ita perfectos esse, ut alienis imperfectionibus minimè turbarentur, juxta piam praxim Patris nostri, qui agens de sæculi Sacerdotibus, dicebat: *Nolo in ipsis considerare peccatum*; & non dubium est, quin multi conentur ad hoc, cum magno sui meriti augmento: non tamen ideò debet frater fratri portanda onera multiplicare. Nunquid quia servis suis præcepit Christus inimicos diligere, eodem permisit tenore, ut servos suos licitè persequerentur? mavult sanè, ut concorditer omnes & amabiliter vivant. Sic quàmvis exoptet à servis suis non considerari peccatum, mavult tamen nullum esse peccatū quod scandalizet. Imò etsi necesse foret, ut venirent scandala, & *oporteat hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in nobis*; attamen *væ homini illi*, inquit Judex supremus, *per quem scandalum venit*. Licèt enim istorum voluntario malo bene utatur Deus, & servi ejus; non ideo evadent isti judicium suis perversitatibus præparatum.

In Testamento.

1. Cor. 11. vers. 19.

Math. 18. vers. 7.

Tertiò, Minor inde consequitur affectus erga eos & reverentia, qui præbent offensionem; quoniam indigni judicantur honore, qui non reddunt honorem Deo debitum, nec ipsos suos contubernales contristare verentur, bonumque nomen commune in discrimen adducere. Optant potiùs pii omnes confundi istos & pro meritis castigari, eoque modo remeratum restaurari sanctitatis honorem. Interim pulchra facies Ordinis offuscatur, cum senioribus sacerdotibusque reverentia non exhibetur; & contemnuntur à cæteris omnibus, qui cupiunt deberentque cæteris omnibus præeminere, suisque interim exemplis se viles reddunt & contemptibiles. Unde Chrysostomus: *Verè confusio est & irrisio, ut canitie quidem exornentur extrinsecùs, intrinsecùs autem intellectum habeant puerilem &c.*

Hom. 7. in Hebr. 4.

Quartò, Si, quod absit, scandala causentur à Superioribus, difficilior redditur ad ipsos obedientia, & ægrè se fratres subdunt iis, quos sibi in voluntatibus suis arbitrantur adversos, quique per adversam viam manifestiùs gradiuntur. Incitantur subditi iis non obedire, quos vident Domino injuriam irrogare, ejus legibus repugnando, Majorumque suorum voluntatibus non accommodando. Quid hoc malo perniciosius? Mala cætera quasi cutem solam tangunt & commaculant superficiem; sed hoc ipsa Religionis viscera transverberat usque ad internecionem. Privatorum vitia, inquit noster Bosquier, morbi solùm sunt, positorum autem in Magistratu, pestes. Sunt quoque notiora, ob eminentiam undequaque conspicuam. Unde meritò hanc habent timere finaliter imprecationem: *Qui pessimant plebem tuam*, O Deus, *inveniant perditionem*.

Tom. 1. in Legato Apost. conc. 7. p. 3.

Eccl. 36. vers. 14.

Hinc meritò Vir sanctus studuit pestem illam à suo sodalitio penitùs eliminare, eoque fine non istas solùm crassas occasiones voluit fugiendas, quæ in consortiis mulierum consiliisque versantur (quæ sunt latè superiùs declaratæ) verùm & quæ possent esse in amicitiis virorum, sub titulo Compaternitatis; & in puerorum ipsorum obligatoria cura, unde pateret eis aditus ad conventum, ad cellas, ad officinas, ubi conspicerent universa quæ fiunt, & quæ vidissent, pro puerili facilitate desuris enarrarent, & qui forsitan immitterentur ut minùs suspecti exploratores: qui saltem petulantiis, clamoribus, & importunitate suâ Fratres inquietarent in studiis & exercitiis quotidianis. Patrino quidem pueris istis bene affecto, hæc minimè displicerent, quin iis etiam recrearetur; non autem similiter aliis, quibus solitudo placet, silentium atque libertas, ideoque in harū inquietudinum auctores insurgerent. Hoc quasi naturale est prudentibus omnibus Religiosis, sæculares omnes, magnos & parvos, quoad fieri potest, arcere à domibus, à dormitoriis, refectoriis & locis regularibus quibuscumque: nec potest quis eos admittere sinè Fratrum indignatione, qui externorum abhorrent præsentiam in sua libera solitudine. Ecce quales causaret deordinationes, fratrum patrinorum amor erga filiolos sæculares.

Querulantur aliqui, quòd Fratres nimis facilè scandalizentur, ideoque sit difficillimum eis non displicere. Certum est, membrum aliquod quò tenerius est, eò citiùs sentire puncturam, oculumque vel uno offendi pulvisculo, cùm tamen pedes crasso luto non doleant, nec timeant ad talos usque demergi. Ita plerumque contingit, perfectionis zelatores, quò intelligunt eam acutiùs amantque teneriùs, eò doleant etiam citiùs, si quid contrarium observarint. Atque utinam inesset omnibus & ubique amor ille tenerior publicæ disciplinæ, & in transgressiones sanctâ ferrentur impatientiâ. Fateamur illos debiles esse, neque fortes ad scandala perferendum, non ideo illi, qui ea invehunt excusabiles erunt. *Sic enim peccantes in Fratres*, ait Apostolus, *& infirmam ipsorum conscientiam percutientes, in Christum peccatis.* Super qua sententia sic addit D. Chrysostomus: *Sciebat enim, sciebat manifestè quòd non sufficeret ad defensionem nostram, eorum qui offenduntur infirmitas, sed hoc ipsum potissimùm esset quod condemnat nos.* Hanc verò unam admittit excusationem: *Quando magnum aliquod lucrum, damno & plaga majus* (adde: quando obligatio aliqua sese offert) *contemnendi sunt, qui scandalum inde patiuntur. Quando autem nullum fuerit ampliùs quàm quòd infirmi abjiciuntur, etiamsi*

1. Cor. 8. vers. 12.

Serm. de fœmin. reg. viris co-hab. tom. 5. operum.

infinities ex imprudentia hoc patiantur illi, parendum eis erit; quoniam & Deus eos qui impellunt & dejiciunt, in sententiam supplicii puniet. Nam dum nullum lucraris, & alium offendis, extrema malitia est. Quando videmus aliquem pallidum ob diuturnam valetudinem, eos qui illum exacerbent domo abigimus: neque multùm disputamus justè an injustè illi hoc faciant; sed negatâ illis omni defensione, & nullâ datâ ob infirmitatem veniâ; & quàmvis injustè exacerbetur veniam damus. Quòd si justè exacerbentur propter iniquam offensionem, multò minùs excusabilia erunt scandala ab istis pusillorum contemptoribus datâ. Cùm itaque Fraociscus sit pater omnium nostrûm, haud aliter potest esse affectus, quàm

2.Cor. 11. vers. 29. Sanctus ille Apostolos, qoi dicebat: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* Sic nimirum affligor, quasi in ignem injectus dolores illos acutos cogeret sustiocre. Multò magis autem Christus Dominus pro parvulis istis sollicitus est, & ita vult esse illæsos ut pupillam oculi sui, & maximè Religionem universam, quæ nobis est Mater, quam qui offendunt, ab eo caveant, quod

Eccl. 3. vers. 18. intonat Spiritus sanctus: *Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem, & est maledictus qui exasperat matrem.*

Mooiti tamen sint etiam infirmiores, ne facilè scandalizentur, dum præsertim occurrit aliquid quod beoignam admittat interpretationem. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, multò magis umbras eorum, & ex natura sua *non cogitat malum.* Neque putet quis, hoc sancti Patris nostri desiderium, ne scandala fiot inter Fratres, ad solos dirigi scandalum dantes, sed respicit etiam accipientes, ut videlicet judicium suum cohibere debeant à temerè judicando; & ad benignam defectuosorum supportationem per humilitatem simplicitatemque sic assuefaciant semetipsos, quasi jam cæci effecti, nil animadverterent ampliùs quod offendere posset. Eò teodit quoddam memoriale nostri Seraphici Cardinalis: *Omnes affectiones tuas ac voluntates conformes divinæ voluntati. Omnia te ædificent, neque te deædificet aliquid in hoc mundo, puritatis & innocentia, gratiâ divinâ tibi muneris elargita. Nec aliorum plùs debitò defectibus perturbatus, iniquitati addendo iniquitatem, alienis sordibus polluaris; ne dum cupis alios de pelago liberare, deteriùs ipse corruas in profundum. Potiùs igitur omnia quibus non potes sinè detrimento prodesse, operiens charitate benignâ, illi summa sapientia derelinquas, quæ novit bona de malis elicere quibuscumque. Sicque in bonis operibus pariter atque malis, spiritualiter, Domino concedente, poteris reperire profectum.*

1.Petri 4. vers. 8. — 1.Cor. 13. vers. 5. — 16. Inter 15 Memorialia.

TEXTVS & § IX.

Vel de Fratribus scandalum oriatur.

SVMMARIVM.

Dei imperium in prævaricatores filios Levi. S. P. Francisci maledictio in fratres scandalosos. Quàm nociva scandala Prælatorum. Quàm ea sollicitè caverit Franciscus, Apostolus, & ipse Christus Dominus. Regula ad discernendum quando curandum sit, quando non curandum scandalum proximorum. Multò nocentius est quod provenit à Religiosis. Quid agere debeant Prælati scientes subditos aliquos esse scandalosos. Non tamen ex levi procedant suspicione ad subditum aliquem præ cæteris specialiter observandum.

GRave est improperium, quo perecllit Dominus filios Levi, per Malachiam: *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege.* Haud leviori sunt percellendi censurâ, qui educti de turba communi Christianorum, assumptique in genos electum Religiosorum, & positi ad aliorum correctionem, de se dederint pravitatis exempla: qui cùm vestem locumque sanctitatis acceperint, terrenis tamen actibus implicantur. *Propter quod*, dicit Dominos, *& ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas &c.* Quemadmodum enim exemplares Religiosi soot omnibus venerationi, sic vice versâ viles & contemptibiles, indisciplinati. Solitus erat dicere noster sanctissimus Iostitutor: *Commercium est inter mundum & Fratres Minores. Debent enim ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessitatum. Quando autem ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentitâ, retrahet mundus manum, justâ censurâ.* Nec modò temporalium provisionem, verùm & solitum denegabit honorem, favores, amorem & confidentiam omnem.

Opusc. Tom. 3. Collat. 5.

Cùm idem Vir Dei, animarum salutem viscerosâ pietate appeteret, & fervidâ æmula-

Vita cap. 8. num. 1.

tione zelatet, suavissimis se dicebat repleri odoribus, & quasi unguento pretioso liniri, cùm sanctorum Fratrum per orbem distantium odoriferâ famâ, multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in spiritu: benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam, qui Religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam; *A te Domine*, inquit, *sanctissime, & à tota cœlesti curia, & me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt & destruunt, quod per sanctos Fratres Ordinis hujus ædificasti, & ædificare non cessat.* Dum olim vidisset Dominus in Prophetis Jerusalem similitudinem adulterantium, & iter mendacii, & quòd confortaverant manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia sua, similem fuit in ipsos ejaculatus

Hier. 23. vers. 15. maledictionem, *Ecce*, inquit, *ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle: à Prophetis enim Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.* Istud erit fel & absinthium æternarum amaritudinum.

Æquè amarum erit improperium subditorum, qui (quod absit) in Prælatis exempla viderint scandalosa, & per hæc animati, ad re-

Eccl. 41. vers. 8. laxationes audaciam sumpserint. *Filii abominationum*, inquit Sapiens, *fiunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum. Filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Horum exprobrationem pertimescens Franciscus, cùm sciret se datum esse aliis in exemplum, omnibus conabatur studiis eos ad sa-

Vita cap. 9. lutem ædificare. Hinc quoties austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Unde licèt innocens ejus caro, quæ jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas: tamen exempli causâ renovabat illi pœnas & onera, custodiens propter alios vias duras. Æstimabat, quòd si ipse corpori suo in cunctis desideriis indulsisset, quidam forsan suæ cuticulæ nimii amatores, ejus exemplo futuri essent audaciores, eoque se muniturі. Timens igitur horum imperfectorum liberiores lapsus, non modò à licitis, verùm & à necessariis frequenter abstinuit.

Hunc justum timorem à prudentissimo erat edoctus Apostolo, de quo sic ait D. Chrysostomus; *Si beatus ille Paulus veritus est, ne furti apud Discipulos suspectus esset, quo nomine & alios in pecuniarum administrationem secum assumpsit: ut ne quis, inquit, nos carpat in hac exuberantia quæ à nobis administratur; quomodo non omnia à nobis agenda sunt, ut malas à nobis suspiciones amoveamus, quantumvis licèt falsas, iniquas, & ab eo quàm habemus opinione alienas? Cùm ille tantùm à pravo hujusmodi facinore abesset, ne sic quidem negligendum sibi putavit communem multorum suspicionem, etiamsi admodum iniquam & insanam. Radicitùs eam avellit, seu, ut veriùs dicam, prorsùs ne exteriùs quidem eam permisit.*

Quam ob rem? Procuramus enim, *inquit*, quæ honesta sunt, non modò Domino, sed etiam coram hominibus. *Tantum certè oportet, imò verò majus studium adhibere, ut malas opiniones non solùm dum irrumpunt divellamus art...que, sed & procul unde erumpere possint prospiciamus, atque adeò causas ipsas è quibus enascantur, longo antè tempore intertimamus, non etiam dum coalescunt, & in vulgi ore versentur, expectemus. Tum enim haud proclive fuerit eas delere, sed admodum difficile: fortassis etiam eas nullâ arte deleat: neque verò tum res noxâ careat, propterea quòd hoc ipsum fiat quo tempore jam multorum conscientiam læserit.* 2. Cor. 8. vers. 21.

Eamdem charitativam præcautionem contra offendiculum proximi, nos verbo factoque ipse Christus edocuit. Dum enim postulatus esset didrachma solvere, sive tributum solitum, ad quod tamen strictò jure minimè tenebatur, Petro dicebat: *Ut non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum; & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Tametsi viles essent illi publicani, parumque curandi, cavit tamen eos scandalizare, occasionemque eis de se præbere avaritiam vel injustitiam suspicandi; eoque facto, eorrexit pessimam eorum persuasionem, qui mala agentes, vel habentia speciem mali, unde probaliter alii quì ruinæ spiritualis accipient occasionem, dicunt: Quid ad nos? videtint ipsi. Parum mihi est ab istis hominibus judicari. Iniqua est cogitatio illa, atque à christiana alienissima charitate; quam aliâ consideratione meliori emendavit Apostolus, dicens: *Si propter cibum frater contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Sub hac æstimatione nulla creatura tam vilis est, ut conscientiam ejus percutere liceat, cujusque oculos non oporteat revereri. Matth. 17. vers. 26. Rom. 14. vers. 15.

Porrò ex dictis hactenùs contra scandalizantes, posset forsitan aliquis anxiari, eò se loci videns constitutum, ut consodales offendantur & in partem accipiant deteriorem, ea opera bona ad quæ vocat Deus, & de quibus habet à sua Regula libertatem. Possent enim forsitan inveniri, qui bonos, simplices fratres, suæ studentes saluti, sinistro aspicerent oculo, & velut hypocritas judicarent, singulares & capitosos. Hoc nomine afflictos, dubiosque Simon de Cassia consolatur, qui propositâ quæstione, cor Pharisæos Judæosque scandalizari permiserit Dominus, dicens: *Sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum*, Gentiles autem didrachmatis exactores sit veritus scandalizare; respondet, esse scandala & offensiones, sumptas à proximis, quibus absque veritatis, justitiæ, bonæ vitæ, & virtutis derogatione obviari non potest: quæ ut non eveniant, non obstandum est. Sunt autem, quibus facilè absque delicto oc proveniant obviatur. Et his modestè obex opponendus est. Quòd etsi nihil aliud suaderet, forma præstita sufficit Salvatoris, qui cavit ne publicani de se scandalizarentur. Sunt & qui scandalizantur ex malitia, ex elatione, invidia, furore, dolo, contentione, pervicacia, ex jactantia, ex ambitione, in omnibus ap- Matth. 15. vers. 14. Simon de Cassia de Relig. Christian. lib. 4. c. 9.

patere quærentes, tergiversantes à veritate, horrentes ab illa convinci, virtutis inimici, filii pravitatis. Talis erat gens pessima Judæorum. quantum scandalum parum curandum est, si veniat; dum è regione virtutibus & bonis actibus insistatur. Sunt & qui per ignorantiam, non intelligentes rei veritatem, scandalum sumunt; quibus, ne proveniat, insistendum.

Ex hac regula dignoscemus facilè, ubi timendum sit, ubi standum, ubi pergendum in operibus nostris, dum offensionis alicujus periculum appareret. Hoc solùm exoptat Franciscus, ut nulla ex nobis oriatur, ne minima quidem, quæ juxta prædictam regulam foret iniqua: quin potiùs, in omnibus solliciti simus, sanctissimum illud documentum Apostoli
Rom. 15. vers. 1. vereri, in quo est summa securitas: *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*, faciendo nimirum quidlibet nobis arridens, sive offendantur infirmiores, sive non; sed potiùs *unusquisque* nostrûm *proximo placeat in bonum ad ædificationem*, & sanctitatis exemplum. *Etenim Christus non sibi placuit*, licèt esset omnium Dominus, & sciens jus suum atque à creaturis omnibus independentiam, multa præter humanas leges agere potuisset, extremamque à se removere humilationem. Potiùs tamen quàm alicujus præberet arrogantiæ vel contemptûs exemplum, mundumque hâc præsumptionis specie scandalizaret, sustinere maluit indigna omnia, quæ in vita ejus tam multipliciter referunt Evangelistæ. Sic, quàmvis nobis liceant multa, meminisse tamen debemus, quòd non expediant omnia, si parvulos servare velimus illæsos.

Religiosorum defectu, quantumcumque etiam parvo, sæculares homines citiùs offenduntur, scientes ad quantam obligentur præ cæteris sanctitatem ratione professionis, scientiæque majoris. Semper itaque consideremus, cujus simus corporis & quàm sancti Ordinis membra, quàm sublimem professi regulam sanctitatis, quibus præventi gratiis ad eamdem in sua perfectione servandam, quàmque parum nos vana deceant & levia, quæ sunt in sæcularibus tolerabilia. Attendamus etiam, nihil nos posse dissonum agere, quod non protinùs animadvertatur. Nos Religiosi, veluti sol sumus, cœlo sereno resplendens, contra quem minima pertransiens nubicula, statim ex umbra deprehenditur in terris; quod non evenit sæcularibus, qui soli sunt comparandi, sed abscondito in aëre nebuloso, quem ipsius radii liberè penetrare non possunt. Hinc meminerimus cavere sollicitè, ne quid claritatem nostram obumbret atque commaculet, ne populus, qui à nobis clariora expectat ædificationis exempla, lapsuum suorum occasiones in nostris valeat lapsibus invenire.

Quòd si qui reperirentur improvidi in cavendis scandalis proximorum, & præter sui statûs decentiam conversantes, norint Superiores quid sui muneris sit, & quid eos oporteat agere, ne decoris periculum augeatur.
Cautum erat divinâ lege: *Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: & bos Lapidibus obruetur, & dominum ejus occident.* Quam legem expendens S. Antonius Paduanus, sic desuper commentatur: *Audiant hæc Abbates & Priores, quòd si bovem cornupetam, id est Monachum vel Canonicum superbum, vinolentum vel luxuriosum habuerint, & noluerint eum recludere, sed suo malo exemplo virum vel mulierem scandalizaverit: & bos obruetur, quia ille in iniquitate sua morietur, & Abbas vel Prior, quia noluerit eum recludere, punietur*, Non erit igitur permittendus evagari, sed monasterii limitibus continendus, ut ibi communibus Ordinis exercitiis salutem propriam operetur. Exodi 21. ver. 29. Dominica 6. post Trinit.

Quia verò contingere posset, aliquem leviter suspectum, etiam innocentem, excessivo rigore coarctari domi, passusque ipsius singulos explorari, & in pejus verti quidquid dixerit aut egerit, idque ex una iniqua suspiciosi cujusquam vel æmuli calumniâ, summoperè conveniet observari discretum D. Basilii responsum. Rogatus enim, *si quis suspectus sit de aliquo peccato, quod tamen palàm omnino non committat, numquid is debeat observari, ut manifestè in eo de quo suspectus est, deprehendatur?* Respondit vir Dei spiritu plenus: *Omnes quæ ab iniquo & malevolo animo proficiscuntur suspiciones, culpantur ab Apostolo. Cæterùm diligentiam in omnibus observandis adhibere in charitate Christi, & studio curandi eum, qui suspectus sit, hoc ejus est, qui ei præfectus officio est, ut cunctos gubernet, ut illud efficiatur, quod dictum est ab Apostolo: ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Sic observando omnes, nullus læditur in particulari? si autem solùm se quis animadverterit observari, inconsolabiliter contristatur. Videbimus aliquos, dum eis habenæ laxantur communis confidentiæ, ita continenter, religiosè, & graviter conversari, ut antiquæ notam eluant suspicionis, quòd poterunt, eâ devictâ, jam inter probatissimos computari, eligentes potiùs pati quæcumque, quàm intolerabilem suspecti nominis contumeliam. q. 19. brevius explicata. 1. Tim. 6. vers. 4. Coloss. 2. vers. 28.

§. X. & Ultimus.

De aliis inquinandæ Castitatis occasionibus, & de præservativis ejusdem.

S V M M A R I V M.

A Mundo sicut à Sodoma fugiendum, sic, ut nec in vicinis stemus peccatorum occasionibus. 1. Excitandæ libidinis occasio, est cura ventris, & cibi potúsque excessus. Contra quam serviunt Jejunia &c. 2. Superbia & præsidentia de virtute & viribus propriis. E converso Castitas optimè per humilem conservatur Orationem. 3. Otiositas exterminat Castitatem. 4. Securitas nimia & confidentia, ratione cujus quis negligit vitare occasiones.

CUm per divinæ gratiam misericordiæ Lot è Sodomitico educeretur incendio, monitus fuit salvare animam suam, neque respicere post tergum: *Nec stes*, inquiebant Angeli, *in omni circa regione; sed in monte salvum te fac.* (Gen. 5. vers. 17.) Ex divina scimus B. Joannis Epistola, quòd *mundus totus in maligno*, & velut altera Sodoma, in malo igne concupiscentiæ *positus sit*, (1. Joan. 5. vers. 19.) atque misericordias esse Domini, quòd non simus in eo consumpti nos; quoniam benignâ manu suæ divinæ vocationis eduxit nos inde, ut salvemus animas nostras in secuto monte Religionis; atque per angelicum suum Seraphicumque Franciscum, gravissimè commonuit unumquemque nostrûm, præsenti Capitulo Regulæ, non stare in omni circa Sodomam regione, sive non consistere in aliqua peccato vicina occasione, unde posset ad nos libidinis flamma, vel fumus saltem infamiæ pervenire. Unde primò hic inhibuit generaliter suspecta consortia vel consilia mulierum omnium; secundò cautelam adhibuit circa consortia Monialium; tertiò inhibuit occasionem spiritualium cognationum. Quasi clamare voluerit piissimus pater ad filium: *Non stes in omni circa* Sodomam *regione;* non consistas in omni circa peccatum occasione. Ut igitur huic sollicitæ ipsius monitioni satisfaciamus ad plenum, superest hic videre de quibusdam aliis ejusdem peccati occasionibus, ut ab iis etiam curemus sollicitiùs elongari.

Primò, Apud omnes est in confesso, curam ventris per mensas opiparas, potum fortem nimis atque superfluum, accedentibus simul jocis, risibus, & lusibus dissolutis, non modò viam spurcitiis sternere, verùm & concupiscentiam provocare, & sopitam accendere. Ideo (Alv. Pelag. de pl. Eccl. l. 2. art. 73.) qui Christi sunt, crucifigunt se in carne, non saturant se carne, ne secundùm carnem viventes spiritu moriantur; scientes quoniam quod ex carne natum sive nutritum est, caro est: unde nec in eo Dei spiritus permanebit. Quapropter vir Dei Franciscus, ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tantâ rigiditate (Vita cap. 5 num. 1.) disciplinæ sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. *Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parere:* propter quod cocta cibaria, sanitatis tempore, vix admittebat, & rarò: admissa verò, aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ, ut plurimùm reddebat insipidum. De potu vini quid dicam? cùm & de aqua frigida, cùm sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet. Modos adinveniebat abstinentiæ potioris, & quotidie exercitatione crescebat: licètque jam perfectionis culmen attingeret, tamquam incipiens, semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem.

Quia verò nonnunquam jejunia sola non proficiunt ad carnis petulantiam reprimendum, adhibuerunt sancti Dei homines alias quoque exteriores afflictiones, ut doloribus sensibilibus imaginatio à fœdis spectris averteretur, perque contrarium sensum delectationis noxiæ gustus extingueretur. Arripuerunt quidquid occurreret primò idoneum corporis afflictioni, modò nives, aquarum frigora, pedum in media glacie nuditatem: modò ignis adustiones, humi cubationes, vigilias longas, fatigationum in laboribus assiduitatem: modò cilicia, laminas ferreas, catenas, stimulos, circulos, aliaque id genus instrumenta: alii morbos postulârunt à Deo, quibus dudum attriti sunt, ulcera, podagram, putrefactiones, & viscerum torsiones. Vulgatior & expeditior castigatio, fuit flagellum & virgæ continuatæ, quousque pravus pruritus ad modestiam adduceretur. Frater quidam valde tentatus, optabat; *Utinam videre mihi liceat Fratrem Ægidium, & ei indicare tentationem meam.* Sed cùm (Annal. Tom. 2. an. 1262. num. 31.) longè ab eo abesset, nec posset impetrare facultatem ad eum accedendi, ubi se cubitum recepit, Ægidius ei adstitit. Quo viso, non mediocri est consolatione affectus, exposuitque ei tentationem suam, petens remedium adversùs eam. Dixit ergo ei Ægidius. Ecquid faceres ca-

ni te

ni te mordere volenti? Respondit ille: *Ego eum verberibus a me abigerem.* Et Ægidius; *Hoc ergo fac*, inquit, *etiam huic tentationi.* Equo qui in luto incipit hærere, stimulos impingit auriga & scuticas, ut verberibus exilire cogatur.

Secundò, Attamen quia putant nonnulli se posse per hæc exercitia propria cunctas superare tentationes, permittit justo judicio Deus, qui superbis resistit, hæc omnia eis inutilia fieri, ut eos taliter ad sui-ipsius adducere valeat diffidentiam. Id expertus est aliquis, qui recordatione cujusdam fœminæ, ad malum tantoperè stimulabatur, ut quodcumque ageret aut quòcumque pergeret, minimè cessaret tormentum, adhibitis etiam rigidissimis catnis mortificationibus. Quodam igitur tempore, quasi desperabundus egressus in agrum, diffidere cœpit de cunctis illis remediis excogitatis. Et ecce subitò circumfulsit eum lux de cœlo, & vox de luce audita est: *Surge, vicisti per me solum.* Planè sic est, sicut agnovit sapientia Salomonis: *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det:* Et hoc ipsum est sapientiæ, scire cujus sit hoc donum. Insipientes autem aliquos & arrogantes (præsertim si superbia enata esset ex contemplatione sanctitatis propriæ & virginitatis) sæpenumero vidimus in turpis illius vitii cœnum illapsos, ut infamiâ huic vitio annexâ castigati, discerent humiliari. Quod jam olim etiam D. Gregorius observavit: *Multis*, inquiens, *sæpè superbia luxuriæ seminarium fuit. Quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit. Hi enim priùs secretò elevantur, sed postmodum publicè corruunt: quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. Sic, sic justa fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvantur.*

Chron. p. 2. lib. 1. c. 34.

Sap. 8. vers. 21.

Moral. lib. 26. c. 12.

Quæ superbia, dum intrà muros proprii cordis, per solam delitescit complacentiam, dispensat quoque misericors Deus aliquando confusionis mensuram, ut non erumpat foràs latentis fœtus carnalitatis, sed sulam coram semetipsa humiliet faciem peccatoris, & discat in terram aspicere, qui procaci arrogantiâ tentabat super astra suum solium exaltare. Mirabilis est hæc judicantis regentisque Dei justitia, ut quos videt nec seipsos agnoscere, nec Deum à quo dependent, permittat propriæ sensu miseriæ primùm cognoscere semetipsos, ut per hanc notitiam ad suæ divinitatis veram reducantur agnitionem; linit primùm limo cæcos oculos, ut exinde clariùs illuminentur. Ingrediamur itaque in nostram propriam æstimationem, ut qualis ea sit videamus, an tumida, an humilis, magna, an parva; quia juxta qualitatem & gradum illius tuta erit castimonia nostra; credamusque immutabilem istam esse Dei œconomiam, ut *superbum sequatur humilitas*, & quædam confusio singularis. Et vice versâ, secundùm D. Gregorium superiùs allegatum: *Per humilitatis custodiam servanda est munditia Castitatis. Si enim piè spiritus sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non levatur. Habet enim spiritus sibi commissum dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis.*

Prov. 29. vers. 23.

Porrò humilem propriæ impossibilitatis agnitionem, indivulsè sequi debet constans, fervens & confidens Oratio, juxta quod idem practicavit sapientissimus Salomon, ut enim scivit, quoniam aliter non posset esse continens nisi Deus det: *Adii*, inquit, *Dominum, & deprecatus sum illum &c.* Hoc fuit unum è præsidiis principalibus, quo muniti sunt hujus vitii victores insignitres, & continentiæ professores. Etenim, quò malignus spiritus fervebat atrociùs, & caro cum eo adversùs spiritum concupiscens; eò stimulus addebant fortiores clamandi ad Dominum, & Patrem invocandi misericordiæ, ne filias suas iniquâ oppressione permitteret violari. Clamaverunt itaque & Dominus exaudivit eos. Sed erunt fortasse qui conquerantur; oravimus, & tamen lapsi sumus, prævalente tentatione. Tardavit Dominus venire, & devorati sumus. His ego respondeo, quòd etsi Deum vocârint in adjutorium, non tamen perseveranter, aut non cum ardore sufficienti & angustia spiritûs. De quo defectu, luculentum in nostri Ordinis historia commemoratur exemplum. Religiosus quidam, graviter diuque tentatus, sæpè quidem, sed tepidè pro divino supplicaverat adjutorio. Cùmque unâ dierum coram Crucifixo genuflexus oraret, visus est Christus avertere faciem à deprecante. Conversus igitur ad stantem juxta crucem Deiparam & S. Joannem Evangelistam, ut ipsos habere posset intercessores, audivit respondentem eisdem Dominum crucifixum: *Qui miserebor illius qui sui minimè miseretur, & frigidè nimis à suo malo postulat liberari?* Quo auditu, quasi desperabundus, cogitare cœpit de laxando fræna desideriis suis, atque è conventu discessit. Movente tamen divinâ gratiâ, reversus, ad orationem rediit, prædictis mediatoribus ferventiùs invocatis. Quibus intercedentibus, responsum à Christo: *Propter vos condono ipsi peccatum suum, & aufero tentationem. Quòd autem non exaudiverim antè, tepiditas fecit orandi, & vacillans propositum à malo abstinendi.*

Sap. 8. vers. 21.

Chron. p. 1. lib. 4. c. 10.

Hæc historia nos instruit de duobus. Primùm quidem, ut in tentationum angustiis positi, sicut oportet oremus, hoc est, non languidè & inconstanter, sed perseveranter & fervidè, juxta valorem doni & gratiæ desideratæ. Deinde, ut Virginem Virginum imploremus, & ad alios etiam convertamur Sanctorum. Numquam deëssc poterit misericordiæ Mater, interpellata in omni tribulatione & angustia nostra. Ad hanc confugit B. Jacobus à Marchia, qui dum plurimis annis, die noctuque fuisset sinè requie cum isto hoste domestico colluctatus, nec finem inveniret certaminis per jejunia, & duplicatas austeritates, adivit Lauretanum Sacellum, implorandi gratiâ patrocinii Virginalis. Celebranti, post elevationem Sanctissimi Sacramenti, apparens Deipara dixit: *Nunc esto contentus, & Altissimo gratias age; quoniam brevi ab hac luctâ liberaberis: manebitque tibi tanti præmium laboris ac fidelitatis.* Quod & factum est. Ejusdem sacratissimæ Virginis protectione, nobilis quædam adolescentola superavit omnis dæmonis astus, quibus Scholaris quidam Perusinus, eam deperiens,

Chron. p. 3. lib. 6. c. 5.

Annal. Tom. 5. an. 1422. num. 15.

usus

tius fuerat, magicas adhibens incantationes, ut suo sordido desiderio potiretur. Ipse namque dæmon coactus est confiteri, præservatam fuisse juvenculam, quòd diebus singulis Cornam Virginis (*Videatur idem Wadd. ibi num. 6.*) (devotionale exercitium septem Decadum, quod sub illud tempus in Ordine Seraphico per insigne miraculum initium sumpserat) Deiparæ consecraret.

Quòd si nec ipsa gratiarum dispensatrix velit hostem submovere, & restituere tranquillitatem, post evitatas occasiones omnes remediaque adhibita, pro nostrarum vitium imbecillitate; scimus Dei manum esse nos colaphizantem, quam pati justum est, & salubriùs, quàm periculosâ perfrui tranquillitate. (*Marianus l. 5. strict. obs. c. 56.*) Sic probavit Deus servum suum F. Archangelum à Savona, qui postquam per annos viginti quatuor interno solatio non interrupto gavisus fuerat; è converso, per annos totidem carnis stimulum subire debuit, ab angelo colaphizante. Tandem autem victor evadens, multis extitit miraculis decoratus. Hoc est quod de Patre misericordiarum sanctus promittebat Apostolus: (*1. Cor. 10. vers. 13.*) *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Tertiò, Pessima cooperatrix ad exterminium Castitatis, est Otiositas; quod adeò evidens est, ut ipsis quoque Poëtis ethnicis contigerit innotuisse, quorum unus ita cecinit:

Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Et hujus causæ sublatione, illius quoque vitii effectum putat esse tollendum: *Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus.* Eapropter, noster Seraphicus Institutor, (*Vita cap. 5. num. 5.*) Otium tamquam malarum omnium cogitationum sentinam, docebat summoperè fugiendum: exemplo demonstrans, rebellem carnem & pigram, disciplinis continuis, & fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat; tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Et dixit aliquando: *Volo Fratres meos laborare & exercitari; ne otio dediti, per illicita, corde aut linguâ vagentur.* Et si quem cernebat otiosum, post expleta communitatis officia, oscitabundum in domo vagari, nec se devotioni, lectioni, aut scriptioni studiosæ, vel alteri rei utili applicare, Fratrem Muscam nominandum censebat: eò quòd talis nihil boni faciens, sed bene facta, nugis, levitatibus vel murmurationibus inficiens, vilem & abominabilem se omnibus reddit.

Quis insuper credat, immundum spiritum non eà usurum occasione, ut cordibus ita vacantibus aliquam subministret secundùm carnem delectabilem occupationem? Occupatissimos quosque, si ad momentum desistant ab opera, venit exploratum, si fortè sit ad suggestiones auditus; & oblivisceretur ludere cum otiosis illis, expectantibus eum? Disquiramus à nobis, quotquot passi sumus formas impuras, quando fuerint depictæ in nobis, num quando in motu eramus alicujus actionis honestæ, vel quando stabamus mente vel corpore otiosi, nescientes quid cogitare, paratique ad quaslibet incidentias, & memorias inutiles recipiendum. Pessima est quies, quæ tam duris laboribus & certaminibus aperit portam, & quæ tali terminatur inquietudine; imò fortasse nec terminabitur umquam.

Quartò, Communissima incontinentiæ janua est, securitas nimia & confidentia in vitandis occasionibus. Et nimia securitate minùs timetur hostis: & diabolus si de suo capillum potest habere in homine, citò excrescere facit in trabem. *Beatus homo qui semper est pavidus*, (*Prov. 28. vers. 14.*) sciens, quòd frequenter, ubi minùs videretur timendum, ibi lateant insidiæ fortiores. Exprobrabat olim Beato Hieronymo Vigilantius: *Cur pergis ad eremum?* Quem refutans Vir sanctus, (*Epist. 53. contra Vigil.*) hanc quam dedimus rationem assignat, nimirum aperta & occulta pericula, à quibus abire satiùs sit, quàm perire. *In eremum*, inquit, *fugio, ut te non videam, te non audiam, tuo furore non movear, tua bella non patiar: ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos trahat amplexus. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam &c.* Neque te reddat securum, quòd multo steteris tempore immunis à fœtore luxuriæ; sed Apostolum attende clamantem: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* (*1. Cor. 10. vers. 12.*) Reperias aliquos, qui totis viginti & pluribus annis apud se fortissimi fuerint, eo tamen momento, quo venit occasio, sui obliviosos & imbecilles, in peccata turpissima corruisse.

Ad securiorem sui tutelam contra hæc lenocinia venenata, illa juverit ars, quâ usi sunt insignes omnes atque solliciti Castitatis custodes; qui priusquam impeterentur de facto, in tempore pacis docuerunt manus suas ad prælium, ut ea ingruente, robustiores magisque instructi ad resistentiam invenirentur. Assueverant contradicere severè quibusdam appetitibus rerum licitarum, etiam levissimarum, & infractâ animi virtute sibimet denegate. Quò fiebat, ut crassioribus sese offerentibus, majorem conciperent horrorem, nullusque eis relinqueretur accessus. Mortificationis hujusmodi formam F. Christophorus Crivellus exhibuit. Cùm semel in Conventu S. Cerboni propè Lucam, post horti culturam, (*Annal. Tom. 6. an. 1467. num. 14.*) propter calorem & lassitudinem, tria tantùm grana ex uvarum horto delibasset, nimiam sentiens dulcedinem, corpusque præ solito more recreari, annis tribus uvas noluit degustare.

CAPUT DUODECIMUM.

De euntibus inter Saracenos & alios Infideles.

Quicumque Fratrum divinâ inſpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios Infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Provincialibus. Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector hujus Fraternitatis, ut ſemper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in Fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus.

TEXTVS & §. I.

Quicumque Fratrum divinâ inſpiratione voluerint ire inter Saracenos.

SVMMARIVM.

Miſſionariorum ad infideles, forma, S. *Philippus Apoſtolus. Divina inſpiratio, per ſe difficulter cognoſcibilis, per quæ ſigna probabiliter cognoſcatur? Tria motiva voluntatis ad infideles eundi, ex quibus dignoſcitur ipſa ex divina inſpiratione. 1. Zelus deſideriumque animas lucrifaciendi. 2. Martyrii concupiſcentia. 3. Æmulatio virtutis alienæ. Vbi incidenter recenſentur, qui ex iis motivis properârunt ad infideles. Obſequendum inſpirationi divinæ, & quo modo ad hoc animus optari poſſit?*

REfert ſacra Actuum Apoſtolorum Hiſtoria, quòd Angelus Domini locutus ſit ad Philippum dicens: *Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ deſcendit ab Jeruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta. Et ſurgens abiit.* Et ecce Vir Æthiops, Eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui venerat adorare in Jeruſalem, revertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legens Iſaïam Prophetam. *Dixit autem Spiritus Philippo: Accede & adjunge te ad currum iſtum. Accurrens autem Philippus*, ſumptâ ex iis quæ legebat Eunuchus occaſione, *Evangelizavit illi Jeſum*, & ſufficienti præmiſsâ de credendis inſtructione *baptizavit eum.* Hæc eſt illuſtriſſima forma legitimæ miſſionis, quæ à divina originem ſumere debet inſpiratione. Si enim in omnibus operibus noſtris ſunt à Deo petenda conſilia, ut ipſe dirigat greſſus noſtros in ſemitis & voluntatibus ſuis, multò magis id neceſſarium erit pro tam arduo opere, quod aggredi vult aliquis ad animas infidelium convertendas. Unde Philippus, non priùs *ſurgens abiit*, quàm ei Angelus Domini loqueretur: *Surge, & vade contra meridianum &c.* Ad currum etiam accurrit, poſtquam *dixit ei Spiritus: Accede & adjunge te ad currum iſtum.* Enimvero tunc ſolùm laudabilis eſt voluntas ad infideles eundi, cùm non à pruritu

gate-

externas visendi regiones, aut ab amicorum simul itinerantium invitatu, aliove humano respectu, sed à divina proficiscitur inspiratione; quam idcirco Seraphicus etiam Franciscus ad opus illud requisivit, dicens: *Quicumque Fratrum divinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos.*

Verùm hic primò inquirendum occurrit, quomodo poterit quis hanc Spiritûs sancti inspirationem dignoscere? Valde enim difficilis & ardua est cognitio cœlestium illuminationum, & spirituum discretio; quoniam ut *Joan. 3. vers. 8.* dixit Christus: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis; sed nescis, unde veniat, aut quò vadat.* Et Apostolus monet, non omni credendum esse spiritui, quoniam frequenter & *angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis.* *2. Cor. 11. vers. 14.* In hac difficultate tenebrisque, discernendæ veræ cœlestis inspirationis, aliquam præfert facem R. P. Quaresmius, tria adducens signa motionis Spiritûs sancti. *Elucid. terra sancta. Tom. 1. lib. 3. c. 25.* Primum est, si quod inspiratur, ab omni superbia & vanæ gloriæ suspicione sit alienum. Secundò, si arduum sit atque difficilè. Tertiò denique, quando mens tantâ cœlestis luminis copiâ illustratur, ut certissimè Dei consilium credat, magis quàm quodcumque evidens, & delectationem in opere inveniat. Hujusmodi erat inspiratio facta Abrahæ de Isaac immolando; arduum sanè, & de quo certam habebat Domini voluntatem, & in cujus executionem summâ promptitudine ferebatur. At ex opposito, sensul delectabilia, vana & superba, suadent dæmon & humanus affectus; ut cùm diabolus Evæ pomum vetitum suasit, allegatâ ratione: *Eritis sicut Dii &c.* *Gen. 3. vers. 5.* Humanus verò affectus, Adamo vocem uxoris audire suggessit, ne delicias suas tristitiâ afficeret.

Quia tamen hæc signa non omnino sunt infallibilia, neque sufficiunt ad discretionem, erunt insuper consulendæ regulæ atque observationes, quas Sanctus tradidit Bernardinus: *Tom. 4. in Adventuals de Inspir. Serm. 2. art. 3. c. 4.* Scilicèt à viris expertis & illuminatis consilium quærere, Deum orare & Sanctos, per se & per amicos, ut dirigat & adjuvet, in auspicando eo opere, & perficiendo: non præcipitare opus, sed expectare, si quid Deus, Superiores & alii circa hoc disponant propositum; cùm primi fervores debeant meritò semper esse suspecti. Per hæc enim, utcumque deprehenditur, quis sit Spiritus movens ad hoc sublimissimum opus. Verumtamen, sæpè non minor anxietas ipsos invadet consiliarios & Superiores, qui ab aliis, dubitantibus super inspirationis veritate, consuluntur. Post adhibita ea, quæ jam diximus ex Bernardino, suaserim non solùm attendere bonitatem operis, & arduitatem, fervoremque ad illud ebullientem; sed potissimùm motiva fervoris illius. Varia autem invenimus motiva, quæ diversos ad opus illud exstimulârunt.

Primò, Plures permovit zelus, desideriumque animas ex inferni faucibus liberandi: quòd cùm conforme sit Salvatoris ipsius Apostolorumque desiderio, non potest non esse sanctum, dummodo sincerum sit, & non adulteratum, commistione terreni cujuscumque respectûs. Hoc motivum taliter æstimavit B. Joannes Parmensis, ut licèt jam octogenarius esset, pacatissimæque vitæ contemplativæ suavitatibus frueretur, per Cardinalem Aquaspartanum petierit à Pontifice licentiam, ad Græcos (apud quos aliàs utiliter laboraverat, magnâque valebat auctoritate) redeundi, ut, ab unione in Concilio Lugdunensi decreta, resilientes, in fide promissa contineret, & schismaticos ad fidei reduceret unitatem. *Annal. Tom. 5. an. 1289. num. 26.*

Secundò, Martyrii concupiscentia plurimos accendit, ut illius spe ad Partes barbaras alacriter convolarent. Hic est unus è nobilioribus divini amoris effectibus signisque, quod dissolvi cupit & esse cum Christo. Tali exarsit charitatis incendio Vir Dei Franciscus. *Vita cap. 4. num. 4.* Sexto namque conversionis suæ anno, desiderio Martyrii flagrans ad prædicandam fidem Christianam & pœnitentiam Satacenis, & aliis infidelibus, ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cùmque navem quandam, ut illuc tenderet conscendisset, ventis contrariis flantibus, compulsus est in Sclavoniæ partibus applicare. *Num. 5.* Iterum igitur, quia Martyrii fructus adeò cor ejus allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem, super omnia virtutum merita peroptaret, versùs Marrochium iter arripuit, ut Miramolino & genti ejus, Christi Evangelium prædicaret: si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque desiderio ferebatur, ut quàmvis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem; & ad exequendum propositum, festinus, & tamquam spiritu ebrius, advolaret. Sed cùm jam usque in Hispaniam perrexisset, divinâ dispositione, quæ ipsum reservabat ad alia; gravissima ei supervênit infirmitas: quâ præpeditus, quod cupiebat adimplere nequivit. Sentiens igitur Vir Dei, quòd necessaria erat adhuc proli quam genuerat, ipsius vita in carne; quàmvis mortem sibi lucrum putaret esse; rediit ad pascendum oves suæ sollicitudini commendatas.

Verùm charitatis ardore, spiritum ipsius ad Martyrium perurgente, tertiâ adhuc vice, pro fide Trinitatis, effusione sui sanguinis dilatandâ, versùs infideles proficisci tentavit. *Num. 6.* Terttiodecimo namque conversionis suæ anno, ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit, ut Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam. Assumpto igitur socio fratre Illuminato nomine, viro utique luminis & virtutis; cùm iter cœpisset, obvias habuit oviculas duas: quibus visis exhilaratus Vir sanctus, dixit ad socium: *Confide Frater in Domino: nam in nobis Evangelicum illud impletur; Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* *Matth. 10. vers. 16.* Cùm autem processissent ulteriùs, occurrerunt eis satellites Saraceni: qui tamquam lupi celeriùs accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos, crudeliter & contemptibiliter pertractârunt: afficientes conviciis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, & attritos, ad Soldanum, divinâ disponente Providentiâ, juxta viri Dei desiderium, perduxerunt. Cùm igitur Princeps ille perquireret, à

quibus, & ad quid, & qualiter missi essent, & quomodo advenissent? intrepido corde respondit Christi servus Franciscus, non ab homine, sed à Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Evangelium veritatis. Tantâ verò mentis constantiâ, tantâ virtute animi, tantoque fervore spiritûs, prædicto Soldano prædicavit Deum Trinum & Unum, & Salvatorem omnium Jesum Christum, ut evangelicum illud in ipso clarescerer veraciter esse completum: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Lucæ 21. vers. 15.

Annal. Tom. 5. an 1447. num. 26

Huc etiam pertinet admirabilis fervor B. Thomæ de Scarlino, qui cùm in memoriam revocaret, quæ passus esset in Æthiopia pro Christi fide, cogitaretque quanto suo dolore, inter toto oblatas occasiones, Martyrii coronâ deciderit, & quam præ manibus se habere putabat, omninò evanuerit, novo ea ardescente desiderio pro Christo patiendi, cœpit vultu ignire, & vehementer clamare: deinde ea tugoriolo prosiliens, & per montem descendens, ex declivi medio versùs Fratrum cœnobium per aëra volavit, movens tamen pedes & baculum arundineum, quo senilia membra regebat, tamquam si progressivo motu super terram ambularet, consolidante Domino aërem sub pedibus ejus, qui Petro virtutem dedit super vortices marinos gradiendi. Viderunt Fratres, qui præ templi foribus stabant, per aëra volantem, occurrentesque, in terra positum interrogârunt, quò tam velociter properaret? Quibus ille: *Ortonam, ut conscensâ nave ad infidelium pergam regiones, pro Amore meo moriturus.* At illi: annon scis, Charissime Pater, ad eas partes nulli transfretare licere absque summi Pontificis licentia? *Itane*, inquit, *sed & ego Romam pergam, si Superioribus placuerit, hanc gratiam impetraturus.* Obtentis Guardiani facultate & socio, protinùs abiit, toto itinere de Martyrum gloria & felicitate sermones jugiter immiscens.

Tertiò, Vehemens etiam stimulus ad ea loca perendum, est æmulatio alienæ virtutis, & pugilum præcedentium, qui suum corpus & animam posuerunt fortiter pro veritate Christiana. Refert Ferdinandus de Castillo, nuntium Martyrii Beatorum Berardi, Petri, Accursii, Adjuti, & Othonis delatum fuisse ad sanctissimum Patriarcham Dominicum, illo anno generalia sui Ordinis Comitia Bononiæ celebrantem: qui exultavit in spiritu, videns hos purpureos flores & fructus, jam productos in viridario dilecti sui amici Francisci, piisque suis consodalibus horum exemplo addita calcaria, charismata meliora æmulandi, & pro fide Christi patiendi. Eorumdem triumphum Martyrum sensit, ad sanctam usque impatientiam, S Antonius Paduanus. Videns enim, eorum reliquias cum solemnitate maxima, nec sinè miraculis, in Conimbricensi monasterio Sanctæ Crucis Regularium Canonicorum (quod incolebat ipse) deponi, subitò, more elephantis, ad prælium ex aspectu sanguinis animatus, desiderio Martyrii totus æstuavit, & se ipso robustior factus, dicebat apud se: *Utinam coronâ Martyrum suorum participem me facere dignetur Deus! Utinam liceat, pro Christi nomine, flexo poplite, carnificis ictum excipere!* Spe quoque hujus explendi desiderii, à Regularibus Sancti Augustini Canonicis ad Minoriticum Ordinem transmigravit, habitum expostcens Franciscanum, eâ expressâ conditione, ut ei pollicerentur Fratres simul atque induisset eumdem, missuros eum ipsos ad regiones Saracenorum, ut cum sanctis Martyribus mereretur ipse quoque sanguinem fundere, & esse coronæ ipsorum particeps.

Lib. 1. historia Prædicatorum cap. 51.

Vincent. Bellov. lib. 30. cap. 131

Hoc martyrii desiderio nostris diebus vehementer exarsit F. Paulus à S. Magdalena, aliàs dictus Henricus Heath, Collegii Anglo-Duaceni aliquandò Guardianus & S. Theologiæ Lector. Hic etenim velut spiritu ebrius instanter & sæpè licentiâ transfretandi in Angliam postulavit, exclamans in Epistola ad suum Provincialem, sermone converso ad Martyres: *Sanguis vester in me fervet atque ebullit, haud secus atque in vestris propriis corporibus.* Alio tempore licentiam expostulans dicebat: *Pater dimitte me: tantâ enim sollicitudine ac tædio laboro, ut solitâ quiete ac solatio privatus insomnes noctis horas prætercam: quin etiam continuò quasi carnificis imago funē mihi collo circumligantis ante oculos obversatur.* Licentiâ obtentâ de gloria Martyrũ jugiter disserebat, ac incredibili lætitiâ etiam inter pressuras carcerũ ad mortem usq; perfusus, nil nisi crucem & passionem, velut alter Ignatius, spirabat. Audi ipsum in Epistola è carcere Londinensi ante latam mortis sententiam scriptâ suspirantem: *Heu quid aliud valeam desiderare, quàm pati cum Christo, mille mortes oppetere, ut in æternùm vivam cum Christo?.... Veniant ergo, veniant carnifices, corpus meum in frusta dilacerent, carnes dentibus corrodant, latera confodiant, ac in pulverem me comminuant. Scio enim, scio verè, quantùm mihi prosit pro Christo mori &c.* Mortem quam adeò desideravit, tandem gustavit Londini in Anglia glorioso Martyrio coronatus anno 1643. die 17. Aprilis. Cujus vitam insignibus virtutibus illustrem pleniori stylo digessit R. P. Angelus à S. Francisco in certamine Seraphico Provinciæ Angliæ.

Vos igitur, vividi & Seraphici Franciscani, quibus etiam magnas hujusmodi Deus immisit cogitationes, sive aliam quamcumque inspirationem, de arduo quopiam opere, ad Dei gloriam auspicando, *spiritum nolite extinguere*; intrepidè pergite, atque vocantem, sinè tergiversatione, sequimini: ne vos contingat, in præclaris talibus & arduis facinoribus, cunctabundos & pavidos fieri, magnæque occasiones gloriæ præterire. Ad hoc ritè perficiendum, discite numquam divinas, etiam in minimis, negligere inspirationes. Hanc artem, scitè D. Bernardus edocuit, producens in medium pravas aliquas dissuasiones, & cuilibet evinientes: *His reluctari oportet, & inde incipere victorias nostras. Quod si in hujusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in gravi certamine faceremus? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus; & sicut solent mulieres aut parvuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipsi non possumus.* Sed augendus est ani-

Serm. de Sancto Clemente.

animus, ut & cum magnis viris vincamus, & triumphemus: ideoque viriliter adimplendæ inspirationes magnæ, ne nobis contingat quod B. Angelæ Fulginati divinitùs extitit revela- Vitae, 71 tum. Oranti enim, quandoque dictum: *Omnes qui docentur, à Deo illuminantur, ut intelligant viam Dei, & in isto lumine & documento, claudunt aures ne audiant, & oculos ne videant, nec volunt attendere, nec audire quod loquitur eis Christus in anima; sed ingrossantur, & sequuntur doctrinam aliam, à documento quod intelligunt sibi factum à Deo; & volunt tenere viam communem, contra conscientiam, illi habent maledictionem à Deo.*

TEXTUS & §. II.

Inter Saracenos & alios infideles.

SUMMARIUM.

B. Franciscus D. Joanni Apostolo comparatus, quoad multarum gentium conversionem. Cœlesti revelatione commonitus fuit, Fratres suos mittere ad Infideles. In Franciscanis specialiter inveniuntur dotes illæ, quas Christus in suis discipulis posuit, ut eos aptos faceret ad eundum inter Infideles. Quanto fructu, in eo negotio, suam operam impenderint Minoritæ. Corrigitur opinio Doctoris cujusdam, censentis Ordinem Minorum non esse institutum ad Infidelium conversionem.

POstquam D. Joannes Apostolus acceperat librum apertum, de manu Angeli sibi apparentia, & devoraverat illum, qui dulcorabat os comedentis, & ventrem amaricabat, Apoc. 10. vers. 11. dixit ei Angelus: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.* Quod Beda, Viegas & alii exponunt: *Oportet te iterum prædicare.* q. d. oportet te scribere, & prædicare populis multis, Evangelium, post Apocalypsim. Simili pietatis consilio egit divina Sapientia cum pauperculo suo Francisco: siquidem dedit ei Librum apertum Evangelii, dum Christus Dominus, Viro Dei, ex ipso Evangelio, Seraphicam dictavit & tradidit Regulam. Hunc librum jussus est ipse, & qui vellent ei professione conjungi, devorare, dum fuit à Deo cœlesti revelatione commonitus; Vita cap. 4. num. 11. *Francisce, unam de micis omnibus*, hoc est Evangelii verbis, *hostiam*, id est Regulam *facito, & manducare volentibus tribue*, ut valeant sibi doctrinam & sanctitatem Evangelicam firmiter incorporare. Iste liber comestus, dulcescere facit os animæ, & amaricat ventrem, corporis mortificans sensualitates. Et sicut D. Joanni dictum est: *Oportet te iterum prædicare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis;* sic quoque Francisco Seraphico, & filiis ejus, sacri Evangelii observantiam profitentibus, fuit ejusdem commissa prædicatio, non modò vicinis fidelium populis, verùm & aliis quoque infidelium gentibus, & linguis, & regibus multis. Propter quod, præsenti Textu, quem Christo dictante conscripsit, de illis disponit Fratribus, qui divinâ inspiratione *voluerint ire inter Saracenos & alios infideles.*

Vitae c. 3. num. 6. Hoc siquidem opus conversionis animarum, ei in primis cordi fuit, adeò ut in ipsis Religionis ejus orientis initiis, cùm jam sterilis & paupercula simplicitas sancti Patris septem dumtaxat filios peperisset, eos omnes huic operi voluerit applicare. Et cùm ipse sciret se datum aliis in exemplum, ut priùs faceret, quàm doceret: cum uno sociorum versùs unam Orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum Crucis, tribus aliis mundi partibus deputatis. Et specialiter pro lucrandis infidelibus & ipse profectus in Orientem, & dirigens alios in Occidentem utrisque Mahumeticis populis salutare Christi Evangelium prædicari curavit. Celebrato quoque secundo Capitulo Generali, in publico consessu, Fratribus Domini voluntatem aperuit, iterumque suum desiderium expandit, de transmittendis eorum aliquibus ad partes Marrochiorum, ut Christi fidem propagarent, & Mahumeticam sectam confunderent. Annal. Tom. 1. an. 1219. num. 49. Quod eis exposuit in hæc verba: *Filioli mei, Deus mihi mandavit, quòd mittam vos ad terram Saracenorum, ad prædicandum ejus fidem, & legem Mahumeticam impugnandam. Et ego etiam ibo per aliam partem ad Infideles, & Fratres alios mittam per universum mundum. Idcirco, Filii, paretis vos ad implendam Domini voluntatem.* Opusc. Tom. 3. Collat. 23. Pro hac missione, elegit pios viros quinque, F. Bernardum, F. Petrum, F. Adjutum, F. Accursium, & F. Othonem: qui etiam glorioso fuerunt Martyrio coronati. Cujus gratissimum nuntium ut percepit S. P. Franciscus, tanto gestivit gaudio, tantâque est perfusus lætitia, quod facilè exprimi non posset atque ex cordis plenitudine, circumstantibus dixit: *Jam verè possum asserere, me veros quinque obtinuisse Fratres Minores.* Annal. Tom. 1. an. 1220. num. 18.

Præeminent etiam in Ordinis Seraphici professoribus dotes illæ generales, quas Dominus in suis Apostolis posuit, ut eos ad ultimos mundi terminos destinaret. Prima est, expeditissima

tissima omnium temporalium rerum abjectio, quam secundùm Regulam promiserunt: harum enim rerum verus contemptus, & constans resolutio non acceptandi oblatas, præter nudam strictamque necessitatem, evidens est argumentum, evangelizantes non quæ sua sunt quærere, sed quæ Jesu Christi; & miram conciliat apud ipsos etiam Infideles auctoritatem. [*Vita cap. 9 num. 7.*] Cùm vir Dei Franciscus, laboraret circa Soldani Babyloniæ conversionem, hic obtulit ei multa munera pretiosa: quæ ipse, non mondanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus autem videns Virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem: admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Deinde, non minùs potens est, ad flectenda auditorum corda, mitis humilitas, patiens in contemptibus omnibus & injuriis: hæc etenim mirabili Metamorphosi lupos convertit in agnos, & de lapidibus facit filios Abrahæ. Nam quemadmodum agnus mitis & simplex, leonis cicurat feritatem; ita & hominem, non planè exutum rationalis naturæ dotibus, domat humilitas, & notoria simplicitas secum congredientis. Unde Salvator, suos dirigens [Lucæ 10. verf. 3.] ad hoc opus Apostolos: *Ecce*, inquit, *ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Et Christi Vicarius Innocentius IV. Fratres Minores hoc etiam titulo [Annal. *Tom. 1. an. 1245 num. 14.*] æstimavit in Tartariam mittendos, eosque commendat imperanti in Bulgaria, ut *viros virtutis, qui diu sub observantia regulari probati, & in Scripturis sacris instructi essent, & quos ipsi utiliores crederet, tamquam nostri Salvatoris humilitatem sequentes.* [Apoc. 11. verf. 1.] Asperitas denique pœnitentiæ, conveniens est dispositio, ut duros emolliat auditores: propter quod, duo testes Elias & Henoch, in diebus novissimis Antichristo repugnaturi, induti saccis prodituri in medium, perhibentur.

His aliisque virtutum dotibus præditi Franciscani, non mirum est, si ingentes manipulos animarum è terris Infidelium in horrea Domini comportârint. De quibus egregiè candidus [*Hier. Platus de bon. stat. rel. lib. 2. cap. 30.*] ille scriptor Societatis Jesu Hieronymus Platus, quæ placet ex eodem, & ex nostri Ordinis Annalibus, pro parte aliqua recensere. Franciscani, Inquit Platus, non semel ad Tartaros adierunt. Primùm ab Innocentio IV. missi Anno 1245. quo tempore, cùm magnus hominum numerus Evangelium admisisset, paulò post multò plures illuc Operarii destinari, monasteria multa instituta, denique res christiana feliciter [Annal. *Tom. 2. an. 1289. num. 6.*] prorsus administrata. Nec minùs utilis fuit missio Fratris Joannis de monte Corvino, & Sociorum Minoritarum, quorum ministerio Argo Tartariæ Rex & Caydo Princeps conversi suscepêre Baptismum. Ejusdemque F. [Annal. *Tom. 3. an. 1333. num. 1. Ibid. art. 1331. num. 14.*] Joannis de Monte Corvino (qui primus fuit Cambaliensis Archiepiscopus in dominio Tartarorum) operâ, conversa sont ad veram fidem plusquam triginta millia Saracenorum. Beatus etiam Odoricus, qui spatio annorum sexdecim, Armeniam, Tartariam, Indiam, Persiam & Regiones alias peragravit, in illis ultra viginti millia Paganorum, Saracenorum, aliorum Infidelium [*Chron p. 3. lib. 3 c. 18.*] baptizavit. B. Gryphon annis viginti quinque degens apud Maronitas, doctrinâ miraculisque adduxit eam gentem, ad Romani Pontificia obedientiam. B. Conradus Asculanus, licentiâ in Africam trajiciendi ad animarum lucrum obtentâ, ibi cum tanto fœnore [*In addit. Martyr. Franc. ad 5. Julii.*] prædicavit, ut post multos labores & ærumnas, per varias Lybiæ regiones, sexies mille, quadringentos, septuaginta octo homines; & præter hos, integras familias, multis patratis miraculis, converterit ad fidem Christianam. Circà annum Domini 1399. plurimi Minoritæ, [Annal. *Tom. 4. an. 1399. num. 1.*] divino spiritu atque animarum zelo succensi, sanctum re-assumpserunt fœdus, & charitatis vinculis invicem colligati, sacram conscripserunt militiam, ad debellandas aëreas potestates, & conterendos Christianæ fidei inimicos? Pium hoc studium, inter Prædicatores & Minores, ortum habuit sub Innocentio IV. anno 1252. & sub Joanne XXII. Gregorio XI. atque Urbano VI. aucto fratrum numero, adeò invaluit, ut peculiari titulo vocaretur *Societas peregrinantium propter Christum.* Hi enim auctoritate Apostolicâ suffulti, constituto sibi Præside Ministri Generalis Vicario, terras peragrabant Ruthenorum, Walachorum, Tartarorum, Saracenorum, Paganorum, Cretorum, Bulgarorum, & aliarum Orientis Aquilonisque nationum non credentium. Habebant in cœnobiis & congregationibus suis Archi-episcopos & Episcopos, magnis per Sedem Apostolicam ornatos facultatibus, & per terras infidelium euntes, mittebant semina sacræ doctrinæ; & errores hæresesque eradicabant. De B. Joanne Capistrano scribit Platus, anno circiter 1450. unâ excursione duodecim infidelium millia, & multos præterea schismaticos Ecclesiæ aggregavisse.

In partibus autem Palestinæ, & vicinis, talia [Annal. *Tom. 1. an. 1220. num. 1.*] jecit B. Franciscus ejusque sequaces salutis semina, ut ex eis successu temporum fructua amplissimi progerminarint. Quod vel inde patet, quòd ibidem varia acquirentes monasteria, paucos post annos adeò excreverint, accedentibus etiam quorumdam Monachorum Orientalium cœnobiis, ut citissimè integram Minorum constituerint Provinciam, quæ usque ad Syriæ ac Palæstinæ direptionem à Saracenis, non sinè laude florebat. Usque hodie à [*Legenda antiq. Marian. c. 57*] Syris & hujus regionis Senioribus conservatur memoria nonnullorum Conventuum Minorum, illorumque ostenduntur ruinæ. Ad hæc, licèt regione istâ totâ occupatâ à Mahumetanis, Provincia Syriæ ampliùs non sit; nihilominùs meritis S. Patris crederim relictam esse custodiam Terræ sanctæ, quæ se extendit usque ad Syriam, in qua sunt multa loca, in quibus habitant Minores, Deo & plebi servientes: quæ loca hoc modo recenset R. P. Franc. Quaresmius [*Tom. 1. lib. 1. cap 66.*] in suo erudito opere Elucidationis Terræ sanctæ. In Judæa, in sancta civitate Jerusalem, sunt duo loca, sanctissimum Domini nostri Jesu Christi sepulchrum, & Conventus S. Salvatoris: in his habitant Guardianus & Custos Terræ sanctæ, cum triginta fratribus & ultra. In Bethleëm, civitate David, est Monasteriũ ad Præsepe Domini, ubi decem vel circiter commorantur Minores. In Galilæa in sancta civitate Nazareth ad locum Annuntiationis B. Mariæ Virginis, & Incarnationis Dominicæ,

est

est Conventus octo Fratrum. Apud Ptolemaidum sive Aconem, est hospitium duorum Fratrum. Aliud est apud Sidonem, ubi tres morantur: Damasci in Syria duo: Alepi, ubi insigne mercimonium & emporium, duodecim sunt Fratres, qui & ordinariè conciones ad fideles habent: Scandaronæ sive Alexandretæ, ubi portus maris, duo; Salaminæ in Cypro, est trium Fratrum conventus; in Ægypto, in magna Cayro, Rosetti, & Alexandriæ, sex sunt Fratres. Hæc ille testis oculatus, locorum eorum inspector.

Hæc quidem magna sunt & gloriosa: sed nihil tamen gloriosius, quàm Novi Orbis conversio; quæ profectò potissima est Fratrum Minorum. Candidum illum & sincerum testem nobis extraneum afferam, dico Hieronymum Platum. Hæc sunt ejus verba: Primos omnium, qui tantam hanc provinciam aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiam in iis regionibus inveniendis, cùm antea ne de nomine quidem auditæ essent, magnoperè contulisse. Cùm enim Christophorus Columbus de ea navigatione instituenda apud Ferdinandum Hispaniæ Regem ageret, nec ei, re tam nova atque incerta, multùm fidei haberetur, Patres duo Franciscani valde eum juvisse dicuntur, tum ipsum animando, tum etiam Regem impellendo, ut eam occasionem omninò tentaret. Itaque cùm impetratâ classe, Columbus Mexicana regna feliciter aperuisset, atque in Hispaniam tam lætæ rei nuntius revertisset, statim aliquot ejus familiæ Patres in ea loca navigârunt, anno circiter à Christo nato 1493. Atque eodem penè tempore, ad Occidentalem Indiam, Emanuëlis Lusitaniæ Regis auspiciis à Vasco Gama patefactâ, anno videlicet 1500. missi sunt Evangelii causâ ex eadem familia viri octo, tum doctrinâ, tum pietate præstantes. Ab his initiis, hic Ordo per eas regiones diffusus, multiplicatis brevi tempore domiciliis tredecim, ut ipsi vocant, Provincias instituêre; in quibus magnam christianæ rei operam navârunt & adhuc navant.

Lib. 2. de bono stat. relig. c. 30.

De fructibus, quos in iis partibus particulariter fecerunt F. Petrus de Muro (dictus *de Gandt*, quòd Gandavi in Flandria natus esset) B. Martinus de Valentia aliique Apostolici viri, nolumus hic prolixam texere narrationem. Videri potest R. P. Henrici Sedulii Commentarius ad Vitam S. Francisci in cap. 3. ubi proponit omnia particulariter, ex propriis eorumdem Epistolis: signanter illud ex Epistola ipsius B. Martini scripta anno 1531. 12. Junii ad P. Matthiam Wenssen Dordracenum, tunc Commissarium Generalem Cismontanum, quòd quisque, ex duodecim præsertim sociis cum eodem Martino missis plusquam centum millia baptizasset. Præfatum Fratrem Petrum, plurimi fecit B. Joannes Zumaraga, itidem nostri Ordinis, primus Mexicanus Archi-Episcopus. Et hujus in eadem Sede Successor F. Alphonsus de Montuiar Ordinis Prædicatorum, dicere consueverat: *Non ego Mexici Archi-episcopus sum, sed Frater Petrus à Gandavo, Laicus S. Francisci.* Concludam totum hunc discursum luculento testimonio R. D. Auberti Miræi Decani Antuerpiensis; *Primi præcones Evangelii,*

Martyrol. Francisc. 29. Julii.

inquit, *in India Orientali & Occidentali fuerunt Sodales Franciscani: qui & primi ferè iis in locis Episcopi fuere.*

Lib. 5. Notitia Episcoporum 5. India Orientalis.

Quæ cùm ita sint, consequenter non rectè de Ordine Seraphico sensit, Auctor quidam, alioquin doctissimus, scilicet non esse ad infidelium conversionem ordinatum. Quòd ex eo probare nititur, quia *licèt B. Franciscus ex fervore spiritûs voluerit, etiam & provocaverit, inter infideles prædicare, tamen ex divina revelatione statim ad suos rediit, quia revera illa erat propria ejus vocatio, & à Deo intenta.* Mirum est, inquam, virum illum doctissimum non advertisse, quòd Sanctus Pater noster in sua Seraphica Regula expressum posuerit Capitulum *de Missione Fratrum suorum ad Saracenos & alios infideles*; quod proinde neutiquam potest alienum esse à sui Ordinis vocatione aut à Dei intentione; siquidem illam Regulam ipso Christo dictante conscripsit, quemadmodum ipse Salvator dilectæ B. Birgittæ revelavit dicens: *Ipsius Francisci Regula, quam ipse incepit, non fuit dictata, & composita ab ipsius humano intellectu & prudentia, sed à me secundùm voluntatem meam: quodlibet enim verbum quod in ea scriptum est, à Spiritu meo sibi fuit adspiratum.* Atque adeò capitulum illud duodecimum Regulæ, nihil continet alienum à vocatione Francisci, & sequacium ejus, vel à divina intentione. Accedit, quòd ipse Vir Dei sanctissimus, & ab omni fictione alienissimus, cùm missurus esset Sanctum Berardum & quatuor socios ejus, ad infidelium conversionem, dixerit, ut suprà memoravimus: *Filioli mei, Deus mandavit mihi quòd mittam vos ad terram Saracenorum ad prædicandum &c. Et ego ibo, & alios Fratres mittam per universum mundum. Idcirco Filii, parati sis vos ad implendum Domini voluntatem.* Igitur ea missio ex ipsa procedebat voluntate divina; minimè autem contrariebatur eidem.

Suar. to. 4. de Relig. 2. de variet. Relig. c. 7.

Lib. 7. rev. velat. c. 20.

Opusc. Tom. 3. Collat. 13.

Ad illam porrò rationem, quæ Auctorem illum movit ad taliter sentiendum, nimirum quod Ecclesia in Officio D. Francisci, loquens de Sancto, moras trahente in Ægypto apud Soldanum, dicat: *Cùm nihil proficeret, rediit in Italiam*, adeòque in illis partibus non fructificavit; dicendum est cum R. P. Quaresmio nostro, sententiam illam ex divino Officio desumptam, esse in bono & vero sensu explicandam, idque multipliciter. Primò, cum Seraphico Bonaventura, qui de eisdem agens, dicit: *Videns se non proficere in conversione gentis illius, ad partes fidelium remeavit.* Non profecit tunc in Mahumetano illo populo, sed bene in Soldano Babyloniæ, & aliis, ut clarè ostendit P. Quaresmius loco citato, & colligi potest ex hîc supradictis. Secundò, cum Auctore Conformitatum, quòd non absolutè fructum non fecerit, sed quem facere desiderabat. Et hoc verissimum est, quia voluisset mortem sustinere pro Christo, & totam illam gentem eidem lucrificere; quod tamen non obtinuit. Profuit tamen sanctæ Ecclesiæ suo sodalitio, dum eidem Fratres aggregavit, & Conventus accepit, ut jam vidimus. Tertiò, denique tunc non profecit in Ægypto quantùm voluisset? profecit tamen postea. Verbum Dei semen dicitur à Domino, quoniam quemadmodum se-

Elucid. Terræ sanctæ tom. 1. lib. 1. c. 66.

Conform. S. Francisci lib. 1. fructu 10.

Luce 8. vers. 11.

mett

men non statim ac terræ mandatum est germinat, & in aristas succrescit, & fructum reddit, sed tempore suo; ita verbum Dei instar boni seminis in corda hominum, velut in bona fœcundaque terra receptum, non statim profert fructum, sed in longanimitate, patientia, & tempore suo, ut Salvator dixit. Sanctus item Apostolus Jacobus: *Patientes estote, Fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* Ita dicendum de semine verbi Dei, quod in Ægypto & Syria seminavit, suâ illâ peregrinatione, verbo & opere Franciscus, licèt tunc non multùm fructificaverit, postea tamen tempore suo dedit multiplicem fructum, trigesimum, sexagesimum & centesimum, ut eventus comprobavit.

Epist. Jacobi 5. vers. 7.

Falsum igitur est Antecedens ab Auctore assumptum, Franciscum nempe tunc in Ægipto non fructificasse. Deinde si verum esset, adhuc non sequeretur, ipsius vocationem omnino non esse ad Infidelium conversionem: tum quia à particulari ad universale non tenet consequentia: tum quia finis proximus concionatoris, est prædicare pro salute animarum, tuncque impletur, quando actu in illum finem prædicat; finis remotus est ipsa animarum conversio, quæ est opus solius Dei. Dixit Christus Discipulis suis: *Laxate retia vestra in capturam.* Non dixit: *Capite*, quia hoc Christi erat. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, inquit Apostolus. Et si valeret illa consequentia, sequeretur contra Suarium; quòd neque Prædicatorum Religio, neque Societatis Jesu, imò neque Apostolorum, & ipsius Christi professio & prædicatio, fuerit assumpta pro Infidelium, imò neque pro peccatorum fidelium conversione; quia omnes isti, in suis prædicationibus, plures nullos ab infidelitate ad fidem, vel à via mala ad bonam & saniorem frugem converterunt, ut manifestum est.

Lucæ 5. vers. 4. 1. Cor. 3. vers. 7.

Porrò quod idem in suæ opinionis confirmationem adducit, Franciscum interdixisse vel dissuasisse in universum omnibus Minoribus omne studium litterarum, latè confutivimus superiùs ad capitis 10. §. 26. Hic solùm addo, quòd si verum id esset, conficeretur Religionem Minorum nec esse ordinatam ad commovendum prædicatione Christianum populum ad pœnitentiam agendam, quod est contra Suarez, & contra ipsam veritatem. Consequentia est manifesta, nam litteratiom studium cuicumque prædicatori & incumbenti saluti animarum, necessarium est.

TEXTUS & §. III.

Petant inde licentiam à suis Ministris Provincialibus.

SUMMARIUM.

Isaias, non nisi petitâ & obtentâ licentiâ aggressus est officium prædicationis: per quod forma datur volentibus ire ad Infidelium conversionem. Pericula imminent præsumentibus ire sinè licentia. Apostoli non priùs iverunt ad instruendum gentiles, quàm speciale mandatum à Christo, & promissionem assistentiæ accepissent. Licentia ad missionem petita & obtenta, æquivalet mandato Superioris, &, instar aliorum obedientialium operum, auget meritum. Impetuosa quorumdam desideria in materiis pietatis, licèt bona viderentur, fuerunt tamen à Domino reprobata. Utilis est obedientia ad protectionem ab externis internisque periculis: quod declaratur exemplis.

Isaïas Propheta, visâ Domini majestate, acceptâque per Seraphicum calculum emundatione labiorum, offerens se ad prædicandum excæcato populo, ait: *Ecce ego, mitte me.* Et dixit Dominus: *Vade.* Jam antè viderat sedentem Dominum super solium excelsum & elevatum, & volans ad eum unus de Seraphim, calculo sublato de altari tangens os ejus, dixerat: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Jam, inquam, erat divinus illis donatus charismatibus; neque tamen ad munus prædicandi, quod desiderabat, præsumpsit accedere; nisi petitâ primùm licentiâ: *Ecce ego, mitte me*; & obtentâ: *Vade.* Quantò magis convenit, nos viles, humique repentes vermiculos, cordibus & labiis inquinatos, non attentare illud arduum opus prædicationis ad Infideles, nisi obtentâ primitùs à Domino facultate; non quidem immediatè, quemadmodum Isaïæ contigit aliisque Prophetis; sed mediatè saltem, ut mittamur à Christi Vicariis, sive legitimis Superioribus, de quibus dixit ipse, quòd per eos falsitate suum loqueretur in nobis? Propter quod Seraphicus noster Legislator constituit, ut quicumque Fratrum divinâ inspiratione voluerint ire

Isaiæ 6. vers. 8. & 9

Vers. 7.

Lucæ 10. vers. 16.

ire inter Saracenos, & alios infideles, *petant inde licentiam à suis Ministris Provincialibus.*

Cùm res illa sit admodum gravis, unde non solùm animabus euntium posset periculum imminere, verùm & honori nomini Christiano, si promiscuè permissum foret, quibuscumque volentibus, sese in consertos hostium proripere cuneos: censuit Vir ille, divinâ præditus providentiâ, imitandos sibi esse Duces primarios exercitûs temporalis, qui nulli militi, sive gregario, sive præcellenti permittunt pro suo impetu consilioque hostem aggredi, sinè suo imperio præcedente: adeò ut & multi propterea in capitis venerint discrimen, etiam post rem feliciter gestam, quòd Duce nescio, victoriæ arripuerant occasionem. Multò magis oportuit in frænis tenere milites illos spirituales, in suis ordinariè ferventes propositis; qui cùm magni sint animi, magni quoque se putant esse judicii, creduntque firmiter, Spiritum sanctum sui esse auctorem propositi, cùm tamen sæpe-numero decipiantur, & postea cum verecundia scandaloque se deceptos inveniunt, dum putantes fortiter agere, & sinè consilio exeuntes in prælium, se fœdè viderint cecidisse. Neque fortiores sunt, neque sapientiores *Serm. de Lapsis.* iis, quos D. Cyprianus luget, qui sese ultroneè confessioni fidei coram tyrannis objicientes, fœdè deficiebant, abnegantes ipsi fidem, quam statuerant aliis communicare.

Eam confusionem, unus quoque nostrorum, *Martyrol. Francisc. ad 6. Decembris.* F. Joannes à Mantua expertus est. Ille Laicus erat, qui dum Hierosolymis moras nectaret, summè exoptabat martyrium pro Christo subire, quare Conventum egressus absque alia sui Superioris licentia, ad Mesquitam Maurorum accedit, & in medio foro publico, Christum intrepidè prædicat unicum mundi Salvatorē, Mahumetem verò virum perditissimum, & pseudo-prophetam esse. Tunc Turcæ, Mauri, ac Saraceni in unum convenientes, itâque nimiùm excandescentes; velitne hæc effata protinùs denegare, vel ignem, vim tormentorum, & quæque gravia, ac denique mortem atrocissimam pati, ab eo sciscitantur: quibus perterritus, animoque deficiens, illis protinùs adhæsit, Christo abnegato. Tunc Fratres, casum hujus pauperis audientes, mirum in modum sunt tristes effecti, & statim ad ipsum pergentes, modis omnibus conantur ipsum à damnatione animæ eripere, monita salutis amantissimè illi porrigentes. Quibus persuasus, divinâ favente gratiâ, pristinum decrevit apud se recuperare Dei timorem, honorem & amorem: fervoreque nimio actus, prosilivit in medium, ipsos Turcas constantissimè arguens erroris in Christum, & crudelitatis in Christianos; profitensque se ultrò prioris desertionis maculas verâ confessione velle diluere, & Christum Dominum, unicum Dei filium, mundique Salvatorem esse, Mahumetem verò ut spurcissimum hominem, falsò jactari Prophetam, sui sanguinis profusione se velle testari. Quod datis cervicibus opere comprobavit an. Domini 1557.

Apostoli sancti, non priùs transierunt ad instruendum Gentiles, quàm speciale mandatum à Domino accepissent, cum promissione protectionis & assistentiæ, in certaminibus adeò periculosis. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Et dirigens eos specialiter ad Evangelizandum Judæis: *Ecce*, inquit, *ego mitto vos &c.* Super quo verbo Sancti Patres animadverterunt, pronomen illud, *Ego*, emphasim habere, atque efficaciam ad communiendum Apostolos adversùm imminentia mala. *Ecce, ego mitto vos.* Sufficiat hoc vobis ad omnem consolationem: satis sit ad confidendum. Beda dicit per illud, *Ecce ego*, auctoritatem significari, & fortitudinem Deitatis. Formidinem itaque eorum tollit, circa mortem & imminentia mala, per suæ fortitudinis exhibitionē. Consolatur enim per hoc quòd dicit: *Ego*, Ego, inquit, potens ille: proinde fidite; invicti enim eritis. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterant resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* Sinè mittentis illius licentiâ & assistentiâ, mundi hujus potestatibus contraire non præsumerent. Ipse supremus Apostolorum vertex Petrus, tametsi potuisset pro sua Pontificia auctoritate, & ex licentia generali, omnibus datâ Apostolis domum Cornelii gentilis accedere; tamen id agere noluit, nisi eum speciali revelatione Dominus de sua voluntate atque licentia certificasset. Quin imò, & ipse Christus Dominus: *A me ipso*, inquit, *non veni, sed est verus qui misit me*, & frequentissimè meminit, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, ad periculosum officium conversionis mundi; quod nonnisi ex mera obedientia suscipere voluisset.

Matth. 28. vers. 19. Vers. 20.
Matth. 10. vers. 16.
Vide Chrysost. hom. 34. in Matth. & serm. de Pentecost.
Lucæ 21. vers. 15.
Actor. 10.
Joan. 7. vers. 28.

Nec alicui videatur inutilis, aut noxia hæc subjectio, licentiam à Superioribus postulandi; quoniam mandato æquivalet, gaudetque privilegiis obedientialium operum, in merito apud Deum. Quod auctarium meriti, minimè profectò est contemnendum. Vir Dei Franciscus, Evangelicus negotiator, ut pluribus modis lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret ad lucrū, Generali cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat sanctæ Obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ipsius colla submitterent nil temporis sinè lucro transiret. Unde & fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat & servare. Cùm igitur præsens tempus acceperimus ad lucrum, & qui lucratus fuerit, sit ampliorem à Domino gloriam accepturus, (prout liquet ex parabola talentorum) prudens & fidelis est servus, qui non negligit occasionem duo lucrandi, ubi alius unum dumtaxat acquirit. Hoc autem præstat obedientiæ circumstantia, exornans opus nostrum, reddensque pretiosius.

Vitæ c. 6. num. 4.

Remurmurabit forsitan aliquis, per hanc petendæ licentiæ obligationem, retundi plurimos conatus magnos, multaque vel impediri vel retardari, quæ ad majorem facerent Dei gloriam, profectumque spiritualem. Huic respondendum est electionis propriæ voluntatisque abnegationem, opus esse aliis bonis operibus supereminens, & per eam impediri, ne proprii arbitrii impetus bonâ quantumlibet intentione assumpti, infelices sortiantur eventus. Petrus in horto existens cum Jesu, cùm accesserunt ad eum viri sanguinum, & manus injecerunt in eum, & tenuerunt, *extendens manum*, *Matth. 26. vers. 51.*

exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum amputavit auriculam ejus. Justum videbatur ei hoc opus atque honestum, & necessaria Magistri defensio; factum tamen Dominus improbavit. In parabola quoque zizaniorum inducuntur Angeli licentiam postulantes: *Vis imus & colligimus ea?* Utile videbatur futurum ut colligerentur, ne triticum suffocarent. Aliter tamen divina judicavit Sapientia, & ait: *Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.* Similes quandoque sentimus fervores, quos putamus esse à Spiritu sancto, quia præ se ferunt alicujus boni speciem; sed quia solet, in bonis etiam, fervor nimius excæcare, tutius est alienam expectare censuram.

Matth. 13. vers. 29.

Legimus in historia Numerorum, quòd pugnare volentibus Israëlitis, contra Domini & Moysis voluntatem, *descendit Amalecites & Chananæus qui habitabat in monte: & percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.* Quoties verò humilem consectati sunt obedientiam, in certamen pergentes de licentia Domini, gloriosas victorias reportârunt. Sic duodecim millia, de mandato Domini contra Madian procedentia, tam feliciter straverunt totum populum Madianitarum, ut ne unus quidem Israëlitarum fuerit desideratus. Similem experti sunt protectionem Gedeon, Saul, David, Joas, & Judas Machabæus. Neque defuit auxilium simile in pugna spirituali suscepta de licentia Domini; quod sub uno placet exemplo proponere. Cùm Franciscus in Ægypto Christi fidem disseminaret, ægrè ferens immanis Tyrannus Sathan, multas sibi in illa regione eripi prædas, raptorem aggressus est in quodam diversorio, impudicâ sed pulchrâ nimis fœminâ usus, ad tentandum Virum Dei, ejusque puritatem & castimoniam labefactandam. Cui immutatâ facie, & mirâ in periculoso congressu securitate, Vir sanctus dixit, se concubiturum; at in eo lecto, quem ille sibi vellet eligere. Placet mulierculæ pactum, sed ad omnem tollendam moram instabat. Parat se ad cubitum Franciscus, ex totâ paupere lacernâ, & baculo confricatis sparsisque in pavimento carbonibus, qui erant in camino, desuper incubuit, magno illæsus prodigio. *En*, inquit tentatrici, *lectus splendidus in floribus, tanto opere dignus: hic ille quem ego eligo, ut eos ignes evadam: si adhuc tibi molesti, nullâ potiori aquâ, quam igne hoc extinguentur.* Expavit ad factum mulier, & & corde compuncta, coram genuflexa petiit sui errati veniam, & facilè à Domino impetravit, qui ardores cupidineos in cœlestes mutavit, ita ut sanctâ fide à Viro Dei imbuta, multos ad eamdem velut Evangelica Samaritana, mirabiliter perduxerit. Hujusmodi tentationum vorticibus abriperetur facilè, qui tam periculosas aggrederetur occasiones sine licentia Superiorum, & obedientiæ munimento.

Numer. 14. vers. 45.

Numer. 31. vers. 49.

Annal. Tom. 1. an. 1219. num. 64.

Minimè verò dubitandum est, universas malignorum Spirituum molitiones divinitùs elidendas, dum arenam contra infideles ingressi fuerimus obedientiâ duce, vel duce potiùs ipso Deo. De Fratre Angelo S. Francisci socio legimus, quòd cùm valde timeret dæmones, sic ut de nocte nullibi auderet solus consistere, idipsum B. Francisco manifestavit. Cui Pater sanctus mandavit, ut in montem excelsum valde ascenderet, atque altâ voce clamaret: *Superbi dæmones, omnes venite ad me modò, & quidquid potestis facite mihi.* Quod cùm ille fecisset humiliter, nec dæmon aliquis venisset ad eum, in posterum impavidus effectus est. Pisan. lib. 1 conform. fructu 8.

TEXTUS & §. IV.

Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum.

SUMMARIUM.

Judicium idoneitatis mittendorum pertinet ad Ministros Provinciales. Dotes quibus instructi esse debent, sunt 1. Magnanimitas. 2. Humilitas. 3. In externa conversatione Prudentia, Comitas & affabilitas. 4. Studium orationis. 5. Patientia in laboribus supportandis, & persecutionibus. 6. Doctrina sufficiens. Quâ consideratione se debeant consolari, quos fortè Ministri judicaverint inidoneos. Monitio ad eos, qui coguntur in loco missionis habitum induere sæcularem.

Olim erat antiquæ legis Sacerdotibus ordinatum, ut nihil susciperent offerendum Domino, nisi quod explorassent in primis, & invenissent legitimis præditum sacrificii conditionibus. Unde Moysi dicebat Dominus: *Loquere ad Aaron, & filios ejus, & ad omnes filios Israël, & dices ad eos: Homo de domo Israël, & de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domino*

Levit. 22. vers. 18.

mine ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit, ex bobus, & ovibus, & ex capris: si maculam habuerit, non offeretur, neque erit acceptabile. Simili modo judicium idoneitatis mittendorum ad Saracenos & alios Infideles, ut ibidem vel animas conventendorum ad fidem, vel sua propria corpora per martyrium valeant Domino immolare, Prælatis eorum committitur; quibus in Ordine Minoritico præcipitur præsenti Textu, ne ullos permittant ad excellentissimum istud sacrificium deputari, nisi necessariis utilibusque prædictos ad illud munus conditionibus: *Ministri*, inquit Vir sanctus, *nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum.* Maturè proinde examinandi erunt de motivis, de mediis à se excogitatis ad laborandum in terris illis desertis, atque de resolutionibus, quæ sumi debent in casibus variis hoc negotium concernentibus. Neque solùm ex verbali examine, responsisque eorum, censendum est de ipsorum idoneitate, sed potissimùm è conversatione præcedenti; in qua, si vera ediderint signa earum, quas inferiùs recensebimus, qualitatum, minùs dubium poterit de ipsis ferri judicium; à factis enim & moribus præteritis præsentibusque, præsumitur de futuris. Sequentibus autem dotibus operarios illos esse præditos oporteret.

Primò, Magnanimitate, quæ non levibus & trivialibus est contenta operibus, sed majora continuò meditatur. *Masculus erit*, inquit sacer Textus, divino idoneus sacrificio. Sic & hujusmodi Missionatius, masculum debet animum gerere, ut non solùm coram vulgaribus portet Christi nomen, sed & coram Regibus & Magistratibus, coram fautoribus & contradictoribus, in privato & publico, quemadmodum occasio tulerit, spesque profectûs affulserit. Hujus arduitas operis nequaquam admittit pusillanimes & meticulosos, sed tales exigit, qui sint & ipsis Regibus superiores. Talis erat Elias Propheta, qui constanter ipsis Regibus, aliàs truculentis & arrogantibus, eorum objecit scelera, verbisque concossit minacibus, si fortè ad pœnitentiam moverentur. Talis quoque fuit novissimis temporibus Vir Dei Franciscus, quo perducto ad Soldani Babyloniæ præsentiam, cùm Princeps ille perquireret, à quibus, & ad quid, & qualiter ipse cum socio missi essent, & quomodo advenissent: intrepido corde respondit Christi servus Franciscus, non ab homine, sed à Deo altissimo se fuisse transmissum, ut ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Evangelium veritatis. Tantâ verò mentis constantiâ, tantâ virtute animi, tantoque fervore spiritûs prædicto Soldano prædicavit, Deum Trinum & Unum, & Salvatorem omnium Jesum Christum, ut Evangelicum illud in ipso claresceret veraciter esse completum: *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Levitic. 22. | Vita cap. 9 num. 6. & 7. | Lucæ 21. vers. 15.

Secundò, Neque solùm magnanimos, verùm & humiles esse convenit, qui non tantùm magna suscipiant & honorabilia; sed etiam circa minora applicati, puta circa puerorum instructionem, aut circa servitia concionatorum, eadem æquali exerceant alacritate, dum ita placuerit Directoribus. Placet illius alacritatis & humilitatis normam referre ex Epistola Fratres Petri de Gandt, quam ad suos Belgas dedit Mexici, è cœnobio S. Francisci anno Domini 1529. mensis Junii 27. die, ubi inter alia, de magna illarum Indiarum messe, ita de suo scribit exercitio: *Mihi est officium docere & prædicare noctes atque dies. In die legere & scribere, simul & cantare doceo: nocte verò doctrinam Christianam, & sermones. Et quoniam terra ista est admodum magna, & populus infinitus, & fratres evangelizantes pauci, ad docendam tantam multitudinem: nos Fratres collegimus in domibus nostris filios Principum & Magnatum hujus regionis, ad erudiendum eos in fide Catholica: qui postmodum parentes suos instituunt. Noverunt autem hic pueri legere, scribere, cantare, concionare, divinum officium more Sacerdotum peragere, quorum puerorum, ego in hac civitate Mexico curam gero; suntque quingenti aut plures: eò quod hæc civitas sit caput regionis. Ex quibus pueris circiter quinquaginta excellentioris ingenii segregavi, quos singulis hebdomadibus doceo singulatim, quid dicendum erit, & prædicandum dominicâ sequenti. Singulis autem diebus dominicis, hi pueri exeunt civitatem, & totam terram prædicando percurrunt, interdum ad quatuor, nonnunquam ad octo vel decem, subinde ad viginti & triginta milliaria, annuntiantes Fidem Catholicam, & per doctrinam suam, populum præparantes ad Baptismum. Et nos cum ipsis circumeuntes, idola destruimus & templa eorum diruimus ex parte una; & ipsi similiter faciunt ex parte altera; & templa Dei veri construimus. Hoc modo, & in hac occupatione, tempus nostrum transigimus, quemvis laborem nocte ac die sustinentes, ut populum istum infidelem tandem ad Fidem Christi inducamus &c.*

Extat apud Sedul. in Comment. ad vitas S. Franc. c. 6.

Tertiò, Requiruntur in externa conversatione, prudentia, comitas, & affabilitas. Prudentia, quæ insidias caveat, laqueosque sibi ponendos ab iniquis contradictoribus. Comitas, quæ sese cum honestate & confidentia ad congressum affectumque humanum insinuet: nisi enim hâc irrepseris viâ, repellent statim, veluti suspectum aut fatuum, nec auditum fautoribus præbebunt consiliis. Hinc inidonei censentur, nimii solitudinis amatores, & horrentes coram hominibus apparere. Etsi enim orationis amore, ad continuum trahantur silentium, id tamen homines sæculi, & maximè barbari, non intelligunt: aut saltem non malè judicant, eos potiùs in monasterii laribus relinquendos, quàm applicandos conversationi hominum, quibus se nesciunt attemperare. Expedit itaque, pati quandoque discursus inutiles mundanorum, ut eamdem exhibeant nobis patientiam, in sanctis nostris discursibus auscultandis; & amica eorum tolerantia non tam simulanda est, quàm veraciter exhibenda, ut affectu quodam capti humano, ad fidem quoque ac pietatem faciliùs capiantur. Id agebat, suadebatque aliis, Apostolus gentium: *In sapientia, ioquiens, ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redi-*

Coloss. 4. vers. 5.

redimentes. Optimè ſiquidem redemptum eſt tempus, quod malè videbatur inſumptum in nugis ſæcularium tolerandis, dum inclinantur per humanam ejuſmodi comitatem, ut per nos pietatis fideique ſuſcipiant documenta.

Quartò, Magnum conquirent ſuo operi præſidium, ſi, dum extra converſationis externæ tempora, commoditatem præbent nox & ſolitudo, ſolerter incubuerint orationi. Enimvero, cùm nullatenus humanæ ſufficiant induſtriæ, ad chriſtiana myſteria perſuadendum, niſi lux affulſerit è cœlo; quidquid dicet aliquis, aut humanis probare conabitur argumentis, tantumdem erit, ac ſi in denſiſſimis tenebris explicare velit alicui formam vicinæ domûs alicujus aut arboris; quam tamen accedente diei lumine meliùs per viſum intelligent ſpectatores, quàm auditores in tenebris, per quemcumque diſcurſum. Hanc verò lucem, nonniſi ferventi impetrabimus ſupplicatione. Fuit uſus ille ſanctorum Apoſtolorum, magnorumque illorum Epiſcoporum, qui regiones integras Chriſto Domino ſubjugârunt: eumque concionatoribus omnibus neceſſarium, optimè D. Auguſtinus oſtendit, dicens: *Orando pro ſe ac pro illis, quos allocutus ſit orator, antequam dictor, ipsâ horâ jam ut dicat accedens, priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit, fundat.* Lib. 4. de doctr. Chriſt. c. 15

Quintò, Quia occaſiones, in hoc opere proficiendi, longos ſecum portant labores, & gravia tædia, hanc provinciam aggredientes ad ea debent eſſe parati, atque ita firmi, ut nil exhorreant aut fugiant; ſed canum more venaticorum, penetrent omnia, per dumos rupeſque inacceſſas, per æſtus & frigora, per bonam famam & ignobilitatem, per aſpera & horribilia, ad ipſam uſque mortem. Longæ ſe offerunt itinerationes & faſtidioſæ, in itineribus fames & ſitis, humi cubationes, hoſpitum inhumanitates, vigiliæ multæ, ſtudendi importunitas, ad ſatisfaciendum dubitantibus, noſtræque fidei myſteria blaſphemantibus: denique pertinaciæ convertendorum, inconſtantiæ converſorum, ſociorum Chriſtianorum impatientiæ, malave exempla, contradictiones in piis conatibus, ab ipſis etiam quandoque perſonis Eccleſiaſticis: & alia plurima, quæ ſeſe veluti trabes objiciunt, & tamen perfringenda ſunt pro incepti operis proſecutione. Hæc omnia non invictum dumtaxat animum, verùm & ſanitatem requirunt & corporis robur; alioqui timendum eſt, ne valetudinarii illuc pergentes impediantur, ſintque & aliis impedimento, & plus temporis in curando debeant inſumere corpore, quàm lucrandis poſſint impendere animabus. Unde D. Bonaventura, complexus breviter hanc, aliaſque conditiones: *Idonei ſunt*, inquit, *robuſti corpore, & conſtantes in fide, probati virtute, & ſemper irreprehenſibiliter converſati.* D. Bonav. in hunc locum.

Parati quoque debent eſſe operarii illi, ad genus omne contumeliarum, verberum, ipſamque mortem: cùm enim in arenam deſcendant cum diabolo, qui ſæculis omnibus ſolitus eſt, contra prædicatores Evangelii, ſe ſolitâ ſuâ tueri crudelitate, convenit hos eamdem expectare ſævitiam, eâdem conſtantiâ, quâ cæteri omnes veri ſervi Jeſu Chriſti. Quemadmodum autem accedentibus ad Ordinem Franciſcanum, difficultates omnes, rigores atque incommoda proponuntur, & exercentur in iis, ne ſe deceptos fortaſſe conquerantur, dum ea fuerint ſubeunda: ſimili patientiæ tyrocinio hos convenit erudiri, qui ad horribiliora ſeſe accingunt certamina, ne forſan in certamine medio, haud ſatìs domita erumpat impatientia, omnemque bonum fructum abſumat. Hanc conditionem Chriſtus apertè à ſuis exigit Apoſtolis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus;* atque adeò multò minùs formidanda ſunt alia tormenta, morte corporis inferiora. Hanc invictæ virtutem patientiæ, ipſi quoque barbari in Chriſti pugilibus non mediocriter venerantur, atque per eam ad converſionem efficaciter diſponuntur. Matth. 10. verſ. 28.

Sextò, Una è præcipuis diſpoſitio, eſt, doctrina ſufficiens, tum ad confirmanda noſtræ fidei fundamenta, tum ad retundendas Adverſariorum cavillationes, contra veritatem ſophiſticè concinnatas; nam, ut inquit Chryſoſtomus, *qui docendorum aliorum munus ſortitus eſt, eum oportet in primis hujuſmodi certaminum peritiâ valere: nam tametſi tutus ipſe perſiſtat, nihilque lædatur ab adverſariis, tamen ſimpliciorum hominum multitudo, ubi animadvertit ducem victum eſſe, ac nihil habere quo ſeſe contra adverſarios tueatur, jam non victi infirmitatem, ſed dogmatis potiùs imbecillitatem vitiumque cauſantur: atque ita demum ob unius hominis imperitiam, multus populus in extremam perniciem præceps rapitur, qui quamquam haud ſeſe penitus cum fidei adverſariis conjungant, tamen de iis ambigere coguntur, de quibus confidere ipſi poterant, & ad quos fide inconcuſſâ ſeſe contulerant, jam non eâdem conſtantiâ illis attenti eſſe poſſunt: verùm tantus æſtus, tanta tempeſtas illorum animas infeſtat, ſuperato præceptore, ut malum ipſum in naufragium tandem erumpat.* Lib. 4. de Sacerd.

His præditos perfectionibus, Miniſtri Provinciales tutò mittere poterunt ad opus illud magnum, optimum meritis, & æternâ dignum gloriâ, quos ampiâ paternâque muniant benedictione, confortantes, & ampliùs inſtruentes juxta regionum neceſſitates, infideliumque, ad quos mittuntur, mores ac diſpoſitiones. Quia verò non omnium ſunt hæc dona Dei, & eorum defectu, Miniſtri ſæpenumero juſto retrahuntur timore à dandis licentiis, dum non adeò perſpicua eſt poſtulantium idoneitas: ſi quibus fortè licentia denegetur, non ideo concidant animo, neque ob non acceptatum ſuum pium obſequium contriſtentur; ſed credant divino factum inſtinctu, ne denegaretur facultas, ob ſecretas, quas nec ipſi noverint inſufficientias, & quia non diſpoſuerit Deus tantum eis robur lumenque conferre, quantum huic eſt neceſſarium functioni.

Porrò quia quibuſdam in Provinciis tanta eſt acerbitas hæreticorum Regum & Magiſtratuum, ut non patiatur videre habitū monachalem, neceſſe eſt cum Fratribus diſpenſare circa geſtationem habitûs ſæcularis. Ad quod ſuadendum congruit exemplum ipſius Filii Dei, qui cùm in forma Dei eſſet, habitu inven-

tus

tus est ut homo, & dissimulato Divinæ Personæ habitu, cum hominibus conversatus. Sanctus quoque Paulus, pro occasionum diversitate, in diversas se formas externas transfiguravit, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret. Et verò, si sese diabolus transfigurat in Angelum lucis, ut de luce transferat ad tenebras, quantò magis nos transfigurari convenit, ut sedentes in tenebris ad lucem divinæ gratiæ reducamus?

Illi tamen, quibus id permittitur, graviter doceantur, ne tunicam exuentes, spiritum quoque exuant religiosum; sed in eis tam fortiter impressæ maneant virtutes, per religiosum habitum indicatæ, ut inde à Catholicis, quibus ministrant, perspicuè dignoscantur. Appareant Christi crucem circumferre in Patientia, Humilitas colorem indicet cinericium, Innocentia & sancta simplicitas sit eis spiritale Caputium: accurata sollicitudo servandi vota & obligationes, ipsos videatur constringere, meliùs quàm chorda rudis atque nodosa: Nudipedes sint, in cunctis terrenis affectibus, ea quærentes tantummodo quæ sunt Jesu Christi. Sobrietas ad paupertatis regulata mensuram, externam illam compensabit speciem, quæ ad personam dissimulandam assumitur. Sermones sancti, charitatis opera, fidei nostræ zelus, & alia quibus occupantur munia, tractationem compensabunt pecuniarum, quæ debet etiam sæpe numero sub certis moderaminibus adhiberi. De his videatur Quaresmius noster lib. 1. cap. 71. & in Append. tom. 2. in explicatione Bullæ Urbani VIII. ubi agens de habitantibus in Terra sancta, notat multa, quæ omnibus congruunt Missionariis, lucemque præbebunt, ne impingant in Regulam, quam promiserunt Domino observare. *Quaresm. Elucid. Terræ sancta.*

T E X T V S §. V.

Ad hæc per obedientiam injungo Ministris, ut petant à Domino Papa unum de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector hujus Fraternitatis.

S V M M A R I V M.

S. P. Franciscus, cœlesti visione commonitus, ad petendum ab Apostolica Sede Cardinalem Protectorem. Eum Ordini concesserunt Summi Pontifices: & quidem Nicolaus III. cum affectu singulari & amabilibus circumstantiis, quæ hic referuntur. Semper Ordo fuit contradictionibus afflictus. Quàm incerta contra eas protectio, ab aulis Principum, & sæcularibus tribunalibus. Convenientior est, Quàm præbet Apostolica Sedes mediantibus Protectoribus Cardinalibus. Non recurrendum ad Protectorem cum ordinati regiminis perturbatione. Deficientibus Protectoribus, erit ad Sanctos Ordinis recurrendum.

Missus Daniël in lacum leonum, divinæ protectionis munere, fuit ab eorum rictibus, miro prodigio, liberatus: *Deus meus*, inquit, *misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Devoratus haud dubiè fuisset, nisi ad preces ejus misisset Dominus Angelum Protectorem. Cùm propter multitudinem adversantium undique, in simili sit constituta periculo paupercula Francisci Religio, Fundator illius de simili cogitans providere remedio: *Injungo*, inquit, *Ministris, ut petant à Domino Papa unum de S. Romana Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector hujus Fraternitatis.* Iste nempe est Angelus, à Christi mittendus Vicario, qui à novello & tenero grege truculentorum leonum rabiem *Dan. 6. vers. 22.* arceret, & longè latèque propagatum, suâ auctoritate protegeret. Atque ad hujus petitionem à Summo Pontifice faciendam, ex eo permotus fuit: tum quòd circa Religionis initia plures exciperet suorum querelas, qualiter durè patiebantur, minùsque piè tractabantur à multis Ecclesiarum Prælatis, neque deessent, qui in Romana curia sancto obloquerentur Instituto; tum quia ad hoc ipsum, fuit cœlesti commonitus visione.

Vidit namque in somnis, gallinam pullos plurimos sub alis congregare, à supervolitantibus milvis defendere volentem, nec tamen omnes potuisse, pluresque proinde patuisse rapinæ: magnæ verò alterius volucris sub alis, pericula subterfugisse. Expergefactus, dum *Annal. Tom. 1. an. 1217. num. 3.*

somnii interpretationem expeteret à Domino, eam ita accepit, ut intellexerit se per Gallinam, discipulos per Pullos, & Cardinalem in Protectorem assumendum, per Volucrem magnarum alarum demonstrari. Convocatis ergo Fratribus, rem omnem & Protectoris necessitatem exposuit, brevemque deinde adjecit hanc de omnimoda subjectione ad Ecclesiam Romanam collationem, cujus protectioni voluit Ordinem commendare: *Mater omnium Ecclesiarum*, inquit, *est Romana, & domina omnium est Religionum. Vadam, & recommendabo Fratres meos sanctæ Ecclesiæ, cujus potentia virgâ percellantur malevoli, & filii Dei, in æternæ salutis augmentum, ubique plenâ gaudeant libertate. Recognoscant ex hoc filii, dulcia beneficia matris, & speciali devotione semper ipsius reverenda vestigia complectantur. Non erit, ipsâ protegente, in Ordinem malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunè.*

Ibid. n. 4. Romam deinde pergens, convênit Pontificem summum Honorium III. ad quem hujusmodi circa præsens negotium habuit sermonem: *Pater sanctè & Domine, vestra centinua cura, & incessabili sollicitudini, circa universam moderandam Ecclesiam, ego misellus & indignus servus, ex corde compatior; & cum timore ac verecundia accedo, quatenus cumque pro Minoribus vestris servulis, loqui aut intercedere oportet. Curat enim vestras, humilibus rebus nostris novi superiores, videoque præ foribus hereès, ac hujus sæculi locupletes, aliarumque Religionum vires graves & doctos, neque adeo facilem eis posse aditum patere, propter gravium, quæ Vestram Beatitudinem circumdant Christiana Reipub. negotiorum multitudinem. Nos ergo, omnibus viliores & contemptibiliores, quomodo audebimus pro rerum nostrarum opportunitate, aut necessitate, ad vestra penetralia ingressum attentare, qui & timemus verecundamurque, tamquam indigni, accedere ad ostium vestrum, & pulsare ad tabernacula Principum Christianorum. Quare Sanctitatem vestram supplex oro, ut Dominum hunc* (quia præsens aderat) *Cardinalem Ostiensem, nobis dignetur pro Papa & vice tua concedere, ut ad eum tempore necessitatis possimus recurrere; salvâ tamen semper & integrâ vestra præeminentiâ dignitatis.* Annuit humanissimè Pontifex Viri sancti precibus, & suam Cardinali concessit potestatem circa Minores, seriam adjungens commendationem, de fovendo & protegendo eorum Sodalitio.

Ibid. n. 6. Succedentes quoque Pontifices benignitate simili nobis de Protectoribus Cardinalibus providerunt. Fuerit autem operæ pretium hîc referre, quo affectu, quibusque circumstantiis amabilibus, id præstiterit Nicolaus III. dilector præcipuus Ordinis. Hic in præsentia Generalis & quorumdam Ministrorum Provincialium, munus protectionis committens D. Matthæo, S. Mariæ in porticu diacono Cardinali, intendens in eum, taliter exorsus est: *Ad te noster sermo dirigitur. Si beneficia quæ tibi provenerunt per Nos, recensere vellemus, invenientur magna, & utilia, & numerosa; sed in nullo, sicut existimo, dedibus tibi arrham vitæ æternæ, sicut in iste, quod modò præstamus. Damus enim tibi, quod introducat te in paradisum, scilicet suffragia omnium sanctorum Fratrum istius Ordinis. Damus tibi melius quod habemus; damus tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorum nostrorum.* Tuoc tanta cum iis verbis eliquata est amoris dulcedo è corde Pontificis, tanta ab oculis lacrymarum abundantia profluxit, tantus singultuum impetus prosilivit à pectore, ut quasi intercluso anhelitu, non solùm loqui non posset, sed nec tanti viri maturitas ab ejulatu vocem potuerit refrænare. Unde factum est, ut omnes qui aderant, laxatis lacrymarum rivulis, cum flente flerent, ejulantem cum ejulante, & non parvâ morâ temporis, cum tacente tacerent. Tandem, utcumque spiritibus quietatis, resumptâ voce, Pontifex ait: *Non possumus nos in hac materia dilatare, quia natura non patitur.* Ex extentâ mano, proprium annulum Cardinali, cum osculo manûs recipienti, porrexit, dicens: *Committimus Tibi Ordinem Fratrum Minorum*, & convertit se ad illa vocabula declaranda, quæ ponuntur in Regula, scilicet: *ut sit Gubernator, Protector & Corrector istius Fraternitatis*, & dixit: *Tuâ gubernatione Ordo non indiget, quia tot sapientibus & prudentibus personis abundat, quòd ad se gubernandum bene sufficit sibiipsi. Correctioni quoque, te non oportet insistere, quia inter Fratres res sunt taliter dispositæ, quòd in hac parte non videtur esse posse defectus: habent enim Guardianos; quòd si deficerent possunt recurrere ad Custodes, & à Custodibus ad Ministros, super quos est Minister Generalis, & adhuc Capitulum Generale. Itaque non est verisimile, apud eos, ea quæ correctione indigent, præterirî. Unum autem est, in quo tuo Patrocinio opus habet: sunt enim imbecilles, & pauperes, & multos habent frequenter, qui eos indebitè inquietant, quibus per se repugnare non possunt, & ideo indigent brachio & fortitudine Protectoris. Hoc est possissimum, in quo ipsis tua cura debet assistere.* Hæc & similia fecisse & dixisse Pontificem, refert Waddingus ex teste fide digno, qui toti interfuit actioni, eamque juxta modum præmemoratum scripto mandavit.

Cùm in cœlesti sit decretum consistorio, quoniam *omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, perspicuum est, quòd numquam in Ordine Seraphico deërit occasio persecutionis, dum non defuerit observantia pietatis. Contradicent interdum Principes sæculares, quibus invadentibus jura & Ecclesiasticam immunitatem, dum eorum noluerimus subscribere violentiæ, suos nobis favores & subsidia denegabunt. Potior erat olim à Clericis contradictio, qui gloriam suam, auctoritatem vel fortunas, ex nostris populo impensis servitiis, apprehendebant imminoi: atque utinam non etiam hodie ista perduret æmulatio, & conatus opprimendi Fratres, & à spirituali ministerio gregum suorum impediendi. Timuit etiam Franciscus, à contradictionibus atque dicteriis aliquorum Ordinem aliorum, quorum molestiæ tantò sunt intolerabiliores, & detractiones eorum credibiliores, quantò majori pollent auctoritate, & communiori sanctitatis opinione. In propriis quoque visceribus Ordinis multæ nasci poterant difficultates, in quibus nulla foret concordiæ spes, nisi aforis sequestri quidam & judices inter-

2. Tim. 3. vers. 12.

pervenirent. Sic Ordo pauperculus, generali subjacet plagæ, sub qua mundus gemit universus, bellorum nempe mutuorum & persecutionum, quas tempestuosus ille suscitat spiritus, qui primitùs Cain adversùs Abelem exstimulavit; invidensque vitæ nostræ perfectioni, utilem nostram operam in Dei cultu dilatando, satagit impedire.

Et quidem de regii muneris præcipuis partibus est, protegere Dei servos, immunesque servare, ut in pace reddentes vota, ad quæ obligantur, Deo valeant & saluti populi deservire. Vix tamen hinc sperari potest tutum undequaque præsidium, quoniam frequenter consiliariorum manus muneribus contingit impleri, quæ cùm nos pauperes dare non possimus, audire cogemur aliquando, quod cuidam per Poëtam dicitur: *Si nihil attuleris, ibis, Homere, foràs.* Si verò nos audiant interdum, & favores addicant, incertum est (his præsertim politicis temporibus) num corde cogitent, quod ore promittunt, & an in aula non sint potentiores adversariorum adulationes, quàm nostra simplicitas. Et ibi forsitan ideo auscultantur querelæ mutuæ Ecclesiasticorum, ut assuescant stare sæcularibus tribunalibus, sensimque suæ obliviscantur immunitatis. Irridentur interim illæ rixæ Religiosorum, & per lites, multæ evulgantur secretæ miseriæ, quibus offenduntur aulici, & universim ab omnibus Ecclesiasticis avertuntur. Demùm, qualiacumque sint Principum adjutoria, solùm particularia sunt, non universalia, cùm se potestas eorum non extendat ulteriùs: necessitates verò nostræ latiùs extenduntur, atque uniformi sunt curandæ remedio.

His de causis, consultiùs censuit Franciscus, universalem adire Principem, cujus est potestas amplior, nostrisque conformior causis, spiritualis nempe, pro solatio spiritualium personarum à Domino præparata. Ad summum, inquam, Pontificem, misit Ministros Generales & Provinciales, ut ubi vires propriæ industriæque non sufficiunt ad defendendum, gubernandum subditos, vel Ordinem ipsum, Sedis illius clementissimæ implorent auxilium. Quia tamen & in ipsa Romana Curia fallaciæ irrepunt, & munerum corruptiones, & præventiones, quæ fatigare possent prætendentes pro subsidiis Apostolicis, cælitùs admonitus fuit Vir Dei (ut suprà retulimus) à Summo Pontifice aliquem postulare Cardinalem, qui supremi illius Judicis nomine nostrum ageret Protectorem; quique compesceret Magnates, & Episcopos fortè, cum quibus propter timorem ac reverentiam, non decet nos in certamen venire: à quibus tamen sinistrè informatis vel affectis, vexatio quædam, pietatis impeditiva, vel privilegiorum necessariorum diminutio, immineret.

Gratiam debemus maximam Eminentissimis illis Dominis, quorum studio, charitate, & auctoritate sumus hactenùs conservati; & oportet nos jugiter præcavere, ne indiscretâ importunitate, umquam eorum abutamur bonitate atque facilitate, ad ineptas aliquas prætensiones, vel cum ordinati regiminis perturbatione. *Omnia*, inquit Apostolus, *honestè & secundùm ordinem fiant.* Cùm Fratres omnes ex 1. Cor. 14. vers. 40.
suæ professione Regulæ teneantur Ministris tam Provincialibus quàm Generalibus obedire, quibus incumbit scire Fratrum suorum necessitates, quid possint, quibus sint apti muniis, quas meriti castigationes, vel quibus præmiandi honoribus; non *secundùm ordinem* faceret subditus aliquis, qui ordinariæ directionis impatiens, non implorato primùm eorum Ministrorum obsequio, recurreret immediatè ad patrocinium Cardinalis, ibique molestis precibus, fictis humiliationibus, secretisque mendaciis vellet se munire illius auctoritate, ad legitima mandata Superiorum Ordinis illudenda. Quæ sanè nonnisi perturbationes & scandala plaustratim advehunt, extinguunt obedientiam, impiam statuunt libertatem, Rectores confundunt, portamque millenis aperiunt injustitiis. Displicent Deo ejusmodi subdolæ machinationes, quæ sub reformationis aliisque similibus prætextibus adornantur. Displicuerunt & Summis Pontificibus Gregorio XI. Sixto IV. Julio II. & Gregorio XIII. qui gravibus constitutionibus monuêre Protectores, ne talibus turbatoribus seditiosis, cum hujus sanctæ familiæ detrimento, se faciles exhiberent.

Porrò, si quandoque Cardinalis ipse in suo deficeret munere protegendi, neque nostras cordi sumeret necessitates; habemus protectores paratos in cœlis, ad quorum præsidia confugiamus. Ipse Franciscus primus est, & promptus ad suscipiendum apud Deum causam nostram, contra persecutores iniquos; neque nos in quibuscumque deseret necessitatibus. Cujus protectionis cœlestis, mirum apparuit argumentum anno Domini 1376. & severitas divinitùs exercita in Episcopum quemdam Ordinis adversarium. Quod legi potest apud Waddingum Tom. 4. Annalium Minorum, anno cit. num. 12. Vel in opere Hieronymi Plati de bono Status Relig. quod in omnium manibus est, lib. 1. cap. 33. propè finem. Ex quo Waddingus & alii transcripserunt.

TEXTUS & §. VI.

Ut semper subditi & subjecti pedibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

Seniores in Apocalypsi procidentes ante sedentem in throno, subjectionem adumbrant Christi Vicario exhibendam. Misera passi sunt detrimenta, tùm Hæretici, tùm indisciplinati Catholici, qui contra Sanctam illam Sedem se erexerunt. Franciscani debent semper ad pedes sedentis in illa manere subjecti, quibuscumque etiam recedentibus. Comparantur sexaginta fortissimis, qui ambiunt & custodiunt lectulum Salomonis. Præclarus discursus Alvari Pelagii, excitans ad Schisma cavendum in occurrentiis quibuscumque. Miserabilis casus aliquorum, adversùs summum Pontificem rebellantium.

APerto in cœlo ostio, vidit cælotum aquila B. Joannes, sedentem in throno, & in hujus circuitu viginti quatuor Seniores sedentes, qui *procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.* Quem locum Apocalypticum, sic noster Aureolus interpretatur, ut dicat Cælum hîc significare militantem Ecclesiam, in qua singulariter residet Deus, omnibus cæteris sectis & congregationibus reprobatis. Et *sedes posita in cœlo*, Sedem designabat Romanam, quæ principalis & caput est in Ecclesia, in qua Deus principaliter sedet. *Et in circuitu Sedis sedilia viginti quatuor*, universitatem denotabant Episcopalium sedium, in toto orbe existentium; & Seniores, sive Episcopi sedentes in eis *procidere* perhibentur *ante sedentem in throno*, pro eo quòd ipsi omnes vitæ suæ directionem doctrinamque, illius supremæ Sedis subjicere debeant Majestati. Ad Sedis ejusdem obedientiam & reverentiam, nos in hujus principio Regulæ S. P. N. voluit obligatos, tamquam ad primum sanctitatis elementum & rudimentum, quam velut pueri discere venimus; quorum prima est institutio, ut credant obediantque Magistro, seque ab eo in omnibus dirigi patiantur. Ne verò putaremus, nos provectiores effectos in cognitione exercitioque Sapientiæ, decursis jam undecim Capitulis Regulæ, velut totidem Classibus, hoc prædagogo non ampliùs indigere; in hoc Capitulo duodecimo, totius spiritalis studii consummativo, nos iterum commoniros voluit, *ut semper subditi* simus, *& subjecti ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, si non perdi velimus ac destrui, quidquid ante magnis laboribus acquisivimus.

Apoc. 4. vers. 10.

Aureolus in eum lo cum Apoc.

Notissimum est, quàm misera passi sint detrimenta omnes, qui ab hac Cathedra recedentes, sibi-met scholas instituerunt ad proprium sensum, qui obedire contempserunt huic divino throno, per Christum erecto & confirmato, & Spiritum sanctum alibi quàm in Apostolico quæsierunt cœnaculo. Sicut vidimus à prima hujus Cathedræ institutione semper suscitatos fuisse æmulos contumaces, qui ab ea quot potuerunt animas alienârunt, ita prævidebat Franciscus non defuturos sequentibus sæculis Antichristos, qui in eamdem conspirarent rebellionem; & novissimis hisce temporibus plùs quàm unquam sentimus, quot turmæ, quot regiones, quantoque furore defectionem secutæ sint Lutheranam, & quantis argumentis suam adornent impietatem.

Præter Hæreticos, non obscuræ prodeunt præparationes ad pessimum schisma, in ipsis Catholicis regionibus, è quibus nonnulli apertas conjectant à Sede Romana discessiones, & potestatis illius supremæ contemptum, quam impetunt indirectè, arrogantiores potestatis civilis assertores & assentatores, afflari spiritu Dathan & Abiron, nilque aliud expectautes quàm levem quampiam occasionem, quâ possint Papam indiscretionis insimulare, nimisque rigoris. Cæteras forsan hæreses abominantur, quia perspicuè mendaces apparent atque blasphemæ; in hac tamen sola obedientia sunt nimiùm delicati. Tangantur vel minimùm ab hac potestate, videbis eos confestim exilire, vociferari, & involare pungentem. Interim frustulatim semper aliquid de Ecclesiastica detruncant potestate, bella indicunt sub nomine materiæ Status, seque pro rebus suis temporalibus asserunt pugnare, salvâ Sedis ejusdem reverentiâ, donec eam tandem sub pedibus habeant, aut ejus saltem frænum excusserint. Hæc Mundus.

Nos autem, Fratres Minores, jugiter memoriâ teneamus sacram hanc nostræ Regulæ coronidem, quam ut anchoram collo nostro appendit Franciscus, ut nullis fluctibus tempestatum, ab hoc portu securissimo juraraque statione, quam S. Dei Ecclesiæ promisimus, dimoveamur. Cum viginti quatuor Senioribus Apocalypsis, procidamus *ante sedentem in*

Thro-

Throno, ejus pedibus subditi semper, atque subjecti. Discedant Reges, discedant Magistratus, Academiæ integræ, Episcopi, ipsique Cardinales, & integri populi cum Pastoribus suis, qui licitas clament, justas, & necessarias ejusmodi defectiones. Nos non credamus, non velimus hominibus placere nec formidare persecutiones, nec abduci plurimorum exemplis. In nobis inconcussa maneat ac fidelis ad matrem nostram dilectio atque obedientia, & aperta professio fidelitatis. Opponat se mundus universus huic throno, nos firmiter maneamus jacentes ante pedes sedentis in illo, & quantùm in nobis erit, ad illius armemur defensionem, eò fortiùs, quò plures insaniunt hostes. Nos de illis simus, de qoibus in Cantico legimus :

Cant. 3. vers. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiant, ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi : uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.*

Vanum eorum sese exhibuit noster Alvarus Pelagius, qui cùm in turbulentissima incidisset tempora, quibus Imperator obstrepebat Pontifici, & in Pseudo-Papam erexerat Petrum Corbarium, ex qua crudeli laceratione mundus gemebat universus, ipse planctum descripsit Ecclesiæ, & zelans pro Throno S. Petri veroque Pontifice, Joanne XXII. gladium strinxit acutæ suæ doctrinæ, in defensionem ejusdem.

Lib. 1. de planctu Ecclesiæ art. 70. Virum illum præclarissimum audiamus: *Agant quidquid volunt Summus Pontifex & alii Prælati Ecclesiarum, ab eorum tamen Obedientia recedendum non est. Unus est Ecclesiæ Sponsus & Christi Vicarius generalis, quem in terris nemo judicat, quia solus ipse factorum suorum indigaorum, si qua sint, Deum solum habet ultorem. Agat quidquid vult, dominus est, pater est, judex est. Occidat, & si occiderit me, in ipso sperabo. Anathematizet, persequatur; non fugio, nisi ad eum. Si Ecclesia humiliatur, ad cujus confugiemus auxilium? Ubi relinquemus gloriam nostram? Non recalcitro ei : extra eam non est gratia Dei, nec misericordia. Si (quod absit) injustè judicat, suffero : si justè, veniam peto. Interim non apostato, nec à petra recedo, ne ab ea collidar. Et quo irem? Ubi communicarem? Ubi viverem? Ubi salvarer? Extra Arcam, diluvium est : extra columbam, amaritudo est : extra hortum conclusum, divisio est : extra fontem, siccitas est : extra Bethleëm, quæ est domus panis, esuries est : extra dominam gentium, dura servitus est : absque tunica inconsutili, inscissâ, algesco frigore : membrum sum putridum & abscissum, si separer à capite : extra domum agnum non comedam: extra vineam Domini Sabaoth nec vinum compunctionis, nec vinum lætificans bibam. Reginam deauratam à dextris Christi, deauratam Ecclesiam intueor &c.*

Idem art. 66. Et articulo 66. *Columba est sinè felle & innocens : inimicis parcit, & eos cibat. Tota pulchra est, virtutibus & exemplis, vestita byssino candido & splendido, id est operibus justitiæ. Turtur pudica, castam generationem facit cum charitate. Una unius. Regina, vestita auro sapientiæ, & amoris: hortus conclusus, propositis virtutum continuatis : fons signatus, quasi de alio fonte non sit bibendum : perfecta Christi & electa : triclinium ejus : tabernaculum sanctificatum Altissimi : sedes Dei & Agni : arca sanctificationis : tunica inconsutilis, in se tota unita ; cujus domestici omnes vestiti sunt duplicibus, fide & opere. Mater libera : firma, sicut mons Sion : Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas : domus panis vivi : cœnaculum grande, in quo manducatur Pascha novum, extra quod agnus non comeditur, nec pedes animæ lavantur, neque pax vera datur, nec sermo Christi auditur, nec paraclitus promittitur, nec recipitur. Ista est fœderis arca : ista est Esther, decora nimis, flectens Regem ad misericordiam : Abigail prudens, antea male nupta Nabal : navicula Petri, ex qua prædicat Dominus : arca, continens granum, & paleas : cella vinaria : scala Jacob, per quam ascenditur in cœlum : arca Noe, per quam salvamur.*

Dernoye Medalla S. Evangelis.

Tandem ex his concludit Vir ille sapientissimus : *His commotus ad reverentiam illius, nolo ponere in cœlum os meum, nec eam blasphemare, nec ego bestia montem tangam : non mittam manum in Christum Domini, nec præcidam oram chlamydis potestatis ejus. Non opponam manum cum Oza arcæ inclinatæ, ad corrigendum Ecclesiasticum statum. Non detegam verenda patris mei, ne maledicar. Non persequar patrem meum cum Absalom. Non ero de generatione maledicentium patri & matri, ne morte moriar. Non ero contumax imperio patris mei, ne lapidibus obruar. Non murmurabo contra Moysen, si Æthiopissam admittat, ne leprâ percutiar. Nolo absorberi à terra, cum Nadab & Abiu schismaticis. Non transmigrabo in montem Gelboe, ubi nec ros, nec pluvia gratiæ descendit. Non mutemus fidem in idolum : non separemur ab ovili, ne errabundi pereamus : moriamur in nidulo nostro, nec derelinquamus locum nostrum.* Hæc & plura Alvarus, verè unus de sexaginta fortibus ad custodiendum & propugnandum lectulum Salomonis.

Hanc ergo Ecclesiam sibi Franciscus suisque invenit domum, & velut turtur nidum, ubi poneret pullos ; ab hac neutiquam recedamus, ne milvorum unguibus incidamus. Discesserunt aliqui, sed nonnisi dolores multos & infamiam reportàrunt. Talis fuit F. Helias, Annal. qui pro demeritis à Pontifice dejectus à Generalatu, ad Imperatorem profugit schismati- Tom. 1. an. 1244. num. 7. cum & excommunicatum, professi instituti immemor, factus apostata, & Ecclesiæ rebellis, qui fuerat S. Francisci socius, tot signorum, tantæque sanctitatis & obedientiæ ocularis testis, qui aliquamdiu vitæ rigore primis illis religionis columnis plurium opinione non inferior convixerat. In eum Innocentius IV. excommunicationis sententiam promulgavit, & contumacem, habitu Religionis, omnique privilegio clericali privatum fecit, ut compleretur de eo Sancti Patris prædictio (quòd foret extra ordinis habitum moriturus) cujus precibus & lacrymis, totque sanctorum Fratrum suffragiis, velut ovis aberrans, Ecclesiæ postliminio restitutus, prioris vitæ excessus sub mortem ama- Annal. rissimè luxit, communionemque promeruit. Tom. 3. Discessit etiam miserabili casu ab Ecclesia F. an. 1328. num. 19. Michaël Cæsenas, cum sequacibus suis, ex pertinaci defensione opinionis suæ, contra Joannem XXII. circa Christi nostrique Ordinis Paupertatem.

TEXTVS & §. VII.

Stabiles in Fide Catholica.

SVMMARIVM.

Locus Exodi elucidatus, & applicatus ad docendam Stabilitatem in Fide. Qualiter Dæmon ab initio machinatus fuerit divinæ Fidei corruptionem. Quinque occasiones, quæ faciunt sæculares in Fide instabiles. Aliæ sex, quæ specialiter convellunt Religiosos. Quàm constanter aliqui è nostris, inter hæreticorum persecutiones tenuerint stabilitatem in Fide. Alii item inter hæreticorum blanditias. De stabilitate in Fide inter secretas dæmonum tentationes.

Exodi 33. vers. 21. & 22. SUpplicante Moyse, ut faciem Domini conspicere mereretur, ajebat Dominus: *Est locus apud me, & stabis supra petram..... & videbis posteriora mea.* Locus qui apud Deum est, sancta Ecclesia est, Fideique petra. *Super hanc petram* qui stat, neque in peccatum cadit, vel si cadit, resurgit, *Dei videt posteriora*, id est gloriam æternam, quæ posterior est gratiâ, & cæteris hujus vitæ donis: quæque posteriùs datur post hanc vitam. Epist. 53. lib. 7. Sic D. Gregorius interpretatur: *Ad Moysen*, inquit, *dicit Dominus*: Est locus penès me, & stabis supra petram. *Est locus apud Deum, videlicet sancta Ecclesiæ unitas, in qua supra petram statur, dum confessionis ejus humiliter soliditas tenetur. De quo loco subjungitur*: Tunc videbis posteriora mea. *In Petra enim, id est in sancta Ecclesia stantes, Dei posteriora videbimus, quando jam ea quæ in fine promissa sunt, cælestis patriæ gaudia contemplabimur.* Itaque in hac fidei Petra, Ecclesiâ scilicet Romanâ stemus, in hac vivamus, in hac moriamur, quicumquè ad cœleste regnum cupimus pervenire. Ad illud dirigere volens filios suos Franciscus, Vir Catholicus & totus Apostolicus, textu præsenti commonet, ut secum persistant *stabiles in Fide Catholica.*

Sciens antiquus hostis, hujus operâ Fidei, cœli regnum hominibus aperiri, furore mirabili varia in eam bella commovit, ut eam averteret, aut tolleret ab hominum cordibus: suntque mirabilia, quæ hac in parte mundo intulit nocumenta. Primò se doctorem exhibuit morum atque religionis, & excæcatos infideles ac idololatras horrenda docuit & abominabilia. Illucescente postmodum veritate, tormentis & persecutionibus aggressus est annuntiatores verbi Dei, & susceptores. Cùmque non proficeret ei pagana crudelitas, errores hæresûm inspiravit Imperatoribus, viris doctis, & Episcopis, per quos fides fuit à simplici populo latissimè profligata. Insuper & fidelibus singularibus objicit schismata & blasphemias, quibus Dei Ecclesia miserè divexatur.

Deceptiones illas, suprema permittit & infinita Dei providentia, cujus solius donum est Fides, cujusque inscrutabili judicio non confertur aliquibus, & ab aliquibus aufertur. Cur infidelibus in tenebris natis & educatis numquam eluxerit veritatis radius, nullus tutò disquirit: secretis enim consiliis ducitur Deus, ne veritatem eis aperiat. Sed cur ab aliquibus jam illuminatis auferat regnum Dei, rationes multæ in propatulo sunt; aliquæ autem occultæ, veræ tamen & justæ. Aliæ in solis plerumque sæcularibus inveniuntur; aliæ in Religiosis. In omnibus autem, peccata gravissima præcedentia, viam sternunt ad hæresim, justumque provocant judicem, ut suam subtrahat lucem. *Hi resistunt veritati*, ait 2 Tim. 3. vers. 8.
Apostolus, *homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Et iterum: *Habens fidem & bonam conscientiam, quàm quidam repellentes, circa Fidem naufragaverunt.* 1. Tim. 1. vers. 19. Hi igitur, dum non vitant occasiones, quæ velut laquei sunt venatorum, capiuntur facilè, & capti difficillimè liberantur. Ut autem *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*; Prov. 1. vers. 17. sic speramus plures fore in cavendis periculis Fidei cautiores, si diaboli laqueos, quos hominibus in hac materia tendit, ob oculos proponamus.

Sæcularium laquei sunt. Primò, Timor perdendi bonorum temporalium possessiones. De quo D. Cyprianus, oculatus testis, enarrat indignabundè, lapsum frequentem frigidorum Catholicorum, *quos facultates suæ velut compedes ligaverunt, quibus virtus retardata est,* Lib. de Lapsis. *fides pressa, mens vincta & anima præclusa.* Secundò, Timor ab officiis, gradibus & magistratibus excidendi, nisi antiquam abjurent Religionem. Qui sanè potens est impulsus, ad ambitiosas, superbas, & vanas animas evertendum: & per quem multi nostris temporibus cecidêre. Tertiò Principis exemplum, aliam colentis Religionem, in subditis sæpenumero prævalet, dum vel ei placere contendunt in erroris similitudine; vel sibi persuadent erroneè, ipsum non nisi bene libratis rationibus veterem mutasse fidem. Eo modo

popu-

populos integros, velut irrationabilia pecora, abductos vidimus in pravitatem. Quartò, Curiositas audiendi conciones hæreticas, tamquam quid novum, capit incautos, dum audiunt Scripturarum acervos, egregiè fucata mendacia, & maximè acerbas Sacerdotum monachorumque sugillationes. Adjuvat ad credendum Pseudo-prædicantibus istis, si in factis verum videant, sintque notoria scandala Ecclesiasticorum, de quibus subdubitanter audierant. Facilè siquidem suspecta fiunt docentium dogmata, quorum vita infamis est ac inhonesta: nam quàmvis hæc non convincat Doctores erroris, ita tamen comparata est vulgarium mens, ut libenter repudiet eos; maximè, si non loquantur illis placentia. Denique novus etiam stimulus est ad abscedendum à fide, si ab Ecclesiasticis judicibus secundùm merita castigentur, si reprehendantur, si contradicatur iniquis postulatis eorum, seque contemptos existiment. Hinc insania quibusdam Regibus illapsa est, & asseclis eorum; quæ nondum in successoribus sanata est.

Præter has offensiones communes, aliæ sunt quibus irretiuntur Religiosi specialiter, ad deficiendum à Fide. Primò, studium libertatis & & emancipationis ab obedientia Superiorum, strictisque regulis Religionum. Deindè Castitatis impatientia, & irrequieta concupiscentia; si præsertim alicujus ardeant amore mulieris, quâ liberè frui non possint nisi in castris hæreticorum. Ista est communis lues, quæ integras quandoque communitates infecit. Tertiò, alios pellexit amor & memoria parentum & amicorum hæreticorum, quibus abesse, atque abhorreri, nimis durum eis videbatur: dumque parentes & cognatos plùs quàm propriam amârunt Religionem, obliti sunt animæ propriæ, atque ad primum venenatum lac redire non erubuerunt. Quartò, lectio librorum prohibitorum infatuavit alios, dum in eis argumenta viderunt quæ non poterant enodare, & mirati sunt eloquentiam, verisimilitudinē, & apparentiam dogmatum contrariorū, quæ cùm profundiùs imbibissent, nullis potuerunt eruditissimorum expositionibus dimoveri. Provideant itaque Superiores, ne libri tales relinquantur in Bibliothecis, ad quas ardentiùs fertur curiositas, quàm ad utiliores. Quintò, idem subière periculum, temerarii ad disputandum de materiis quas non intelligebant, & ad familiares admittendum conferentias cum colubris istis tortuosis, qui facilè circumplectuntur simplices, & stringunt & inficiunt; eos præsertim qui non veritatis zelo, animarumque convertendarum, ad hujusmodi descendunt colloquia; sed nescio quibus respectibus vanis, ostentationis doctrinæ, vel audientibus complacendi, vel quia delectantur in velitationibus istis, pugnisque verborum. Sextò, doctiores quàm plures fefellit præsumptio nimia de ingenio proprio, tuendarumque opinionum pertinacia: qui dum doceri ab aliis erubuerunt, in turpissimos impegerunt errores; à quibus, cum urgente Superbia recedere noluerunt, hæretici facti sunt.

Hi sunt nominatiores lapides offensionum, toto cavendi studio; ab iis præsertim, qui degunt in regionibus jam corruptis, in medio hæreticorum, iisque temporibus, quibus fervent controversiæ fidei. Meminerint illi positos se esse in medio populorum illorum, velut columnas firmissimas, quibus sæculares innixi, tueri se possint, ne violenter abstrahantur à fide: tantùm abest, ut semetipsos permittant averti. Talis debet omnibus esse animus, qualis B. Philippo Martyri, qui captus à Saracenis cum mille Christianis, omnes ad constantiam hortabatur. Igitur interrogati, num consentirent à Fide deficere? responderunt se eam tenere Fidem quam F. Philippus prædicabat, constanterque mortis sententiam exceperunt: Deo sic disponente, ut ille præclarus athleta ultimus servaretur, ad corroborandos cæteros, & præmittendos in cœlum. Cui tandem juncturæ manuum frustratim incisæ sunt, excoriatus deinde & linguâ truncatus, neque tamen à sua confessione desistens, demùm capite plexus est. Idem præstiterunt officium sexcentis commilitonibus Christianis F. Jacobus de Podio & F. Jeremias, quos totâ nocte in fide firmârant, quibus per martyrium consummatis, & ipsi excoriati sunt, deinde fustigari, & postremò ad locum cæterorum deducti, capite cæsi.

Anton. 3. part. tit. 14 cap. 3. § 3.

Annal. Tom. 2. an. 1266. num. 9.

Illustria fuère certamina, antiquis coæquanda martyriis, quæ de Franciscanis narrantur, qui per Saracenos & Turcas aliosque Hierosolymis, in Africa, Syria, Japonia, & Indiis, vitam potiùs, quàm fidem sibi eripi pertulerunt: quorum aliqui lentos ignes, excoriationes, cruces, lapides & gladios passi sunt. De quibus passim, Memorialia rerum, in Ordine nostro gestarum. Nec alii territi sunt longis teterrimisque carceribus, hastis, sclopetis, patibulis, ignibus, fame & siti, & inauditis tormentis aliis, quæ in Germania, Gallia, Belgio & Anglia, hæretica barbaries adinvenit. Quorum triumphi per Gonzagam, Chronica, aliosque abundanter enarrantur. Præter enumeratos agones, publicè vel privatim susceptos, gloriosâ quoque memoriâ digni sunt Fratres illi, qui tùm in germania, tùm in Anglia, perpetua maluerunt exilia sustinere, jacturam conventuum totiusque suppellectilis, quàm à divinis officiis Romano more, Missarumque celebrationibus abstinere, ritumque psallendi Lutheranum admittere. Alii in suis conventibus velut in custodiis conclusi, ad quos nemini dabatur accessus, pane per muros à residuis Catholicis projecto, victitabant. Inter quos, unus Magdeburgensis Guardianus, per decennium totum, ita solus in suo fuit coactus perdurare Conventu. Alii quidem exire permissi; sed per plateas cum ludibriis excepti, clamoribus, periculis capitis, quasi in civitatibus Turcicis habitarent, mille petulantiis puerorum & otiosorum expositi, ut saltem adhuc verum Dei cultum tuerentur ibidem, hæc pati maluerunt, quàm ad quietas Provincias emigrare.

Ex Archivio Convent Halberstadiensis.

Aliorum fuit periculosior lucta contra oblata delectamenta corporis, si vellent à fide Christi animam separare. In eum finem alicubi sunt solemnia tripudia in nostris refectoriis instituta, ubi filiæ nobiles, moniales apostatæ, & mali-

In Provincia Saxonia S. Crucis.

maritatæ, flosque juventutis congrebatur, cogebantutque Fratres omnes interesse, simulque epulati, ut recreationibus illis sensim enervarentur. Cùm enim viderent, eos neque terreri tormentis, oeque afflictionibus infirmati, (Act. 5. vers. 41.) qnin imò quòd *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, prout Apostolos fecisse sacra narrat Actorum historia; fortior eis visis est futurus iosultus, qui per favores adulatorios, mollitiem, carnique placentia tentaretur. Sed apud viros Dei spiritu plenos, contemptibilis est catnis delectatio: tantùmqne abest nt illâ capiantnr, quin potiùs fœtore ejusdem concipiant majorem sectæ illius abominationem, quæ nonnisi meretriciis ejusmodi tetibus animas venari conspicitur. Itaque, cum his omnibus athletis eximiis persistamus *stabiles in fide Catholica*, attendentes Apostolicæ monitioni: *Vos Fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. Crescite verò in gratia, & in cognitione Domini* (2. Petri 3. vers. 17.) *nostri & Salvatoris Jesu Christi.*

Præter exteroas illas contra fidem procellas, quæ tum à disputationibus, tum à minis & persecutionibus, tum à lenociniis suscitantur, alias struit secretas insidias Blasphemiæ spiritus, importunè suggerens argumenta contra catholicas veritates, si qoo modo valeant, intellectum saltem in dubitationem aliquam inclinare. His bellis etiam sanctissimi concutiuntur, dnmqne nil minùs cogitant. Commune consilium est, non contra ejusmodi phantasmata disputare. Multò minor est ratio, cum dæmooe, quàm cum hæretico homine de materiis fidei congrediendi. Primùm quidem, quoniam circa dæmonem nulla est spes eum convertendi; qni fructus spectatur in hnmanis ejusmodi disputationibus. Deinde, qnia maligni illi Spiritus subtiliores sunt & expeditiores, quàm quicomqne humanus aotagonista. Placeat igitur tibi monitom Sapientis Hebræi: *Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius. non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem. non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem* (Eccl. 8. vers. 1.) *ejus ligna.* Non admittamus adversarium nostrum diabolum insecreto mentis nostræ, ad confabulationes curiosas, & dubitativas, in materiis, quæ omnem superant humanum captum; sed cootra venenum illnd, antidotum adhibeamus, auream D. Gregorii sententiam, quæ jugitur deberet nostræ inhærere memoriæ. *Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* (Hom. 26. in Evangelia.)

TEXTVS & §. VIII.

Paupertatem & Humilitatem.

SVMMARIVM.

Christus in Evangelio Paupertatem conjunxit Humilitati. Probatio & testimonium Fidei nostræ, est cultus Paupertatis & Humilitatis. Cur eadem Beatitudo Pauperibus promissa per Christum, quæ Martyribus? Humilitate deficiente, destruit Superbia sanctitatem Paupertatis, cæterorumque operum in Regula præscriptorum. Vera Humilitas, arrha est electionis, beatæque prædestinationis.

Salvator noster Dominus Jesus Christus, Discipnlos suos volens ab avaritia, rerumque caducarum cupiditate, & sollicitudine revocare: (Lucæ 12. vers. 29.) *Nolite*, inquit, *quærere, quid manducetis aut quid bibatis; & nolite in sublime tolli.* Circa quem textum Expositores inquitunt, quænam sit ratio connexionis, cur ea posteriora verba; *nolite in sublime tolli*, connectere voluerit præcedentibus, de rerum terreoarum abuodantia fugienda? Cui quæstioni doctissimus respondet Bartadius, Christum hæc de Humilitate verba inseruisse reliquis, qnasi diceret: (Tom. 3. lib. 3. cap. 2.) *Ne quæratis quid manducetis & quid bibatis &c*; ne imitemini divites, qui abundantiâ & opibus in sublime tolluntur: sicut è conversò, Humilitas & abjectio, necessariæ ut plurimùm conjuogitur iodigentiæ. Hanc eamdem Evangelii methodum, in sua observavit Evangelica Regula, Vir Dei Franciscus, conjuoctim observandam tradens Discipulis suis *Paupertatem & Humilitatem.*

Hic est lapis lydins, ad quem dignoscenda est sinceritas Catbolicæ Fidei, quam nobis Pater Sanctus in præcedentibus tantoperè commendavit. Siquidem, si verè credimus, quòd Dominus Jesus sapientissimus fuerit Magister, & promissor fidelissimos, quòd potens suas servare pollicitationes, quòd justus ad reddendam iis mercedem, qui ei juxta suam servierint vocationem, & beneplacentes ipsius atque perfectas adimpleverint voluntates. Si vivaciter crediderimus, quòd beatos ipse pronontiaverit paupetes, & væ divitibos; nos toto corde sanctam amplectemur Paupertatem, nihil aliud, pro nomine ejus, in perpetuum, sub cœlo habere volentes. Profundissimam itidem sectabimur Humilitatem, audientes lectionem divini Magistri: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, (Matth. 11. vers. 29.) si Fidem habuerimus, in sanctis viventem operibus, Itaque præsenti Regulæ verbulo, convenit suorum conscientias filiorum, commonens eos quasi Apostolico oraculo: *Vosmet-* (2. Cor. 13. vers. 5.)

met - ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate: an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. Seriò vestri interioris hominis scrutatione, videte, num in vobis sit ea supereminens Fides, quæ vitos decet perfectionem virtutum omnium profitentes, & fortior quàm cæterorum omnium Christianorum: ab effectis & operibus illius vos probate. Numquid cognoscetis, quia Christus Jesus in vobis est per fidem, volens etiam in vobis habitare per dilectionem, suamque perfectissimam imitationem? Sic profectò cognoscetis; nisi fortè reprobi sitis, nondum intelligentes status vestri dignitatem & sanctitatem. Spero autem quòd cognoscetis, quia Franciscus & Ordo Seraphicus non sint reprobi, nec eâ destituti sapientiâ, quæ est ad placendum æterno Domino necessaria.

Hoc est testimonium, quòd Franciscani sint filii Dei, filii Francisci, & benedicti Ordinis filii, & non de numero adulterinorum, reproborum hujus Regulæ professorum, si Paupertatem observent & Humilitatem. Hi sunt veri Filii, & hæredes visceralium Francisci desideriorum, suique Ordinis ornamenta, fulcra virtutis avitæ, indubitati amici & domestici Dei, qui sibi victum elegit & convictum personarum mechanicarum, honesto labore necessaria conquirentium, & in omnibus necessitatibus suis rationabili parcimoniâ contentorum. His paucissimæ erunt reddendæ Judici rationes, regnumque cœlorum non inaniter promissum esse Pauperibus experientur. Rectè noster D. Bernardinus consideravit, his illud esse promissum æqualiter sicut Martyribus, pro Christo tolerantibus persecutionem. Primò, inquit, quia sicut homo per Persecutionem exit de mundo, ita etiam per Paupertatē. Secundò, quia voluntaria Paupertas quoddam genus martyrii est; quia extrà mundi punctionibus laceratur, & intùs à multis vexationibus stimulatur, ne quasi in luto, mundi delitiis, divitiis & magnificentiis requiescat. In hujus mysterium, pingitur Paupertas prostrata, intra spinarum sepem, vestibus laceratis, in capella supra altare S. Francisci Assysii. Quibus igitur indultum non fuerit ad Infideles ire, pro martyrio per gladium consequendo, in istis ambulent spinis Paupertatis, & per eam æquè sperent coronam regni, atque per ipsam sanguinis effusionem.

Tom. 3. serm. 3. art. 3 cap. 2 & Serm. 12. art. 3. cap. 3.

Humilitatis autem est major habenda sollicitudo; quoniam regnum non consequetur Pauper, si vacuus inveniatur Humilitate: atque hæc, non ita communiter voluntariam consequetur, sicut necessariam paupertatem; quin imò, contingere posset, quòd vel ex ipsa Evangelica paupertate occasio & materia sumeretur elationis. Miranda fuit S. Jobi patientissimi virtus, dicentis: Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Quam perpendens D. Gregorius Papa, ita desuper pro nostra moralizat instructione: Plerumque si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur; si nescimus, minimè servamus. Quis enim, aut de virtutis suæ conscientia, non quantulumcumque superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat quod ignorat? Sed contra utraque quid superest, nisi ut recta quæ agimus, agendo nesciamus? ut hæc recta æstimemus & minima, quatenus & ad custodiam sensificet animum sententia rectitudinis, & in timorem non elevet æstimatio minorationis..... Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ; qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumque propositæ utilitatis intentio ad studia privata deducitur, horrendo modo unum idemque opus culpa peragit quod virtus inchoavit..... Denique sæpè recta agimus, & nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus: sed tamen mens in sui fiducia erecta, hos à quibus nihil expetit, placere contendit; eorum judicia despicit, seque malè liberam per abrupta elationis rapit: & inde sub vitiis pejus obruitur, unde quasi devictus vitiis nullis se appetitionibus subjacere gloriatur. Tot tamque subtilibus anfractibus Superbia circuit, ut irrepat, & dissipet Humilitatem, omnemque boni operis fructum. Ne igitur tota hujus ædificii & Regulæ moles uno ruat momento, & ne tota desit vita bonorum operum, descriptorum in Expositione præsenti, neve tot laborum pereat fructus, in observatione Regulæ susceptorum, per pestilentis Superbiæ virus, semper sit nobis præ oculis cura singularis Humilitatis, & undecumque nobis ad majorem nostri despicientiam fuerit immissa occasio, hanc velut nostri accipiamus thesauri præsidium, eâque prudenter utamur ad spiritûs humiliationem.

Job. 9. vers. 21.

Lib. 9. moral. cap. 17.

Cap. 18.

Cap. 19.

Hæc nobis in arrham erit electionis, beatæque prædestinationis. Quis enim sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Ipse sanè est suscitans à terra inopem & de stercore elevans pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. Noster F. Andreas Vega, scribens super sacrosanctajdecreta Concilii Tridentini, & signa investigans divinæ prædestinationis, ait: Si aliquos videmus studio & affectu humiles, superiores omnes æstimantes, honores mundi ac prælationes fugientes, judicio majorum ac peritorum acquiescentes, de novissimo loco semper certantes, imbecillitatem suam & defectus agnoscentes, ac tandem se & sua omnia pro nihilo habentes, eos fore beatos jure conjiciamus. Scriptum siquidem est: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit suos oculos, Ipse salvabitur. Et hoc signum colligi potest, ex prima beatitudine, à Christo nobis præmonstrata, cùm dixit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sive enim pauperes spiritu intelligamus eos qui aliena voluntati se propter Christum subjiciunt, sive eos qui modestissimè de seipsis sentiunt, & insufficientes ex se, & nihil omninò se esse existimant; sive voluntarios pauperes, qui acceptant, tolerant, imò amant Paupertatem, omnia ista perfecta Humilitatis opera sunt, E quibus conjicere poteritis futuram æternæ felicitatis adeptionem. Si ita est, sicut est verè; quæ vita jucundior atque tranquillior, quàm quæ talis securitatis fiduciâ recreatur, suorumque laborum præmium, audit tam firmiter repromissum? Meritò dicat verus Frater Minor pauper & humilis: In pace in idipsum dormiam & requiescam; quoniam tu Domine singulariter in spe, constituisti me

Psal. 112. vers. 5. & 6. Vers. 7. Vers. 8.

In Concil. Trid. lib. 18 cap. 13.

Job. 22. vers. 29.

Matth. 5. vers. 3.

Psal. 4. vers. 9.

TEXTVS & §. IX.

Et ſanctum Evangeliũ Domini noſtri Jeſu Chriſti quod firmiter promiſimus obſervemus.

SVMMARIVM.

S. P. N. Franciſcus Angelo comparatus, quem vidit D. Joannes habentem Evangelium æternum. Promiſſam hujus Evangelii obſervantiam firmiter retinentibus, ſuam impertitur benedictionem: & negligentibus, maledictionem intentat. Evangelium eſt lex integra perfectæ honeſtatis. Ad ejus obſervantiam (quæ ardua eſt) commonet Minoritas Nicolaus III. luculentâ oratione. Apoſtrophe B. P. Franciſci ad Patrem cœleſtem, totius Operis concluſiva.

Apoc. 14. verſ. 6.

VIdit amicus Sponſi, Apoſtolus & Evangeliſta Joannes, in Apocalypſi, *Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.* Hunc Dei nuntium, amabilem Chriſto, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, ſervum Dei fuiſſe Franciſcum, probabili fide colligimus, ſi culmen in eo eximiæ ſanctitatis advertimus: quâ inter homines vivens, imitator fuit puritatis Angelicæ. Hunc poſitum perfecti Chriſti ſectatoribus in exemplum, *volantem* contemplati ſumus, in hoc opere, animo prorſùs à terrenis rebus & affectibus ſublevatum: *per medium cæli* Eccleſiæ, medium tenentem virtutis atque perfectionis: *habentem Evangelium æternum*, quoniam ipſe à Chriſto Seraphicam Regulam accipere meruit, quæ ipſa *Medulla Evangelii* eſt; præcipua enim ſacri Evangelii præcepta, *quantùm ad virtutum perfectionem omnimodam*, Vir ille ſanctiſſimus in hac Regula compilavit: *ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram*, ut hominibus, eatenus pacem habentibus in terrena ſubſtantia, formam tribueret Evangelicam in vivendo; ſuis præſertim Minoribus Fratribus, qui *primitivæ Eccleſiæ*, ut ait Cardinalis Jacobus à Vitriaco, *Religionem, paupertatem, & humilitatem, in ſe reformare diligenter procurant, puras Evangelici fontis aquas, cum ſiti & ardore ſpiritûs haurientes; quòd non ſolùm Evangelica præcepta, ſed & conſilia, vitam Apoſtolicam expreſſiùs imitantes, modis omnibus adimplere laborant.* Atque ita ipſi, Evangelicæ perfectionis profeſſores & præcones effecti, lucem debent evangelicam deportare, *ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam & populum.* Quod ut efficaciùs efficere valeamus, exemplo Chriſti, qui cœpit facere & docere, hîc nos de faciendo, contractâque commonet obligatione, ut nempe *ſanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus.*

D. Bonav. in cap. 10. Reg.

Jacob. à Vitri. in Hiſt. Occident. cap. 32.

Non ampliùs nobis libera ſunt, quæ ſub forma præcepti in Regulâ propoſitâ, ſemel voluntariè ſuſcepimus obſervanda, eaque nobis in legem fecimus perpetuam, voti ſolemnis ſacramento. Acceptata eſt promiſſio, ſimulque & nos acceptati ſumus, in familiares & honoratos amicos Dei, decorandi ſpecialis ſanctitatis ornatu. Illibatam à nobis expectant fidelitatem, cæteri omnes, tam militantes, quàm triumphantes ſervi ſummi Regis; ſolliciti ne quis noſtrûm ſuo muneri deſit, aut deflectat à nobili ac præcellenti gradu, quem ſumus adepti intuitu primævæ charitatis, & emanatæ à charitate profeſſionis. Illi verò potiſſimùm, perennem hanc à nobis expectant exoptantque fidelitatem, qui ſub eadem militia Minoritica, præclaris perfuncti laboribus, Domino placuerunt, vicerunt mundum, & coronati in cælis triumphatores exultant. Ipſe in primis noſtræ Seraphicæ militiæ Ductor, de cœlo proſpicit, ut videat, ſi ſatagant filii ſui *Sanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti firmiter obſervare.* Quos ubi invenerit, ampliſſimis cumulans benedictionibus dicit; *Benedicti vos à Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis oſtenditis, & vos in ſancta Evangelii obſervatione puros & ſinceros cuſtoditis: qui vos benedicit, à Domino benedicatur: qui vos fovet aut recipit, mercedem recipiat ſempiternam. Nullam in vobis Satan poteſtatem exerceat; ſupra id quod poteſtis, non tentet. Vobis ſuper illum & ſuos ſit imperandi facultas. Portas illius poſſidete, & diripite ſpolia. Patris vos adjuvet potentia, Filii vos dirigat ſapientia, & Spiritûs ſancti vos foveat clementia. Amen.*

Opuſc. Tom. 5. Bened. 3.

Væ autem, *illis, qui de ſola ſpecie Religioſæ converſationis ſibi plaudentes, inventi fuerint otioſi, non exercitantes ſe in operibus virtuoſis & via crucis, in pura obſervantia Evangelii, quod ex profeſſione tenentur ſimpliciter obſervare.* Ut hanc evadamus maledictionis comminationem, ſupradictamque promereri valeamus benedictionem, meminerimus ſemper nos ſanctum Domini noſtri Jeſu Chriſti Evangelium in vitæ noſtræ directorium elegiſſe; atque adeò ad illud eò magìs teneri, ſecundùm exigentiam noſtri ſtatûs, pluſquam cæteros Chriſtianos, quò per ſtatum perfectionis (quem aſſumpſimus in profeſſione) nos obtulimus Domino holocauſtum medullatum, per contemptum omnium mundanorum, & quò arctiùs Chriſti ſemitas cum Franciſco elegimus conſectandas.

Opuſc. Tom. 5. Collat. 25.

Evan-

Tom. 2. serm. proœm. art. 3. c. 3.

Evangelium siquidem, prout Sanctus dicit Bernardinus, *est lex integra perfecta honestatis, sola sine diminutione regulas & precepta omnia continens honestatis. Quia verò sola est virtutum omnium aggregatio, sive tota vera honestas, imo ipsa virtus honestatis interna, qua mentem humanam vestit atque venustat, manifestum est, quia ipsa est lex, veritas, & lex veritatis. Hæc autem est, qua mentem humanam suâ ipsâ veritate absque medio ordinat & bene constituit, efficitque instar civitatis, qua justissima & sanctissima legis institutis administratur. Hæc etiam est lex, cujus observantia exterioris conversationis decor est, & vera rectitudo.*

Porrò, quia magnæ molis est hujus Evangelicæ legis observatio, placet hic confratrum nostrorum animos ad eam excitare, per solemnem & amplissimam exhortationem, quam nobis omnibus fecit, amantissimus nostri Ordinis Nicolaus Papa III. in Epistola quam direxit ad Generale Capitulum Assisiense. *Convenientibus*, inquit, *vobis in unum, qui Christi pauperis paupertatis semitas, voluntarii effecti participes, delegistis, jam non est nisi qua Dei sunt constanter appetere, vias mandatorum ejus dilatato corde percurrere, primùm sequendo pauperem Franciscum, vestri Ordinis Plantatorem, qui mundi caduca respuens, mundum mundè pertransiens, mundo vivendo moriens, vixit Deo: qui vivens premium sibi vitæ æterna promeruit, & vobis vivendi regulam velut adoptionis filiis dereliquit, ut vos Christo junctius adjungeret, & hæres ejus effectus, vos Christo redderet coheredes. Hic est Ordo, quem Sponsus in Canticis geminando commemorans, bis hortum repetit, binum ejus fructum, contemplativum & activum patenter insinuans: bis conclusam sepem divinæ legis, & custodia angelicæ innuens, vel potiùs vallum prædictæ Regulæ, & specialem custodiam ipsius Ordinis, quam de ipso Romana gerit Ecclesia, manifestans. Hic est fons scientiarum fluenta scaturiens, signatus Paupertatis insignibus, & in suo primo Institutore, Christi stigmatibus insignitus. Propterea Ordinem ipsum, quem sic in domo Domini prælucere conspicimus, à nostris quasi primordiis sensibus nostris infiximus, in ejus affectione conrevimus, & tenerrime intrà præcordia nostra portamus, circa eum solicitudine vigilantes, Dignè igitur plénis in Domino gaudiis exultamus, dum vos illius sectatores inspicimus, qui delicias terrestres aspernans, asperitatis onera supportavit, ut inter electos Dei appareret prælucidus in excelsis, cujus vos Regulam profitentes, existitis eximii testimoniorum Domini sectatores: nec indignè lætamur, quod in vobis eadem delectatur Ecclesia, & in fragrantia vestrorum operum odorem suavitatis assumit. Nam super vos nomen Domini percipimus invocatum, & post vocem revocationis æternæ in regione vivorum vos sibi credimus placituros. O beata suavitas Paupertatis, quâ mundi derelictis illecebris, ad felicitatis gloriam pervenitur! O beata terrenarum deliciarum abjectio, quâ spiritus humilitatis reficitur gratiâ salutari, & tandem gratiâ ipsâ refecti coronam gloriæ promerentur!* Hæc piua ille Pater & Sanctissimus Dominus, existimans virtutes illas in nobis reperiri, quæ numquam deberent abesse.

Annal. Tom. 2. an. 1279. num. 8.

Cant. 4. vers. 12.

Pro hujus demùm totius operis complemento, liceat nobis Seraphicum nostrum Patriarcham inducere, ad Patrem cœlestem cum simili loquentem confidentia, suosque discipulos commendantem, cum quali Dominus Jesus commendavit suos, discedens ex hoc mundo ad Patrem. Transsumptâ igitur Christi ad Patrem apostrophe, sic eum videor audire loquentem: Ego parvulus tuus Franciscus, Te clarificavi, sicut potui, super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem, ponendo in Ecclesia tua hunc Ordinem, militumque tuorum exercitum. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti instruendos, fovendos, & consolandos. Et sermonem tuum servaverunt, abnegando mundum & semetipsos. Nunc cognoverunt, quia quæ dedisti mihi abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt, quia à te missus sum, ad viam crucis tui benedicti Filii renovandam. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, nec pro mundanis fratribus, ut suis potiantur desideriis indiscretis; sed pro his quos dedisti mihi, conformes votis meis, & paternis monitionibus obedientes, quia illi tui sunt. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis, velut fidelibus meæ paupertatis humilitatisque custodibus. Et jam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, inter hostes medios atque tentationes; ego autem jam ad te vêni. Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos per intimam dilectionem. Cùm essem cum eis, ego servabam eos, in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, quantùm in me fuit, & nemo ex eis periit per meam incuriam. Quidam perditionis filii, propriâ pervicaciâ perierunt. Nunc autem ad te pervêni, & loquor in cœlo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis, nisi enim & ipsi amentur à te, & impleantur gratiâ ad servandum sua vota, quasi incompletum est gaudium meum. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos contemptui habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non fui de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, & pro eis ego sanctificavi meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in te, ut omnes sint unius fidei atque dilectionis. Ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, omnia operans & consummans. Pater, quos dedisti mihi, rogo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante hujus Ordinis constitutionem. Pater juste, mundus te tunc vix cognovit; ego autem cognovi te, per misericordiam tuam: & hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis, & nos omnes in te, qui es beatitudo, gaudium, gloria, & finis noster, qui es Deus super omnia & in omnibus benedictus in sæcula. Amen.

Joan. 17. vers. 4. &c.

Apostrophe conclusiva S. P. N. Francisci ad Deum Patrem Omnipotentem.

FINIS.

I N D E X

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

Quæ in hoc Volumine exponuntur, vel pro confirmandis doctrinis moralibus allegantur.

Primus numerus paginam denotat; secundus columnam.

GENESIS.

E X O D U S.

L E V I T I C U S.

N U M E R I.

 23. *Misit*

RUTH.

I. REGUM.

II. REGUM.

Cap. 15. 16.

III. REGUM.

IV. REGUM.

I. PARALIPOMENON.

II. PARALIPOMEMON.

I. ESDRÆ.

II. ESDRÆ.

TOBIAS.

JUDITH.

ESTHER.

JOB.

LIBER PSALMORUM.

131. *Os*

PROVERBIA.

ECCLE-

ECCESIASTES.

CANTICA.

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICUS.

Cap. 10. 9.

I S A I A S.

J E R E M I A S.

Cap. 48. 10.

DANIEL.

OSEAS.

AMOS.

JONAS.

MICHÆAS.

NAHUM.

HABACUC.

ZACHARIAS.

MA

MALACHIAS.

I. MACHABÆORUM.

II. MACHABÆORUM.

MATTHÆUS.

59

M A R C U S.

L U C A S.

12. *Inji-*

ACTA APOSTOLORUM.

AD

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

Cap. 6. 1. *Hor-*

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

AD THESSALONICENSES I.

AD THESSALONICENSES II.

AD TIMOTHEUM I.

AD TIMOTHEUM II.

AD TITUM.

AD PHILEMONEM.

AD HEBRÆOS.

EPISTOLA S. JACOBI.

I. S. PETRI.

II. S. PETRI.

I. S. JO.

I. S. JOANNIS.

III. S. JOANNIS.

S. JUDÆ.

APOCALYPSIS S. JOANNIS.

F I N I S.

INDEX CON-

INDEX
CONCIONATORIUS
Ad formandas Conciones, pro Dominicis Festisque totius Anni.

STUDIOSE PRÆDICATOR.

Quoniam præsens Opus refertum est materiâ prædicabili, sive doctrinis moralibus Virtutum & Vitiorum, Pœnarumque & Gloriæ (quas populo esse declamandas Sacrum præscripsit Concilium Tridentinum) quæ doctrinæ hic dilucidantur figuris S. Scripturæ, Sententiis SS. Patrum, & Historiis exquisitis: hinc est quòd Tuæ consulere volentes utilitati, hunc Indicem duximus corpori Voluminis annectendum, qui quasi totius Operis nucleus *est, ad usum Concionatorum expeditissimum, accommodatus. Volve, & revolve, & declama ad utilitatem & ædificationem populi. Quòd si quædam insuper pro tua personali desideras instructione ad excellentissimum Prædicationis munus convenienter obeundum, vide quæ ponuntur inferiùs à folio 373. usque ad 423. Quorum servatis præscriptis, haud dubiè Tibi proficies, & Auditorio.*

Concil. Trident. Sess. 5. Decreto de Reform. cap. 2.

AD CONCIONES DE TEMPORE.

Primus numerus paginam designat, secundus columnam. Signum O, denotat toto Paragrapho tractari materiam indicatam.

Inimi-

Inimicus homo hoc fecit.

Dæmon odium gerit immortale adversùs humanum genus 295. 2. *Hoc fecit*, nempe multiplex malum, humanæ salutis impeditivum. Tentationis latens venenum suadet non aperire medico spirituali. 283. 2. 303. 2. Auctor est dissensionis. 354. 1. Nititur Dei amicos in orationis exercitio perturbare. 501. 2.

Vis, imus, & colligimus ea?

Tenenda cuicumque Superiori longanimitas erga subditos delinquentes. 320. 1. Ne indiscreto & præpostero zelo obsint correctioni potiùs, quàm eamdem promoveant. 320. 2. 309. 1. 2. Nec de quibuscumque desperandum. 305. 2. 306. 1. Zeli indiscreti incommoda. 399. 2. 430. 1. 441. 1. 2. 464. 1. 2. 522. 2.

Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum.

Præmonet Dominus, inquit Guido, ne ubi quid ambignum est, citò sententiam proferamus. 427. 2. 428. 1. 2. Sed Deo judicii terminum reservemus, ut cùm venerit judicii extremi dies, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de cœtu Sanctorum ejiciat. 112. O. 114. O. 161. O. Cavendum in primis judicium temerarium de insufficientiis Prælatorum. 361. O. 457. O. 475. 1. 2.

Sinite utraque crescere usque ad messem.

Mirum, quòd prohibeat Dominus eradicari zizania, cùm adeò nociva sint atque damnosa. Mysterium illius notat Oleaster in cap. 8. Genes. *Per triticum enim, ait, justi intelliguntur, per zizania peccatores; hos igitur non punit & castigat propter justos, inter illos commorantes.* Agunt igitur imprudenter & præter divinæ Sapientiæ normam, qui repertis quibusdam in aliqua communitate imperfectionibus, mox ab ea se cupiunt separare. 96. 1. 2. 168. 2. 282. 1. 2. 474. 2. 475. Manendo cum eis, forsan mali convertentur, eorum bonæ conversationis exemplo. 4. 2. 5. 1. & 2. 168. 2. 169. 2. 170. 1. 344. 1. 556. 1. Datur etiam bonis, dum manent permixti malis, patientiæ meritum, & cujusdam quasi martyrii species. 507. 2. 508. 1. 2. 520. 2. 521.

DOMINICA VI. POST EPIPH. Matth. 13.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.

Videlicet homini acri, qui cùm ostendit & exhibet acrimoniam, cibum condit, eique bonum dat saporem. Pari modo & Tu, cùm in corripiendo proximũ rigorem ostendis, utaris quoque suavitate & benignitate, necesse est. De zeli rigore & acrimonia. 312. 1. 379. 1. De benignitatis & misericordiæ temperamento. 312 2 313. 1. 428. 2. 429. 1. 2. 440. O.

Quod minimum est omnibus seminibus.

Per Granum Sinapis, hic aliqui Christum intelligunt, qui se vocat *Regnum cælorum*, quia omnes eorum divitias continet. Ipsum habemus minimum, in carnis assumptione. 416. 2. 417. 1. 2. In Passionis perpessione. 417. 2. In arctitudine Sacramentalis Euchatistiæ. 130. 1. 2.

Fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.

Id est Angeli sancti, qui ad consolationem humilium descendunt. Ita exponit Glossa ordinaria. Sanctorum Angelorum obsequia hominibus præstita. 224. 2. 227. 2. 228. 445. 1. 474. 1.

Simile est regnum cælorum fermento.

Rei tam abjectæ, ut fermento, comparat Christus rem tam magnam, ut regnum cœlorum, utque intelligamus, humiliat Dominus stylum suum: & simili tam domestico, ut fermento, quod ancilla gestat in manibus, declarat duo suprema mysteria Fidei, suæ nimirum Incarnationis, quâ assumpsit carnem nostram, condiens eam suâ divinitate tamquam fermento: & SS. Sacramenti Eucharistiæ, in quo de carne sua fermentum facit, ad condiendam massam indigestam carnis nostræ. Quo facto, Concionatores erudit, ne sublimia prædicent supra populi captum. 414. O. Sed magìs moralia & catechistica. 396. 1. 2. 415. 1. 2.

Quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus.

Farinæ sata tria, quæ mulier accipit, sive pœnitens anima, possunt intelligi tres Pœnitentiæ partes, Contritio, Confessio & Satisfactio, quæ fermentantur regno cœlorum; hoc enim acquiritur Pœnitentiâ, sicut scriptum est: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* 304 1. 2. 305. De confessione. 302. O. 304. O. De Contritione. 316. 317. De satisfactione. 307 O.

DOMINICA SEPTUAG. Matth. 20.

Exiit primò manè conducere operarios.

Ecce Vigilantia Patrisfamilias atque Prælati. 335. 1. 2. 336. 1. 2. 337. 1. 390. 1. 407. 2. 413. 2. 425. O.

Quod justum fuerit, dabo vobis.

Beatitudo æterna tam immensum est bonum, ut nec verbis valeat explicari. Hujus propositio vehementissimum est allectivum fideliter operandi in vinea Domini. 411. O.

Voca operarios, & redde illis mercedem.

Operandi sedulitas commendata. 205. O. 208. O. 215. 1. 2.

Murmurabant adversùs patremfamilias.

Murmurandi pruritus adversus Rectores frequentissimus est. 362. 1. 2. 363. Quàm noxium sit vitium. 490. 2. 491. Modus traditur ipsum extinguendi. 490. 1. 2. Quomodo retinendus animus inter audiendum murmura. 491. 2. Et qualiter pro defensione proximi erit auditis murmurationibus occurrendum. *Ibid.* & 492. 1.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt.

Qui totâ die fuerunt otiosi? Fures & latrones, inquit Chrysost. *hom. 3. Oper. imperf.* qui unâ horâ laborando in confessione suorum delictorum, aut alio opere eximiæ charitatis, regni cœlestis denarium acceperunt. 253. 2. 254. 1. 402. 2. Idem est judicium de Apostatis aliisque criminosis. 305. 2. 306. 1. Nemo tamen ex consideratione salvationis talium aliquorum, differat pœnitentiam agere. 305. 1. 2. 306. 307.

An oculus tuus nequam est? &c.

Eruamus oculum nequam judicii temerarii, & assumamus oculos columbarum, quibus omnia proximorum facta in meliorem partem interpretemur. 161. O. 457. 2. 475. 1. 2. 490. 1. 2. 548. 1. 2.

Multi sunt vocati, pauci vero electi.

Quædam recensentur signa divinæ prædestinationis. 162. 2. 166 1. 2. 340. 2.

DOMINICA SEXAGESIMÆ. Lucæ 8.

Exiit, qui seminat, seminare semen suum.

PRo bujus loci explicatione pulchram adducit Guido similitudinem & doctrinam. Quemadmodum, inquit, seminator hic non discernit campum, sed simpliciter & sinè dijudicatione semina mittit, non obstante terræ defectu, petræ duritie, spinarumque abundantiâ: sic docetur paterfamilias & quicumque Superior non cessare à benefaciendo subditis ob eorum-

solis

solis lapidibus, sine consolatione, eum solis tribulatrinnibus vivere; quodque Deus curam non habeat sibi servieutium. 54. 2. 55. 1. 2. 124. 1. 142. 1. 2. 143. 1. 2. 204. 2. 205. 1. 254. O. 255. 2. 256. 252. 1. 267. 2. 268 275. 1. 2. 276. 358. 2.

Iterum assumpsit eum diabolus.

Videns se victum, non cessat tameo, sed resumit tentationem: si fortè valeat iteratis vicibus irretire peccato. Quantò plus debet curator animarum insistere ad corrigendum obstinatissimum peccatorem? præsertim, cùm licet nihil efficias, equidem mereatis ex labore. 313. O. 315. 1. 2. 401. 2. 402, 1. 404. 2, 423. 2,

Iterum assumpsit eum diabolus.

Nunquam itaque securum te reputes, etiam post victorias. 295. 1. 2.

Ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.

S. Lucas ait ostendisse hæc omnia *in momento.* Per quod monstratur, quòd omnes illæ celsitudines & gloriæ mundi, dentur amatoribus earum solùm quasi ad momentaneam possessionem. *Transit mundus & concupiscentia ejus.* 279. 1.

Tunc reliquit eum diabolus &c.

Præmium victoriæ super diabolum est, ipsum habere subjectum. 296. 2. 297. 1. 2.

Et ecce accesserunt Angeli, & ministrabant ei.

Ita quoque servis Dei, divino intendentibus obsequio, quandoque ministrârunt Angeli. 224. 1. 2.

Immo & dæmones, ex imperio Dei. 55. 1. 2. 297. 1. 2. 340. 1. 2.

DOMINICA II. QUADRAG. Matth. 17.

Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum & Joannem, & duxit illos in montem excelsum seorsum.

SEcessus ad solitudinem est necessarius animæ, quæ à Deo cupit illuminari. 95. 2. 2. 218. 2.

In primis verò iis quandoque expedit, qui culturæ vacant animarum. 202. 1. 2. 385. 2. 386, 1.

Transfiguratus est ante eos.

Sub oratione nimirum, prout meminit Lucas, dicens: *Dum oraret, factu est species vultus ejus altera.* Sic oratio facit nos in Spiritum Domini transformari. 495. 1. 2.

Transfiguratus est.

Concionator Evangelicus, nihil humanum quodammodo sapiat, sed quasi transformatus in Christum, fiat totus cœlestis. 416. 1, 2.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias.

Singulariter apparuerunt hi duo, quibus Dominus aliquid istius gloriæ communicaret; quia isti fuerunt magni pœnitentes & singulares jejunatores: talibus enim ampliores consolationes impendere solet. 142. 1. 2. 143. 1. 2.

Apparuerunt illis Moyses & Elias.

Unus lenis, & alter severus, ut doceantur Apostoli lenitatem cum severitate conjungere in regimine subditorum. Lenitas docetur. 172. 2. 309. O. 318 O. 438. O. Severitas. 436. 1. 2. Utriusque conjunctio. 429 2. 439. 1. 440.

Et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Lucæ. 9. 32.

S. Chrysost. hom. 62. in Matth. legit. *Loquebantur de gloria, quam completurus erat in Jerusalem, cruce nimirum & passione.* Datque rationem, quia Christus mortem suam vocabat gloriam suam & exaltationem: *Oportet exaltari filium hominis.* Quem modum loquendi tenuit etiam S. Joann. in Evangel.

Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus, mortuus nimirum in cruce: Ex hac enim ad regalem pervenit gloriam. 67. 1. 264. 2. 266. 1. 265. 1. 2 5. 1. 2.

Respondens Petrus dixit: .... Faciamus tria tabernacula &c. Non enim sciebat, quid diceret. Marci 9. 5.

Dicitur nescisse, quid diceret, Primò, quia faciendo tria tabernacula divisionem introducebat, debet autem Unitas esse inter Christi discipulos. Secundò, quia nomen habens Apostoli nolebat nomini conformare vitam: nam Apostolorum est docendo per mundum discurrere, non in sua residere commoditate. 374 1. 2. 425. 1. 2. 426. 1, 2. Vita nomini status conformanda. 3. 1. 2. *sub.fin.* 4. 1, 390. 1. 407. 2. 413. 2. Tertiò, quia cùm Religiosus esset, debebat de terra sua & cognatione exire, quod non faceret, si in Judæa maneret, in monte Thabor. 157. 1. 2. 551. 1.

Denique, quia non nisi per tribulationes acquiritur beatitudo, & nondum perpessus erat Petrus. 67. 1. 264. 2, 265. 1. 2. 266. 1.

Præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, &c.

Gratiæ datæ de cœlo conservandæ sub humilitatis custodia. 221. 1. Ne vanæ gloriæ vento proripiantur, 394. 2. 395. 1. 2. 47 . O.

DOMINICA III. QUADRAG. Lucæ 11.

Erat Jesus ejiciens dæmonium.

VErbum *ejiciens* denotat actionem perseverantis: & sic debemus semper versari in ejectione dæmonum & vitiorum, nec unquam à talibus feriari 400. O. 434. O. Otium enim est reliquorum vitiorum seminarium. 215. O.

Et illud erat mutum.

Evangelista repræsentat nobis, ut quid singulare, hunc energumenum, quem dæmon faciebat mutum; plura enim dæmonia homines reddunt loquaces detractionum, murmurationum &c. 487. O. 489. O. Mutum autem est dæmonium & mutum facit hominem, dum est obligatio confitendi peccata. 504 O. denuntiandi defectus in Visitationibus, &c. 430. 2.

Et cùm ejecisset dæmonium, locutus est mutus.

Tolle peccatum, dæmonium ejice, & tolletur afflictio ad ejiciendum peccatum inflicta. 308 2. Quemadmodum ejecto dente putrido cessat dolor: 439. 1. 2. Jonâ projecto in mare, cessavit tempestas. 427. 2. 428. 1. 2.

Quidam ex ipsis dixerunt: in Beelzebub &c.

In hos habebant potestatem dæmones pejores, Invidiæ scilicet, quæ pessimum dæmonium est, quia pessimè torquet. 480. O. 481. 1. Remedium ad ipsius eliminationem. 482. 2

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.

Ideo lites & contentiones in communitate in primis cavendæ. 111. 2. 112. 1. 159. O. 183. 2. 184. 1. 281. 1. 2 Pro divisione in congregatione cavenda aptior est forma regiminis monarchici. 328. O.

Si in digito Dei ejicio dæmonia.

Hoc est in Spiritu Dei; qui prædicatores orare, amare, &c. docet, quibus modis plus quàm eloquentiâ animæ convertuntur. 385. 1. 2, 386. 1.

DOMINICA IV. QUADRAG. Joan. 6.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, &c.

VIdebatur ibi pastus multitudini defuturus, ita procul ab urbibus; sed quærentibus justitiam,

am, nihil deest. 54. 2. 55. 1. 124. 1. 241. 1. 2. 252. 1. 255. 1. 2. 256. 1. 267. 2. 268. 1. 275. 1. 2. 276. 1. 277. 278. O. 358. 2.

Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.

Infirmos lenissimè curabat, miraculis videlicet; & ideo sequebatur eum multitudo magna, quia lenitate attrahuntur subditi mirum in modum. 440. 2. 441. 1.

Misereor super turbam.

Nimirum quia habet viscera misericordiæ, non possunt miseriæ nostræ ejus viscera non lancinarè. Similia nos induamus viscera erga proximos indigentes. 56. O. 59. 1. 2. 60. 1. 266. 2. 267. 1. Et infirmos. 194. O. 288. O. 291. O.

Dixit ad Philippum: Unde ememus panes?

Consulit, quamvis opus non esset: ut nos, quibus opus est, doceamur aliorum requirere placitum in rebus dubiis. 359. 2. 360. 1. 2. Mali consiliarii Principum sunt corruptela regiminis. 448. 1. 2

Ut manducent hi.

Optima ratio; curam habent illi de me, suisque in sequendo voluntatem testantur; ratio suadet, ut eorum ego curam suscipiam. 124. 1. 197. 1. 2. Non timendum ergone de Dei famulis necessaria desint. 241. 1. 2. 267. 2. 268.

Ut manducent hi.

Non dicit: ut manducem ego, ad quod sufficere poterant bordeacei panes, qui erant ad manum; sed *ut manducent hi*, sollicitam habens curam pro suis sequacibus, per quod formam præbet Prælatis. 199. 1. 2. 200. 1. 337. 1. 2. 363. 2. 364. 473. 1. 2. 474. 1. Inconvenientia quàm plurima oriuntur, si Prælatus non provideat necessitatibus subditorum. 200. 2.

Hoc autem dicebat, tentans eum.

Tentat frequenter Deus, ut homines nos-ipsos cognoscamus, nec nostris viribus nimiùm confidamus. 67. 1. 2. 117. 1. 2.

Voluit etiam fiduciam explorare discipuli, & an confideret, eos qui propter amorem Christi domum suam reliquissent, divinis non esse fraudandos subsidiis. 54. 2. 55. 1. 2. 278. 1. 2.

Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, &c.

Pecuniarum providentia minùs sufficit ad providendum necessitatibus nostris, quàm confidentia in Deum. 190. 2. 191. Mala plurima ex pecuniarum concupiscentia generantur. 189. O. Generosi contemptores pecuniarum, etiam in temporalibus benedicuntur à Deo. 204. 2. 205.

Impleti sunt.

Liquidò constat hos cibos esse datos à Deo, quia mundi fercula non implent, cùm sint Vanitas vanitatum. 279. 1. 477. 1.

Ut viderunt quod fecit Jesus signum, dicebant: quia hic est verè Propheta.

Doctior erat turba hæc in SS. litteris quàm Scribæ & Pharisæi, quandoquidem cognoverint, quòd signa quæ faciebat Christus, in subsidium indigentium redundabant, nam illa erant, quæ de ipso Prophetæ expresserant. Porrò Scribæ & Pharisæi signa petebant in aëre, quæ non commodum populi parerent, sed admirationem. Nos Christi imitatione dirigamus exercitium prædicationis &c. non ad plausum, sed ad utilitatem & ædificationem populi. 111. 2. 394. O. 397. O. 478. 1. 2. 479. 1.

Cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit.

Ejus imitatione declinandi honores mundi. 173. O. 174. 2. 544. 2. Meritò quoque regium declinat fastum, quia misera est Prælatorum conditio, quibus nulla conceditur requies. 362. 2. 433. 2. 452. 2. 453. 1. 2. 490. 2. 491. 1. Et periculosa propter curam animarum. 251. 1. 2. 453. 1. 2.

DOMINICA V. IN PASSIONE. Joan. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Sanctificationis minister, ut efficaciter possit à peccato alterum emundare, curet ipse primitùs vitam irreprehensibilem exhibere. 379. 1. 2. 380. O. 391. O. 525. 2. 526. 536. 1. 2.

Qui ex Deo est, verba Dei audit.

Audire verbum Dei, est ipsum observare. 10. O. 574. O.

Samaritanus es tu?

Hæc erat apud Judæos gravissima calumnia, ut quis diceretur Samaritanus, quia Samaritanos habebant ut populum maximè perditum, mundoque contemptibilem. Et nihilominus esse non negat Dominus: imò potiùs Samaritano se comparat, qui vulnerato succurrit ab Jerusalem in Jericho descendenti. Hinc discamus contemnere & despicere nos-metipsos. 118. O.

Ego dæmonium non habeo.

Attende mansuetudinem Salvatoris, quàm miti responsione ad atrocissimam respondeat contumeliam exemplo docens, quod consuluit Spiritus Sanctus: *Ne succendas carbones hominis peccatoris*; dum enim ignescit carbo, si in eum sufflaveris, vehementiùs incendes: *Sermo autem mollis frangit iram.* 318. O. 320. 1. 2. 321. O. 505. 506. O.

Ego gloriam meam non quæro.

Ecce tibi fidelissimum legatum, qui non quærit gloriam suam, sed totus incumbit consulendo bonori ejus à quo mittitur. 412. 2. 413. 1.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

Inanis vanæ gloriæ cavenda, potissimùm perfectionis professoribus, & quænam contra eam remedia supperant. 478. O.

Tulerunt lapides ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se.

Suam prodit sapientiam & prudentiam iræ cedens & furori, cùm tamen ipsi suppeteret omnipotentia ipsorum insaniam illicò castigandi. Hoc exemplo discat Prælatus differre punitionem, donec deferbuerit turbatio delinquentis. 441. 1. 2.

DOMINICA PALMARUM, Matth. 21.

Cùm appropinquasset Jesus Jerosolymis & venisset, &c.

Non trahitur ad mortem; sed ipse venit voluntariâ electione oblatus, quia ipse voluit: ut nos eo facto moneret, sacrificium spontaneæ oblationis Deo gratius esse. 29. 1. 2.

Misit duos discipulos suos.

Ut commendaret concordiam fratrum. 6. 1. 2. 7. 1. 2. Ea efficitur operatione Spiritûs sancti. 354. 1. 2. Adumbratur per duos Cherubin super propitiatorium positos. 376. 2. Nullis de causis scindenda est ea unitas animorum. 111. 2. 112. 1. 280. O. Qualiter obortæ controversiæ componendæ. 329. 1.

Invenietis asinam alligatam.

Non equum requirit phaleris insignem, quia Apostolici viri humilem præeligunt vecturam, dum necessarium habuerint usum illius. 181. O.

Solvite, & adducite mihi.

Per asinam alligatam mysticè potest peccator intelligi, comparatus jumentis insipientibus; hunc solvere à via-

vinculis peccatorum, opus est virorum Apostolicorum. 419.2.420.1. Quantæ sit excellentiæ. 419.1. Zelus quorumdam Sanctorum in eo munere obeundo, 422.1.

Solvite, &c.

Nota verbum, quo Salvator utitur : Non dicit, ut funes rescindantur, sed ut solvantur ; instruens ministros, ne violentis increpationum sessionibus erga pœnitentes utantur. 318.O.321.O.421.1. Sed *solvite*, inquit, ungues diligenter impendendo, congruis examinationibus ligaturas conscientiæ extricando. 421.2.423.1.2.

Dicite : Dominus his opus habet : & confestim dimittet.

Hoc vobis omnem solvet difficultatem, quæ se offert in præcepto diligendi inimicos, cæterisque quæ videntur difficilia præcipi, quia *dicit Dominus.* Si consideres, quòd ille, qui mandat, Dominus est, nulla poterit objectio superesse. 516.1.2.517.

Rex tuus venit.

Per paupertatem regnum adivit Christus, ad usque exercuit regiæ Majestatis. 265.O.

Venit tibi.

Non venit sibi, sed tibi; non suæ, sed tuæ utilitati. Etenim cùm veniat tamquam legitimus Rex, necesse est, ut veniat in commodum Reipub. ; eo namque fine reges, judices & præsides instituuntur. 75.O. 196.2.197.1.199.1.2.200.1.312.2.313.1.337.1. 2.363.1.2.364.1.441.1.2.473.O.

Eum desuper sedere fecerunt.

Felix pullus, qui Christo meruit famulari. Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia. 37.2. 38.1.

Turbæque præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David.

Cantare laudes Domini, est Seraphinorum officium, receptum antiquâ Ecclesiæ praxi, & summopere commendabile. 126.1.2. Christoque gratum divinum officium chori. 127.1.2. Et miraculosè remuneratum. 124.1. Quâ promptitudine faciendum. 343.1. Quâ devotione. 125.1.2.

Benedictus qui venit.

Quàm citò mutata hæc omnia : nunc decantant *Benedictus, &c.* Et paucis diebus elapsis excitati à Pharisæis vociferantur : *Tolle, tolle.* Sic transit gloria mundi. 279.1.

Benedictus qui venit.

Ecce Sol ascendens super hemisphærium nostrum, cujus adventus lætificat & recreat orbem. Sic est adventus Prælati Visitatoris. 425.2.426.1.&428.O.

DOMINICA RESURRECTIONIS. Marci 16.

Emerunt aromata.

Quotquot eas mulieres vidissent homines carnales, credidissent, quòd in cassum ea compararent aromata, ea jam sepulto corpori impensuræ ; & prudentissimè factum censuissent, si vanis impendissent ornatibus. Sed hic est pessimus error. Hoc etenim solùm vero ducitur honori, quod Christi consecratur obsequio. 257.2.278.2. Ideo deponenda inanis verecundia de bonis operibus exercendis, quia ea rident mundani. 118.O.148.2.256.O.

Ut venientes ungerent Jesum.

An ergo non sufficit, quod eum Magdalena viventem unxerit ? Ut quid modò corpus ejus mortuum, quod nullo viget sensu, ungi necesse est ? Verissimum est quòd Christus personaliter bonorum nostrorum non egeat ; hîc tamen reliquit corpus suum indigens in pauperibus, de quibus ait : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. In illis ergo per Eleëmosynam unge Jesum. 56.O.59.2.60.1.2.

Valde manè veniunt ad monumentum.

Exemplar eorum, qui in primordiis adolescentiæ convolant ad monumentum Religiosi Status. 37.2.38.1. 220.1.2.

Itemque eorum, qui accelerant agere pœnitentiam. 304.O.

Eorum denique, qui velocem exhibent obedientiam. 338.1.2.343.2.

Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?

Videbant devotæ istæ mulieres eam revolutionem gravissimi lapidis suis viribus impossibilem fore ; nec ideo tamen à proposito desistentes recedunt à monumento. Hæc est servorum Dei laudanda conditio, quòd nullum eos remoretur obstaculum, sed sæpè bonum opus aggrediuntur, nil de cætero solliciti, divinæ fidentes per omnia misericordiæ. 48.1.379. 2.552.2.563.1.2.

Quis revolvet nobis, &c.

Bonum foret, si eam quæstionem sibi proponerent peccatores ante peccati perpetrationem, sollicitè perpendentes animæ perniciem, infamiam aliaque damna ex peccato provenientia. Sed, priò dolor ! in illa sæpè feruntur cæco modo, nihil eorum considerando. Cùm verò eis jejunium, vel aliud quodlibet bonum opus proponitur, plurimas circa illud considerant remoras difficultatum. *Quis revolvet nobis &c.* Si autem aggrederentur generosè de divino confisi adjutorio, viderent revolutum lapidem, 141.1.2. Exempla divini adjutorii in difficultatibus. 70.2.307.1.

Jesum quæritis Nazarenum crucifixum.

In Passione vocatur Rex (Jesus N. Rex Judæorum) in Resurrectione Crucifixus, ut sciamus in Cruce regalem gloriam esse, Resurrectionemque gloriosam esse crucifixionis effectum. 266.1.269.2.270.1.2.

Surrexit, non est hic.

Non modò reviait ; sed & sepulturam mortis locum, & linteamina, quibus cadaver involvebatur, ibi posita dereliquit. Sic & peccator non modò exurgat in Dei gratia reviviscere, verùm & mala consortia. 527. O.530.O. loca & occasiones alias deserat peccatorum. Cum Loth è Sodomis fugiat ; sed nec sistat in omni circa regione. 551.O.

Dicite discipulis ejus, & Petro.

Nunquid sufficiebat Petrum sub generalitate comprehendere discipulorum ? Petrus certè magis aliis offenderat, suum Dominum abnegando, cur ergo Petri specialiter meminit ? Ostendere vult, quo animo prodeat redivivus è sepulchro, scilicet peccatoribus ignoscendi, licèt eum negârint & abjurârint. Hoc imitemur. 512.1.2.513.1.2.516.O.

Ad hæc majorem confert gratiam graviori peccatori, cui commiserat primariò potestatem remittendi peccata, ut disceret inde mensurâ eâdem misericordiæ cum aliis agere peccatoribus. 309.O.

FERIA II. PASCHÆ. Lucæ 24.

Ipsi loquebantur de iis, quæ facta fuerant.

Pia de Magistro suo ejusque passione differebant : talia oporteret, ut essent nostra colloquia, non ita vana & inutilia, si non etiam perniciosa. 175.O. 220.1.2.

Et Jesus appropinquans ibat cum illis.

Talia loquentibus Dominus appropinquat, conformiter promissioni suæ, quâ dixit : *Ubi duo vel tres congre-*

DOMIN. INFRA OCTAV. ASCENS. Joan. 15.

Paraclytum mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.

DOMINICA. PENTECOSTES. Joan. 14.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit.

Ex-

sed divinâ miseratione providebuntur. Quod in multis patuit & valde numerosis Christi pauperum congregationibus. 13.2.14.1. 248.1.358.2

Ecce jam triduo sustinent me.

Hic est perseverantiæ commendatio, in personis illis, quæ domum suam & domestica negotia relinquentes, studio audiendi Verbum divinum, secuti fuerunt Dominum in deserto. Apta figura Religiosorum, qui relictâ domo, &c. omnibus Christum sequuntur. 54. O. 235. 1. 237. 1. 240. 1. 243. 2. Perseverantia in Dei servitio figurata. 521. 1. commendata. 521. 2. 522. præmissa. 523. 2.

Unde illos quis poterit panibus saturare in deserto?

Sic sæpè dubitat humana providentia; sed omnipotenti misericordiæ Dei non desunt media, per quæ servis suis in quacumque positis necessitate providest. 54.2.55.1.124.1.252.1.256.1.2.358.2.

Habebant pisciculos paucos, & ipsis benedixit, &c.

Quo facto docuit præmittendam commestioni mensalem benedictionem. 130. 1.

Vide, quæ habes superiùs Dominica 4. Quadragesima de quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus.

Et inferiùs Domin. 14.

Domin. VII. Post Pentec. Matth. 7.

Attendite à falsis Prophetis.

Etiam diabolus dicitur falsus Propheta, nam semper nobis loquitur ut decipiat; & sæpè venit indutus pelle ovinâ. 23. 1. 2. 67. 2. 68. 1.

Attendite &c. qui veniunt ad vos.

Notanda hîc venit suavis providentia Dei, qui cùm sit adeò magnum falsorum Prophetarum periculum, nobis remedium suppeditat adeò facile, quale est Ecclesiam statuere visibilem in mundo, à cujus Cathedra mitti debeant Verbi divini prædicatores: quo pacto cavetur, ne hæretici errones valeant se in lucis angelos transfigurare. 375. 2. 276. 1. 384. 1. 560. O.

Veniunt in vestimentis ovium.

Non venit ad te diabolus nudus, scit enim præcludendam tunc fore januam; idcirco vestem induit ovinam 276. 1. 2. 294. 1. Lumen igitur implorandum à Deo, ad tentatoris insidias discernendum. 295. 2. Detegendæ etiam Prælato tentationum ipsius suggestiones, ut lupo pellis ovina detrahi possit. 67. 1. 2. 234. 1. 303. 2. 309. 2. 310. 1.

Intrinsecùs sunt lupi rapaces.

Cavenda hypocrisis, iis in primis qui habitu & professione sunt perfectionis alumni. 30. 2. 31. 1. 111. 1. 2. Hypocriticæ virtutis discrimen à vera. 406. 1. 2. 503. 2. 504. 1.

Qui facit voluntatem Patris mei.

Hæc est regula, quam nobis debemus in operibus omnibus ob oculos ponere, ut ea non pro nostra faciamus libidine, sed ut divinæ sint conformia voluntati. Hinc Deus dedit homini præcepta & leges sub peccato obligantes; quarum utilitas expenditur. 187. O.

Domin. VIII. Post Pentec. Lucæ 16.

Homo quidam erat dives, & habebat villicum.

Deus est magnus dominus, habetque multos dispensatores; divites nimirum hujus mundi, per quos necessaria distribuit pauperibus, ut dominus per œconomos suos. 255. 2. 256. 1.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

Ne quæras, quis tibi coram Deo detrahat, & vociferetur, quando namque non esset aliud, tua sunt peccata; hæc te diffamant apud Deum. 298. 2.

Redde rationem villicationis tuæ.

Ecce hîc ô Dives, quòd diximus, quòd exigenda sit à te ratio sicut ab œconomo, in quibus expenderis commissas tibi à Domino facultates. Prudenter itaque faciunt amplectentes statum religiosum & omnia sua pauperibus erogantes, ne in districto illo examine supremi Judicis condemnentur. 56. O. Si autem acriter ibi puniendi sunt divites, qui de bonis Domini sui non fecerunt Eleëmosynas, quid illis fiet, qui etiam impediunt eos, qui de suis Eleëmosynas facere vellent? 57. 1. 2.

Mendicare erubesco.

Secundùm litteram non est erubescenda mendicatio, quæ à voluntariis pauperibus amore Christi suscipitur. 256. O. Quia ipse Dominus pro nobis se facit pauperem & mendicum in hoc mundo. 258. O. Amore ejus, verecundiam illam sustineamus. 279. 2. 280. 1. 2.

Scio quid faciam.

Cogitatio subtilis. Alias non habeo quàm mei Domini facultates; illis conabor amicos mihi conciliare, ut dum aufertur mihi œconomi officium, inveniam illos. Et sic fecit. Vade & tu fac similiter benefaciendo pauperibus. 56. O.

Facite vobis amicos.

Distributione bonorum, quam in alias personas quàm in pauperes facitis, non illos vobis amicos facitis, nec in tuum ea dona cedunt emolumentum; sed in ipsorum potiùs utilitatem. Tibi verò amici erunt pauperes, tibi namque proderunt eæ, quas facis Eleëmosynæ, ad animæ salutem & temporalem quandoque prosperitatem. 198. 2. 199. 1. 2. 253. 2. 254. 1.

De mammona iniquitatis.

D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. dicit vocari mammonam *iniquitatis*, id est, *inæqualitatis*. Bone Deus! quot inæqualitates & injustitias in mundum invehit concupiscentia pecuniarum! 189. 2.

Ut cùm defeceritis, recipiant vos.

Inæstimabile prorsus præsidium est, cùm defeceritis, cùm vitâ defuncti fueritis, habere amicos Christi pauperes, misericordiis Eleëmosynæ comparatos, qui vos è pœnis Purgatorii liberent, & in æterna recipiant tabernacula. 138. O.

Domin. IX. Post Pentec. Lucæ 19.

Videns Jesus civitatem flevit super eam.

Hæc Evangelii historia contigit Dominicâ Palmarum, cum ingrediens Jerusalem Dominus cum maximo triumpho populique congratulatione reciperetur. Cùm videns Jesus Jerusalem ejusque imminentem prævidens calamitatem, *flevit super illam.* Ex hac circumstantia, patet excellens ipsius compassionis affectus erga miserorum afflictiones, quando ab illius ostensione non cohibetur communis triumphi lætitiâ. Hinc ergo docemur compassionem miseris & obsequium exhibere, relictis nostris propriis commoditatibus. De misericordia erga pauperes habes. 56 O. Erga infirmos. 194. O. Pro his servitiis intermittentes quandoque contemplationis exercitium Ange-

DOMIN. X. POST PENTEC. Lucæ 18.

DOMINICA XI. POST PENTEC. Marci 7.

402.2.403.1.2. Denique subditis ad denuntiandum defectus confratrum in Visitationibus. 430.2.

Et loquebatur rectè.

Locutio recta est, quæ divinarum legum regulis conformatur. Ea igitur exigit ut honestè loquamur. 175.O. Et personis omnibus sicut decet, juxta exigentiam & qualitates earum. 1 7.O. & à Detractione. 437.O. & Murmuratione abstineamus. 489.O. aliarumque locutionum abusibus. 176.1.2.177.1.2.392.1.2. 414.O.421.1.2.

Domin. XII. Post Pentec. Lucæ 10.

Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.

Qui verò vident vana, non sic. 102.1.2.527.2.528. Sancti quidam singulares in oculorum custodia, 529.1.2.535.1.2.

Quæ vos videtis.

Quid videbant Apostoli? Idem (ut apparet) videbant Judæi. Revera tamen non sic est. Apostoli enim non solùm in Christo videbant exteriora; sed sub humanitate divinitatem, sub paupertate divitias, & omne quod appeti potest sub cœlo. 277.O. & felicem esse paupertatis felicitatem. 268.2.274.1.2.263.O.260. 1.2.13.1.2. Et ipsius multiplicia commoda. 13.2. 100.1.2.275.1.2.276.381.1. Et Christum ita pauperem posse suis pauperibus servis centuplum retribuere pro iis quæ reliquissent ipsius amore. 278.1.2.

Multi reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt.

Per Reges designantur sapientes & superbi hujus sæculi, à quibus abscondit Deus illa mysteria suæ humilitatis, qui designantur per illos, qui *albuginem habent in oculo*, quorum meminit in Levitico *c. 21. v. 20.* Mosaica lex. 360.1.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?

Bene ait: *quid faciendo?* non enim in sermone est regnum Dei, sed in actionis virtute. 3 O. Ad quod declarandum servire poterit lepidum dictum B. Fratris Ægidii: *fate; & non parlate.* 211.1.2.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Hæc est regula aurea charitatis, quâ mensuranda sunt opera circa proximum facienda. 291.1.2.

Quis est meus proximus?

Solos sibi proximos reputabant Judæi, quibus erant per legem & amicitiam uniti; unde in illa lege existimabant inimicos non comprehendi. Hoc scire meliùs deberet Christianus, qui doctrinam illam Judaicam, etsi non verbo, tamen opere servat, persuadens obligati se solùm ad amandum amicos. 511.O.516.O.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones.

Dum à perfectione vitæ descendere & deficere incipit homo, periculis damnisque spiritualibus appropinquat. 297.1.2.

Semivivo relicto.

Existens in mortali peccato, semi-vivus est, mortuam habens animam in vivo corpore. 297.O.

Samaritanus autem quidam, ---- videns eum misericordiâ motus est. Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum

Samaritanus, qui interpretatur *Custos*, & denotat Prælatum vel Patrem-familias, sollicitam debet habere curam pro necessitatibus infirmorum. 194.1.199.O. Unde potest Angelo comparari, descendenti in piscinam probaticam, pro sanandis infirmis. 288.1.2.

Alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum.

Hoc est officium Prædicatoris & Confessarii, ut auditorio & pœnitentibus vinum proponant correptionis & pœnarum. 408.O.434.O. & oleum misericordiæ. 309.O.318.1.2.321.1.421.1.2.429.2.440.O gloriæque cœlestis.

Curam illius habe.

Excutiuntur iniqui prætextus, ex quibus nolunt aliqui curam infirmorum admittere. 194.1.2.195.1.2. 289.1.2.290.1.2.291.1.2.

Et quodcumque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi.

Reddet Christus erogatæ misericordiæ mercedem, dum ad generale redierit totius mundi scrutinium. Quorumdam cœlestes remunerationes. 291.1.2.

Domin. XIII. Post Pentec. Lucæ 17.

Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

Sic euntibus in cœlestem Jerusalem, non sistendum in temporalibus his; sed transeundum per bona temporalia, ut veniant ad sempiterna. 240.1.246.1.2.

Steterunt a longè.

Lepram namque suam considerantes ad Christum accedere propiùs erubuerunt, se utique indignos arbitrati, qui ipsi appropinquarent, in quâ profundam suam produnt humilitatem, qua recipiendo divino beneficio præparantur. 8.1.2.573.1.2.

Levaverunt vocem.

Oratio medium est à Deo nobis relictum, ut ab omnibus liberemur adversitatibus. 68.1.2.

Miserere nostri.

Bonum orationis fundamentum, Dei misericordia: non vult, ut eum accedens in propria confidas justitia. Vide notata superiùs *Domin.* 10. ubi de oratione Pharisæi & Publicani.

Ite ostendite vos Sacerdotibus.

Erant Sacerdotes deputati per legem judices hujus infirmitatis, voluitque declarare per hoc Dominus, ut inquit D. Ambr. *l. 3. de Sacerdotio*, quid facturus esset in Ecclesia sua, ibidem Sacerdotes instituens judices lepræ peccati, in tribunali Sacramenti Pœnitentiæ, cum potestate plenaria quoscumque ab ea curandi. Unde de tribunalis illius officio dicere meritò possumus, quoniam *Dei judicium est.* 302.O.419.1.

Dum irent, mundati sunt.

Ministratum à Sacerdotibus Pœnitentiæ Sacramentum, mare vitreum est, quod vidit Joannes in Apocalypsi, in quo abluuntur peccata. 310.1.318.1.2. 503.2.504.1.

Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

Tu pro beneficiis acceptis gratitudinem exhibe. 198. 1.2.199.1.2. Ingratitudo Saulis erga Davidem expenditur. 324.1.2.

Domin. XIV. Post Pentec. Matth. 6.

Nemo potest duobus Dominis servire.

Soli ergo Deo serviamus, idque modis illis, quos præscribit Apostolus. 231.1.2. & D. Bernardinus. 231.2.232.1. Dei servitus regium dominatum excellit. 231.2.232.1.250.1. Quis ergo illi deputatus, sic sese abjiciat, ut serviat creaturæ? Mundi mancipia miseram retributionem accipiunt. 51.1.2.

Non

DOMIN. XV. POST PENTEC. Lucæ 2.

DOMINICA XVI. POST PENTEC. Lucæ 14.

DOMIN. XVII. POST PENTEC. Matth. 22.

DOMINICA XVIII. POST PENTEC. Matth. 9.

Ascendens Jesus in naviculam, transfretavit.

ERat Dominus sol divinus cursum suum perficiens, & radios suos evibrans continuò. Sic & Prælatus & Concionator debet quaquaversum discurrendo visitationibus & prædicationibus vitiorum tenebras dissipare. De Prælato. 425. 1. 2 De Concionatore. 378. 1. 400. O.

Offerebant ei paralyticum.

Vide superiùs *Dominicâ 11. post Pentec, num. 1.*

Videns Jesus fidem illorum.

Magna fuit illorum fides, quâ credebant Christum posse solo verbo hunc paralyticum curare. Unde summoperè conati sunt ipsum coram eo collocare, sic ut ascendens tectum domûs in qua erat, nudaverint illud regulis, & patefacientes submiserunt eum in grabato ante Jesum. Hoc est munus confessariorum, ut cùm pœnitentem habuerint verecundatum aperire peccata, juvent eum suavi eloquio & solerti examine, removendo tegulas, excusationes in peccatis, ut ita nudatâ penitùs conscientiâ, positus ante Jesum, sanitatem animæ consequatur. 309. 2. 313. 2. 314. 1. 315. 1. 2. 318. 1. 2.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Ecce clementia Salvatoris, æmulanda curatoribus animarum. 421. 2. 422. 1. Et contritionem pœnitentis spe veniæ temperet. 302. *sub fin.* 303. 310. 2. *sub fin.* 311. 1. 2.

DOMINICA XIX. POST PENTEC. Matth. 22.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.

HIc Rex Deus est, qui filii sui disposuit nuptias cum humana natura in ventria purissimi thalamo, Spiritu sancto conjungente Sponsum hunc, cum hac Sponsa. 144. 2. 416. 1. Vide qualia tibi virtutum fercula in illis nuptiis apponantur. 144. 2. 145. 1. 2. 416. 2.

Dixit Rex servis suis: Ite ad exitus viarum.

Hic signatur Missio prædicatorum Verbi divini. 375. 1. 2. 376. 1. 422. 1. 2. 560. O.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

Mirum videtur, obmutuisse, cùm in promptu videatur responsio facilis: Domine, veni talia qualis eram, dum me vocarent, dicentes etiam pauperes invitari. Absque dubio autem est legitimam fuisse reprehensionem, adeòque justam, ut non habuerit vir ille quod reponeret ad sui defensionem. Primò quidem, quia Rex non petebat ab eo vestem disparem facultatibus ejus; sed ut illam saltem mundam haberet, quod nuptias decet. Sic Deus à nobis exigit cordis puritatem. 503. O. Ratio secunda & congruentior hæc est, inquit *la Nuza* hom. 17. num. 29. & sequentibus, quia Rex ille invitatis ad nuptias statuerat quosdam ad introitum, qui darent intrantibus vestes cultiores & nuptiales. Hoc enim agit Deus; nam intrantibus Ecclesiæ suæ palatium, ut his fruantur nuptiis ad introitum, vestimentum tribuit suæ gratiæ candidissimum, per illud designatum quod imponitur baptizato. 75. 2. Quia verò hoc amitti potest, ministros habet paratos, quales habuit pater filii prodigi, quibus imperat: *Afferte stolam primam.* Sunt autem Confessarii. Itaque inexcusabilis est, quicumque sinè veste nuptiali reperietur. Volens igitur ad cœli nuptias introire, procura tibi nuptialem vestem, sacramentali Confessione. 303. 1. 2 quàm citiùs poteris sinè mora. 304. 1. Quia nulla penitùs est ratio differendi. 305. 1. 2 306. 1. 2. 307.

DOMINICA XX. POST PENTEC. Joan. 4.

Rogabat Jesum quidam Regulus ut descenderet & sanaret filium ejus. Incipiebat enim mori.

PAter gaudet valetudine prosperâ, & filius expirat: frequentiùs etenim filiis quàm parentibus vicinior mors: nemo igitur fidens viribus suis & juventuti, securam putet esse vitam suam, atque ideo pœnitentiam agere differat. 305. 1. 2.

Nisi signa & prodigia videritis.

Duriùs huic Regulo respondet Dominus, Centurioni vero benigniùs, & Jayro similiter idem postulanti: imò quid ampliùs ut descenderet in domum suam, manumque super filiam jam defunctam imponeret. Fecit ita Dominus, docens non honorandum quempiam, quia dives est, & aspernendum alterum, quia pauper. 113. 2. 114. 1. 2.

Domine descende.

Sapienter perseverat in oratione, perseverantia enim est medium impetrandi. 500. 2. 501. 1. Tantâ est efficacia instantis orationis, ut vim quodammodo inferat divinæ potentiæ. 269. 1. *circa med.*

Vade, filius tuus vivit.

Ac si diceret, inquit Theodoretus citatus à Glossa, *Vade*, id est, profectum continuum circa bonum ostende, & tunc filius tuus vivet. Sic non tepescendum est à bonæ operationis proposito, sed primo fervore semper observandum. 87. O. Perseverantiam requirit Deus in sacrificio. 521. 1. & salvus erit, qui perseveraverit usque in finem. 523. 2.

Credidit ipse, & domus ejus tota.

Ecce finis miraculorum & prædicationis Christi, nempe salus hominum. Hunc quoque quilibet prædicator intendat. 394. O. 397. O. 400. O.

DOMINICA XXI. POST PENTEC. Matth. 18.

Voluit rationem ponere.

HOc plurimùm inter alia vitæ nostræ congruit emendationi, si consideremus reddendam nobis esse omnium rationem. 346. 1. 2. 453. 1. 2. Reliquit autem misericors Deus librum rationum ex quo judicandi sumus, sive conscientiam nostram in manibus nostris, ut ex eo delere possimus quod nobis futurum esset contrarium. Quid ni deleamus igitur priùs quàm veniat rationem ponere? 116. *sub fin.* 117. 1

Cum servis suis.

Deus Dominus est, cujus nos omnes servi sumus. Rationem igitur exacturus est, an expleverimus omnia munia debitæ servitutis. Ea proinde omnia nunc observare labora. 47. 48. O 208. O. 231. 1. 2.

Procidens servus rogabat eum patientiam habe in me.

Hoc est legitimum remedium peccatoris, si se pedibus Dei prosternat, suorum deprecans veniam delictorum, divinæ se committens misericordiæ. 303. 1. 2. Confessarius autem ad quem ita venit, studeat eum mediis convenientibus refocillare. 302. *sub fin.* 303. 1. & 2. *prope fin.* 304. 1. 309. O. 423. 2.

Omne debitum dimisit ei.

Hæc est ingens Dei misericordia, omnia dimittentis peccata ad unam contriti pectoris confessionem. Eo facto tam facilè peccator iratum placat Deum, quàm Abigail Davidem. 315. 1. 2. Vera autem ad hoc Contritio requiritur, quæ ex septem effectibus concomitantibus cognoscitur. 316. 1. 2. 317. 1. 2. 318. 1. 2.

Debeat

INDEX

I N D E X
AD CONCIONES
FESTORUM.

 Dixit

78

Ut

Ut darent hostiam secundùm legem.

Lex mandabat agnum offerri, si dives esset: sin autem pauper, par turturum, aut duos pullos columbarum. Suavis fuit hæc legis dispositio, ut mulier juxta vires suas offerret; ultra enim quod vires ferunt non exigitur, sed sufficit bona voluntas. 58. O.

Par turturum.

Hæc erat oblatio pauperculæ Reginæ cælorum. Discas ab ea firmiter inhærere Evangelicæ Paupertati. 240. 1.2. 275. O.

Par turturum.

Turtur sive columba offerenda erat in holocaustum pro felici successu puerperii, per quod docemur gratitudinem. 198.1,2.

Alia pro peccato; quod, secundùm Interpretationem *La Nuza*, intelligebatur peccatum commune Matrum & Patrum, eò quòd inordinatè diligerent filios. Hujus affectûs mortificatio docetur. 53.1.2.

Homo iste justus & timoratus.

Unum ex altero sequitur, nam quantò quis sanctior, eò & timidior est. Primò quia non ignorat, quòd contra sanctiorem diabolus acriùs accendatur. 23.1.2 294. O. 501. Secundò quia perseverantia est donum Dei gratuitum, eique multis ex causis periculum imminet. 521. O. Tertiò extremum Dei judicium expendit. 117.1.346. 1.2.453. 1.2. Et gehennæ pœnas. 408. O.

Et Spiritus Sanctus erat in eo.

Quæ sint signa Spiritûs inhabitantis. 497. 1.2.

Spiritus sanctus erat in eo.

Si talibus virtutibus Deus ditaverit hominem, cujus solummodo ulnis erat Christus excipiendus; qualibus te convenit præparare, ut eumdem intra tua viscera sub Eucharistia recipias. 46. 1.2. Ad altare accessuri illum habeamus divinum ignem in thuribulo cordis. 125 1. 220.1.

Et venit in Spiritu in templum.

Hic utique bonus est ad templum ingressus *in Spiritu*, & ut Jesum ulnis excipias. Væ illis, quos non Spiritus ducit in templum; sed desiderium agendi ibi, quæ non decent. 36.2.125.2.265.2.

Nunc dimittis servum tuum Domine.

Beatus, cujus possessio Deus est, ille dimittere petit & dimitti à quibuscumq; terrenis. 275.1.2. Ille portionem habet in terra viventium. 273. O.

De S. Matthia Apostolo. Matth. 11.

Abscondisti hæc à sapientibus.

SUperbus valde contrariam habet dispositionem, ut divina capiat mysteria, quia ad hæc capienda, cor requiritur profundum humilitate. 8.2.11.1.2. Item ad hæc intelligenda requiritur judicii proprii mortificatio & abnegatio. 360. 1.2.

Abscondisti hæc à sapientibus.... & revelasti ea parvulis.

Propter Superbiam sapientes stulti facti, & propter humilitatem, stulti facti sunt sapientes Hæc stultitia propter Christum à viris sanctis meritoriè practicata. 73.O.464.1.545.2.

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Sic nos dicamus in omnibus occurrentiis, perfectâ in divinum beneplacitum resignatione. 134. 1. 322. 2.323. 1.454.1.2.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Venite ad me omnes.

Quàm benè à primo progreditur ad secundum? Mihi Pater omnia tradidit bona; igitur *Venite ad me omnes*, de illis communicaturi. Attende, ô dives & potens, ut quando traditæ tibi divitiæ fuerint atque potestas, scias tibi convocandos esse pauperes & indigentes; nec enim omnia tibi tradidit, ut tibi remaneant, sed ut velut œconomus ejus distribuas familiæ pauperum. 56.1.2. 197. 1.254. O. Eleëmosynæ factæ remuneratio. 198.2.199.1.2.253.2.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.

Hoc: *laboratis*, tangit corporis necessitates. De his providet Deus laborantibus in suo servitio. Quod declaratur Scripturis 255.1.2.275.1.2.276. Et exemplis illustribus. 54.2.55.1. .124.1.252.1.256.1.2. 358.2. Et eleganti parabolâ. 267. 2. *sub fin.* 268. Deum, in ea sollicita cura pro necessitatibus suorum corporalibus imitentur Præfecti, circa sibi commissos. 76.O.194 O.196 O.199.O.

Illud: *& onerati estis*, dirigitur ad necessitates animæ peccati pondere prægravatæ. In his sublevat Christus longanimi misericordiâ. 421.2. Et debet similiter curator animarum, 153.O.302 2.*& sub fin.*303. 1.307.1.2.309 1.2. 310.1. 318.O. 321.1.419.1.2. 420.*& seq.*469.O.471.O.

Ego reficiam vos.

Non diceret hoc ex veritate Diabolus aut mundus; quia quod offerunt, non reficit, sed deficit; non satiat, sed inflat. Totum enim Vanitas est. 279.1. & purissimum *Nihil.* 477. 1.

Tollite jugum meum super vos.

Mystica sunt hæc verba. Jugum dicitur, quod non ab uno solo portatur, sed cum altero comite. Ille in laboribus crucis & pœnitentiæ, est Christus, qui fert magis quàm nos. 70. 2. & 507. 1. Quidni igitur nos jugum illud tollamus, cùm tollat & ipse? 152.1.

Tollite jugum meum.... & invenietis &c.

Utilitas bovi & hortis proveniens ex eo, quòd jugo caput supponat, eleganti similitudine ad Obedientiam applicata. 338.2.339.454.2.

Et invenietis requiem animabus vestris.

Quies justorum in vitæ termino ipse Christus Dominus est. 245.1.246. 2.247.

Orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende nobis, quem elegeris ex his, &c.

Instantibus electionibus recurrendum ad orationes ad implorandum Spiritum sanctum, & quas ob causas. 353.O.36:.*sub fin.*

Alia ab Electoribus observanda. 350.2.351.O.361.1. 2.366.1.2.

De S. Josepho. Matth. 1.

Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph.

MAtrimonia communiter aliquo modo cor à Deo divertunt illudque dividunt, quia se mutuò vir & uxor diligunt inordinatè, quo amor erga Deum languescit. 14.1.2.49.2.50.1.524.1. Non ita Matrimonium Mariæ & Joseph, in quo propositum continentiæ reperitur; quique non in se mutuò, sed in fructum continentiæ suæ, hoc est in dulcem Jesum figunt obtutus. Similes Cherubim propitiatorii (Christi) habentibus vultus respicientes versùs Propitiatorium. 376.2. Sive in Christum quem unicè diligebant. Ex his Cherubim, unum viri, alterum mulieris formam habuisse, scribunt Expositores; possuntque adeò convenienter designare Mariam & Joseph. Hæc utrumque latus propitiatorii expansis alis tegebant, ad confugientium protectionem & adjutorium. 68.2.69.1.74.2.152 2.

Sic

De SS. Apost. Philippo et Jacobo. Joan. 14.

Da Invantiona. S. Crucis. Joan. 3.

Da S. Joanna Baptista. Lucæ 1.

De SS. Apostolis Petro et Paulo. Matth. 16.

De

De Nativitate Deiparæ.

Liber generatione Jesus Christi.

De S. Matthæo Apostolo. Matth. 9.

Vidit Jesus hominem.

De S. Michaele Archangelo et omnibus SS. Angelis Matth. 18.

Accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est, &c.

Nisi

Nisi conversi fueritis.

Non hoc te scandalizet, si peccata notes minora in Dei servis. 96. 1.2. 282. 1. nam illa ea singulari consilio permisit in Apostolis suis. 282. 1.

Quicumque ergo humiliaverit se.

Hic habes iter ad cœlum, & modum quo possis esse major in illo. Humiliare, & apprehendisti. 8. 1. 2 573. 2.

Sicut parvulus iste.

Humilitatem pueri de Bethleem debemus habere nobiscum, ut possimus ad videndam Dei faciem pervenire. 173. 1. Oportet nos in puerilem transmutari simplicitatem, & in infantilem resignationem sub beneplacito Præfectorum. 75. 1. 2.

Efficiamur sicut parvuli.

Parvuli, dum aliis mediis aliquid non possunt à parentibus impetrare, in fletum erumpunt, & pectus paternum expugnant violentiâ lacrymarum. Sic, nos apud Deum pro indigentiis nostris preces interponamus & lacrymas. 269. 1. 2.

Qui susceperit parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Nullam sententiam Salvator sæpiùs in Evangelio repetit, ut faciat nos personam suam vivaciter in pauperibus apprehendere. 59. 1. 2. Ut illis effectuosiùs subveniamus. 56. O. 59. 2. Hospitalitas impensa pauperibus, luculenter à Deo remunerata. 155. 2. 156. 1. 598. 2.

Væ homini illi per quem scandalum venit.

Ingentia sunt nocumenta quæ à Scandalo trahunt originem. 546. O. Ideo scandalosi acribus perstringuntur maledictionibus à Deo & Sanctis. 262. 2. 548. 1. 2. 549. 1.

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum &c.

Cave, ne oculus tuam animam deprædetur. 102. 1. 2. 527. 2. 528. 1. Referuntur sancti singulares oculorum custodes. 529. 1. 535. 536. 2.

Erue oculum nequam suspicionis vel judicii temerarii de proximo, & simplices tibi procura oculos columbarum. 161. 162. O.

De S. P. N. Francisco. Matth. 11.

Confiteor Tibi Pater.

Vox illa, *Confiteor*, ut notavit S. Aug. Serm. 8. de verbis Domini, & peccatoris & laudatoris significat confessionem: si enim, Confiteor Christus dixit, à quo longè est omne peccatum, non solius est confiteor peccatoris, sed etiam aliquando laudatoris. Meritò hæc Christi Patrem laudantis verba S. Francisco appropriat Ecclesia. Sicut enim Christus ab uno ex discipulis rogatus, *Domine doce nos orare*, Patrem confiteri docuit, dicens: *Cùm oratis dicite: Pater sanctificetur nomen tuum*, &c. Ita S. Franciscus, qui cœlestis disciplinæ Magistro imitatione studuit esse conformis, rogantibus fratribus ut eos Deum laudare doceret, dixit: *Cùm orabitis, dicite: Pater noster* &c. 133. 1. Orationis Dominicæ devota paraphrasis per eumdem descripta. *Ibid.* 1. 2. Non est cursim pertranseunda, sed ruminanda cum S. Francisco. 133. 2. 134. 1. Habet specialiter adjunctam confidentiam impetrandi. 134. 1. Aliqui exemplo S. Francisci singularem in ea gustum senserunt. 134. 2. Ejus frequentatio non est superstitiosa, ut calumniantur hæretici. 135. 1. Sub ejus recitatione, quomodo Deus proponendus præsens sub singulis mysteriis & considerationibus, quibus tollatur tædium ex ejus iteratione, aliàs obventurum. 135. 2. 136. 1.

Dernoye Medulla S. Evangelii.

2. 137. 1. S. Francisci devota Dei laudatio per horas canonicas. 123. 2.

Confiteor tibi Pater.

Christus à quo longè est omne peccatum, non potest nisi laudando confiteri Patrem, *Confiteor tibi, laudo te; laudo te, non accuso me.* S. Franciscus, etsi sanctissimus, etiam confitetur humiliter accusando se tamquam totius mundi maximum peccatorem. Unde de ipso S. Bonav. c. 6. vitæ ipsius: *In propria quidem reputatione nihil erat nisi peccator, cum in veritate speculum esset & splendor omnimodæ sanctitatis.* De ejus humilitate, Vide 173. 2. 174. 1. Humilitas in primis est necessaria obedienti. 343. 2. 344. 2. Itemque Prælato. 429. 1. Ejus gradus sunt seipsum judicare vilem, patienter vilipendi, & quærere vilipensiones. 118. 2. 119. 1. 2. 174. 1. 2.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ.

Confiteor te esse Dominum cœli & terræ. Quidam in universitate Lovaniensi, Licentiali laureâ donandus pro dicto suo posuit, Nihil. Cujus mysterium cùm nullus caperet, ipse edicere jussus, dixit: Vasallus sum Principis Leodiensis, qui sibi scribit, Omnia, si ipsius sunt omnia, ego nihil. S. Franciscus confiteri volens cœlestem Patrem esse Dominum cœli & terræ, nihil in hoc mundo sibi adscribit, sed voto altissimæ paupertatis se & suos Deo obstringit. In quo est perfectissimus Christi imitator. 259. 1. 2. Pauper nihil appetit nisi Deum, & ipse totus est Dei, ut dicere possit cum Psalmista, *Tuus sum ego.* 274. 1. 2. Portio pauperum Deus: quæ portio peccatorum? quæ mundanorum? quæ carnalium? 274. 1. 2.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ.

Sic cum paupere Christo dicere possunt pauperes spiritu: quia paupertas nos assimilat Christo morienti, & ad talem ducet vitam, qualem duxit Christus post resurrectionem. 274. 2. Paupertatem suis super omnia commendat S. Franciscus cap. 6. textu & §. 11. *Quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* 258. O. Item textu & §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. His verbis: *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos heredes & Reges regni cælorum instituit: pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis.* Vide citatos paragraphos omnes à pag. 260. usque ad 280.

Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

Per sapientes & prudentes intelliguntur superbi, per parvulos, humiles, ut à contrario sensu colligit S. August. Humilitas facit capacem gratiarum Dei. 8. 1. 2. 164. 1. 2. S. Francisci humilitas. 173. 2. Ad capiendum divina mysteria requiritur cor profundum in humilitate. 8. 2. 11. 1.

Revelatur parvulo Francisco periculum Ordinis sui, & media eum conservandi. 37. 2. 38. 1.

Humilis Franciscus, Spiritu sancto Illustratus, detegit, quæ prudentes & sapientes secundùm carnem contra Regulam moliebantur ad stuporem Cardinalis Protectoris, à quo Cœlestis ejus sapientia commendatur. 24. 1.

S. Francisco & filiis ejus humilibus & simplicibus revelavit Deus sapientiam Cælestem & qq. Theologicas difficiliores. 494. 1. 2.

Revelasti ea parvulis.

Inter alia, quæ parvulo suo Francisco revelavit Deus, est quòd didicit cum Apostolo non *gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Ejus ad dominicam passionem devotio. 152. 1. *sub. init.* Insignis ipsius ratiocinatio, quâ alios ad eamdem exhortatur. *ibid.* 1. Elegit habitum referentem formam crucis, ut semper in cruce esset, 70. 2,

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Ita Pater: q. d. planè Pater, sic fecisti, & rectissimè, *quoniam sic placitum fuit ante te*. Quia tibi placuit tibi, cujus beneplacitum est lex omnis æquitatis, & ab omnibus libenter amplectendum relicto beneplacito proprio. 454. 1. 2. 455. 1. 2. De resignatione propriæ voluntatis, egregia ratiocinatio Alvari Pelagii. 322. 2. *sub fin.* 323. 1.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Hoc verè cùm Christo dicere possunt, qui ejus amore & exemplo voluntariam amplexi sunt paupertatem. Hæc enim est scala, quâ in cœlum ascenditur. 263, 1. Hæredes regni cœlorum instituit. 56. 1. 2. 264. O. 268. O. Deique commensales. 254 2. 255. 1. Paupertatis beneficio eminantiori modo obtinentur omnia, quæ sunt sub cœlo concupiscibilia. 278. 1. 2. *Ex quo reliquit omnia, felix recepit omnia*. Ipsius felicitas 268. 2. & 273. 2. Ejus multiplicia commoda, 13. 2. 14 1. 100. 1. 2. 275. 1. 2. 276. 1. 381. 1. Eximius S. Francisci amor paupertatis. 233. 1. 2. 280. 2. *sub init.*

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.

Gravissimo peccati pondere onerati ad Christum in misericordiis divitem. 421. 2. *Venite*, non pedibus sed affectibus fidei, spei, & charitatis. Fides enim est salutis, omnis virtutis & perfectionis fundamentum, 43. 1. Unde comparatur medullæ Cedri. *Ibid.* Ideo de ea examinandi, qui petunt ad Ordinem Religiosum admitti. *Ibid.* Spes gloriæ cœlestis erigit peccatores ad veniendum. 411. 2. Fatigatos recreat & terrenis illectos sordibus ad solidiores allicit delectationes, *Ibid.* & 412. 1. Si intelligerent homines beatitudinem, ad quam conditi sunt, statim ejus amore capti ad Christum venirent, & omne studium ad eam capessendam converterent 412. 1. 2. Concionatorum est hoc ignoranti populo proponere. *Ibid.* 2. & 413. 1.

Ego reficiam vos.

Non tam hìc super terrâ, ubi vita hominis militia est & assiduus labor, sed in regno meo: cujus vos hæredes. 265. O. & reges instituoi, 265. O. 267. O 273. O. hujus enim consideratio mirabiliter reficit hìc laborantes, 411. 1. 2.

Tollite jugum meum super vos.

Id est, suscipite Evangelium quod annuntio, excusso totius veteris hominis jugo. Nam (ut S. Aug. serm. 9. de verbis Domini cap. 1. ait) jugum illud tollere & ferre non est aliud, quàm piè vivere in Christo. Quod qui desiderant, persecutionem patiantur necesse est, teste Apostolo: *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Vide Indicem rerum v. *Persecutio*.

Discite à me, quia mitis sum.

Non sum iracundus, ut ad me venientem repellam, sed benignitate, mansuetudine & humilitate cuilibet expositus, omnes expectans longanimi misericordia. 319. 1. 2. Eam Christi exemplo pœnitentibus impendat Confessarius. 309. 1. 421. 1. 2. Hanc S. Franciscus suæ Religionis Prælatis summoperè commendavit 390. 1. 2. Divinæ misericordiæ singulare exemplum erga quemdam apostatam. 305. 2. 306. 1.

Et humilis corde.

Docemur humilitatem in eo, quòd sumus servi Dei, 2 0. 2. Quia verò Christus vult, ut simus *humiles corde*, notanda veræ fictæque humilitatis discrimina. 173. 1. 2. Religiosus non sit contentus externâ humilitatis apparentiâ, sed internam illius studeat habere veritatem, *humilis corde*. 476. 2. Humilitatis gradus sunt, seipsum judicare vilem, patienter vilipendi, & quærere vilipensiones. 118. 2. *sub fin.* 119. 1. 174. 1 2. Exempla humilium, qui sui-ipsius quæsiverunt contemptum. 119. 1. 2. 120. 1.

Et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, &c.

Mira sanè doctrina; cùm enim præcepta Christi sint difficillima (non impossibilia) & perfectiora præceptis legis: & omnibus, qui volunt piè vivere, persecutiones promittantur; quomodo requiem habebunt; Non corporibus, sed animabus. Rationem reddit Nazianzenus, Orat. 42. quia spes & merces hujus vitæ molestiis longè est uberior: quies enim animæ justorum post hujus vitæ labores est ipse Christus. 245. 2. 146. 1. 2.

Vide etiam, quæ notata sunt in festo S. Matthiæ ad hoc ipsum Evangelium.

De S. Luca Evangelista. Luc. 10.

Post hæc designavit &c.

Vide posita in Festo Sancti Marci.

De SS. Apost. Simone et Juda. Joan. 15.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Sibi contrarii sunt Christus & diabolus: in schola Christi pax docetur. 166. O. 183. O. in schola diaboli dissensio. 354. 1.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Fraterna dilectio multipliciter commendata. Declarantur ejusdem officia ex similitudine materni ad proles affectûs, 285. O. Aurea mensura diligendi proximum est, ut ei faciamus quæ vellemus fieri nobis-ipsis. 291. O. Charitas in proximum remunerata beatitudine. 287. 1. 2.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

Non est servus major Domino suo, ferat itaque crucem, quam tulit Dominus ejus. 152. 1. 507. 1. Habeat igitur patientiam in persecutione. 505. 506. O.

In

INDEX
DE COMMUNI SANCTORUM.

De uno Martyre. Matth. 16.

Si quis vult venire.

Magnam attende Dei benignitatem, nec enim nos vi cogere vult; nec est domus ejus coactorum triremus, sed aula nobilium liberum, qui ex voluntario amoris affectu ipsius servitium amplectuntur. 29.1.2.30.1.

Si quis vult venire post me.

Quis subditus detrectet Regem sequi praecedentem, & non potiùs id summo sibi ducat honori. Quaerenda igitur & per imitationem sequenda Christi vestigia. 259.1 416.1.417.2.520.1.

Abneget semetipsum.

Tuam abnega voluntatem, est enim illa ex se inordinata; permitte igitur eam ordinari & regulari voluntate Dei, Superiorumque tuorum. 455.454. O.

Tuam abnegà voluntatem, divinae subjiciens; per hoc enim fiet, ut Deus suam subjiciat tibi; sicut scriptum est: *Vir obediens loquetur victorias.* 458. 1. 2.

Tollat crucem suam.

Quandoquidem ille suam pro te portavit, cùm tanta esset tamque gravis; non erit multùm ut tuam levem portes pro teipso. 67.1.70.1.152.1.417.2,418.1.

Et sequatur me.

Iospice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in Calvariae monte monstratum est. 416. 1. Et vide loca hîc paulò superiùs citata versu. 2.

Qui amat animam suam, perdet eam.

Vitam animalem si amaveris, perdes rationalem. Caro siquidem repugnat spiritui; igitur si regnet caro, spiritus perit. Gulam itaque & alia carnis fomenta nisi caveris, perdent & destruent animae regnum. 141.2. 142.1.2.151.2.157.1.*sub fin.*& 2.525.2.526.1. Ejecit olim hominem è paradiso. 145.1.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

Enimverò mortificationum exercitio quasi violenter obtinetur regni coelorum aeterna vita. 269. 1.2. 270. 1. 2.

Quam commutationem dabit homo?

Vere dixit S. David peccatoribus stateras esse mendaces, quia pretiosissimam animam appendunt diabolo, pro temporalium vanitate. 279. 1. & purissimo Nihilo. 477. 1.

Filius enim hominis venturus est.

Ecce quid animam erigare debeat in praesentis vitae laboribus, nempe quòd venturus est filius hominis, justisque Gloriae coelestis praemium allaturus. 411.O.

Aliud de uno S. Martyre: Joan. 12.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.

Vide notata de S. Laurentio.

De pluribus SS. Martyribus. Lucae 6.

Descendens Jesus de monte.

Ascenderat Dominus in montem vespere praecedente, in quo totam noctem in oratione transegit. Non quòd sibi necessaria foret in orando pernoctatio, sed ut nobis exemplo foret semper orandi. 200.O.500. O. Manè elegit Apostolos, illisque primò praedicavit, declarans eis status & officii dignitatem quod illis imponebat. Ecce quanta gerenda cura, & quàm instanter praemittenda oratio ad Praelatorum idoneorum electionem. 353.1.2. 361.1.2.366. O. & à Praelatorum congregatione quasi in monte condendae constitutiones. 356.1.2. quae deinceps ad pedem montis intimentur subditis, & proponantur exequendae. 369.1.2.370.1.

Et ipse elevatis oculis.

Super haec verba, & reliqua quae sequuntur in Evangelio, vide notata in *Festo omnium Sanctorum* à verbis illis: *Videns Jesus turbas* & deinceps.

De S. Confessore Pontifice. Matth. 25.

Vocavit servos suos.

Vide complures modos divinae vocationis. 29. 1. 2. 30.1.

Et tradidit illis bona sua.

Haeredes illos regni coelorum. 263.O. instituit. 267.O. & virtutibus sublimavit, quae verae divitiae sunt. 271. O. Neque *sua* tantùm *bona* creata; verùm & seipsum *tradidit* eis in possessionem. 274.2.275.1.2. Et in ipso cuncta inveniunt, quae sub coelo desiderabilia reputantur. 277.278.O.

Unicuique secundùm propriam virtutem.

Non aequaliter omnibus dedit, sed aliquibus plura; puta iis, quos ad statum vocavit Religionis. Hos enim quasi in ipsis Paradisi deliciis. 205.1.2.*sub fin.*206.1. imò velut in Regni Dei deliciis collocavit. 97.O.

Negotiamini.

Non credite Divites, datas esse vobis mundi divitias, ut in iis luxuriemini, sed ut pauperibus velut oeconomi Dei distribuatis. 256. 1. 2.

Negotiamini.

Non credite Praelati, collatas vobis dignitates, ut otiosi sedeatis dominantes in cleris, sed ut in ovibus vobis commissis negotiemini, serviendo illis. 425.O. 473. 1.2. nec vestram procuretis, sed Domini vestri & subditorum utilitatem. 337.1.2.364.1.439.1.440.1.2.

Negotiamini, dum venio.

Nam postquam venero tempus non erit ampliùs. Operemur ergo bonum dum tempus habemus. 213. 2. 214. 1.

Peregrè profectus est.

Non quòd longè absit Deus ab unoquoque nostrûm; sed loquitur secundùm nostrum agendi modum, qui quandoque ita liberè & securè offendimus ipsum, ac si mille leucis abesset à nobis. Frenum nobis peccantibus erit, si jugiter praesentem imaginemur, & intentantem commeritas poenas. 408.2.409.1.2.410.1.2.

Post multum verò temporis.

Instantaneum quidem est totum vitae tuae tempus; vocat autem multum, quia tuo judicio multum est, praesertim quando adolescentiae tuae florentem intueris aetatem. 305. 1. 2.

Post multum verò temporis.

Multum temporis tibi est, hâc ratione, quòd quovis temporis momento te convertere potes, & aeternam tuam operari salutem. 253. 2. 254. 1. 305. 2. 306. 1. 402. 2.

Venit Dominus servorum illorum.

Haec consideratio futuri judicii, in quo venturus est Dominus,

Lucerna

F I N I S.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
Quæ hoc volumine continentur.

Primus numerus paginam designat, secundus columnam. Hoc signum, O, denotat toto Paragrapho tractari materiam indicatam.

Aristides.

Fili.

Jejunium.

Voluntatis

c N.

N.

O.

Obduratus.

Oblivio.

Observantia.

Oculus.

Officium Divinum.

Onus.

Operatio.

Opinio.

Oratio.

&

g *Scala*

58

Stipen-

Item

F I N I S.